Eusebius Episcopus Cesarensis floruit anno domini 320
Genadius episcopus Constantinopolitanus floruit anno domini 460
Hector Pinto ordinis D. Hieronymi floruit anno domini 1561
Hippolitus Episcopus floruit anno domini 220
Ioachim Abbas Benedictinus floruit anno domini 1200

Ioannes Agem Cartuſianus floruit anno domini 1460
Iudas Sirus floruit anno domini 200
Ricardus de ſancto Victore floruit anno domini 1140
Theodoretus Epiſcopus floruit anno do. 456

In omnes Prophetas minores.

Remigius Benedictinus Epiſcopus floruit anno domini 880
Stephanus Anglicus floruit an.do. 1200
Theodoretus Epiſcopus floruit an.do. 456

In Oſeam.

Cirillus epiſcopus Alexandrinus floruit anno domini 432
Didimus Alexandrinus floruit anno do. 390
Hieronymus de Quadalupe ordinis D.Hieronymi, floruit anno domini 1580
Pierius presbyter floruit anno domini 290
Rufinus Monachus floruit anno domini 400
Theophilatus Archiepiſcopus flor.an.do. 900

In Ioël.

Cirillus epiſcopus Alexandrinus, floruit anno domini 532
Hugo Victorinus floruit anno domini 1130
Rufinus Monachus floruit anno domini 400

In Amos.

Hieronymus Sauonarola ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1498
Rufinus Monachus floruit an.do. 400

In Abdiam.

Hugo Victorinus floruit an.do. 1130

In Ionam.

Ioannes Chriſoſtomus Archiepiſcopus, floruit anno domini 408
Ioannes Catardus floruit anno domini 1550
Theophilatus Archiepiſc.flor.an. domini 900

In Micheam.

Hieronymus Sauonarola ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1498

In Nahum.

Theophilatus Archiepiſcopus flo. an.do. 900

In Abacuc.

Cirillus Archiepiſcopus Alexandrinus, floruit anno domini 432
Theophilatus Archiep.floruit an.do. 900
Victorinus Epiſcopus & Martyr flo.an.do 270

In Ageum.

Caliſtus Placentinus Canonicus D. Auguſt, floruit anno domini 1540
Georgius Vicellus floruit anno do. 1540

In Zachariam,

Didimus Alexandrinus floruit an.do. 390
Hieronymus Sauonarola ordinis prædic, floruit anno domini 1498
Hipolitus Epiſcopus floruit anno do. 229

In Machabeos.

Bernardus Abbas Ciſtercienſis floruit anno domini 1153
Gregorius Nazianzenus epiſcopus, floruit anno domini 390
Ioannes Chriſoſtomus Archiepiſcopus, floruit anno domini 405
Ioſephus Matathiæ ſacerdotis filius,floruit anno domini 109

In totum nouum Teſtamentum.

Agus Anconas heremita D.Auguſt.floruit anno domini 1330
Eduardus Leus floruit anno domini 1520
Ioannes Bacho Carmelit.floruit an.do. 1350
Nicolaus Zigenus Minorita flor.an.do. 1540
Oecumenius floruit anno domini 800
Simon Satumeus Epiſcopus floruit an.do. 1400
Thomas Aquinas ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1274

In omnes quatuor Euangeliſtas.

Agrippa Caſtor floruit an.domini 160
Annonius Alexandrinus floruit anno domini 220
Antonius Bruhichius Franciſcanus floruit anno domini 1541
Apollinarius floruit anno domini 380
Arnobius Afer floruit anno domini 300
Arnobius Scitapolitanus floruit an.do. 380
Aurelius Auguſtinus Epiſc.floruit an.do. 430
Cæſarius Ciſtercienſis floruit an.do. 1220
Conradus ordinis prædicatorum floruit an. domini 1290
Diegus Deza Archiepiſcopus Hiſpalēſis ordinis prædicatorum,floruit an.do. 1500
Diodorus Tarcenſis Epiſcopus floruit anno domini 360
Dominicus Nanus floruit anno domini 1479
Euſebius Cæſareæ Epiſc. floruit an.do. 420
Euthimius monachus S.Baſilij,floruit anno domini 350
Fortunatius Epiſcopus obiit anno do. 330
Gregorius Papa floruit anno domini 605
Guido Perpinianus Carmelita floruit anno domini 1220
Gutierius Trieius ordinis minorum floruit anno domini 1550
Henricus Arnaldi Cartuſianus floruit anno domini 1440
Hieronymus Vida epiſcopus, floruit an. domini 1566
Innocentius Papa 3.floruit anno domini 1200
Ioannes Abbas Niuellenſis,flor.an.do. 1460
Ioannes Arboreus floruit anno domini 1550
Ioannes Balbus ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1280
Ioannes ChriſtopheriDominicanus floruit anno domini 1240
Ioannes Gauer ordinis Carmelitarum,floruit an no domini 1440
Iuuencus Hiſpānus floruit anno do, 330
Ludulphus Carthuſianus flor.an.do. 1330
Marianus monachus Benedictinus, floruit anno domini 1050
Otfridus ordinis S.Benedicti,flor.an.do. 864
Simon Caſianus ordinis eremitarum floruit anno domini 1340
Simon Corroius ord. Cæleſtini flo.an.d. 1550
Tatianus Iuſtini martyris diſcipulus,floruit anno domini 170
Theophilus Epiſcopus Antiochiæ floruit anno domini 174
Theophilatus Bulgariæ Archiepiſcopus, floruit anno domini 900
Titus Epiſcopus floruit anno domini 340
Zacharias Epiſcopus floruit an.do 110

In Matthæum.

Alfonſus Toſtatus epiſc.floruit an.do. 1440
Anſelmus Cartuariēſis Benedictinus, floruit anno domini 108
Antonius Puccius Cardinalis flo.an.do. 1548
Athanaſius Epiſcopus floruit an.do. 320
Aurelius Auguſtinus floruit anno do, 430
Baſilius Cæſareæ Epiſcopus floruit an.do, 380
Bonauentura Cardinalis ordinis minorum, floruit anno domini 1283
Claudius ordinis Sancti Benedicti floruit anno domini 800

Clemens Alexandrinus floruit an.do. 200
Chriſtianus Iſchirius floruit anno do. 1520
Chromatius Epiſcopus floruit an.dom. 410
Cyprianus Epiſcopus floruit anno do. 240
Didimus Alexandrinus floruit an.do. 390
Eccardus ordinis præd.floruit an.do. 1310
Franciſcus Titelmannus Franciſcanus, floruit anno domini 1530
Fridericus Nauſea Epiſc.floruit an.do. 1540
Gregorius Nazianzenus Epiſcopus,floruit anno domini 390
Gregorius Niſcenus floruit an.domini 380
Guilielmus Aluerna s Epiſco.floruit an.do. 1230
Guerricus Abbas floruit an. domini 1300
Guilielmus Pepinus ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1527
Ioannes Chriſoſtomus epiſc.floruit an.d. 405
Ioannes Doceus epiſc.floruit an.do. 1555
Ioannes Dominici ordinis prædicatorum floruit anno domini 1418
Ioannes Ferus ord. prædic.flor.an.do. 1536
Ioannes Hoffmeiſterus inſtit.D.Aug. floruit anno domini 1536
Ioannes Maitroſius floruit an.domini 792
Ioannes Maria Veratus Carmelita floruit an.do. 1540
Ioannes Regno Carmelitanus, floruit anno domini 1348
Ioannes Scotus Benedictinus flo.an.dd. 800
Ioannes Soarezius epiſcopus floruit anno domini 1560
Ioſephus Tiberinus floruit anno domini 370
Leo Papa 1. floruit anno do. 460
Leontius Epiſcopus floruit anno do. 610
Mathæus Monachus Ciſtercienſis, floruit anno domini 1415
Mathæus Bredembrachius, floruit anno domini 1550
Pantenus Stoicus floruit anno domini 200
Paulus Depalacios floruit anno do. 1670
Remigius Nannius ordinis prædicatorū, floruit anno domini 1566
Symachus floruit anno domini 190
Theodorus Heraclæ Thracianorum epiſcopus, floruit anno domini 340
Theodorus Ancyræ Epiſcopus floruit anno domini 430
Tilmanus Aquenſis Carmelita floruit anno domini 1350

In Marcum.

Ioannes de Iſdinio floruit anno do. 1390

In Lucam,

Adilredus Abbas floruit anno do. 1200
Albinus ſiue Alcuinus floruit an.do. 770
Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus floruit anno domini 380
Anſelmus Benedictinus Cantuaricenſis epiſcopus floruit anno domini 1080
Antonius Archiepiſcopus ordinis prædicatorū, floruit anno domini 1460
Auguſtinus Ancona eremita S.Aug.floruit anno domini 1350
Aurelius Auguſtinus epiſcopus floruit anno domini 430
Bernardus Abbas floruit anno do. 1153
Bonauentura Cardinalis ordinis D.Fräciſci, floruit anno domini 1283
Claudius Archiepiſcopus Taurinienſis, floruit anno domini 1490
Dominicus Leonus floruit an.domini 1560

Franciſcus ab Oſunna ordinis minorum, floruit anno domini 1530
Gregorius Niſcenus epiſc.floruit an.do. 380
Henricus Conſueldius Cartuſianus, floruit anno domini 1440
Henricus Caltiſenus epiſcopus ordinis prædicatorum,floruit anno domini 1460
Hubertus Leonardus epiſcopus Carmelitanus, floruit anno domini 1490
Hugo de S. Victore Canonicus D. Augu. floruit anno domini 1130
Ioannes Beuerlacius Archiepiſcopus,floruit anno domini 621
Ioannes Dominicus Cardinalis ordinis prædic. floruit anno domini 1418
Michael Angrianus Carmelita, floruit anno domini 1396
Nicolaus Gorranus ordinis prædicatorū, floruit anno domini 1390

In Ioannem.

Albinus ſiue Alcuinus floruit anno do. 770
Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis floruit anno domini 380
Amphilochius Epiſcopus floruit an.do. 422
Auguſtinus epiſcopus Hiponenſis floruit anno domini 430
Baſilius Epiſcopus floruit an.do. 380
Bernardus Abbas floruit anno do. 1153
Beſarien Patriarcha floruit an.do. 1473
Bonauentura Cardinalis ordinis minorum, floruit anno domini 1283
Claudius Gillandus floruit anno do. 1540
Cornelius Muſæus epiſc.floruit an.do. 1566
Cirillus Epiſcopus Alexandrinus,flo.an.do. 432
Didimus Alexandrinus floruit an.do. 390
Franciſcus Titelmannus ordinis minorum, floruit anno domini 1530
Georgius Trapezuntius floruit an.do. 1470
Georgius Epiſcopus Pictauienſis floruit ann.do. 1140
Guilielmus Aquiſgranus floruit an.do. 1485
Ioachim Abbas ordinis S.Benedicti,floruit anno domini 1400
Iodocus Clitoueus floruit anno domini 1513
Ioſephus Tiberinus floruit anno domini 370
Laurentius Iuſtinianus Patriarcha floruit anno domini 1410
Theodorus Epiſcopus Heraclæ floruit anno domini 340

In Actus Apoſtolorum.

Alexander Villadeus Franciſcanus floruit anno domini 1240
Arator Cardinalis floruit an.do. 540
Aurelius Caſiodorus floruit an.do. 576
Diodorus Tarpenſis epiſcopus floruit anno domini 360
Ioſephus Tiberinus floruit an.do. 1170
Petrus Riga floruit anno domini 1179

In omnes Pauli Epiſtolas.

Adam ordinis minorum floruit an.do. 1540
Alanus Ingulenſis floruit anno domini 1300
Albinus ſiue Alcuinus flor.an.do. 770
Ambroſius Compſę Archiepiſcopus, floruit anno domini 1550
Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus,floruit anno domini 380
Anſelmus Cantuarienſis epiſcopus floruit anno domini 1080
Auguſtinus Romanus heremita floruit anno domini 1410

Bruno Cartusianus floruit anno domini 1081
Claudius Guillandus floruit anno domini 1540
Diodorus Tarciensis episc.floruit an.do. 360
Franciscus Titelmannus floruit anno do. 1530
Gregorius Ariminẽsis eremita S. Augustini, floruit anno domini 1350
Gregorius Primaticus ordinis prædicatorũ, floruit anno domini 1550
Heraclius floruit anno domini 200
Innocentius Papa quintus floruit an.do. 1257
Ioannes Christophori ordinis prædicatorum floruit anno domini 1240
Ioannes Milbachius floruit anno domini 1494
Ioannes Phefer floruit anno domini 1494
Ioannes Zacharias floruit anno domini 1430
Lanfrancus Cautuariensis Episcopus claruit anno domini 1106
Mathæus de aqua Sparta ordinis minorum, floruit anno domini 1290
Paduanus ordinis B.Francisci flor.an.do 1547
Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, claruit anno domini 1140
Petrus Archiepiscopus Senonensis floruit anno domini 1200
Petrus Tripolitanus floruit an.do. 498
Photius Patriarcha Constantinopolitanensis, floruit anno domini 810
Primasius Episcopus floruit anno domini 440
Radulphus Benedictinus floruit an.do. 910
Remigius Episcopus Benedictinus floruit anno domini 880
Simon Spirensis Carmelit.flor.anno do. 1340
Stephanus Langion Cardinalis flo.an.do. 1228
Theodorus Heracleæ episc.floruit an.do. 340
Theodoretus Episcopus floruit anno do. 450
Theophilactus Archiepisc.floruit anno do. 900

Ad Romanos.

Ægidius Archiepiscopus ordinis Herem. floruit anno domini 1280
Antonius Bruchius Frãciscanus floruit anno domini 1541
Clemens Araneus ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1546
Dominicus Soto ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1410
Henricus Consueldius Cartusianus floruit anno domini 1410
Hugo Victorinus Canonicus sancti Augustini, floruit anno domini 1130
Iacobus Naclantus episc.ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1554
Iacobus Sadoletus Cardinalis flo.an.do. 1530
Ioannes Arundineus Episcopus Carmelitanus claruit anno domini 1490
Ioannes Baco Carmelit.floruit an.do. 1350
Ioannes Cassianus floruit anno domini 435
Ioannes Dominici Cardinalis ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1418
Ioannes Dugius minorita floruit an.do. 1308
Mathæus de Aqua Sparta ordinis minorum, floruit anno domini 1290
Nicolaus Grandis ordinis minorum floruit anno domini 1546
Philibertus Aresches Augustinianus floruit anno domini 1540
Raimundus Pasqual ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1583
Sixtus Senensis ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1576
Sixtus Nouocomensis ordinis prædicatorũ, floruit anno domini 1564
Theodolus Episcopus floruit an.do. 480

Ad corinthios.

Ioannes Dominici Cardinalis ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1418
Ioannes Hoffmeisterus Augustinianus floruit anno domini 1546
Pierius Presbyter floruit an.do. 290

Ad Galatas.

Alexander Cappadociæ Episcopus floruit anno domini 255
Apollinarius antiquior floruit an.do. 360
Didimus Alexandrinus floruit an.do. 390
Eusebius Emissenus episcopus, floruit anno domini 350
Seuerianus Gabalẽsis episcopus floruit anno domini 400
Theodorus Heracleæ episcopus floruit anno domini 340

Ad Ephesios.

Iacobus Naclantus episcopus floruit anno domini 1554

Ad Philippenses.

Ioannes Hoffmeisterus Augustinianus, floruit anno domini 1546
Gregorius Nisenus episcopus floruit anno domini 380

Ad Hebræos.

Cyrillus episcopus floruit anno do. 432
Constantinus presbyter Antiochenus floruit anno domini 420
Hieronymus Veronensis episcopus ordinis prædicatorum, claruit anno domini 1562
Ioannes Hudalrici ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1536
Nicolaus Grandis ordinis minorum, floruit anno domini 1530
Thomas Sperman ordinis prædicatorum floruit anno domini 1290

In omnes Epistolas Catholicas.

Augustinus Anconas ordinis eremitarũ S. Aug. floruit anno domini 1330
Aurelius Cassiodorus floruit an.do. 576
Claudius Guillardus floruit an.do. 1540
Didimus Alexandrinus claruit anno do. 390
Franciscus Titellemus claruit an.do. 1530
Ioannes Baptista Folengus Benedictinus floruit anno domini 1290
Ioannes Sperman ord.præd.flor.an.do. 1290

In Catholicam Ioannis.

Ioannes Ferus ordinis minorum, floruit anno domini 1536
Hieronymus Sauonarola ordinis prædicatorum obiit anno domini 1498

In Apocalipsim.

Albertus monachus floruit anno domini 770
Ambrosius Catherinus Archiepiscopus floruit anno domini 1552
Ambrosius Mediolanensis Episcopus floruit anno domini 380
Andreas Archiepiscopus Cæsareæ, claruit anno domini 100
Aprigius Episcopus Pacensis floruit an.do. 530
Augustinus Anconas ordinis eremitarum, floruit anno domini 1330
Aurelius Augustinus episcopus floruit anno domini 430
Bernardinus Senẽsis ordinis minorum floruit anno domini 1496

Claudius

Claudius à monte Martyrum floruit anno domini 1550
Cætrus Pannonius floruit an.do. 1540
Dionysius episcopus Alexandrinus flornit anno domini 270
Fridericus Verietus floruit an.do. 1500
Granfedus ordinis Cistercienſis floruit anno domini 1160
Gennadius Massilienſis floruit an.do. 490
Henricus Aslaus Cartusianus floruit anno domini 1428
Hippolitus episcopus floruit an.do. 220
Iacobus Stratensis floruit an.do. 1480
Ioachim Abbas Benedictinus floruit anno domini 1220
Ioannes Nanius ordinis prædicatorum, floruit anno domini 1490
Ioannes Gagneus floruit anno domini 1550
Ioannes Hentenius ordinis D.Hieronymi floruit anno domini 1546
Ioannes Theutonicus ordinis heremitarum D. Augustf.floruit anno domini 1410
Ireneus Lugdunensis episcopus floruit anno domini 175
Iustinus genere Samaritanus floruit anno domini 170
Melito Sardensis episcopus floruit anno domini 160
Methodius Tiri episcopus floruit anno domini 255
Primasius Vtesensis episcopus floruit anno domini 440
Trichonius Afer floruit anno do. 390
Victorinus Pictauionensis episcopus, floruit anno domini 270

Eorum qui scripserunt in Passionem Christi.

Antonius Gueuera episcopus Franciscanus floruit anno domini 1540
Dominicus Mancinius floruit anno domini 1494
Franciscus Zichenius Franciscanus floruit anno domini 1556
Gregorius Nazianzenus episcopus floruit anno domini 390
Henricus Arnoldi Cartusianus floruit anno domini 1440
Hieronymus Patauiensis floruit anno domini 1494
Ioannes Franciscus Quintianus floruit anno domini 1520
Ioannes Taurelius ordinis prædicatorum floruit anno domini

Leo Papa primus floruit anno domini 461
Tullius Chrisipollus Reatinus floruit anno domini 1540

In Decalogum.

Arnoldus Haldrenius floruit anno domini 1530
Bonauentura Cardinalis ordinis B.Francisci, floruit anno domini 1283
Fridericus Nausea episcopus floruit anno domini 1540
Gerardus Stredam Cartusianus floruit anno domini 443
Henricus Vrimarius Eremitanus floruit ann.domini 1340
Hermanus Archiepiscopus Colonienſis floruit anno domini 1540
Ioannes Betzius Carmelitanus floruit anno domini 1470
Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis floruit anno domini 1419
Ioannes Nider ordinis prædicatorum floruit anno domini 1430
Michael Mediolanensis ordinis minorum floruit anno domini 1480
Thomas Aquinas ordinis prædicatorum floruit anno domini 1274
Thomas Haselbachius floruit anno domini 1410

In Orationem Dominicam.

Ægidius Archiepiscopus ordinis Eremitarũ floruit anno domini 1280
Albertus magnus Episcopus ordinis prædicatorum floruit anno domini 1280
Bernardus Abbas floruit anno domini 1153
Bonauentura Cardinalis ordinis Beati Francisci floruit anno domini 1283
Carolus Bouillus floruit an.do. 1520
Hermanus Archiepiscopus floruit anno domini 1540
Hermanus Petra Cartusianus floruit anno domini 1428
Hieronymus Sauonarola ordinis prædicatorum, obiit anno domini 1493
Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, floruit anno domini 1419
Thomas Aquinas ordinis prædicatorum floruit anno domini 1274

In Salutationem Angelicam.

Ægidius Archiepiscopus ordinis Eremitarũ floruit anno domini 1280
Bernardus Abbas floruit anno domini 1153
Thomas Aquinas ordinis prædicatorum floruit anno domini 1274

FINIS.

PRÆFATIO AD PIVM LECTOREM.

SÆPE & multum mecum cogitaui, & sedula mente perdẽdi, Pie lector, cur tot hac nostra tempestate concionẽ habituri codicibus exceptoriis sese tantopere addixerint; cum eorum in multis quàm molestus labor, & grauis, tam cassus, ac perditus impendatur. Eoque magis medius fidius, accuratiusque cogitaui, & demiratus sum, quòd ante oculos manifesto viderim, plures ex iis, qui in huiusmodi studijs ab omni omnium hominum cœtu prorsus exterminando genere occupantur, tum literis impensè deditos, tum doctos egregiè, ac splendidissimo natos esse ingenio: opulentam nihilominus, atque amplissimam bibliothecam, præclarissimorum virorũ monumentis singularibus plenam ac confertam si ingressi fuerint, conciunculam vnam aut alterã miserè, vix, vi texere inde vel possunt vel sciũt. Hoc certè malum non aliunde, quantum consequi possum, emanare conspicio, quam quòd ex studiis laudabilibus quibus vehemẽter desudãt, ntl frugis & emolumenti capere, vel in eisdem cum dignitate ingenij sui acumen exercere sciãt, vel saltem minus aduertant: quin potius ita se totos huiusmodi exceptoriorũ codicum portẽtis inani quodam labore permiserunt, vt planè bonarum gustum literarum corruperint, & sui aciẽ ingenij adeo hebetarint, vt eosdẽ sanctorum librorum Doctorum, qui dulcissimi esse deberent, offendant potius, & ad nauseã vsque ducant. ô immortalis omnium opifex, quàm deprauati, & stupidi hominum sensus! quam atra quamq; misera tam sapientum hominum cæcitas! cum sacrorũ Doctorum solidos libros habeant, cum eosdem ad vnguem calleant, his tamen perquirẽdis, scrutandisq; codiculis tam excitatam curam adhibere! Nullum aliud plane malum, quã quòd crepitantis & scaturientis aquæ fontem temperint, & ex cisternis conceptis imbribus turbulentis sibi potum haurire malint: exquisitum panem ex lectissimo extructum tritico fastidierint, hordeaceum verò, ac putrefactum complecti velint. ô calamitatem toti humano generi perniciosissimam! ô pestem raptim, furtimq; serpentem, vel potius vndique iam manifeste diffusam! Quæ cũ tot iam tantosq; vulnerarit, infecerit, corruperit, quod animus agitat proferre vix audeo, vel sine lachrymis multis id conari queo. Quis enim obsecro relicto in lata area tritico, stipulas in horrea compottari vnquam vidit? Quis recrementa, vel scorias præfulgẽti auro neglecto recõdit? Ecquis intacto coralio, eius succidit, & colligit ramos? Ecquis gẽmis dispectis, conchas deligit? Quis denique vt rem ipsam attingam, vel lumine captus, exceptorios istos codices abiectos maxime, prorsusque exterminandos, illustribus libris præferendos esse censebit? verum purgant se isti atque defendunt, dicentes huiusmodi transcripta è sacrorum Doctorum promptuario exprompta esse, minusq; sibi placere, vt talia verbum ex verbo transfundant, sed vt illustriora, & vtiliora quæq; videantur exhauriant. ô insignia mehercule loca limo videlicet & stercore plenalnum ex his obsecro tuas depromis cõciones? Nequaquam id consilij D. Hieronymus ad Furiam de viduitate seruanda præstat, sed diuini eloquij literas primum imbibendas, deinceps vero eximiæ auctoritatis interpretum desudandum esse scholiis. Sic enim ille, Non necesse habes aurum in luto quærere. In istis autem codicibus quæ tuis sacris cõcionibus apta videantur exquirere, & inuestigare, ecquid aliud omnino est, quã aurũ in limo quærere velle? Nõ ea certe volumina sunt, quæ D. Aug. Epi. 3. to. 2. diligentissime legenda & perscrutãda Volusiano consuluit, sed præstantiora, eruditioraq; multo, vt ex eodem facillime cõperies. Nec denique eiusce modi cõcionandi modum ex 54. c. lib. 4. Irenæi grauissimi sapientissimique Doctoris, qui suæ sapientiæ, admirabilisq; ingenij acumen & calamum in Valentinum exacuens, inter alia, non istis manu scriptis cõcionum codicibus exceptoriis aliunde effluentibus, sed sanctorum patrum, qui sacris Apostolis successerẽ, præclaris monumentis omnino vacandum hortatur, & admonat, excusisti. Ab istorum etiam stulto cõsilio maxime dissentire videtur Spiritus sanctus, qui Eccles. 39. illam omni laudatione dignissimã sententiam edocet. Sapientiam omnium antiquorũ exquiret sapiens, & in prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conseruabit, &c. Quæ quidem quamuis ita sese habeant, tibi nihilo secius condonemus libenter, istarum architectè cõcionum, ad easdem eleganter, doctéque texendas, vniuersam librorum, quos tibi legẽdos, nocturnaq;, & diuina manu versandos, suadere conamur, molẽ euoluas ac summa animi attentione lectites. Quid tum? quæ sibi alij condiunt, tuo sunt subinde palato factura satis? Quis vnquã credat, vel mentem inducat, illius omnia irritamenta, & fercula, sua condita dulcedine, tuo omnino prodesse stomacho, & nõ secus posse te digerere, ac si tuo gustui & stomacho duntaxat conderentur? Nunquid euenit vt quę ille suo accommodarit ingenio, suo decorarit ornatu, & diuno quodã informauerit spiritu, eõdẽ tu prorsus ornatu, eodem verborũ pondere, eodẽ spiritu proloquaris? an necesse est vt qui te audituri cõfluũt, ab illius auditoribus nõ differãt, & moribus minime separẽtur? Auditoribus siquidem iuxta D. Greg. sentent. in Pastoralibus, sese perfectus eloquij diuini accõmodare debet orator. Et certe qui limpidos sacræ doctrinæ fontes, doctores videlicet sacros, è quibus declamaturus ad populũ documenta diuina desumat, adire nescit, cum illo conferẽ dus mihi esse videtur, qui medicam professus artem omnibus morbis eodem pharmaco

doctrina

mederi velit. Sed vt ad rem propius accedamus: nónne satius & melius iudicaremus, si viridariũ amœnissimum, quo ille flores sibi gratiores selecturus accessit, tute ingressus, pulchriores, tibique adbládientes magis decerperes? Sic enim vberrimus ac centuplus (vt dici solet) ex singulis tibi proueniret fructus; & res à te hac ratione selectas ornatius, elegantius, splendidius prosequereris maioriq́ue vi & actimonia pertractares; vtpote quæ tuo accommodarentur ingenio, ac dicendi facultati, nec toti Theatro adaptarentur. Sin autem istis te codicibus vacare contendas, vt potiora inde deligas, vorax iam tandem ignis & rapax eosdem absumat ecquid eo ne consilio & mente tam multus, atque adeo, totus es in transcribendo? eo ne tam solitus es in vestigando? fugias obsecro teterrimam istam pestem, tanquam aues (quod aiunt) auernum: priusquam enim aliquid hinc vtilitatis consequare, ita tuo intellectui Cimmerias quasdam offundent tenebras: sic rebus suis vanis, friuolis, somniis, phantasmatis, menti tuæ illudent, vt eandem miserè diuexent, vt etiam viginti concionibus vix tandem vnam conficere inde queas. Dic rogo, nonne labor iste tam grauis, iste tuus tam studiosus rerum delectus legendis versandisque doctorum grauissimorum voluminibus, quã istorum literatorũ trifialiũ, ac fluctuantiũ, codicibus, atq; scholiis impenderetur vtilius, cederetq́; felicius? Consimilia enim scripta siquid exvariis doctoribus depromptũ cõtinent, id ita deformatũ, ita cõtaminatum pollutumq́; reperitur, vt exẽplatis veri formã exprimere nulla ratione videatur. Quo fit vt cũ plerique ex his qui huiusmodi morbo laborant, sanctorũ mentẽ & institutum prorsum ignorẽt, ita incõposite, illepidè, inconcinnè, loquantur, distorqueantque sententias, vt vehementer ecquanam patientia auscultẽtur ab iis, quibus vt ocyus possint aufugere pedes natura elargita est, demirer. Concionatorem siquidem infacundè, inerudite, ac præter rem garrientem, quis sine magno cruciatu poterit sustinere? Neque sane silentio prætereundum videtur, quàm primo statim orationis ingressus apertum fiat, tales orationes, ne dicam inconninos centones, non proprio marte compositas, & elaboratas esse, sed veluti comœdiæ quendam actum memoriæ commendatum referri: necesse enim est suo fonti simillima existat oratio. Iam vero si tanti æstimas transcripta ista, quô præstantiora ac grauiora quæ sint inde desumas, cur aliquid prætermittis intactum, & absque linea, quin cuncta ridiculo, inanique labore transcribas? sanè quod ais ex grauioribus præclarioribusque dictis ibi repertis, atque sententiis, extructas esse tuas conciones, vberius certe id, elegantius, splendidiusque contingeret, si floribus ac gemmis præstantissimis, ex amœnissimis viridariis, vberrimisque sacrorum doctorum fontibus acceptis illas tu ipse cõtexeres, componeres, illustrares. Sed proh pudor, non paucis id arduum nimis, & vt sic dicam, impossibile apparet: huc vsque enim istarum schedarum pestis grassata est, adeoque vires assumpsit eũdo, vt viros etiam doctos, optimoque præditos ingenio, percusserit, deiecerit, stupefecerit, ita vt sanctorum doctorũ libros legere, nedũ diligẽter euoluere, versari, perscrutarique eorum animus ne assurgat tantum. Mihi plane contigit quod referam. Quidã diuini verbi orator suos mihi libros ostendens dicere cœpit: hic est Diuus Augustinus hic est Diuus Hieronymus, ille Chrysostomus, & sic alios inclytos diuinæ scripturæ percurrit Interpretes: quos cum ego laudarem, quamq́; lectu dignissimi essent quibus poteram sermonibus explicarem, vera sunt ista inquit ille, sed quis exipsis solis vnam apte cõponere concionẽ queat? Cui ego tantæ temeritatis, & stultitiæ voce stupescens, nimioque dolore perculsus, ac præpeditus, aliud respondere non potui, nisi id, nẽpe qui ex aliis libris aut schedis, id perfectum dare non queat. Deplorandum est igitur permultos inueniri, qui summo omnium applausu, & honore, in Cathedris difficillima sacræ Theologiæ, ac profunda arcana rimentur, edisserant, ac mira dexteritate pertractẽt, publicisq; disputationibus gloriosum reportent triumphum: si tam concionaturi suggestum conscendant, easdem balbutire, hallucinari, & non sine magno dedecore passim offendere videas, ita vt quæ audientibus molestè satis inculcant, parui ponderis, & mométi, inculta, abiecta, infrugifera, dissona, cassa, & quæ potius contemptum, irrisionemque in animis audientium pariant, & ad ipsum ex industria præcogitata fuisse videantur. Cui damno occurrere quandoque nitentes, sacræ Theologiæ Scholasticæ florentes, vberesque recessus introgressi, materias licet graues tamen pro loco & tempore, minimè accommodatas, interserunt, easdemque profundunt inelaboratas, impolitas, incoctè, indigesteque sub terminis artis euomunt, vt ea omnia exploserint omnes, gustauerit nemo. In ipso enim fere orationis initio videas alios è templo recedere, alios graui correptos somno, nõnullos inuitè detentos, & id quidem iure: nam quid aliud qui tam fragili innititur baculo, infeliciq́ue adhæret arbori, istis nempe schediis, promereatur? Quamobrem tum desiderio huic tam graui morbo (si id per me fieri poterit) medendi, tum etiam quòd doleam concionatores plurimos de sua æstimatione casuros esse, publicato dominorum Inquisitorũ hæreticę prauitatis edicto mense Iunio, anno à Christi Domini ortu 1577. in illustrissima Hispalensi vrbe: quo quidem imperatur, vt omnes alieni auctoris codices manu scripti, sermones, vt aiunt, continentes, seu expositiones diuinæ scripturæ, exhibeantur à singulis. His inquam de causis hunc non leuem subire laborẽ decreui, vt præsens opus iam diu à me conceptum, efformatumq́ue in publicam omnium vtilitatem prodeat, præsertim cum etiam in hac concionandi facultate (quod sine animi leuitate velim dictum esse) versatus non vtcumq; fuerim vnusquisque enim de ea re scribere debet, quam potissimum profiteatur: : vt sapienter adnotat doctissimus Ludouicus Viues Valentinus in præfatione in libros D. Augustini de Ciuit. Dei ad Federicum Anglię regem. Ne igitur inuolutè, & absque ordine procedamus, quod tantopere reprehendendum putat D. Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 1. to. 2. in septem idcirco partes, aut libros, hoc opus diducemus: idque quantã licitum nobis fuerit breuitate. nam si D. Augustino credimus libro 1. de sermone Domini in monte tomo. 5. diffusa volumina fastidium legentibus ingenerant. Primus ergo liber docebit qui libri sint magis necessarij, & ad concionandum aptiores: & eum emendi sint quo pacto debeant deligi, quidue obseruandum in comparandis tum bibliis, tum grauium doctorum libris. Secundus ostendet modum quo præfati libri sunt euoluendi & perscrutandi, vt labor fructuose impendatur, & ad optime conficiendas conciones

doctrina

doctrina promatur accommodata. Tertius patefaciet quo pacto componentur conciones, ex doctrina è doctoribus deprompta. Quartus explicabit qua ratione res ipse dispositæ sint memoriæ commendandæ. Quintus ornatus, motus, gestus, affectus, & proprietates deniq; omnes concionatoribus seruandas indicabit. Sextus edocebit pro omnibus Dominicis, feriisque Quadragesimæ, atque totius anni festis solennibus qui doctores legendi, & quo in loco melius & vberius explicent Euangelium, breuiter tactis nonnullis ex ipsorum doctorum penu conceptibus, idque iuxta stylum & modum concionandi hac ætate cultiore auditoribus vtiliorem ac iucundiorem. Septimus & vltimus continebit præter sanctorum Commune nonnullas speciales materias de quibus frequenter haberi solet sermo Euangelicus. Ex hic igitur fiet, vt quicunque prudens & doctus tradendis regulis obseruatis, conciones quasuis componere apte, compositasque aptius, ornatiusque declamare & sciat, & possit, istis concionum alienarum codicibus exceptoriis omnino neglectis. Restat autem, Lector prudentissime, vt siquid hac in opella, quod tuas doctas, teretesque aures offendat, inueneris, ea benignitate condones, vt tui acies ingenij & acrimonia in his percipiendis exposcit; præsertim cum id semper animo conceperim, sermone meo nulla vnquam ratione tibi molestiam exhibere, sed totis viribus tuo semper inseruire commodo. Vnde si me verba facientem auscultans, lapsus meos prudentissimè condonaris, erisque pius auditor, non erit cur censor existat seuerus, in eum præsertim qui tua benignitate & animi candore fretus, est ausus tibi absenti suos labores quàm libentissimè offerre.

Vale Nestoris annos in Domino.

LIBER PRIMVS

OSTENDENS QVI LIBRI AD CONCIONANDVM NECESSARII SINT, ET QVO PACTO IN EMENDIS ELECTIO FIERI DEBEAT.

Concionatori multi sunt libri necessarij.

CAP. I.

SÆPENVMERÒ ab amicis assiduis petitionibus vexatus, ac lacessitus sum, ecqui tandem libri ad conciones pro dignitate habendas necessarij essent, qui vtiliores, vel accommodatiores, aut præstantiores ad idem censerentur aperta oratione ediſſererem, & explicarem. Quæ sane interrogatio mihi pergrauis semper visa est, & cui non sine maxima difficultate possit responderi. tot enim sunt res quarum cognitionem diligens, optimúsque concionator habere debet, vt magna librorum varietate & abundantia illi sit opus ad id muneris cum dignitate exequendum. In primis enim requiritur vt natiui sermonis proprietate, elegantia, atque copia exornetur. nec his contentus, sed Grammaticus, Latinus, atque adeò Rhetoricus, Philosophus etiam, & denique Theologus esse debet. Ad hæc aliqua ex parte futurus est Geometra, Arithmeticus, Astrologus, Musicus, Iuris vtriusque peritus, Medicus, agricola, nauta, mercator, faber, miles, & aulicus. Neque aliarum rerum complurium humanarum expers, imo innumera alia nosse eum necesse est: quemadmodum de suo oratore M. Tullius, & Fabius Quintilianus, suis monumentis immortalibus, ad omnium posterorum recordationem & memoriam prodidêre. Nec immeritò profecto, quippe qui omnium Doctor sit ac magister, ac proterea negotiorum & morum eorum, quibus verbum Dei communicat, & disseminat, notitiam habere eum oportet; vt hac tandem ratione de quibusuis rebus pro loco & tempore aptè, & congruenter, nullius contemptui, ludibrióve expositus, agere possit. vnde cum horum omnium cognitionem vno, vel etiam decem libris, comparare nemo quæat; consequens sit necesse est, vt quis diuini verbi perfectus euadat orator (qualem vix animo concipimus) oportere permultos eum legisse libros, quin & ad calcem vsque haud somnolentè percurrisse. Neque id mirũ alicui videatur: nam si plerosque artium mechanicarum opifices ad res viles, crassas, abiectásque rectè construendas, & efformandas, tot, támque diuersi generis, ac formæ instrumentis, suo singulis muneri destinatis, vt præ multitudine, & varietate, eorum officinas ingressi in admirationem rapiamur, abundare, & circumfluere necesse est, quanto oportebit magis magísque vt diuinus orator & vates numerosam librorum habeat multitudinem, quibus libris ceu instrumentis quibusdam conciones suas texat, & elaboret. si quidem eius munus, quando hominum omnium instructor & doctor est, quò vniuersalius, vt ita loquar, eò laboriosus, & excellentius esse, censeatur necesse est. Ex his igitur perspicuum satis reor, quid absolutè ei respondendum sit, qui rogitarit quinam, & quot libri diuino sint oratori necessarij: omnes dubio procul, quotquot in lucem ex omni ætate & memoria prodiere, perfecto, ac suis numeris absoluto sacro oratori, necessarios esse libros. quamuis enim tibi essent quotquot volumina Athenienſium, Ægyptiorum, Græcorum, & Alexandrinorum memorabiles illæ & amplissimæ Bibliothecæ, quorum meminerunt Plinius, Aulus Gellius, Amianus, Plutarchus, & Strabo, continebant, & his quæcunque postmodum excussa fuêre coniungeres, adhuc non sufficerent: ea est concionatoris perfecti rerum omnium requisita cognitio. Et id quidem præterea ratio illa persuadet, quòd inexplebilis sit humanæ curiositatis appetitus, in sciendo præsertim; cui Bibliothecæ nullæ, quantocunque exstructæ sumptu, satisfacere vnquam possent. Huius tamen rei oppositum si bonus ac fidelis orator aliis consulere & suadere ex officio tenetur, nimirum vt certo quodam finitóque termino contineatur, fræneturque appetitus insatiabilis, multo id sibi magis debere consulere nemo nescit, ne scilicet mentem suam humana intricet curiositate, tanquam labyrintho inexplicabili; néve Ethnicorum nimis indulgeat monumentis, ne forsan sibi tale quidpiam vsu veniat, quale de se D. Hieronymus epist. de virginate seruanda ad Eustochium virginem refert. Nec vero id dictum à me eò esse velim arbitrêre, quòd ex illis nil ad nostrorum morum, ac vitæ informationem deducere possimus. Id siquidem, vt diuinus ille Gregorius lib. 19. Mora. cap. 13. decernit, & egregius ille doctor, ac splendidissimum Ecclesiæ lumen Augustinus, affirmat, lib. 2. de Doc. Christ. cap. 18. licitum quidem est, & Christianæ pietati consonum. Sed monemur, vt id maxima fiat moderatione, quandoquidem plura sunt alia, longeque excellentiora, & vtiliora, quibus perbreue concionatori præfixum tempus, fructuosius impendi debeat. Ex quo intelligas

Concionator omnium est institutor & magister.

Variæ Bibliothecæ & varij historiographi percensentur.

D. Augustinus doctor egregius ac splendidissimum Ecclesiæ lumen.

iam tandem, quorsum Apostolus cum in suis Epistolis citauerit triciesies quinquies Regium vatem, Esaiam verò viciesies septies, ter tamen dumtaxat Ethnicorum poëtarum, Arati nempe, Menandri, & Epimenidis dicta retulerit. Relicta igitur molesta ac supernacanea librorum conquirendorum curiositate, quæ solet animum non mediocriter diuexare, & distorquere, vt ad nostrum institutum iam accedamus: libros eos qui concionandi muneri satis, cumulatéque facturi sunt, sequentibus capitibus expediamus.

Quos comparare debeat libros nouicius concionator, & Tyro, pauper videlicet, cui pecunia non suppetat ad grandiora comparanda volumina.

CAP. II.

Si igitur ea sis sorte vel conditione vitæ, vt paupertate cogente permultos, grandésque, libros tibi sine magno detrimento camparare nequeas, & grauem concionandi prouinciam suscepturus sis: emito Biblia sacra minoris corporis, & librum Cõcordantiarum maiorum, eiusdem etiam magnitudinis: nam huiusmodi tibi sunt satis. Comparabis insuper Catenam auream Doctoris Angelici D. Thomæ, Haymonis opera, Eusebij, Alcuini, Petri Chrysologi, aliàs Rauennatis, Innocentij tertij, D. Leonis Papæ, Summam virtutum & vitiorum, Rosam auream, Opus aureum octo millium dubiorum super Euangelia, Opera Ioannis Feri non prohibita, Hectorem Pintum super Esaiam, & Ezechielem, cum quodam Elencho Salmanticæ excusso, & Dialogos eiusdem lingua vulgari, Figuras Bibliorum, Reuerendissimum dominũ Caietanum super Euangelia, Bibliam auream cuiusdam fratris sancti Augustini, quæ certè merito aurea est appellata. Deinceps librum quendam qui inscribitur Doctorum similia, & alterum qui flores doctorum appellatur, omnia opera fratris Ludouici Granatensis, sermones Hororzci iam latinitate donatos, Vanitatem mundi fratris Didaci de stella lingua vulgari, & eiusdem Commentarios super Lucam, si fuerint probè correcti & approbati. Item Paulum de Palacios super Matthæum, Summam conciliorum, & Concilium Tridentinum, & tandem sermones beati Vincentij Ferrarij, & Iacobi de Voragine, vnà cum Homiliis Ioannis Echij. Hi ergo sunt libri ex hisqui sunt parui voluminis, quostibi arbitor aptiores & vtiliores, & præter quàm quod eos tollerabili pretio coëmas, sunt certe libri adeò noti, & modò ita securi, vt absque vllo dubio & falsitatis scrupulo, valeas ex iisdem tuas expromere conciones: quoniã tibi materias graues, catholicas, atque disertas, ex quibus magnos in hac concionandi facultate progressus facere, ad idque abundare doctrina in annos multos queas, abunde satis suggerent, ac suppeditabunt, si tamen illas iuxta regulas infrà tradendas texueris, ac declamitaris. Interim tamen operæpretium fuerit sedulò aduertas, ac notes regulam quandam, qua dirigaris non solum in libris modò relatis, sed etiam in quibuscunque aliis: nimirum nullum esse librum adeò grauem, & vera præstantique doctrina affluentem, quem lector sapiens & cordatus, non & prudenter, circumspectéque legere, atque eidem nonnihil de suo adiungere, & supplere debeat: quemadmodum retro vicissimque nullus tam sterilis, tam exanguis, tam abiectus, & inops reperitur liber, quem si attento, vigili, studioso que animo legeris, non inde aliquid semper bonæ, laudabilisque eruditionis, referas, atque reportes.

Biblia sacra minoris corporis & liber concordantiarum.

Catena aurea D. Thomę.

Censura librorũ cõnumeratorũ.

Quos comparare & debeat libros qui copiosam atque perfectam Bibliothecam habere studet, aperitur.

CAP. III.

Postquam igitur sacra Biblia, ac Concordantias, vtpote opera quotidiano atque assiduo vsui necessaria, compararis: partes summæ Theologiæ D. Thomæ Aquinatis tibi coëmito. Quarum in lectione studiosus quisque ita debet occupari, ita assiduam operam enauare, vt null⁹ auolet dies, quin vel grauissima quaque distentus occupatione auream illam summam salutet, visat, euoluátque articulum vnum aut alterum, his præsertim tam calamitosissimis tẽporibus, quibus hostiliter vndique oppugnamur: eũdem pro negotio accommodando, ademptis, vel dissimulatis scholasticis illis notis, si, & quando fieri oportuerit. Sed quid moror? Omnia tibi opera huius Angelici doctoris & poteris, & debebis comparare, multis ac magnis distincta voluminibus. ita enim proculdubio fiet vt torrente vario & positiuæ, & scholasticæ Theologiæ, adde etiam omnis generis Philosophiæ, turò, & cum iucunditate affluas. Sunt namque huius eximij, diuiníque doctoris immortalia monumenta, flumina illa à paradiso voluptatis emanantia, vniuersumque terrarum orbem longè lateq; patentem irrigantia. Non enim arbitror alium esse doctorem, in quem Deus opt. Max. ad totius Ecclesiæ vtilitatem vberius, largiúsque vtriusque Theologiæ, Philosophiæ, & aliarum rerum fere omnium diuitias effuderit, ac ostentarit. Quem etenim æque hæretici reformidant? quo tantopere exterrentur, exanimantur, interimuntur, ac doctore isto angelico Aquinate, magna semper cum Ecclesiæ gloria, & omnium gentium admiratione? Mihi quidem persuasissimum est quòd non minus quàm olim Madianitæ audita illa voce, Gladius domini, & Gedeonis, absterrebantur: ita nostræ ætatis hæretici audito gladio domini & sancti Thomæ absterrentur, exanimãtur cõuicũtur. Iam verò perillustres illæ in Arist. Cõmentationes & lucubrationes, tales mediusfidius sunt vt non pauci, & hi quidem doctissimi viri, audacter, veréque affirment, reuocatum ab Orco in hanc lucem Aristotelem nequaquam aliter, id est verius, acutius, ac sapientius, id muneris præstiturum. ita præterea doctoris eximij Augustini doctrinam imbibit, vt sapientissimi viri, Pythagorico more pronunciarint, diui Augustini animam in sancti Thomæ corpus fuisse transfusam, ac semigrasse. Fama autem ita quanto quanto terrarum orbe, cælo, terra, mari diffusa est, & celebrata, vt vbique non secus iam cõmuni, hoc est instauratoris Theologiæ Scholasticæ, nomine, quàm propria illa Thomæ Aquinatis appellatione insigniatur. Testis est vniuersa Parisiensium Academia nobilissima, epistola quadam in eiusdem Angelici doctoris laudem composita anno ab orbe Redempto. 1325, in qua quidem epistola inter alia quæ de huius sanctitate doctoris ac veritate doctrinæ eloquitur, ita habet: præfatum doctorem eximium, & venerabilem, cuius doctrina fulget Ecclesia vt sole luna, nuper sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum decreuit summus Pontifex Ioannes 22. præsertim cum fuerit vniuersalis Ecclesię lumen præfulgidum, gemma radians clericorum, fons doctorum, vniuersitatis nostræ speculum clarissimum, & cãdelabrum insigne, ac lumen: per quod omnes qui vias vitæ, & scholas doctrinæ sanæ ingrediũtur, lumen vident. Et summus põtifex Innocẽtius in sermone qui incipit, Ecce pluſquam Salomon hic, de beatiſ

Toti tremũt atq; horrent hæretici audita doctrina D. Thomæ.

Testimonium Parisiensis vniuersitatis.

de beatissimi huius vita ac doctrina loquens, hunc in modum decernit. Huius doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, proprietatem habet verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam, qui eum tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & quicunque eum impugnauit semper fuit de veritate suspectus. Tum præterea in quadam bulla quam summus pontifex Vrbanus sextus misit ad Parisiensem vniuersitatem anno Domini 1379. inter alia multa quæ de doctoris Angelici admirabili doctrina pronunciat, & iniungit implenda, sic ait, Volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt doctrinam sancti Thomæ, tanquam veridicam, & Catholicam, sectemini, cámque studeatis totis viribus ampliare. Sed ad me redeo: nolo enim in huius diuini doctoris laudibus, luce meridiana clarioribus, diutius immorari: & quia Prædicatoriæ familiæ illustrissimæ, qualiscunque, indignus scilicet, & quantuluscunque, minimus videlicet seruus, & alumnus sum: & quia præsertim tam excellentes & celebertimæ laudes, ipsæ per se adeò notæ sunt, vt nunc demum tanquam à primis auctoribus, & præconibus à nobis promulgari, quã secúmque in partem conuertant, nulla ratione desiderent, aut necesse habeant. Quare ad alia pergam si extremam illam addidero clausulam, quæ quod primum intenderam definiat, ac terminet: nimirum si alicui vnius tantum auctoris opera sufficere commodè possunt, illa vel Thomæ Aquinatis è cælo in solum ad omnium vtilitatem deuocati, esse opera & monumenta, vel nullius præterea desideranda esse, & exspectanda.

Aliud testimoniũ Vrbani sexti.

Opera D. Greg. parãda.

Secundum vero diuum Thomam D. Gregorij opera emas admoneo: quæ etiam si non multis voluminibus, quia potius vnius libri corpore contenta, comprehendantur, nullus tamen alius sanctus præclariora tibi, sapientiúsque digesta, & exarata, D. Gregor. suppeditabit. Ipse quidem totam fere scripturam sacram admirandis sui diuini ingenij expositionibus illustrauerat: quorundam tamen deptauissimorum hominum inuidia detestanda (quod absque animi dolore vehementissimo illo quidem dici non potest) perfectum est, vt rapacissimo, voracissimóque igni pleraque eius opera traderentur. Sed Deus opt. Maximus nobis cõsultum cupiẽs, non permisit vt illustribus tanti doctoris monumentis sua omnino prtiuaretur Ecclesia: ex quo effectum est, vt complura huius doctoris, admirabilis eruditionis monumenta nobis reseruarit. In Euangelia siquidem permulta, quæ statis anni temporibus decantantur, stylo, vt dici solet, prædicabili, homilias multas summa eruditione confertas reliquit, non sine omnium posterorum incredibili vtilitate. Commentatus est insuper præcipuam librorum Regum partem, præcipuè tamen pœnitentiales septem Psalmos exposuit pereleganter. Interim tamen quod nostro iudicio inter omnia eius opera principatum tenet, quódque splender, emicátque magis, & commodius ad concionandum existit, est opus illud insigne, commentaria scilicet in Iob perillustria illa quidem: de quibus illud absque alicuius sancti, vel doctoris iniuria affirmare ausim, omnibus super scripturam sacram hactenus conscriptis, opus illud vnũ supereminere, ac concionatoribus præstantius nil, & aptius inueniri posse.

Detestãdarabies inuidorum.

Omnia ope, D. Chryso. comparanda.

Præterea omnia diui Chrysostomi opera comparabis. Præcellens enim sanè ex omnibus doctoribus is vnus existit: qui sese concionatorum apetius exhibet præceptorem, eosdem instituens ecquanam ratione & methodo concionari, aptéque materias dilatare, ampliaréque possint, & debeant, & id quidẽ miranda facundia & artificio singulari. Mihi sanè videtur fieri propemodum non posse, vt is cui diuus Chrysostomus familiaris valde non fuerit, perfectus diuini verbi euadat orator. Huius quidem doctoris doctrinam excellentem præclarè calluit memorabilis ille Abbas Isidorus, quandoquidem Epistola ad Orphelium missa eam tot tantísque laudum præconiis effert, atque decantat. Sapientissimus etiam ac eloquentissimus ille Libanius epistola quadam, quã diuo Chrysostomo scripserat, eundem perbeatum appellat: cui nimirum Deus opt. Maximus tam admirabilem orandi facũdiam fuerit elargitus, nec minus etiam beatos ac felices eos esse dicebat, qui tam insignem verbi Dei oratorem habere mererentur. Doctissimus quoque Amianus ad Orontium Episcopum exscribens, admirabile artificium, ac summã huius sanctissimi doctoris elegantiam, satis à se laudari non posse, ingenuè ac pleno ore profitetur. Tria verò sunt potissimum opera quibus hic grauissimus doctor præcellere videtur. primũ opus est in librum Geneseos, quod primo tomo habetur: præcellit autem non in sensu literali, nam in hoc à multis superatur, sed in rebus moribus informandis consentaneis, ex ipsis historiis (dictu mirabile) eruendis. Secundum est, dum triplici cõmentatione diuum Matthæum illustrat: prima commentatio inscribitur super Matthæum, secunda in non absolutum, vel vt alij nominant, imperfectum: quod quidem opus credunt nonnulli *non esse diui* Chrysostomi, *sed* aperte falluntur, tum quoniam eis aduersatur auctoritas Ecclesiæ, quæ toties in anno homilias ex hoc desumptas volumine, inscriptas diuo Ioanni Chrysostomo recitat: tum etiam quia styli grauitas ac pondus sentẽtiarum id maximè arguit, vt cuiuis statim vel mediocriter in eiusdem doctrina versato perspicuum fiet. Id insuper ita esse roboratur ex eo, quòd multi, iidémque graues doctores, tam scholastico, quàm positiuo ac plano stylo procedentes, plurimas ex hoc pereleganti opere expromptas sententias afferant, sub titulo quidem diui Ioannis Chrysostomi. Tum & permultis *in Glosis* auctenticis, & pluribus summorum pontificum decretis, variæ ex hoc opere selectæ sententiæ, eiusdem doctoris nomine consignatæ, concernuntur. Itaque tum ex iis quæ modo diximus, tum etiam eximiæ eius auctoritatis gratia, ratio suadere videtur, vt legatur à nobis, ac diligenter euoluatur. Sed vigilanter ac neruosè caueas oportet, ne in eo legẽdo fallaris: manifestum est enim hoc opus deprauatum esse aliquibus erroribus per hæreticos callidè, clamque suppositis, & intextis: qui quidem ab eius doctrina sic dissident, vt à luce tenebræ longissimè separentur: & sub hac animaduersione edictum Pauli quarti debet intelligi. Tertia commentatio in Matthæum, qua maximè præstat hic diuinus doctor, inscribitur ex variis in Matthæũ locis. In quibus omnibus Commentationibus diuum Matthæum ita mirabiliter, ac planè diuinè declarat, vt ex omnibus quæ hactenus in præfatum Euangelistam edita sunt, eius commentaria palmam magno quodam excellu reportent: continentur autem hi tres in Matthæum commentarij in secundo tomo. Tertium denique opus est, quod homilias seu orationes quas ad populum Antiochenum habuit, continet, & hæ tomo quinto habentur: quæ planè egregij perfectíque concionatoris excellens quædã institutio, ac viuum quoddã exemplar existunt. Nolim ex dictis inferas ex mea senẽtia reliqua huius præclarissimi Doctoris opera parui pendẽda esse, nempe egregia illa in psalmos cõmentaria, ab illo præclaro viro Suida, aliisq; viris illustribus tantopere cõmendata: vel etiam eiusdem elegantissimas homilias in

Acta Apostolorum, quæ quidem hunc ipsum suum esse auctorem satis aperte manifestéque declarant, testantur, clamitant, quantumuis id Erasmus dubitarit, & controuersum fecerit. Vel etiam diuinas illas homilias in omnes Diui Pauli Epistolas, de quibus Georgius Patriarcha Alexandrinus affirmat, ipsummet Diuum Paulum præfato Doctori sanctissimo qua ratione deberent illæ intelligi sæpius reuelasse. Non sunt præterea obliuioni tradēdæ illæ eiusdem breues elucidationes in Marcum & Lucam: neque octuaginta septem eiusdem homiliæ super Ioannem. Hæc etenim vniuersa & lectione dignissima sunt, & vt magno in pretio habeantur ac numerentur. Nihilominus tamen opera illa & monumenta, quæ permagnificis, vt par erat, extulimus laudibus ad conciones sacras habendas indubiè profectò excellunt, præstant, principatum tenent. Aliud insuper in hoc sacro Doctore animaduerti quod non est silentio inuoluendum, propter quod Doctrinam eius admirabilem incredibili debemus amore complecti ac prosequi, videlicet nescio quo fato eundem nactum fuisse populum, qui populo nostri infelicis sæculi, deprauato nempe, & perdito, esset quàm simillimus. Ex quo consequens certe esse nemo est tam cæcus qui non videat, támque sine mente qui non intelligat, eius dictis conceptis, ad populúmque nostri sæculi prolatis, incredibilem inde messem vberrimúmque fructum esse prouenturum. ex quo fit vt tanti sancti opera, diuini verbi declamatores, plurimi facere debeant.

Mira obseruatio in Chrysost.

D. Bern. opera.

Emes insuper Diui Bernardi opera, qui in concionibus seu sermonibus dierum solénium tam Domini nostri Iesu Christi quàm matris eius semper virginis, condendis, omnes certè vnus exuperat: nec minus anteit in locis diuinæ scripturæ adducendis, qui plane natiui suis scriptis, & quasi congeniti videntur. Modus siquidem coniungendi ac continuādi suum cum scriptura sacra sermonem, inter omnes Doctores sanctos in hoc vno doctore perrarus est: quippe qui scriptura diuina ad loquendum vtatur, Res cèrte admiratione dignissima est, quàm mirabili artificio multas variásque sententias sacræ scripturæ suo inserat sermoni, maxime cōsonas, & adamussim quadrantes: non secus ac tabulis internodia, & cælis affixa conspiciūtur sydera. Id verò adeò verum est, vt qui non fuerit in diuino versatus eloquio, loca siue sententias diuinæ scripturæ, verba esse Diui Bernardi facile existimarit. Vnde aperte colligitur quàm fideliter sacram Bibliam memotiæ commendarit, atque frequenter euoluerit: dono enim quodam speciali ac cœlesti donatum, insignitúmque fuisse hac in re, negare non possumus.

Rarum quidpiã Bernerdin.

D. Amb. opera.

Ad hæc operæpretium tibi fuerit Diui Ambrosij monumenta habere. Cuius sane eximiæ sanctitatis exemplum tanti fecit, & extulit Theodosius Imperator, vt persæpe esset affirmare solitus, existere neminem qui nomen Episcopi dignius mereretur obtinere, Glorioſum etiã illud Ecclesiæ lumen Hieronymus ad Pammachium exscribens, Diui Ambrosij doctrinam permagnifica laude prosequitur. Tanta est etiam huius beatissimi doctoris auctoritas, vt sæpenumero diuinus Augustinus ipsius fuerit doctrina vsus tum ad Paulinam scribēs de videndo Deo, tum in libris aduersus Pelagianos. Doctrina etiam Ambrosiana comprobatur ac maxime commendatur in sexta Synodo Constantinopolitana, vt actione decima patet. Solus vero hic doctor ex omnibus ecclesiæ doctoribus scribit in D. Lucam. cuius quidem expositio quamuis sit breuis, complures tamen ad intelligētiam literæ nobis aperit aditus: & licet plures iidémque graues huius expositores Euangelistæ extiterint, adeò grauem, qui cum diuo Ambrosio comparari, conferrique possit, & valeat, inueni neminem. Multum autem interest ad concionandum super Euangelio ex diuo Luca deprompto, tam graui, & celebri inniti doctori. Super cuius quidem grauissima doctrina, vtpote doctoris Ecclesiæ, optime componetur, aptabitúrque expositio Venerabilis Bedæ, diui Bonauenturæ, & Alberti Magni, aliorúmque doctorum, qui diuum Lucam interpretantur. Scripsit porrò in perplura alia scripturæ loca omnia semper admirandæ eruditionis plena, ac confertа. Sed illud interim non te fugiat oportet, doctrinam huius admirandi, diuiníque doctoris, & procedendi modum, adeò esse profunda, vt sicut doctos, & splēdido natos ingenio plurimum delectant, & iuuant, ita fastidio plurimum sint parum in diuinis literis exercitatis: id quod doctissimè, occultatéq; adnotat doctissimus ille Acca Cantabrigiensis Episcopus in quadam Epistola ad Venerabilem Bedam Presbyterum transmissa.

D. Hier. opera & monumẽta.

Opera pariter diui Hieronymi habere diligenter, sedulóque accurabis. Cuius sanè præclari diuiníque doctoris excellentiam & auctoritatem pro dignitate laudare, cuiusquam mortalium nec lingua, nec calamus sufficit, nec tanti viri laudibus par vnquam oratio poterit adinueniri. Nam primū de hoc doctore diuus ille Augustinus libro primo contra Iulianum Apostatam affirmat ipsum sermone Latino, & Græco, atque Hebræo exornatum, excultum, peritissimúmque extitisse, adeóque bonarum literarum perstudiosum, vt quotquot ad illud vsque tempus volumina in lucem fuissent emissa, indefesso labore percurrisset. fuit autem de sacris literis is tantus doctor adeò egregiè meritus, vt nullum reperias scripturæ locum, qui huius non sit elegantissimo doctissimóque calamo illustratus. Totam siquidem sacram Bibliam Latinam fecit, quæ translatio longissimis ante sæculis ab Ecclesia recepta, etiam nunc perseuerat. Sanctissimus siquidem ille Hispanus pontifex summus Damasus huius nominis primus, qui tempore præfati Iuliani Apostatæ Ecclesiam Dei moderabatur, fuit etiam primus qui vt trãslatio diui Hieronymi, vt par erat, haberet auctoritatem, atque vt auctentica reciperetur, effecit, anno post Christum natum 371. quam etiam postmodum multa sacra concilia ac summi pontifices approbarunt, & confirmarunt: & sacrosanctum tandem concilium Tridentinum omnia præfata decreta approbans, ac confirmans, eandem quoque approbat, & confirmat translationem, vt legitur Sessione 4. vbi habetur Decretum de editione, atque vsu sacrorum librorum. Hanc etiam laudat maxime & commendat diuus Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, & diuus Gregorius li. 11. Moraliũ, & beatissimus Isidorus Hispalensis Episcopus lib. 2. Etymologiarum pari laude eandem prosequitur. Verum cum Testamentum nouum ex Græco Latinum dedisset, eius erudita fidelissimáque translatio sic ómo Augustino placuit, ac fecit satis, vt hac de causa Deo optim. Maximo, & D. Hieronymo ingentes, immortaléque gratias agat Epistola quadam ad eundem missa doctorem. Maximo interim tibi erit emolumento lectio diligens & attenta expositionis eiusdem in omnes prophetas, quoniam eos admirabiliter, vt nihil suprà, interpretatur. Commentaria verò eius in diuum Matthæum talia sunt, vt nec vnum quidem verbum in illis quod repudiari possit vel debeat inuenias, & offendas. quamuis enim in ea expositione breuis existat, adeò tamen purus, tersus, accuratúsque est, vt huiusmodi illustribus, immortalibúsque commentariis non modò amplissimum, tibi honorem

Translatio D. Hieron. recepta.

Expositio Hieronymi in Prophetas.

rem, sed etiam vberrimos fructus atque emolumenta comparare queas, si ex illis tuam illustraueris doctrinam. Expositionem D. Marci maiori quidem breuitate perstringit: cæterum cum ex quatuor sacris Ecclesiæ doctoribus in diuum Marcum librum ediderit, perpaucíque reperiantur doctores sancti, qui ad prædictum Euangelistam ex professo exponendum manum admouerint: rationi consentaneum fuerit, vt hunc vnum maximo in pretio habeas. Tametsi non paucis visum fuerit hæc super Marcum Commentaria non esse D. Hieronymi. Scripsit denique tum diffuse tum præclare in diui Pauli epistolas, elegantissimo stylo, omnis eruditionis plenas.

D. Aug. opera.

Opera deinceps D. August. emere oportebit. cuius admirabilis doctoris laudes eximias vnde potissimum ordiar prorsus ignoro. Sed quid ego dicam de hoc tanto Ecclesiæ doctore, inuictóque propugnatore? Quid enim Augustino augustius, magísque aureum christianus habet orbis? Quid quæso boni, quid præclari, scire cupias, quod non in hoc vno doctore, tanquam in Thesauro quodam ditissimo reconditum, asseruatúmque inuenias? Ecquis scripturæ locus offertur, quem non huius doctissimus explicarit calamus? Ecquæ vnquam pullulauit hæresis, quam non ipse præpotenti glorioſáque sua dextra deiecerit, confutarit, deleuerit? Ecquæ doctrina, tum Scholastica, tum positiua, ita Theologorum omnium ditauit, nobilitauítque scholas, atque Augustini doctrina? Quisnam Thomam doctorem angelicum, sana, solida, admirabilíque doctrina vsque adeò erudiit, vt principatū omnino scholasticæ Theologiæ, vnus maxima cum gloria tenuerit, præter vnum Augustinum? Cuius quidem discipulus ita studioſus, ita vigilans, ita memor extitit, vt totum Augustinum vnus Thomas memoria tenuisse credatur. Iam verò sanctitas tanta fuit, tanta eloquentia, tantum in dicendo sententiarum pondus, vt non modo catholici, sed etiam hæretici Augustini sententias calamo excepturi, tanquam à veritate coacti (quemadmodum Possidonius refert) ad eum concurrerent, atque confluerent. Verum enimuero illud obseruatione dignissimum fuerit: in præclaris huius doctoris operibus non omnia esse æqualis auctoritatis, eruditionis, ac ponderis. quædam enim opera recens ad fidem conuersus composuit, quædam nondum in Christiana pietate sufficienter instructus, adeò vt capillos vix aqua sacri fontis (vt dici solet) haberet exciccatos, nõnulla edidit Christianam iam pietatem edoctus plenè: nonnulla cùm prælatus, seu Episcopus esset. quæ postrema tantæ fuerunt, támque admirabilis eruditionis, tam singularis sapientiæ, vt iure optimo reliquis omnibus anteirent: nimirum quòd sapientissimus hic Ecclesiæ doctor, tum vitæ sanctitate, tum doctrinæ affluentia, in dies magis magísque proficeret. Appellauit autem hunc Diuus Hieronymus expositorem difficillimarum, abstrusissimarúmque diuinæ scripturæ rerum: neque id iniuria, vel temere profecto. Reliquit enim nobis præclarissima monumenta de rebus difficillimis cõtexta: vt pote de sacrosancta Trinitate, de prædestinatione, ac reprobatione, de iustificatione, de induratione, de gratia, & libero arbitrio, de fide, & operibus, de donis, & meritis, & peccato originali: & denique de aliis difficillimis arcanísque rebus. Scripsit etiam de doctrina Christiana libros quatuor, ac triginta sex quæstiones de nouo & veteri instrumẽto. Conscripsit triginta sex libros contra Faustum, & variis modis Pentateuchum interpretatus est. Multa præterea Iosue, & Regum loca, totúmque psalterium suis præstantissimis collustrauit Cõmentariis. Quatuor etiam libros quibus quatuor Euangelistas inter se esse concordes ostendit, erudite composuit, & denique Euangeliorum locum vix reperias, quem non vel per quæstiones, vel per sermones eruditissime explanauerit. Sed plane potissimum Diuum Ioannem interpretandum assumpsit, editis centum viginti quatuor in ipsum tractatibus: nec interim D. Pauli Epistolas, aliásque canonicas oblitus est, nec Diui Ioannis Apocalypsim, quin potius memorabili, pereruditóque calamo hæc omnia illustrauit.

Obseruatio aduertenda in operib⁹ eius.

Glossam præterea Ordinariam plurimi faciendam esse apertum est: eam siquidem quotidiano vsui perutilem, omnique tempore valde frugiferam, atque adeò necessariam esse, negare non possumus. Quamuis enim verum sit quidquid in se continet, id quidem esse ex classicis auctoribus haustum, quos possis tute adire: tamen quia hæc sparsim, variisque diffusa locis in doctoribus reperiuntur, hîc verò coniunctim breuitérque habes, fateamur necesse est permagno nos inde labore subleuari. Et certe quamuis hæ tres Glossæ, Ordinaria, interlinearis, & Nicolai de Lyra, plurimi sint æstimandæ, ordinaria quidem Glossa permaximam habet auctoritatem, quámque doctor sanctus frequenter intelligit, quum suis in libris Glossam ad aliquid confirmandum adducit. Interlinearis autem Glossa quò breuior, eò admirabilior habetur, & est. Nicolai vero Glossam omnes vno fatentur ore illustrem esse, quoniam fuit bonarum literarum perstudiosus, & de multis eruditè, sapientérque locutus.

Glossa ordinaria.

Nota de singulis Glossis.

D. Cyrilli opera.

Cyrilli opera etiam habere stude, qui quidem plures sermones seu conciones in Genesim, & in multa alia Pentateuchi, Esaiæ, & Danielis loca, quorum plurima è Græco idiomate nondum sunt Latinis facta communia, eleganti ac suaui stylo composuit. Scripsit etiam in Diuum Matthæum, quandoquidem eius Commentaria in sexta Synodo Constantinopolitana, & secunda Synodo Nicæna, citantur. Licet hæc (quod non est mediocriter dolendum) in suis operibus Latinis nondum habeantur. Mirabiliter quoque in Iulianum Apostatam suæ singularis eruditionis exacuit calamum. Edidit præterea super Ioannem duodecim libros, quibus nihil nostro iudicio præstantius, aut præclarius in præfatum Euangelistam hactenus prodiit: quamuis non desint qui asserant non omnes libros in Diuum Ioannem esse Cyrilli. De me autem illud verè profiteor: ad concionandum super Euangelio ex D. Ioanne deprompto tres tantum mihi doctores abunde sufficere, nempe Diuum Augustinum, doctorem angelicũ, ac beatum Cyrillum. Pluribus etiam aliis hic doctor dextram admouit: non committes igitur vt tanto tua Bibliotheca careat doctore, cum præsertim omnia eius opera corpusculo vnico comprehendantur.

D. Basil.

Diuinum Hilarium non taceamus, cuius facundiam Diuus Hieronymus in cælum tollit. Hic enim multos eosdémque diuina plenos sapientia de Trinitate libros posteritati reliquit, ad omnium sæculorum nunquam interituram memoriam. Multa etiam scripturæ loca mirificè explicauit. Sed quæ magis ad institutum nostrum, concionandique negotium faciant, illa sunt eius egregia in Matthæum Commentaria: quæ licet succincta, difficiliáque sint, pretiosa tamen valde singulariáque sunt: tum propter sententiarum grauitatem ac pondus, tum propter auctoris eximiam sanctitatem, & auctoritatem. Minimo verò pretiosissima tanti doctoris emeris opera, cum paruo volumine concludantur.

Neque magnum illum Basilium silentio præteramus, de quo Græci, iidémque graues doctores, affirmant, nullam in illius operibus inueniri posse

aut sentẽtiam, aut verbum, quod alicuius correctionis emẽdationísque indigeat. Hunc eloquentissimus ille Gregorius Nazianzenus eximiis laudibus & encomiis ad astra effert. Hunc D. Ambrosius, & Gregorius Nycenus, commendant. Huius Exameron planè diuinum est, & quæcumque ipsius in scripturam extant monumenta. Cæterum quæ magis instituto nostro faciunt, sunt illa eius in Esaiam cõmentaria clarissima. Aiunt hunc grauissimum sanctũ in totum Esaiam scripsisse, sed hactenus non sunt è Græco Latino reddita sermoni, præter pauca capita ex prioribus. De quibus illud audacter asserimus, nihil in hunc prophetam hactenus conscriptum prodiisse, quod nobis ad concionandum ita placuerit. Et certè si eius expositionem in totum prophetam haberemus, esset quod maximo exiliremus gaudio, propter tantum, támque ditissimum thesaurum. Hoc interim quod tuæ est vtilitatis obseruabis: id quod in Esaiam scripsit in quibusdam exemplaribus, vtpote Basileæ excussis anno 1540. & in aliis minimè inueniri. Proin tibi cauebis, cum hæc tibi opera parare voles, quæ vno tomo omnia includuntur.

Martyr itidem doctórque grauissimus Cyprianus, literis, scribendísque præsertim Christianæ eruditionis rebus adeò floruit, vt D. Hieronymus & Lactantius Firmianus diuinarum institutionum libro quinto, illius laudibús semel cæptis finem ac terminum nullum inueniant. D. etiam Augustinus tum aduersus Iulianum Apostatam, tum contra Pelagianos insurgens D. Cypriani præclaris monumẽtis frequentissime vtitur. Nullo ergo modo committas vt hoc tam singulari doctore orberis, cum præsertim eius monumenta volumine vnico, & eo quidem perexiguo contineantur. Hoc enim habeo polliceri, huius elegantiam singularem, methodúmque admirabilem, tibi magno adiumento futura atq; ad concionandum lucem maximam allatura.

Laurentius item Iustinianus sanctissimus ac doctissimus Patriarcha Venetus ad concionandum adeò nostro adrisit ingenio, vt quibus eum verbis pro dignitate, quoúe laudationis prosequar genere, planè non inueniam, nisi iam illud asseram & beatissimi Augustini facundiam, & D. Hieronymi elegantiam, & mirabilem D. Cypriani stylum in hoc vno doctore splendére. Pius præterea, sanctus, eloquens, benignus, charitatis incendio inflammatus, ad concionandum accommodatus adeò est, vt nil præterea desiderandum esse videatur. Quid enim obsecro boni à Christiano potest scriptore exoptari, quod non in vno Laurentio Iustiniano mire refulgeat? Vehementer igitur etiam atque etiam hortor, & moneo, vt quodcunque pro eo pretium postuletur, illum tibi deesse non patiare: quocumque enim Iustinianum emeris, paruo pro eius dignitate emeris. Quanquam enim methodo ac ordine Commentariorum diuinam scripturam explicantium non procedat, tot tamen pertractat scribítque materias, & argumenta concionatorio apta muneri, tótque nobis scripturæ sacræ auctoritates explanat, vt & in tuum honorem quàm maxime cesserit, & auditoribus tuis magno fuerit emolumẽto, si hunc sedulo euolueris eodémque in concionando frequentissime vtare. Sed quoniam variis in locis excussus est, quæres ipsum Lugduni cussum anno 1568. Mirabile siquidẽ est quàm sit curiosè ibidem excussus, quámque fuerint eius indices ita illustrati, vt quæcumque animo libita sint tuo, haud difficulter queas adinuenire.

Obseruatio in emendis operibus Laur. Iustiniani.

Iam vero doctissimus antiquissimúsque doctor Origenes in omni linguarum genere excercitatissimus, ita omnibus scientiis ac disciplinis excultus fuit, vt eum Didimus, Athanasius, Seuerus, Hieronymus, Epiphanius, Rufinus, Pamphilus, complurésque alij auctores classici, miris collaudare laudibus, ac permagnificis exornare epithetis nunquam cessent. Huius autem præcellẽtis doctoris operibus, hæretica prauitate infecti homines, adeò infensissimi fuère, vt ea de causa eiusdem libros multis ac maximis maculauerint erroribus. Ex quo effectum fuit ac subsecutum, vt tantus doctor vnà cum suis operibus damnaretur. Tam execrabile fuerat venenum, quod inuidi hæretici in eius candida opera diffuderant, & euomuerant. Verum non est iam hac nota signatus, nec in eiusmodi classe subuersa reponitur: quoniam veritate illuscente, peruersa hæreticorum malitia detecta est. Atque huius patrocinium & causam aduersum detractores, illustres viri suscepere, nempe Pamphilus martyr, Eusebius Cæsariensis Episcopus. Didimus Alexandrinus, Basilius magnus, Gregorius Nazianzenus, Ruffinus, & alij egregij. Et denique Ecclesia recitat per annum nonnullas eius homilias, Origenis nomine explicato. Curabis igitur eius opera comparanda, præsertim etiam cum duobus sint conclusa tomis, & moderato væneant pretio. Ego certè nullis vnquam verbis tibi explicare valerem, quantum hic vir grauissimus scripturam illustrarit, nec quantum sis ex eo commodum relaturus, si eius lectioni omni animi & corporis impetu incubueris. etsi enim initio difficilis, obscurus, & arduus tibi videatur: postea tamen assidua meditatione & exercitatione fiet suauior, familiarior, & apertior: tuncque maximo cum tuo fructu quanta sit eius suauitas experiere. Longum autem & prolixum nimis fuerit omnia quæ posteris reliquit monumenta numerando percensere. Sufficiat nunc intelligere vix vnum scripturæ sacræ reperiri locum, quem non ipse subtiliter explanarit. Glossa autem quæ appellatur incognita super Psalmos præstantissima est, ac maximo in pretio habenda, idcirco vt eam pares, quàm diligenrissime accurabis.

Origen. antiquissimus ac doctiss.

Multi patrociniũ & causã pro Origene suscepere.

Bibliotheca etiam sacra sanctorum patrum nunc primũ prodiit excussa Parisiis apud Michalem Sonnium anno 1575. in octo dissecta tomos, ad triáque magna corpora redacta, edita per Margarinum de la Bigne doctorem Parisiensem, cuius præcipuum institutum illud fuit, in lucem dare quotquot inuenit opera ducentorum, ampliúsque doctorum vetustissimorum, qui propemodum è mundo sublati, & obliuione consepulti sempiterna videbãtur. Inter quos plures existunt martyres, simul etiam Episcopi, vtpote Polycarpus, Martialis, Eusebius, Methodius, Dorothæus, Vigilius, Hippolitus, Petrus Archiepiscopus Alexandrinus & martyr, Nylus monachus & martyr, aliíque permulti prælati antiquissimi, & doctores grauissimi. Est præterea illustrata tum præstãtibus scripturæ sacræ, tum alphabeticis indicibus. Verum enimuero etiam apprimè velim aliqua reiecisset, quæ illa ætate doctores aliqui cõscripsere, quę quidem modo habentur apocrypha, vt est liber de transitu sanctæ Mariæ, conscriptus à Melitone Episcopo anno 160 qui habetur tomo 2. colum. 530. sed tamen negare nõ possumus librum esse valde curiosum, & lectu dignissimum.

Institutũ Bibliothecæ sacræ.

Aliqua videntur desiderari in Bibliothe. sac. Meli. Episc.

Sed nolo iam nimius & molestus tibi videri pluribus aliis nominatim percensendis auctoribus singulis: emes interim ius canonicum siue põtificium, ex minori volumine excussis, quod tibi sat fuerit. Concilia etiam generalia, quæ modo quatuor distributa tomis ad nos adferuntur, non exiguis illis quidem. Dicturus etiam de sanctorum vita ac moribus, comparabis doctissimi ac religiosissimi patris Laurentij Surij Carthusiani monachi opera, quæ nunc sex magnis comprehensa tomis prodiere Coloniæ

Coloniæ Agrippinæ excussa anno 1575. Quo sane doctore præstãtius nil ac suis numeris perfectius ad sanctorum vitas cognoscendas ac pertractãdas emissum hactenus fuisset, si modo aliorum etiam sanctorum præsertim Hispanorum illustres vitas suo illo docto ac perelegãti stylo complexus fuisset. Quod quidem diuino adflante numine eum satis, cumulatéque facturum speramus, vt ita tandem is vnus nobis ad omnes omnium sanctorum percurrendas contemplandásque vitas abunde possit sufficere. Quum autem fuerit in optatis tuas historiis illustrare conciones, emes Vincentij Beluacensis opera, viri in omni disciplinarum genere exercitatissimi, ordinis Prædicatorum, videlicet speculum historiale, Morale, naturale, & doctrinale: quæ non tantum historias scitu dignissimas patefacient, verum etiam quamcunque fere materiam tibi vere, eruditéque suppeditabunt. His accumulare poteris partes historiales D. Antonini Archiep. Florẽtini ordinis etiã Prædicatorum, vnà cum doctore Gundisaluo Illescas sermone vulgari, duobus distributo tomis, nempe prima & secunda parte Pontificalis. De rebus vero naturalibus acturus, emito tibi Aristotelem, Plato. Plutar. Plinium, Iustinum, & prę cęteris habeas hortor opera nostri Hispani Senecæ Cordubensis, quæ plane mirum est quantum cum pietate Christiana consentiant. Atque hi quidem sunt qui tibi vt spero sufficient libri, si plures voles, pecuniam numerabis.

Vincentius Beluacẽsis ordinis Prædicatorum.

D. Antoninus Archiepisco. Florentinus ordinis Prædicatorum. Gũdisaluus Illescas.

Quo pacto prædicti libri dignoscendi eligendíque sint, ac quinque alij.

CAP. IIII.

RESTAT modo videamus qua nam ratione dignosci seligíque debeant libri à nobis emendi, vt si nos bibliopolæ in prætio forte defraudent, in re tamen emenda nõ possint. Quocirca primum omnium librorum prohibitorum Catalogos habeas oportet, vt prius sit ne liber prohibitus intelligas: quoniam non modo incogniti & obscuri, sed sæpe etiam magis noti hoc morbo laborare solent. Contingit siquidem interdum esse prohibitos libros tum Impressoris culpa, tum etiam traductoris & interpretis peruersitate: quippe qui aliqua infectus hæresi peruersè traduxerit. Cuius nobis rei nonnulla D. Chryso. aliqua D. Cyrilli, aliorúmque grauium virorum opera argumento esse poterunt. De his autem omnibus Catalogi dominorum Inquisitorum hæreticæ prauitatis te commonebunt, vt & tu minime decipiaris, & aliis hac de re concilium dare queas. Postquam ergo tibi constiterit librum non esse prohibitum, nec aliquid prohibitione dignum continere, nullúmque ei codicem seu folium deesse, neque vllos habere transpositos codices, quod facile comperies ex alphabetis, quæ parte inferiori foliorum ad dexteram inscribuntur, vel ex numero foliorum superius inscripto, vel tandem ex continuatione sermonis & materiæ, ne id postea aduertas (quod mihi aliquando accidit) cum non valeas remedium adhibere, tibíque consulere. Compereris denique nullo alio consimili vitio laborare: hoc inquam postquam constiterit, alia adhuc non minus necessaria restabunt tibi aduertenda.

Librorũ prohibitorũ. Catalogi cõparandi.

Cur solent prohiberi libri.

Obseruanda in coëmendis libris.

Atque in primis agamus de his quæ in sacris Bibliis comparandis obseruare debeas. Solent enim nonnulli huius temporis bibliopolę, emptori Biblia petenti, aliqua cum figuris producere, eadem subinde ea parte qua figuræ ostentantur, aperiendo, quæ potissimum cernuntur in quinque legalibus libris, & Apocalypsi. Et certè vt ego iudico nõ alio id cõsilio facere videntur, quàm vt emptores tanquã puerulos picturis ostẽsis illectos, fallant, pretium augeant, carius multò vẽdant. Etenim Bibliam picturis hac vel illa parte illustratam esse, res est certè parui momenti, nec ex hoc eius est dignoscenda ac diiudicãda perfectio, sed ex his potius, quæ subiiciã. Vbi ergo compereris eam nõ esse prohibitam, &c. statim inspicies principium & finem, sciésque quos habeat indices. Et quidem fermè in omnibus reperies indicem, qui inscribitur: Interpretatio nominum Hebraicorum, Caldæorum, Græcorum, ac Latinorum: sed ex hoc perparum vtilitatis capies ad concionandum. Licet non me lateat complures sacros doctores hac nominum interpretatione fuisse aliquando vsos, vt ipsorum præclara testantur monumenta: cæterum aliud est scribere, aliud vero concionari. Si meum exquiris concilium, perrarò isto indice concionaturus vtere. Alij pręterea sunt iudices quibus veluti Hymnis tota scriptura sacra continetur abbreuita, qui sunt quidem prope nullius momenti. Reperitur quoque alius index seu tabula, vbi initia omnium capitum sacræ Bibliæ ponuntur, & quidquid singulis capitibus videtur contineri, vno verbo perstringitur, qui profecto labor infructuosè prorsus impensus fuit, quemadmodum etiam inutile erit si quis eum legerit. Alius etiam extat index, qui omnia nomina librorũ & epistolarũ, quæ in sacra Biblia sunt, carminibus explicat index qui plane superuacaneus est & inutilis. Inuenitur insuper alius index diuidẽs vetus instrumentum in quatuor partes, nempe in libros legales, historiales, sapientiales, prophetales, singulos ipsorum nominatim & distincte denotans, idémque de nouo testamento pręstat. Hic licet breuissimus, tibi quandoque prodesse poterit. Alius deinceps legitur index, quo per ordinem alphabeti libri omnes sacræ Bibliæ statuuntur, & postea ponitur numerus foliorum vnde quibet liber inchoat: is qdẽ vtilis esse (poterit minimè in scriptura sacra versatis, & qui ordinem librorum inter sese nondum perfectè norunt. Per hunc enim quoscunque libros facile, citóque reperient, nullo in euoluẽdis siue percurrendis foliis tempore absumpto: & hic indes fere semper in omnibus Bibliis inuenitur. Alium porro indicem offendes qui instar musicæ quartæ, aut octauæ consonantiæ Bibliam totam nimia breuitate concludit, in quo conficiendo auctor oleum plane operámque perdidit, & pari ratione eundem legere erit frustra tempus terere. Ad hæc alius extat index testimoniorum à Christo & Apostolis in nouo testamento citatorum, ex veteri, qui similiter parui est ponderis. quia cum his nobis opus est, in margine notatus est locus ex nouo testamento respondens, & pariter in nouo testamento designatus est locus qui ex veteri correspondeat. Alium pariter inuenies indicem epistolarum & Euangeliorum, quæ ex veteri & nouo testamento excerpta in Templis dominicis & aliis festis diebus leguntur, in quo notatur epistolæ & Euangelij principium & finis tantum, iuxta cõsuetudinem Ecclesiæ Parisiensis ac Romanæ. Hic non nihil tibi prodesse poterit cum præsto non erit missale quo Euangelium & Epistolam inspicias. Alius quoque extat index ordine alphabetico dispositus selectarum ex sacris doctoribus adnotationum, qui quidem nonnulla notatu digna complectitur: & & hunc legi in Bibliis magnitudine folij integri excusis Lugduni anno domini 1556. sed tandem alium indicem vehementer hortor & moneo in Bibliis emendis requiras, qui tibi profecto adeo vsui erit, vt eum Concordantiis multis in rebus præferendum arbitrêre. Si quidem ille tibi plurima aperte indicabit, quæ Concordantiis non ita facile inue-

Aduerte qualis esse videatur astutia bibliopolarũ quorundam.

Multiplices cernũtur indices in sacris bibliis.

Quando iuuabit index Euãgeliorũ & Epistolarũ.

Quis nã esse videatur omnium optimus index.

nies,& hic index alphabetico ordine procurrens,inscribitur Index rerum & sententiarum, quæ in veteris & noui testamenti libris continentur. Sed haud oscitanter aduertas ne te bibliopolæ decipiant; sunt namque multi indices qui sic inscribuntur,& reuera eo modo procedunt quo hic,quem tibi commendo: sed tamen per multa in illis desiderantur & nimis breues existunt, quem verò indicem tibi tantopere suademus requiras, is locupletissimus ac maximè perfectus est, quo permagna facilitate quamcunque libebit historiam, factum siue successum personarũ illustriũ, quas scriptura sacra cõmemorat poteris inuenire in dictione seu nomine personæ, cuius facta noscere cupis. Et vt excellentiam huius tabulæ, seu indicis experimento cognoscas, accedas rogo ad literam D. & subinde ad dictionem, Dauid, quæ sic habet. Dauid filius Isai, qui Iesse appellatur, Mat. 1. a. A Samuele vnguitur 1.Reg.16.interficit Leonem, vrsum, & Goliath gigantem 1.Reg.17.& sic deinceps numero capitum assignato explicatur quando pacifcitur cum Ionatha, manducat panes propositionis, simulat amentiam coram Achis rege, fugit cum patre & matre in Masphat, præcidit oram chlamydis Saul,tollit hastam Saulis,fugit ad Achis regem, vngitur in Hebron in regem Iuda, poscítque eum regẽ vniuersus Israel, committit adulterium, & homicidium,pœnitet eum peccati, fugit à facie filij sui Absalon, libauit aquam Domino, recenset populum, emit ab Areuna aream, consiliũ cæpit de domo Dei ædificanda, constituit operarios & architectos, reliquit sibi successorem Salomonem filium,moritur,& sepelitur.Hic est index quẽ mea sane sententia habere & maximi facere summæ tibi curæ esse debet quoniam non tantum magnam tibi lucem ad multa sacræ paginæ internoscenda præbebit, verum etiam fructus alios exhibebit vberrimos, téque non rarò labore maximo subleuabit. Hũc planè illustrem indicem in quibusdam exiguæ æstimationis bibliis aliquando non sine gaudio reperi,& postea eundem in bibliis magno in pretio habitis legi. Nunc verò Biblia magnitudinis paruæ ex officina Christophori Plantini anno 1574. complectitur huiusmodi indicem,valde copiosum,maximéque illustratum, ita vt vel eius causa eiusmodi Biblia statim emi mererentur,quamuis desint summaria capitum,& præfationes librorum,quod non minimum est incommodũ. Aduerte interim hunc Indicem solum impressum reperiri à D. Ioanne Harlemio societatis Iesu anno 1573,Salmanticæ.

Obseruatio ac cautio adhibenda ne decipiamur in eo indice deligendo.

Sacram Bibliam Summaria habere selecta optimum est.

CAP. V.

DEbet etiam Bibliam sacram empturus aduertere habeat ne in singulis capitibus præfixas summas quidquid ipsa diffusè continent breuiter explicantes, quibus carent omnes fere Bibliæ quæ modo procuduntur, & in lucem prodeunt. Sine iis impressa est Biblia regia Antuerpiæ excussa per Christophorum Plantinum anno 1572.correcta à Benedicto Aries Montano & Regis Catholici mandato, quæ magno voluminum apparatu iam prodiit in lucẽ: tam plena editionibus,vulgata videlicet,Græca,Hebraica,Caldaica,& Syriaca,vt ad eam solam videantur esse reductę omnium Bibliarum diligentiæ: illa potissimum,qua vsi sunt 70. interpretes, & qua vsus est Franciscus Ximenez Archiepiscopus Toletanus in magnifica illa Biblia Complutẽsi,& qua vsus est nouissimè doctissimus & eruditissimus literis Græcis & Hebraicis Xantispagninus in sua Biblia. Hæc autem regia Biblia meo quidem iudicio summa diligentia,& immenso labore est confecta,& apparata,& in qua nil à viris doctis desiderari potest. Quòd si summaria capitum ab aliquibus desiderantur; neque temere,neque sine ratione, crediderim esse omissa à tam piis & diligentissimis auctoribus, animaduertentibus, vel quòd multa capita ad meram historiam pertinentia his summariis non indigeant, vel (quod præcipuũ est) quòd in illis sæpè hæretici suos soleant spargere errores,secundum proprium sensum scripturam sacram interpretantes, & non secundum sensum sanctorum patrum,& S.matris Ecclesiæ, in qua sola est verus & germanus sensus sacræ scripturæ: & ob eam causam forsitan in multis bibliis Summaria capitum deleri ipsa mãdauit.Hæc enim summaria sicut multam lucem adferunt,si bene, ita si malè extracta fuerint, errorum densissimas, ac planè cimmerias offundunt tenebras. Quapropter in seligendis huiusmodi summariis maxima adhibenda est cura ab studioso si quis in illis proficere & sibi & aliis putat. Id fiet,si lectis primùm grauissimis & catholicis expositoribus, mentem & institutum ipsius prophetę, vt alterius sacræ scripturæ auctoris, circa difficiliora & occultiora alicuius capitis,inuestigare contendat: quibus inuestigatis,sub breuibus verbis sensum capitis perstringet.Ita enim fiet vt tale summarium lumen quoddam sit ad caput illud intelligendum, & loco breuis cuiusdam Commentarij deseruiat. Et vt quàm rectè id fieri posse intelligas, apertè monstrabo ex aliquibus sacræ scripturæ locis, ex quibus reliqua colligere tibi licebit,vt sequẽti videbis capite.

Quibus de causis summaria capitum præ termitti potuerint.

Qua ratiõe sum maria cõficiẽda posſint, ac curata illa quidẽ & laudabilia.

Laudatur Biblia Regia.

Summaria capitum in Bibliis quomodo si recte extracta fuerint,vtilia sint.

CAP. VI.

ILle qui capiti 14. Iob præfixit illud summarium, Prophetat resurrectionem, næ ille legerat Commentaria super illa verba eiusdem capitis quæ sic habent, lignum habet spem si præcisum fuerit,rursum virescit,& rami eius pullulant. Hunc enim locum doctores sancti, cum de carnis resurrectione loquuntur,adducũt. Ex quo fit,vt quo quis recenti memoria illius quod complectitur summa, percurrit caput, si attentè vigilantérque legat,facile recordetur, aduertátque locum illum eo modo intelligi, quamuis obscura metaphora adumbretur. Qui etiam summam illam super 19. cap. eiusdem Iob subduxit & promulgauit, dicens,Prophetat de passione Christi,argumentũ est prohabiliter,ne dicam necessario concludens, vidisse illum sacrorum doctorũ scholia in illa verba, Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant obliti sunt mei, inquilini domꝰ meę, & ancillę meę, sicut alienum habuerunt me. Item abominati sunt me quondam consiliarij mei, & quem maxime diligebam,aduersatus est mihi. Hæc plane omnia sunt quæ aptissimè & expresse Redemptoris nostri passionem significant. Ille præterea scripturæ diuinæ interpretes,& disputantem sine scholasticam Theologiam, audierat, qui legens verba illa Iob, Ad niuium,transiet ab aquis niuium, posuit in summario, describit Iob damnationem impiorum. Vere enim in his caloris vehementissimi, & sæuientis frigoris, damnati versabuntur extremis cruciatibus, atq; suppliciis.Perlegerat insuper expositores Esaiæ prophetæ,qui summario capitis 11.adiunxit, De natiuitate Christi, considetanis videlicet illud, Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hędo,accubabit vitulus,& leo,& ouis simul morabuntur:& puer paruulus

paruulus minabit eos. Item & leo quasi bos comedet paleas,& delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis. Res enim sunt istæ, quæ peroptimè quadrarunt quando verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Commentarios item percurrat qui in summario capitis 31.eiusdẽ vatis,dixit,& posuit,De die iudicij, quãdoquidem ea ibi continẽtur, quæ illi tempori maximè congruunt, nimirum ostẽditur seueriſſimi indiciis potentia, atque maiestas, & hominum infirmitas,atque imbecillitas manifestatur,licet sub quibusdam metaphoris, & symbolicis locutionibus id explicet,dicẽs: Quomodo si rugiat leo & catulus leonis super prædam suam cùm occurrerit ei multitudo pastorum à voce eorum non formidabit,& à multitudine eorum non pauebit,sic descendet dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion,& super collem eius.Ille pariter interpretes eiusdem prophetæ euoluerat, qui in summa capitis 63. dixit de Ascensione, & passione Christi: quoniam multa ad eam rem pertinentia, & expectantia, perspicuè,& ad viuum, eo in capite exprimũtur,cum ait: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Et postmodum: quare ergo rubrum est indumentum tuum,& vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus &c. Hæc omnia adeo ad hanc rem faciunt, vt sancti eo de argumento differentes, his passim testimoniis vtantur.Ad hæc sanctorum interpretationes consuluerat,qui capiti 11. Hierem. prophetæ præposuerat, Se crucifigendum prædixit dominus:quia inuenerat in cõtextu,Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam,& non cognoui,quia cogitauerũt super me concilia dicentes:Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium,& nomen eius non memoretur amplius. Quæ quidem omnes sacri doctores huic proposito accommodant. Accuratè etiam, excitatéque mediatus fuerat sanctorum meditationes, & lucubrationes, qui illud etiam passioni domini applicuit, quod Hieremię 18.habetur: Venite & cogitemus contra Hieremiam cogitationes:item venite,& percutiamus eum lingua & non attendamus ad vniuersos sermones eius:& statim nũquid reddetur pro bono malum, qua foderunt foueam animæ meæ? Quæ sanè omnia & catholica Ecclesia, & graues doctores, ad illud passionis Christi tempus referunt. Vnde appositè profecto, & sapienter, summarij auctor adferuit, de passione Christi, sub figura persecutionis Hieremiæ. Commentationes præterea in Baruch prophetam percurrerat ille,qui in summario cap.5.adposuit,de Christo domino, & Ecclesia:quia ibi admirabiliter pſignatur honor ille maximꝰ, quẽ Ecclesia à Christo domino tanquam sponsa suscepta, consecuta est,cum propheta effatur: Exue te Hierusalem stola luctus,& vexationis tuæ, & indue te decore & honore, quæ adeo tibi est sempiterna gloria: item Deus enim ostẽdet splendorem suum in te &c. Atque hoc modo complura alia decurrere poteramus scripturæ loca,sed ad alia pergamus. Constat igitur accurata capitum suummaria perutilia illa quidem esse ac necessaria: cum præsertim scriptura non aperto, & vulgo cognito sermone vtatur, sed obscuro atque inuoluto. Quare in eorum locum picturas quasdam, rusticorum libellos,spectacula, & oblectamenta, conquirere, minus fortasse vtile videatur.Etsi non omnino figuratæ, vt dicunt Bibliæ, negligendæ mihi videantur:tum,si ita voles, vt animus assidua lassatus lectione, tantisper respiret, ac recreetur, spectaculo illo proposito, tum quòd aliqua ex parte iuuẽt, ad figuras & effigies aliquarũ rerũ dignoscẽdas,vt arcæ Noë,turris Babylonicę,arcæ sanctuarij, & aliarum huiusmodi rerum. Verum vt rem ridiculam narrem, postquam Bibliam figuratã offendi cum pictura templi Salomonis adeo acutissimæ in summitate figuræ, vt vix minimam caperet auiculam (vbi tamen Christus, & dæmon tentator insiderent) cæpi parum fidei his picturis adhibere. Neque enim in eiusmodi locum, sed alium lõgè absimilem, putandum est Christum adductum,si quibus doctoribus credimus. Cæterũ Biblia translationis Xantispagnini magno tibi erit vsui, quia Hebraicæ veritati est valde conformis,& cõsona, quam adeo obsura est, ac plena abstrusis mysteriis, vt ad eam probè intelligendam omnibus hùc spectantibus indigeamus. Aduertes tamen, vt semper præferas omnibus editionem vulgatam, & eam summa veneratione colas: quemadmodum in sacro sancto Tridentino concilio sessio.4. diffinitum est. Bibliam Roberti Stephani propter illius breues Commentarios,si poteris habere, curabis habendam. Sed tamen destituta,vt est nouo testamento, quod pro illa exigitur pretium excedens nimium esse videtur. Aliq; quoque Bibliæ cõmentatiũculis quibusdam ad margines quorundam locorum tum ex iure Canonico, tum ex scriptura sacra,maximè illustratæ circunferuntur, quæ quidem peroptimæ sunt, & tibi multum prodesse poterunt. Sed illud non possum non indolere intimis sensibus, tam anxiam & morosam adhiberi curam in ignobilibus monumentis & libris accuratè cudendis,in his vero Bibliis, hoc est libris aureis & diuinis, non maiorem (non magnam adhiberi fatendum est) atque adeò omnium maximam,adhiberi curam, ac solicitudinem.

Biblia trãslationis Xantispagnini vtilissima.

Editio vulgata omnibus præferenda.

Biblia Roberti Stephani.

Aliæ recẽsentur vtiles bibliæ.

Præfationes, prologos, & argumenta libris præfixa sacris,Vtilia esse contra multorum abusum.

CAP. VII.

VT certum est,vt ex iis quæ diximus abunde satis patet,summaria maxime vtilia esse permultis sacræ scripturæ capitibus, vt plurima recondita & obstrusa intelligantur, ita prologi siue præfationes, & argumenta maxime vtilia esse videntur, vt obscura multa clara fiant.Non enim harum rerum auctores in his conficiendis minus insudasse videntur quàm illarum rerum auctores in illis subducendis, quin potius Cõmentarios, & doctores sacros solicitè euoluerunt. Quod inconcusse, & sine disceptatione is ingenuè fatebitur, qui multorũ eiuscemodi prologorum D. esse Hieronymum auctorem animo aduerterit, aut meminerit.quemadmodum videre est in Pentateuchum,in libros Regum,& Paralipomenon,in Esdrã, Tobiam,Iudith,Hester,Iob.Psalmos, prouerbia, Ecclesiasten,Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, ac libros Machabeorum, in quatuor Euangelistas,super epistolam ad Romanos, & Acta Apostolorum. Nec video cur alios in alios libros repellamus, qui tot ab hinc sæculis concorditer fuêre,& sine disceptatione recepti. Quid, quòd Biblia Regia prologos recipit, tãquã proprios ac natiuos,citra D. Hieronymi inscriptionem? Quid,quòd omnes hi,vel certè maior ipsorum pars, ex eodem Hieronymo desumpta est,vt liquet ex illo tam illustri,doctrinaque præstantis prologo in Abacuch prophetam, qui quamuis D. Hieronymo non inscribatur, est tamen vt apertum est, extractus ex prologo, quem hic diuinus doctor prophetam commentatus, expresserat, & ex

Biblia regia Prologos recepit tãquã proprios ac natiuos.

& ex primi capitis eiusdem prophetæ expositione, quemadmodum parebit intuenti. Quare curabis vt quæ emes Biblia, destituta non sint his quæ commemorauimus ornamentis, indice noui & veteris testamenti, ex iis quos præcipuos esse diximus, tum præterea summariis capitum, prologis item & præfationibus librorum, atque interpretatione etiam, si voles, nominum Hebraicorum, & Græcorum.

Concordantias Bibliæ summopere necessarias esse, & quæ in illis obseruare debeamus.

CAP. VIII.

Cõcordãtiarũ author Hugo Cardinalis.

Concordantiæ sacræ Bibliæ, quæ vulgò maiores appellantur, quas quidem incredibili labore compositas in lucẽ edidit Hugo de sancto Theodorico Burgundus, ordinis sancti Dominici, perutiles sunt, & necessariæ, ac tanto dignę viro. Fuit enim is vir tum ingenio & doctrina præclarus, tum vitæ sanctitate insignis: qui ob dignitatem singularem & Cardinalis ab Innocentio quarto creatus est, & in Germaniam ad electores imperij de rebus grauissimis, & Christianæ Reipub. maximè necessariis acturus, legatus est. Ea verò est concordantiarum libri vtilitas, ac excellentia, vt hoc solo cum sacris Bibliis comitatus, permultos annos honorificè concionari, & plurimos, grauesque conscribere libros, concionum præsertim, idque mediocri etiam studio, atque labore possis: quemadmodum quicunque eo vsus fuerit experimento cognoscet, & studiosi sanè hoc ita se habere iamdiu comperêre, quandoquidem & Græci, atque Hebræi maternas in linguas eum librum, non sine eius eximia laude, traduxerunt. Sunt verò qui dicãt fieri nequaquam posse, vt vita suppetiisset Hugoni præfato ad tam artificiosum ac laboriosum volumen edendum: sed aiunt aliquam subijsse laboris partem alium virum grauissimum nomine Cõradum Alberstadium natione Germanum, ordinis etiam prædicatorum, publicum Theologiæ professorem, cum aliis multis religiosis viris, ac doctis eiusdem ordinis, qui ad id negotij deputati fuêre per varia monasteria atque prouincias, distributis inter illos Bibliis sacris, præscribendo omnibus, vt idem ordo, stylus, ac methodus seruaretur: & quod hoc modo fieri potuit, vt hoc admirabile, pretiosum, & nunquam satis laudatum volumen, in lucem prodiret: cæterum si mea hac in parte recipitur sententia, illud audacter assero, qui tot támque innumeris, ac propè infinitis sacræ scripturæ locis illustrata, conscribere, vt Hugo Cardinalis præstitit, potuit, ei nõ difficile aut impossibile, sed facillimũ fuisse cõficere hunc tã longè latéque potentẽ totius scripturæ sacræ indicem, quippe qui tantopere in diuina scriptura versatus erat. Sed quidquid illud sit, id certè negari nequit, post sacra biblia nullum esse librum ad conciones habendas, qui cum hoc concordantiarum volumine valeat comparari.

Quã vtilissimæ sint concordãtię.

Concordantiæ aliæ nuper in lucem editæ.

Nunc quidem Concordantiæ quædam adeò magno voluminum apparatu, vt ingentia illa iuris peritorum volumina esse videantur prodiêre, nouo quodam inuento procussæ: ita vt dictiones, quas aliæ Concordantiæ coniunctim absque vlla distinctione continebant, hæ gregatim, & diuisim quasi per quosdam dictionum fasciculos complectentur, ea ratione, vt quæ ad vnum institutum pertinere videãtur, in vno fasciculo collocentur, quæ verò ad aliud spectare censeantur, in alio diuisim, aliquantula intercapedine relicta, ponantur. Alia præterea consimilia adinuenta habeant, nimirum multas dictiones auctas, variéque dilatatas: vnde illas varia aureorum summa diuendunt inopibus sacræ Theologiæ auditoribus, putantes, credo, eos pecuniis redundare, Nonnullis huiusmodi concordantiæ placent quidem, qui illis diuisionibus seu separationibus, & additionibus ac modo procedendi, maximè delectantur. Sed videant ne id faciant quòd grãdia sint volumina, & magnæ ostentationis libros sibi ambiant, quò magnificentissimè eorum bibliotheca exornetur. Nolim interim id dictum esse cum cuiusquam iniuria, aut quòd nostrum iudicium præferendum esse censeam multiplici sententiæ laudantium eiuscemodi concordantias. Sed si meum in in hoc genere consilium exquiris, tanto auro, pecuniæque parces. Poteris enim tibi satisfacere aliis cõcordantiis, tuisque studiis abundè, nisi redundauerit, vt dixi, pecunia tua. Concordantiæ autem eo fine compositæ sunt, vt per illas quemcunque voles scripturæ locum adinuenias, vel vt ad eos nobis pateat ad quas cupimus scire materias faciendas inueniendas. Vt enim canes, siue viuerræ, odoratu suo sagacissimo cuniculos siue lepusculos, latratu etiam, atque citato cursu, indicant, & significant: ita hæ concordantiæ vbinam quæque scripturæ sententiæ, tanquam in latibulis, delitescant, manifestè innuunt, atque declarant. Vnde non erit fortasse opus vt dictiones ab eadem litera incipientes in varios segregent, distinguantque fasciculos, iuxta suum illorum qui auctores fuêre institutum, quoniam id forte quisque vel mediocriter versatus sibi commodius præstare poterit. Sæpè enim videmus dictiones in vno fasciculo reponi, quæ in alio videbantur reponendæ. Sed quisque suo abundet ingenio: interim tamen si vera est regula illa, frustrà fiunt per plura quæ fieri possunt per pauciora, & quidquid hic repereris, illud in aliis concordantiis (si facultatem inuestigandi teneas) reperire potes, non video cur tam solicitum studium in his parandis debeat adhiberi. Argumentum quidem ab experientia sumptum si vires habere cõsueuit, hoc ipso tibi quod quærimus persuadebis: si sint in aliqua bibliotheca duo concordantiarum libri, alter magni, alter parui corporis, profectò si ille semel aperitur, alter vigesies, & amplius manibus teretur, ac euoluetur, idque sapienter sanè. Illę namque tam magnæ atque gregatim distinctæ concordantiæ inuẽtis suis & additamentis confusionẽ quandã parere videntur, ac legentium studia retardare. Quamobrem sufficere tibi poterunt, si me consulis, & pecuniæ parces, concordantiæ aliæ: hac tamen interposita obseruatione, vt quibusdam ommissis folio integro excussis, caracteris maiusculi & antiqui, concordantiis, Eas quas vulgo Gryphęæ impressionis appellant in quarto folij excussas compares. Sed adhuc diligentius obseruabis, esse quasdam Gryphææ impressionis concordantias Lugduni cussas anno 1535. mendosas aliquantulum, licet non ita scateant mendis, vt omnino propterea contemni debeant. Comparabis igitur ex aliis Gryphææ impressionis, quæ sunt caracteribus corporis longioris excussæ, sunt enim valde correctæ, & emendatæ. Aliæ quoque sunt concordantiæ Lugduni anno 1551. excussæ, quæ sunt etiam emendatiores: quæ quidem modum procedendi optimè seruant, & hæ quidem mediæ esse videntur inter priores illas communes, quibus prius vtebamur, & eas, quæ recens grandi volumine emissæ sunt. Disposuit autem has, & illustrauit doctissimus ille pater frater Franciscus Orlan sacræ Theologiæ magister ordinis D. Francisci. Atque hæ quidem mihi magis ex omnibus placuerunt: tu quæ tibi meliores videbuntur, pro libito comparabis.

Concilių in paradis his concordantiis.

Quorsũ adinuẽtæ concordantiæ.

Quenam cõmodè parari possint concordantiæ.

Quid inspiciendum obseruandumque sit in emendis grauium doctorum operibus.

CAP. IX.

Bibliotheca sancti Sixti Senensis ordinis Prædicatorum.

Vm ergo tibi constiterit ex Catalogis librorum prohibitorum, librum à te emẽdum nec impressoris vitio, nec peruersitate interpretis esse prohibitum, nec alia quacunque via, aduertes statim perdiligenter, num omnia doctoris opera insint (si omnia voles emere) an verò aliqua desint. Quæ autem quisque compoſuerit opera scies ex Tritemio, & bibliotheca sancta edita à doctissimo patre fratre Xisto Senensi ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ doctore. Porro quo tuæ vtilitati magis consulas, & correcta ac lopletata habeas opera, quæres libros recentissime omnium excussos, hi siquidem ferè & tabulis, & indicibus, & aliis notis prodeũt emendatiores, magisque locupletati. In quorum numero sunt potissimũ Græci libri, quorum Græcorum monumenta antiquissima in dies nobis offeruntur latino reddita sermone. Cauebis igitur ab iis bibliopolis qui antiquæ impressionis libros tibi magis commendabunt. Tu enim ita distingues, vt antiquissimos quosque auctores deligas quidem, recentissimas verò quasque impressiones, quod auctiores ferè, & emendatiores esse soleant, cæteris omnibus censeas præferendas: cum præsertim antiquæ impressiones indicibus alicuius ponderis ac momenti destituantur. Indicibus quidem alphabeticis omnium doctorum volumina exornãtur fere, sed quæ sunt impressionis antiquæ, indicibus locorũ scripturæ omnino destituũtur, quos tibi solicitè quærere debes. Apello aũt indices scripturæ eos qui omnia loca scripturę, quibus doctor vsus est, vel quę explicauit, vno in loco tãquã in Thesauro continent reposita, libris & capitibus suo ordine dispositis, à libro Geneseos incipiendo, & ita deinceps percurrendo, hoc modo. Tale locũ libri Geneseos, tali capite, doctor iste declarat tali libro & tali capite, & talem locum alium, tali libro, & capite: atque ita nominatim & seorsum singula inseruntur loca. Quæ cum dispersa ac proseminata essent per totum auctoris volumen, omnia aggregata, & asseruata in eo indice proponuntur: qui labor vtiliter profectò, atque frugiferè insumptus est. Sed interim meminisse debes, quòd quãdo aliquis auctor totum aliquem scripturæ librum suo stylo illustrandum assumit, non erit necesse loca illa scripturæ in Commentariis explanata, in tali indice reperiantur (minime enim talia insunt, cum præsertim tibi vel statim auctorem aperienti nusquam non obuia sint,) sed illa tantum inibi existunt loca, quæ ex alio capite ad declarationem alterius adducuntur. Illud etiam meminisse debebis, non omnia doctorum opera recens excussa, his scripturæ indicibus decorari: propterea quod (id verò ingemiscendum est) vix reperiatur vnus aut alter impressoriæ artis opifex, vel alius cui hoc ex munere incumbit, qui publicæ vtilitati, & non priuatæ potius hac in parte consultum cupiens, solicitè tales indices quæritet atque indicum architectos rogitet, & obtestetur. Quod si aliqua tandem his indicibus decorãtur volumina, illi adeò perbreues, detruncati, imperfectique sunt, vt ornatus potius dumtaxat gratia, quàm alicuius vtilitatis, quæsiti fuille videantur. Talia sunt D. Basilij, D. Cypriani, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nisseni, Anselmi, Leonis Papæ, Innocentij tertij, Petri Chrysologi, Laurentij Iustiniani, aliorúmque complurių opera. Hæc dixerim, ne forte comperiens prædicta doctorum opera eiusmodi scripturæ indicibus destituta ea propterea omittas: fere enim (quod sine graui animi dolore dici non potest) omnia his spoliata indicibus ad nos importantur. Tu cõmodiora quæque opera deliges, & commodiores indices, de quibus si dubitaris, peritiores consules, priusquam pecuniam perdas. Nonnulli quidem breues indices olim cum grauium doctorum operibus simul excudebãtur, qui nimirum scripturæ loca ab ipsis doctoribus expositа, quæ aliquo modo sibi inuicem repugnare videbantur breuiter continebant, indicatis doctoris libris, quibus ea loca conciliabantur. Hi indices iam ratò imprimuntur, & mea quidem sententia non sunt omnino necessarij, quando indices locorum scripturæ afferunt. Sic enim quicunque locus alteri repugnare videatur, solet adduci plerunque in alterius loci, qui apparet esse contrarius, expositione, & id plane ex solo scripturæ indice, absque alterius adminiculo, facile indagabis, atque comperies. Atque hæc de primo libro.

Quinam dicantur indices scripturę.

LIBER

LIBER SEGVNDVS IN QVO MVLTI STVDENDI MODI VERSANDIQVE PRÆDICTOS ET ALIOS QVOSCVNQVE LIBROS, APERTE TRADVNTVR VT FRVctuosè cedat impensus labor, & ex eisdem libris accommodata ad conciones componendas doctrina depromatur,

De primo studendi modo, & quomodo ex libris depromatur doctrina,

CAP. I.

CONTINGIT non raro concionatores quosdam illustrem grauium sacrorúmque doctorum plenam bibliothecam ingressos, vt ad concionem conficiendam operam enauent, multum præpediri, hærere, ac propemodum perplexos esse: nó secus ac si in siléti cæcáque solitudine versarentur errabundi, aut densissimo, inuióque nemore tanquam inexplicabili labyrintho conclusi, quá viam occiperent, quam secúmque in partem conuerterent, prorsus nullam inuenirent. Vnde videas eos in aperiendis claudendísque libris vehementissimè occupatos, ignorantes omnino vel quid debeant inquirere, vel quod inquirunt adinuenire. Vt igitur huic occurratur incommodo, visum est nobis non infeliciter & ignobiliter in hoc versatis genere, aliquid in tantis tenebris pro virili adferre lucis, quò in medio doctorum constitutus, quæ tuo fuerint accómodata instituto valeas ex opacitate illa, recessibus, atq; latibulis, eruere & educere. Quoniá autē varij sunt hominum sensus ac gustus, quib⁹ facere non satis tanquam coquos oportet: vatios etiam proponam studendi, ac sacris doctoribus incumbendi modos, nec non varias rationes fructuosè vtendi doctrina, quę ex ipsis pro cuiusque inquirentis instituto depromitur, vt ita quisque pro sui facultate ingenij quod melius aptiúsque videatur possit quàm commodissimè, glorioſissiméque deligere. Primus igitur ex his modis talis est: Conficies tot codices exceptorios in quarta portione phylurę quot continet libros Biblia sacra, qui sunt septuaginta quinque, tertio etiam etiam & quarto Esdrę connumeratis, licet hactenus nondum sint in librorum Canonicorum Canonem admissi. Habebit verò quilibet codex exceptorius tot folia quot capita liber correspondens complectitur, ita vt codex respōdēs Genesi quinquaginta foliis absoluatur, & Exodo destinat⁹, quadraginta, & sic de allis vsq; ad Apocalypsim, cui capitibus duobus & viginti, totidē folia respondere debent. Atque præterea singuli codices exceptorij habeant margines vtrinque, nimirum dextra, & sinistra, duobus digitis latas: eo verò in loco vbi Christianorum laudabili more crux imprimi solet, titulus libri respōdentis imprimatur, & describatur in prima singulorum pagina ac folio: in reliquis enim numerus dūtaxat capitum ipsius libri inscribi debet. Hos igitur exceptorios codices ita confectos (quibus conficiendis non tantum papyri insumes, quin permulti ex vnò papyri fasciculo tibi super sint codices) in mensa tuæ bibliothecæ collocabis omnes simul, erectos quidem, versóque ad te eorum tergo videlicet qua parte ligaturę cernuntur, eosdémque ordinatē dispones à sinistra tuæ mensæ seu scrinij dextram versus, sic vt primo loco ponatur exceptorius codex libri Geneſis, deinceps Exodi, & ita suo ordine discurrendo ad dextram, donec omnes iuxta ordinem sacræ bibliæ locentur. Atque sic quidem accommodatè reponūtur, adeò vt & eos perfacile accipere, & iterum reponere absque eorum cōfusione, & transpositione queas. Quod sanè accommodatissimè omnium præstabis, si loculamentum seu statiunculas tibi effeceris, secundum librorum quantitatem atque mensuram, ne promendo hac illácve prolabantur. Quin & hoc tibi adiumento erit, vt statim in cuiusque libelli venias notitiam, prōpter cellularum inæqualitatem (neque enim æqualis molis omnes erunt libri, nec consequenter cellulæ) vt iam taceam quod assiduo versandi vsu quemque etiam facile possis dignoscere, eundémque proferre cùm voles. His ita confectis & dispositis, incipies graues quosque doctores ac primum antiquiores euoluere, excitatáque ac perattenta mente percurrere. Quemcunque verò auctorem legeris, inuēta scripturæ sacræ auctoritate aliqua optimè explicata, depromes statim exceptorium codicem inuentæ auctoritatis libro respondentem, & in folio ipsius capitis quo meliori licebit modo ac methodo illam describes, & quanta poteris breuitate perstringes, ita tamen vt cum ea tibi vtendum sit, nil necesse habeas, ad librum vnde exprompta est, denuò recurrere. Idem planè in reliquis scripturæ locis quos apposite & accuratè explicatos offenderis, perpetuò obseruabis, sensum vbique moralē, & literalē seligēs poti⁹, allegorico, ac anagogico, quantū fas erit, omissis. Curabis autē vt semper doctrinam salutarem, & ad saluādas animas quàm accommodatam deligas, & Iesum Christum, & hunc crucifixum prædices, reiiciens omnino res inutiles, & curiosas, ac humanæ tantū ostentationi vanæ seruientes, quibus quidem concionatores non pauci se ipsos potius prędicant, atque commendant, quàm Christum crucifixum, cuius munere tunc funguntur. Ecce iam tibi laborem primo subeundum: qui tibi maximo in cæteris futurus est leuamento & ad concionandum, & ad libros conscribendos, auctorésque versandos, adeò profectò vt tandem in admirationem raptus, in illa Ecclesiastici 51. cap. verba prorumpas: Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.

Quod præter eos codices exceptorios alius quoque confici debeat peculiaris & vt ita dicam extrauagans, aliis peculiaribus rebus describendis, concionandi, vel prælegendi instituto facientibus.

CAP. II.

QVoniam autem dum præscripto modo & ordine libros leges, eisdémque vigilanter & neruosè incumbes, multa tibi notatu digna occurrent, quæ te valde delectent, non quidem aliquem scripturæ locum explanantia, sed quæ ad alias speciales res spectare videātur, quas tibi vsui futuras iudicabis tum ad scholasticas disputationes, tum ad cōcionandi munus, vel ad quodpiam aliud institutum: idcireo necesse fuerit præter exceptorios codices præscriptos, alium habeas libellum, quem nunc explicationis gratia liceat extrauagantem appellare. In hoc autem libro ea scribes & notabis quæ ad Bibliam sacram nó spectant, hoc est quæ aliquem scripturæ locum non explicant. Habebit verò etiam non minus quàm superiores suas magines, quæ in omnibus, vt postea dicemus, requiruntur, & ex duodecim coagmentabitur, constabitque foliis. Postquam autem frugiferis, vt par est, solidísque ac selectis plenus rebus, confertúsque fuerit, inutilibus paleis, ac vanis speculationibus reiectis (breuis enim incertáque vita, mentem rationis prescripto viuentem, ad vana & curiosa enagari non finit) alium itidem conficies codicem, subindéque alium, prout necesse fuerit: qui tibi olim, mihi crede, maximo sunt futuri emoluméto, quemadmodum experientia rerum magistra te docebit. Interim tamen admonitium tevelim maxima te molestia subleuari, si tabellam confeceris, quam statim possis reponere, vel auferre ex loco, vnde aliquem exceptorium codicem ex superioribus prompseris, ne aliter commisceantur, librique locum vix summo labore valeas inuenire: tabellam verò conficies pro mēsura exceptoriorum codicum, plus minúsue. Hæc quamuis minutissima tibi, leuissimáque esse videantur: graui te tamen labore, vt experieris, alleuabunt, studiúmque ipse satis ex se graue, ac molestum, facilius multò reddēt, atque suauius. Quod si citius quā putaras chartam ipsam oppleueris, propter materiæ fœcunditatem & vbertatem, poteris aliquot alia adsuere folia; quæ præstantius fuerit superesse semper potius quàm deesse,, nisi forte propter materiæ fœcunditatem capitúmque numerum multiplicem, nimium tunc codex excrescēret, tunc enim duos conficere liceret codices, dimidium librum singulos cōtinentes, vt pro Genesi, vbi varia sunt capita, duos tibi libros posses cōstruere, singulos ex vigintiquinque foliis totidem capitibus respondentibus. Destinatus etiam codex libro Iob, in duos pariter diuidi poterit, quorum vterque contineat vnum & viginti folia: & insuper Psalmis præfixus in sex distribuatur, quorum singuli viginti etiam quinque foliis absoluantur. Porrò Esaiæ accommodatum secabis in tres, quorum singuli duo & viginti folia habeant: Hieremiæ verò in duos, 26. folia cōtinentes singulos: Ezechieli autem in totidem, sed tamen illorum quilibet comprehendatur 24. foliis. Præterea exceptorium codicem D. Matthæo respondentem diuides in duos etiam quorum vterque 14. finiatur foliis: eum verò qui D. Lucæ respōderit in totidem pariter, quorum singuli ex 12 foliis constituantur. Eum qui D. Ioanni respondet in duos pariter codices distribues, singulos ex vndecim foliis coalescentes. Hi siquidem libri quos commemorauimus abundāt doctrina, moribus efformādis accommodatissima: ac proinde multa in eis obseruatione dignissima comperies. Codices respondentes epistolis D. Pauli nil necesse habebis in alios subdiuidere, quamuis vberrimæ sint materiæ, & multa offerantur notanda ex expositoribus cùm præsertim perpaucis capitibus singulæ definiantur. Cæterum tu ipse si quid contigerit, poteris ex his quæ obseruauimus commode disponere, vel etiam tuo marte quod expedire iudicaueris, demere, vel adponere, neque enim ad minutissima quæque, quæ possunt obtingere descendere valeo: satis esse ratus tibi nonnihil artulisse luminis, quo tu deinceps alia per te possis adinuenire, iuxta illud Prouerb. 9. da Sapienti occasionem, & addetur ei Sapientia. Aduertendum tamen est in nonnullis libris nimirum 4. Esdræ, & duobus Machabæorum, & id genus aliis, ferè nil quod notare debeas inueniri, ac propterea non oportebit te esse perinde solicitum in codicibus procurandis eiusce modi libris respondentibus. Sed de his tempus te docebit. Tuis igitur exceptoriis codicibus ita dispositis, & ratione studendi institutā, nil planè aut legenti, aut audienti, aut meditanti tibi offeretur, quod non statim vbi reponi, vndéue hauriri debeat, perfacilè teneas: in quemcunque enim scripturæ incideris locum, compertum statim erit ad quem libellu, imo & ad quod folium accedere debeas. Sin autem res fuerit non directè scripturæ locum explicans, tunc extrauagātem quem appellauimus adibis codicem. Neque interim illud erit obseruatione indignum, quòd cum tibi doctorem aliquem legenti occurrerit quidpiam nouum, vel tuo partum ingenio, vel ex auctoris dictis illatum, ad rem aliquam oblatam amplificandam meliúsue explanandam, faciens, vel tibi bonum aliquem conceptum Deus (cuius manus non est abbreuiata) dederit, quod sæpè contingit, hoc ipsum inuentum inopinatum, statim isto tuo excipias codice, ne memoria, quæ labilis est, statim elabatur: affigésque in margine huiusmodi signum * .vel quod vis aliud pro libito, modò illud sit tibi adeò familiare, vt statim eo conspecto intelligas aliquid ibi inesse obseruatione dignum. Nec verò esset inutile eiusmodi bonum conceptum parenthesi includere, hoc modo ( ) vel alia ratione. in quorum ego margine è regione soleo imprimere Dei, loco prędictæ notæ vel caracteris: quibus notis fiet vt illud tuum esse inuentum deprehendas, ne forte aliquando tanquam alieni auctoris illud citares, quod tibi vitio verti posset. Hæc tibi vtilissima esse in dies magis magisque experiēre: nam labilem memoriam iuuabis, & ditissimum thesaurum habebis, vnde diuitias cum opus fuerit, depromas. Aliter enim vacuum nidum, vt dici solet, aucupaueris, vel oleum & operam perderes, téque magnis innumerisque libris, atque adeò voluminibus constipatum inuenires quidem, cùm tamen mens crassissima ignorantia laboret, nescia videlicet quid tam magna volumina continerent.

Quorsū deserviat extrauagans codex.

Quid ob seruandū in libris fere meram historiam tangentibus.

Obiter vsum aperit exceptorio tum codicum.

Pro mensura codicum scripturæ debere esse distributio ac mēsura codicum exceptoriorum illis respondentium.

Quod necesse sit prædictorum exceptoriorum codicum Indices fieri.

CAP. III.

POstquam in prædicta exercitatione per aliquot dies fueris versatus, & exceptorij codices magis magisque adaucti fuerint, operepretium fuerit Canones aliquos siue regulas mente tenere, quibus quoties libuerit, possis iis quæ adnotasti mira facilitate vti, tuisque cum iucunditate te oblectare sudoribus. Quanquam enim verum sit te posse facile per ordinem suprà positum quæ velis inuenire, tamen mihi crede multò etiam facilius id præstabis, habebísque patentes aditus ad plura alia, quæ non putaras, intelligenda. In eiusmodi enim tuis codicibus multa reperientur quæ sunt materiæ communes tum virtutum, tum vitiorum, tum etiam aliarum rerum, quæ tibi aliquando magno cedent honori, & emolumẽto: indignum autem plane esset, & ridiculum, vt quis cibum sinu contineret, & fame periret, & eò præsertim, quòd manum in sinum ad cibum educendum mittere nesciret. Quãobrem ne tale quidpiam tibi contingat, necesse omninò fuerit indices quosdam habere prædictarum rerum, vt ita tãdem ex tuis codicibus, tanquam ex amœnissimis quibusdã hortis flores decerpas odoriferos. Quod quàm commodè præstare valeas, ex his quæ subiiciuntur disces, quæ vt fideli memoriæ commendes, te hortor, ac moneo.

Quo pacto confici & ordinari Indices seu tabulæ debeant in præfatis exceptoriis codicibus, ac primum in extrauagantibus.

CAP. IIII.

VMpto itaq; calamo incipito legere, attentéque percurrere, quæ in extrauagãti codice notaris, videbísque quænam sit virtus, quæ commendatur, vel vitium quod reprehenditur, aut quæ tangantur mysteria, & cui materię accommodanda: quod postquam aduerteris, statim in sinistra margine quanta poteris breuitate conscribes, ita tamen vt facilè possit intelligi. In scribendo autem aduertes vt voces ita disponas, vt prima dictio sit nomen aut verbum virtutis, aut vitij siue materiæ ibi notandæ. Verbi gratia si in prædicto codice offenderis ea quibus charitas cõmendatur, non scribes in margine, commendatur charitas, sed charitas commendatur, vel charitas dumtaxat, quod perpetuo obseruabis, etsi verba ipsa duriuscule transponi debeant, vel de sua sede dimoueri. Quod si dissuadetur & confutatur superbia, non pones in margine, Reprobatur superbia, sed superbia reprobatur, vel superbia solum. Sin de prædestinatione agitur, satis fuerit in margine adponere, prædestinatio: atque ita te geres in quauis alia materia. Repositis igitur his omnibus breuissimis notatiunculis in margine antedicta totius exceporij codicis extrauagantis, regrediaris oportet ad earum initium, & super primam notatiunculam scribes numerum algorismi primum id est. 1. & super secundã imprimes binariũ 2. super tertiam ternarium 3. donec omnes illius folij notatiunculas percurras, aliquando enim plures, aliquando pauciores erũt huiusmodi notationes. Idem prorsus faciendum in secundo folio, præfixis modo iam nunc relato numeris, eundémque obseruabis ordinem in reliquis foliis, quæ his notationibus constabunt: hoc interim fac memineris, ne numerus vnius folij cõtinuetur cum numero alterius. His ita dispositis cõficies parũulum codicem eiusdem quantitatis, viginti duo folia continentem, & in singulis foliis imprimito singulas literas in loco, vbi solet inscribi crucis signũ, ita vt ordine alphabeti seruato in primo folio reponas a, in secundo statuas b, in tertio colloces c, & sic de aliis vsque ad finem alphabeti, calcémque excurrens. Deinde habens ad manum hunc codicem exceptorium alphabeticum accedes ad tuum primũ extrauagantem codicem, & numero foliorum in superiori parte dextra, vt in aliis fieri libris consueuit, impresso, leges primam notatiunculam primi folij, & paginæ, in sinistra repositam margine, quæ si forte dicat sic, Abstinentia, scribes initio folij primi codicis alphabetici, vbi est A, eodem modo, Abstinentia fol. 1. 1. hoc est de virtute Abstinentiæ inuenies in codice exceptorio extrauaganti folio primo & adnotatione prima. Sin in secunda adnotatione erit ad marginem prænotatum, Amor Dei, in eodem fol. 1. alphabeti nẽpe A, exarabis pariter in alio versu aliquantulum distãte, sic, Amor Dei fol. 1. 2. idest quòd de illa materia aliquid inuenietur folio primo, notabili secundo. Itaque si primo folio & adnotatione 8. (si tamen hæc fuerit) iterum de abstinentia agetur, non oportet iterum exscribere in primo folio alphabeti illam vocem Abstinentia, cum iam fuerit scripta, sed sufficit, vt postquam ea fuerit semel adscripta, adiungas tantummodò numerum ipsum octonarium, quando quidem est in eodem folio, nempe hoc modo, fol. 1. 1. 8. quod significat, in folio primo, notatione prima, & octaua, de prædicta abstinentia agitur. quare numerus primus deseruiet folio, reliqui verò notabilibus, seu adnotationibus accommodabuntur. Si autem fol. 2. repereris illam vocem Abstinentia, & numero octauo, non est necesse iterum scribere Abstinentia, sed primo loco vbi prius scripta fuit, adiicere hoc modo folio 2. 8. idest de præfata virtute abstinentiæ tractatur folio 2. adnotatione octaua. Cæterum aduertendum est, quòd cum quis in eodem folio primo, ac litera, repositus est aliam materiam, nempe si velles adiungere, Auaritia, postquam scriptum est illud, videlicet, Amor Dei, oportet inter illa duo relinquas pariter aliud interstitium vacans, vt vtrique, cum vsus poscet, oblatum quidpiam addere valeas. Illud interim semper obseruans, vt materiis vsitatis atque communibus maius interstitium vacans, quàm peregrinis ac raris, vt pote nõ ita communibus, relinquatur: neque molestum aut incommodum tibi fuerit huiusmodi reliquisse interstitia, præsertim cum folia etiam aliquot alia possis adiicere, si defutura videantur. Hoc igitur modo, facili, vel nullo potius negotio, poteris margineas notationes ex codice exceptorio extrauagãte transfundere in alphabeticum, vt ita tandem quidquid velis facillimè inuenias. Primo autem codice exceptorio extrauaganti completo, idem prorsus in aliis extrauagantibus præstandum erit, continuato semper foliorum numero prioris extrauagantis, cum posterioris numero, donec in mediocre succrescat volumen, idque ne cuicũque exceptorio codici adiicere per se indicẽ cogaris. Sed antequam hos codices exceptorios librario glutinatori glutinandos dederis, aduertes ne forte alphabeticus codex, vbi videlicet continetur Index, fœdus sit, ac deformis, propter magna versuum interstitia, versus enim alicubi ducẽtur dẽsiores, & alicubi rariores. Videbis etiam num rectus ordo, videlicet iuxta vocalium, ac consonarum seriem, quandoque seruatus sit, vel potius neglectus. Quæ vt honestius procurrentur, commodius fuerit, vt hunc indicem pulchrè ordinatéque rescribas

Reuocat ad vsum notitiam & cognitionem quã tradidit huius indicis conficiẽdi, explicátq; quid sibi velint singulæ notæ,

Nota nõ minũ pulchras quam necessarias obseruationes, p huiusmodi indices cum dignitate archiepiscopalis.

Quid obseruandũ antequã huiusmodi indices glutinatori dentur, si indecori aut indecentes videantur.

rescribas in alio codiculo à te confecto, nulla iam superuacanea relicta margine, aut intercapedine, quæ iam prorsus necessaria non sunt: quod vt commodissimè præstes, consules, diligentérque inspicies auctorum indices impressos, ad quorum imitationem tuos exarandos accurabis. Perfectum autem istum codicem, ac suis numeris omnibus absolutum, coniũges tandem tuis extrauagantibus codicibus, vt in iustum pariter excrescant volumen: quem indicem quanti facere debeas, experientia ipsa te edocebit, qua comperies & te maximo alleuari labore, & thesaurum quendam nactum esse omni omnium rerum genere affluentissimum. Interim te admonitum velim ne dum huiusmodi conficies indicem, sub vna materia multos accumules numeros, rerum varietate, quæ sub eadem tanguntur materie, minimè explicata: quod subiectõ patebit exemplo. V. G. dum de ira agitur decem locis, adiungere non debes solum numeros ipsos, & nil aliud explicare: sed ita dispones, vt vno in loco breuiter exprimatur, quo pacto ira excæcat, & huic numeros omnes de hoc agentes adiicies: deinde exprimes quæ sint remedia ad illam compescendam, cui omnes adiicies numeros huc spectantes: in alio item loco pones de damnis & incommodis ab ira manantibus, cui numeros omnes id pertractantes adpones, idque semper quanta licebit breuitate. Hæc quidem id vtilitatis & commoditatis tibi adferent, vt nil necesse habeas, quæ ad Iram spectant quæsiturus omnia, quæ de ea adnotata sunt, euoluere, sed tantum quæ tuo instituto noueris accommodata. Eundem planè ordinem videbis in impressis auctorũ indicibus, quos tu ipse consulito, si quid hoc in genere desideraueris.

Quædã vtilissima, & quæ ab aliis seruatur auctoribus in his Indicibus cõficiendis, proponitur admonitio.

Qua ratione confici debeant Indices in aliis sacra scripturæ Codicibus exceptoriis.

CAP. V.

PRædictus Canon & Index extrauagantibus codicibus adscriptus, non cohæret in omnibus cum indice conficiendo pro aliis in scripturam sacram codicibus. In his enim foliorum numerus inscribi non debet, quẽadmodum in extrauagãtibus diximus inscribẽdum. Ratio est, quoniam cum in singulis capitibus sua relinqui interualla, seu vacantia spatia debeant, ac propterea non pauca in dies addantur folia exceptoriis codicibus, perspicuum plane est hac ratione foliorum numerum, quo alioqui dirigi deberemus ad indicem conficiendum, frequentissimè esse immutandum atque prorsus confundendum. Quocirca aduerte duobus potissimum hunc Indicem à superiori discrepare. Alterum est quòd cum in huiusmodi exceptoriis codicibus interstitia perpetuo esse in singula capita (vt scilicet quod notandum occurrerit, possit adiungi) necessario requiratur: hinc profecto fit, vt alphabeticus index eorundem, sua quoque vacantia interualla habere debeat, otiosúmque locum, vt ita etiam commodè quæ quotidie exceptiis adduntur codicibus in hoc notari valeant, suáque sede pulcherrimè collocari. Neque est quod tanquam inutilia, & iniucunda spatia ista reiicias, cum præsertim quando aliquid notatu dignum occurrerit, non sine maximo gaudio vtilissima ea esse fis experturus. Neque est etiam quod hæc, vt suprà dixi, tanquam parua & minutissima repellas, cum præsertim ad magnã rectámque studiorum institutionem tibi sint plurimum profutura. Cuius rectæ ac methodicæ institutionis ignorantia, multi aut retrocedunt non sine maxima ignominia ab studendi concionãdique munere, aut parum proficiunt, aut certè non tanta cõmoditate ac facilitate proficiunt. Alterum verò quo hic index ab alio discluditur illud est, quòd hi scripturæ factæ exceptorij codices numerum quidem foliorum habituri sunt, hoc tamen pacto, vt singula capita per se habeant foliorum numerum, absque vlla prorsus numeri vnius capitis cum alterius numero continuatione, seu cõnexione, quantumcumque exceptorius codex talis capitis, vno, vel duobus, aut quinque foliis, vel pluribus constet: hic tamen numerus augeri poterit ex adiectione foliorũ vnius & eiusdem capitis, dũ tamen suos limites non egrediatur, vt modò dicebamus. His ita obseruatis absq; difficultate conficies Indicem, deductis ad finistram marginem notatiunculis, & supra ipsas inscriptis numeris, vt in extrauagantibus codicibus præstandum esse docuimus. Vnde si postea in primo folio codicis exceptorij in primum caput Geneseos, & adnotatione prima, repereris notatum sic: Amor Dei, scribes in prineipio Codicis alphabetici in litera A. Amor Dei Genes. 1. folio 1. 1. hoc est de hac materia, videlicet de Amore Dei inuenies in codice exceptorio super Genesim capite primo, folio primo, adnotatione prima. Nonne notationis discrimen aduertis? Si verò folio secundo codicis exceptorij in Genesis primum caput, numero octauo fuerit ad marginem, Abstinentia, repones in alphabetico indice hoc modo, Genes. 1. folio. 2. 8. id est de hac virtute agitur in codice exceptorio in Genesim capite primo, folio secundo, numero seu notatione octaua, & sic de reliquis omnibus est accipiendum. Hoc ergo modo compones Indicem pro tuis exceptoriis codicibus quando videris te satis multa notasse in ipsis, quod si nonnulla postmodum eisdem adieceris, idem etiam in alphabetico indice præstabis, vt non minus hic semper gaudium, & eruditio accrescant, quàm illic succreuerat labor, atque molestia.

Breuiter perstringit modum conficiendi Indices.

Quónam modo conficiendus sit scripturæ sacræ Index in ipsis exceptoriis codicibus.

CAP. VI.

COnfecturus verò scripturæ sacrę Indicem in tuis exceptoriis codicibus siue quaternionibus, doctrina exprompta iam relertis, nulli papyro aut schediis parcere debebis, propter tantam vtilitatem. Sed conficies tibi septuaginta quinque exceptorios codices, tot enim sunt sacrorum Bibliorum libri. primus autem codex ex quinquaginta foliis coalescet iuxta numerum capitum Geneseos. secundus ex quadraginta, totidem enim capita continet Exodus, & sic deinceps donec quaternionem facias vltimum, nempe in Apocalypsim, qui plane componetur ex viginti duobus foliis. Hos autem quaterniones ne forte permutentur, & tibi molestiam exhibeant, omnes simul vtcunque vel in tria, vel in quatuor, vt tibi expeditius visum fuerit, coges volumina, expressis modò in principio singulorum foliorum libris, & capitibus quæ sacris Bibliis respondeant: quibus ita confectis te quasi librum sacrum vacantem, nimirum sacrorum Bibliorum, inscriptis dumtaxat libris & capitibus eorundem, habere compertum planè erit. Poteris autem eum librum componere in octaua portione, hoc est vt phylura vna in octo multiplicetur foliola: hæc enim compositio tibi sufficiet. Mox verò accipies exceptorium codicem, vel extrauagantem, vel alium, vbi confecturus es indicem, & folij primi tui quaternionis in Biblia sacra, seu extrauagantis

marginem dextram diligenter inspicies, in qua quidem (vt sequenti constabit capite) citatus esse debet numerus singularum auctoritatum sacri eloquij, & cognitis libro & capite, quorum prima auctoritas initio posita existit, inspectóque contextus corpore, quod numero ad marginem citato respondet, aperies prædictum librum pro sacra scriptura vacantem eo loco & capite, quorum sit præfata auctoritas: & scribes talis auctoritatis initium in prædicto libro, citatis tamen numero & pagina, vbi illa reperiatur. V. G. si primo folio & pagina libri cuius Indicem paras efficere esset ad dextram marginem ita citatum Genes. 1. & contextus corporis seu literæ haberet sic, In principio creauit Deus cælum & terram fol. 1. pagina 1. id planè significat præfatam auctoritatem ex professo, vel saltem quodammodo explicari fol. 1. pagina 1. tui libri siue quaternionis. Nec verò necesse est scribas Genesis, cum initio libri expressum illud sit: nec etiam explicari oportet capite primo quippe quod explicatum iam sit folio capitis primi, sicque deinceps conficies Indicem quousque eum perfectum dederis, omnia scripturæ loca suis sedibus collocando. Postmodum autem vt prædictum Indicem abbreuies, atque perpolias (ita enim eum glutinare velle & ostentare, propter lituras, & vacantia multa interstitia, fœdum fortasse, indecénsque esset) conficies exceptorium codicem aut quaternionem eiusdem cum tuo libro mensuræ, demptis tamen interstitiis superfluis, atque marginibus: in quo tandem pulchre apposité que omnia exscribes. Verum obseruabis quoniam sæpe easdem leges auctoritates repetitas, in eadem pagina scriptas, non eo quo disponuntur ordine te eas disponere aut referre debere in tuum codicem exceptorium, sed auctoritati semel conscriptæ omnes foliorum & paginarum numeros quos illi conuenire repereris, adiunges. Illud etiam curabis, vt alia sacri eloquij ibidem reperta suo ordine ac serie, qua in capite ipso procedunt fideliter collocenteur. vt autem hæc facilius assequaris ac præstes, intueri poteris scripturæ Indices, quos secum auctores afferunt, ad quorum imitationem tuos compones.

Obseruatio quædam pro polliędo Indice.

Cuinam vsui dextra margo in quaternionibus deseruiat.

CAP. VII.

ADmonui superius vt in tuis codicibus vtrinque sufficiens margo tanquam necessaria relinqueretur, docuíque quàm commode sinistra occuparetur, restat modo de dextra dicamus. Itaque in dextra margine citabis libros & capita ad quę tales auctoritates pertinent cum earundem numeris fideliter explicatis. Deinde rationi consentaneum fuerit ibidem exprimatur doctorum nomina, tum scholasticorum, tum positiuorum qui ibi citantur de ipso literæ contextu aliqua pertractantes: item Concilia & sentętiæ quæ ibidem afferuntur, præterea philosophi & alij quicunque auctores qui in ipso corpore literæ aliquid dixerunt. Cum autem optimum aliquod occurrit exemplum scribes ad marginem, Exemplum. Cauebis aurem ne in illud prolabaris quod nostro iudicio aliquantulum inane esse videtur, quod multi faciunt, nempe quantumuis res sit parui ponderis & momenti, quæ aliquo exemplo aut similitudine illustrari vtcunque videatur, statim in marginem referunt, cum ibi non essent collocandæ nisi res selectæ & exquisitæ, dicentes, Exemplum, vel simile: credo id faciunt vt suas ostentent margines, vtcunque sufarcinatas. V. G. si in contextu habeatur, Mors est veluti fur, statim in margine dicunt, Simile. Item si in contextu dicatur aliquid sic impossibile esse vt sine alis volare, accurrunt ad marginem scribentes, Similitudo, qui labor puerilis esse videtur, vel margine indignus. proderunt igitur tibi huiusmodi notæ in dextra margine, tum vt animus recreetur à totius paginæ lectione, tum vt gaudeat de tanto támque vtilissimo parto bono. Quod si animꝰ tibi pruriat seorsum etiam similitudinum Indicem condere, eas poteris in quosdam quasi fasciculos colligere, quas ad aliquod commoda instituta & fines facere iudicabis: idque ordine alphabetico obseruato efficies, iuxta præscriptum ordinem adnotationum marginis sinistræ in quaternionibus extrauagantibus, quemadmodum quarto capite diximus, quem Indicem coniungere poteris cum altero: adaucto verò libro in volumen mediocre, alterum poteris, subindéque alium si voles eodem planè ordine cum suis etiam Indicibus constituere.

Quid obseruandũ in reiicię dis exemplis & similitudinibus in margine

De secundo studendi modo & ratione.

CAP. VIII.

SI prædictus instituendi studij modus tibi vtilis esse videbitur, tum mihi gaudebo, tum tibi gratulabor de tuo bono atque commodo. sin autem tibi prolixus esse videbitur, aut alia fortasse ratione minus erit cómodus: accipies hunc alium modum quem tibi homini sufficienti instructo bibliotheca quã commodissimum futurum spero, vel potius confido. Facies tibi duos quaterniones, alterum viginti duobus constantem foliis, alterum vero septuaginta quinque: prior quidem destinabitur alphabeto cómunium materiarum, posterior vero deseruiet excipiędis rebus ad Biblia sacra pertinętibus: atque ita singulis foliis huius posterioribus inscribes suum cuiusque libri titulum exordio ducto à Genesis libro. Itaq; quemadmodum septuaginta quinque quaterniones septuaginta quinque etiam libris, quos sacra Biblia comprehendunt supra destinauimus, ita in hac secunda studij ratione septuaginta quinq; folia totidé libris adscribimus. Sed quoniam hic quaternio foliis necessario haud ra rò addendis in nimis magnum & propterea molestũ tibi volumen euadet: rationi consentaneum fuerit vt eum in quot expedire iudicaueris distribuas partes. Quod si voles, poteris etiam eundem cómode in septem minores quaterniones deducere, quorũ primus à Genesi ad Iosue vsq; exclusiue pertinget, qui quinque constabit foliis; secundus verò à Iosue ad Iob, & sedecim foliis cóponetur. Tertius vero ab Iob vsque ad Esaiam, & ex septem foliis conflabitur. Quartus ab Esaia ad D. Matthæi Euangelium, & viginti foliis continebitur. Quintus ad D. Matthæo vsque ad D. Pauli procurret Epistolam ad Romanos, & ex quatuor foliis componetur. Sextus ab hac epistola vsque ad Acta Apostolorum porrigetur, & quatuordecim foliis terminabitur. Septimus tandem ab Actis orsus reliqua sepiet ac concludet, nouem foliis definitus. Quæ distributio non omnino tibi incommoda, vt experiere, futura est, aut inutilis. His expeditis antequam ad aliqua excerpenda te accingas, vel doctores euoluas, diuinum illud numen, quo annuente candida omnia, abnuente verò infelicia contingunt, precabere, vt mentẽ tuã informet, affectum inflámet, calamũ dirigat, vt tãdé omnia in illius cedãt honoré, tuamq; ac proximi vtilitatem. poteris etiam eos sanctos quos euolueris tibi patronos implorare, non obliuiscens primum altitonantis genitricem Mariã,

Diuinum numẽ imploran dum ante studiũ.

riam, cui te totum tuáque omnia verè & ex animo supplici prece commendabis. quibus præstitis vela dabis ventis atque permittes: incipiens euoluere primum auctoris tomum, si plures habuerit tomos nullis omnino prologis, præfationibus, aut obseruationibus prætermissis. Simulatque autem aliquẽ scripturæ locum (vt supra diximus) accuratè explicatum offenderis, eum ita signabis, si voles, vt non multum librum deformes, vel aliquam notam adpones quæ tibi familiarissima sit: vel eum statim in eum quaternionem referes, qui tali libro & capiti respondet, hoc est auctoritatem eam describes in tuo codice, subiũgésque statim, vide D. August. (si sit ex Augustino) tali tomo, & cætera adpones prout disponuntur opera D. Augustini, in litera A, vel B, si eas habuerit expressas, sin minus scribes in P, ideſt in principio folij, paginæ, vel columnæ: in M, hoc est in medio, aut in F, hoc est in fine: his enim literis & notulis quas in D. August. repereris obseruatis, pfacile quidquid voles inuenies, ita vt mireris inter tam multa Augustini monumenta te id tanta facilitate inuenire. Interim tamen aduertes, vt in sinistra margine è regione versiculi à te exarati exprimas locum & caput vnde talis scripturę auctoritas eruta sit, vt si sit ex Genesi, carptim, breuitérque dicas, Gen. 1. pari ratione si ex Exodi cap. 4. dicas sic Exod. 4. & ita in aliis te geres: hoc enim tibi multum proderit. dixi autem in sinistra margine has notas esse notandas, quòd præsertim hi quaterniones dextræ marginis nõ indigeãt. Quoniam autem fieri poterit vt tuos permutes libros in alios non eisdem prædito notis, propterea curabis vt notas adponas generales, quæ quibuscunque cógruant operibus, citando dumtaxat tomum, librumvé, & caput, prætermissis columnis, aut literis: item dicere poteris circa principiũ, vel circa medium, vel circa finẽ capitis. Nec vero adeò necessarium fuerit citare locum alicuius auctoris, vbi scripturæ auctoritas aliqua præclarè explicatur, cum ibi auctor ex professo de tota illa scriptura tractat, atque cum obiter tantum illum locum adtingit: illud siquidé perfacile est inuentu (vt si quis scribat super totum Ioannem) hoc verò perdifficile. Quod autem attinet ad quaternionem alphabeticum, extrauagantésque materias, poteris inter percurrendum aliquem auctorem si quid V. G. de Abstinentia dixerit, adponere Abstinentia in folio vbi fuerit elementum a, subiũgésque, vide August. (postea quam notam effeceris in auctoris margine, si lectionem interrumpere noles) tali tractatu & tali tomo, vel talem auctorem tali libro & tali capite. Item si quid fuerit pertinens ad benignitatem, pariter adpones in tuo Indice, benignitas, in litera b. vide talem auctorem tali loco. Quod si dixeris hæc iam omnia subducta esse & adnotata in indicibus ipsorummet auctorum ac propterea non necesse esse te eum exantlare laborem, ingenue quidem tibi veréque affirmo, te hoc modo maiorem multo vtilitatem esse capturum, quàm si alienis dũtaxat vtereris laboribus. Differt autem hic modus conficiẽdorum Indicum ab eo quem paulò superius adtigimus, quod in præcedenti indice remit tebaris & dirigebaris ad tuos codices exceptorios, hîc vero ad opera eorum auctorum quos legisti. Perfectis igitur exacte his tuis codicibus, tum iis in quibus scripturę auctoritates adnotasti, tum his vbi materias communes & extrauagantes collocasti, seruato ordine, quem in superioribus indicibus præscripsimus, tuos poteris conficere indices locupletissimos illos quidem & vtilissimos, quibus in posterum maxima iucunditate perfruẽre.

De tertio instituendi studij modo.

CAP. IX.

QVod si nec satis accommodata tuo instituto aut ingenio secũda studendi ratio videatur, quã superiori capite paulo breuius descripsimus, sed laboriosum nimis fuerit etiam pauca ista quæ præscripsimus euoluere, versaréque volumina, & quaterniones: en tibi aliam instituẽdi studij rationem, quam commodiorem futuram esse speramus. Conficies vnum dumtaxat exceptorium codicem in quarta phylurę portione ex sedecim foliis coagmẽtatum, cuius vtrinque margo duobus digitis porrigatur, & quidquid inuenetis adnotatione dignum tum in sacris Bibliis, tum in cuiusuis generis auctoribus, illud promiscuè atque permiste referes in quaternionem tuum, quidquid illud fuerit, & vndecũque venerit, etiam si illud fueris ex quotidianis confabulationibus occupatus, vel aliter occurrerit. Núquam enim attenta auris soliciti cuiusuis discipli- nę alumni, aut velox dextra, ignauo otio torpere debet. Hac inita tam generali studendi ratione, poteris modò hos, modò illos versare auctores, nunc hanc, nunc illam euoluere materiam: interdum delectabiles aggredière historias, interdum vero alias prosequêre materias: nonnunquam sacros, nónnunquam denique prophanos & Ethnicos euolues auctores, quandoquidem promiscuè omnia in candẽ papyrum es relaturus. Quo modo poteris, etiam animum relaxare, post seriam materiam & grauem, iocosam, aut minus seriã interferendo, modò semper explices nomen auctoris, & loci. Atque ita te geres in hac studẽdi ratione, quoúsque quaternionem tuum oppleueris: quo conferto alium conficies, subindéque alium, donec omnes cognoueris in iustum accreuisse volumen. Vt autem in tanta rerum variæ lectionis & auditionis sylua singulis suo tempore commode vti possis, & cum dignitate suos conficies indices modo superius præscripto: qui tibi ob oculos breuiter ordinatéque statuentem ea quæ confusè, & diffusè, perlonge latéque patentes quaterniones profeminata fuerant. Vnde concionaturus inspiciens cuius Euangelistæ & capitis sit Euangelium, euolues statim Indicem tuum facilé- que videbis si quid tuo accommodatum instituto continetur, quod statim accipies. Vt si sermo sit futurus de Christo domino, videbis q.d litera in C. & dictione Christus referat Index. Item in litera I. videbis Iesus. Tum alias literas percurres, vt in litera N. videbis Natiuitas, in litera T. Transfiguratio, in litera P. Passio, in litera R. Resurrectio: præterea in elemento A. Ascensio, in litera C. Corpus Christi, in elemento E. Eucharistia, in elemento S. Sacramentum. si verò de domina nostra futurus sit sermo, requires in litera M. dictionem Maria, & vbi inuenies de eius Conceptione, Natiuitate, Præsentatione, Annunciatione, Visitatione, Purificatione, & Assumptione. Quod si de Angelis, quæres in litera A. dictionem Angelus. Item quęres dictiones istas in suis literis, Michaël, Gabriël, Raphaël. Quod si de Apostolis, quæres in litera A. verbo Apostoli. Quod si de Martyribꝰ, in dictione Martyr, siue Martyrium, requirésq; propriũ uomen Martyris, si forte de eo aliqua notasti. Si de virginibus, quæres in litera V. dictionẽ Virgo, siue Virginitas. Et denique vt paucis multa cómodè cõplectar, ita veluti aues

Vtilissima quibus litera tũ alíno sentẽtia.

Quomodo de intãta sylua omnia discretè collocari possint.

Aduerte obsecro modum inuestigãdi materiam in indicibꝰ cum eris concionaturus.

excurres per tui indicis flosculos, vt quàm accommodatos deferas ad tuam concionem, tanquam ad aluearium, quam tandem concionem miro artificio dispones & declamabis, singularem exprimens dulcedinem, & persuasionem in audientium animis, quasi fauum mellis. Quod si satis ampla non suppetat materies ad concionem quam velles habendam, poteris aduertere quænam virtus pro Euangelij instituto possit commode plebi suaderi, aut quod vitium dissuaderi, quæréque etiam in indice eiuscemodi materias communes virtutum, & vitiorum.

De quarta instituendi studij ratione.

CAP. X.

Hic plane quartus instituendi studij modus deseruire his poterit qui omnino occupati sunt in cõcionandi studio, quique vel non possunt, vel nolunt se onerare librorum sarcina, & apparatu. Et crtè nisi modum terminúmque statuas tuæ bibliothecæ finis non erigit congerendi cumulandíque libros, ac tuã bibliothecam etiam tapetibus, & aliis ornamentis exornandi, si hoc tibi habueris studio & oblectationi. Quod, vt cæteros taceam, qui innumeri sunt, & me ipsum in medium adferam, verè tibi de me affirmare possum. In id enim studij aliquando adeò incubueram, vt noctes, diésque nil planè aliud, quàm de exornanda bibliotheca (quam magnificentissimam multorum iudicio habebam) cogitarem, nunc hos libros in alios meliores vel ornatiores commutando, nunc exigua monumenta, nunc grandia quæritãdo: & denique vt semel dicam totus fere erã in ea re. Sed postea quã Deus op. Max. à tam inexhausta me siti sua benignitate liberare voluit, aliam inij studendi rationem: quam quidem tibi nunc paucis dabo. Conficies, vt ego soleo, tria quaterniorum genera, quorũ alij sermonibus, alij scripturæ sacræ deseruiant, alij tandem locis communibus destinẽtur. Qui excipiendis sermonibus destinantur, tot esse poterunt quot sunt Dominicæ totius anni, & feriæ Quadragesimales & festa solemnia Domini nostri, eiúsque matris semper virginis, & principales aliorum sanctorum solemnitates, quæ per annum solent celebrari, & in eis haberi concio consueuit. Quæ omnia facilè enumerare valebis, & eis totidem quaternioues destinabis, quatuor foliis singulos constantes. Deinceps in primo quoque folio inscribes cuius Dominicæ, aut feriæ, aut festiuitatis, existat: mox verò paulò inferius scribes initium Euangelij, quod tali die cantari solet, expresso Euangelista eius, & capite. Porro hos etiam omnes pro sermonibus quaterniones, distribuere commode poteris in sex classes & ordines. Primus ordo complectetur omnes Dominicas à prima Aduentus vsque ad Quinquagesimam inclusiue. Secũdus omnes ferias & Dominicas Quadragesimæ cum Resurrectionis etiam sermonibus continebit. Tertius à Dominica in Albis ad primam Dominicam Aduentus exclusiue procurret. Quartus omnes Domini nostri festiuitates, sanctæ Crucis etiam, & Dedicationis Ecclesiæ cõprehendet. Quintus omnia sacratissimæ virginis festa amplexabitur. Sextus & vltimus ordo omnes sanctorum festiuitates habebit, quas eo prorsus ordine collocabit quo per menses ipsos occurrunt. Secundum quaternionum genus sacræ scripturæ, vt dixi, deseruire debet: quos quidem quaterniones nolo septuaginta quinque esse, vt suprà posui-

Modus ac certus quidam terminus præscribẽdus est studio & appetentiæ insatiabili cõgerendi libros.

mus, sed viginti quinque duntaxat sufficient. Primus ex quinquaginta cõpositus foliis Geneſi seruiet, secundus ex quadraginta applicabitur Exodo: tertius ex 27. Leuitico. Quartus ex 36. Numeris, quintus ex 24. Deuter. sextus ex 41. Iob. septimus ex 150. Psal. singulos cõtinentes 25. folia. pro Esaia erit alius quaternio ex 66. pro Hiere. alius 52. pro Ezec. alius ex 48. ꝓ Baruch & Daniele simul, alius ex 20. pro prophetis Minoribus alius ex 67. totidẽ enim capita fere continent. pro D. Matthæo alius ex 112. ꝓ Marco alius ex 64. pro Luca alius ex 96. pro Ioanne alius ex 84. talis autẽ numerus sic assignatur vt singulis Euangelistarum capitibus quatuor folia respondeant, quæ videntur esse necessaria. pro epistola ad Romanos alius ex 16. pro epist. ad Corinth. alius ex 29. pro epist. ad Gala. ad Ephe. ad Philip. ad Colos. alius ex 20. pro epist. ad Thesal. & Timo. ad Tit. & Phi. alius ex 22. pro epist. ad Heb. alius ex 13. pro epist. D. Iac. Petri, Ioan. Iudę alius ex 20. nec enim fere plura comprehendunt capita. pro Apoc. denique alius ex 22. Cæterum quia in aliis libris quos dimisimus semper occurrit aliquid notandum, poteris pro eis etiam alium cõficere quaternionẽ ex 25. foliis, vt sic fere singulis libris singula respondeant folia: inscribésque in capite singulorum foliorum nomina singulorum librorum, incipiendo à libro Iosue, & deinde à libro Iudicũ, Ruth, quatuor Regum, Tob. Iud. Hester, Prouerb. Eccles. Cant. Sapi. Ecclesiasti. Threnis, Macha. Act. Apostolorum. 02

Tertij generis quaterniones materiis cõmunibus, vt dixi, assignari debent: quos codices exceptorios extrauagantes superius nominauimus, in quibus multo plura, mihi crede, quã in aliis adnotabis. quibus quidem vt ex prædictis regulis nostri non debet esse præfixus ac prefinitus terminus, sed vno completo alius inchoandus est: vnde eos quaterniones inscribes si voles extrauagantes etiã. Poteris autem hos tuos omnes quaterniones ita disponere vt suprà docuimus, in tribus loculamentis; in primo repones quaterniones scripturæ destinatos; in secũdo destinatos sermonibus: in tertio denique extrauagantes quaterniones. Qui omnes quaterniones etiam suos habebunt margines, & reponentur erecti, cõuersis ad te ligaturis, interpositis si mauis quibusdam inter ipsos signis, vt facilius noscantur. His omnibus præstitis, accedes ad bibliothecam communem si religiosus fueris, & ibi euolues quem voles librum; vel eũdem mutuo siue commodato accipies ab aliquo, quẽ diligenter tractabis: quo perlecto, alium, subindéque alium postulabis. Quod siquidem inueneris locum scripturæ rectè explicatum, iam nosti vbi describere eum debeas: Si vero quod legis spectat ad sermones, referes ad quaterniones sermonum: & si denique materia aliqua fuerit Communis, vel quocunque alio modo notatu digna, tuos extrauagantes adibis codices. Est tamen hoc loco aduertendum quod cum quempiam Euangelij locum rectè expositum reposueris in quaternione Euangelistæ, nil necesse habebis eum reponere in quaternione sermonum. Quod si obiicis, hoc modo quaterniones sermonum videri superfluos, præsertim cum sermones sint super Euangelia, & Euangelia omnia explicentur in aliis quaternionibus. Respõdeo non esse quidem superfluos, sed maxime necessarios, quamuis enim ex instituto non deseruiant eiusmodi locis, tamen conducunt ad hoc, vt cum legeris alicubi ex professo & diffusè tractatam esse materiam quandam concioni aptissimam, eam

Præscribit dispositionem omnium quaternionum & codicũ exceptoriorum.

eam reponas in his sermonum quaternionibus. V. G. legisti in aliquo auctore prolixè tractatam materiam iudicij, eam describes in quaternione respondente secundæ Dominicæ Aduentus, vel primæ secundum vsum Romanum: tum etiam in quaternione respondente secundæ feriæ post primam dominicam Quadragesimæ. Item si legisti prolixam materiam de ingressu mirando Christi in Hierusalem, quam materiam consueuerunt doctores accommodare Aduentui Christi in carne; perspicuum plane est aptius reponi in sermonibus de Aduentu, quàm alibi. Præterea si legis aliquid spectans ad festiuitates Christi, aut eius Matris, vt de vtriusque Natiuitate, & aliis mysteriis: dubitandum non est aptius hic reponi, quàm in aliis quaternionibus. Porro si occurrit aliquid spectans ad delegationem Ecclesiæ, vel ad festum sanctæ Crucis, aut alicuius sancti, manifestum est in quaternionibus sermonum illud esse reponendũ. Quo circa quæ in quatuor Euãgelistarum quaternionibus reponuntur, illa esse debent quæ ad ipsius contextus explanationem facere videbuntur: in quaternionibus vero sermonum ea collocabũtur quæ erunt materiæ accommodatæ pro tempore & solemnitate. Item expositiones illæ Euangelij, quæ non solum textũ & litteram declarant, sed etiam applicant festiuitati seu tempori: vt cum à doctoribus applicatur illud Euangelium, intrauit Iesus in quoddã castellum, Assumptioni virginis: ex quo exemplo venies in aliorum notitiam, intelligésque tãdem quàm vtilissimi sint, & non superflui, quaterniones sermonibus destinati: vt iam omittam quanto leuamento tibi fuerit, minimum illius festiuitatis euoluere dumtaxat quaternionẽ cum eris cõcionaturus, & non grãdem quaternionem etiam Euangelio respõdentem qui fere semper grandior, & molestiór est futurus. Quod si hic sermonum quaternio tuæ concioni satis non feceris, poteris tunc Euangelistæ quaternionem etiã euoluere; imo & extrauagantem codicem, si aliqua necessaria fuerit communis materia, adibis. Quod si forsitan malueris in ipsius sermonũ quaternionibus notare quæcunque repereris tali Euangelio accommodata, id quidem facere poteris: tamen si meum hac in re consilium exquiris, concionaturo certe commodius videtur & expeditius omnia in sermonum quaternionibus reposita inuenire, lecturo autem vel scripturo in Euangelistarum quaternionibus. Auctis tandem tuis codicibus in honestum volumẽ, poteris vt superius præscripsimus eisdem suos addere indices, & præterea indices in scripturam sacram. Postremo ne putes hoc consilium de paucissimis habendis libris in hoc genere studẽdi, esse omnino nostrum, habes eximium auctorem & sanctum, qui hoc etiam concilium dat; ac censet refrænandum illud esse studium quo aliqui incumbunt in magnificentissimæ bibliothecę procurationem, nempe beatum Vincentium Ferrer ordinis Prædicatorum concionatorem præclarissimum in tractatu de Vita spirituali: qui sic ait, Communes libri, vel accommodati, satis inueniũtur. Doctissimus etiã ille philosophus Seneca grauissime reprehendit insatiabilem istum habendi libros appetitum, atque vanã ampliſſimæ bibliothecæ curiositatem, asserens illam se dignam sententiam: nempe permultos esse, qui bibliothecam ostentationis potius & ornamenti causa habeant, quàm alicuius vtilitatis: postmodúmque subiungit: Multo satius est paucis te auctoribus quàm errare per multos, vt patet lib. 1. de tranquillitate vitæ ad Serenum cap. 9.

Breuiter & succincte perstringit differentiam notandorũ in his aut in illis quaternionibus.

De quinta & vltima instituendi studij ratione.

CAP. XI.

Cceptum itaque perlegendum à te doctorem, ab eius exordio vt dixi inchoabis euoluere, atque quod tibi obseruatione dignum, frugiferum, ac solidum esse constabit, vni quaternioni sub breuiate committes, eodem prorsus ordine seruato, quẽ auctor ipse seruat, vel per homilias, vel per tractatus, vel per libros, nulla re omissa notatu digna, quam quaternioni non mandes, donec ad finem ipsius libri perueniatur: citatis quoque extẽsè locis omnibus, vbi quæ adnotasti memoria digna inueneris, eo modo, vt cum fuerit tibi opus in ipso auctore valeas iterum inuenire. Quem deinde auctorem postquam ad finem percurreris, & attentè notaueris, in margines contrahes, quas semper debes relinquere, dextrà, & sinistrà, vt suprà dixi, vbi intexes breuiter notatiunculas, & tandem indices cõficies pro materiis communibus, & pro materiis auctoris; quos omnes quaterniones simul cõsues, atque ita habebis totum auctorem extẽsè, & paucis etiam foliis contentum; quem non permutabis cum ipsis impressis operibus auctoris. Quod si hęc ex Augustino exprompseris, codicẽ inscribes, opera D. Augustini; si ex Hieronymo, opera D. Hieronymi: & sic de cæteris. Atque huiusmodi sunt quidem opera & monumenta Doctorum, quæ magis cuperem haberes in tua bibliotheca, propter studium & curam quam in illis impendisti. Quod si obiicis rem esse multi laboris, & quæ longissimæ vitæ cursum desiderare videatur, certe vt quod experientia didici in medium adferam, mihi videtur esse crassissimus hic multorum error, ac ignauia, cum præsertim etiam intra trium annorum curriculum dumtaxat mihi contigerit, imo & minori tempore, non modo D. Augustinum, sed etiã Hieronymum, Chrysostomum, D. Gregorium, D. Cyprianum, Basilium, & complures alios auctores attẽtissimè satis perlegere, deductis inde magnis codicibus, & locupletissimis indicibus, quibus adiutus quidquid inuestigabam perfacile inueniebam, non præteriens omnino vel prefatiũculam vnam, aut adnotationem. Tum prærerea trimestri dumtaxat studio Biblia sacra tanta attentione, támque veloci calamo & diligentia percurri, vt mihi admodum locupletem alphabeticum pararim indicem rerum concionandi muneri vtilissimarum, quas haud scio an per Concordantias magna etiam adhibita cura valeas inuenire. Nec verò putes me adeo assiduo studio ac iugi his rebus incubuisse, quin & concionibus habendis, & non paucis aliis rebus vacarem. Quo fit vt non possim non reprehendere grauissimè multorum somnolentiam in studendo hac nostra ætate, & laudare antiquorum studia vehementissima & assidua. Hi enim, vt nostram manifestam ignauiam conticeam, cum nullos haberent indices in monumentis & exemplaribus suis, suo marte & assiduo studio indices coponebant: nos autem cibum vt aiunt præmansum vix ruminare scimus.

Vide quã tũ valeat percrisiax studiũ & vni dumtaxat rei serio deditum.

Qua ratione conficiendus sit Index in vniuersa sacra Biblia ad concionandum aptissimus ac maximè vtilis.

CAP. XII.

QVanquam verum est Cõcordantias eo deseruire vt sacris Bibliis fructuose vti possimus, & hos duos libros concionatori adeo videri necessarios, vt cor & sanguis ipse ad vitã necessarius est, nihilominus tamen vtilissimum fuerit hoc capite docere quomodo breuissimum quendam & facillimum possis in sacra Biblia indicem conficere. Compones igitur codicẽ ex quadraginta foliis, imprimésque in singulis singulas literas alphabeti ordinatim, singulis litteris duo assignans folia, omitténsque duas postremas literas, quę plerumque parum deseruiunt: moxque sacra Biblia incipiens perattente euoluere, notabis quidquid tibi notatu dignum videbitur, posteáque illud in alphaheticum tuum referes codicem, perstringens breuiter virtutem aut vitiũ, vel denique materiam quæ ibidem tangitur. V. G. si secũdo Genesis capite in litera D, ita dicatur, Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem sciẽtiæ boni & mali ne comedas, intelligẽs per hãc sententiam virtutem Abstinentiæ cõmendari, vt sancti doctores interpretantur, scribes in tuo alphabetico codice in litera A, hoc modo, Abstinentia commendatur Gene. 2. D. ex omni ligno: id est in ea senteutia quæ ita incipit, quam tu iam notaueras vel in Bibliis, vel aliquo alio signo. Tum pręterea si Hieremiam legens Cap. 35. B, offendes illam historiam tantopere celebratam, Rechabitarum, & eorum admirandæ abstinentiæ, & obedientiæ notabis in litera A, Abstinentia Hiere. 35. B, nõ bibetis vinum: item in litera O, Obediẽtia Hiere. 35. B, non bibetis vinum, ita enim incipit sententia quam notaueras inter legendum. Hîc notabis non esse addendum iterum vocabulum Abstinentia, si quidem aliud ad eam pertinens offenderis, sed tãtum locum vbi inuenisti cõnotabis eo modo quo superiorem, notato etiam principio sententiæ. Atque hoc quidam ordine totum conficies indicem. Interim autem meminisse debebis, non oportere relinqui interstitia vacantia inter vnam & aliam eiusdem literæ materiam, sicut de alio indice ante tradidimus, sed poteris dimittere aliquot folia inter ipsas literas alphabeti. Est enim adeo fœcundũ hoc sacrosanctum volumen, vt tibi noua semper occurrant, & quæ accommodaueras vni instituto, eadem etiam alij proposito valeas accommodare, cum sit immensum quoddam diuinorum mysteriorum pelagus. Qud si vna cum Biblia percurres glossam Ordinariam, vt ita ibi amplior pateret campus, dubitandum non est quin locupletissimũ quendam construeres indicem. Velle autem explicare tibi nunc fructus amplissimos huius tanti indicis, & quantopere Concordantias etiam exuperet, esset prolixum nimis. Primum enim iam vides eius vtilitatem præstantiorem in eo, quòd tuipse tuo studio & vigiliis eum pepereris, & quod sensus varios perscrutatus fueris, quod fortasse non intendit auctor Cõcordantiarum. Tum quod materias communes nactus sis concionatorio muneri accommodatissimas quas nec ille forte intendit: tu vero semper pro tuo instituto indicem collocupletandum curasti. Sed nolim id à me dictum eo esse arbitreris quòd Cõcordantiarum dignitatem & vtilitatem amplissimam & vberrimam esse ingenué non fatear: eum enim librum necessarium esse suprà dixi, & sæpe dicendum est. Sed quod intelligas quantũ intersit, & vtilius sit, proprio marte, studio, & sudore, suo proposito res accommodare, & instituto. Dubitandum plane non est per Concordantias te aliquam scripturæ auctoritatem melius inuenturum (neque enim aliud fere institutum habuit auctor earum) sed tamen materias communes, & cætera tuo muneri accommodata, melius in tuo iudice, quoniam id fuit tuum institutum, inuenies. Ea siquidem in tuo indice notare, quæ per concordanrias commodè possis inuenire, quandoquidem eum librum necessario habere debes, superfluum omnino esset. Postquam autem ex integro Bibliis decursis indicem constitueris, eum poteris rescribere, si forte indecens & inhonestus videbitur, relictis semper vacãtibus illis foliis quæ supra monuimus inter litteras, vt si forte aliquid obtigerit, illud valeas connotare, quod eo vsque obseruabis eadem plane ordine, quousque tibi videatur non mediocre volumen.

Docet excellentiã tanti indicis, quę exuperat etiã concordantias.

Quàm sit necessarius prædictus Index etiam præter Concordantias, fusius demonstratur.

CAP. XIII.

IAm vero nõ modo vtilitas, verum etiã necessitas superioris indicis apertius manifestatur his subiectis exemplis. Si velis peccatricem animam reprehẽdere quæ in tantam miseriam nempe peccatorũ prolapsa sit, à Deo discedens; qui quæso per Concordantias apte inuenies locum illũ Esa. 1.? Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ: argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua &c. perspicuum enim est hanc applicationem siue conceptũ te non inuenturum in Cõcordantiis, sed in indicibus, vbi talem conceptum sensúmque signasti: nisi forte casu, & præter institutum alicubi inuenias. Deinde si velis illum locum eiusdem vatis Cap. 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem, & ponam eam desertam &c. applicare & accommodare ad fauores qui subtrahuntur ab ipsa volente permanere in peccatis, qui quęso hunc cõceptum & hanc applicationem in Concordantiis adinuenies? Quod si velis illum alium eiusdẽ prophetæ 47. Cap. locũ, descende, sede in puluere virgo filia Babylou, sede in terra & c. accommodare superbis sibi ipsis confidentibus, qui his in delitiis viuunt, putantes se nũquam ex hoc mundo excessuros, nunquam id per Concordantias facies: quia nullibi inuenies in ea auctoritate vocabula illa, superbia, aut præsumptio, aut arrogantia, aut iactantia, aut similia, quibus tãquam manu ducaris: præterea si lubet amplificare sententiam illam, vt in benefactores grati simus: quo pacto per Concordantias venies in notitiam singularis illius exẽpli, & loci Hiere. 39.? vbi ostenditur eius gratitudo in Abdemelech qui eum extraxit à tetro horrendoque loco in quem coniectus fuerat: ibi enim nõ reperitur vocabulum gratitudo, vel ingratitudo, vel gratiarum actio vel aliud simile, quo manu ducaris in Concordantiis. Item si libet tractare de ieiunio non facile inuenies mediis Cõcordantiis quadrantem illum locum Dani. 1. qui poterat accommodari feriæ 4. Cinerum. Tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, &c. ibi enim non videbis vocabulum ieiunium, aut ieiunare, vel Abstinentia, vel temperantia, vel sobrietas, aut similia. Age vero qua ratione venias in cognitionem illorum locorum quadrantium crudelissimi Antichristi temporibus (quæ materia solet tractari in illo Euangelio Lucæ. 12. Cum audieritis prælia &c.) nẽpe Dani.

7. &

7. & 11. Item Apoca. 19. & 20: per Concordantias ipsas? ibi siquidem non apparet vel vestigium vnum dictionis Antichristi. Item qua ratione per Concordantias scies applicare locum illum Amos 3. Leo rugiet, quis non timebit? &c. tremendo ipsi iudicio? & illum eiusdem Amos 5. quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus &c. miseriæ hominũ in eodem tremendo iudicio? Item illum Abacuc 2. lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est respondebit, testibus eiusdẽ iudicij? Tum illum eidem proposito & instituto Iob 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. Qui etiam reperies per Cõcordantias responsionem reddendam quærelis prophetæ Abacuc 1. Iob. 2. & 19. Hiere. 12. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te patiens, & non saluabis? quare respicis contemptores, &c. Sic ponitur diffusé præsertim in prologis, quos prologos non curant Concordãtiæ? est enim in prologo Abacuc diffusé posita, vbi excusantur omnino prophetæ ab omni nota, qui paulò audacius insurgere videbantur in Deum, & redditur responsum querelis: dicitur siquidem hoc modo. Hoc generaliter accipere possumus, quod ex persona humanæ impatientiæ loquatur, nesciens humana fragilitas iudicia Dei inuestigabilia, quod non ita videat Deus vt videt homo. homo tãtum præsentia respicit, Deus futura, & æterna cognoscit. Et quomodo si ægrotãs, & æstuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum: vim patior, crucior, vror, examinor, vsquequo medice clamabo & non exaudies? & respondeat ei sapientissimus, & clementissimus Medicus. Scio quo tempore dare debeam quod postulas, non misereor modò, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua cõtra te petit. Ita & Deus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis eum prouocet ad rogandum, & quasi igne excoctum iustiorem & puriorem faciat. Hæc ita prolixe adtuli, quòd censeam digna esse verba omni memoria, & scriptura. Vides igitur iam tandem quàm vtile sit omnia percurrere in libris, non modo contextum, sed etiam prologos, & cęteras adnotationes, vt possit in omnia latissimos struere indices, quod non est propositum Concordantiis ipsis. Hæ enim dumtaxat persequi videntur eas materias, quæ tractantur in sacris Bibliis sub propriis terminis, vt per eos terminos & vocabula, illæ inueniantur. In tuis autem indicibus notas varia exempla, multa metaphorica, & adumbrata, varios conceptus, varias locorum accommodationes, varias fortunæ, nunc afflantis, nunc reflãtis, mutationes, ac vicissitudines. Ex his igitur omnibus vel cœco clarum iam tandem fuerit quam sint necessarij superiores indices, etiam præter ipsas Concordantias.

Quantum intersit discriminis si tuipse auctores legas tuis editis in eosdem indicibus, aut per indices quos secum adnexos adferunt.

CAP. XIIII.

VTilius autem multo esse per tuos indices auctorem aliquem percurrere quàm per proprios, adeò manifestum esse puto, vt probationem nullã desideret. Qui enim rogatus à quibusdam, quis auctor accuratius in talẽ Euangelistam scribat? respondebis, ni auctores ipsos à principio ad calcem vsque percurreris? itẽ in Psalmos? item quis melius in Prophetas scribat? quis luculentius commentetur Iob? Quis in Apostolũ, aut in Apocalipsim legendus potius sit scriptor? Qui nosces varios procedendi modos? qua ratione comperies hunc doctorem excelluisse hac in re, illum in illa, nisi tu eum perlegeris atque in tuos indices cõtraxeris, & coẽgeris? Non intelliges singularem illã D. Augustini humilitatem in suis operibus corrigẽdis, & in suis defectibus accusandis ac reprehendendis, nisi perlegeris Retractationũ libros, Confessionum etiam, ac soliloquia; vbi tanquam in speculo iuuenésque senésque sese poterunt cõtemplari. Non intelliges concertationes illas, & altercationes literarias inter Hieronymum & Augustinum, vbi tot támque pręclara, ac memoria digna conspiciuntur, tum ad scripturam sacram, tum ad alia pertinentia; neque cognosces quàm sępe iratus & stomachabundus, vt apparet Hieronymus scribat Augustino, nec quàm mansuete, reuerenter, ac blande rescribat Augustinus, nisi eorundem legeris epistolas, quæ to. 2. operum D. Augustini habentur. Ad hæc ignorabis planè innumeras difficultates, quæ ex Pentateucho, in tanta historiarum varietate oboriri possunt, nisi Commentarios harum quæstionum ab eodem Augustino elaboratos collustraueris, qui quarto habẽtur tomo. Præterea tot támque varias humanas historias, támque accurate diuinis aptatas rebus, vnà cum multis aliis antiquitatibus, admirandísque curiositatibus, nequaquã ita exacte per indices Augustino adnexos intelliges, atque si tuipse libros legas de ciuitate Dei, & Commẽtarios doctissimi Ludouici Viuis Valentini. Qui quæso nosces tot támque pestiferas hæreses, támque execranda hæreticorum dogmata, tam stultos & ferinos Gentilium ritus cum tanta suorum Deorum falsitate, ac turba, nisi legeris Epiphanium ipsum? Aut qua ratione cõfutabis, & refelles easdem hæreses ex D. August. admirabili doctrina, si nondum percurristi sextum ac septimum ipsius tomum? Quod optime obseruauit doctissimus Alphonsus Castro in memorabilibus suis operibus aduersum hęreses. Denique non intelliges planè mirabilem illam eiusdem D. August. Psalmorum expositionem, quæ tomo octauo continetur, neque diuinos in Ioannem Commentarios, qui tomo nono, neque sermones de tempore, & sanctis, qui tomo decimo, nisi percurreris, & obambulaueris ipse singularia ista monumenta, amplissimámq; bibliothecam, non terrestribus, sed cælestibus exornatam tapetibus, & aulæis. Hunc excursum conficere libuit per amænissima August. opera; possumus & per aliorum monumenta, sed tamẽ satis supérque ex his iam patere arbitror, quod initio capitis quęrebamus, nimirum vtilius multo esse nostris indicibus & vigiliis non auctores decurrere, quã alienis. Quod cum aliquando non putarem, aut non aduerterem, enauabam modò operam auctoribus legendis, studendísque per suosmet indices. Postquam autem Dei benignitate hanc incæpi viam, multo vberiores me retulisse fructus experimento cognoui. Quamobrẽ meo te horror, moneóque exemplo, vt hanc ineas legendorum auctorum, studendíque rationem, vt tandem vberiores multò referas vtilitates, commoda, & ornamenta, tum ad concionandum accuratius, tũ ad auctores exactius intelligendos, tum ad omnem excutiendam secordiam, ac pigritiã, quæ in alia studendi ratione esse videtur: vt etiam illud omittam, quòd indices qui auctoribus agglutinari consueuerunt, ostentationi potius deseruiant plerumque, & vt carius multo libri diuendantur, quàm vt commodum legentium spectetur, ac propterea multa sępè præter rem in his poni cõsueuerunt, alia subticeri, nõnulla etiam superfluè collocari: quod tu in tuis indicibus non præstitisti, sed tuæ tantummodo vtilitati consuluisti. Atque hæc de secundo libro.

Hortatur ad hanc studendi rationẽ vtilissimam suo exẽplo.

LIBER

LIBER TERTIVS IN QVO DEMONSTRATVR QVA RATIONE SERMOMES SIVE CONCIONES COMPONENDAE SINT EX REBVS tum à doctoribus, tum à Bibliis erutis, & alia tractantur ad hoc genus spectantia.

Quale debeat esse Thema aut fundamentum concionis.

CAP. I.

VERBA Thematis ipsius concionis esse debẽt ex sacra scriptura desumpta, hoc est, vel ex veteri, vel ex nouo Testamento, non aliunde; vel saltem talia esse debent, quæ cantet Ecclesia; non petenda ex doctoribus quantumcunque grauissimis, & sanctis, & multo minus esse possunt Philosophorum dicta seu sententiæ. Nam cum thema futurum sit totius concionis fundamentum, necessum planè est ex se habeat firmitatem, auctoritatémque summam, quam quidem propriè, ac præcipuè scriptura diuina continet. Quamuis enim in confirmationem ac robur eorum quæ inter concionandum à nobis dicuntur, sæpe non modo sacrorum, sed etiam prophanorum doctorum rationes, auctoritatésque proferamus: nihilominus tamẽ hac in re fundamẽtum ipsum præferri cæteris debet, vt præmittatur solidum, firmum, ac summæ auctoritatis, quæ omnium maximè est in scriptura sacra. Præterea omni vitio ac reprehensione thema carere debet, hoc est non debet esse adeò breue, vt intelligi nequeat, neque adeo prolixum, vt fastidium pariat audientibus: sed congruum esse debet, ac tempori accommodatũ. Item non debet esse truncata sententia, sed perfecta oratio, aperta, dilucida, iucũda, vt vel statim intellecta, cognoscatur esse basis multæ, vtilisque doctrinę, accómodátæque tempori, instituto, & auditoribus, ita vt eiusdem præstantia, vel sola, adientium omniũ attentionem excitet.

Quinque esse genera sermonum, & in singulis permultos posse tractari conceptus.

CAP. II.

AD quinque concionum genera seu species reducũtur quæcunque declamari vel prædicari possunt. Aut enim est futurus sermo de Dominica, aut de feria, aut de festiuitate, aut de Dominica & festiuitate simul, aut de speciali quodam intento & euentu. Si concio sit habẽda de Dominica, aut feria, vnus ex tribus modis teneri ac seruari potest, vtpote vel literam totam siue textum Euangelij declarare, seu vt vulgo dicitur, postillare: aut super aliquibus eius partibus habere concionem; aut denique vnum & idem intentum protendere atque seruare. Sin autem de festiuitate sit futura concio & sermo, alij etiam trés possunt seruari modi; nempe vel concionem habere de ipsa festiuitate, aut de litera Euangelij, quod in illa cãtatur, aut denique de Euangelio & festiuitate simul. Idem plane præstari potest cum est de dominica & festiuitate simul. Cum autem futura est concio de quodam speciali intento & euentu, de eodem tantum habere cõcionẽ debes, & idem semper intentũ teneri, ac protendi debet. Vt autem dilucide ac distinctè procedamus, de his agamus seorsum, ordine proposito perpetuò obseruato.

Quod fundamentum siue Thema seligere debet concionator, cum totam Euangelij literam declarando procedere cupit.

CAP. III.

PRimum omnium intueri debet an sit in ipso Euangelio sententia aliqua quæ totum ipsum complectatur, aut quę veluti cõclusio totius existat, & eam pro fundamento deliget. Exempli causa, in illo Euangelio Dominicæ Septuagesimæ, simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane &c. accipies pro fundaméto, themate, ac exordio, finem & conclusionem eiusdem Euangelij, quæ talis est: sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: & id quidem non quod in fine sit, sed quia est, si diligenter inspicias, totius Euangelij succincta & abbreuiata conclusio, ac propterea digna videtur vt eligatur ac proponatur pro themate. Præterea in illo feriæ secũdæ post primam dominicam Quadragesimæ Euangelio de tremendo iudicio, conclusio & illius clausula est quædam abbreuiata totius Euangelij sentẽtia, quæ ita habetur: Ibũt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Tum in illo feriæ secundæ Rogationum Euangelio, quod incipit, & exordium tale ducit: Quis vestrum habebit amicũ &c. manifestum est quòd illa sententia erit commodum thema, quæ habet, omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, totum siquidem ambit Euangelium. Deinceps in illo dominicæ tertiæ post Trinitatem Euãgelio, quod agit de errante, siue perdita oue; sententia quæ totũ perstringit carptim ac breuiter Euãgelium, illa est: Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agẽte. Ad hæc in Dominica nona post Trinitatem, cuius Euangelium est de villico, conclusio ac thema esse poterit, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis &c. Item dominica 11. in Euangelio de Pharisæo ac Publicano, clausula totum Euangelium in pauca contrahens illa est; Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Porro in Euangelio Dominicę 15. post Trinitatem, quod incipit, Nemo potest duobus dominis seruire, vltima clausula totum Euangelium perstringit, quę ita habet: Queritę ergo regnum Dei &c. Insuper in Euangelio vigesimę Dominicę de nuptiis, reperitur quędam breuis sententia, quę totum illud comprehendit, quę quidem talis est: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Euangelij denique Dominicę 22. de seruo debente decem milia talenta, hæc est conclusio totum

totum breuiter cõplectens: sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis &c. Et sic de quocunque alio Euangelio præstandum est, quod quidem habebit aliquam sentẽtiam, in quam veluti scopum quidquid continet Euangelium dirigatur. hæc enim sententia esse debebit thema concionaturo, totam literam seu contextum Euangelij explanãdo. Quod si clausula aut sententia totum Euangelium breuiter complectens defuerit, præcipuam, et quę plura comprehendat, accipies.

Quod totum Euangelium explanando seu postillando prædicare, sapere videatur stylum quendam humilem, & exigui fructus.

CAP. IIII.

INter omnes, qui mihi succurrunt bonos sane concionandi modos, ille prædicandi modus totum Euangelium paraphrasibus explanando, est infimus, & qui non multũ arguere videatur ingenij, sine artificio, absq; labore absque studio, & denique non multæ vtilitatis & fructus. Quod autem non multam habere videatur vtilitatem, hinc constat, quòd de tot támque variis rebus acturus, tótque tacturus loca, atq; multiplices sententias, quas Euangelium quodlibet continet, complexurus orator Euangelicus, certè non possit hoc modo vnam aliquam continuare materiã, atque perducere, fultam & corroboratam plurima doctrina, permultísque rationibus, quæ vim, ac efficaciam his quæ dicuntur imprimant, quod omnium maximè auditoribus prodesse videtur. Ita enim fit vt commodius venemur audientium animos, atque vt rebellis voluntas tanquã arx munitissima validius & potentius rationum tormẽtis, & efficacia, expugnetur: Deóque tãdem humillimè subiiciatur. Tum prẽterea concionator qui sic paraphrasibus Euangelij textum percurrit, nullam optimi oratoris partẽ seruare videtur: non enim docet suo isto stylo tam humili ac depresso, nec delectat, quoniam vbi primum iucundam materiam aggreditur, statim eandem abrumpit, ad aliámque transit, cum totum Euangeliũ instituerit decurrere: nec etiam mouet audientium affectus, vix enim animus cęperat calere, cum iam illico ad alias res pertractandas transgreditur, dimittens interim eas res quæ vrgebãt auditores, quæque illis perneccssariæ erant. Sed quoniam sapiẽtibus & insipientibus debitor sum, tibi nónullas tradere statui regulas, quibus adiutus hoc etiam institutum commodè præstare queas, licet vt diximus sapere videatur humile, aut pigrum ingenium. si tamen aliquando libebit hoc vti procedendi modo, id quidem commodius & vtilius vsu veniet per subiectas regulas; cedétque in honorem Dei, ac animarum salutẽ, & in tuum etiam honorem multò magis hic labor, ita ordinatè, & cum aliquo artificio procedens.

Qua ratione contexendus sit sermo de dominica, aut feria, iuxta hoc institutum, & quo pacto inuenietur accommodata doctrina.

CAP. V.

POstquam thema delegeris, vt suprà monuimus, totum Euangelium complectens; accipies tuum codicem exceptorium pro tali dominica, aut feria, sedulóque inspicies quid ibi habeas pro literæ explanatione. vbi si pauca repereris, quaternionem in Euangelistam cuius Euangelium habes præ manibus, & indicem locorum explicatorũ scripturę sacræ, attentè scrutaberis, & quod accommodatum inuenies in tuum referes paruũ quaternionem, quẽ posthac, si liber, codicem compendiarium appellemus; referes inquam solum accommodata & conuenientia tempori, & populo audituro. Quod si adhuc exigua tibi videatur materia, accepto tuo codice bibliothecam ingrediere, ibíque euolues plures eiusdem Euangelij expositores, & quidquid vtile videbitur excerpes. Poteris etiam inspicere indices qui reperiuntur in eisdem Expositoribus locorum scripturæ sacræ prædicti Euangelij; quæ omnia describes in tuo codice exceptorio, & postea accommodatiora quæque & præsenti congruentia concioni, reponcs in tuo compendiario codiculo, qui erit tibi vice schedæ, vel extemporanei codicis: aduertendo semper, ne hæc omnia desint tuo archetypo, hoc est primo codici, vt ibi asseruentur, vt aliquando eodem te labore alleuent. Nec verò, molestum tibi esse debebit eadem etiam sæpissimè exarare, quia ita altius memoriæ infinguntur, & si rude & impolitum quid contineant, expoliuntur. His ita præstitis, in phylurę initio scribes primam Euangelij clausulam, siue sententiam, deinde paulò inferius intercapedine aliqua interposita, secundam; mox eodem modo tertiã, & sic in cæteris quousque clausulas omnes Euãgelij percurreris; hoc iterũ obseruaturo, vt illi clausulę maiorem relinquas intercapedinem, quæ fœcũdior tibi esse videbitur, & in quam te plura adnotasse comperisti. Tum legere incipies quæ venatus es, quæ omnia erant accommodata tali Euangelio, & singula conuenientia singulis clausulis, in eisdẽ reponentur; quandoquidem intercapedo conueniens á te relicta est. Hanc autem chartam, quæ vt credibile est, fœda existet, trans fundes tandem in aliam, eleganter, concinéque descriptam, si voles, vbi aduertere poteris in multis appositis singulis clausulis quæ dispositio sit seruanda, ita vt ingressus primæ clausulæ accommodatissimus omnium sit, vt omnium animi, auréque arrigantur. Nulla enim accommodata exornatione, vel artificioso quodã ingressu, præeunte: Euangelium ipsum decurrere, vix tollerabile est. vnde quæ primi fasciculi primæ clausulæ sententia accommodata magis ad id videbitur, prius etiam describetur: qua descripta aduertes quæ ex aliis sentẽtiis vicinior sit, ac familiarior huic, & eãdem exscribes, & ita ordinatim progrediere in cęteris. Quod si aliqua sententia alicubi non quadret, aut cohæreat, præstabilius multo est eam omittere. Hũc igitur seruabis ordinem & methodum in omnibus clausulis; hoc interim obseruato, vt quæ clausula aptior, accómodatiórque videbitur ad effectus ciendos, ad mores componendos, ad animos inflammandos, ea in perorationem, extremúmque tuæ concionis locum reiiciatur; vbi eam multa adhibita vi, multo impetu, omni contentione, prudentiáque pertractabis, repetitóque tandem themate, sermoni finem impones. Quod si tãto valeres ingenio, & artificio, vt maxima connexione sententiam cum sententia cõiungeres, & verbum cum verbo, ne vsquã scopæ, vt aiũt, dissolutæ apparerent, & prætereà tanquã callidus, siue prudeus artifex, omnem artificij notam dissimulares, nil plane esset, quod in hoc genere desiderari posset. Atque hoc iam tandem modo tuas texere, & declamare cõciones, non infimum erit, vt antea erat, sed ingenium arguet, imò sæpissimè hoc genꝰ cõcionandi necessarium erit, cum non semper eodem genere nobis vtendum sit; sed pro rerum varietate, alio atque alio, vt ita audientium vario palato, vario etiam cibo, ac condimento, satisfaciamus. Nullus enim fere cibus est adeò suauis, gratúsque palato, quin eodem semper conditus condimento, fiat tandem

Quæ ratione etiã copiosissimè possit quis adinuenire materiẽ ad procedẽdum modo paraphrastico.

dem insuauis,& iniucundus.

Quod thema sumendum,cum super vna,vel aliquot tantum Euangelij clausulis,quia prædicare constituit.

CAP. VI.

SI super vna tantum Euangelij sententia tuam componere vis concionem, quod satis abundans ac fertilis tibi esse videatur,& in quam permulta obseruatione dignissima adnotata tuis in quaternionibus habeas; eiusmodi sententiam pro fundamento ac themate accipies,præsertim cum de illa sit sermo habendus: idque siue sit ex Euangelio; siue ex quouis alio scripturæ loco desumpta. Sin autem decreueris Euangelij fragmentum quodpiam paraphrasibus explanando prædicare,facturus moram in duobus tãtum,aut tribus præcipuis punctis illius siue rebus,debes eam pro fundamento deligere sententiam, quæ magis sententias à te prædicandas comprehendere videatur: aut quamcunque aliam sacræ scripturæ sententiam,quę idem omnino præstet,vel saltem illa ipsius Euangelij auctoritas sit thema concionis, in quam plura dicenda repereris, & in qua te amplius immoraturũ speras. Semper tamẽ sedulã adhibebis operã, vt quę dicas sic connectantur inter sese atque cohæreant,vt aliqua ex parte fundamentum respiciant,& thema propositum. Vt si prædicaturus esses de Euãgelio iecundæ dominicæ Aduentus,vel primæ more Romano ad illam vsque clausulam dumtaxat exclusiue. His fieri incipientibus,prudens sane concilium ac sapiens esset,accipere pro themate & fundamento, sententiam illam,Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Totus siquidem Euangelij textus antecedens, & subsequens etiam, iuxta verum & literalem sensum ad prædictam sententiam apertè dirigitur & destinatur. Hæc dixerim,non vt ad hanc, illámue sententiam pro themate suscipiendam quemquam adstringam;prudens enim & doctus concionator sibi quam viderit accommodatiorem deliget: sed quod manu ducam,& instruam, quantùm fas erit, parum in hoc genere exercitatos.

Quod multa sint Euangelia quorum totus contextus necessario explanandus sit, quantumcunque breuiter ac succincte.

CAP. VII.

VM autem Euangelium cõtinuatam aliquam comprehendit historiam, quale est Euangelium dominicæ tertiæ, & quartæ Aduentus,quorũ primum incipit, Cum audiisset Ioannes in vinculis opera Christi;& alterũ, Miserunt Iudæi ab Hieroso. item Euangelium dominicæ primæ post octauam Epiphaniæ,de nuptiis, & id genus alia: nulla planè ratione præteriri potest, quin totum explanetur:aliter enim cõcionator muneri suo non satisfaceret. Instituere enim sermonem de interrogatione discipulorum Baptistæ ad Christum,omissa Christi respõsione, imperfectũ quidpiam esset. Item incipere loqui de legatione quã fecerunt Iudæi ipsi Ioanni, dimittendo eius respõsum, aut rationem quam de se reddidit. Item inchoare de puero Iesu perdito,& tacere quod sanctissima mater eum inuenerit. Tum incipere tractare de nuptiis, & non referre miraculum ibidem factum. præterea explanare Euangelium Resurrectionis Lazari, eúmque in sepulchro relinquere,vlterius non progrediendo, apertum est nec Ecclesiæ instituto, nec audientium animo hac ratione satisfieri. Quamobrem cum hæc, & similia tibi offerentur prædicanda Euangelia, cauebis omnino ne quidquam intactum relinquas, quod ad historiam desiderari posse videatur. Quod si temporis te vrgent angustiæ,breuiter & succincte historiam in pauca contrahes; non autem committes vnquam,vt eam tacitus prætereas, aut vt quidpiam, siue per incuriam, siue quacunque alia ratione,in te desideretur. Decet enim plane vt is ex cuius ore pendent omnes, qui omniũ institutor est & magister,qui se laudabilium morum exhibet exemplar, in eminentissima locatus sede, omnino reprehẽsione careat, circumspectéque in omnibus & prudẽter se gerat: in quem omnium animi,& oculi coniiciuntur,lincei illi quidem, & minimos etiam quosque lapsus obseruantes.

Vnde colligendum an expediat totum Euangelij textum explanare,an verò fragmentum tantum, denique vnam modo sententiam

CAP. VIII.

POstquam in Euangelium à te prædicandum confectos quaterniones diligentissime euoluueris, omnibus etiam obseruationibus iam dictis initio cap. 5. huius libri adhibitis,licebit tibi aperte cognoscere qua via sit procedendum, hoc est an totum sit Euangelium explanandum,an non. Si enim aduertes pauca tibi suppetere ad dicendum, ex his quæ notasti in singulis clausulis, poteris totum decurrere Euangelium, vt possis vnius horæ spatium tibi præscriptum conficere. Sin autem tibi cõstiterit duobus in clausulis, vel tribus, satis amplam tibi ad dicendũ suppetere materiam,tunc quidem poteris Euangelij fragmentum in alium annum reseruare. Quod si eriã in vna clausula constiterit, de eadem tantùm concionem tuam institues,atque pertexes.

Quo pacto componendus est sermo qui ex vno tantum intento, vel duobus,vel tribus, constare debet:& qui modus ad doctrinam commodam inueniendam obseruari debet.

CAP. IX.

SI verò de quodam vno cupis intẽto sermonem texere,& vni tantum Euangelij loco, siue sententiæ inniti: ipsa tibi erit sententia pro fundamento ac themate. Hic concionandi modus sicut maioris multo laboris existit,sic & maius artificium,& accutius requirit ingenium. Cum enim perpauca tunc suppetãt media,quibus sermo innitatur, necesse plane est artificiosè ampliare, ac dilatare materias,inter se apte connexas. Hoc autem prædicandi modo amplissimus nobis patebit campus,tum ad maxime persuadendum, tum ad multas inuestigandas rationes,quarum vi auditores ipsi cõuincantur. Ex quo perspicuum est huiusmodi conciones vtiliores multò esse, quàm si totum Euangelij contextum paraphrasibus quantumcunque artificiosè explanando prędicares. His ita præmissis, vt huiusmodi concionem rectè componas, in primis necesse est,vt talem locum siue sententiam quam accipis pro fundamento, perfectè accuratéque intelligas, tibíque exacte compertus sit eiusdem literalis sensus. Id enim scire pernecessarium est, vt diuinus Hieronymus insinuat lib.2. super Amos prophetam, explicans

Quid primò necessariũ sit vt procedamus in hoc

Igitur diuerso concionãdi omnium laberiosissimo, qui nũc proponit.

explicans caput. 4. tomo 6. Ad quod cerre oportet legere, & intelligere præcedentem Euangelij cõtextum, vt paulò altius repetito sermone venéris intẽctum,propriúmque sensum illius, quemadmodum idem Hieronymus præstat explanans capitulo 25. D. Matthæi in illa parabola de decem virginibus. Hoc vero haberi non potest absque magistris & doctoribus,quales sunt auctores sancti. Mox autẽ inspectis tuis omnibus quaternionibus, aduertes, quæ notasti in eum locum, potioráque ac præstantiora deliges,tum ad literæ intelligẽtiam, tum etiam ad moralem doctrinam. Quod si his omnibus præstitis comperies tibi adhuc satis amplam non suppetere materiam,fundamentum ipsum denuo expendes, & animaduertes quænam doctrina ex eo deduci possit: aut quæ materia in eodem componi & fundari: item quod vitium dissuaderi, aut quæ virtus suaderi. hinc discurres per indices tuorum quaternionum tam extrauagantium, quàm aliorum in sacram scripturã, vbi sese tibi offeret spatiosissimus ad excurrendum campus. Consulere etiam poteris tuum alphabeticum indicem sacrorum Bibliorum, & Concordantias ipsas, ac tandem ipsorum etiam auctorum indices, ex quibus omnibus poteris variis, mirísque modis dilatare quæ dicere constituisti,quamuis breuia: semper autem curabis seligenda quæ magis ad mores componendos faciant,quæque vehementius, commodius, & vtilius te prolaturum sperabis, omniáque quàm poteris breuiter,ac dilucidè,tuo compendiario commendabis codici. Quoniam autem in eo codice,inconcinna,& indigesta futura sunt, accipies chartã aliam,vbi pulchrè, & ordinatímque omnia describas,primam sedem concedendo figuris,secundam historiis,tertiam prophetis,quartam iis quę ex nouo testamento erunt, quintam sacrorum Conciliorum decretis,& sententiis: sextam doctrinæ sanctorum, septimam & vltimam doctrinæ placitísque Philosophorum. Etsi enim sæpe, ac sæpius eadem inculcaris,nil plane occurret,quod non ad hæc tanquam ad omnium capita & initia reuocari commodè posse videatur. Quam distributionem si memoriter teneas, maxime vtile fuerit, vt ea quæ ordinatu difficilia iudicabas,ordinatim memoria teneas,nullóque negotio vel librum aperiendo, statim in quæ velis incidas. Non tamen intelligas necessum esse, vt eodem prorsus ordine omnia digeras, cum possis aliqua immutare,sed tantum commoda distributionis capita tibi libuit assignare. Atque aliquos euoluens libros, eandem, vt verum fatear, ordinem offendi: tu pro tua prudentia quod commodius videbitur amplectére. Illud præterea non erit obseruatione indignum, vt eas res initio colloces, quæ maiorem præseferre videntur difficultatem, tum vt hac ratione audientium animi excitẽtur,tum verò quòd paratiores tunc esse videantur, & dociliores, ad ea penetranda: cum quòd minus audiendo defessi sint, tum quòd auditores tunc aures habeant, ac promptiores. Ea vero in calcem referes,quæ ad mores informandos aptiora futura sunt,quæque sunt dulcedinem quandam virtutis, ac suauitatem gustúmque diuinarum & æternarum rerum, in omnium animis relictura, cum quibus tuum thema & institutum immiscendo, tandem commode, ac gloriosè perorabis. Ea autem medium locum, vt de eo etiam dicamus,occupabunt, quæ non ita ad mouendum accommodata, neque subtilia,aut difficilia, & exquisita, esse videbuntur. Neque enim aliter plane sese optimus quisque concionator in disponendo gerere debet,quàm singularis quisque Imperator in exercitu ordinando, qui in prima acie exercitatissimos quosque & Hectoreos disponit milites,in postrema etiam Triarios validissimos, cum interim in mediã vel tyrones etiam, & ignauos, censeat referendos. Postquam igitur hunc generalem ordinem in disponendo tibi censueris obseruandum, nempe vt difficiliora ac subtiliora quæque ad exordium referas, commodiora verò ad affectus ipsos sciendos, ad perorationẽ,infirma vero,& minus subtilia, & exquisita,medio inseras, & commisceas: nil omnino ibi vsquam obuium esse poterit, quod non statim qua in sede reponere illud debeas, propè noueris. Quod si postquam concionem tuam munieris ac perfeceris,propter inuentam copiam,& materiem multa ad aliam etiam concionem cum dignitate exornãdam, reliqua esse videris, poteris ea commode in aliam actionem,diémque reseruare, præsertim si alij etiam instituto quadrare possint, & huic essent concioni violenter & contortè immiscenda. Atque hunc quidem prædicandi stylum soleo sæpe obseruare, quem vtilissimum esse auditoribus,ac grauissimum, experimento cognoui,nec admodum etiam difficilem esse animaduerti.

De alio componendi sermonis modo perutili, atque perfacili.

CAP. X.

ALium quoque componendi sermonis modum rationémque egregiam tibi explicare libet, quam quidem omnium, quæ mihi suntin vsu, præstantissimam esse iudico: quam collegi, inuenique, cuiusdam grauissimi viri præclaro innixus dicto, qui sic aiebat, Materia ipsa fideliter memoriæ commendata, seipsam componit & construit: quam sententiam verissimam esse persæpè expertus sum. Modus itaque conficiendi talem concionem sit huiusmodi. Accepto compendiario codice, vbi quæcunque prædicaturus es collecta habere & compillata debes,vt supetius monui, incipies ea commendare memoriæ,hoc modo. Primam sententiam seu partem scriptam in ipso quaternione,sedendo,aut in ambulando, memoriæ primum commendabis: tum sublata aliquantulum voce adeo vt teipsum valeas inaudire, tanto conatu propè,arte,& impetu, apud temetipsum eam prædicabis, quanto si declamares ad populum, vel declamaturus esses eam solum sententiam. Postquam autem eam accuratè tractaueris,accedens ad secundam sententiam, quam etiam memoriæ commendabis, eandémque exornabis tuo marte, amplificabis, & gestu declamabis accommodato, & pronũciatione, ac si te omnes audirent, aliquot adpones scripturæ locos,prout videris accommodatos, aliquot illustrabis similitudininibus & rationibus roborabis,quæ infima videbuntur: eam denique ita tractabis, ac si solam esses ad plebem relaturus. Atque hunc ipsum seruabis ordinem in cæteris sententiis. Quibus ita præfitis, facile ex ipsis tebus intelliges quæ primo, quæ vltimo atque medio loco dicere debeas, aut disponere. Singula enim loquentur, apertéque clamabunt, eccui tandem loco quadrent, ac conueniant. Exerceas igitur teipsum quæso hoc in genere vtilissimo,& verissimam esse sententiam propositam experimento cognosces, Ego quidem tanti eam facio, vt sæpissime hoc genere vti consueuerim, nempe commendando rem ipsam sub breuibus, memoriæ,æque postea seipsam disponit, intendítque quasi digitos in fontes copiosissimi argumẽti atque materiæ. Hanc autẽ materiam ita à te fuse tractatam,poteris si voles in tuos referre codices, non nimis am-

plè, & diffusè: quam postea in pauca contrahens, scribes solum rerum summa capita in breuissima chartula, vt ego soleo, adeo vt habere videaris præscriptionem aliquã alicuius pharmaci à medico, non amplissimam concionem: quæ breuis chartula memoriam iuuabit, quámque poteris in ipso Offertorio cum flectis genua in pulpito, cómodissimè, honestissiméque recolere.

Qui componendi sint sermones de festiuitatibus Domini nostri, & eius Matris, & quomodo quærenda doctrina accommodata.

CAP. XI.

SI sermo futurus est de festis Domini nostri, vel eius matris semper virginis, de eodem festo totus sermo esse debet, aut de Euangelio, quod in ipsa solennitate cantatur, vel de vtroque simul. Quod si aliquod istorum dominico die euenerit, nõ est cur aliquid illius Euangelij tangatur, ni forte aliquid legeretur in ipso, quod festiuitati maxime conueniret, & quadraret. His prẽmissis, doctores qui de huiusmodi solennitatibus sermones edidere inspicere debes, quales sunt S. Leo Papa, Innocentius tertius, D. Augustinus, D. Bernardus, & D. Anselmus: atq; alij doctores, & potissimum doctor Angelicus D. Thomas consulendus est qui fere nullum harum solennitatum materiam prætermisit, quin eandem pro suo marte admirabiliter tractauerit in 3. parte suæ summæ aureæ Theologiæ: legere etiam poteris doctorum indices, & accommodata quæque excerpes, tuóque compendiario committes codici. Si verò libet etiam de Euãgelio prædicare, attẽtè intuére quænam eius pars festiuitati magis aptari videatur, consultísque prius hac de re Doctoribus, & tuis codicibus exceptoriis, eo artificio coniunges omnia, & cónectes, vt nil omnino dissonum, aut vituperatione dignum, proferas, dum Euangelium festiuitati conaris inserere. Itaque si tibi visum fuerit cómodius in primis de ipso Euãgelio tractare, & postea festiuitatem accommodare, id quidem poteris, vel retro vicissímque si prius de solemnitate agere velis, & postmodum de Euangelio, non erit etiam incommodum, illud adaptando etiã festiuitati, neque enim aliqua id lege, aut ratione prohibetur. Illud vero optimorum concionatorum legibus, & sanctionibus prohibetur, ne de Euãgelio quod in ipsa solennitate cantatur, tantummodo verba fiant, & nil prorsus de festiuitate pronuncietur. Illud etiam meminisse debebis, festiuitatibus Domini connumerandã etiam Epiphaniam, festa sanctæ Crucis, Coronæ Domini, & Dedicationis Ecclesiæ.

Quid agere debeat concionator cum sermo de aliquo sancto prædicandus offertur, concurrente simul, aut non, die Dominico.

CAP. XII.

SI sermo de sancto futurus sit die simul Dominico concutrente, potes quidem de ipso sancto prædicare, ex ipsius festi Euãgelio, aut ex quouis alio scripturæ loco, thema desumens, quod eius vitæ conueniat, aut ei virtuti, quæ magis in illo resplenduit. Potest quoque sermo esse de Euangelio talis dominicæ, sed tamen de ipso sancto pertractare nonnulla teneris statim initio, aut medio, aut fine: quamuis de ipso habere sermonem in fine commodius apparet. Potest etiam prędicari de sancto simul & eius Euangelio, & de dominica, ea tamen dexteritate, vt omnia vnus & idem contextus esse videantur, propter summam connexionem & coniunctionem, aliter enim nescio quid humile & abiectum saperent. Illud autem tibi ante oculos fac semper proponas vt semper aliquid dicas de sancto, & illud quidem accommodes ad audientium mores reformandos: propterea enim Ecclesia eorum festa celebrat, vt in horum integerrimam ac sanctissimã vitam, tanquã in tersum quoddam speculum intuentes, nostros mores candidos, ac niueos reddamus. Illud etiam aduertes, inter sanctorum solennitates cõnumerari etiam Angelorum festa. Qua ratione autem accommodatam possis adinuenire doctrinam, satis, supérque ex his quæ dicta sunt patẽre teor. Quod si etiam de quopiam euẽtu speciali futurus est sermo, vtpote pro tempore pacis, vel belli, pro peste, siccitate, pro aliqua fructuum calamitate, aut pro defunctis, nuptiis Regnũ, natalibus principum, pro actu sanctæ Inquisitionis, aut alio quocunque euentu, satis arbitror per superiores regulas te id aptè, honorificéque præstare posse.

De partibus principalibus ex quibus componi sermo debet, ac primum de figuris adducendis.

CAP. XIII.

DIximus Cap. 9. huius libri ex septem rebus constare sermones, nempe figuris, historiis, prophetarum dictis, nouo testamento, conciliis, doctrina sanctorum, philosophorum placitis: de quibus omnibus nominatim & seorsim hic tractare constitui, explicando singularum rerum vsum, & pondus, vt cum libuerit, scias quibus vti debeas. Ac primum figuris ego non frequenter vtor, præsertim si tales sint, quæ vt proposito quadrent ac conueniant, indigeant mille torturis, ac violentiis, quòd in se multa contineant intricata nimis, adeò vt illa adferre difficillimum sit, & maior temporis pars illis explicandis insumatur. Tum etiam auditores animis fatigantur, vt rem percipiant, & concionator non leui afficitur molestia, dum eas memoriæ commendat, prædicat, inculcat: & tandem fere euenit, vt quid ipse dixerit non satis intelligat, nec auditores etiam sæpius inculcata percipiant, vnde vtrique ingenium tantum discruciant, & tempus frustra consumunt. Quod si obiicias, sanctos grauésque doctores, vt eorundem monumenta testantur, non raro figuris vsos fuisse: respondeo aliud quidem esse, & longe diuersum, scribere, & aliud prædicare. Maximus autem est concionatoris error, & vt credo, qui ei maximum adferat nocumentum, sibi persuadere omnia quæ scripta reperit sibi esse ad concionem accommodata. Compertum enim est auctorem ipsum ne videatur diminutus, aut imperfectus, si aliqua succurrit figura, quantumcunque difficilis, eandem exscribere debere, & quæ adduci possunt omnia, quoad quadret, adinuenire. Cæterum cùm his concionator non arctetur legibus, quorsum tantũ subibit onus, talémque laborẽ? Intollerabile verò est, vt vel ipsis auditoribus abnuentibus, & renitentibus, qui nullo alio instituto te audituri concurrunt, quàm vt suæ saluti consulant, velis eisdem res omnes, quæ ad tabernaculum Domini pertinebant, fusius explicare, quàm sat est, nominatim accommodando quid aurum significet, quid argentum, quid metallum, quid hyacinthus, & purpura, intinctura coccinea, pili caprarum, pelles arietum, & color hyacinthinus. Quid præterea annuli aurei in quatuor laterib⁹ arcæ sanctuarij, quid forma & dispositio propitiatorij, numerus Cherubim, & dispositio

De prima parte concionum nõ de vsu figurarũ differit.

dispositio alarum eorundem, magnitudo mensæ, qualitas & natura lignorum Cethim, cum omnibus tessélatis operibus, aliísque rebus innumeris, quæ Exodi 25. descripta sunt. Nil etiam necesse habent auditores, rapidissimo vnius tantum horæ spatio, quod non sufficit ad eos instruendum de sua salute, audire de magnitudine & mensura templi, audire inaurationes, contignationes, affixionem aureorum clauorum, cœnaculum, magnitudinem alarum Cherubim, velum tanta varietate intextum, altitudinem columnarum cum suis magna dexteritate elaboratis capitellis, quæ ornabantur ordinibus malogranatorum insculptis, & retiaculo circundante altare æneum, eiúsque magnitudinem, duodecim boues æreos fusiles, super quos erat illud excellens mare æneum, concharum numerum ad lauandum deseruientium, numerum quoque mensarum, & cãdelabrorum, & electa centum vasa aurea, atque alia propemodum infinita, quæ 2. Paralipo. lib. leguntur. Videas quosdam nonnunquam cõcionatores intricatos, & constitutos inter rotas illas varias Ezechielis inclusas alias in aliis, ita vt mirum sit quomodo non obterantur ab illis. Alios etiam videas adeò prepeditos & implicatos inter illa animalia tot oculis plena, aliis bene munita, tanta vultus varietate efformata, tam velocissimis prædita motibus, altísque volatibus, vt verè ab aspectu intellectus ipsorũ auolent, & aufugiant. Delectabile est etiam quandoque spectaculum, videre alios tanquam peritos Geometras muros & vias dimetientes, ostia etiam, & limina, mox fenestras obliquas describentes. Gazophylacia dinumerantes, & alia id genus, quæ ex sacra scriptura adducere poteramus. Deum immortalem! quis vnquam licere concedet, breuem concionatori præfixam horam, neglecto audientium profectu, his enumerandis consumere? Aut quis ferret eos concionatores, qui sibi ipsis in eo placeant, séque iactent quòd longe, latéque per eiusmodi res expatiati fuerint, proponendo audientium auribus inaudita, oculísque inuisa? Quamobrem præstabilius multo fuerit eas figuras adducere, ex quibus moralis possit hauriri doctrina, ad audientium vtilitatẽ atque profectum: quales sunt illæ quæ à D. Augustino, D. Chrysost. & aliis doctoribus grauissimis, & sanctis, in eorum sermonibus adferuntur; quibus sanè interpretationes quasi naturaliter quadrant, absque vlla fere literæ, aut sensus contorsione. Illud plane liberè, & verè tibi confirmo, doctores sanctos qui suis scriptis omnes fere occurrentes figuras persecuti sunt, in suis ad populum concionibus perpaucas eiusmodi adtulisse. Quod si experiri velis, consule Gregorium, qui totus est in his mysteriis scribendis, in declamandis vero parcissimus, vt videre est in Commentariis super Ezechielem prophetam, & in suis sermonib⁹ seu homiliis. Si nostra hac in parte est audienda sententia, seu potius si sanctorum stylus in concionando seruandus est, rarò figuræ in ipso sermone adducendæ sunt; & quæ adferuntur esse debent moribus accommodatæ, si auditores spectare debent: ita vt eisdem proficiant, & erudiantur. Explicandæ sunt etiam aperto sermone, nõ obscuro: quidam enim ita eas inuolutè, & obscure proponunt, vt non magis intelligantur, quam si Arabicè loquerentur.

Audientiũ profectum sibi semper ante oculos proponere debet Euangelij præco.

De secunda parte ex qua componitur sermo, nempe Historiis.

CAP. XIIII.

PRoducere plures ex scriptura historias inter concionandum, non admodum laudabile esse videtur, neque arguit studium, & laborem in concionatore, cùm præsertim nusquam non obuiæ fiat, etiam longissimę, ita vt statim vel vna ex his, elabatur hora concionatori præfixa: quare si nimiæ, aut nimium dilatæ proponantur, certum quidem est odiosas esse futuras, & in eãdem partem interpretãdas, vt traducendæ modò horæ deseruiant. Quid, quod vix reperias historiam aliquantulum celebrem, quę non percantata sit iam, & notissima toti plebi? quare singulis concionibus singulæ dumtaxat aut binæ proponi poterunt; & id quidem non ab ouo, quod aiunt, ad mala, repetendo, sed breuiter ea tantum adferendo, quę ad institutũ facere videbuntur. Referre enim historias eo fine, vt mores praui corrigantur, vitáque hominum in melius commutetur, prudentis sanè est concionatoris, & qui audientium vtilitati cõsultũ cupiat. Tũc aũt cum primis inserendæ vidẽtur historiæ, cum creditur auditor esse defessus ex attenta longáque auditione: ita enim & eius animus recreatur, & concionator etiam vires reficit, atque respirat. Quemadmodum enim viator longo delassatus itinere, in hospitio desidendo reficitur, alacriórque redditur ad reliquum iter conficiendum: ita auditor longa fessus, & attenta auditione, concionatórque oratione, in historiis tanquam in optato diuersorio conquiescunt, vegetioréque reddunt ad reliquam actionem. Et certe innumeræ sunt historiæ sæpè repetita dignæ commemoratione, ac multa eruditione confertæ: in his tamen, & in cæteris referendis, cautio maxima adhiberi debet, ne scilicet quod quidam faciunt, eas quæ tritæ erunt ita lentè, & late proponamus, ac si tunc primum inuulgarentur. Neque etiam easdem sæpius quàm par sit, quamuis memorabiles, referemus, quod quidam facere solent de illa historia peccati protoparentis, déque arbore vetita, adeò vt mirer arborem illam non iam omnino defronduisse, cum tam sæpè, & tam multi eius frondes apprehendãt, atque decerpant. Illud enim minus exercitatum arguit concionatorem, hoc verò nauseam adfert, & fastidium. Eo igitur pacto prudens, ac sapiens concionator huiusmodi historias recensere, ac perstringere debet succinctè, vt res omnibus auditoribus notas & quas auditores intelligant, ostendant se non referre sponte sua, sed necessitate compulsum, nimirum ad doctrinæ propositæ confirmationem, aut proponendæ introductionẽ. Huius rei exẽplum est, cum Christus dominus, ac Redemptor noster, discipulos suos quòd sabbatho spicas ad edendum colligerent, à Pharisæis accusatos, excusare dignatus, ac sine culpa esse demõstrans, vt D. Matthęus 12. cap. Marcus 2. & Lucas 6. referunt: respondit necessitatem lege carere, asserens hoc modo, Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum illo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum illo erant, nisi solis sacerdotibus: Hæc plane diuinè adducta est historia, & breuiter, succinctéque relata: non enim vt rectè percipi retur paucioribus potuit referri verbis, nec certè Christo domino qui erat summa eloquẽtia, verba ad eam copiosius enarrandam, & ornatius applicandã, deesse potuerunt, vt vel saltem sic diceret, Vobis notum sit cap. 21. primi libri Regum haberi, quòd Saulem hostem fugiẽs Dauid, peruenit in oppidum Nobe, fatigatus, inermis, grandíque fame compressus, & solus, adeò vt sacerdos Achimelech

qui ibi erat,cum nosset Dauidem, demiraretur, obstupescerétque sic solum aduenisse eum. Vnde rogauit,quare tu solus,& nullus est tecum? Quid tam potens dux excercitus,sic destitutus militibus progrederis? Cui Dauid,Rex,inquit, præcepit mihi graue negotium, magno seruandum silentio, & sic dixit. Nemo id vlla ratione sciat: quod vt tutius efficeretur, me ita spoliatum excertitu abire imperauit: & adeò Regis instabat imperium, negotiique necessitas premebat,vt vel arma capere mihi non licuerit, nec panes ad edendũ promidere. Nunc ergo si quid habes ad manũ,vel quinq; panes da mihi: aut quidquid inueneris. Obstupénsque hac de re sacerdos,ait illi,Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctũ &c. Itaque cum hæc esset historia valde iucunda,ac suauis, nec etiam ex communioribus, tantum ea Christus dominus retulit, quæ suo satis erãt proposito. Quod si dicas quasdam lõge, latéque historias Christum retulisse concionando,qualis est illa quæ agit de diuite auaro,& illa de filio prodigo, & de eo qui descendens à Hierusalem in Hierico,incidit in latrones, & de patre familias qui plantauit vineam,& de illo patre familias,qui diuersis diei tẽporibus exiit ad conducendum operarios in vineam suam,& de aliis huiusmodi,Respondeo oportuisse vt hæc omnia hoc modo enarrarentur; quoniam tum primum illæ historiæ relatæ sunt, & ita necessum fuit ita referrerentur extensè cum eas homines prór sus ignorarent. Itaque sapientibus & prudentibus notum esse reor,meum quidem institutum non esse quòd sermonibus diuinæ non inserantur historiæ, sed id apertè asserо, quòd cum alia doctrina morali vberiora proponi poterunt, nequaquam tantum temporis consumatur in illis diffusè referendis, vt locus idcirco non concedatur prædicandæ doctrinę, quæ ad vtilitatem audientium,& necessitatem, amplius multò conducat.

De tertia parte,nempe de prophetarum dictis.

CAP. XV.

SEntentiis verò Prophetarum conciones exornare,non tantum est grauis styli negotium,sed etiam auditoribus vtile valde,potissimũ si concionator spiritu quodam ac feruore diuinitus informetur ad eas pertractandas. Doctrina est procul dubio ad persuadendum maximè efficax,ac potens intellectum rectè dispositum omnino reuincere. Quis enim prophetarum terribilibus comminationibus non pauebit? Quem non magno terrore concutiet,intueri vrbem illam gloriosam,ac præpotentem, quam Sophonias propheta cap.2.commemorat,tantopere distructam, solo æquatam, & ab ipsis fundamentis conuulsam, vt in irrisionem & sibilum transeuntium facta sit, quæ tamen antea perillustris, ac toto terrarum orbe præclarissima erat? Cui non erit terrori,audire terribilem illam celsam nimis, ac sublimen statuam Nabuchodonosor, vt Danie. cap. 2. habetur, tam subito conuersam fuisse, ac redactam in fauillam æstiuæ areæ, quæ à vento rapitur? Quis etiam non pertimesceт, contemplans arborem illam, quam Rex Babylonis intuitus est, arborem inquam procerissimam, & latissimam, toto extensam orbe, ad cælum vsque pertingentem, tam cito è cælo fuisse perculsam, præcisos ramos eius, excussa folia, fructúsque dispersos? Quis non perhorrescat,videś mirandam illam manum, quæ,vt habetur Danie. 5. exarabat æternæ mortis definitiuam sentẽtiam? Cui non erit horrori,intueri præcisos ramos,ac frondes excussas,illius magnæ fortis, atque sublimis cedri in Libano consitæ,quemadmodum Ezechielis cap.31. refertur? præterea videre quàm humiliata, atque vastata fuerit superba illa filia Babylon,vt capitulo 47. Esaiæ describitur? aut intueri Reges Aquilonis demoliri,ac deuastare Babylonẽ, vt cap.50. & 51. Hieremiæ legitur? Deinde videre compulsos impios ad calicem illum tetrum, amarúmque valde furoris bibendum, vsque ad illius fæces, vt Hiere. propheta cap.25.refert? Iam vero aspicere aquilam illam grandem, magnarum alarum longo membrorum ductu, plenam plumis,&varietate,venientem ad Libanum, & vnguibus suis fortissimis, magnam nimis, atque multiplicem prædam tollentem, sicut Ezechiel cap. 17. explicat? Ad hæc, ecquis non exhorreat,& obstupescat, contemplatus horribilem illum, ingentémque draconem, qui apud Ezechielem 32. pedibus suis conturbabat aquas,& flumina, esse deiectum, & in sagena extractum? Mirabilia etiam sunt alia id genus, quæ in prophetis cernuntur: quæ omnia sub quibusdam metaphoris grauissimæ aduersum impios commutationes existunt. Quis ergo non stupebit, & vehementi terrore concutietur, hæc omnia audiendo? Incendia quoque, vastationes, bella, interneciones, captiuitates, famem, sitim,& pestem, quæ sub quibusdam horrendis metaphoris occultata sæpissimè cõminantur ipsi prophetæ,quis non perhorrescit audiendo? si verò inspiciamus,qua ratione veniam pœnitentibus pollicentur, & lapsos nituntur erigere, & animare promissis blandis, suauibúsque sermonibus: quam gratum, ac suauem dicendi stylum sequũtur sancti prophetæ? quibus inuentis, quàm variis cohortationibus,ac dulcibus incitamentis, vtuntur? sic adeò, vt quos horribilibus comminationibus terruerant, atque vt corde affligerentur effecerant, iam vice versa solentur, foborent, ac magno expleant gaudio. Ne illi hominum corda in manibus habere videbantur, vt quocunque vellent impellerent, & vnde vellent retraherent, cum præsertim diuino agerentur spiritu. Concionator doctrinæ prophetarum studiosus maximè, is magnos in vinea domini faciet progressus, is recte suo perfungetur officio, & onus concionandi impositum cum dignitate sustinebit; is denique dignus erit, vt audiatur ab omnibus, commendetur, ac maxima veneratione colatur: & quod amplius est, & excellentius,merebitur consequi præmia à liberalissima illa Domini manu, tanquam perfectus discipulus,& canis qui continuis ac magnis latratibus tueatur pecus domini, tanquam peritus medicus qui animæ morbos probe curet, & tandem tanquam optimus doctor qui homines dirigere,& ad rectam reuocare semitam nouerit, cælestémque patriam.

De quarta parte, nempe doctrina noui Testamenti.

CAP. XVI.

NIl planè curandũ magis est, quam vt sermo ex rebus noui Testamenti componatur,ornetur, & illustretur. Nam quamuis verum sit totum scripturam sacrã diuina pollere auctoritate,& quæ cõtinet, fide esse tenenda,ac veneranda,vt liquet ex Tridẽ. cõcilio,sess.4. nihilominus tamen negare non possumus,quòd Testamentum nouum quodammodo præcellere videatur,quod de suggesto potissimum declamare debes, & explicare, quoque tanquam margaritis tuos sermones distinguere debes. Quis enim quæso non maxime afficiatur doctoris gentium admiranda doctrina

doctrina? Ecquis perfectè prædicandi munus implebit, ni frequenter euoluat, ac lectitet doctrinam cælestem illius vasis electionis, veri promulgatoris Euangelicæ libertatis? Ecquid tibi libebit concionando tractare, quod illustrare non possis, & roborare, mirabili illius eruditione, qui non minus proprio Pauli nomine, quam communi Apostoli appellatione ab omnibus intelligitur? Sepenumero audiui prouerbium illud (vt populariter aliquid dicam) Nec opulenta mensa sine vino, nec optimus sermo absque Augustino, quod si verè quidem dicitur,an non verius dicetur, nec in Ecclesia deesse debet imago,nec concio priuari paulo? Quid cæteræ epistolæ canonicæ? quàm ditissimæ sunt? quanta plenæ eruditione, salutari illa quidem, nobisque congruentissima? Iam verò, si agamus de heroicis Apostolorum gestis, quæ libro de actis Apostolorum continentur, amplissima sanè ibi est rerum illustrium varietas, mirabiles proponuntur euentus, & casus,illorum Euangelij præconum: & quorum vel sola memoria sit nobis maximè profutura. Visiones autem illæ quæ Apocalypsi concluduntur, quàm admirabiles existunt? quàm certissimæ futurorum nunciæ? quàm denique vtilissimæ concionanti? Age verò, vt à calce ad initia veniamus; non si nobis linguæ centum, oráque centum,ferrea vox, velocissimus calamus, maiestatem historiæ Euangelicæ proferre,promulgare,describere valeremus, præsertim cum hæc diuina doctrina ab ore summi doctoris Christi Op. Max. tradita sit, atque dictata. In quo Deus pater thesauros inexhaustos sapientiæ & scientiæ diuinæ reposuit ac collocauit. Hic agnus ille immaculatus, qui causam nostram tanta benuolentia prosecutus est,vt à celcissimo maiestatis suę monte descendens, sese nobis exhiberet magistrum, atque doctorem,peccata nostra portauit sine peccato; nostra vsus est locutione,vt sese nostro captui accommodaret,effectus nobis familiaris, doctrina domestica,ac plana,prout nostra fragilitas postulabat. Euangelij liber, planè est librorum liber; veritas veritatum, & potissimum excellit, & exuperat, non tantum vetus instrumentum, sed etiam noui testamenti reliqua omnia, quemadmodum D. August. in præfatione super Ioannem affirmat. Reliquam scripturam sacram habere debet in aliqua notitia concionator: at Euangelij librum fideli tenere memoria oportet. Vix enim concionatoris meretur nomen,qui vel in vnius tantum Euangelij clausulæ versatur ignoratione,quamuis eam per anni cursum Ecclesia non recitet. Denique reliqua scripturæ sacræ volumina sunt quidem magna in veneratione habenda, Euangelium verò summa quadam adoratione potissimum adorandum.

De quinta parte, nempe de sacris conciliis.

CAP. XVII.

SAcrorum præterea conciliorum testimoniis atque decretis mirè sermo componitur, roboratur, exornatur & illustratur. Nam si doctrina vnius tantum doctoris eam habet auctoritatẽ, vt sepe dicam⁹ sat esse hoc, vel illud asserat D. Augustinus, vel D. Hiero. &c. quanto credis maiorem auctoritatem & pondus habitura sacra concilia in spiritu sancto legitime congregata, & à tot támque grauissimis viris definita? Ibi siquidam omnes doctores, viríque grauissimi, subscribũt his quæ longo tempore consultata, ac confirmata definiuntur. Quis quæso non reuereatur sacri concilij Nicæni auctoritatem, in quo trecenti decem & octo Episcopi conuenerunt? Quis fidem non adhibebit decretis sacri concilij, quòd Romæ tempore Siluestri Papæ celebratum est, quibus confirmandis & approbandis ducenti viginti octo Episcopi subscripserunt? Quis non veneretur diffinita in 4. concilio Charthaginensi, celebrato sub ducentis quatuordecim Episcopis? Quis non subiiciat intellectum decretis Concilij Calcedonensis, tempore Leonis Papæ primi celebrati, quandoquidem in illorum determinatione,& definitione, sexcenti triginta grauissimi prælati inuenti sunt? In cõcilio præterea Lateranensi sub Innocentio tertio celebrato, mille ducenti octuaginta duo conuenerunt,tum Episcopi,tum Abbates,tum Priores,ac legati. In concilio tandem Tridentino anno 1546. inchoato, & finito ac confirmato anno 1564. interfuerũt legati quatuor,Cardinales duo,Patriarchæ tres, viginti quinque Archiepiscopi, Episcopi 168. Abbates septem, trigintanouen procuratores prælatorum absentium: Generales religionum septem, qui omnes ducenti quinquaginta quinque existunt. Prætereo multa alia quæ adferre poteram, tum generalia,tum prouincialia concilia, ne longiorem faciam hac de re sermonem. Quare necesse fuerit concionem roborare,& exornare hoc tanto concillorum pondere, tantóque ornamento. Quod perfacilè quando voles præstabis, si indicem tibi parauеris, qui te breuiter manu ducat ad omnes conciliorum recessus & materias, incipiens à concilio primo Hierosolymis celebrato sub beato Petro principe Apostolorum anno 70. vsque ad vltimum concilium Tridenti celebratum. De sacris autem Canonibus idem plane dicendum, quod de conciliis, cum ex his depromantur,& ex Ecclesiæ determinatione,& definitione, & denique sacrorum doctorum testimoniis.

Multos refert cõcionatores cõmunire cõciliorum decreris.

De sexta parte nempe Auctoritatibus sanctorum, grauiúmque doctorum.

CAP. XVIII.

VTi quidem in concionando sanctorum doctrina maximè decet, & vtilissimum est. Hos enim semper tanquam patres & magistros nostros,atque doctores suspicere, & venerari debemus,cum concilia ipsa eo loco numerandos censeant, recipiant,agnoscant, venerentur. Hi sunt quibus Deus Op. Max. sacrarum literarum arcanos patefecit sensus, voluntatémque suam reuelauit. Hi sunt veri illi terræ promissionis exploratores,quæ in ipsa sint referentes: qui veluti alter Iosue,& Caleph, certissimam pollicentur victoriam, ac possessionem veræ terræ promissionis, nempe cælestis Hierusalem, si ad eam obtinendam omni animi & corporis impetu contenderimus. Profecto qui his exploratoribus, & explanatoribus non crediderit, sed his neglectis aut concionari, aut suo explicare scripturam sensu voluerit, non modo nonquam veram victoriam consequetur, sed etiam in crassissimos prolabetur errores, pestiferásque hæreses; quemadmodum ex antiqui sæculi memoria, & nostræ ætatis recordatione, manifestè ante oculos vidimus, & cognouimus. Quemadmodum enim fieri non potest, vt quantacunque pollens videndi facultate, & quocunque pulcherrimo etiam oblato obiecto, illud videas, si medium ob-

scuretur: ita planè tametsi splendissimum nactus sis ingenium, & singularis proponatur scriptura sacra, nisi sanctorum accesserint lux, & doctrina, eam nunquam per te ipsum es intellecturus. si omnis ars, & disciplina, quamuis mechanica, interpretem desiderant, & magistrum; ecqua tandem confidentia fretus, circa doctorem, diuinas literas explanabis, & aggrediere? Equidem in me ipso experior, vt cum subdifficilem aliquem scripturæ offendo locū, adeò ingenium in varia distrahatur, tantáque caligine perfundatur: vt nisi clara sactorum doctorum eruditio illuceserit, nil minus quàm eum locum intelligerem. Quamobrem tantos doctores nocturna, diurnáque versabis manu, eorum te sedulum profitebere discipulum, vt horum tandem auctoritatibus, & explanationibus, tuas ornans conciones, verum scripturæ sensum audientibus aperias, atque annuncies: quò tandem horum doctrina, & deprecatione, vita in melius reformetur.

De vltima parte nempe dictis Philosophorum.

CAP. XIX.

Dicta quoque siue sententiæ Philosophorum, ac Gentilium, concionem exornabunt; si tamen grauia fuerint, & rectè accommodata. Nam quemadmodum in causis nostris & cótrouersiis, cùm possumus aliquid quod ad nostrum negotium spectet probare & confirmare sententiis alicuius ex aduersariis nostris, habetur vt efficax testimonium illud: pati ratione cum veritates ad Christianam religionem pertinentes possumus aliquo modo roborare sententiis & dictis Ethnicorum, & eorum qui fidei nostræ aduersantur, proculdubio non parum id vtile est; cum præterquā quod fideles assentiant, infideles etiam suo gladio iugulenter, suis telis configantur, suis rationibus conuincantur. Quare non erit talis omnino reiicienda doctrina, quòd Ethnicorum, & aduersariorum sit: cum præsertim Christus dominus, tametsi Scribæ, & Pharisæi peruersi essent, censuerit eorum doctrinam complectendam, prauis operibus neglectis eorundem. Sane nequaquam aurum abiicimus, quòd è terra abiectissima eruatur, neque pulcherrimam rosam quòd inter spinas enascatur: nec triticum, quod ex leuissimis paleis excutiatur; nec gemmam, quòd ex luto educatur: neque monstratum iter negligimus, tametsi illud ostendens, non ingrediatur: nec denique hospitium ingredi recusamus, licet tabella, quæ illud indicat, foris maneat. Quæ cum ita sint, nulla plane prohibeat ratio, quin & Philosophorum etiam sententiis inter cōcionandum quàm commodissimè vtamur: imò potius laudabile videtur, eos tanquam possessores iniustos, & tyrannos, eiusmodi margaritis expoliare. Verum tamen est, parcè & moderatè eorum esse vtendum sententiis, ne videamur eas frequentissimè repetendo, nimio in pretio quàm par sit Philosophos ipsos habere; præsertim cum plura alia suppetant loca, multò potiora, & excellentiora. Hactenus de tertio libro.

LIBER QVARTVS IN QVO MVLTAE TRADVNTVR REGVLAE, QVIBVS COMMODE COMPOSITAM CONCIONEM MEmoriæ commendemus.

Sæpè contingere vt quis tametsi sedulò memoriæ concionem commendarit, eandem obliuiscantur.

CAP. I.

Hactenvs quænam doctrina esset concionibus componendis accommodata, & quomodo componerētur, aperuimus: restat modò vt qua ratione memoriæ commendandæ sint edoceamus. Qua in re ita peccatur à multis, vt etiā postea, quàm concionem memoriæ commēdarint, suggestúmque declamaturi cōscenderint, eam omnino nescio quo fato obliuiscantur. Parum autem prodest iuxta Quintiliani sententiam, permulta egregia supereſſe dicenda, eadémque eleganter composita; & parum prodest sit sermo ipse pulchrè dispositus, & res prædicandæ fideliter commendatæ memoriæ, si quo primum tempore concionaturus est prædicator, confunditur, ac perturbatur omnino, oblitus eorum quæ memoriæ commendarat. Hic enim obliuionis casus adeò pernicioſus est, vt sæpe qui eo prolabuntur ne verbum quidem proferre sciant, aut possint; sed præter rem, si quid dixerint illud esse iudicetur, ac perturbatum. Huius generis hominum perturbatorum multos sæpè vidi, præsertim in candidatorum lectionibus, quas vulgò oppositiones cathedrarum nominant, qui nec verbum proferebant. De quodam verò memini, qui etsi proferret quidem aliquid, illud adeò perturbatum erat, vt vix verbum verbo cohęreret. Huius tāti mali causa quandoque esse solet, non quidem artificij indigentia & inopia, sed aliquis alius humanæ fragilitatis euentus. Neque enim credibile est arte mirabili caruisse orationem, quam insignis ille orator Demosthenes confecerat, ac memorię commendauerat, & in qua tamen tantus orator coram Macedoniæ rege in craciſimam obliuionem deuenit. Quod etiam Theophrasto quodam in Athenienſium congregatione contigisse, historiis proditum est. Interim tamen fere id accidit aut memoriæ lapſu ac fragilitate, aut artificij inopia. Nonnulli ex his qui sic memoria excidunt, in maius quoddam videntur prolabi incommodum, quemadmodum suprà videor attigisse, nimirum vt ne confusi de suggesto descendant, nil aliud faciant, quàm sicut Arabius tibicen solet, cum magna audientium molestia, permulta maximè discrepantia omnino perturbatè profundere. Cum enim hac illac pulsi, vacillando loquantur, anxiè nimium mente quærendo amissam viam, vt malum illud ac confusionem contegant, nil aliud

Aperit communes causas quibus fere fit vt qs concione obliuiscatur.

aliud faciunt, quàm inconsideratè verba spargere: & cum nil aliud attendant, quàm locum inuenire, vnde aberrare cœperunt, veluti discordantia horologia, & dissona, proferendi finem etiam nullum inueniunt: adeò vt tandem ea causa, & quòd vario colore subinde perfundantur, ab audientibus deprehendantur deerrasse, & memoria excidisse. Quamobrem vt tantis medeamur malis, operæ pretium fuerit aliquas præscribere regulas, vtilissimásque admonitiones, quas multi putant nullas esse, contra eos planè, qui de huiusmodi præcepta tradidere, quales sunt, Plinius, Solinus, Quintilianus, M. Ciceto.

Quod qui concionatur, textum Euangelij paraphrasibus explanando, in minimo prolabendi periculo versetur.

CAP. II.

Si concionaturus est quis, Euangelium paraphrasibus explanando, in minimo certè amittendę memoriæ versatur discrimine. Nam cum semper textui inhærere debeat, is planè in portu nauigare videtur, illa perfacili obseruatione, ne Euangelij contextus memoria effluat: quod infeliciſſimæ esset memoriæ, & illius quam D. Hieronymus adscripsit Chrysogono, dicens, Lyncis memoriam habuisse, Epistola ad Chrysogonum monachum, tomo primo. De prædicto autem animali ait Plinius, vt patet in scholiis huius Epistolæ, tam labili esse memoria, vt si comedens oculos aliquorsum dirigat dumtaxat, cibi statim obliuiscatur, quem habebat, & alium sibi quærat. Cum autem ea quæ didicisti, & memoriæ commendasti, ipsi Euangelio hæreant, quod tu tanquam nomen tuum probe tenes, fieri vix potest, vt memoria decidant, ac præterfluant. Quod si quando id accidat, præsens remedium est, vt statim accurras ad Euangelium: nam procul dubio illis locis in memoriam reuocatis, ferè fit vt tuæ etiam explanationes menti succurrant: hoc enim est, vt populariter dicam, filum apprehendere, vt globum glomeratorium adinuenias. Sin autem nec ea adhibita diligentia in memoriam redigētur, nil erit quod mentem discrucies, atque perturbes, sed ad subsequentem progreditor Euāgelij clausulam: sedulò dumtaxat curans, vt antecedentibus ea quæ dicenda sunt breuiter connectantur, atq; cohæreant: hoc enim incommodum solummodò inesse videtur in huiusmodi memoriæ iactura. Nolo nunc in his diuitius immorari, cum sequentibus regulis fusius tractanda sint, cum verba habebimus de sermonibus soli themati innitentibus, qui præstantiores esse videntur, & magis his documentis indigentes. Illuc igitur eum remittimus, qui textum ordinatim explanando procedere volet, vt inde quæ sibi commoda videantur, tanquam ex diuite promptuario expromat: ne vnum & idem saxum reuoluere sæpius inutiliter cogamur.

Quod materiarum ordinem ac diuisionem insequi multum memoriam iuuet.

CAP. III.

Si tibi libuerit totam habere concionem super themate & fundamento, & vis seruare ordinem à nobis propositum 9. cap. 3. lib. videlicet vt primum figurę proponantur, deinde historiæ, hinc prophetæ, tum nouum Testamentum, mox sacra concilia, postmodum sanctorum auctoritates, tandem Philosophi, id quidem commode poteris, & cum memoriæ vtilitate, tanta ea quidem, vt ne minimū quidem aberrare posse videatur. Sed tamen hunc absque vlla permutatione seruare perpetuò ordinem & seriem, non videtur conuenire, cum præsertim aliquando expediat, pulchrúmque sit, à sententia Philosophorum auspicari, qui locus extremus est, & ita in cæteris est dicendum. Sæpe enim etiam expedit, vt à prophetica visione ordiamur. Quare si lis meiudice sistat, seligendum eum iudicabo concionandi modum, maxima memorię commoditate, quem 3. lib. cap. 10. præscripsimus, nimirum vt res tantum memoriæ breuiter commendetur, & membratim deinceps proprio marte amplificetur, & declametur: vt ita tandem memoria, quæ breuitate gaudet, incredibiliter iuuetur, summa solum sibi proponens capita, Huic autem modo, tanquam præstabiliori, subsequētes canones deseruient,

Quòd concionis diuisio maximè memoriam iuuet.

CAP. IIII.

Materia quidem rectè, fidelitérque memoriæ commendata, & attenta mente agitata, non solum singula suis locis ac sedibus te collocare docebit, verumetiam tibi iter aperiet ad ea quæ traditurus sum, vt omnium quę memoriæ mandaueris facile recorderis. Nam ea materiæ agitatione nosces varia genera rationum, & argumentorum, quibus concionem ipsam exornes. Videbis enim te posse virtutem quampiam suadere, aut vitium dissuadere: nonnunquam rationibus naturalibus procedere, interdum sacræ scripturæ innixi. Ex quibus tandem cōperies non modò quæ priori, & quæ posteriori loco statuere debeas, sed etiam ad quæ pauca capita, vt memoriam iuues, commodè redigas omnia adinuenta, & excogitata. Et certè in capitum eligendo numero id maxima commoditate curabis, vt omnia ad quam breuissima poteris, vel pauciſſima reducas capita: hoc est ad tria, vel ad summum quatuor. Tum verò in singulis capitibus materias simillimas & cognatas curabis coniungendas, imò ipsæ sua similitudine & cognatione apertè loquentur quę cum quibus debeant coniungi, & copulari: & has diuides in suos fasciculos, vt tandem per capita concionem totam teneas. Quamuis enim milites omnes sub eodem Imperatore & vexillo militent, habent tamen suas societates, & combinationes, siue etiā decurias, ita planè, tametsi omnia quæ sunt in concione ad vnum tendant scopum, consociantur tamen alia aliis, & cognatione quadam inter se continentur. Quare reducendo totam concionem ad pauciſſima capita, & singula capita in suas cognationes, & societates, facilè memoriam iuuabis in concione retinenda.

Quòd licet vtilissimum sit huiusmodi diuisiones menti esse præsentes, non tamen sit prudens consilium eas in exordio auditoribus polliceri.

CAP. V.

Statuamus in sermone nouem esse media iam mandatata memoriæ, quorum duo seorsum sibi cohæreant, & ex alia parte tria concordent, & alia parte quatuor, ex quo compertum erit totam concionem ad tria tantū capita generalia redigi posse ac reuocari, quo modo facilius comprehendam sermonem. Primum caput in duas partes subdiuidetur, secundum verò in tres, & tertium in quatuor: vel contra, primum erit fortasse constans ex quatuor, secundum ex duobus, tertium ex tribus. Certè non videtur prudens cōsilium

tametsi illa diuisio sit optima, & memoriam iuuet, possisque in vngue, quod aiunt, totam concionem habere: non inquam videtur prudens consilium, vt has partes audientibus polliceare, dicendo hoc modo: Nostra concio diuidetur in tres partes: in prima parte tractabo hæc, & hæc: in secunda talia, & talia, & in tertia etiam talia, & talia. Nam præterquam quòd ferè ex vsu optimorum concionatorum illud expunctum sit, incommoditates aliquas secum etiam aduehit. Primum quòd cum optimi artificis sit dissimulare artem, sanè hac ratione videtur quis totum artificium patefacere. Deinde etiam quòd fieri possit (vt sæpe contingit) vt quis obliuiscatur particulam aliquam, quam tamen auditor recordetur ex diuisione illa generali prius posita, quod videtur graue incõmodum. Quare tu quidem poteris in mente habere huiusmodi diuisiones, quibus dirigaris, tanquam signis quibusdam in biuiis constitutis ad totum concionis conficiendum cursum: eas verò auditoribus proponere, non video multum expediés. Nam, vt dixi, contingere potest, vt aliquam particulam obliuioni tradas, quemadmodum vidi accidere in multis, qui dicebant: præstabimus tria: aut id volo probare tribus rationibus. Prima talis, secunda talis, & cum dixissent, tertia talis: deficiente memoria consistebant, neque vlterius pudore perfusi progredi poterant. Quanto illis satius fuisset id quidem rationibus occurrentibus probare, non autem dicere, tribus, vel quatuor rationibus probabo. Prima talis est, secunda talis & c. Si igitur aliquando casu aliquo pollicitus fueris te tria, quatuorue dicturum: caue dixeris, primum est tale, & secundum tale, &c. aut saltem nunquam dicas, nisi præsenti memoria illud tale teneas. Posses autem vtcumque hoc incommodum deuitare, si tertia terminata parte, statim mente transires ad quartam, & postea ea explicata, diceres, hæc est quarta pars, aut ratio. Vel etiam poteris amplificare tertiam, & exornare tantisper, dum quarta menti succurrat, & adueniat. Quemadmodum enim prudens lector, antequã versum sequentem inchoet, solet oculos in eum conijcere, etsi videt non statim obuium commodè esse, lenta voce, & tarda, vltima verba profert, & in eisdẽ commoratur: ita prudens concionator. his vrgentibus incommodis commodè se præparabit in antecedentibus rationibus, vt subsequentes menti subueniant. Quod si nec etiam his omnibus cautè adhibitis, tertia, vel quarta ratio, aut pars, menti euenerit: antequam error innotescat, prudenter dices, eam in alium diem differendam, vel de ea velle te pro eius dignitate concionem totam constituere: vel etiam plura magis necessaria restare dicenda: vel denique quòd horæ tempus elabatur. Caue autem dixeris aliquid, quod minus decere videatur: vt ille dixit, dæmon mihi abripuit aliam partem concionis, siue alia dicenda. Aliud etiam comperio incommodum in proponendis istis partibus, & diuisionibus, auditoribus, nimirum vt ex quatuor, duæ aliquando ita protendantur, vt fere hora terminetur, nec restet tempus ad alias pertractandas: ex quo fit vt sæpe auditores dum in illis tantopere immoratis, langueant harum desiderio, de quibus magis vellent audire. Tum etiam, quòd instante hora, cum proposuisse te quatuor partes meminerint audiẽtes, & videant te duas tantum pertractasse adeò fusissimè, soleant murmur excitare inuicem, verentes ne non modo horam, sed duas etiam eos detineas, ac remoreris. Sed hæc tota non cò spectat oratio, vt quemquam dehorter ab hoc proponendi, & diuidendi genere, quod & sæpe pulcherrimum est, & quãdóque etiam necessarium: sed quòd moneam modò quæ impendant pericula, & incommoda, tanquam in specula aliqua collocatus, vt ea cum opus fuerit valeas cautè, cordatéque deuitare, atque defugere. Video siquidem eas propositiones maximè dociles auditores reddere adeò vt facilè concionem totam mẽte concipere possint, & apprehendere, summis tãtum perceptis capitibus, ac propterea auditoribus vtilissimæ fere semper sunt, & quandoque necessariæ etiam oratoribus. Habere quidem eas diuisiones mente & cogitatione concepPericulo sum genus concionandi illud est, cumquis ad longũ totã concionẽ recitare cõ suenit, quã ita etiam edidicit.
tas, necessarium oratori est, vt memoriam iuuet, & sciat concionem artificiosè dirigere: & si quando periclitabitur, sciat quò debeat statim tendere. Nam concionem memoriæ commendare, eámque recitare vt vulgo dicitur, tanquam orationem cæci, singula verba ad longum edifcendo, oratorem arguit nouitium, & tyronem: imò periculosissimum genus concionandi id esse videtur. Fere enim videas eiuscemodi homines verbo vno tantum amisso, longáque serie, & continuata, abrupta, hærere, conticescere, pudefieri. Imò etiam noueris facilè eos passim offendere, cum quæritant verba ipsa, redeuntes ad idẽ verbum ter, quatérque: vel verba ipsa commutãdo, illud quod habebant in libello exaratum perpetuò quærendo sensum, parum curando, de verbis solicitudinem habendo: & tandem perturbatè loquendo, sine gestu, sine vi, & efficacia. Horum lapsus irreparabilis omnino videtur, cùm nullo vtantur artificio, neque portus vllos norint, ad quos tempestate impendente possint confugere, & enauigare. Quare omnino necessarium est per diuisiones quasdam, & subdiuisiones pauciss imas, quoad eius fieri poterit, totam concionem mente concipere: hoc enim modo maxima libertate quis concionabitur, memoriam iuuabit, gratus erit audientibus, & deniq; miro omnium applausu perorabit.

Schemata siue figuras rerum, vt ita dicam, materialium, multum memoriam iuuare.

CAP. VI.

SI Historiographis est adhibenda fides, plures olim nationes, & gentes, literas omnino ignorantes, vt præterita reminiscerentur, & futura prædicerent, quibusdam vtebantur figuris, & characteribus, alia, atque alia, quæ volebant in memoriã redigentibus. In quibus tam assidua meditatione, & exercitatione versabantur, vt illis inuicem suos conceptus intelligerent. nulla prorsus oblata litera, quæ posset legi. Ex quo aperte colligitur, multũ memoriam iuuare imagines quasdam, atque figuras, vt aliqua statim recordetur, quæ aliter nũquam meminissent. Præterea experientia etiam ipsa, rerum magistra, apertè cõstat, quod si aliqua gradientes via ad aliquod notabile signum deueniamus, vt ad aliquem puteum, aut insignem arborem, aut fontem, aut plateam, aut similem locum, facillimè recordemur eorum quæ tali loco nobis iam diu contigerunt, quãtumcumque hæc ex memoria abrasa sint, illa tantum plateæ, aut fontis specie, imagináque, oblata, quæ sola tantum potest, vt deletas species, aut obliuione sopitas, exsuscitet, & instauret. Quæ cum ita sint, operæ pretium fuerit de huiusmodi sensibilibus signis aliqua tradere documenta, & obseruationes: vt his tandem adiuta memoria, fideliot, & exptomptior efficiatur. Nec sanè omnia, quod nec possumus, persequemur: satis fuerit aliqua præscripsisse, & indicasse, quæ te manu ducãt ad alia complura tuo marte excogitãda.

Quibus signis & imaginibus reminiscemur inferorum.

CAP. VII.

SI in tuo sermone sis verba facturus de inferno, seu barathro, déque illo horrendo & sæuissimo igne, de cæcis illis tenebris: de crudelissimis tortoribus, de grauissimis in Deum blasphemiis, & de omni genere cruciatuum, & tormentorum, quibus æternum cruciantur impij: poteris menti proponere dumtaxat imaginem vastæ admodum, & horribilis fornacis, multis circundatæ fabris, qui interdum immittant, interdum extrahant candens ferrum, idémque grauissimis malleis contundãt. Poteris etiam miserrimæ animæ candentis imaginem tibi proponere, quæ in fornacem nunc immittitur, nunc è fornace extrahitur, malleísque contunditur, ac crudelissimis, & æternis suppliciis afficitur. Quod si lubet agere de prę potentis, et horrendi illius ignis actione: pones ob oculos nonnullas Vulcani voragines, quæ pluribus locis violenter erumpunt, quæque non sine maxima vicinarum gentium iactura scorias multas emittunt, ingentis magnitudinis & molis: vnde colliges quãto vehementior sit futurus ignis ille impiis destinatus. Sin autem acturus es de illa obscurissima, ac teterrima caligine, qua damnati obuoluuntur: confinges tibi obscurissimum quendam carcerem, horrendum, & vastum, quò lux nulla valeat penetrare, paratum tantummodò criminosissimis hominibus & flagitiosissimis, ac atrocissima morte damnatis, vbi catenis grauissimis constringantur, cõpedibus ponderosis impediantur, sordibus, & squalore conficiantur. Si de molestissimo illo fumo dicturus es, ne dicenda memoria effluant, propones tibi calcariam, aut fornacem lateritiam, amplissimum eam quidem & densissimum fumum exhalantem, propter lignorum viridissimorum copiam suppositam. Vnde colliges molestiam intollerabilem illius fumi, qui nullũ habeat fumale, quo possit egredi, & exilire. Quod si noles memoriam onerare tot imaginibus specialibus: poteris vnam tantum ex magis generalibus eligere, quæ te manu ducat in omnibus suppliciis nominatim persequendis, vt fornacem vnam poteris eligere, vel voraginem Vulcaniam, vel carcerem te-terrimum.

Quibus imaginibus reminiscemur cælestium.

CAP. VIII.

SI concionem habiturus es de gloria ac beatitudine cælesti, de præsentia ac maiestate numinis diuini, de sanctorum cætu, ac gaudio, de pulcherrimis illis sedibus, & mansionibus, de ciuibus illis angelicis: finge animo præpotentem aliquem imperatorem, ad cuius coronationem multi principes, & magnates, tum Ecclesiastici, tum seculares conuenerint, numerosa nobilium, & illustrium virorum, comitante caterua, longissimo & robustissimo astante exercitu, potenti equitantium turma: vbi videas etiam multos honorarios pueros, asseclas varios & perdidissequos magnificè ornatos. Imperatorem etiã tibi propones pretiosissimis indutum vestibus, in magnificentissimo locatum throno, ita vt iam iam diadema capiti imponatur, & sceptrum manibus præbeatur. Hinc concentus suauissimi tibiarum inaudiantur, illinc testitudines personent: nunc tubæ percipiantur: iam suauissimæ citharæ auribus iucundissimè influant, cantilenis omnia resonent: intuebere etiã varia epigrammata, & poëmata diuersa acutissimè excogitata. Hæc tibi rerum oculis subiectarum, & auribus, singularis imago, in memoriam reuocabit ea cælestia, & diuina, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, fiétque vt cũ de illis dicturus sis, magna celeritate menti occurrant. Ea inquam occurrant quæ ex libris sacris hauseris, & dideceris, ad cælestem illã beatitudinem commendandam, & diuinam maiestatem efferendam: in cuius visione cælicolarum omnium gloria consistit. Facilius enim animus huic terreno corpori immersus, recordabitur cælestia illa, omnis materiæ expertia, per rerum sensibus expositarum familiares imagines, & notiones. Quomodo etiam ita memoriam iuuabis, vt vno tantum imaginis proposito vocabulo, siue conceptu, venias in notitiam & cognitionem tam longi latéque patentis argumenti, quale est illud de beatitudine æterna, ac patria cælesti. Itaque si libebit in prima concionis parte vt homines à vitijs ipsis abducas, de extremo illo cruciatu, & inferno dicere: imagine tantum horrendæ fornacis concepta, & vocabulo illo, fornax, proposito, poteris cõcionem tuam ampliare, & memoria rerum copia non obruetur. Si etiam voles in postrema, vt homines ad virtutem inuites, de æterna beatitudine dicere: vel retro vicissimque in prima parte concionis de gloria, & in postrema de inferno, poteris id quidem proposita tibi tantum imagine potentissimi imperatoris in throno ipso sedentis, & commendato memoriæ illo tantum vocabulo, imperator, aut coronatio, aut conuiuium, aut alio simili: Ita efficies quidem, vt varietate rerum, & vocabulorum, memoriam non confundas, & amplissimam tibi concionem construas atque efficias. In memorijs autem istis & imaginibus, perpetuo curabis ea vocabula edisc enda, quæ statim ipsis modo conspectis, tibi ampliores poterunt materias offerre, & indicare, non autem ea quæ non ita generalia videbuntur, cum minus memoriam iuuare possint. Nã certum est vocabula illa fornax, aut carcer, te facilimè in infernorũ perductura notitiam, & vocabulum conuiuium, aut coronatio, vel thesaurus, in cognitionem supernorum. Nec me latet, ad prædicandum de his rebus, nempe de beatitudine, & inferno, hæc eadem vocabula videri accommodatiora, & magis statim memoriam iuuantia, nempe infernus, gloria, aut paradisus. Sed tamen ad materiam ipsam inueniendam accommodatam, & ad dilatandum, & enuntiandum conceptum, quem habes de gloria, aut inferno, præstabiliora multò sunt illa, coronatio, aut carcer. Adde quod nos modum demus, & normam huiusmodi imagines conficiendi, & illa vocabula pro exẽplis adduxerimus, ad quorum imitationem poterit vnusquisque commodiores sibi imagines confingere, ad memoriam facilius iuuandam. Hoc enim dumtaxat nos intendimus, & hoc est institutum nostrum nimirum tradere tantum obseruationes quasdam, imaginibus inueniendis deseruiẽtes, quibus memoriam alioqui immemorem fortassè futuram & minus exercitatam, iuuemus. Tu hoc modò conaberis, quibuscunque illud præstes imaginibus, & remediis. Nam eò inuenta sunt signa ipsa, & eò traduntur præcepta ab auctoribus, vt à Cicerone in Tusculanis, & alibi, item à Quintiliano in suis institutionibus Oratoriis. Et etiam eam ob causam solent sæpè multi vel annulum apponere in digito, vel filo digitum circumligare, nodóque adstringere cingulum, & similia: solùm id curantes, vt recordentur modò rerum ipsarũ, & memoriam iuuent, quod est, vt dixi, dumtaxat nobis propositum institutum.

Generalioa sit semper vocabula seligẽda, & quę statim cõcepta fenestram aperiant ad plura videndã.

Quibus imaginibus memoriam iuuabimus cum de tremendo iudicio sermo erit futurus.

CAP. IX.

QVod si de extremo iudicio es concionaturus, quod terribile existet, præsertim impiis, propones tibi actum aliquem iudicialem tremendum, maximè qualis præcæteris esse solet sanctæ Inquisitionis actus. Vbi videas magnum populorum concursum, eminentia Theatra, suis distincta sedibus: positum in medio sacro sanctæ Crucis tremendum vexillum, separatos reos alios ab aliis: alios ex his videas etiam circundato collo fune, alios aliis horribilibus præditos insignibus. & denique cætera videbis vehementissimum quendam terrorem incutientia. Præsertim vero patres illos grauissimos, iudices irreuocabiles: à quorum sententiis non datur remedium, non valet deprecator aliquis, non est locus preci, aut pretio, quos videbis seueriſſimo vultu. Videbis etiam fitmâ illam & constantem protestationem, solemnéque iusiurandum fieri ab ipso Rege si adsit, aut Prorege, aut quocunque vices Regis gerente, vnà cum regni proceribus ibi præsentibus, & reliquo populo, qui iureiurando promittunt se in omnibus sanctæ Inquisitionis officio esse fauturos, & nulla vnquam ratione contradicturos alicui rei, ex his quæ ibi sunt firma sententia condemnandæ: quod sanè permagnum non tantum intuentibus, sed etiam audientibus dumtaxat, terrorem incutit. Post hæc verò terribilius adhuc sequitur spectaculum, cum incipiunt promulgari reorum delicta, qui è suis sedibus euocati ad medium Theatrum accedunt ibique scelera sua pleno spectant Theatro, audiunt, magna cum ignominia, & pudore, nudato capite, nullo eorum audito verbo, aut emendandæ vitæ protestatione. Quis non maximè confuderetur, vellétque è vita esse sublatus, aut intimis terræ viscéribus occultatus, antequam ita publicè coram omnibus reuelata audire scelera sua immania & atrocissima? Promulgantur tanquam infames vnà cum filiis: declarantur inhabiles ad aurum, sericúmque gestandum in vestimentis, & ad quæcunque grauia, & honorabilia munera atque officia. Spoliantur nobilitatis vestibus, & ignominiosis induuntur: brachio etiam seculari, pro delictorum qualitate, amandantur: & tandem sine mora carnificibus traditi, in voracissimas coniciuntur flammas. Hæc tam terribilis iudicij imago, te procul dubio manu ducet ad terribilius illud extremum iudicium reminiscendum, & cum suis partcularibus etiam minutissimis explicandum.

Qua contemplatione memoria iuuetur cùm de morte sis concionaturus.

CAP. X.

QVod si de morte dicturus fueris, déque eius extremis miseriis: fac tibi ob oculos statuas hominem quendam vita functum, in medio solo locatũ, funebri panno obuolutum, manibúsque, pedibúsque constrictum: natiuo colore priuatum, pallido verò præditum, teterrimo vultu, & cadaueroso, horrendóque omnibus intuentibus, miserabili etiam, & luctuoso præsertim cognatis omnibus, affinibus, & amicis: domum tristem ac magno mœrore plenam, ostia lugubribus obducta vestib⁹. Quosdã suppressis lachrymis pectore mœsto, alios expressis semimortuos. Propones tibi flebiles cymbalorum sonos, tristes sacerdotum concentus, vehementia comitantium suspiria, fletus, eiulat⁹, longa agmina tum præcedentiũ, tũ subsequẽtium pauperũ funeralibus ornatorũ. Feretrum ipsum atro opertum panno, variis mortis cadaueroſæ & sæuæ, distincto insignibus. Cadauer traditum vilibus & abiectis funeratoribus; immissúmque in atrum & horrendum tumulum, vermibus cõfertum, & fœtidis aliis cadaueribus: exutum omnibus ornamentis, ac nudum, obuoluto tandem grandi lapide: & ita circunclusо, & obsepto, vt nulla intus fieri possit exhalatio aut respiratio. Hic sanè conceptus & imago tibi fere singula quæ de morte dicturus fueris in memoriam rediget, ac reuocabit. Quod si aptius aliquid inueneris, aut videbitur tibi satis aptum vocabulum illud, Mors, libenter gaudebo mihi, quòd digitos solum in fontes intenderim (quod nostrum solummodo est institutum) & tibi gratulabor de tuo bono, & commodo, quòd aut per teipsum, aut his excitatus præceptiunculis, siue obseruationibus, memoriam iueueris, & promptiorem reddideris.

Quibus considerationibus pœnitentia, aliáque permulta possint in memoriam reuocari.

CAP. XI.

DE pœnitẽtia acturus, meditabere & mente recoles diuinum illum Hieronymum ab hominum frequẽtia summotum, nemorosis in montibus, ac desertis solitudinibus, constitutum; leonibus aliísque feris immanibus constipatum, sæpe belluarum horribilibus vlulatibus excitatum, & commotum, perangustas, cauáſque speluncas incolentem, inopem, nudum, immutata facie, ac toto corpore, in atrum quendam colorem, tum propter æstus immoderatos, tum propter Aquilonis sæuitiam, & vehementiam: macilentum, inedia, & fame confectum, ossibus vix hærentem. Meditabere eum immani saxo pectus tundentem, ingemiscentem, dies, noctésque orationi vacantem: corpus spiritui subiicientem, crudis oleribus, & simplici ac impermista aqua, victitantem: etsi quando coctis, insipidis omnino, & sine condimentis. Meditabere eum, quamuis, exãguem, & propè mortuum, nunquam otio vacantem, cum aliquid perpetuò scriberet: nunc enim epistolas mittebat ad amicos, eos inuitans ad pœnitentiam, & sanctissimum illud vitæ traducendæ institutum, nunc verò monumenta alia singulatia componebat. Impellebat autem omnes, vel inuitabat planè suo illo parcissimo & seueriſſimo viuendi genere, tanquam auicula in auiario concluſa, quæ concentu suo cæteras aues ad se allicit, & aduocat: præ summo æternorum ac cælestium amore, scribens se quidem vere floribus illis amœniſſimis oblectari, æstate saluberrima aura recreari, autumno incredibiliter iuuari, & tandem sæuiente hyeme foueri, atque defendi commoditate illa loci, atque aëris clementia: adeò planè vt delicias omnes vrbis, quibus alij inescabantur, ipse contemneret & aspernaretur animo, oculis fugeret, auribus respueret, cogitatione perhorresceret. Poteris etiam contemplari, si voles, austeritatem, & parsimoniam in victu, & vestitu, præcursoris Christi Ioannis. Item pœnitentiam illius peccatricis Magdalenæ, & pœnitentiam Mariæ Ægyptiacæ, & similium: per quorum vitas si mente excurreris, ampliſſima dicendi de pœnitẽtia materies memoriæ tuæ facili negotio repræsentabitur. Si loqui voles de rebus in marigestis, poteris oculos conijcere in nauem, aut triremen quandam: vt si velis dicere de tempestatibus, præliis nauálibus, & aliis huiusmodi. Si de pugna terrestri, cõstitues tibi armatum alíquem hominem aut munitam aliquam phalangem. Si de re ad Remp. pertinente, intuebere imaginem alicuius ciuitatis. Si de rebus Astrologicis, propones tibi sphæram. Si de rebus multarum prouinciarũ, aut regnorum, obiicies tibi Mappam mundi. Si de rebus ad emptio

emptionem, & venditionem, spectantibus, subiicies nundinas aliquas. Si de sterilitate aliqua, & annonæ caritate, repræsentabis tibi famem illam maximam tempore Heliſæi prophetæ, aut sterilitatem Ægypti tempore Ioseph. Et ita in cæteris te geres, quæ tu ad horum imitationem tibi poteris confingere.

De variis inuentis adiuuandæ memoriæ.

CAP. XII.

IVuat quidem, alit, auget, & exercet memoriam rerum quas didiceris, consideratio diligens ordinis, & connexionis, qua sibi inuicem copulantur, & connectuntur: hoc est si cogitationem reflectas, & diligẽter animaduertas hanc esse primam, illam secũdam, aliam tertiam, vel hanc vltimam, illam antepenultimam, tertiam penultimam. Prodest etiam memoria tenere qua parte schedæ singulæ concionũ clausulæ collocentur, an principio, an medio, an inter principium & medium, an in fine, aut non procul à fine: à fronte folij, aut à tergo, & id vel initio vt dixi, vel medio, vel fine. Magno sunt etiam adiumento aliquæ diuisiones, notatis atque expressis in margine schedæ, in qua abbreuiatus sermo continetur quibusdam numeris, atque subinde tenendo memoriter, in numero tali hæc & hæc, dicenda continentur: & illo numero, illa, & illa, infigendóque memoriæ talium numerorum figuras, & numerum rerum dicendarum in singulis eorum. Vel etiam per margines schedæ describes aliquas ex vocalibus literis, eas mente reuoluens, & exprimens: in litera a, hæc, & hæc, sum dicturus: in e, hęc & c. impressis talibus literis in mente, maiusculis, siue Latinis, siue Græcis, vt tuo magis accómodabuntur ingenio. Vel imprimas caracteres aliquos, qui quod cupis tibi significent: vel obiiciantur aliquot animalia, quæ à te elaborata, & commendata memoriæ, repræsentent quæ velis, vt serpentem finges, si de prudentia sis acturus. Si de fortitudine, leonem: si de obsequio parentibus exhibendo, ciconiam. Si de gratitudine, & fidelitate, canẽ. Quòd si velis agere, & tractare quòd boni ex quouis etiam malo, bonum eliciant: propones tibi apem. Si contrà, quòd impij etiam ex bonis eliciant malum, finges tibi araneam, si de cuiuspiam velocitate rei dicere lubet, meditabere aliquã auem velocissimam, aut alas quasdam. Et ita in cæteris te geres, quæ tu his manuductus admonitionibus poteris tibi confingere. Hæc enim imaginationi impressa, obseruatis eorum proprietatibus, statim in mentem quod quæris reuocabunt. Præterea memoriam maxime nutries, & augebis in auctoritatibus retinendis, si vigilanti animo aduerteris quidnam prima singulatum clausula habeat, hoc est quænam sit dictio prima, aut litera prima, fabricabísque tibi in mente eam literam primam. Mihi planè contigit, vt cum auctoritatem quandam, qua egebam in concione, nunquam possem retinere memoria, aut saltem summa cum difficultate, proposita mihi litera prima, succurreret ea statim, cũ tamẽ ante eam imaginem nunquam posset occurrere. Illud ipsum etiam mihi contigit in quadam alia auctoritate, vt scilicet ipsa per se nunquam suo loco mẽti succurreret, proposita verò & imaginata prima eius dictione, statim occurreret, vt intelligas quantum iuuent huiusmodi fabricæ & architectationes, siue ideæ. Sed quid multis opus est? Hoc tibi persuasum velim habeas, memoriam ipsam humanam ex se labilem, & obliuiosam, quantumcunque tam felix alicui contingat, quam felicem Philosophum Simonidem, ducẽ Themistoclem, oratorem Hortensium, Reges, Cyrum, & Mithridatem, & denique Imperatores, Iulium Cæsarem, & Adrianum habuisse, verissimis, & immortalibus historiis, ad posterorum recordationem, proditum legimus: semper tamen iuuandam esse, alendam, augendam, & exercendam, quibuscunque remediis, & fomentis: & eam præsertim, quæ cócionandi muneri est applicanda. Hoc enim munus & negotium adeò graue, operosum, & arduum est, adeò multis impedimentis, inopinatis, & improuisis interpellatur, & afficitur, vt sæpè quod fideli continebas memoria magis, id minus subueniat: quod autem minus, illud succurrere soleat, & euenire. Illud interim fac tibi semper ante oculos proponas, ignauum otium memoriæ omnino inimiciſſimum esse, exercitationem verò adeò familiarem, & nutricem esse memoriæ, vt quò magis eam exercueris, eò magis (quod in ferro accidere solet) splendeat, & eniteat. Ex quo non mireris tantá Iureconsultos vigere memoria, vt innumerabilia doctorum loca, ex promptа, & præsenti memoria producant; cum præsertim exercitatiſſimã ea in re sibi eam reddere semper studeant, atque nitantur.

Vt reuocabuntur in mentem numeri citationum.

CAP. XIII.

VT reuocentur in mentem numeri capitũ, vel quorumcunque tractatuum, multis remediis vti soleo. Quandoque enim mihi propono monetæ numerum, & valorem: vt si sit caput 12. propono mihi solidum vnum, vt aiunt. Si sit 14. confingo argenteum nummum, & ita in cæteris. Propono etiam mihi (vt intelligas quã probe nouerim memoriam esse necessariò iuuãdam quibuscunque remediis) illud quod populares solẽt, nempe quod si sit caput tertium, in mente habeam Trinitatem: si quartum Euangelistas, si quintũ, Pentateuchum. Si sextum, Hydrias illas nuptiarum: si septimum, septem dona Spiritus sancti, si octauum, numerum dierum Circunci ſionis. Si nonum, nouem choros Angelorum. Si decimum, decem præcepta decalogi. Si vndecimum, horam vndecimam illius Euangelij de vinea. Si duodecim, duodecim Apostolos, & ita me gero in cæteris pro virili inueniendis remediis. Interdum etiam mihi propono planetas, nonumquam signa Zodiaci. Aliquando si numerus est senarius, confingo astra fixa esse distributa in sex magnitudines. Si quindenarius, reminiscor per quindecim astra primæ magnitudinis: si sit quadragesimus quintus, memoriam excito per numerum secũdæ portionis, & ita in cæteris. Aliquoties soleo, si numerus sit septenarius, examinare eum numerum mente: & si sit numerus etiam ex eo multiplicatus, idem præsto, vt si sit 14. 21. 28. 35. 42. 49. & ita in cæteris numeris cõsueui. Sed vt verum fatear, inter hos omnes modos, ille, qui facillimus est, mihi videtur excellere: videlicet quod si sit caput octauum, confingas tibi, & proponas tantum menti notam istam communem 8. si nonum 9. et sic de reliquis. Quod si contigerit vt numerus vnus à te citandus sit 12. et alter 21. inuersis notis vtrumque caput mente tenebis, 21. 12. Et hinc tibi aperietur fenestra ad similia videnda. Aliæ autem Arithmeticæ notæ, quæ adferri solent, ad hoc negotium inutiliores sunt, cũ sint longiores: hæ enim quas attulimus sunt multò breuiores, & propterea memoriam magis fouentes, quæ breuitate gaudet.

Quinam abundarint felicissima memoria.

Quenam esse possit causa, præter dictas initio libri, quòd memoria inter concionandum perturbetur.

CAP. XIIII.

Causa

CAusa præter eas quas commemorauimus quòd concionator memoria sæpe excidat,& perturbetur, ita vt materiam suam connectere, & ad institutum redire prorsus nesciat, illa etiam esse consueuit: quod præter ea quæ studuerat, & sibi proposuerat dicenda, velit statim conceptum quēdam accommodatum, derepente occurrentem, interserere, & commiscere. Nam quāuis conceptus ille initio apposītè quidem quadret, & memoriam minimè conturbet: tandem tamen eū paulò prolixius insequendo, ita memoria vaga redditur, & errabunda, vt ad id vnde excurrerat, regressum nullum adinueniat. Quare omnino cauendum est minus exercitatis in hoc genere, ne cum huiusmodi conceptus, etiam accommodatissimi, occurrerint, eos censeant interponendos: tum ob periculum memoriæ amittendæ, tum ne quid absurdi redeundo ad instituium, proferant, atque pronuntient. Quod si quando forte commoditate maxima, aut necessitate compulsi, conceptum illum, & digressiunculam à suo studio & instituto, proferre coganrur: aduertent semper vigilanter, & excitate, vt refricent sæpè memoriam illius rei, à qua discedunt, ne omnino effluat: & vt perbreuis sit digressio, ac tandem apposite cum initio, tum in fine accommodata. Plura alia de hoc toto argumento dici poterant, sed pauca quæ attulimus putauimus necessariò admonenda, vt his perceptis quisque cætera sibi pariat: noster ad alia properare debet calamus. Atque hæc de quarto libro,

LIBER QVINTVS, VBI AGITVR DE MODO QVEM IN SVGGESTO CONCIONATOR SERVARE DEBEAT.

Quòd necesse sit ante suggestum diligentiam adhibere, vt singula accuratè emendentur, atque ad limam & pondus reuocentur.

CAP. I.

HActenvs tradidimus quo pacto componēdæ, & ediscendæ conciones essent: restat nūc doceamus quo modo declamari debeant, & prædicari. Quam rem paulò altius repetentes, asserimus maximè quidem oportere, vt antequam suggestum cōcionator conscendat, his quæ sequuntur sese muniat, ac præparet. Primum enim necesse est, vt qui tam longum consumpsit tempus in concione componenda, & ediscenda, breue aliquod sufficiens impendat in ea examinanda, & ponderanda, num aliquid contineat quod sanè dici non possit, vel colorem quendā habeat doctrinæ non sanæ, vel malè sonet, vel indigeat vindicari à prauæ doctrinæ suspicione, & consolidari, vel latius explicari, aut prorsus abscindi. Videbit etiam num contineat aliqua arrogantia, præsumptuosa, petulantia, aut alia mala vndecunque manantia, siue ex aliqua cupiditate, vel nimia affectione, vel vanitate, lucri amore, detractione, aut vindicta propria. An reperiantur verba non satis honesta & pudica, & quæ ad prauas interpretationes detorqueri queant. vel aliqua quæ synceram loquendi normam frangere videantur. Id omne igitur delere, ac rescindere debes, & quidquid humanam, sæcularémque vanitatem sapere iudicabis. Mox verò sermonem ipsum, tāquam si Christus dominus tuis oculis oblatus esset, & teipsum emendaturus audiret, recitabis: & quæ ab illo, si sic præsens adesset, corrigenda, & rescindenda fore existimaris, ea omnia tuipse corrigito, & rescindito. Deinde hora iam instante, accepto pallio, aut superpellicio, ad sacram orationis anchoram accedes, & ante dominum prouolutus, à cuius largissima manu tum gratia, tum cætera bona detiuantur, supplici eum prece obsecrabis, vt quidquid dixeris ad suam gloriam, tuámque ac proximi vtilitatem, esse velit, Non fides tuæ eruditioni, artificio, aut studio; sed te totum illius auxilio, potentiæ ac nutui subiicies. Supplex postulabis te præpotenti illius manu teneri, cōseruari, ac foueri. Petes etiam vt cor inflammet, affectum moueat, sensus excitet, linguam gubernet, audientium animos moderetur, præparet, atque disponat, quò sermo fructum faciat, & tuus labor suo nō frustretur fine. Conabere etiam tu obnixe vt cor tuū amore proximi ardeat, & oculi tui lachrymis perfundantur, præ illius miseria, cui tua misericordia niteris opem ferre. Tandem benedictionem postulans à Deo Opt. Max. omni humilitate, & reuerentia, ac si ipsum oculis cerneres, discedes profundissima inclinatione facta: referens verba illa beati Petri Apostoli: in verbo tuo laxabo rete: Perges autem recta ad sacellum, vel alium locum concionatori constitutum, omni grauitate, ac decenti incessu, considerans semper quò procedas, quidúe acturus sis. Quando vero locum illum Symboli inaudieris: Et homo factus est, flexis genibus, magna deuotione, & attentione, recoles breuiter singularem Dei in nos amorem: cogitabísque iam de deuotione, timore, ac reuerentia, qua suggestum ipsum debes conscendere, versaríque in tam sanctissimo loco. Quo decenti timore, ac reuerentia animo concepta, & exteriori honestissima compositione demōstrata, demissis oculis, lento gradu, contemperato vultu, hora opportuna, cum tuo comitatu ad sacerdotis benedictionem miti, ac submissa voce petendam, accedes: aut si adsit, ad Episcopi, vel superioris benedictionē, qua concessa, manuum oscula vrbanè, humilitérque petes. Hinc verò ea grauitate, & decentia, quæ talem ac tantum Dei ministrum decet, ad suggestum ipsum accedes: in quo genua etiam flectes, ad altare ipsum conuersus, ambobúsque manibus, si libet, vultum obtegens, ac tuam concionem in memoriam rediges, quo vsque Offertorium terminetur, totum Theatrum conticeat, strepitus omnis cesset, silētium vndique adsit.

Quæ sint à concionatore præstanda vbi primum in suggesto se erexerit.

CAP. II.

FInito autem Offertorio; dum conticuere omnes, intentíque ora tenuerint, magna grauitate cōcionator assurget, séque erectum statuet, ac collocabit. Moram faciet aliquantulam, modestéque oculos per vniuersum Theatrum

Theatrum circumferet, & id quidem non tam alicuius ornatus, aut consuetudinis causa, quàm vt videat quem modum compositionis corporis, & vultus seruare debeat, iuxta Theatri situm, & consessum: & quò tandem oculos præcipue configere debeat, ne cogatur nimia corporis agitatione, hac illac excurrere, sed eum omnes quā cōmodissimè audire queāt. quibus obseruatis se sacro signo crucis, vt moris est, muniet, voce mediocri, ac deuota, ita vt ex prædulci, sanctóque cordis affectu, verba procedere videātur, thema etiam suum pariter proferet. Noli autem te tunc curiosius expolire, ac componere delicatulè. Nec videtur tunc decere tussi grauitatem, aut aliud simulare, neque in tua compositione artem ostentare. Et minus decet fucatam quandam, & affectatam nimiū vultus & sermonis seueritatē simulare, quod quidam faciunt: adeò vt iam alij prorsus esse videantur. Non consumes igitur frustra tempus in huiusmodi rebus parum vtilibus, sed natiuo tuo vtere sermone, natiuóque gestu, nullis irrisionibus, & ludibriis expositō: curans dumtaxat decentem quandam grauitatem, & auctoritatem conuenientem illi muneri, & loco. Verba etiam thematis non proferes tarda nimis, & suspensa, pronuntiationéque affectata, sed decenti, & cōtemperata. Nam non modo verbis, & doctrina, auditores ipsos instruere, & informare debes, sed etiam gestu, motúque decenti totius corporis: ita vt singula ad virtutem alliciant, & inuitent vniuersum Theatrum. Aduertes quòd omnes te vnū in tanto cætu contueantur, te tanquam doctorem suum, & patrem reuereantur: omnium cogitationes & oculi in te coniiciantur. Quo tibi proposito, & illa præterea cogitatione addita: quòd ante diuinum numen tremendum, & adorandum, constitutus sis, & quòd eius nomine causam istam, & grauem prouinciam ceperis: nil omnino indecēs, nil inhonestū, nil incompositum præteferes, sed omni decentia, & honestate teipsum geres, populóque exemplar eris omninis eruditionis, atque virtutis. Qui quidem eò confluxit te auditurus, vt non modò eruditionem, & doctrinam hauriret: sed etiam decentem dicēdi modum, conuenientémque totius corporis gestum, & contemperationem addisceret, internam arguentem virtutem, atque animi probitatem.

Quo pacto sit auditorum captanda beneuolentia.

CAP. III.

CVra illa, & nimia multorum solicitudo, dicendi initio hoc, vel illo modo magis exquisito, ad captandam beneuolentiam, nūc sacra Catholica Regia Maiestas, nūc potentissime domine, iam serenissime princeps, vel illustrissime, interdum Reuerentissime domine, & sic de cæteris, mihi certè nunquam placuit, imò etiam à quibusdam nonnullis adductis rationibus reprehendi videtur. Primùm quòd cum citra vllam reprehensionem laudabiliter dicat concionator in progressu, vos Christiani, vel vos peccatores, quorsum tanta cura adhibenda est, & sæpè etiam pertractio totius concionis, & mentis, ad deligendas statim initio illas salutationes? deinde etiam dicunt quòd quemadmodum ante principem aliquem & summum dominum terrenum, eius subditos, & seruos, non appellamus dominos: ita non videtur conuenire, vt ante regem regum, & dominum dominantium, aliquem dominum appellemus. Possunt etiam præter has rationes aliæ adferri non minus commodæ; nimirum quòd in cogitando quinam adsint in Theatro ita salutandi, & præterea in illis contuendis, & locis, vbi consideant, possint cōcionator perturbari. Tum quòd non videatur decere grauitatem & maiestatem doctrinæ Euangelicę, quam prædicaturus est orator sacer, vt in his salutationibus, quæ videntur nescio quid tertenum sapere occupetur concionator. insuper etiam quia cūctus populus videtur eas consalutationes, & tale salutandi genus sinistrè interpretari, & id tribuere vel leuitati, vel saltem nescio quid amittunt hoc modo deuotionis, & feruoris, nempe tanta reuerentia videntur prosequi cōcionatorem. Adde quòd ita dominatur iam ambitio, ita omnes ambiunt titulos excellentiores quoſque, & nomina honorificētiora, non contenti honorificis, & conuenientibus suo statui: vt periculum esse videatur, ne dum his salutationibus orator beneuolentiam captat, maleuolentiam potius captare, imò statim referre videatur, eorum quos salutarit. Aduertunt enim illico non modò ipsi, sed etiam cæteri, num vocabulo dominationis, aut excellentiæ, & sic de cæteris, vsus fuerit, vnde non rarò inimicitia, & inuidia, excitatur. Qua vna re quid magis alienum ab Euangelica doctrina pacifica, & quiera, & officio concionatoris magis contrariū potest excogitari? Quorsum abundat lachrymis ante concionem, quorsum tam intentus est fructui faciendo, & reportando ex sua concione, si ex ea huiusmodi salutationibus inuidiam potius, & maleuolentiam sibi conciliat? Age verò, quis eum constituit iudicem, & distributorem horum titulorum, vt hunc illustrem, illum illustrissimum, alium dominationem, alium excellentiam, omni adhibita cura, debeat appellare? Discat potius exemplo Christi, diuini concionatoris, qui se noluit intermiscere in iudicanda quorundam fratrum etiam litigantium, possessione. & non curabit inter mundi amatores, titulos clariores ambientes, definire, & distribuere honoris gradus. Non erit posthac interpres legum istarum mundanarum, cùm mundo sit iam mortuus, & crucifixus. Non committet vt suggestum ipsum, locus pacis, & concordiæ, locus humilitatis, mortificationis, & contemptus sui, sit seminarium, & fomes ambitionis, nutricula inuidiæ, segésque omnis discordiæ & inimicitiæ. Age porrò, præter superiora mala numerata, an non vides etiam quem tibi attentum seruare populum semper debes, inquietum vel initio statim esse, quousque viderint, & obseruarint, quem nam appellaueris dominationem, aut illustrissimum, in eum oculos statim coniiciendo, imo & eidem (quæ praua est hominum natura) sæpè etiam inuidendo, & detrahendo? Hunc lacerant, eiusdem facta vituperant, de maiorum existimatione detrahunt, maledictis denique, & conuitiis afficiunt, adeò vt complures, vel audiendis tantum his occupati, immò dumtaxat sæpè propter narrantium murmur, & strepitum, vix dimidiam secum concionis partem referant, atque reportent. Quid præterea dicam de eo, qui ita honorifice salutatur, quàm perturbari possit, & quàm conceperat attentionem amittere, videns omnium oculos in se coniectos, & se vnum inter tam multos, vtroque, vt aiunt, indice, designant. Hæc in eam partem interpretanda esse volo, quòd scilicet præ nimia harum salutationum cura, ac solicitudine, non debeat concionator angi, aut sepipsum perturbare, præsertim cùm quædam genera salutationum commodissima, quæ adferam, sine vlla reprehensione, cuicunque possint sufficere theatro. Non autem quòd censeam omnino negligendas eas salutationes, quibus saluratur vel summus Pontifex præsens, vel Imperator, vel Rex, vel proprius Episcopus illius Diœcesis, aut denique dominus talis

Fusissimè docet quo tandem modo sibi theatri beneuolentiā conciliare debeat concionator.

loci: laudabiles enim sunt illæ salutationes, non autem minutissimæ aliæ: & omnes denique quæ potius videntur obesse, quàm prodesse. Quare hic esto generalis, & neminem offendens, salutationis modus, & captandæ benevolentiæ aptissimus, Christianissimi auditores, vel auditorii Christianissimi, aut Amatissimi, fratres aut fratres, pretiosissimo Christi sanguine redempti vel similes. Deinde verò subiicies, fundamentum nostræ concionis scribit talis Euangelista tali capite; cuius sensus nostro vulgari sermone talis est.

Qualis salutatio ad beatam Virginem esse debeat.

CAP. IIII.

SAlutatio ista semper aptè deduci debet vel ex Thematis verbis, vel ex alio Euangelij decantati loco, vel saltem super illo argumento de quo est concio, futura erit: aliter enim in reprehensionem incurreret. Quemadmodum enim reprehensione non caret, non habere concionem vel de Euangelio quod cantatur, vel de præsenti festiuitate: ita etiam salutationem habere omnino dissonam, & alienam ab instituto. Talis enim salutatio potest dici, vt vulgus loquitur, salutatio de mantica, vel salutatio communis, quæ singulis concionibus consueuit applicari: & nullum vnquam sibi potest inuenire quadrantem locum, & natiuum. Solent enim multi tum salutationes, tum cõciones, sibi effingere, quas vocant communes: & eas cuicunque Euangelio, & festiuitati applicant, ac etiã theatro, cum nihil magis alienum sæpè, imo sæpissimè soleat accidere. De quibus plane dici potest illud Virgilianum, dat sine mente sonũ: & illud quod de Iouiniano D. Hieronymus refert lib. 1. aduersus Iouinianum to. 2. Quæ sunt hęc portenta verborum? quod descriptionis dedecus? nonne vel per febrem somniare eum putes, vel correptum à morbo phreneticò Hippocratis vinculis adstringendum? pudeat iam posthac huiusmodi homines, qui hoc in vsu & consuetudine habent, & pro talibus iam fere ab omnibus noti sunt, suggestum conscendere, & Cantilenã eandem semper canere, vt est in prouerbio. Aut emendent, emendent se iam, si emendationis locum habent vllum, excitent ingenium, & studium, labores sustinere aliquos non pigeat eos in doctoribus euoluendis, in suis concionibus immutandis, in nominis iactura ex negligentia forte contracta, diligentia compensanda, & sarcienda. Non est sanctissimum suggestum gymnasium, & ludus histrionum, vbi eadem fabula millies recitatur. Non applicetur iam posthac concio diei Cinerum Dominicæ in Albis, & quæ est Dominicæ in Albis, festo alicuius martyris, aut Natiuitati Domini. Habeatur etiam ratio loci, & personarum audientium. Velle enim omni loco, & tempori, rem aliquam, citra vllum discrimen, accommodare, grauiter reprehensum est à D. Gregorio libro 30. Moralium, capitulo 6. & in prolo. tertiæ par. Pastora. Et certe huiusmodi salutationes, & communes conciones, statim à prudentibus, & mediocriter tantum doctis deprehenduntur, tametsi subtiliter excogitatæ sint, & artificiosè: quẽadmodum accutè intellexit, prudentérque iudicauit, & facetè, de quadam salutatione quidam religiosus. Cui cum narraretur quendam concionatorem pulcherrimam habuisse, & præmisisse salutationem, in qua cõsinxerat venationem, explanauerátque quid venatores, quid canes venatorij, quid denique cornus significaret, & omnia accommodauerat ad beatissimam virginem. Næ, inquit ille, hic concionator sua ista venatione pluries defatigauit canes, quàm vixerim ego annos. Ingeniosè, facetéque significans, sæpissimè fuisse vsum talem concionatorem huiusmodi salutatione. Quidam etiam salutationes adeò tritas, & percantatas, præmittunt, vt fere melius quiuis auditor eas recitare, quàm concionator, præ tam crebra auditione, posset. Tales sunt salutationes quę adducunt Bersabee, vel mulierem Thecuitidem, alteram pro Absalon intercedentem, alteram verò pro Salomone. Item salutationes quæ proferunt reginam Hester pro suo populo deprecantem coram Rege Assuero: vel Rebeccam quando tractabat vt Isaac benediceret filio suo Iacob, & similes. Quamobrem vt hæc incommoda vitentur, nasci debebit salutatio ex ipsomet Euangelio, vel festiuitate, vel denique argumento de quo est concio futura: aliter enim præstabilius est sine salutationis exordio, statim proposito themate diuinam gratiam implorare. Debebit etiam salutatio esse breuis: nam vt optimè quadrans, & pulcherrima, si breuis fuerit, auditores maximè delectat, & deuotionem excitat, ac gustum quendam suauissimum, ita si longa, offendit maximè, & molestissima esse solet. Nonnulli consueuere loco salutationis totũ breuiter Euangelium explanare, sed hoc post salutationem commodius fieri posse videtur: neque nunc nos de huiusmodi salutatione disputamus.

Inuehitur in quosdam cõcionatores, qui eandem semper cantilenã canunt.

De quibusdam vitiis, in quæ nonnulli concionatores superpelliciis induti labi solent.

CAP. V.

MVlta vitia, aut indecori gestus, solent sæpè notari in concionatoribus, tum Clericis, tum Religiosis. Ac primum in his qui in superpelliciis concionantur, notari solet quòd vix vnquam bene compositi, & ad arbitrium suum, soleant ad suggestum ipsum accedere: sed potius in ipso suggesto tempus consumãt in superpellicio duplicãdo, & reduplicãdo: in manicis contrahendis, aut distrahẽdis, & aliis huiusmodi compositionibus, quibus audientes sæpè molestia afficiuntur. Nam videas quosdam superpellicium extendentes per totum suggestum: alios etiam sudariolum apponentes, vel opponentes potius oculis omnium in angulo aliquo suggesti, & maximam curam ac solicitudinem adhibentes, vt elegantissimum sit, ac curiosè sæpè elaboratum. Nonnulli subuculæ collare artificiosè componunt, & ostentant, manicásque eius foras educunt, atque subinde ad pallam ipsam siue togam inuertũt. Alij aciculas multas educunt, eásque cum vidẽrur, affigunt, & resigunt: alij lẽtè, & segniter, tandem aliquando compositi, se sacro crucis signo muniunt, non minus tardè, & lentè, screántque prius, atque expuunt, adeò vt iam populus de huiusmodi screatibus prouerbium sibi illud effecerit, dicens, optima futura est concio ista, quia concionator screat, & expuit. Alij etiam præter hæc omnia adeò submissa nimis, & exili voce thema ipsum proferunt, vt illud sub secreto alicui committere videantur: & tandem eo non minus submisè explicato, salutãtes auditores, ita delicate caput aperiunt, subindéque opetiunt, vt his omnibus præstãdis, bteue horæ tempus, vtilitati audientium & eruditioni destinatum, frustra consumant. Hæc non eo spectat oratio, vt censeam non esse vtendum moderata, & decenti compositione, pro cuiusque habitu, & vestitu, & ea denique elegantia, quæ videatur tũ conuenire: sed quòd anxiam & motosam multorum curam in his omnibus, & similibus, nulla possim ratione approbare.

De

De nonnullis vitiis in quæ quidam incidunt cum palliis concionantes.

CAP. VI.

GOntemplat⁹ sum præterea vitia aliqua in his qui cõcionando pallia gestamus. Quidam enim vtrosque pallij defluentes angulos ita è suggesto demittunt, vt audientium qui suggesto adhęrent, capita propè contingat, eósque ita circumferunt, & ventilant, vt signifer vexillum ipsum distendere solet, & circumagere. Hic planè concionandi gestus, & actio, indecora est, & minimè à quodam complectenda. Alij sunt qui dextram pallij partem ad dextrum humerũ omnino reiiciunt, adeò vt totum latus pallio denudatum patefaciant, atque ostentent, qui similes profectò videntur, vt facere aliquid dicam, ei qui se prępparat ad carnes aliquas minutatim conscindendas, vel ei qui in singulare certamẽ digladiturus cum aliquo descendere velit, vel denique ei concionatori, qui velit inuadere omnes audientes. Quis enim talem compositionem non vereatur, & pertimescat? Nonnulli præterea sunt qui cõtrà sinistram partem in sinistrum etiam latus, ita indecenter reiiciunt, vt videantur velle aliquem pedibus apprehendere, aut delicatulo illo motu auditorum tantum oculis perplacere. Alij insuper dextram pallij partem sub sinistram axillam traiiciunt, similes ludẽtibus taxillis, aut pyramidulis: & id sæpè tanta celeritate, tantóque impetu præstant vt non longè ab eorum motu abesse videantur, qui iam iam depugnaturi gladium suũ velocissimè distringunt, & euaginant. Quidam etiã vtrumque pallij sinum ad humeros reiiciunt, dextrum videlicet ad dextrum, & sinistrum ad lævum humerum, vt luctatoris potius ea præparatio quàm concionaturi compositio esse videatur. Quamobrẽ ab huiusmodi gestu, & quocunque alio, qui dedecere videatur, fugere concionator debet: imitando semper mansuetudinem, & decentem compositionem Christ. Op. max. concionatorum magistri, & institutoris, vt in omnibus mortificationem potius, & tranquillitatem animi, & corporis, prę se ferat, quàm perturbationem aliquam, & palæstricam disciplinã.

De quibusdam aliis in quæ incidunt concionantes sine palliis.

CAP. VII.

SOlent præterea aliqua notari in his qui sine palliis, & superpelliciis concionantur. In nonnullis enim videas nunquam finem & modum inueniri versandi sua singula, & corrigias, nunc eas extollendo, nunc deprimendo, ita vt alij videantur delicatuli, qui non possint eas sustinere, alij verò videãtur prę se fere bellicosum quẽdam gestum, aut hominum sæcularium. Alij ita manicas ipsas complicant suis gesticulationibus, aut eas parum curant, vt media brachia nuda sæpe exhibeant, & ostẽdant. Quidam etiam pallium deponendo, ita tardè, & segniter se gerunt, præbendóque illud socio, vt nescio quid indignum sanctissima, & asperrima religione, illud sapere videatur. Aliqui etiam nescio quam subitò pallium ipsum deponunt, illúdque collocant in ipso pulpito vt ad arma concurrere videantur, vel ne humo conspurcetur subuereri videatur. Interdum etiam ita capita deiiciunt, seque totos, & singulos artus adeò discruciant indecenti quodam motu, & vehementi, vt illis de grauissimo casu prouidendum sit siue metuendũ, & verendum ne percipites deturbentur. Quamobrẽ quæso, & obsecro, vt in decenti omni gestu, & indecoro neglecto, & posthabito, honestum, & religiosum quendam gestum teneamus omnes. hæc enim eò spectat & dirigitur oratio, hoc docere, vel admonere nitimur, non cuiquam detrahere volentes, sed concionatorem ipsum minus in his exercitatũ, & tyronem, instituentes. Vnusquisque enim prudens, & doctus concionator, pro loco, & tempore, quem conuenire sibi videbit gestum, & motum, exhibebit: semper sibi modò animo proponens, & oculis etiam subiiciens, quantum fas erit, diuinum illum concionatorem Christum op. Maximum, ad cuius imitationem sese componet, cõsiderabítque sibi semper præsentem adesse, qui verba omnia inaudiat, gestúsque omnes videat, & contempletur.

Quem laudabilem gestum habere debeat in ipso suggesto diuini verbi orator.

CAP. VIII.

DIuini igitur verbi oratoris motus omnes & gestus, erunt decori, graues, honesti, moderati, prudentes, & pleni religionis, qui modestiam, & sanctitatem præ se ferant, adeò vt auditores ex isto exteriori gestu, & compositione, colligant interiorem animi ornatum, latentémque in animo virtutem, ac probitatem: fastum omnẽ, elationémque reprimant, videntes concionatorem ipsum tam humili gestu, atque ornatu: oculos cohibeant, videntes eius oculos tam modestos, & pudicos. ferociam omnem, & insolentiam, refrenent, contuentes tantam modestiam, tam singularem mansuetudinem, & humanitatem, ipsius concionatoris. Incitentur, & inflammentur in Dei, ac proximi amore, videntes ipsum concionantem, ac sibi prælucentem, tanta accensum charitate, tanto spiritu, atque feruore. A templo recedant omnes admirantes ipsum, quasi è cælo delapsum ad suam salutem, contemplantes sanctitatis vestigia, & exempla in eo expressa: in quem tanquam in speculum intuentes suos mores instituant, informent, cõponant, melioréque in dies magis, magísque reddant, atque efficiant. Videre se putent imaginem quandam diuini illi⁹ Hieronymi, magna corporis afflictione, mortificationéque præditi: aut⁹ Apostoli illius doctoris gentium Pauli summa grauitate, eximia sanctitate, admirabili dicendi vi, diuinitus ornati. Aut denique existiment, quasi angelum esse quendam à Deò demissum, vt eos instrueret, vitia reprehenderet, eosdémque ad charitatem excitaret, accenderet, inflammaret. Quæ omnia facile euenient, si diligenter cõcionator considerauerit cuius vices subierit, cuius causam suscepcerit, quale officium, quámque diuinũ pertractet: quo scilicet gloriosus doctor, & sanctus, Ambrosius 1. lib. suorum officio. sese indignum omnino esse putabat. Ita enim fiet vt suum munus in dies magis, magísque censeat incredibili mansuetudine, summa mortificatione, honestissima compositione, sanctissima doctrina, eximio ac præclaro exemplo, tractandum esse, & exercendum.

Quod à concione nimia synonymorum coacervatio, atque curiosa elegantia arceri debeat.

CAP. IX.

NVlti adeò incumbunt elegantię, vocabulorúmque delectui, in ipsa concione, vt quibus conceptus suos explicent, verba nulla satisfacere vnquam videantur. Exquo fit, vt dum tam multi sunt in verbis, pauci sint in sententiis, & vix tria, aut quatuor explicent scri-

pturæ loca, sed auditores ipsos verbis concinnis, & elegantibus impleant, cum interim quæ ad eorum vtilitatem spectant nusquam proferant. Quod frequentissimè Hieronymus ipse damnat, nunquámq; eiusce modi locutiones vel vili æstimat. Vnde sic ait: Qui flumina Eloquentiæ, & concinnas declamationes desiderant, ista non legant. hoc enim solum mihi propositum est, diuinæ scripturæ verba declarare, & hæc sola est laus mea, vt per me lector diuinæ scripturæ verba intelligat. Cuius propositi idem Hieronymus rationem reddens in quæstionibus ad Damasum Papam, sic scribit: de scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ: pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens, oratio necessaria est: quę rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Sint alij diserti, laudentur vt volunt, & inflatis buccis spumantia verba trutinent: mihi sufficit loqui vt intelligar, vt de scripturis loquēs & disputans, scripturarū imiter simplicitatem. Ex quibus omnibus colligere potes Hieronymi exēplo, quàm dedeceat concionatorem verba selectissima curiosè deligere, & quod peius est, coacteuare, in concione, concionémque componere inani quadam eloquentia, vel potius verborum profluentia: ieiunam interim, & vacuam doctrina sacra, ac salutari. Senecæ præterea licet Ethnico, ita huiusmodi affectatio displicebat, vt aduersus eam in hæc verba proruperit: Quis enim accuratè loquitur, nisi qui vult putidè loqui? Qualis sermo meus esset si vna sederemus, aut ambularemus, illaboratus, & facilis, tales esse epistolas meas volo, quæ nil habeant accersitum, nec fictum. Si fieri posset, quid sentiam tantum ostendere, non loqui, lib. 10. epistо. ad Luci. epist. 76. in principio. Tum libro 21. epist. 116. sic ait. Nimium anxium te esse circa verba, & compositionem, nolo: habeo maiora quæ cures, quære quid scribas, non quemadmodum, & hoc ipsum, non vt scribas, sed vt sentias: vt illa quæ senseris magis applices tibi, & veluti signes. Cuiuscunque orationem videris solicitam, & politam, scio animum quoque non minus esse pusillis occupatum.

Quod concionator emittere non debeat immodicas voces, & clamores.

CAP. X.

PLures inuenies concionatores, qui exclamationes quasdam immodicas, & vociferationes, emittere solent, adeò extra omnem numerum, vt solum seipsos inutiliter diuexent, & auditoribus molestiam exhibeāt, quippe qui quæ proferūt verba vix inaudiant. Multi fortasse id faciunt, vt habeantur summi concionatores à plebe ignara, putante eum esse doctissimum, qui ita vociferetur. Alij quòd existiment in eo esse sitam gloriam, & triumphum concionatoris, vt auditores terreat, putántque exclamationes quascunque, & voces, ad eam rem esse omnino necessarias. Alij male hoc contemperantes, incidunt in grauius vitium, nimirum vt prorsus non audiantur, & percipiantur: quia interdum contemperantes clamores, proferunt voces tam exiguas, támque summissas, vt omnino non intelligantur: interdum autem cōtemperantes eas submissas, ita vocem attollunt, & eam raucam, & perturbatam, vt quid sibi velint, auditores vel maximè attenti prorsus non intelligāt. Quamobrem medium tenendum est, & semper æquali voce procedendum, & tono, quemadmodum musici solent, nisi quando forte ad mouendos animos exclamatio aliqua videatur necessaria: & tunc cum dignitate, & non præter numerum, quæ persuadeat, non quæ risum pariat, aut fastidium, proferri debet. Nec debet quis eam vitiosam consuetudinem sibi laudi ducere, qua multi non aduertentes an opus sit exclamatione, exclamant non semel modo, sed sæpè, ac sæpius: propter prauam illam dumtaxat consuetudinē, non q̄ considerarint exclamatione opus esse: potius igitur procedet orator dulci quadam & blanda voce, animos hominum penetrante, & quod velit persuadente. Mittamus sanè istos inordinatos clamores his aucupibus qui accipitre venātur, quos domini diligunt acri quadam, & magna voce præditos. Non est negotium hoc immoderatis clamoribus præstandum, sed dulci quadam ac moderata voce: & si quando exclamandum est, accommodata debet esse exclamatio, non inconsiderata, & inanis. Quod si Christus dominus dicitur magna sublatáque voce dixisse, Qui habet aures audiendi, audiat: Item Lazare, veni foras: ita accipiendum est, quòd illa vox suauiter commoueret, non offenderet, & perturbaret quempiam, sed magna dulcedine audientibus quòd vellet persuaderet. Isti autem nimij clamores frustra fiunt, inconsideratè, & inaniter.

Non esse inferendos iocos, & facetias concioni.

CAP. XI.

DE more habent multi, facetias, siue verba iocosa, inserere cōcioni, quòd fortasse auditores defatigati recreentur, & alacriores reddantur. Suspicantur enim Ciceronem ipsum legentes 1. Rhetori. id sibi licere in concione, cum inter cætera oratoris munera sit vnū ipsum delectare. Ait enim M. Tullius, cum auditores sunt defatigati, non esse inutile ab aliqua re noua, aut ridiculosa, orationem incipere. Sed tamen isti non aduertunt, quòd quanquam id aliquando liceat, habenda sit tamen semper oratori ratio loci, materiæ, temporis, & personarum, quibus variatis illud desinet esse licitum: quod etiam idem Cicero aduertit 1. Offi. Imò & loco citato 1. Rhetori. cum ait, licere nonnunquam interserere iocos, & facetias, adiunxit: Si tamen rei dignitas non adimit iocandi facultatem. Doctrinæ autem sacræ summa est dignitas, & ea rebus maximis intendit, iuxta illud Prouer. 8. Audite, quoniam de rebus magnis locuturа sum. Quare non erit licitum in tam graui loco, & tam graui materia, facetias, & iocosa, siue ridicula verba, intermiscere. Hæc sententia est D. Ambro. 1. suorum Offi. lib. Doctor quoque Angelicus D. Thomas 22. q. 158. ar. 2. ad 1. inquit, quòd licet interdum honnesta, ioca, ac suauia sint: tamen ab Ecclesiastica adhorrent regula, quoniam in scripturis sacris non reperimus ea quemadmodum vsurpare possimus, Quare abhorrere debet ab his concionator, neque omnino ioca aliqua in re tam seria adhibere. Quod si aliqui visi sunt illos concedere iocos, næ illi tam pauci sunt, & tam minimæ grauitatis, & auctoritatis, ea in re, vt nulla ex parte cum his qui nostræ fauent sententiæ, vel eius potius auctores sunt, videātur comparandi. Adde, quòd doctrinæ de pœnitentia, de fletu, de compunctione, de mortificatione, qualis est hæc, omnino sunt inimica, ridicula quæque, & iocosa. Tum eximius ille concionator Christus nunquam legitur in concionibus, nec in tota sua vita, iocosis istis, & ridiculis rebus, fuisse vsus. Seria igitur, et grauia, serio, grauitérque dicamus, tū exemplo

exemplo Christi, tum etiam exemplo sanctorum, qui cōciones suas, quas protulerunt suo ore, & quas calamo expresserunt, nullibi huiusmodi iocosis, & ridiculis, permiscuerunt: neque vel minimum quoddam leuitatis signum, & vestigium, reliquerunt.

Oportet vt concionator artificium aliquod seruet in concionando, & oratorio vtatur stylo.

CAP. XII.

NOn desunt qui affirment concionatorem ipsum in suis concionibus artificium prorsus nullum seruare debere, sed familiariter tantum debere loqui, siue populariter. Quod aiunt docuisse D. Paulum 1. Cor. 1. cum inquit, Non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi: nonne stultam fecit Deus sapientiā huius mundi? Et 1. ad Cor. 2. ait, Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, itē non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostēsione spiritus, &c. Aiunt etiam hunc modum à Christo fuisse seruatum, & vsurpatum, dum populo Iudaico concionaretur. Facili enim, & familiari vtebatur sermone. Quo circa non est quòd artificio vtamur oratorio, nec coloribus vllis omnino Rhetoricis, nēc canones sequamur Tullianæ eloquentiæ, ne forte contingat etiam nobis quod D. accidisse Hieronymo fertur, eo quod Ciceronianus esset. Sed isti non satis intelligunt loca ista, quibus vtuntur: neque omnino horum concilium sequendum est, sed artificio, & coloribus quibusdam Rhetoricis cum opus fuerit, vtendum est. Nam quod locis citatis Apostolus ait, & quod nos paulò superius diximus 9. cap. huius libri, non ita accipiendum est, quòd non liceat res graues, & sublimes (quales sunt istæ) artificioso ordine & methodo prædicare, sed quòd dumtaxat affectatio vocabulorum, & coacteruatio synonymotum, & omnis fucus, ac inanis verborum profluentia, fugienda sit: quoniam id mundanam quandam dumtaxat sapere videtur vanitatem, & curiositatem. Quod autem idem Paulus, quem isti adferunt, vsus fuerit singulari artificio, cōstat planè aperte ex eius epistolis. Quis enim insignis pictor esse poterit, qui (vt diuinus, & eloquentissimus Chrysostomus inquit) melius, ac sapientius seruet ordinem in imagine depingenda, inchoans à capite, mox ad pectus accedēs, deinde verò per corpus, ad pedes vsque discurrens, quàm Apostolus seruat ad Ephesios scribens, de cura & gubernatione domus familiæque edisserens? De viris enim dicit: viri diligere vxores vestras. De vxoribus verò: mulieres viris suis subditæ sint. Tandem autem ad reliquas partes, vsque ad infimas, descendens, ait: filij obedite parentibus vestris in domino. Item serui obedite dominis carnalibus, cum timore &c. Quid præterea dicam de admirabili illo artificio quo vtitur scribens Philemoni, quamuis breuiter, pro eius seruo fugitiuo Onesimo? Appositè attentionem excitat, cum inquit, Paulus vinctus Christi Iesu: beneuolentiam captat, subdens, Philemoni dilecto adiutori nostro. Cum autem petitionē suam instituit, admirabiliter sane causas ipsas reddit, ob quas sibi persuadet se à Philemone consecuturum quod cupit; dicit enim, proponens ius suum quod habet in petitione exoranda, se Apostolum esse. Itē ex parte Philemonis proponit concepram de eo opinionem, & existimationem. Ita enim habet, semper memoriam tui faciens in orationibus meis: & postmodum, audiens charitatem tuam & fidem quam habes in domino Iesu & in omnes sanctos. Ex quibus infert Apostolus fiduciam consequendi quod cupit. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, verum cum eam fiduciam non tantum inniti velit his quibus Philemon sibi deuinctus est, quantum virtuti Philemonis, subiungit dicens, Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, pòst verò alio vtens medio ad id persuadendum, & emolliendum animum illius, atque adeò miserendum vtriusque, inquit: Paulus senex, nunc autē & vinctus Iesu Christi, obsecro te &c. Neque prætermittit vt eum magis moueat, & ad clemētiam prouocet, vocare Onesimum filium suum, in sua genitum senectute, ac vinculis. Neque etiam illud omittit, se tametsi maximis oppressum malis, propria manu epistolam exarasse. Ego Paulus scripsi mea manu. Iam vera clausula illa quam sententiosa est? Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me: quasi sibi velit, si me habes amicum, hîc te ostentes oportet, hic ego beneuolentiam in me tuam experiar. Neque interim illud præteriit, si vtilitate forte ducebatur potius Philemon: Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Quasi diceret, si aliquid tibi filius meus, & tuus seruus, Onesimus, debet: vel tibi aliquid furto substulit, præsto sum tibi debitum exoluere. Videas insuper eum vtentem quodam alio non minus eleganti colore Rhetorico, cùm inquit, quasi subblandiendo Philemoni. Ita frater, ego te fruar in domino. Refice viscera mea in Christo. Tandem verò ea clausula finem suæ petitioni imponit, qua quotquot artificiosas epistolas petitorias scribunt vti consueuerunt. Dicit enim, Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id quod dico facies. Ex his perspicuū satis esse arbitror cuicunque, D. Paulum vti consuesse artificio, & methodo oratoria, neque eam omnino neglexisse, quod illi sibi persuadebant ex eius dictis perperam intellectis. Poteramus quidem excurrere etiam per cæteras Pauli epistolas, subtilissimas eas quidem, & arte admirabili contextas, vt quod quærimus fusius probaremus: sed tamen vereor ne hæc quæ attulimꝰ, quāuis pauca, nimia esse videantur, in re tam manifesta, & cuicunque vel mediocriter erudito exploratissima. Quod vero obiiciunt Christum dominum vsum fuisse sermone quodam familiari, atque perfacili: ingenue quidē nos fatemur eum sæpè vsum fuisse eiusmodi sermone, cum ad omnes instruendos venisset, & propterea accommodans sese rudi plebi sæpè vtebatur eiusmodi sermone. Sed interim tamen eius oratio arte nunquam carebat. Neque id vnquam ei obiecerunt aduersarij Pharisei, imò erat ea summa ars accommodare se audientium captui. Hoc autem vel solo argumento debet sibi quiuis persuadere Christum ipsum admirabili semper vsum fuisse artificio, & eruditione, omnique cōuenienti doctrina & modo: quòd scilicet nisi id præstitisset, aduersarij statim, & inimici infensissimi, hoc illi obiecissent, cum tamen id nullibi legatur in scriptura. Imo mirabantur potius super eius admirabili eruditione, atque arte, dicentes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? non dicebant Christum literas nescire, sed quia non viderant eum studuisse, mirabantur vnde tantam eruditionem, doctrinámque hausisset, & sibi comparasset. Crimina quidem falsa multa illi obiiciebant, nitentes eum infamare, conantésque quantum in se erat, vt apud populum male audiret: tamen exiguæ litetaturæ nunquam eum infamarunt, nunquam abiectam esse eius eruditionem dixerunt, aut nullum artificium nèc rude & crassum ingenium, aut denique inelo-
quentem oi sermonem obiecerunt, cum tamē esset

doctissimi,& æmuli atque inuidi. Quamobrem non est negligenda methodus oratoria, & ornamenta Rhetorica in ipsa concione: sed inanis tantum verborum profluentia,curiositas,affectatio, ostentatióque artis,abiicienda prorsus sunt, & repudiãda:quæ etiam repudianda cẽsuere in suis orationibus, & declamationibus, Ethnici scriptores, M. Tullius, Fabinus Quin. & Seneca lib.5.epis.ad Luci.epis.40.

De tribus oratoris officiis in concione præstandis.

CAP. XIII.

NOn est huius loci tractare accutatè de tribus illis oratoris officiis, nempe docere, delectare, & mouere, relatis ab August.lib.4. de Doc. Christ. cap. 11. & 12.& Boëtio lib.3. de Cõsolatione philosophica, & D. Thoma 22.q. 177.a.1. & aliis alibi. Id enim ad Rhetores spectat,M.Tul. Quinti.& alios. Sed tantum de his tractabo quatenus concionandi muneri necessaria esse videbuntur:idque quàm breuiter & succinctè potero. Ac primum vt accedam ad primum officium quod est docere: multi putant in eo consistere hoc concionatoris munus, vt adferantur plures materiæ, & subtilissimæ, intellectúque perdifficiles,vt de Trinitate,de incarnatione,de prædestinatione,de Gratia, libero arbitrio & aliis id genus. Tum præterea vt agitentur vtrinque quæstiones magno argumẽtorum apparatu,& exercitu, sub terminis scholasticis, & tandem in fine promulgent suam sententiam, vel eam quam communiter sequi consueuerunt omnes. Quibus præstitis magno exiliunt gaudio, sibi persuadentes se hoc docendi munus suis omnibus numeris expleuisse, ac pensum suum cum dignitate, & triumpho, absoluisse. Verum quamuis isti doceant quidem,& doctrinã multam adferant: tamen non videntur attingere hoc quod quærimus docẽdi munus.Si quidem illud doctis modò satisfacere potest, & minimæ theatri parti:at verò concionator vt rectè doceat,& hoc munere cum dignitate perfungatur,sese ad audientiũ omnium captum demittere debet. Imò prorsus hic docendi modus scholis tantum, & literariis conflictibus accommodatus videtur esse, non illi loco: vbi nec etiam docti quæstiones istas requirunt, libros enim domi habent, quos consulant, sed omnes tantum eò confluunt, vt Christianam discant pietatem, vt suæ saluti consulant, vt dumtaxat virtutes percipiant,mores componant,vitámque suam emendent. Rudis quidem & illiterata plebecula tantum abest vt his subtilitatibus & propositis questionibus proficiat,vt sæpè potius scrupulos multos concipiat, & quæ ante firmiter tenebat,tandem à concione discedens, inconstanter, vacillantérque teneat,tanta opinionum varietate recitata, tótque in medium productis argumentis,& rationibus. Quare concionator qui talem sibi concionandi modum in consuetudine habet, aut prorsus videtur sui esse muneris oblitus; aut parum audientium salutem curans, se solũ admirabilẽ studet plebi exhibere,& ostentare. Seneca quidem quamuis Ethnicus ista quæ videntur acutulorum inuenta lib. 11.epist. 83. epist. & lib. 6. epist. 50.tum lib.13.epist. 89. reprehendit, cum dixit,Acuta sunt ista, quæ dicis, nil est acutius aristæ: quædam inutilia,& inefficacia,ipsa subtilitas reddit. Illud igitur spectat ad hoc docendi munus, vt è suggesto proponatur doctrina vtilis, & moribus componendis accommodata, hauriatúrque ex diuinarũ literarũ thesauro, & fontibus salutaribus,iuxta sensum & interpretationem sanctorum doctorum, & sanctæ Matris Ecclesiæ,vt D.Hieronymus cõmendat maximè ad Paulinum scribens epist.83.& D. Augustinus lib. 3. de Doc. Christ. cap. 26. & lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap.1.ad quæ quidem præstãda oportet magnam scripturæ habere notitiam, & nocturna ac diurna manu doctores ipsos sanctos euoluere, vt idem August. asserit lib.1. super Gene. ad literã c. 1. quoniam multa sunt difficillima, quæ si non rectè intelligantur, & secundum sensum Ecclesiæ sanctæ, te possint perturbare, & in errores innumeros impellere: adhibebis igitur vehemens quoddam studium, laborem, & vigilantiam, in his omnibus. consule de hac materia Irenæum aduersus Valentinum lib. 4. cap. 45. & Dionysium Alexandrinum, qui de hoc etiam argumento disputat, vt refert Histo. Eccle. lib. 7. cap. 6. & denique Papam Clementem lib.10.Recognitionum. Quæ si vt admonemus curaueris, tuum facies cum dignitate officium, doctrinam salutarem plebi rudi trades, doctis etiam gratus eris,& exemplum eis præ te feres optimi cõcionatoris,& qui tantum animarum saluti inuigilet, & excubet:tibi etiam honorem comparabis, & tandem Christo animas lucrifacies.

De altero officio nempe delectare.

CAP. XIIII.

ALterum officium quo ornari debet concionator est ipsum delectare. Quod non ita intelligas, vt quidam forte sibi persuadent,quòd concionator debeat interserere fabulas, aut iocos, id enim iam suprà reprehensum est:nec etiam quòd debeat delectare suis innumeris subtilitatibus, quod quidam faciunt, postquam subtilitatem, & difficultatem,aliam difficiliorem adferendo,& proponẽdo, sermonémque ipsum politum curiosè conquirendo. Sed ita demum concionator delectare debet, vt curet sanã primum doctrinam,& solidam edocere,quod caput est: deinde verò eandem eleganter disponere, decoréque pronunciare,& proferre. Ita enim auditor delectabitur audiens tam grauem materiam, tam graues doctores,tam concinnam singulorum dispositionem.Qua in re opus est magno studio: neque enim ex exigua massa multi & grandes panes confici possunt, neque ex minimo panno magna vestis, nec exigua pecunia amplissimæ exerceri possunt merces. Debebis igitur desudare tuæ concioni componendæ, & sacris auctoribus euoluendis, atque optimis quibusque rebus deligendis.Quemadmodum enim apes vt dulcissimum tandem mel parere possit, selectissimos quosque decerpit flores: ita concionator vt suauissimam delectationem instillet, & influat dulciter in audientium animos, debet obnixè curare, vt seria quæq; grauia,ac decẽter disposita,proferat,atque enunciet.Quod etiam Quint.consuluit suo oratori lib. 10. suarum institu. orato. Non est mirandum sanè dicendi lepôre interdum concionatorem destitui, nam hoc malum semper deuitare non potest: sed tamen illud reprehendendum est, multa eum friuola, & abiecta immiscere concioni, adeò vt vnde ea exprompserit ignorent omnes: hac quidem in re se à culpa vindicare prorsus nõ potest. Itaque optima quæque seligenda curabit,& ea dexteritate eadem componet, atque eloquentia pronuntiabit, vt non modò indoctos & ignaros delectatione perfundat, sed doctis etiã placeat atque arrideat. Parum quidem prodest per multa suppetere ad dicẽdum exquisita, nisi venustè disponantur & proponantur, quemadmodum testis est locupletissimus M. Tullius 1,libro de Inuentione. Neque etiam sat est magnam sacrarum literarum habere intelligentiam,

tiam, & inter concionandum gratia multa referre: sed oportet noueris ea quodam condire lepôre, optimeque digerere, ac pronuntiare decenter,ac feruenti docere spiritu vt commẽdat diligenter D. Augustin.1.de Doc.Christ.cap.1.ad quod perfecto quodam stylo opus est, & arte naturam iuuante, & perficiente, vt experientia constat,& docet Arist. ipse 1. lib.Meta. & Plutar. in moralibus in quodam tractatu qui inscribitur, Quomodo docenda sit virtus: & Quinti. etiam lib. 10. suarum institt. ora.Cum igitur hæc curaueris, vt scilicet quæ prædicaturus es selecta sint,& ex diuina scriptura desumpta, atq; sanctorũ doctorum illustrata doctrina: tũ etiã si oportuerit philosophorum grauium dictis ornata, & artificio dispositа, ac pronuntiata,tunc procul dubio auditoribus gratus eris, eosdémque maximè delectabis. Nullus enim est, qui lautissimis cibis, optiméque conditis non capiatur, & delectetur, si modò deprauatum non habeat palatum.

De tertio officio videlicet mouere.

CAP. XV.

VErtium officium & quidem potissimum quod præstare cõcionator debet, est mouere. Quod quidem perficere munus & explere vt diuinum quidpiam est, ita de eodem præcepta tradere aliqua laboriosum sanè est, & operosum.Nam quamuis secũdum Fabium lib. 9. de Compositione cap. 5. magna pars sit ad mouendum modus dicendi idoneus, atque venustè, & artificiosè concionari,vt etiam sensit D.Augustin. lib.1. de doc. Christ.cap.1. nihilominus tamen multa præcedere oportet.Primum enim necesse est via paretur & muniatur rationibus vrgentibus, & efficacibus, quæ maxime intellectum deuincant, atque adeò deuinciant. hoc siquidem est fortissimum antemurale siue propugnaculum voluntatis (quæ arx est munitissima) prius expugnare: quod si non fiat, frustrà videtur impensus labor in voluntate commouenda, & conuincenda. Hæc doctrina est doctoris Angelici 12. q. 83.ar.3.ad 3.& q. 17.a.1.ad 5. Est etiam commodissimus apparatus armorum, & tormentorum ad voluntatem mouendam idoneorum: suauitate quadam vti dicendi, & blandis, ac ex intima humanitate & amore expromptis verbis: adeò vt quosdã dicentes audias, me quidem blandis verbis quocunque voles perrahes, minis autem & clamoribus nil promoueris. Ea est conditio humanæ naturæ & voluntatis, vt suauitate quadam demulcẽda sit & allicienda. Et certè mirum non est animos hominum, qui sunt animalia rationis capacia, istis quasi blanditiis permulceri, atque perrahi,cum animantes rationis expertes hoc etiam modo mansuescãt magis, & emolliantur. Actiones præterea venustæ, gestiq; decori, multum ad hoc iuuant, præsertim si natiui esse videantur,non adscitiij & fucati: & si vim quãdam imprimant his quæ dicuntur.Neque enim satis est verba cum verbis rectè disponi & cohærere, sed necesse præterea est vt moueatur auditor, actionem ipsam accommodare, decentem tamen, singulis verborum significationibus cùm ea pronuntiantur, ita vt ex imo pectore & inflammato, intimóque sensu, omnia exprompta videantur, aliter enim quod vna scribes manu, altera delebis, quod aiunt: & dabis sine mente sonos, fluctuabitque tua oratio huc atq; illuc, quasi sine neruis, & articulis, sine vehementia vlla,& efficacia.Vt autem accommodatiores, & decentiores exprimas gestus, nos imitabere, si me audis,aliorum actionem,& modũ pronuntiandi,quantumcunque tibi pulcherrimus videatur, nisi certo scires eum tibi modum non minus quàm illi conuenire.Ita enim fieret fere vt vehementia tanta non applicaretur his quæ proferrentur, nec natiua ea esset, sed potius fucata, & quæ statim appareret.Huius cõsiderationis, & aliarum multarum, quæ requiruntur ad hoc tam difficile & arduum concionandi munus, ignoratione, fit vt multi statim existiment se perbellè concionatoris fungi munere, si dumtaxat sese effinxerint & composuerint ad alicuius præstantis concionatoris morum, numerum, actionem, & denique imitationem,cum nil magis fictitium,& sæpè ridiculum omnibus appareat.Statim enim videntur omnes velle eum talem concionatorem imitari, quẽ tamen probè exprimere nescit: ac proprerea suo natiuo & decenti neglecto gestu, risum potius excitat, quàm vlla ratione placeat. Illud præterea dolendum intimis sensibus est, cæteros artifices multum desudare in suis artibus perdiscendis, atque fabrum non se immiscere rebus sutoriæ artis, sed tractant fabrilia fabri, vt inquit poëta, neque sutorem se ingerere rebus sartoriis: hanc tamen concionandi prouinciam lacerari ab omnibus.Non recusat eam suscipere Grammaticus, non Rhetor, non Dialecticus, non Iurisconsultus,imò sæpè quilibet has attigit scientias sibi hoc officium vsurpat. Quò sane fit, vt cum artem ignorent, nesciant qua ratione se gerant, præterea etiam honorificentissimum hoc munus, contemptui ludibrióque exponant.Rati satis superque esse suggestum modò conscendere, & quidquid in buccam, vt aiunt, venerit, sine methodo, sine doctrina, sine conuenienti actione, proferre, & hoc esse tantum concionatoris munus. ô cæcitatem miseram nostri infelicis sæculilô homines omni animaduersione, supplicióque dignos! ô temeritatem intollerabilem! Tu ne Theologia insalutata, doctoribus sactis neglectis, audebis tam arduum, & perdificile subire munus, quod exercitatissimi quique Theologi, & viri etiam sancti, subire recusant? De his quidem temerariis concionatoribus, qui cum nõ sint tanto officio aliquo modo pares, & idonei,se tamen ausu quodam temerario, præsumptuoso, & inconsiderato ingerunt,diuus Hieronymus valde conqueritur ad Pauli. scribens epist.83. Hi etiam apud Tertul. malè audiunt lib. de præscript.hæretic. Cuius sententiæ subscribit magnus ille Basilius, vt refert Tripartita historia lib. 7.cap.36.& D.Grego.prima par. Pasto. cap.1. Hinc igitur fit, vt huiusmodi concionatores cum non sint missi diuinitus ad tantum munus, sed illud sibi vsurpauerint, fructum nõ faciant vllum, quem nec sciunt quomodo facere,aut metere valeant, & debeant: sed potius risum excitent apud auditores, seque illis ridiculos exhibeant, non sine iactura interim, & iniuria tanti muneris. Sed iam quod omnium maximè prodest ad mouendum, quódque te oro & obsecro diligenter aduertas, & è re tua est vt id diligentius præstes, illud sanè est, quòd concionator sese exhibeat populo exemplar omnis virtutis, & probitatis. Vt enim mihi,crede, nulla materies est tam facilis ad inardescendum, quæ nisi admoto igne ignem concipiat: ita nullus fere est auditor ita docilis,& propensus ad pœnitentiam, & virtutem, qui eam concipiat,nisi concionator ipse exemplum admoueat & exhibeat probitatis atque virtutis.Cuius rei defectu tam parui hoc tempore fiunt fructus, cum olim sancti illi tam multos colligerent.Quod manifestè si legas historiam beati patris nostri S. Vincentij Ferrer,intelliges,atque cognosces, & si legeris etiam aliorum sanctorum historias. Ille enim, vt cæteros nunc taceam,gentem numero prope innumeram, immanitate barbaram, locis infinitam, ad virtutem,& Dei obsequium, te-

Præstabili' multò videtur, vt quisque suam exprimatur concionando actionẽ, gestum, & vehementiã, non adscititã.

Præcipuũ instrumẽtum admouendũ est vt luceat in cõcionatore exẽplar omnis virtutis, probitatis & sanctitatis.

duxit, & reuocauit. Hi autem omnes sancti non tam id faciebant in sublimitate sermonis, nec in quæstionibus difficilibus explicandis, aut multa materia adferenda, quæ nunc fortasse copiosior adfertur, quàm quod relucerent in illis radij illi sanctitatis, qui ita transuerberabant, & penetrabant audientium animos, vt multa hominum millia statim vnica tantum concione conuertentur, cooperante diuino numine, à quo missi fuerant. Qui autem sese ipsos nunc vltro ingerunt, & à diuino numine non mittuntur, non tantum proficiunt, quantum sancti illi, qui à Deo mittebantur, & cuius præceptis omnino obtemperabant. Quantum vero etiam necessarium sit vt concionator fructus amplissimos referat, ea prius opere complere quæ alios vult docere, & interius prius ita sentire, & reipsa præstare, consule Senecã licet Ethnicũ li. 3. epist. ad Luci. ep. 20. & li. 7. ep. 33. & lib. 10. epist. 76. qui sic ait, Hæc sit propositi nostri summa, vt sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita. Ille promissum suum implebit, qui & cum videas illum, & cum audias, idem est: aliæ artes ad ingenium totæ pertinent: hîc animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem: sed si vtrumque habet, hoc tale est, quale si peritus gubernator etiam formosus sit. vide quàm accommodatè ex hoc loco concionator instrui potest ad hoc officium præstandum, nempe ad mouendum: nimirum vt quam docet verbo concionator virtutem, opere prius compleat, & id sentiat interius cor, quod exterius lingua loquitur. Hæc igitur sit summa huius officij cum dignitate præstandi, nempe vt concionator ipse rationibus quibusdam intellectum conuincentibus, scriptura etiam, & auctoritatibus sanctorum, vtatur, vt ita commodius voluntas ipsa, quæ arx est munitissima, expugnetur: tum vt suauiter influat in audientium animis, eósque non tam clamoribus, quàm suauitate alliciat. Præterea iis quæ profert, vim, spiritum, & efficaciam dabit: & tandem quod caput est, exemplar erit omnibus omnis ꝓbitatis, & virtutis. Quod si his diligenter præstitis quem intendit fructum nõ referet, & animas Christo non lucrifecerit: non sibi, sed illis ascribetur. Sæpe enim agit cum obstinato auditore, qui nec etiam miraculis mouebitur, vt
Exod. 7. legimus de Pharaone & Pharisæis: satis fuerit fecisse suum officium. Ita enim prædicator liberabitur, impius autem in impietate sua morietur. Quemad-
Ezech. 3. modum diuinus ille vates Ezechiel testatus est.

Quæ potissimum doctrina vti debeat concionator.

CAP. XVI.

QVæ frequentius pertractare, & de suggesto proferre debet Euãgelicus orator, ac diuini verbi præco, sunt reprehensiones ipsæ contra vitia, & homines vitiosos ac scelestos. Nam cum propter redundantia mala maior theatri pars sit fere impiorum & sceleſtorum, imò pars maior hominum: propterea oportet ne hi cæteros inficiant, & vt ipsi curentur, remedia adhibere morbis quibus laborant profligandis. Quæ verò magis abundauerint mala, & magis pestifera fuerint, illa prius curanda erunt ac persanan-da: & remediis ad ea mala abundare magis curabit concionator. Quemadmodum enim prouidus ac prudens pharmacopola iis potius abundat pharmacis, quæ magis necessaria sunt ad communiora mala, & magis noxia propellenda, ita optimus quisque diuini verbi præco his potius redundabit remediis, quæ ad maiora depellenda mala fuerint necessaria. Et quemadmodum diligens & solicitus mercator eas sibi potius merces comparat, quas videt magis necessarias ad communem vtilitatem, reíque publicæ, & eas quas viderit distrahi facilius, atque diuidendi: sic planè concionator ea pharmaca procurabit, quæ magis in vtilitatem omnium sunt casura, quæque sunt vitia maiora profligatura. Quamobrem incumbet in eam curam & solicitudinem, vt grauiora vitia & maiora Reipub. peccata nouerit, aduersus quę suam opponet doctrinam, edisserẽs quàm sit securum bonum, & studium virtutis, quàm amabile, quàm necessarium, quàm facile, malum autem quàm laboriosum, inquietum, difficile, odiosum, & execrabile: quæ omnia speciatim dilatata amplissimam parient dicendi vbertatem. Sed in his omnibus modestiam, moderationémque, seruabit, prudentérque, ac circumspectè se geret. Neque tempus terere & consumere frustrà debet orator in Pharisæis illis, aut Iudæis reprehendendis, quòd viderit in Euangelio sibi offerri ansam quandam et occasionem: sed potius totum sermonem & orationem conuertere debet ad suos auditores reprehendendos, ex illa ansa oblata. Nam parum prodest auditoribus reprehendere aliqua vitia Pharisæorum, si eam reprehensionem non accommodas tuis auditoribus.

Concionatorem esse debere in reprehendendo modestum, ac prudentem.

CAP. XVII.

QVibusdam videtur postquam suggestum modò conscenderint, statim sibi licere quæcũque maxima cum libertate propalare vitia, & quorumcumque sine discrimine, ad libitum suum, taxare mores. Non reuerentur senes, cum ipsi sint iuuenes: non venerãtur prælatos, cùm ipsi sint subditi: non distinguunt magnates à reliqua plebe, cum ipsi etiam fere sint obscuro
2. Reg. 12. 1. Rc. 24. Gregor. genere. Non certè hoc modo Propheta Nathan tractauit regem Dauid, nec Dauid etiam tractauit Saulem. Neque id planè est quod D. Gregorius docet admonitione quinta tertiæ partis Pastora. Sed vt temperate cum superioribus modestéque agamus, & circumspectè cum reliquis omnibus nos etiam geramus. Hęc certè effrænata multorum in reprehẽdendo libido, prouenit sæpè ex immoderata superbia, aut ex aliqua iracundia, ex ambitione, propria vindicta, ex detractionibus quorundam, qui deferunt sæpè multa mendacia, vt cõcionatores acerbissimos sese exhibeant in pulpito. Quæ mala ita plerunque concionatores excæcant, vt non modò incõsideratos excitent clamores, & Tragædiam faciant ex Comœdia, sed sæpè etiam in errores, atque adeò lethales hæreses, turpiter, ignominioséque labantur: quẽadmodum ex historia Tripart. satis diffusè constat lib. 5. cap. 42. & histor. Eccles. lib. 5. cap. 14. Et certè vt de ea præcipitata reprehensione aliquid dicam, quæ sit ambitione, & inuidia impellente: contigit aliquãdo duos extitisse clari nominis cõcionatores, & magnæ apud populũ æstimationis, qui se inuicem grauissimè ac turpissimè læserunt, his reprehensionibus ab inuidia erũpentibus. Alter enim inuidẽs ꝙ alter frequentius haberet theatrum, cœpit in pulpito dicere in quo ille prædicauerat: miror sanè tollerari, vt ignari homines ad tantum locum accedant, & plausibiliter audiantur, ac sustineantur, cum sint minus idonei, imò omnino insufficientes ad tantum munus exequendum. Quod cum alter resciuisset, sequenti festo suggestum forte conscendens, iis verbis orsus est: Ego sanè miror, auditores grauissimi, vos patienter

patienter in hoc tam illustri pulpito aliquos concionatores sustinere, qui vix adhuc exiecatos à baptismatis salutaris aqua capillos suos habeãt, subnotans scilicet illum, tanquam receins ad fidem conuersum. Quemnam putas harum reprehensionum, vel furiosarum potius tragædiarum, exitum tãdem fuisse? Effectum planè est vt paulatim contabescente hotum floreti nomine, immatura morte intra breuissimum tempus ambo occubuerint, ab omnibus neglecti, & contempti: & qui tumulus corpus texit, idem etiam in omne seculum nomen, famámque celebrem obscurauit. Neq; certè aliud decebat tam incõsideratos homines, ex inuidia, & ambitione reprehendentes. Iam verò quid poterunt suspicari audientes, si se inuicem concionatores momorderint, atq; reprehenderint? Statim mediusfidius illud proferent cõtritum iam omnium sermone prouerbium, figulus figulum odit, vel vt clarius apertiúsque dicam, Quis tibi inimicus? Qui eiusdem est artis. Alij indignè ferentes, dicent: vide obsecro quod nobis exẽplum præbeatur! Alij verò, vide vt patientiam, modestiam, & cætera quæ prædicant, opere, réque ipsa ísti præstent. Nõnulli etiam sibi indulgentes, ita dicent, cum talia inter concionatores agantur, mirum sanè non est, si nos plura his, & grauiora patremus. Absit igitur à concionatore omnis præceps, inconsiderata, incautáque reprehensio, nõ solum superiorum, æqualium & eiusdem Ecclesiastici status, sed etiam plebeculæ infimæ, atq; rudis: hæc enim quoque modestè, suauiter, prudenterq; tractanda est, non aspertimis verbis, non maledictis, conuiciis, & cõtumeliis, facilius enim quod voles, hac ratione persuadebis. Hæc tamẽ non ideo à me dicta esse arbitrere, quod non cẽseam reprehensionibus vtendum esse, & quidem crebris, atque maximis: adeò est deprauata hominum natura, & vitiis valde dedita: sed quod id vrbanè, modestéque facias. Et deniq; ita te geres, vt omnino à prauа quidem vita homines deterreas, eósque omni adhibita cura, & reprehensione, ab obscœnis & turpissimis moribus, ad candidos, laudabiléque traducas: eos semper interim ita tibi beneuolos amicósq; reddẽdo, vt sua quidé scelera agnoscant, & te probe tuo perfunctũ munere intelligant, paratiq; sint & vitam in melius, atque etiam vitam in mortem, si opus fuerit, tua causa cõmutare. Qui plura de hoc argumento videre volet, legat D. Greg. prima part. Pastora. admoni. 15. & lib. 23. Mora. cap. 11.

Hæc est summatotius reprehensionis ac commodatæ.

Quod non debeat concionator multum defatigari concionando.

CAP. XVIII.

NOnnulli ita festinè, & concitatè verba pronuntiant inter concionandum, ita etiam singulos propè artus, omniáque membra commouent, ita vocẽ efferunt atque attollunt: vt se totos miserè defatigent, cõcutiant, atque confringant. Atque quidam ex his id faciunt, quòd putent illud incũbere ex munere ipsi concionatori: alij verò quòd censeant aliter prorsus fieri non posse, vt quod volunt persuadeant. Illi certè non satis aduertunt, eum qui aliis consulit, sibi nescire consulere, eum qui alios gubernat, sui gubernationem negligere, eum qui aliis vitæ procurationem ac custodiã suadet, vitam suam negligere, atque contemnere. Nullus enim est, qui nõ videat hoc modo & fauces cito rauescere, & totũ corp⁹ cõfringi, & tandem immodicos vrgere sudores: adeò vt vel præ raucedine concionem absoluere non possint, vel præ delassatione propè exanimentur, vel deniq; frigore aliquo partes sudore persusas penetrãte, grauissimo morbo corripiantur. Quod sanè vitio potius vertetur, quàm virtuti, cũ aliter, & melius quidem, quod volunt possint persuadere. Hi autem qui putãt se aliter non posse id quod voluur persuadere, nisi seipsos excrucient, ni sermonem accelerent, & omnia membra concutiãt, non video planè qua tandem rãtione persuasi hoc credant, & in animum inducant. Nam cum ita præcipitanter loquantur, & vltimás fere semper dictionum syllabas deglutiant, nullo modo possunt ab auditoribus audiri, & intelligi: sed omnes tantum recedentes dicunt: ô miserum concionatorem, quantopere se macerauit! & nil præterea referre possunt, cùm eius verba præcipitata siue festinata intelligere non possent. Quocirca non consistit persuasio in defatigatione illa, & acceleratione: sed potius in eo vt concionator consideratè, attentè, distinctè, & denique cum vi & efficacia loquatur. Ad quæ præstanda nil necesse habet se tanto macerare opere, sed vitæ & saluti consulere potest, & audientium vtilitati etiam multo magis prouidere. Quod si quis obiiciat prædicatorem esse salem, qui se ipsum conficiat, & extenuet saliendo, aliósque instruendo; tum etiam esse candelam lucentem, quæ dum lucet aliis interitum sibi adferat. Respondeo verum quidé cõcionatorem debere salire sua eruditione, & lucem adferre cæteris: sed tamen ea ratione ne sese interficiendo frustrà, & delassando, cùm cõmodius aliter possit, certe non debet. Quod si rerum aliqui obiiciant se zelo charitatis id facere, & alij asserant eam se habere naturam & consuetudinem, et eam mutare non posse. Respõdeo fortasse primos falli in eo qtod putent id à se fieri ex intima charitate: itẽ dico quòd excellentius id aliter præstare possunt. Alij verò deponere certe debent prauam eam consuetudinem, & incipere iam tandem sibi consultius prouidere, tum etiam audientium profectui & vtilitati.

Non decet concionatorem sese iactare quòd eodem etiam die plures habeat conciones.

CAP. XIX.

GAudent multi concionatores, imò & sibi solicitè procurant, atque seipsos iactant, quòd plures etiam eodem die conciones habeant. Et ex his quidem sunt qui dicant sibi ad concionandum non esse opus studere: alij etiã dicunt satis sibi esse inspicere tantum Euangelium. Alij vero quod si per horam ante moneãtur de concione, sibi adhuc tempus supersit ad eam cum dignitate componendam. quidam præterea gloriantur se statim atque ex vno pulpito descenderint aliud conscendere. Hæc certè omnis iactantia si in alio reprehenderetur, multò maiori in eo reprehensione digna est, qui se cæterorum præbet doctorem: qui cæteris præluceре debet, & exemplar esse omnis virtutis, & probatis. Quid dicam, quòd apud doctos & eruditos homines is concionator malè audiat? certũ enim est ad concionem cum dignitate texendam, tempore & studio opus esse, doctores esse euoluendos, methodo aliqua esse vtendum. Quod si tu appellas conciones, centones aliquos cõsuere, aut fabellas plebi proponere, vel ea recitare quæ plus millies recitaris: caue obsecro ne nomen ipsum cõcionis ignorare adhuc videaris: hoc est materiæ sacræ acutè inuentæ, elegãter dispositæ, multo studio elaboratæ, diu multúmque meditatæ, correctæ, ponderatæ, & tãdem decẽti actione, ac voce pronuntiatæ. Quamobrem fugiat omnino huiusmodi iactantiam cõcionator, ne apud doctos, imò etiam & apud plebem malè audiat, cui exemplar esse debet, non vitij, & arrogãtiæ alicuius, sed omnis probitatis, ac virtutis. Si pollet facultate ingenij

ingenij acutissima: si exercitatus est in concionando, si citius quàm alij concionem texere potest: det tantum gratias Deo, ex quo bona cuncta proueniunt: nil sibi vnquã arroget, aut tribuat: Sed suas exiguas quidem esse vires tãtummodò agnoscat, & diuinum auxilium perpetuò imploret, non tam ad multas habendas in Dei gloriam conciones, quem adeas habendas in proximorum, ac suam vtilitatem.

Alio atque alio concionandi genere, & materia vti concionator debet, non vno & eodem fastidium aliquod parere.

CAP. XX.

QVemadmodũ nullus est cibus adeò suauis, quin fere si perpetuò offeratur, aut eodem condimento, fastidium tandem aliquod ingenerare consueuerit: sic fere nullum tam exquisitum deligere potest concionandi genus, aut materiam, prædicator, quin si semper illud proponatur, molestiã tandem aliquam exhibeat. Vt si idem semper vitium reprehendat, aut eandem virtutem suadeat, vel eadem salutatione vtatur. Consueuerunt enim sæpè auditores, præsertim rudes, dicere, illi concionatori materiam deesse, aut eum nũquam studere, vel cantilenam eandem semper canere. Quare prudens piusq; concionator fragilitatis audientium miserus, debet sese illis accõmodare: nunc totum Euangelium paraphrasibus explanando, nunc verò vnam tantùm clausulam explicando: iam virtutem aliquam suadendo, interdum ad aliam sermonem conuertendo: nonnunquam in hoc vitium inuehendo, aliquando aliud reprehendendo. Memineritse debitorem esse sapientibus, & insipientibus: quemadmodum Paulus Apostolus Epist. ad Roma. 1. cap. asserit. Meminerit se esse Pelicanum, quæ auis etiam multo cum sanguine suo filiis prouidere solet: ita concionator non debet laboribus parcere, nõ vigiliis, & sudoribus, vt audiẽtium ipsorum profectui, & saluti consular. Quod si re ipsa postulauerit, vt eãdem interdum ter, quaterq; repetere materiam debeat: eam ita disponet, varióque condiet condimẽto, & ornamento, vt alia iam res esse videatur: noua semper aliqua adiiciendo, quæ auditorem retineant, atque delectent. Sæpè enim contingit vt debeat eadẽ à concionatore res iterari, & inculcari: atque tunc poterit, quemadmodum prouidi coqui solent, re nõ immutata, condimento tantum alio vti ad gustum delectandum. Quod si diligenter curauit, fiet profectò tum vt suo muneri satisfaciat, tum etiam vt ne minimum quidẽ fastidium theatro ipsi adferat: imo illud maximè oblectet, recreet, atque reficiat, & pro varietate etiam audientium, & morborum eorũdem, varia remedia proferat ac proponat.

Quomodo concionator possit multos annos etiam in eodem templo, & pulpito, honorificè conseruari.

CAP. XXI.

FAcile poterit concionator per multos annos in eodem pulpito conseruari, si vigilans modò, ac diligens fuerit in materiis ipsis, & rebus quas tractat, magno studio ab initijs ipsis repetendis, et accuratè pertractandis. Multi enim eò non conseruantur, quòd perfunctoriè et cursim materias ferè omnes etiam in vna cõcione pertractent, percurrendo simul omnium hominum status, atque officia: ita vt deinceps nõ supersit quid dicant, nisi iam ad eadem redeant, et reuertant. Agũt siquidem de cõcubinatijs, de vsurarijs, de lusoribus, delectatoribus, auaris, peruersis iudicibus, testibus falsis, et aliis huiusmodi, simul eadẽ concione. Quod tractandi genus etiam Philosophus ille Seneca reprehendit lib. 14. epist. ad Luci, epist. 95. dicens, Omnes species complecti nõ possumus, sed singulę sua propria exigunt, &c. Quare vt conseruetur concionator, necesse est materias exactè tractet, inde à suis fundamentis exordiendo & inchoando, & easdẽ materias dilatabit, plures adferens rationes, & in eisdẽ commoratus, ea quæ sunt moribus informandis accommodata deliget: complura sanctorum ipsorum testimonia proferet, figuras ex sacris Bibliis expromet, antiquorum grauiumq; Philosophorum dicta ac sententias exquiret: varias eiusdem loci interpretationes ex interpretibus hauriet. Quibus, etiam singulis accuratè tractandis, & expẽdendis, certum est multum temporis insumendũ esse: aliter enim multa breui tempore percurres, ac pertractabis rerũ genera. Vt enim quis varios citissimè percurret libros, si titulos tantum librorum & capitum legit: sin autẽ singulas clausulas, & singula verba diligẽter expendit, in vno dumtaxat libro lõgissimam mediusfidius quandam trahet moram: sic planè qui obiter tãtum & leuiter res ipsas in cõcione tractarit, varia quidem rerum genera etiam rapidissimo temporis curriculo tractabit: si autem perdiligenter, & maxima solicitudine atq; studio, in vnaquaque modò materia diu multumq; cõmorabitur, & desidebit. Iuuabit etiam illud vt diutius concionator in eodem cõseruetur ac perduret loco, nimirum vt conciones suas describat singulis annis fusissimè in suis quaternionibus, eo fine, vt si forte dubitarit num illud quod sequenti anno vult prædicare, iam prædicarit, consulens suos quaterniones, & id inueniens, possit illud ipsum aliter disponere, & variare, si videbitur sibi eadem re vtẽdum esse quàm superioribus annis prædicarit & proposuerit. Eadem enim sententia alio atq; alio ornata vestitu & ornamento, alia fere semper apparere solet. Prædicare autem eandem concionem eisdem propè verbis ter, quater ve, his tantum licitum esse videtur, qui cantilenam eandem semper canunt, quique duas tantum aut tres conciones cõmunes mente tenent, & easdem cum audientium fastidio semper inculcant. Qui verò suæ existimationi consultum cupiet prædicator, nunquam eandẽ concionem eisdem præsertim auditoribus bis repetet, nullis omnino mutatis verbis: imo nec bonam concionis partem, sed potius alio atque alio verborũ saltem vtetur ornamẽto, & aliis vtetur expositionibus vnius & eiusdem loci, alia & alia reprehendet vitia, & cætera denique tanto artificio mutabit & ornabit, vt & ab audientibus cum applausa audiatur, & suo semper honori consulat. Fenestram tibi etiam amplam patefacient ad materias ipsas videndas, & immutandas, margines sacrorum Bibliorum, & auctorum. Si enim ibi quæsieris aliquem locum, videbis in margine nũ alia etiam citentur loca illuc spectantia, quæ pòteris consulere, et tibi copiam maximam ad dicendũ suppeditabunt. Sed quid quæro? studiosus quisque et vigilans concionator, atque in lectitandis ipsis auctoribus valde occupatus, ipse sibi semper pro loco et tempore immutabit conciones, ita vt nunquam easdem proferat. Hoc enim tantum ignauorum est hominum et secordium, atque eorum denique qui duas aut tres commendarunt memoriæ conciones, vel centones potius sibi quosdam suffarcinarunt, à quibus nunquam, tanquam si labyrintho quodam concluſi essent, seipsos sciunt expedire. Sed hæc de quinto libro.

Autor

AVTOR LECTORI S.

HABES hactenus, amice Lector, quinque à nobis libros, perbreues eos quidem, quòd sint dumtaxat quasi aditus quidam commodissimi, siue præexercitationes, ad eos qui sequuntur libros multò lõgissimos: quibus scilicet continetur spatiosissimus materiarum campus, per quem concionator possit in singulis concionibus excurrere, qui iam ex primis quinque libris modum nouit excurrendi. Ita enim tandem nil ferè desiderari poterit ad concionandi munus cum dignitate exercendum, quod nobis propositum fuit. Noli autem mirari quòd in hoc præsertim sexto libro qui nunc sequitur, tam disiunctas materias, siue quæ inter sese vix cohærere videantur, disposuerimus per suas tractiones seorsum, vel vt ita dicam statiunculas. Neque etiam mirabere quòd verba singula vt habentur in autoribus ipsis quos adducimus, non referamus: nec præterea quòd tam multas sæpè eiusdem doctoris clausulas recẽseamus. Siquidem nostrum institutum fuit ea adferre omnia vndecunque, quæ quacunque ratione ad eundem pertinere scopum viderentur, modò essent materia prædicabiles. Tum præterea existimauimus non tam verba quàm autorum sensum nobis esse proponendum, & eum præsertim qui concionatorio deseruiret muneri. Multas verò àttulimus clausulas eiusdem capitis vel tractationis, tum propterea quòd accommodatissimæ omnes essent: tum etiam propter eos maximè qui libris essent destituti, vt ita facilius concionem texerent: nam propter eos qui amplam haberent Bibliothecam, sat erat digitos tantum in fontes intendisse, quod nos etiam passim fecimus. Denique vt paucis mentem & animum aperiam, illuc in toto opere calamum, cogitationémque omnem direximus, vt hoc tantum ferè volumine adiutus quis posset cum dignitate concionandi munus exercere. Quod an consequamur, aliorum erit iudicium: tu interim nostros conatus qualescunque boni semper consules, pie Lector, qui certè à beneuolo profiscuntur animo, & rei tantum publicæ vtilitatis amantissimo. Si quid autem in tãta autorum & locorum varietate alicubi erratum sit, id tua semper benignitate, & humanitate emendabis.

Vale.

LIBER SEXTVS, IN QVO AMPLISSIMÆ TRACTANTVR MATERIÆ, TAM AD DOMINICAS TOTIVS ANNI, QVAM ETIAM AD FERIAS QVADRAGESIMALES, ET FESTItates solennes, pertinentes, ex limpidis sacrorum, graviúmque Doctorum fontibus haustæ.

Dominica prima Aduentus, secundum vsum Romanum, vel secunda secundum aliquos.

ERVNT *signa in Sole, Luna, & stellis, & c. Luc. 21. Mat. 24. Marc. 13.* Si velis commodam aliquam instituere & præmittere salutationem pro hoc Euangelio, vide D. Gregor. Hom. 32. super Euangelia, qui sic ait, vel in hunc sensum. Certè si apud quendam magnum iudicem causa quælibet vestra esset die crastino ventilanda, totus hodiernus dies in agitatione duceretur, patronum vestra fraternitas quæreret, magnis precibus ageret, vt apud tantum iudicem sibi defensor veniret. Item Homil. 34. super Euangelia, ait: Largitatem supernæ pietatis aspicite, & ad misericordiam iudicis, dum adhuc expectat, cũ lachrymis venite. Item homil. 39. Nunc cum nos dissimulat, oremus, defleamus, oculos coniiciamus in id quod sequetur, deleamus & lauemus lachrymis nostra peccata, & præparemus nos, siue præueniamus, ad hanc diem: & non audiemus illud Luc 19. quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt aboculis tuis. Hæc poteris dilatare, & applicare, & si aliqua alia habes; ego tantum digitos, vt dixi, & admoui, in fontes intendam: nam longissima est perambulanda via.

Auctor. *Erunt signa in Sole, & c.* Poteris ingredi, si voles, hoc conceptu, postquam virginem salutaueris. Quid hoc noui, aut monstri simile, agnus benigne, & mansuete? Vnde nam piè Domine tanta iracundia? Contra hominem ipsum tantis opus est tonitruis, portentis, atque prodigiis? Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? Aliquid, mihi credite, noui est in hac re, & aliquod mysterium, Auditores Christianissimi, hìc latet. Vultis scire quid sit? inquit Deus per Esa. 42. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar; dissipabo, & absorbebo simul. Desertos faciã montes, & colles, & omne germen eorum exiccabo; & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam. Exuberant, atque exundant iam vestra peccata, ac propterea tantopere commoneor, & irascor. Si iratus sum, vos estis in culpa. Vobis ipsis hoc adscribite, non mihi. Ego enim hoc facio quasi inuitus, & à vobis prouocatus: sed nonne quæso debeo irasci, & succensere? Deus iudex iustus, fortis, & patiens, & c. Quod si non quasi inuitus hoc facerem, certè neminem submonerem, at semper clamo. Non enim vult te percurtere, qui tibi clamat, obserua, et aduerte, caue tibi, et considera. Si ego delectarer in vestra punitione, nunquam tam sæpè vos admonerem. Non enim delectaris in perditionibus nostris, Tob. 3. et Sap. 1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, et Osee 13. perditio tua Israel, Ex vobis igitur prouenit culpa tanti mali.

Iob. 13. Nequeo planè intelligere quod fundamentum inueniãt homines, vel quem fortissimum murum opponãt, vt non debeant pertimiscere valde extremum illum iudicij diem. Neque intelligo qua ratione cum ista sua tam peruersa vita possint sperare in diuina misericordia. Inuenio equidem legendo sacras literas tam veteris quàm noui Testamenti, castigasse Deum grauissimè multos, non dicam propter atrocissima scelera, sed etiam propter minima, in aliqua præcepta sua commissa, quæ viderentur non multi momenti. Nescio igitur quo tandem modo viuas tam impiè, et sceleratissimè, et tamen tam otiosè, sineq; cura vlla, pœnitentia, ac solicitudine, cõfidendo (sed frustrà hoc modo perseuerando) in diuina misericordia, et obliuiscendo horribile illud et tremẽdum iudicium. Lege obsecro illius historiam, qui ligna colligebat sabbatho: quisnam putasset propter rem quæ videbatur tam leuissima, et in qua tam parum videbatur Deus offendi, et proximus scandalizari, castigari eum hominem tanto rigore, vt lapidaretur, et interficeretur per manus totius populi? Contemplare etiam Mariam illam sororem Aaron, quæ licet esset summæ virtutis, vt patet ex Exodo, propter id tamen dumtaxat, quòd murmurauit de Moyse, adeò Deus in eam iratus fuit, vt graui eam lepra percusserit, et per septem dies eiecta fuerit à congregatione populi Hebræi, neque potuerit sanctus Moyses, etsi pro ea intercederet, remissionem aliquam impetrare. Considera præterea Moysi sanctitatem, et amicitiam qua cõ Deo coniungebatur, et quàm ardenter eum Deus amaret, et vide ex alia parte in aqua illa contradictionis seuere à Deo fuisse punitum sine remissione. Si igitur cum tanta asperitate se gerit Deus in amicos, quid expectabit magnus peccator, & facinorosus? cum video certè tam rectum hominem, sanctum, et benignum, non posse reuocare diuinam

Psal. 7.

Num. 15.

uinam sententiam, dico apud me: si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt! Cum video mandare Deum offerri arietem sine macula, vel vitulum, pro eo qui per ignorantiam peccauerit, & quod oret pro eo sacerdos ad placandam Dei iram: tacitus apud me reputo, si ita placãdus est Deus pro peccatis commissis per ignorantiam, quidnam face-
2. Reg. 6. re debebunt qui peccant per malitiam? Quia Oza attigit arcam, statim occubuit: tu verò in dies magis magisque delicta patras, adeò vt videaris nunquam expectaturus tempus in quo Deus facinora ipsa castigaturus est, & id inultum auferes? Age iam, quid
Acto. 5. tantum egerant Ananias, & Sapphira, qui morte occubuerunt repentina? nonne erant suæ possessiones illæ, quas vendiderant, & pretium ex possessionibus suis, quod sibi reseruarant? neminem sane illis fefellerũt, neq; pecunias quas reseruauerãt cõtra cõscientiã acceperãt ab emptoribus: nihilominus tamẽ quia totam pecuniã in Apostolico deposito non posuerũt (cum sese tradidissent vitæ Apostolicæ) fuerunt ca-
Ioan. 13. stigati. Vndénam igitur in tantis peccatis tua tanta confidentia, & minimus timor diuini iudicij prouenit? Interminatus est Christus Petro infernum, si non sineret tantum pedes suos lauari: & tu non credis similem pœnam tuis tantis sceleribus debere cõtingere? Hactenus Basilius locutus est.

Sicut fulmina fortissima fortiores etiam oblatas res conterunt, & omnino consumunt, & vbi maiorem offendunt resistentiam, ibi virtutem suam magis exercent, omnia huiusmodi confringendo, & cõburendo, & quę imbecillia sunt & minime resistunt, illæsa relinquunt, sicut experientia docet, & Plinius affirmat lib. 2. Natura. histo. Sic Deus venturus in iudicium, superbos quidem, elatos, tumidos, proteruos, & arrogantes, sua virtute prosternet, ac rigidè puniet, humiles verò, & obedientes, non tantum nõ puniet, verum se etiam illis pium & misericordem, suauémque præbebit.

In hoc terribili & formidabili die Deus erit testis & iudex: & ita dictum est per prophetam Hiere. ego sum iudex & testis dicit dns. Vide tu obsecro quis negare poterit quod ipse dicet, aut quis contradicet eis quæ ipse testificabitur? Hinc videtur prouenire quòd erunt boni iustè præmiati faciendo sua bona opera in absconditо, quandoquidem ea Deus videt, & debet præmiare, & de eis testimonium ferre. Inquit autem Esa. 42. sicut parturiens loquar: parturiẽs namque cum dolore eiicit quod diu in abditis cum pondere portauit: post longum igitur silentium sicut parturiens dominus loquitur, quia quod apud se nunc tacitus tollerat, in vltione iudicij quasi cum dolore manifestabit. Greg. 9. Mor. cap. 17.

Magis certè timebat tam horribilem diem quàm tu timeas, doctor quidam sanctus, qui dicebat: timeo mortem quæ mihi est acerba: timeo infernum, quia æternus: timeo tenebras, quia nil habent lucis. Timeo vermem illum venenosum, quia nunquam interibit. Timeo quando cogito diem illum horrendum qui non potest pretio immutari. horreo sedem illam & tribunal horrendum: formido iudicem incorruptum, formido igneum quoddã flumen quod currit ante tribunal cum voracissima illa flãma. Formido crudeles illas pœnas & supplicium sine fine: timeo catenas, & carceres succensos, stridorem dentium, fletúmque sine consolatione. Timeo probationes illas sine excusatione. Non indigebit iudex ille accusatoribus, testibus, aut probationibus: quin potius quidquid cogitauimus, diximus, fecimus, ante oculos nobis ipse proponet tali modo, vt nil inficiari valeamus. Tunc non erit qui nobis faueat, aut nos defendat: non erit pater, non mater, non filij, non cognati, non amici, non vicini, aut noti: non pecunia, non potestas. Omnia hæc peribunt, & tantum relinquetur reus solus comitatus suis delictis. Quanto cum terrore & pudore putas te eo die expugnandum, cum videris ministros illos tartareos tam crudeles, tamque immanes? quorum vel visiones tantùm horrendę excedunt tormenta omnia humana. Ingemiscent mali, & nullus eorum miserebitur: voces edent ex penetralibus illis, & abditis ae horrendis locis, & non erit qui exaudiat. Quidnam ibi faciet iactantia? Quid tunc de vana gloria? quid de diuitiis? Quid de delitiis & lautitiis? Quid de mundanis apparatibus, de vestitu, & nobilitate generis? Quid de cupiditatibus, & de humanis fauoribus? vbi nam apparebit vana & inutilis mulierum pulchritudo? vbi audacia effrænata, & petulantissima? Vbi fœdissima venerea delectatio, & odores, ac tectus inhonesti, & lasciui? Vbi potiones frigidissimæ, & exquisitæ? Vbi cæca auaritia, superbia intollerabilis amor sui, & contemptus aliorum? Vbi tyrannica potestas vel dominatio, reges, principes, duces, & magnates? vbi horum thesauri, superbíque sumptus, atque despectus pauperum? vbi regales sedes, cæteráque ornamenta & apparatus, delicatissimæ vestes, puluini suppositi, byssus, & purpura? vbi denique magnificentissima, & pretiosa ædificia? Cõsiderandum est ergo fratres diligenter quales esse debeamus, vt sine timore accedamus ad illud iudiciũ, in quo minima quæque non modò facta, sed dicta etiam, & cogitata numerabuntur. Nec solum hæc, sed etiam otiosa dicta, neque solum verba otiosa, sed etiam cogitationes otiosæ. Considerate præterea quanta futura est lætitia nostra, si Dei benignitate talia fuerint opera nostra, vt mereamur collocari nõ in sinistra, sed in dextera iudicis ipsius, audiréque suauissimam illam vocem: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum. Contemplemur autẽ vt ad hoc peruenia mus, supplicium æternum malorum, quanto pudore confusi apparebunt ante iudicem, videndo se separari ad sinistram. Quid quæso mente voluent, cum verba illa in ipsos proferentur? Ite maledicti in ignem æternum. Quidnam dicent quando tradentur & deportabuntur in locum tam teterrimum, & horrendum quem etiam dæmones videntes terrentur? Hæc ex Cyrillo oratione de exitu animi, & de secundo Aduentu, to. 4.

Quis poterit tonitrum magnitudinis illius intueri? Iob 26. super quæ verba inquit Gregor. Acsi apertè dicat, si minima signa vix ferimus, horrẽdum atque terribilem maiestatis eius Aduẽtum qua virtute tollerabimus? lib. 17. Moral. cap. 19.

Chrysost. salutaris planè est timor & tremor tam horrendi diei, & eum sibi diem semper ob oculos proponere vtilissimum est ad peccata coercenda. Si timor bonus non esset ac necessarius, non darent patres suis filiis magistros ac pedagogos, à quibus discerent, & quos timerent: nec iudices essent, aut carnifices & tortores in Repub. vis ne apertius hoc intelligere? Quid grauius siue terribilius inferno, & quid eius consideratione fructuosius? Vbi timor, non est odium, non cupiditas, non furor. Et quemadmodum si custodierit domum aliquam fortissimus miles maxima diligentia, & armis, domus illa tuta est: ita cum est timor in anima omnia, fugantur vitia atque facinora. Qui non viuit cùm timore, ecquid boni præstare potest? tantum profuit Antiochenis timor Imperatoris, sciendo quod multum exercitum mittebat ad eos castigandos, propter iniuriam qua eum affecerant, destruendo statuas suas, vt admiratus Chrysostomus doloris populi, mutationis vitæ, & emendationis morum, natæ ex

hoc timore, dicat: si timor Romani exercitus tantum poteſt ad vitam emendandam, quid poterit timor tremendi iudicij? Si igitur propter hunc timorem omnes in ciuitate malos contractus reliquerunt, & ſe totos dediderunt virtuti, adeò vt totus populus in templum Dei conuerſus ſit, quantò vtilius fuerit & fructuoſius ſibi ſemper ob oculos ſtatuere diem illum Domini terribilem? Mirabile ſanè eſt videre diuinam maieſtatem & ſapientiam medium quo dæmon vſus fuerat ad ciuitatem euertendam ſibi aſſumpſiſſe ad eam conſernandam, & terrorem qui ex punitione ſperabatur conuertiſſe in tantum commodum & vtilitatem, vt magis iam redditа videretur Antiochia cœnobium religioſorum, quàm congregatio ciuium. Aliter quàm putarat planè dæmoni contigit, neque iam in ciuitate erat venereorum exercitatio: non laſciuiæ in populo: omnes ſimul inuocabant Deum, atque ab eo ſuppliciter veniam auxiliúmque petebant, omnes in lachrymas conuerſi erant & deuotionem, atque in omne genus virtutum. Dic mihi igitur iam tandem, ſi timor vnius iudicis terreni tantopere immutauit Antiochenos: quanto vtiliorem tibi futura eſſet memoria & recordatio tam ſtupendi iudicij? in quo potentiſſimus iudex puniet ſeueriſſimè mundum propter ſcelera in tantam maieſtatem patrata. Hæc ex Chryſoſt. ad populum, hom. 15. to. 5.

Sicut vbi apparet magna & regia Aquila quæ reliquarum auium exiſtit regina, cæteræ aues expaueſcunt, & omnia omnino deſerentes, celerrimè in caueas quibus abſcondantur conuolant; ita cum filius Dei rex regum & dominus dominantium redibit in mundum, tanta quidem maieſtate & claritate apparebit, vt omnes homines expaueſcant, & vbi occultentur, inquirant.

In illo tanto examine, electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & vnuſquiſq; quid ſit operatus oſtendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit: ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, totum mundum adducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam: ibi Ioannes Aſiam: Thomas Indiam, in conſpectum ſui iudicis conuerſam ducet: ibi omnes Dominici gregis duces cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo à ſe conuerſum gregem offerent. Cum autem tam multi paſtores cum tanto grege oſferentur, vbi tandem apparebimus nos, præſertim ſi paſtores fuerimus, ſine vllo non modò grege, ſed ne oue quidem noſtra, quam prædicatione & exemplo Chriſto lucrifecerimus? Gregor. ſuper Euang. Hom. 17.

Non erit tunc modica perturbatio totius vniuerſi, cum ſit futura tam horrenda, vt propter tantam & regis maieſtatem, & vexilli ſuæ ſanctiſſimæ Crucis, ſit obſcurandus ſol, & luna, & moueantur virtutes cælorum, mirentúrque cum videant tantam rerum mutationem. Non quidem obſcuraretur ſol, niſi ſplendor ille tantæ maieſtatis & vexilli crucis, ſplendorem titanium ſuperaret. Tunc gement omnes tribus terræ, & quod grauius eſt, nunquam finem & exitum tantus fletus & planctus eſt habiturus: imo ſemper ſe accuſabunt, & promulgabunt aduerſum ſe formidabilem illam æternæ mortis ſententiam. Cauendum igitur eſt ne propter minimas & breues delectationes, in voraciſſimam, æternámque flammam coniiciamur. Et ne cũ recuſemus breui aliquo tempore ſuſtinere labores aliquos, non admittamur ad gaudia ſempiterna, Quod autem certus nos hic dies tremendus maneat, apertum certè ex eo eſt, quòd in mundo accidere videamus vt peccent multi, quotum etſi aliqui hic puniantur tum per iudices temporarios, tum etiam per alia flagella à Deo immiſſa, tamẽ complures alij peccatores, fortè peiores & nequiores, in hac vita pro ſceleribus nec à temporariis plectuntur iudicibus, nec etiam à Deo, ſed in ſummo potius honore & pretio à mundo habentur. Quare hinc planè perſpicuum eſt, cum Deus Opti. Maxim. tam rectus ſit, & tam alienus ab acceptatione perſonarum, támque amicus iuris ſui cuique reddendi, tandem aliquando futurum diem, in quo illi plectantur qui pro delictis hic non fuere caſtigati, & totam ſimul pœnam exoluant, boni autem qui hic contempti ſunt præmio afficiantur. Hæc Chryſoſtomus ſuper Matthæũ, Homi. ſeptuageſimaſeptima, tomo. 2.

Omnes homines ſumus fragiles ac culpabiles, & aduerſus quemlibet noſtrum dæmon quærelam habet, & accuſationem. Et ſic Dauid ait Pſalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & Pſalm. 124. non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: & Eccleſi. 7. Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet. & 1. Ioan. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, & c. & Iaco. 3. In multis enim offendimus omnes. Itaque nó eſt homo aduerſus quem princeps huius mundi non habeat aliquid, ideò omnes iudicium tremendum timeamus. Grego. Hom. 39. ſuper Euan.

Ibit hoc tempore dæmon diligens vt fallat & decipiat homines, videndo eos poſitos in tantis calamitatibus & anguſtiis. Satis autem cognitus & manifeſtus erit in ſuo aduentu iudex, cum ſit tanquam fulgur exiens ab oriente & parens vſque in in occidentem: in quo oſtenditur quod non ſolum erit eius aduẽtus tam manifeſtus vt toti mundo notus ſit, ſed etiam eius claritas tam immenſa erit, vt homines eã contueri non poſſint. Si ſol cum ſit tantum creatura ad noſtrum miniſterium fabricata, tantum habet ſplendorem, vt poſitus in vna cæli parte videatur eſſe præſens in maiori parte totius mundi: quantò magis preſens aderit omnibus ſol iuſtitiæ Chriſtus veniens ad iudicandum! Obſcurabuntur hoc die, ſol, luna, & aſtra: quando enim pater familias moritur, famuli omnes conturbantur, & tota familia luget, totáque domus in ſqualore eſt, ita in tremendo iudicio cum totum genus humanum moritur, & in tantis verſatur malis, omnes creaturæ dolorem quendam intimum præ ſe ferre videntur, cum ad hominis miniſterium eſſent creatæ. Atque ita exuentes ſe veſtibus claritatis & lucis, induentur omnes lugubri veſte, tenebris ſcilicet & obſcuritate. Dicere etiam poſſumus quod id faciunt vel propter compaſſionem bonorum, quos vident in tantis malis, vel propter malorum indignationem, videndo tanta ſcelera quæ commiſerunt. Erit tãdem nox multæ miſeriæ et tenebrarum, ad diuidendum diem huius miſerabilis ſeculi à die ſequentis ſeculi feliciſſimi. Æquum enim nõ eſt vt hic dies tantæ calamitatis, in quo hîc viuimus, cõtinuetur cum alio tã quieto, ac delectabili. Chryſoſt. in non abſoluto Hom. 49. to. 2.

Semper tui creatoris memoriam habe, et talis ſit tuæ iuuentutis vita vt ſemper mortem recorderis, et rationem penſes diſtrictè reddendam Deo, antequam ipſum tempus aduenìat: ne forte in mortis tẽpore aliquod tibi offeratur obſtaculum, ex negligentia tua productum. Hieron. in Eccleſiaſten. cap. 12. tom. 7.

Si vt tranſirent Hebræi diuiſæ ſunt aquæ Iordanis, et coaceruatæ in altos montes, ita vt viderentur à vicinis regionibus: vt videre eſt apud Ioſue cap. 3. quã in altũ quæſo ſubleuabitur mare, cum venturus eſt in iudicium Deus! Non poteſt propheta Ioël ſatis explicare, vt cõſtat ex cap. 1. tantum tamq; tremendum

dum diem: vnde dicit, Ah, ah, ah diei, quia prope eſt dies domini: & nos tamen ſæpè de eo loquimur? Hoc quidem eo fit, quia nos ſuperficiem dumtaxat eius videamus, propheta autẽ & diuinus vates cum rem attentius contemplaretur, non poterat cohibere lachrymas & ſuſpiria, ſed euiſcerabatur fere, ac tota mente & omnibus artubus contremiſcebat. Si quòd concidat tantum domus aliqua, adeò qui ruinam audiunt abſterrentur: quid tunc erit cum ædificia totius terrarum orbis vaſtabuntur, & corruent? altum Capitolium corruet, Memphis, cæteráque ædificia ſumptu maximo exrructa, & in cælum vſque prope elata, muri, propugnaculà, & regiæ ſublimes. Quid autem facient minimæ ſtructuræ, & ædificia, cum tam maxima humi adæquabuntur? Si domus vna tantum incendio inflammata totam terret viciniam, imò & oppidum, quid tũc futurum eſt, cum vniuerſus incendio conflagrabit orbis?

In hoc tremendo die plangent omnes tribus terræ: flebunt Iudæi videndo cum tãta maieſtate eum, quem ignominioſa affecerunt morte. Dolebunt Gẽtiles, qui deceperunt ſeipſos vana ſua Philoſophia, ridiculum eſſe putantes & ſtultitiam adorare crucifixum. Gement peccatores Chriſtiani, quòd magis mundum quàm Chriſtum amauerint: quibus quidem erit triſte nuntiũ illud, cum iudex dicet, vbi nã fructus tantorũ operũ, quæ pro vobis operatus ſum? Vbi nam gratitudo tantorum laborum, quos pro vobis ſuſtinui? vbi nam infinitum in vobis apparet ſanguinis pretium, quem effudi pro redemprione animarum veſtrarum? Ego vos maximi feci, cum homo factus fuerim pro vobis, vos autem pro tanto beneficio me contempſiſtis omnino, pro rebus iis caducis quas magis quàm me amaſtis. Hæretici præterea qui à fide receſſerunt vehementiſſime concutientur, quippe qui à gremio Eccleſiæ receſſerunt, & cõtemſerunt paſtorem bonum eiuſdem Ieſum Chriſtum. Omnes denique lugebunt, ſed præſertim mali, qui nulla poterunt potentia ſententiæ contra ſe iudicis reſiſtere, nec poterunt fugere à præſentia illa treméda, nec locus erit ad mala defleda, quæ patrarunt: quia iam tunc meritum nullum ſortientur lachrymæ. Neque admittentur ad pœnitentiam, quia tunc cõtemnentur omnino, & poterentur. Nec etiam vllus ſupererit locus ad reſtituenda malè acquiſita, nec reſarcienda male facta: quia iam plæcluſa eſt via omni bono operi. Merito igitur lugere debebunt, præſertim cum nec diuitibus ſuæ proſint pecuniæ ad eleemoſynam largiendam, neque parentes conſulere poſſint peruerſis filiis, neque angeli vt ſolebant propitij ſint futuri. Ea ſiquidem eſt eius terribilis diei natura, vt nulli remedio omnino locus eſſe poſſit.

Si quando rex aliquis terrenus vult inſigne aliquod edere ſupplicium, cui aſſiſtere omnes debent, tunc magnates omnes conueniunt, omnes domeſtici in armis ſunt, & totus denique populus commouetur, ac ciuitas volitat armata: credibile planè eſt hoc in die in quo rex regum totum orbem iudicare parat, & in publicam lucem totum genus humanum euocare, volens huic iudicio idem aſſiſtere cum ſua maieſtate, acceſſuros cum eo aulicos omnes, & magnates, atque optimates, hoc eſt ſanctos. Thronus autem cum quo accedet, erit Cherubin & Seraphim ornatus: ita enim decet tantam maieſtatem. Faces præcedentes talem iudicem erunt fulgura & coruſcationes maximæ. Tubæ erunt tonitrua vehementiſſima. Nam cum rex ipſe procedat, antè talis vox & ſonus præcedet, qui penetratis elementis omnibus per totum audietur orbem. Penetrabítque mate vniuerſum, & viſcera omnia terræ. Sanè terribilis erit vox ea, quandoquidem confringet lapides, aperiet inferos, perſtringétque eorum oſtia fortiſſima, educet animas ex intimis penetralibus, & reducet ſingulas ſuis propriis corporibus. Hæc tremenda vox tanta etiam erit, vt diſcurrat per ſinus totius maris, & voragines ipſius telluris, ad congreganda vniuerſa hominum oſſa, quantumuis variis longéque diſtantibus diſiecta locis, & in res alias commutata. Quæ diuina virtute perfacile fient, ita vt vnaquæque res reſtituat ſtatim ſine contradictione quidquid ad corpora pertinebit, & ſpectabit. Chryſoſto. in non abſoluto Homi. 49. to. 2.

Platonis ſententia eſt, ſapiẽtiam omnem in mortis meditatione conſiſtere: quod quidem ita laudauere Philoſophi, vt hanc meditationem ad cælum vſque extulerint. Cæterum multò amplius atque perfectius illam conſiderabat & meditabatur Apoſtolus, qui dicebat. Quotidie morior propter veſtrã gloriam. Quo circa meditemur mortem, iudiciúmque diuinum, velimus, nolimus, nobis affutura certiſſimè: & id quidem citò erit, quamuis permultos viuamus annos. Hierony. ad Heliod. to. 1. 1. Cor. 15.

Conſiderando huiuſmodi diem, inquit Auguſtinus ſcribens ad fratres in Eremo: ô fratres chariſſimi quàm formidabilis erit dies ille, cùm dominus noſter Ieſus Chriſtus veniet cum flamma voraciſſima comburente inimicos omnes! ante quem vniuerſa contremiſcet terra, areſcet mare, defluent montes ſicut cera. In illa die trudentur mali in æternos carceres: vbi luctus erit ſine conſolatione. Væ illis qui ad tam tetra mittentur loca, in quibus infernalis ille & tartareus fumus in omnia perdurabit ſecula. Vbi nunquá ignis extinguetur, nec vermis morietur. Non audientur tunc aliæ voces præter gemitus: non ſupererit aliud refrigerium, niſi quod proueniet à rapaciſſima illa flamma. Emenda igitur frater vitam dum tempus datur: implora nunc auxilium diuinum, cum locus datur. Fleto nunc, dum lachrymis non intercluditur via. Noli pœnitentiam differre dum hoc in tempore viuis, in quo tantum eius fructus commodiſſimus eſt, & vtilis. Dum viuis conſule tuæ ſaluti, & antequam te mors ipſa inopinata abripiat, præueni teipſum, ac præpara. Et quia deinde manus & pedes ſunt colligandi ne poſſis opus aliquod exercere: nunc iam te bonis operibus exerceas cum datur anſa & occaſio. Hæc Auguſt. ad fratres in Eremo. ſermo 63. tom. 10. & de ſanctis ſermo. 40. to. 10.

Nil eſt quod nos ita coërceat ac reſtræner ne in vitia decurramus, & defluamus in voluptates, vt meditatio laborioſæ mortis nobis affuturæ, atque diſtricti iudicij Dei, quod nos manet. Sic videmus reũ damnatum ad mortis ſupplicum nullis omnino rebus aut verbis oblectari, nullóque ſolatio affici. Chryſoſt. ſermo. de nequitia depulſa & virtute inducta. to. 5.

Cogitanti mihi fratres ex altera parte huius iudicij magnitudinem & acerbitatem, ex altera verò communem vitæ noſtræ corruptelam, atque licentiam: diligentiúſque huius tantæ cæcitatis cauſam indaganti: ea mihi vel præcipua viſa eſt, quòd perperam homines (dæmone id operante) de diuina miſericordia, ſimul & iuſtitia, ſentiant. Communis enim humani generis hoſtis hoc ſemper agit, hoc curat, vt diuinam peccatoribus miſericordiam ſemper ob oculos ponat, non vt eam diligant, ſed vt ab ea peccandi anſam arripiant: contrà verò diuinam iuſtitiam atque iudicium ita extenuat, vt ſublato omni diuini timoris fræno in peccata omnia præcipites agat. Scit enim verſutus ille hoſtis quod ſi vel minimam partem acerbitatis iudicij huius (quod ille iam in ſe expertus eſt) intelligeremus, ſine du-

bio ad ſolam iudicij & peccati appellationem mente & corpore concutieremur. Hanc tantam hominum cæcitatem homo quidam poſt obitum ſuum cuidam amico apertè declarauit. Rogatus enim ab amico quo in ſtatu eſſet: ille ingenti gemitu reſpondit; nemo credit, nemo credit, nemo credit. Cumque rurſum ab eodem quæreret quidnam illa vox toties repetita ſignificaret; ille rurſus. Nemo credit quàm diſtrictè iudicet Deus, & quàm ſeuerè puniat. Iuſtum eſt igitur vt poſtquam præceſſit dies hominis, veniat dies Dei. Tranſierunt iam dies hominis, in quibus ſua ſuperbia, arrogantia, vindicta, & ferocia viguit: debet igitur accedere dies Domini, in quo vigeat iuſtitia eius, & taceat iſta ferocia humana, atque ſuperbia.

Cum ergo ait Euſebius Epiſcopus Emeſenus, talis futurus ſit terror veniētis, quis poterit terrorem ſuſtinere iudicantis? omnia apud illum collecta, omnia apud illum repoſita, atque ſignata ſunt. Iob. 14. ſignaſti quaſi in ſacculo delicta mea: plus eſt ſignaſſe, quam ſeruaſſe. Et Sopho. 1. ſcrutabor Hieruſalem in lucernis. ô verè miſerandam ſtupiditatem noſtram, qui in tanta ſecordia degimus, cum tanta diligentia commiſſa noſtra omnia in libris illis deſcribantur! vt dicitur Apocal. 20. libri aperti ſunt & c. Quod negotium perinde agi videtur atque ea quæ apud Chriſtianæ fidei defenſores tractari ſolent: apud quos dum vel dormit, vel ludit ille qui in hæreſim lapſus eſt, teſtis interim accuſat, ſcriba diligenter exarat, iudices criminis pœnam decernere incipiunt, cum tamen miſer ille crimipis ſui oblitus nil minus cogitet, quàm quòd eo tempore aduerſus ſe geratur. Quanto aliter beatus Iob: ſic enim vir innocentiſſimus cum Deo agit. Inſtauras teſtes tuos contra me: quæ verba hominis quidem ſunt in terra degentis, ſed quid in diuina curia de ſuis operibus ageretur, formidantis. Quid igitur, inquies, faciemus? certè quod propheta ſe facturum pollicetur, cum ait: ſuper cuſtodiam meam ſtabo, & ſigam gradum ſuper munitionem, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.

Chryſoſt. ad populum ho. 6. to. 5. 1. ad Corinth. 9.

Item: ſi traduceremus hanc vitam in ieiuniis, auſteritatibus, ac vigiliis, inordinatóſque appetitus reſcinderemus, & caſtigaremus, vt faciebat Apoſtolus, corpus noſtrum, & in ſeruitutem redigeremus: non tantum mortem atque iudicium futurum non formidaremus, ſed etiam ipſum optaremus, vt à tantis liberaremur miſeriis, atque laboribus, & ipſorum laborum præmia reciperemus æterna.

Chryſoſt. ad populum, ho. 22. to. 5.

In hac die nullus alteri patrocinari poterit. Tametſi enim iudicem deprecetur ſanctus Noe, aut patientiſſimus Iob, aut iuſtus ille Daniel, vel Patriarcha Abraham, vel electus Iſaac, vel dilectus Iacob, aut omnes patriarchæ & prophetæ Synagogæ, aut omnes Apoſtoli, vel glorioſi martyres, vel vt ſemel dicam, omnes ſimul Dei amiciſſimi, etiam matrem intercedentem ac Dei genitricem ſecum adferentes, non poterunt veniam reis ipſis à iudice impetrare, neque poterunt eundem placare ne eoſdem caſtiget, ac puniat. Dices, vbi nam ſunt indicia id oſtendentia, & quomodo noſcam tunc ſanctorum preces ceſſaturas, atque intercludendum omnino aditum ad diuinam miſericordiam? id quidem pateſaciam ex ſacra ſcriptura. Contemplare obſecro illum in Euangelio non veſtitum veſte nuptiali, tantopere reprehenſum, & à conuiuio eiectum, atque in perpetuum carcerem coniectum: adeo vt neque rex placatus fuerit conſideratione feſti ſolennis, nec etiam parcere voluerit, tametſi eſſent nuptiæ filij, nec quod mirabilius eſt, inter omnes conuiuas vllus inuentus fuerit qui pro eo intercederet. Vide vt caſtigarit eū, qui mnam occultauit, & nō fuerit inuentus, qui eius cauſam patrociniúmque, ſuſciperet. Contuere etiam quinque illas fatuas virgines, quæ quia oleum non habuerunt in lampadibus ſuis, veniēte ſpōſo repulſæ ſunt, & excluſæ à gloria, adeò vt nec profuerint clamores, vt aperirentur valuæ, neque quod admiratione maxima dignū eſt, vllus inuentus fuerit deprecator, qui ſtomachabundum ſponſum mitigaret. Fac tibi præterea ante oculos proponas auarum illum diuitem, qui cum peteret tam minimam rem, nempe aquæ guttam, eam tamen nec pius Abraham cōceſſit, nec Lazarus petere voluit, nec deniq; in toto Abrahæ ſinu ſibi aliquis præſto fuit ad eam rem patronus. Ita planiſſimè ſeſe res habebit in tam horrendo & ſtupendo iudicio, videlicet vt ſecluſis ad læuam malis, tanquam omnium vitiorum ſentinis, damnatiſq;, nullus futurus ſit qui oret pro eis iudicem, aut qui fautorem vel verbo tantum ſeſe illis exhibeat.

D. Bern. in ſpeculo monacho.

Æquum eſt vt ſemper nobis noſtra mors, ſequéſque iudicium ſuccurrant in mentem, atque recordemur nos in ipſam nudam terram eſſe deponendos: & vt id hic ſæpè melius reuocemus in mentem, eſſet prudens conſilium nos deiicere in terram, atque meminiſſe quod quando de vita præſenti recedemus, paupere indumento funereo induemur, & extrito. Manus etiam, ac pedes noſtros ligabunt, velabunt oculos, & ab vno latere in aliud vertent ſine veneratione cadauer. Tum brachia noſtra ſi fuerint leuata inſenſibilia defluent: tunc etiam corpus quacumque poſitione locetur, permanebit immobile.

Non poterunt in hoc die, inquit Hieronymus, merita aliorum aliis prodeſſe: & quemadmodum tempore captiuitatis Babyloniæ nullum remedium Hieremias propheta dare potuit captiuis & peccatoribus, imò monuit eum Deus ne pro eis rogaret: ita erit horribilis dies ille, in quo quiſque pro ſe dūtaxat reſpondere poterit.

Idem etiam alibi ait: Quidnam tunc nobis miſerrimis faciendum eſt, cum ſuper totum orbem deſcēdet tam rapaciſſimus ignis? quid faciemus cum peccatores dicent, cadite mōtes ſuper nos, & colles operite nos, ne tantum videamus infortunium? Quid faciemus cum homines mortem vltro depoſcēt, & tamen ſemper fugiet mors ab eis? quid cùm complebitur prophetia illa? Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihili, & cælos, & non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce mouebantur: & omnes colles conturbati ſunt. Intuitus ſum & non erat homo: & omne volatile cæli receſſit. Aſpexi, & ecce Carmelus deſertus: & omnes vrbes eius deſtructæ ſunt à facie Domini, & à faciæ iræ furoris eius. Hæc fratres quæ futura ſunt, oſtenduntur etiam ex quibuſdam præteritis. Vide quæſo quantam calamitatem diluuium hominibus inuexerit. Recordare quid ignis fecerit apud Sodomam: recordare quid cōtigerit etiam Ægypto. Memento ruinam Hieruſalem per Titum & Veſpaſianum. Ex quibus omnibus colliges tandem quod ſi tantopere puniuit Deus particularia aliqua delicta, multo magis puniet, & grauius vniuerſa hominū delicta in tam horrēdo iudicio. Quod ſi tanta eſt fragilitas naturæ humanæ, vt vel facili quodam ſiue leuiſſimo incommodo abſterreatur: quid tunc de homine futurum eſt, cum expectabit, audiet, videbit, tam horrenda? Si ſufficiens eſt ad hominem prope exanimandū febricula aliqua: quænam futura eſt tunc eiuſdem perturbatio in tantis malis & calamitatibus?

Qui ſe mottuum arbitratut, & Dei iudicium habet ob oculos, non offendit Deum, omnes concupiſcen

Orig. li. 5 in epiſt. ad Rom. ſuper illa verba. ca. 6. Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato. ro. 2.

cupiſcentias malas, & præuas omnes cogitationes, repellit, ac reſecat, harum rerum conſideratione: ſibique perſuadendo ſe mortuum eſſe mundo, viuentem verò Deo.

Semper fratres, ait Hiero. ſit in auribus perſonās terribilis illa tuba, & formidabilis vox, quæ dicet: Mortui venite ad iudicium. Aduenit iam rex, accedit iudex, cui tam accuratè rationem reddere debemus vt etiam de cogitationibus otioſis eam reddere debeamus. Idem ſcribens Heliodoro, dicit, In illa die miſer homo maximè ingemiſcet; ibi potentiſſimi reges denudati apparebunt, & attoniti. Illuc Plato cum ſuis euocabitur diſcipulis, Ariſtoteles cum ſuis argumentis, & vani omnes Philoſophi cum ſuis illis rotundis ſyllogiſmis, & artificioſis.

Voluit Deus vt de tam ſtupendo die etiam ipſæ Sybyllæ inter Gentiles reſtimonium redderēt, vt inquit Auguſt. quædam enim protulit ſequentes verſus,

Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet,
E cælo rex aduenet per ſecla futurus:
Scilicet in carne præſens, vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent, incredulus, atque fideles,
Celſum cum ſanctis, aui iam termino in ipſo.
Occultos actus reteget: tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis iubar, & chorus interit aſtris,
Voluetur cælum, lunaris ſplendor obibit.
Deiiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum ſublime, vel altum:
Iam æquantur campis montes, & cærula ponti.
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni:
Et tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miſerum, variosque labores.
Tartareúmque chaos monſtrabit terra dehiſcens:
Et coram domino reges ſiſtentur ad vnum.
Decidet è cælo igniſque, & ſulphuris amnis.

Hæc Sibylla illa eſt, quæ etiam dixit lingua ſua Græca, Ieſus Chriſtus filius Dei, Saluator. Si voles auctores plures qui de Sibyllis ſcripſere, videte, leges Diodorum Siculum, Plinium, Solinum, Cælium, Martianum Capellam, Lactantium Firmianum, Ælianum, Suidam, Strabonem, M. Vatronem, Virgilium, Euſebium, Oroſium.

Conſideremus, amantiſſimi fratres, ait idem Auguſt. quales manebimus ante Deum & eius iudiciū, cum noſtra opera offerētur ante noſtroſmet oculos. Qualis erit tunc noſtra confuſio & pudor, videndo ita delicta noſtra manifeſtari omnibus coram Deo, & ſuis Angelis: præſertim cum hic de vno tantum homine, tantum pudeſiamus, cum videt defectus noſtros.

Chryſoſt. ſup Mat. hom. 14. to. 2.

Quemadmodum cum rei ex carcere euocantur ad iudicium, vnuſquiſque adfert ſua vincula & impedimenta, alij compedibus impediuntur, alij catenis vinciuntur: ita ante ſeueriſſimum hunc iudicem impij deuincientur ſuis ſceleribus, & adligabūntur facinoribus ſuis, ceu compedibus quibuſdam.

Anſel. li. de Simil. mun.

In hoc tam timido ſpectaculo, in dextra erūt peccata accuſantia, in ſiniſtra innumerabiles dæmones expectantes: in parte inferiori erit hianti & aperto ore infernus ipſe, in ſuperiori Iudex ſeueriſſimus, circumcirca totus mundus ardens. O miſerum peccatorem in tanto conflictu! Quo ibis obſecro infelix? non poteris ſanè te abſcondere; intollerabile vero eſt etiam ante iudicem apparere. Qua igitur tandem parte te conuertes? quod remedium habebis in tantis malis?

Origenes credidit, vt quidam autumant, non

Augu. de ſanctis ſermo. 38

ſuiſſe perpetuò duraturum tartareum illum ignem. Ait autem Viues hoc illum dicere lib. de principiis. Contra quod vide Auguſt. lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 17. & ibidem Commentatorem eius Viuem. Dixerunt etiam nonnulli quod in vltimo iudicio intercedent ſancti pro peccatoribus, & non condemnabūtur. Contra quæ vide Auguſt. lib. 21. de Ciuita. Dei, cap. 18. Alij dixerunt quòd nec homines, nec dæmones perpetua affligentur pœna, de quo vide Auguſt. lib. 23. de Ciuit. cap. 21. Hæc non ſunt prædicanda, niſi aliqua id neceſſitas poſtulauerit: nihilominus tamen concionatorem oportet ea ſcire.

Si Deus noſter intenderet ſolum hîc caſtigare nos in eo die, & in ea re ſibi indulgeret, nō moneret nos tam crebrò vt nobis conſuleremus, & vt recordaremur tremendi iudicij: videtur igitur potius quaſi contra voluntatem ſuam nos punire, quādoquidem tam crebrò monet nos, vt ſaluemur. Nō enim te vult percutere, qui tibi clamat, obſerua.

Greg. 14. li. Mora. ca. 34.

Sunt plerique qui extremum eſſe iudicium verbo tenus ſciunt, imò peruerſe agendo teſtantur quia omnino neſciunt. qui enim hoc non formidat vt debet, neēdum cognouit cum quanto turbine terroris aduenīat. Si enim penſaret pondus tremendi examinis, iræ diem vtique timendō præcaueret: vitarinā que terror iudicis non niſi ante iudiciū poteſt. Modo non cernitur, ſed precibus placatur. Cum verò in illo tremendo examine ſederit, & videri poterit, & placari non poterit.

De duplici iudicio, generali, & particulari, lege Lauren. Iuſtinianum lib. de Inſtitut. & regimine prælatorum cap. 5. inter medium & finem eiuſdem operum.

Verba illa quæ tantopere congruunt huius diei Euangelio, quæ Chriſtus Dominus dixit Matth. 24. cap. nimirū de die & illa hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum niſi ſolus pater, exponit Cyrillus lib. qui inſcribitur Theſaurus, aduerſum hæreticos lib. 9. cap. 4. to. 2.

Verba rurſus illa Mat. 24. ſicut fulgur exit ab oriente & paret vſque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis: reperies explanata à beato Ambro. lib. qui inſcribitur opus Sermonū, Sermo. 28. & 29. prope finem tumi 3.

De fine & conſummatione ſeculi vide Origenem lib. 1. de principiis ſiue Periarchon ca. 6. prope finem tom. 4.

De Reſurrectione in iudicio, conſule Origenem lib. 2. de principiis cap. 10.

De extremo iudicio, vide D. Auguſt. in Sermo. de tempore, ſermo 67. ad medium, to. 10.

Super Epiſt. & Euangelium huius diei duos confecit ſermones D. Antonius Florentinus Archiepiſcopus, principio ſuæ primæ partis Theologalis.

De pertinentibus ad finale iudicium, cōſule eundem Antoni. 1. pa. hiſto, tit. 5. cap. 4. §. 3.

De hac etiam Dominica ſermonem quendam cōtexuit Papa Innoc. 3. principio ſuorum operum, qui incipit, Ecce venit propheta magnus: quæ verba deprompta ſunt ex illo Deutero. 18. prophetam ſuſcitabit tibi Dominus.

Erit enim tribulatio magna tunc, qualis non fuit ab initio mundi: ſuper hoc lege D. Thomam in 4. diſt. 48. q. 1. ar. 4. quæſtiun. 1. ad 1.

Sicut enim fulgur &c. idem doctor videndus 3. p. q. 36. ar. 1. ad 3. & in 4. diſt. 47. q. 1. arti. 1. quæſtiun. 3. ad 1.

Ignis in conſpectu eius exardeſcet, quod ſcribitur Pſal. 49. vide eundem in 4. diſt. 47. q. 2. per totum, & con. gent. lib. 4. cap. vltimo. & de poten. q. 5. a 6. ad 10. item primæ Corinth. 3. cap. lect. 2. & ad Hebr.

cap.10.lect.3.

In illa verba pſal. 9. ipſe iudicabit orbem terræ, vide eundem 3. part.quæſt. 59.art.2.per totum.& in 4.diſt. 47.quæſt. 1.art.2. quæſtiuncula 1. per totam, & quæſtiun. 2. ad 4. & quæſtiuncula 3. in corpore. Item diſt.48.q.1.art.1. per totum.

Super illa verba pſal.61.Reddes vnicuique iuxta opera ſua : vide eundem 3.p.q.56.ar.2.ad 3. & in 4. diſt.43.q.2.art.1.ad 1.& diſt.45.q.2.ar.1.quæſtiun.2. ad 1.& diſ.47. q.1.ar.3. quæſtiuncula 2.& 3.per totã. & contra gentes lib.3.cap.140. & ad Rom.cap.2.lec. 2.& 1.ad Cor.5.in fine. Ad Gala.6.lect.1.in fine.

Super illud Ioëlis cap. 2.ſol & luna obtenebrati ſunt, lege eundem 3.p.q.44.ar.2.ad 2.& in 4.diſt.48. q.1.ar.4.quæſt.2.per totam.

Super illa verba Ioëlis 2. moti ſunt cæli:vide eundem 4.ſenten.diſt.48.q.1. ar.4.quæſt.3.per totam.

In illa etiam verba Ioëlis cap.2.quę inquiunt,magnus enim dies Domini, & terribilis valde. Vide D. Thomam 3.p.q.36.ar.1.ad 3.& 4.ſen.diſt. 47.q. 1. ar. 1.quæſtiuncula 3.ad 1.

In illa etiam verba, congregabo omnes gentes,& deducam eas in vallem Ioſaphat , & diſceptabo cum eis, quæ habentur Ioëlis cap.3.vide D.Thom.4.ſent. diſt.48.q.1.ar.4.quæſt.4.per totam,&Quolibeto 10, ar.2.per totum.

Super illud Deutero.32.Deus fidelis,&c. conſule S.Tho.1.ad Corin.10.lect.3.& 3.p.q.21.ar.1, per totum.& 1.ſenten.diſt.43. q.2.ar. 2. per totũ.& 4.ſent. diſt.46.q.1.ar.1.quæſt.1.per totam.

Super illud, tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo, lege S.Tho.4.ſenten.diſt.48.q.1.ar.2.ad 2.

Super illud , & mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, conſule eundem in 4.ſen.diſt.43.ar.2.& quæſtiun. 2.per totam.

Super verba illa Mat.24. beatus ille ſeruus quem cum venerit dominus eius,&c.quæ quidem maximè concioni tuæ conducent, vide eundem 1.p.quæ. 22. ar.1.in corpore. & prima ſecundæ q.97.ar.4.in corpore.

Circa verba illa Mar.13. Et congregabit electos ſuos à quatuor ventis, vide S. Thomam 1.part.q.91. ar.2.ad 1.& in 4.ſenten.diſt.43.ar.2.quæſt.3. per totam.Et de poten.q.6.ar.4.in principio,

Circa illud Mar. 24.de die autem illa nemo ſcit, vide S,Thom.in 4.diſt.43.ar.3.quæſtiũ.2. per totam, & diſt.47.q.1.ar.1.quæſtiun.3.per totam. & diſt. 48, q.1.ar.4.quæſt.1.ad.2.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium Luc.13.cap.vide S.Thomam in 4.ſenten.diſt.50.q.2. arti.3. quæſtiun. 3.per totam.& contra gen.lib.4.cap.48.in fine.

Circa illa verba, ſicut fulgur exit ab oriente, vide diuum Auguſtinum lib.1.quæſtionum Euan.cap.38. tom.4.

Super illa verba,de die autẽ illa nemo ſcit:vide D. Aug.lib.83.quæſt.q.6.tom.4.& lib.1. de Trinit. cap. 11.& 12.tomo 3. vide etiam eundem lib.de Vanitate ſeculi cap.3.to.9.

Super eundem locum,vide Origenem ſuper Mat. Hom.27.28.29.30.

Illa verba,Tunc videbunt ſignum filij hominis, inuenies explicata à diuo Ioãne Chryſoſtomo,hom. priori ex duabus habitis. quæ inſcibuntur de cruce & latrone, prope finem,tom.3.

Vide etiam Venerabilem Bedam lib.6. ſuper Lucam cap.88.& 89.

Vide Cyprianum lib.4. Epiſt.6.Epiſt. quod autem tibi proderit in fine eius Epiſtolæ inuenies , eſt enim valde prolixa.

Lege diuum Hylarium explanantem Pſalmum ſecundum , & multa inuenies huic dici congruentia.

Quo autem modo veniet dominus, maximo videlicet ſplendore ac maieſtate ; cum innumerabilibus Angelorum legionibus, & ita de aliis id genus , valde congruentibus : conſule D. Leonem Papam, ſermo 4.de Eleemoſyna.

Quod multis partibus ac regionibus mundus oſtendet finem ſuum iam appropinquare , vide diui Cypriani Epiſt ad Demetrianum prope principium Epiſtolæ.

Inuenies eam alia huic propoſito accommodata in diuum Auguſtinum de tempore ſermo. 181, tomo 10.

Hoc horrendo die mare aſcendet altius, quàm mons Olympus. qui mons vbi exiſtat, & quanta ſit eius altitudo , lege D. Auguſt.lib. 1.de Gene. contra Manic.cap.15.tom.1.& li. Quæſtionum ſuper Genſim q.10.to.4.

Conſule D. Bernard. in Pſal. Qui habitat, explicantem verſum octauum.

Lege D.Hiero.ſcribentem ad Pamma. ſuper obitum Paulinæ vxoris tomo 1.

Inſpice D. Auguſt.lib.22. de Ciuitate Dei à ca.11. vſque ad 30.

Si verò tibi tractare placebit de Antichriſto qui hunc terribilem diem debet præcedere , de eius fallaciis, ac dolis, de ſceleribus, ac crudelitatibus,de eius infeliciſſimo fine, & de aliis rebus huc ſpectantibus: lege D.Aug.lib.18.de Ciuit.Dei,cap.53.

De aduentu Antichriſti conſule martyrem egregium, doctorémque grauiſſimum Cyprianum Epiſt. 63.ad Tiberitanos.

Agit etiam D.Grego.de Antichriſto lib.14.Mora. cap.11.& lib.31..cap.6.& lib.33. cap.25.26.& 27. et lib.34.cap.2.8.14. et 15.

Si deſideras ſcire quibus in locis ſcripturæ diuinæ tanguntur aliqua de Antichriſto, vide Apoc.cap. 19. et 20.et Daniel.cap.11.et 2. Theſſalon. 2. et Mat. 24.et Ioan.15.cap.

De hoc rigoroſo die conſule etiam diuum Chryſoſtomum Hom.13.22.41.46.et 47.tomo 5.vbi multa reperies quæ huic materiæ poteris applicare.

Vide eundem Chryſoſt. in Epiſt. ad Theodorum tomo 5.

Vide D. Cyrillum in oratione de exitu animi, et ſecundo aduentu tomo 4.

Conſule D, Hilarium exponentem pſal. primum in illa verba,Non ſic impij, non ſic.

Lege D, Chryſoſt.ſuper 1. ad Theſſaloni,5.Hom. 9. tom.4.

Vide Richardum de ſancto Victore tractatu de Meditatione finis parte prima fol. nonageſimonono et centeſimo.

De die iudicij vde d enique Hugonem de Sancto Victore libro ſecundo Allegoriarum in Matth. tomo 1.cap.38.vide etiam Ioannem Gerſon 4. parte fol.60.

Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.) Iſta ſigna ſecundum Matthæum clarius exprimuntur. Tunc inquit ſol obſcurabitur , et luna non dabit lumen ſuum, et ſtellæ cadent de cælo. Plurimis enim à religione deficientibus clara fides obſcurabitur nube perfidiæ : quia mihi ſol ille cæleſtis mea fide vel minuitur vel augetur : quemadmodum ſi plurimi radios mundani ſolis aſpiciant, pro captu videntis aut pallidior ſol videtur, aut clarior:ita pro deuotione credentis vnicuique ſpiritale lumẽ infunditur:ſic enim probantur boni, ſic produntur infirmi.

Amb. to. ſuper Lucam de ſignis ad uentus domini.

In Scholaſtica hiſtoria ponuntur 15.ſigna præcedentia 15. diebus Aduentum iudicis. Sed vtrum illi dies quindecim futuri ſint continuè ſe habentes, vel in

vel interpoſitè, ibidem ſub dubio relinquitur. Primo die erigetur mare 40. cubitus ſuper altitudines montium , ſtans in loco ſuo quaſi murus. Secundo tantum deſcendet , vt vix videri poſſit.Tertio marinæ belluæ apparentes ſuper mare dabunt rugitus vſque ad cælũ.Quarto ardebit mare,& omnes aquæ: quinto herbæ & arbores dabũt rorem ſanguineum. Sexto ruent ædificia : ſeptimo petræ adinuicem collidentur. Octauo fiet generalis terræ motus : nono æquabitur terra. Decimo exibunt homines de cauernis , & ibunt velut amentes , nec poterunt mutuo loqui.Vndecimo ſurgent oſſa mortuorum & ſtabunt ſuper ſepulcha ſua. Duodecimo cadent ſtellæ: tertiodecimo morientur viuentes vt cum mortuis reſurgant. quartodecimo ardebit cælum & terra: quintodecimo fiet nouum cælum & noua terra , & reſurgent omnes.Dicitur etiam ibidem quòd Hieronymus in Annalibus Hebræorum inuenit iſta , in quibus licet ſint multa vera , tamen ſunt ibi multa falſa admixta : & ideo de falſitate , ſeu veritate iſtorum ſignorum,iudicium relinquo.

Glo. Or. ſuper Mat.24.

Sol,& luna,& ſtellæ,ad tempus ſuo lumine priuabuntur , vt vicinum indicent aduentum domini:ſed peracto die iudicij mundo innouato maius lumen recipient , vel ſuperueniente claritate veri luminis, videbuntur obſcurari,& nullius eſſe luminis.

Corpora cæleſtia tunc manebunt in ſua natura integra,ſed iſta obſcuritas erit reſpectu noſtri : per interpoſitionem alicuius corporis opaci , quemadmodum fit in eclipſi.Stellæ cadent non quantum ad eorum ſubſtantiam , cum ſint incorruptibiles , ſed ſecundum apparentiam , quia veræ ſtellæ abſcondentur per nubium denſitatem , & de nubibus verſus terram deſcendent exhalationes ignitæ,quæ dicuntur ſtellæ cadentes.

Vide ad hoc inſtitutum cap.34.Eſaiæ,admirabile ſanè,& vide in illud Commentarios Hier. & ſi quos habueris alios.

Abluenſis ſuper Mat. 24. q.8.3.

Iſta obſcuratio ſolis durabit forte maiori tẽpore quàm ſoleant durare eclipſes , vt manifeſtè appareat non factum eſſe naturaliter , ſed ex Dei ſolius operatione.Et tunc non procedet inconueniens de augmentatione luminis ſolis & lunæ,quia iſtud ſignum erit ante diem iudicij , & tunc ſol & luna ad tempus patientur hanc obſcuritatem , ſed rurſus conſuetum lumen redibit, ſicut fit finitis eccliſibus , & in illo manebit vſque in diem iudicij,& tunc augebitur lumen ita vt ſit lux lunæ ſicut lux ſolis,& lux ſolis ſeptempliciter.

Abluẽſis vbi ſupr. q.85.& 91. & 92.

Circa diem iudicij cadent multæ de his exalationibus ignitis , quales , & in quanto numero nunquam antehac ceciderant. Vt non putetur naturaliter hoc euenire , ſed ad aliquod malum ſignificandum , Deus volet quòd illa ſigna non ſolum ſint magna,ſed etiam in ſe ſint terribilia,& inducant hominibus timorem.

Animaduertendum valde , quòd cum his Chriſtus de futuris calamitatibus prophetet,vtitur etiam ea phraſi , qua prophetæ ſolent affectum eorum qui inſigni aliqua calamitate affliguntur deſcribere. Deſcribunt autem hunc per tenebras ſolis , & lunæ, ac per moleſtiam ſtellarum : vnde obſecro Eſaiam 13.& Ezechie 32.legas.

Autor operis imperfecti Homilia 50. (ſuper illa verba Mat: 24. de die autem illa & hora nemo ſcit neque angeli cœlorum niſi ſolus pater) videtur ponere in Chriſto ignorantiam diei & horæ iudicij , ſic loquens : Conſiderantes hunc locum non deberent &c.& poſt : nec tamen mentitur , quando quòd ſcit ipſum à patre accipit. Merito ſuam ſcientiam denegat , quæ non ex eo , ſicut & alibi , cum eſſet bonus bonum ſe denegauit , quia bonitas eius erat ex patre &c.Reprobat autem D.Auguſt. hanc ſententiam quod in Chriſto fuerit ignorãtia diei & horę iudicij.

In ſole ſignum quẽdam legitur triplex fuiſſe.Primò ſtatio tempore loſue:ſecundò retroceſſio vel retrogradatio tempore Ezechiæ,tertio occultatio vel obſcuratio. Et hæc triplex : prima pro peccato Aegyptiorum,Exo.10.Secunda pro peccato Iudęorum in paſſione Chriſti,Mat. 27. tertia in fine pro peccato omnium , tam Iudæorum, quam gentium,vt habetur Ioëlis 2. hæc obſcuratio vocatur hic ſignum in ſole.

Quis enim tam conſtans erit & inuictus,qui non ſignis terribilibus tanti diei contremiſcat , & qui audiendo irreuocabilem iudicis ſententiam in malos non concutiatur formidine ? Dicent tunc mali, pereat dies in qua nati ſumus , Vtinam de vtero matris noſtræ nunquam exiſſemus:ſed vanæ querimoniæ , & irriti fletus , quia nullus pœnitentiæ relinquetur locus.

Obtenebreſcet ſol velut exprobrãs impiis ſuam cæcitatem , qui ſolem illum æternum videre noluerunt : & luna influentiam à ſole capiens , non dabit lumen , in ſignum ſubtractionis ſalutaris influentiæ diuinæ gratiæ in peccatoribus.

Per angelos mediæ hierarchiæ , qui virtutes dicuntur, ad quos operationes miraculorum ſpectant, ignitæ quędam exhalationes,figuram habentes ſtellarum , cadent de cælo,& fortè ab iſto igne deciden- te in modum ſtellarum , aduretur terra, & elementa calore ſoluentur.

Vt igitur cum quis moritur oculi amittunt ſuam lucem , concutiuntur membra , & fluit aluus : ita oculi mundi qui ſunt ſol,luna , & ſtellæ,lumen perdent , quatientur eius oſſa , quæ ſunt cæli, effluet magno mugitu mare, quod aluus mundi eſt. Si autem cælum iram deſcendentis iudicis ferre nequit, ſed obtenebratur , & defluxum patitur ſtellarum: quid peccator ferre poterit?

Gregor. ho. 1. ſumundum per Euãg.

Dominus ac Redemptor noſter , fratres chariſſimi , paratos nos inuenire deſiderans , ſeneſcentem eius amore compeſcat , vt ſi Deum metuere in tranquillitate non volumus , ſaltem vicinum eius iudicium timeamus. Illum ergo diem fratres chariſſimi ante oculos ponite ,& quidquid modo graue creditur , in eius comparatione leue dicite : quia ab illa tribulatione vltima tanto ſunt iſtæ tribulationes diſſimiles,quantum à potentia iudicis perſona præconis diſtat.

Sol obſcurabitur,non è medio ſublatus,ſed Chriſti venientis luce ſuperatus : luna non dabit ſplendorem ſuum,& ſtellæ cadẽt, tanquam nulli amplius vſui futuræ.

Videtur obiici ad id quod dicitur quòd ſol obſcurabitur, quia dicitur Eſa.30.& erit lux lunæ ſicut lux ſolis,& lux ſolis ſeptempliciter. Vnde ad hoc videndum debes diſtinguere tria tempora,tempus ante Aduentum , tempus in aduentu , & poſt aduentum. Ante Aduentum Chriſti huiuſmodi obſeruationes fient , de quibus hic dicitur , & Ioëlis 2. ſol conuertetur in tenebras : in Chriſti Aduentu non mutabuntur ſecundum ſubſtantiam , ſed ſecundum comparationem , quia tanta erit claritas Chriſti & ſanctorum , quod nec apparebit claritas eorum, Eſa. 24.erubeſcet luna,& confundetur ſol.Sed poſt diem iudicij augebitur claritas lunæ, & ſtellarum,& tunc erit verum quod dicitur Eſa. 30. ſcilicet quòd ſolis lumen erit ſeptempliciter ſicut lumen ſeptem dierum.

Hæc luminaria quæ in principio temporis poſita

sunt in firmamento in signa per sui lucem, in fine temporum in signa sunt finis, per lucis occultationem. Sicut luminaria sunt signa naturalium secundum operationes naturales, sic sunt in signa eorum quæ supra naturam euenium.

Caie. super Mat. 24. Matthæus sic habet, sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum: hinc significatur quòd luna habens lumen suum, non dabit illud. Vt intelligamus quòd non loquitur de eclipsi, sed de miraculo, quia in eclipsi luna priuatur lumine, luna non habet lumen; hic autem non dicitur luna non habebit, sed non dabit lumen suum.

Prænuidens dominus humanæ fragilitatis tribulationes, & pressuras, quæ circa finem sæculi venturæ sunt, longè antè eas prædicere voluit, vt tanto facilius tollerarentur, quanto ab ipso longius prædictæ recoluntur. Iustum est vt insensati homines qui in cunctis peccauerant, per cuncta feriantur: id est si peccauerunt per aëris serenitatem, feriatur per tempestates, & sic ab insensatis rebus aliis feriantur, vt impleatur id quod scriptum est Sapi. 5. pugnabit cum illo orbis terrarum.

Diony. Carthu. super Mat. 24. Inter fiuem persecutionis Antichristi, & obscurationem luminarium cælestium, erit tempus permodicum, scilicet 45. dies vel circiter, qui dabuntur seductis ab Antichristo ad pœnitendum, prout doctores Catholici asserunt, & ex Daniele trahitur.

Immutatis enim cælorum virtutibus, consequès est vt omnia deinceps quæ sub cælo sunt & à cælesti virtute dependent, immutentur. Hoc enim fere diuinæ prouidentiæ munus est, vt insignes rerum humanarum strages formidolosis antea signis, aut prophetarum vocibus, prænuntiet. Sic enim priusquam Antiochus rex horrēdam illam cladem Iudæis intulit, in qua octuaginta hominum milia Hierosolymis trucidauit, totidémque captiuos duxit, & sacratissimum templum sacrilego furore temerare, & spoliare ausus est, 40. dierum spatio armati exercitus in aëre diminicantes, aliáque horrenda signa visa sunt.

Domine quod patrarūt malum sol, & luna, quòd ita eos punias, & luce eos priues? sed quamuis isti planetæ non peccauerint, tamen punientur, quia peccatoribus seruierunt. Vide tu peccator, ac considera quātum Deus odiat peccatum: peccatum enim damnat, & instrumentum etiam peccati. Vnde præcepit dominus Moysi vt quando expugnarent filij Israel aliquam ciuitatem inimicorum, destruerent ligna, arbores, & syluas. Sic Sauli regi præcepit dominus, vt destrueret boues, oues, & omnia quæ erāt Amalech, quæ quidem non peccauerunt, sicut nec muri Hierico. Et Deus serpentem qui hominem decepit, puniuit, dicens. Super pectus tuum gradieris; qui quidem serpens culpam non habebat, quia diabolus loquebatur in eo, sed quia instrumentum fuit peccati punitur. Vide tu igitur peccator quòd luna quæ te nocte illuminat quando ad peccandum, aut furandum, aut adulterandum, te confers, & sol qui te calefacit quando iniquè agis, luce priuantur: quia non surrexerunt contra te, cum Deum creatorem tuum, & etiam eorum offendebas. Eóque terra etiam comburetur, quòd noluit te consumere, quando te peccantem sustentabat. hæc omnia facit Deus in ipsorum peccatorum detestationem, & vt metum peccatori incutiat, videátque quid Deus faciet de illo & quomodo supplicium sumet, cum auctor peccati sit, maximè cum sic insensibiles creaturas puniat, quia peccato seruierunt. Cum Holofernes vastasset & subiugasset terram Madian, descendit in campos Damasci in diebus messis, & succendit omnia sata, omnésque arbores & vineas fecit incendi, & cecidit timor illius super omnes habitantes terram. Simili modo vt incidat timor super peccatores, sicut Holofernes arbores, ita Deus succendet terram, solem, lunam, & stellas obscurabit. Si autem cælum iram descendentis iudicis ferre nequit, sed obtenebratur, quid tunc peccator ferre poterit? filij Israel pauore ducti videntes tonitrua & fulgura, dixerunt Moysi. loquere tu nobis, ne loquatur nobis Deus. Quid ergo dicet aut faciet peccator, cum tot signa viderit? Si timent homines insolitam solis obscuritatem, si timēt non consuetas tenebras, sicut Aegyptij, de quibus dicitur in Exodo, quòd factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra, & tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat: si timent terræ motum, ventorum vehementiam, fluctus maris, nocturnos strepitus, leonúmque rugitus: quantò magis timebunt illa horribilia signa?

Rudol. Ardētis ho. in 2. Domi. aduent. *Et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Quia enim claritate solis, & lunæ, & stellarum, abutebantur, videndo per ea quid concupiscerent, & quid mali facerent, vertetur eis sol in tenebras: quia verò pace temporali per stultam securitatem abutebantur, fiet pressura gentium: quia tranquillitate maris ad prædandum & rapiendum abutebantur, fiet confusio maris, & fluctuum.

Gorran' super Luc. 21. *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Arescentibus inquam præ timore malorum instantium, & expectatione futurorum, adhuc distantium. Hæc autem mala superuenient, id est desuper, scilicet de cælo venient vniuerso orbi: & nullus erit locus refugij. Non est mirum si homines arescent præ timore, nam virtutes cælorum, id est, angeli, mouebuntur, id est ad modum trementium se habebunt.

Zmaragdius super Euā. Luc. 21. Expectatione districti examinis, multi qui in hoc mundo florere videbantur, cum se sine fructu conspexerint, arescent.

Gagnæ super Luc. 21. Arescent homines præ timore videntes omnes creaturas propter hominem factas in hominem pugnare.

Palacios super Mat. 24. Contra quem sunt hi sonitus, contra quem belli apparatus? num contra hominē? vermis est, & multo minori apparatu in nihilum redigetur. Sed ita par est, vt suam ille ostentet magnificentiam, vt vel hac ratione qui hæc agnoscimus caueamus à tanta ira, quantam bellica pompa demonstrat.

Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius, inquit Iob. Quid ergo facient tabulæ quādo tremunt columnæ? quid virgula deserti patitur, cum cedrus paradisi concutitur?

Haymon homi. in in do. 2. Aduen. Illa est tribulario vtcunque tollerabilis, post cuius finem gaudium speratur, illa vero dura, aspera, & intolerabilis, quæ cum præsentialiter cruciet, in futuro etiam maiora comminatur: vtrunque autem reprobis illa tribulatione continget, quia præsentialiter mala sustinebunt, & in futuro maiora expectabunt, qui & foris pœnam, & intus timorem habebunt, nec de præsentibus nec de futuris securitatem habere poterunt.

Diony. Carthu. super Luc. 21. Arescentibus hominibus &c. id est cunctis hominibus, præsertim iniustis, quia præ magnitudine formidinis & mœroris, corporalis harmonia quandam desiccationem, & extenuationem incurret in eis. Sed tamen quamuis acerbissima sint quæ tunc homines patientur, magis tamen eos futurorum præsagia, quàm præsentia malorum incommoda, cruciabunt: id quod iusto Dei iudicio fiet, vt qui futurorum semper obliti præsentia semper cogitabant, tunc & præsentibus torqueantur, & futurorum metu multo magis excrucientur.

Nam

Aboulensis super Mat. 24. q. 94. *Nam virtutes cælorum monebuntur.* Omnes angeli ad quos pertinet mouere cælos & facere cætera quæ circa cælos sunt, habebunt tunc speciales operationes maiores quas nunquam habuerunt: ita vt in comparatione præcedentium dicantur istæ esse operationes, & ad has moueri dicantur angeli, & priores dicantur esse quies quædam, & otium.

Chrys. super Mat. ho. 77. to. 2. Meritò quidem commouebuntur virtutes cælorum, tandem mutationem rerum fieri perspicient: mirabuntur enim videntes vniuersa commutari, cóseruos tationem vitæ referre, orbem omnem terribili assistentem tribunali: ac omnes qui ab Adam ad aduentum vsque illum facti sunt, operum rationem reddere.

Gorran' super Mat. 24. Angeli mouebuntur motu timoris & reuerentiæ respectu iudicis: motu vindictæ respectu iudicandorum, motu solicitæ obedientiæ respectu eorum quæ pertinent ad iudicium.

D. Tho. super Mat. 24. Dicuntur moueri in effectu, quia in Aduentu domini cessabit motus cæli: aliqua enim dicuntur moueri, quando illa quæ ad suum officium pertinent, in alium statum mutantur.

S. Bonauē. super Lucā 21. Simile. Virtutes cælorum sunt angeli beati, qui ex conturbatione omnium dicuntur commoueri, non timore pœnæ, sed timore reuerentiæ, & horrore diuinæ vindictæ. Sicut enim quis super montis supercilio existens quodammodo terretur ex combustione villę alicuius: sic quodammodo cęlestes illæ virtutes pauebunt in illa terribili vltione.

Caie. super Mat. 24. Per virtutes cælorum intelligo vires seu potestates corporum cælestium, quia non dicitur virtutes, sed virtutes cælorum: mutabuntur enim potentiæ actiuæ cælestium corporum, & impedientur à solitis actionibus.

Non quia de se timeant, sed quia de seueritate iudicantis perhorrescant. Fratres si angeli timebunt, si contremiscent, vt ait Iob, columnæ cæli: quid facient peccatores? Si vt ait Petrus, vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?

Simutatio lunæ tātos accessus & defectus parit in mari, & si eius cum Mercurio coniunctio gignit tantas procellas, si coniunctio Iupitris & Saturni possunt tantas mutationes in terra imprimere: si propter mutuos planetarum aspectus tantæ fiunt mutationes: quid quæso futurum est, cum astra omnia, planetæ, & signa, de sua sede dimouebuntur, aut perturbabuntur, & omnes denique cæli cardines commouebuntur. Perspicuum est quidem quoniam hic adeò pēdemus ex superioribus, & in illis tanta est futura perturbatio, hic etiam perturbanda omnia fore.

Glo. Lyr. super Mat. 24. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.* Sicut in nube ascendit in cælum ab Apostolis. propter quod dicitur Acto. 1. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet. Cum potestate inquam veniet, & vt dominus, qui primò venit vt seruus.

Beda in fermo. Do. 2. Aduent. In potestate & maiestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt, vt virtutem eius tanto tunc districtius sentiant, quantò nunc cerūicem cordis ad eius patientiam non inclinant.

Potest esse quæstio vtrum tam boni quā mali sint eum visuri in specie gloriosa: & dicendum quod sic, & ratio assignatur Esa. 26. vbi disputans dominus cum propheta, dicit: Non videbit gloriam domini: & respondet propheta, domine exaltetur manus tua vt non videant. cui respondit dominus: videant, & confundantur. Vnde boni videbunt ad lætitiam, mali ad cruciatum & tristitiam. Quando enim aliquis timent puniri, quanto maior potestas iudicis contra ipsum apparet, magis affligitur: sic quanto Christus magis apparebit glorioſus, tanto magis cruciabuntur mali.

Tunc videbunt filium hominis &c. Vide sanctum Thomam in 4. sen. distinct. 47. quæst. 1. art. 1. quæstiun. 2. ad 3. & art. 2. quæstiun. 3. in corpore. & distinct. 48. quæst. 1. artic. 2. per totum. & contra gentes lib. 4. cap. 96. ad 3.

Cum potestate magna & maiestate. Vide eundem D. Thomam in 4. distin. 48. q. 1. art. 2. per totum, & art. 4. quæstiun. 1. in corpore.

Cum Apostolus Paulus Christum ignorans, eius Ecclesiam deuastaret, & occurrens illi dominus, Saule, Saule diceret, quid me persequeris? ait ille tremens acstupēs respōnderet, Domine quid me vis facere? quæso vos qualis stupor ille fuit, & quantus! Si tanto igitur stupore ac tremore concussus Apostolus fuit, cum vindicem ac dominum agnouit, quem antea contempserat: quo quæso timore ac stupore impij concutientur, cum Christum in tanta maiestate & gloria venientem cernent, quem ipsi pro vilissimis rebus contempserunt?

De hac die dicitur Apoca. 20. quòd libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, &c. liber enim ille est Dei sapientia, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt. Et certe nos multos libros euoluere debemus, vt vel vnius tantum hominis delicta noscamus, aut ille simplici ac vnico intuitu omnia omnium seculorum scelera, omnia cogitata, dicta, facta, velut in prospectu posita clarissime intueatur. Trecenti, & eo amplius anni transacti erāt, cum dominus Sauli regi per Samuelem denuntiauit: Recensui quæ fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto, nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire vniuersa eius. Animaduerte quæso quàm longum temporis spatium post hoc scelus intercesserat: dominus tamen quasi paulò ante crimen illud admissum fuisset, illud meminit, & seueritate magna plecti iussit.

Origines super Matth. tract. 30. Reuocemus in mentem quid Esau acciderit cum patris benedictionē amisit: cum enim lassus de agro veniisset, & coctum obsonium à Iacob fratre petiuisset, & is diceret, vende mihi primogenita tua statim dixit, En morior, quid mihi proderunt primogenita? Vendidit ergo primogenita, & benedictionem amisit. Perpendite quæso fratres quàm vilem prophanus Esau primogeniti dignitatem habuerit, & quantam quàm vili pretio vendiderit, & leuissimum edulium ante tulerit. Et videte etiam quibus postea lachrymis, quo eiulatu, atque rugitu, lamentatetur, quod tanta antè leuitate animi flocci fecerat. Tales profecto sumus hodie fratres, qui tam facile tot lethalia crimina commiatimus, quibus nos æterna benedictione priuamus: nil prorsus summam hanc, incomparabilémque iacturam æstimantes.

Diony. Carthu. super Mat. 24. Transfiguratio fuit coram tribus, in consummatione autem mundi totius, apparebit in gloria multa, atque ita, vt videant eum omnes.

Apparebunt autem tunc, crux, claui, lancea Christi, vel quia verè tunc aderunt, & ad confusionem ingratorum ostendentur ab angelis: vel quia aliqua lucida apparebunt in similitudine crucis, & cæterorum dominicæ passionis armorum.

Glos. Or. super Luc. 21. *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quia verò contra reprobos hæc dicta sunt, mox ad consolationem electorum supponit. *Leuate capita vestra*, &c. quasi dicat, exhilarate corda vestra, quia dum finitur mūdus, cui amici non estis, prope est redemptio, quàm quæsiuistis.

Attollite

Ant. Broſc. ſuper Euã, pri. par. art. 13.

Attollite capita veſtra ad cæleſtem illam gloriam, quoniam in propinquo erit regnum Dei: in quo nulla iam erit afflictio, ſed perpetua tranquillitas. Apocalip. 21. abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Glo. Lyræ ſuper Luc 21.

Dies iudicij licet reprobis ſit terribilis, tamen electis debet eſſe conſolabilis: quia tunc transferentur ad gloriam.

Beda ſer. 5. de ſecũ. do. Aduent.

In ſcriptura ſacra ſæpè caput pro mente ponitur: quia ſicut capite reguntur membra, ita actiones à mente diſponuntur: leuare itaque capita, eſt mentes noſtras ad gaudia patriæ cæleſtis erigere.

Grego. ho. 1. ſuper Euã.

Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicum ſe illius eſſe teſtatur: ex mundi enim deſtructione lugere, eorum eſt, qui radices cordis in eius amore plantauerunt: nos autem qui cæleſtis patriæ gaudia æterna cognouimus, feſtinare ad eam citiſſime debemus.

Rudol. Ardẽ. ho. in do. 2. Aduen.

O fratres mei, penſate quàm ineffabiliter gaudebunt electi quãdo veniet ſpes ſua, deſiderium ſuum, Deus & dominus ſuus, quando transferet eos à valle lachrymarum ad altitudinem gaudiorum, ab exilio ad patriam, à miſeria ad beatitudinem.

Videte ſiculneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas: ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.

Cyprian. ad Demetrianum circa prin cipium epiſtolæ.

Scire debemus ſenuiſſe iam mundum, non illis viribus ſtare quibus prius ſteterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea præualebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de ſcripturis ſanctis, prædicationibúſque diuinis, documenta promentibus, mundus ipſe iam loquitur, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur. Non hyeme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt, non frugibus æſtate torrendis ſolita flagrantia eſt. Minus auri & argenti opus ſuggerunt exhauſta iam metalla, & pauperes venæ breuiantur in dies ſingulos, & decreſcit in aruis agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocentia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicis concordia, in moribus diſciplina. Putas ne tu tantam poſſe ſubſtantiam rei ſeneſcentis exiſtere, quanta prius potuit nouella adhuc & vegeta iuuenta pollere? Minuatur neceſſe eſt quidquid fine iam proximo in occidua & in extrema deuergit. Sic ſol in occaſu ſuo radios minus claros, & ignei ſplendoris iaculatur. Sic declinante iam curſu exoletis cornibus luna tenuatur, & arbor quæ fuerat ante viridis & fertilis areſcentibus ramis ſit poſtmodum ſterilis & ſenectute deformis. Hæc ſententia mundo data eſt. hæc Dei lex eſt, vt omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant, vt infirmentur fortia, & magna minuantur. Olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longæua procedebat, & vix nunc poteſt ad centenarium numerum peruenire: canos videmus in pueris: capilli deficiunt antequàm treſcant, nec ætas in ſenectutem peruenit. Sed nemo mirari debet ſingula in mundo cœpiſſe deficere, quando totus ipſe iam mundus in defectione ſit, & in fine.

Cl. Ord. ſuper Luc. 21. ex mente Gregorij.

Regnum Dei æſtati comparat, quia tunc mœroris noſtri nubila tranſibunt, & æternæ dies vitæ ſub claritate ſolis fulgebunt. Sicut enim ex fructu arborum vicina æſtas cognoſcitur, ita & ex ruina mundi prope eſſe cognoſcitur regnum Dei. Ex his verbis oſtenditur quod fructus mundi ruina eſt: ad hoc enim creſcit, vt cadat, ad hoc germinat, vt quæcunque germinauerit cladibus conſumat.

Hier. ſuper Mar. c. 13. to. 9.

Hæc eſt prophetia, folia nata ſunt verba præſentia, æſtas verò proxima dies eſt iudicij: in quo vnaquæque arbor manifeſtabit quę intus habuit, an aridum ad comburendum, an viride ad plantandum.

Aptiſſimè confert regnum Dei æſtati. Nam ſicut æſtas aduenit poſt hyemem, nubila, pluuias, ventos, & frigora, ita poſt multas afflictiones nobis aduenit regnum Dei. Arbores ſuper Mat. 24.

Arbores in hyeme vitam habent, tamen occultam, vnde non producunt folia, neque fructus: ſed in principio veris incipiunt pullulare, & tunc apparet vita: ſic etiam ſancti modò non apparent, vt habetur ad Coloſ. 3. mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cùm Chriſto: ſed tunc vita ſanctorum apparebit cum veniet æſtas, id eſt æterna retributio. Pſalm. 125. Euntes ibant, & flebant, &c. Venientes autem venient cum exultatione. S. Th. ſuper Mat. 24.

Comparat autem arbores humano generi, quia ſicut impoſſibile eſt, arborem ſecus viam fructus ad maturitatem ſeruare, ſic difficile eſt hominem iuxta mundum viuentem ætatem immaculatam vſque ad finem tenere. Sicut etiam arbores fructificant abſente hyeme, ſic homo fructum habet poſt tribulationem. Cantic. 2. Iam hyems tranſiit, & paulò pòſt, ficus protulit groſſos ſuos: hic fructus eſt per tollerantiam tribulationis. ad Heb. 12. omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea autem fructum paccatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. In hac ætate ceſſabit pluuia lachrymarum. Eſa. 25. auferet dominus Deus lachrymam ab omni facie. Tob. 3. poſt tempeſtatem tranquillum facies, &c. D. Bona. ſuper Luc. 21.

Æſtatem dicit futurum ſeculum, & ſerenitatem, quæ erit iuſtis: impiis enim peccatoribus hyems, & turbatio maior erit. Theoph. ſuper Mar. 24.

Comparat autem ſigna præcedentia aduentum Chriſti arborum fuctificationi, æternitatẽ verò ęſtati: æſtas autem eſt calida, clara, fructuoſa: æterna quoque beatitudo erit calida calore charitatis, clara illuminatione veri ſolis: fructuoſa menſibus ęternæ retributionis. Rhudol. Ardentis ho. in 2. Domi. aduent.

Fructus fici parum durabilis eſt, niſi decoquatur ad ſolem, ſic & opera noſtra ad æternitatem & beatitudinem non venient niſi fiant propter ſolem iuſtitiæ, nec æternam beatitudinem fortientur, niſi Chriſtus æternus Dei filius ſua charitate ea ſolidarit. Simõ de Caſia li. 6. cap. 27.

Seculum præſens hyems eſt iuſtis, qui apparent ſimiles proximis ſuis cæteris, & arboribus ſiccis, tempore autem opportuno in fructibus ſuis apparebunt. Pſalm. 1. Fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Facta æſtate plenos, perfectos, & maturos Chriſto ficos præſtabunt electi: quando ſecundum Hiere. ficus bonæ bonæ, ſunt valde, & congregabuntur in cophinis bonorum ficorum: ex quibus Chriſtus accipiet, & quaſi edet dulcedinem eorum. Abſit autem à nobis vt Ieſu veniente ad nos, & volente manducare de ficu, non inueniantur fructus in ea. Si enim non fuerit inuentus fructus in ea, dicet ad eam in ſuo aduentu: nunquam ex te quiſquam fructum manducet. Orige. ſup. Mat. tractatu 30.

De ficu autem potius ponit ſimilitudinem, quàm de alia arbore, quia fere ſtatim vernat, & poſtquam fructificare cœperit, vſque ad hyemem fructificare non ceſſat, & ſub vno cortice fructus multa grana continet. Sic eccleſia, quàm myſticè ſignificat ficus, ſub vno ſure viuendi multos habet filios, & vſque ad finem ſeculi non ceſſabit, ſicut dicitur Matthæi vltimo, vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Hugo Car. ſuper Mar. 13.

Per arbores ſignificantur homines, vnde & homo arbor inuerſa dicitur, habens ſurſum radices, id eſt, cogitationes, & deſideria fixa in terra viuentium. Hugo Car. ſuper Lucã cap. 21.

Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia

Beda ſer. domi. 2. Aduẽtus.

omnia fiant. Amen, interpretatur verum, ſed hic nõ eſt interpretatum: nec Græcus hoc interpres voluit facere, nec Latinus, & ſic manſit, vt honorem haberet velamento ſecreti. Igitur verum dico vobis veritas dicit: quæ vtique & ſi ita non diceret mentiri omnino non poſſet: tamen commendat, inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, & hoc contemni non vult,

Euthy. ſuper Mat. 24.

Generationem vocauit religionem ipſorum qui crediderant: ne enim ſuſpicarentur Apoſtoli, quòd prædicta pericula penitus delerent prædicationem, ac fideles, certiores eos facit quòd non ſit delẽda religio fidelium vſque ad ſecundum aduentum: ſed vſque ad conſummationem ſeculi permanſura eſt, nec vllo periculo intercidenda.

Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Vide Ambroſium in Commentariis pſal. 118. ſermo. 12. ſuper illa verba, in æternum domine permanet verbum tuum.

Grego. ho. 1. ſuper Euã. & Glo. Ordi. ſuper Lucam. 21.

Nil in corporum natura, cælo, & terra, durabile erit, ſed tranſibit velocius quàm ſermo meus. Ait ergo, cælum & terra trãſibunt, quaſi dicat, omne quod apud vos durabile & ſine mutatione eſt, ad æternitatem durabile non eſt: & omne quod apud me tranſire cernitis, fixum, & ſine tranſitu tenetur: quia ſermo meus qui tranſit, ſententias manentes exprimit. Itaque cum verba mea ita abſque dubio ſint implenda, videte ne contra conteſtationem verborum meorum ſitis dediti crapulæ, & ebrietati, & ſecularibus curis: ſicut quidam erunt tempore imminentis iudicij, de quibus dicitur. Cum dixerint, pax, & ſecuritas, ſuperueniet repentinus interitus.

Glo. Lyrę ſuper Mat. 24.

Per verbum enim Chriſti factus eſt mundus, & ideo verbum eius eſt ipſo mundo ſtabilius.

Hier. lib. 14. ſuper Eſai. cap. 51. to. 5.

Eſaias dicit, cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt: ſalus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea non deficiet.

Ioan. Mal. ſuper Mat. 24.

Facilius illa corrũpentur, quàm verbum Dei falſificetur. Numero. 23. non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur.

Raba. ſuper Mat. 24.

Tranſibunt per commutationem innouationis: ſed verba domini ſine effectu completionis nullo modo tranſibunt.

Cælum & terra tranſibunt, vide S. Tho. de poten. q. 4. ar. 1. in corpore.

Conſule etiam D. Aug. lib. 20. de Ciui. Dei, cap. 24. to. 5.

Si voles in tota hac materia ſcripturæ diuinæ loca conſentanea intexere, & prædicare, ſequentia intuere.

Eſa. cap. 2. C. D. Dies domini exercituum ſuper omnem ſuperbum.
Eſa. 5. G. rugiet vt catuli leonum.
Eſa. 10. A. Quid facietis in die viſitationis, &c.
Eſa. 13. B. C. Vlulate quia prope eſt dies domini.
Eſa. 24. per totum.
Eſa. 27. A. In die illa viſitabit dominus.
Eſa. 30. F. Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis.
Eſa. 31. B. Quomodo ſi rugiat leo.
Eſa. 34. A. B. Accedite gentes.
Eſa. 40. C. Ecce dominus Deus in fortitudine veniet.
Eſa. 59. C. R. Rugiemus quaſi vrſi omnes.
Eſa. 66. E. F. Quia ecce dominus in igne venit.
Hiere. 2. D. Arguet te malitia tua.
Hiere. 4. B. C. Aſcendit leo de cubili ſuo.
Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius.
Hiere. 10. B. Ab indignatione eius commouebitur terra.
Hiere. 25. F. G. Dominus de excelſo rugiet.
Ezechie. 7. per totum.
Ezechie. 32. B. Et operiam cælos, & nigreſcere faciam ſtellas eius.
Ezechie. 38. F. G. Et erit in die illa &c.
Danie. 12. A. B. Et multi de his qui dormiunt.
Oſee 10. B. Et dicent montibus, operite nos.
Amos 1. A. Dominus de Syon rugiet.
Amos 3. B. Leo rugiet, quis non timebit?

Plura alia loca adduci poterant, ſed ea reſeruabimus ad feriam 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.

Dominica prima in Aduentu Domini, ſecundùm vſum fratrum Prædicatorum.

Hugo. de S. Victore de ſpe cialibus Miſſarũ obſeruationibus lib. 3. cap. 4. to. 3.

Cvm appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis & veniſſet Bethphage ad montem Oliueti. Mat. 21. Mar. 11. Luce 19. Ioan. 12. Cum celebratur Aduentus Domini, & in tempore Quadrageſimali, Gloria in excelſis Deo, & Te Deum laudamus, non cantamus in Eccleſia, dalmatica, & veſtis, ſubdiaconalis, non portantur. Hæc enim omnia prætendunt lætitiam, tempus autem Aduentus ad memoriam reducit tempus illud quo Meſſias expectabatur, & de tanta aduentus eius dilatione viui conquerebantur, & mortui qui in inferno tenebantur. Tempus etiam Quadrageſimale cum ipſa ſeptuageſima, noſtram commemorat eaptiuitatem, qua genus humanum à paradiſo expulſum, ſub diabolo principe exulabat, donec per Ieſum ſacerdotem magnum reductum eſt. Quia ergo vtrumque tempus mœroris eſt, in vtroque ab eis quæ lætitiam præferunt abſtinemus.

Vide eundem Hugonem Miſcellaneorum 2. libr. 1. titu. 35. de triplici Aduentu domini to. 3. & libr. 4. titu. 86.

Si Deum carnem aſſumpſiſſe humanam & hominem fieri, fuit ad mundum ipſum contra Deum rebellantem penitus expugnandum, vt colligitur ex illo Ioan. cap. 16. Ego vici mundum: ſatis congruit nunc hoc præſens Euangelium, quandoquidem hoc bellum ſignificans, inquit Miſit duos diſcipulos dicens eis: ite in caſtellum quod contra vos eſt. Hæc adnotatio eſt D. Hiero. lib. 3. ſuper Mat. cap. 21.

Si hoc ſanctum tempus repreſentat aduentum filij Dei in mundum ad homines redimendos tam præteritos, quàm futuros, & omnis temporis, quãdo ſaluator & redemptor vniuerſalis eſt: conuenienter hoc die cantatur hoc Euangelium, quoniam in eo ſic habetur, Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur clamabant dicentes, Oſanna, &c. obſeruatio eſt atque conceptus D. Thomæ 3. par. q. 45. ar. 3. in corpore.

Quod ſi hic Aduentus fuit vt copularentur in vnũ duo illi maxime diuiſi populi, vt D. Petrus Apoſtolus inſinuat Act. 4. cap. appellato quidem Chriſto lapide angulari, qui facit vtraque vnum: rectè id ſignificatur in hodierno Euangelio, cum aſina & pullus eius, quæ duo ambos illos denotant populos, ad portam vſque templi adducuntur. Conſideratio hęc eſt D. Greg. lib. 1. Mora. c. 16.

Si ſancto hoc tẽpore nobis repræſentatur quòd Dei filius nobis præcipue venit, vt Angeli canebant, natus eſt nobis ſaluator, Lucæ 2. cap. & Conci. Nicæni ſymbolum expreſſe dicit, propter nos homines & propter noſtram ſalutem, &c. & id quidem magna humilitate ac manſuetudine complectũ fuit: quodnam rogo te Euangelium melius ac perfectius nobis idipſum exprimere poſſet, quàm hodiernum? dicens, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.

Cum

Ludo. Granatenſis.

Cum autem dominus ab huiuſmodi populi gloria, quandiu inter homines verſatus eſt, ſemper abhorruerit, inquiſitione dignum eſt, quidnam is hac noua & inſolita rerũ facie voluerit deſignare. Sed reſpõſio in promptu eſt: cũ is enim ad ſe in cruce pro nobis immolandum proficiſceretur, voluit vtique charitatis & lætitiæ magnitudinẽ, qua hoc redemptionis & ſalutis noſtræ aggrediebatur, hac tam ſolemni pompa & communi omnium gratulatione & lætitia declarare. Quam quidem lætitiam Apoſtolus deſignauit, cum de ipſo loquens ait, Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Quod ſi rogas in morte & crucis ſupplicio quodnã eſſet gaudium ipſi? Reſpondeo primum quidem de gloria patris fuiſſe gaudium, cuius læſæ maieſtati ita erat ſupplicio ſatisfacturus, vt magis eius gloriam obedientia ſua illuſtraret, quam primus homo inobedientiæ ſuæ crimine deformauerat. Deinde etiam de electorum omnium ſalute mirificè gaudebat, quibus morte ſua immortalem vitam & æternam felicitatem comparabat: quorum omniũ gloriam cum mentis oculis contueretur, hoc tanto gaudio perfuſus eſt. Sicut enim cunctorum hominum peccata pro quibus in paſſione ſua æterno patri ſatisfaciebat, ſingulatim & apertè vidit, & pro omnibus doluit: ſic electorum omnium gloriam quibus morte ſua ſalutis æternæ cauſa futurus erat, ſimili perſpicuitate cognouit. Tertia verò huius gaudij cauſa, obedientiæ Chriſti promptitudo extitit. Qui ad mortem hilaris, ad crucem paratus, & expeditus, ex ſummi patris præcepto properabat, non ex triſtitia, aut neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus, vt inquit Apoſto. contrà verò maledicti ſunt qui op⁹ Dei faciunt deſidioſè & negligenter, ſiue fraudulenter, Hiere. 48. ſciant enim quicunque tales ſunt, ſimile quiddam ſe facere, atque Iudæi fecerunt cum domino Saluatori vinum felle mixtum propinarunt.

Hac dominica prædicare potes aut de ſolennitate ſacri temporis Aduentus, aut de Euangelio dominicæ, vel poteris etiam habere cõcionem de Epiſtola, quæ optimè quadrat tempori: quibus ſanè tribus intentis ſiue propoſitis citationes deſeruiunt ſequentes.

Si igitur de Aduentu Chriſti in carne, quem hoc die ſancta repræſentat Eccleſia prædicare decreueris, vide D. Auguſt. primis tribus concionibus de tempore, quæ ante medium tomi decimi inueniuntur.

Inuenies quoque breuem quandam Grego. Nyſeni concionem, quàm inſcribit de Aduentu in carne: exiſtit autem parum poſt medium illius operum.

De eadem Dominica concionem quandam habet D. Laurentius Iuſtinia. parum poſt medium ſuorum operum.

D. Præterea Antoninus Archiepiſcopus Florentinus ordinis Prædicatorum edidit quandam concionem de eadem, in ſuis partibus Theologa. initio primæ partis.

Vide rurſum eundem prima par. hiſto. titu. 5. cap. 5. §. 5.

De Aduentu domini reperies etiam ſeptem ſermones in principio operum D. Bernar. quorum primus ſic incipit, Hodie fratres celebramus.

In hujus item operibus alius ſermo tibi offeretur ad idem inſtitutum, qui in quibuſdam impreſſionibus eſt reiectus in finem, in aliis verò multum ante finem exiſtit: eius initium eſt, Tempus eſt fratres.

Ioannes Gerſon habet ſimiliter de hac Dominica concionem quandam, legitur autem 4. par. fol. 57.

Conſule præterea de Aduentu Ieſu Lactantium libr. 4. de vera Religione & ſapientia, capitulo 10. 11. & 25.

Doctor Eccleſiæ D. Thomas concionem de hac feſtiuitate compoſuit, habetur prope finem ſextidecimi tomi.

Quod Aduentus filij Dei in hunc mundum aſſumpta carne noſtra fuerit ſæpenumerò præfiguratus, inuenies in D. Hiero. 1. lib. in epiſto. ad Epheſi. cap. 1. explicante verba illa, ſecundum beneplacitum eius quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, to. 9.

Ingreſſum autem Chriſti cum aſina in Hieruſalem tangit D. Bernar. ſermo. quodam de S. Benedicto Abbate: exiſtit prope ſuorum operum principium, & non longe ante medium ipſius concionis hoc inuenies.

Venerabilis Beda compoſuit etiam quandam Homi. ſuper hoc Euangelium colum. 256. in nouis impreſſionibus.

Vide quoque Laurentium Iuſtinia lib. 6. de perfectionis gradibus cap. 3.

Si de ipſo Euangelio concionari etiam tibi placebit, videbis Orige. ſuper Mat. ho. 14. & homi. 37. ſuper Luc. to. 3.

Explicat inſuper Euangelium hoc D. Ioan. Chryſ. ho. 67. ſuper Mat. & ex variis in Mat. locis hom. 23. to. 2. tractat etiam de eodem ho. 65. ſuper Ioan. prope principium homiliæ to. 3. & in non abſoluto ho. 37. to. 2.

Magnam huius Euange. partem Cyrillus explanat ſuper Ioan. lib. 8. cap. 9. & 10. to. 1. idem quoque declarat verba illa, oſanna filio Dauid, lib. quodam cuius titulus eſt, Ad reginas de recta in dominum fide ex Euangelio Matthæi to. 3. & eodẽ lib. paulò pòſt in Euangel. D. Ioan. iterum explicat illud, oſanna benedictus qui venit in nomine domini to. 3.

Exponit quoque venerabilis Beda idem Euange. lib. 3. ſuper Mar. cap. 41. lib. 5. ſuper Luc. ca. 79. & ſuper Ioan. explicans cap. 12.

Declarat præterea idem Euange. D. Ambro. libr. 9. ſuper Luc. c. 79.

Explanat etiam idem D. Hieronimus libro tertio ſuper Matth. capitulo 21. to. 9. ſuper Mar. cap. 11 eodem tomo.

Magna inſuper eiuſdem Euange. pars explicatur à D. Aug. ſuper Ioan. tractatu 51. to. 9.

Hilarius etiam explicat idem Euange. canone 21. ſuper Mat.

Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Super illa verba, inuenietis aſinam alligatam, tractare poteris quomodo peccata nobis impediant viam ſalutis. pro quo D. Bernar. conſules ſermo. 62. ſuper Cantica, qui incipit, Columba mea.

Quod peccatum honore & libertate nos priuet, & tanquam belluas alligatos relinquat, vide Eſa. capitulo 50. A. vbi ait, Ecce enim in iniquitatibus veſtris, &c.

Peccatum nobis honorem aufert: vnde mirum non eſt nos belluis comparatos eſſe, pro quo vide Hiere. Threno. 4. cap. A. qui ait, Quomodo obſcuratum eſt aurum.

Super illa verba, Ite in caſtellum quod contra vos eſt: vel ſuper illa, fecerunt, ſicut præcepit, agere potes quàm obedientes diuinis mandatis eſſe debeamus, diſcipulos domini imitantes. Ad quod conſulito ſequentia loca,

Balaam licet malus dixit ad Balac: non potero præterire ſermonem domini Dei mei, vt habetur Nume. 24.

Cum

Cum trucidarentur ſub Antiocho rege obſeruatores legis, multi de populo noluerunt infringere legem Dei, ſed elegerunt potius trucidari 1. Macha. 2.

Duæ mulieres delatæ ſunt filios circuncidiſſe iuxta Dei præceptum, quæ publice circunductæ per ciuitatẽ in fantibus ſuſpenſis ad vbera, ſunt per muros tandem proiectæ, vt habetur 2. Macha. 6.

Conſidera quæ & quanta perpeſſi ſunt, Eleazarus licet ſenex adeò eſſet, & ſeptem fratres cum ſua optima matre, licet valde iuuenes eſſent, ne Dei legem tranſgrederentur 2. Mach. cap. 6. & 7.

Præcepta Dei adimplenda ſunt, & eis obediendum eſt, exemplo aliarum etiam creaturarum. Nam præceptis eius obediunt angeli boni: quia cum numeraſſet Dauid populum, præcepit dominus Angelo vt percuteret populum, & percuſſit: & poſtea imperauit deſinere, & ceſſauit, 2. Reg. cap. 24. & 1. parali. cap. 21.

Mali etiam angeli præceptis Dei obediunt: nam præcepit dominus immundo ſpiritui, vt exiret ab homine, & ita fecit, Luc. 8. cap.

Coruis præcepit dominus vt paſcerent Eliam prophetam, qui ei carnes & panem mane ſemper & veſperi deferebant. 3. Reg. 17.

Quomodo obedierunt venti & mare, vide Lucæ 8. & Matthæi 8.

Vir Dei qui contra præceptum domini panem comedit, fuit à leone occiſus, vt habetur 3. Regum, cap. 13.

Attende magnam obedientiam Mathathiæ, qui dixit; etſi omnes obediunt regi Antiocho, ego & filij mei obediemus deo 1. Macha. 2.

Filij Iſrael ad præceptum domini prompte auferebant tentoria, & ad eius imperium etiam feſtinè & ſolicitè reponebant. Num. 9.

Obedire debet homo quantumcunque ſibi mandetur difficile. nam Abraham mandatum Circunciſionis licet eſſet difficile non diſtulit adimplere, Gene. 17.

Graue erat Abrahæ de filij immolatione præceptum, quod tamen niſi Deus aliter ordinaſſet fine mora impleuiſſet, Gene. 22.

Præceptum Circunciſionis licet eſſet difficile, Saluator noſter in ſe voluit adimplere Lucę 2. cap.

Quandocunque filij Iſrael de mandato domini pugnauerunt, pauci de multis victoriam habuerunt, Numer. 31. cap.

Filij Iſrael cum contra præceptum domini terram promiſſionis conarentur aſcendere, fuerunt debellati, Numer. 14.

Quia mandatum Ioſue tranſgreſſus eſt Achan, ideo fuit à populo lapidatus: & Ioſue & populus ex illa inobedientia in bello fuerant ſuperati.

Saul qui contra præceptum Samuelis ſacrificium etiam obtulit de præda, fuit à domino reprobatus 1. Reg. 15. & 16.

Frater Ludo. Gran. *Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet.* Quomodo verum eſſe poterit rerum omnium dominum hiſce iumentis, aut vlla omnino re opus habere? Quod ſi ad equitandum vehiculis indiget, habet his vtique longe nobiliora vehicula, quibus inſideat. Currus enim Dei decem millibus Pſal. 67. multiplex: millia lętantium. Item qui ambulas ſuper pennas ventorum, Pſal. 103. Si ergo talia ſunt vehicula Dei, quomodo his adeo vilibus iumentis ſe egere ait? Eget planè nõ tamen ſibi, ſed mihi. Terre- Pſal. 75. bat enim olim me illa maieſtas, de qua illud ſcriptũ eſt, Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum, terribili apud omnes reges terrę. Et illud, Deus vltionum dominus, Deus vltionũ liberè egit, Pſal. 93.

Huius enim vltionis atque terroris metu, primus ille generis noſtri parẽs abſcõdit ſe. Quia verò idem dominus nõ minus mitis & manſuetus quàm terribilis & metuendus eſt, nec tam terroribus quàm lenitate cum hominibus agere iam decreuerat: egere ſe planè his iumentis dixit, quibus humiliter vectus huius tantæ manſuetudinis & lenitatis ſuę clariſſimum ſpecimen ederet. Et quoniam ſatis antea terroris & iuſtitiæ magnitudinem oſtenderat, decebat planè vt lenitatis & miſericordię ſuę amplitudinem mortalibus declararet. Ad hanc ergo tam amabilem virtutem declarandam certè dominus his iumentis indigebat. Reges quidem alio habitu veſtiuntur cum ad bellum, alio cum ad venandum, alio cum ad nuptias prodeunt: ita dominus diſſimilem ornatum diuerſis temporibus ſumit, cum ad alia atque alia opera procedit. Itaque cum orbem iudicaturus aduenier, veniet vtique in nubibus cęli, cum poteſtate magna & maieſtate: nunc verò quando non ad iudicandos ſed ad redimẽdos & allicien- dos ad ſe homines venit, hoc planè humilitatis & mãſuetudinis habitu tectus venire debuit. Et nimirum eguit ſumma illa ſapientia ſumma noſtra ſtultitia, vt hac occaſione ſapiẽtię ſuę magnitudinem declararet. Eguit ſumma miſericordia ſumma noſtra miſeria, quò ſubleuandis miſeriis noſtris, pietatis & miſericordię ſuę immenſitatem oſtenderet. Sicut enim ad excellentis medici gloriam illuſtrandam plurimum confert graues morbos in populo graſſari, quibus ille curandis artis ſuę peritiam oſtẽdat: ita graſſantibus animę morbis cæleſtis medicus cognitus eſt. Hac enim ratione Lazari morbus atque adeò mors, & aliorum, ad gloriam ſuam pertinuerunt.

Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam. Vide D. Tho pri. ſecun. q. 98. art. 1. ad 2. & quodli. 3. q. 5. art. 1. ad 5. & 3. par. q. 45. art. 3. in corpore.

Ecce rex tuus venit tibi manſuetus &c. Agere poteris de humilitate, quamobrem ſequentia loca hic tibi deſeruire poterunt. Autor.

Seipſum per ſuperbiam homo perdidit, neque ſe poterat reparare niſi per humilitatem. Hanc homines habere renuebant, quamuis illuſtres quoſdam viros quos imitarentur haberent: exiſtimabant ſiquidem humilitatem habere eſſe quid abiectum & turpe. Quare ne homo humilitatem deſpiceret atque dedignaretur amplecti: venit Deus in mundum, vt ſe humiliaret & exinaniret, omnibúſque humilitatis ſeſe perfectiſſimum præberet exemplum atque magiſtrum, dicens: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Aug. ſu. pſal. 33. to. m. 8. Matt. 11.

Non poterant homines rectè cognoſcere Deum in ſua altitudine ac maieſtate, nec ob eius excellentiam cum eo communicare. Quamobrem ſe humiliauit, atque ita deiecit, vt ſe vermẽ eſſe aſſerat, non hominem: vt hoc pacto etiam ſuperbiam noſtram & elationem deprimeret, atque deturbaret omnino. D. Berna. tractatu de paſſione domini cap. 17. Pſal. 21.

Chriſtum dominum hodie ſedere ſuper aſinam, deſignat quòd Deus humiles honorat & ſubleuat. In cuius rei typum Saul qui quærebat aſinas fuit à domino ſuper regnum iſrael exaltatus, vt habetur 1. Reg. 9.

Deſpecti ſunt filij Iſrael per Holofernem, humiliauerunt ſe, & fuerunt per victoriam exaltati; ita vt per triginta dies vix collecta ſint ſpolia Aſſyriorum à populo Iſrael, vt habetur Iudith 15.

Si impij quia humiliant ſe, tantum coram Deo conſequuntur & impetrant, vt conſtat in Achab 3. Reg. 21. & in Roboam 2. parali. 12. & in Ezechia 2. parali. 32. inſuper in Nabuchodonoſor Danie. 4. atque in Niniuitis Ionæ 3. quanta rogo impetraturus

est iustus, si suis maximis illustratus virtutibus humiliat seipsum,& deiicit ante Deum? certè coronas consequetur in terra,& in cælo.

Obstinatio ac pertinacia, & superbia, est detestabilis etiam apud Philosophos & Ethnicos. Lege Vincentium Belluacensem speculi doctrinalis lib. 4. cap. 174.

Quemadmodum statera quo magis vacua existit, eò altius eleuatur attollitúrque, & quę maius continet pondus magis deprimitur; sic homo vanus exiguíque meriti tanto amplius eleuatur ac superbit, quanto minores habet partes & dotes, vt tunc de se magna cogitet ac præsumat; non sic autem vir probus atque studiosus,sed tanto se magis humiliat quanto plus meritis exornatur.

Greg.lib. 11. Mor. cap. 17. Considerent tumidi & elati qui alios quoscunque despiciunt, futurum esse tempus in quo sepulchris magno fœtore soluentur, & tanto magis fœtebunt quanto amplius in mudo intumuerunt.

Arrogantiam,ambitionem,& numerosum nimis comitatum, strepitum assclatum, pedissequorum, apparatúmque seruorum, & aliud huiusmodi superfluum ministerium, abominatur & damnat Seneca lib.22.epist. ad Luci. epist.125.in medio.

Chry.ad popu.ho. 43.tom.5. Quemadmodum sęui quidem venti in tranquillum mare delati,totum ab imo subuertunt, ita vt & arena cum vndis misceatur: sic etiam ambitio & turpis quęstus animum subleuantes omnia subuertunt.Excęcat mentis intuitum præsertim glorię futor: nam pecunias quidem contemnere velle satis est facile; honorem autem à multis collatum despicere,multi laboris indiget,magnęque sapiętię. Non est enim, nó est inquam vitium tam tyrannum, &c.

Homines arrogantia & elatione adeo euanescũt, vt Alexander se adorari ab aliis efficere voluerit, vt refert Iustinus lib. 12. & 16. suę historię. Et Clearchus tyrannus aiebat se esse Iouis filium, & in huius rei signum faciebat vt aquila aurea ante se deferretur,vt idem autor dicit lib.16.

In hoc facile dignosces eos qui vel à mundo vel à Deo extolluntur: quippe quos dominus ad dignitates & excelsa munera eligit, hi suis officiis humiliter præsunt,& in suis honoribus nec latum vnguem ab humilitate discedunt; at electi à mundo superbè imperant.

Optimè honor assimilatur vmbrę: nam si propriã vmbrã sectaris quò magis properas magis ipsa fugiet.Quidnam igitur remedij vt eam vmbrã consequi possimus? proiice te in terram, & vmbram sub te capies. Eodem modo si vis verum honorem adipisci,humilia & abiice te,& dominus te extollet, quod quamuis in hoc mundo non faciat, faciet in

1. Reg. 9. 3. Reg.16. Genc.12. & 22. altero, vbi vero honore fruêris. Saul in principio humilis erat, & fecit illum dominus caput populi sui. Idem fecit Dauidi humili. Abrahę dixit etiam Deus,faciam te in gentem magnam.Lazarus autem hic in angustiis plagarum & infirmitatum constitutus, postea delatus fuit in sinum Abrahę. Vnde diuinus vates inquit, suscitans à terra inopem, & de

Luc.16. Psal.112. stercore erigens pauperem.

Philosophi multa etiam nobis de humilitate documenta reliquerunt. Nam Appelles Philosophus quidam dixit,Cum sis homo,memineris communis fortunę.Et Chilo: dum secunda fortuna arridet,superbire noli, aduersa perstrepente noli frangi. Publius etiam dixit: obliuisci quod scis interdum expedit. Democritus præterea, hominem esse teipsum submone semper. Insuper Aeschylus ita habet:mortalis natus cum sis, ne irrideas mortuum. Simonides habet; Memento te esse hominem.

Si velis aperire quàm grati esse debeamus Deo propter tantum Incarnationis beneficium, ad quod venit rex mansuetus: vide sequentem figuram, & applica eam. Postquam receperat beneficia tanta Tobias ab Angelo Raphaële,ait Tobias senior ad filium: Quid dabimus viro sancto qui itineris tui comes fuit? Cui filius: Pater, inquit, quam mercedem dabimus ei,aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? me duxit sanum,&c.sed peto te pater mi,vt roges eum, si forte dignabitur mediam partem ex omnibus quę allata sunt sibi sumere. Hęc inter sese pater filiúsque tractabant, quando oculos suos in solum beneficium, non in benefactoris personam coniiciebant. Cęterum vbi Angelus Domini se illis cognoscendum prębuit,tantus eos stupor inuasit,vt in terram abiecti atque prostrati trium horarũ spatio immobiles permanserint ibidem. ô fratres dilectissimi, obsecro vos vt hoc loco attentius paulò beneficium beneficio, & personam personę, conferatis. Aptissima figura dominicæ incarnationis ex Tob.12.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit eis Iesus. Omne malum & infortunium quod Agar contigit, vt à domo domini sui exterminaretur, propterea ei contigit, quia noluit esse obediens dominę suę. Sic nec tibi deerunt infortunia nisi obedias: nec extra obedientiam inuenies requiem, & perfectum gaudium. Gene.16.

Si de epistola velis aliquid tractare, consules etiam sequentia loca.

Fratres hora est iam nos de somno surgere, ad Roma.13. D. Antoni. Archiepisc. Florentinus habet concionem vnam in hanc epistо. principio primę partis Theologalis.

D.Thomas edidit tres conciones super hanc epistо. prope finem tom.16.

Innocentius tertius confecit vnam concionem in illa verba hodiernę epist. quę dicunt: Hora est iam nos de somno surgere,initio suorum operum.

Super epistol. agere poteris de vitę breuitate, quando eam vocat Apostо. horam. vnde videtur ad arma capienda canere, siue classicum, quòd tempus velociter prętereat: quemadmodum multi expositores affirmant. pro quo consule D. Bernar. lib. Meditationum cap. 17. non admodum longe à fine suorum operum. Autor.

Vide etiam D. Chrysost.in concione quadam seu homilia de vanitate & breuitate præsentis vitę: quę est inter principium & medium tomi quinti.

Si cupis tractare de breuitate vitę humanę iuxta ea quę de illa permulti Philosophi censuerunt, atque poętę: videbis Vincentium in speculo doctrinali lib. 5. cap. 104. & 105. & 106.

De breuitate vitę lege Senecam lib. 1. epist. ad Luci. epist. 12. in principio eius.

Vita breuis est,eam igitur fructuosè transigamus, quemadmodum hodierna epistola nos hortatur & monet Apostolus. Circa quod leges etiam Esaiam 28. cap. E. vbi ait, coangustatum est enim stratum.

Consule quoque ad idem institutum Hiere. cap. 13.C.vbi inquit; date domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat.

Vide etiam Iob cap. 9. C. dies mei velociores fuerunt cursore.

Leges Ecclesiasten cap. 6. C. vbi ait, etiam si duobus millibus annis, &c.

Consules Ecclesiasticum cap. 41. vbi habetur, siue decem, siue centum, siue mille, &c.

Vide etiam ad Gala.6. C. vbi dicitur, dum tempus habemus. Super quę omnia loca si videris expositiones, & Commentarios doctorum, tibi aperientur amplissimi & longe latéque diffusi campi.

Multa

Multa quidem & diserta spectantia ad hodiernam epistо. in illa potissimum verba: nunc enim propriorest nostra salus,inuenies in D. Chrysost. in non absо. ho. 48. to. 2.

Cur Christus dominus vitam hanc vocet diem, vt haberur Ioan.9. & Aposto.epist. hodierna noctem appellet, fusè tractatum reperies in eodem Chrys. super Ioan.ho. 55. to. 3.

Hora est iam nos de somno surgere. Sanctus ille Iob humanarum miseriarum expertus maximè, quibus breuissimis rebus vitæ nostræ breuitatem & inanitatem dignè comparet, vix potest inuenire. Vnde Iob.7. modo eam cum tela quæ à texente succiditur comparat, modo cum velocissimo cursore, & in itinere suo volante;modo cum aquila quæ fame stimulante Iob.9. volat ad escam.Modo cum nauibus poma portantibus, quæ quanta possunt velocitate nauigant, ne poma putrescant. Modo cum arboris folio, quod à Iob.13. vento rapitur: & certè singuli homines velut arborum folia quotidie decidunt.In qua breuitate varietas magna etiam est, quandoquidem alij citius, alij paulò tardius, decidunt. Aliquando enim breuiorem,aliquando longiorem arbitrio suo vitã nostram Deus facit. Quod quidem falx illa significat, quam Apoc.14. Ioannes in Apocal.in manu domini vidit. Occultissimo siquidem diuinæ sapientiæ iudicio alij in peccato breuiter,vel paulò tardius,alij in gratia, alij repentina,alij præuisa antè morte,alij perceptis sacramentis,alij sine sacramentorũ remediis, quod summum certe periculum est, hac falce demetuntur. Cum igitur adeò breuis & incertus sit exitus vitæ nostræ, totáque salus nostra ex eo potissimum pendeat,vt paratos nos extrema hora deprehendat:quid quæso prudentius, quid salutarius,quàm vt illa hora accensis lampadibus, & præcinctis lumbis inueniamur? Ad hoc autem nos Eusebius Episcopus Lucæ.12. Emesenus inuitat his verbis. Paratos nos inueniat extrema necessitas, quæ sæpè præuenit imparatos: certam nobis imponat solicitudinem incerta conditio: quotidianus sit illius periculi metus, cuius nescitur incursus. Ideo hora est iam nos de somno surgere.

Expende quàm vigilantem vitam agebat Christus redemptor noster, qui in die prædicabat & docebat, per noctem verò insomnis in oratione erat in mõte inter feras & in solitudine,vt habetur Lucę 6. Sed quid ad hoc mirabile Christi exemplum dicent illi miseri, qui de Christiano nomine gloriãtes in blandis lectulis per totam noctem stertunt; qui etiam vsque ad meridiem non expergiscuntur? Hi equidem vitam Epicureorum sectantur potius, qui in vitiis & obscœnis voluptatibus tanquam sues Ad Philip.3. deuoluebantur,ventrem suum deum habentes.Erat ergo Christus in monte pernoctans in oratione, cum mundani sint in lectis suis lasciuientes, & in Exo.32. vtramque dormientes aurem. Erat Moses in monte in orationibus & vigiliis cum deo loquens: populus autem infra erat comedês & bibens, & vitulum adorãs.Propterea fratres hora est iam nos de somno surgere. Vita hæc fluxa, breuis, & momentanea Gen. 47. est.Vnde Iacob ingressus Ægyptum cum à Pharaone interrogaretur, quot sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit, dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali. Paruos dixit annos,quia vno puncto & vno momento omnia includuntur tempora,& malos propter immensos labores.

Chry. in Acta Apost. ho. 26. to.3. Non est eò fabricata nox vt eam totam in somno traducere debeamus, & vt eam otiosam degamus, præsertim cum multi propter humana commoda nocte laudabiliter laborent.In Ecclesia consueuerũt etiam eius ministri media nocte cõsurgere ad Deum laudandum.Ita tu igitur gerere te debes,& contemplari stellarum choros laudantes factorem suum. Tunc animus quietior est ad meditandum in tanta tranquillitate: tunc paratior est, & tenebræ illæ ad pænitentiam inuitare eum videntur. Considera cæios ipsos, & in admirationem & laudem venies creatoris. Si consideras eos qui tantum lasciuiis, somno,& vitiis indulgent: nil fere à mortuis distantes eos tunc videbis, cognoscésque qua ratione somnus sit mortis quędam imago,& dormientes similes mortuis ipsis. Si enim ad domos eorum accedis,stertunt tunc omnes totis præcordiis.Hæc planè iuuabunt ad excitandum animum ad cõtemplationem extremi iudicij,& interitus rerũ.Cum ergo cæteri somno vacant, tu interdum vigilabis, flebis, & orabis: tibi propones illud Psal. 6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectũ meum. Tametsi enim variis distinearis curis, nõ tamen tam multis occupaberis,quàm multis rex ille Dauid occupabatur: neque ampliorem gubernationem cui prouidere debeas habebis.

Qui tamen in tantis curis dicebat; media nocte surgebam ad confitendũ tibi. Tunc vana gloria non ita te punget,cum à nemine cõspiciaris:omnia quietè præstabis,& experiere tandem,quòd per has sanctas vigilias succurrent menti multæ laudabiles delectationes & inspirationes.Poteris etiam familiam, si eam nactus sis, ad hanc exercitationem hortari, & Christus eam reget,& ibi morabitur. Dicit enim per Matthæ.vbi duo vel tres fuerint congregati &c. filios præsertim edocebis,& domus tua erit domus orationis. Aduertes etiam illud Prophetæ, sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te. Si obiicis multum te interdiu laborare,& occupari,ac propterea vigilare noctu non posse: certè quamuis multum deludes,non tamen tantum quantum, vt dixi, rex ille Dauid, qui bonam noctis partem vigilabat. Age verò nónne vides quòd si quando occurrat aliquod graue temporarium negotium,quod die non perfeceris, noctem vel totam insomnem ducis vt,illud perficias? Cur igitur non vigilabis intendés saluti animi, quæ res est omnium vtilissima, quam de die negligis? Considera igitur tandem,& tibi semper ante oculos Christum ipsum propone, qui nocte vigilabat, & orabat. Aduerte quod quemadmodum vtilissimus est nocturnus ros ad contemperandum diei æstum: ita lachrymæ nocturnæ vtilissimæ sunt ad emendandas diurnas concupiscentias, & vt nox ea componat, quæ diu perturbata sunt & male acta. Psal.118. Psal.62. Lucæ 6.

Quantò longiores sunt dies, tanto breuiores sunt noctes, & vice versa quò dies breuiores, cò noctes longiores. Debemus ergo non æqualiter nos habere, sed actiones nostras, & somnum ipsum commodè disponere: ita vt nec propter minimum somnum valetudinem ipsam lædamus, nec propter nimium voluptati indulgeamus. Nec debemus tantum nos cibo ingurgitare, vt necesse sit somnum producere vltra præscriptum tempus propter digestionem siue concoctionem nimij cibi. Sed debemus omnia moderatè & rationis præscripto exequi, ita vt & vigilia & somnus suos habeant terminos,& commodas distributiones,vt neque voluptatibus indulgeat corpus, neque etiam in morbos incidat,aut animus elangueat. Vt autem terra quę per negligentiam inculta est, spinas producit: ita mens somno nimium indulgés multa mala gignere solet, atque producere. Quare oportet vt diligenter mentem excolamus Dei verbo,quod est optima cultura, & optimum semen:neque otiosum teramus tempus Clemens in Recognit.ad Iacobũ fratrẽ domini lib. 6. fol.32. & hoc ipsũ etiã repetit ep.ſt. 4. ad Iulianũ fol.71.

ac consumamus. Licet enim fieri fortasse posset vt per negligentiam amissa repararentur per maiorem diligentiam & solicitudinem: tamen hoc expectare tempus turpe est,& periculosum, cum sit incerta humana vita, & anceps. Neque hoc modo timebimus repentinam mortem, cum simus semper præparati; nec timebimus incursum eius inopinatum.

Chry.super Gen. ho.31. tomo.1.

Horæ est iam nos de somno surgere. Admirabilis sane est illa Abrahami diligentia in exequendo diuino mandato,quamuis senectute confectus esset, & difficile esset mandatum,cum præsertim cum tanta familia tantóque pecore esset sibi demigrandum, & incertus esset terminus itineris, neque polliceretur ei propterea Deus nisi præmiũ terrenum.Nam nullas causas ex his pro se adduxit Abrahamus, imò tanquam si iuuenis esset, & maximè expeditus, dedit se in viam tam difficilem. Nos autem qui non vocamur à terra in terrã, sed à terra in cælum, quod omnium maximum est beneficium, non tanta certe diligentia diuina capessimus iussa: imò inspirationes diuinas repellimus à nobis, neque magnitudine præmij proposita ducimur,nec agnoscendo res istas inferiores esse viles, abiectas, caducas, & interitui obnoxias. Neque impellimur quod sit longe vtilissimum pro temporariis æterna recipere: neque inuitamur dignitate vocantis, sed perpetuò obsurdescimus,& dormimus.

Chryſ.in nõ abſo. ho.29. ſuper Mat. 10.2.

Quemadmodum antequam adligaretur Satanas dæmones omnes fortissimi erant, ita postquam ligatus est, omnes debilitati sunt & enerui. Dicitur autem fortis aduersarius iste propter nostram incuriam & imbecillitatem, non quod ipse possit voluntatem conuincere. Et Christus vocauit eum fortem non tam vt nos terreret,quàm vt excitaret & vigiles redderet ac diligentes. Non debemus enim hunc fortem tãtopere timere,cum habeamus ducem fortiorem.Interim tamen vigilandum nobis est, & cauendum à forti illo. Si enim contra eum diligenter ac vigilanter pugnauerimus,manifestum est hac ratione nos victores euasuros. Sed tamen si negligenter nos habemus, fortiorem etiã eum inueniemus, nedum fortem.Nam quamuis minimum possit,plus tamen poterit quàm negligens, cum ex negligentia vires semper assumat. Ligatus quidem est pedibus & manibus:ac propterea considera tu ipse quàm sis negligens, cum à ligato vincaris. Quod si apertius vis intelligere, intuere & tuam & illius naturam, & vide quantum ea te superet,cum sit angelica natura, & facile colliges eum non potuisse à te superari, nisi à Deo ligatus esset. Illum enim Deus humiliauit propter suam malitiam, & nobis subiecit propter magnam misericordiam diuinam. Hora igitur erit iam tandem nos de somno surgere.

Lucæ 11.

Si vis agere de somno & vigilia, & quàm sepultus sit animus dormientis, & alia multa curiosa & optima ad id spectantia videre: lege Vincentium Belluacensem speculi naturalis lib. 26. per totum, habet autem multa capita.

*Sic vt in die honestè ambulemus.*Quales esse debeant occupationes nostræ, & opera, vt ad perfectionis tendamus culmen; inuenies in Laurent. Iustiniano lib. de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis cap. 24. & lib. de vita Solitaria cap. 10.

Pudicitiam & honestatem in omnibus nostris motibus maximè commendat D. Ambro.lib.1.offi. cap. 18. tom. 1.

Senecain præfatione lib. 4. Moraliũ quæstionum.

Ita honestus atque modestus esse debes ait Seneca,vt verè possis dicere,cernicem pro fide supponi, nullum verbum mihi quod non salua conscientia procederet excussum est: non præcipiti impetu tenui cõsilium, quo me eriperem à furore potentium, sed aduersus minores humanitatem, & aduersus maiores reuerentiam habui &c.

Philo libro de temuléria.

Non in commessationibus & ebrietatibus. Contra vitium intemperantiæ composuit librum quendam doctissimus Philo Iudæus, qui existit inter initium & medium operum eius.

Quod multum noceat intemperãtia & ebrietas, quòd sint etiam periculosa conuiuia hominum edacium, & alia multa id genus, reperies apud D. Ambrosi. lib. 1. de Elia & ieiunio, qui existit prope finem tomi primi.

Quod fugienda sit intemperantia & ebrietas,lege D. Augustí.de tempore,sermo. 231.& 232. to. 10.

Quàm sit in bibendo intemperantia detestanda, consulito eundem ad fratres in Eremo sermo. 33. aliquantulum procul à fine tomi 10. vbi refert ad idem institutum horrendum quendam euentum.

Ebrietatem seu temulentiam detestati sunt multi Philosophi atque poëtæ: lege Vincen. Belluac. speculi doctrinalis li.4.cap.157.& 158.

Non est animus in sua potestate ebrietate deiectus: quemadmodum enim musto dolia ipsa rumpuntur, ita vino deiectus arcana omnia reuelat. Sicut euomunt esculenta & vinum, sic secretum commissum sibi ebrij manifestant. Alia plura te docebit Seneca li.12.epist. ad Luci.epist.84. à medio in finem.

Seneca lib. 2. de ira capi. 19.& 20. Plato.

Vinum incendit iram, quia calorem auget. Pro cuiusque natura multum quidem prodest ad iræ moderationem abstinentia vini: quod etiam pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Vide eundem Senecam.

Non in contentione & æmulatione. Inuidia est detestabilis valde, & sicut caries non producitur in cedro quòd sit pretiosa & odorifera, sic inuidia nõ generatur in animo ingenuo, pio, atque Christiano.

Sicut planetæ inferiores obscurare nituntur eos qui superiores existunt,& non contrà:ita infimi homines sua inuidia nigrefacere student famam & nomen eorum quos vident sibi præcellere.

Quemadmodum noctua tenebris gaudet, & lucem habet inimicam: ita inuidus & impius alienis malis gaudet, & de aliena felicitate tristatur.

Sicut vestis tinea valde corrosa non admittit remedium, neque reparationem: sic animus inuidia stimulante tabescens difficile reparatur.

Apud Philosophos reperies etiam documenta multa ad æmulationem & inuidiam vitandam.Nam Menedemus Philosophus quidam dixit: eorum quę aliena sunt nil concupiscito. Chilo, ne cui inuideas mortalium. Chares, noli inuidere fortunatis, ne videare malus. Sertorius, tu pauper effectus diuitibus ne inuideto.

Multa alia circa Euangelium hodiernum adferri poterant: pro quibus te remittimus ad Dominicam in Ramis, in qua cantari consueuit.

Dominica secunda in Aduentu Domini secundum vsum Romanum,& tertia secundum alios.

Chriſ. in nõ abſoluto, ho. 27.2.to.

CVM *audisset Ioannes in vinculis opera Christi. Matthæi. 11. Luca. 7. vide etiam Matthæi 14. & Marci. 6.* Ioannes specie homo, gratia angelus, in quo nil carnis erat ferè nisi visio sola, corpore tenebatur in carcere, anima autem in cælo: & quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio, & ira illius quasi dei misericordia fruebatur. Quia verum gaudium est sanctorum exire de mundo: & quemadmodum festinãtem hominem ad rem aliquam,quam desiderat, facile quis nescíens consilium eius, eum retinet ire volentem,sed tamen inuitum; sic puto esse cum impius

impius hominem iustum differt occidere mori cupientem. Sicut seruus postquam commissi operis impleuerit pensum, gaudet ante faciem domini sui apparere: sic & Ioannes cómissæ prædicationis ministerio consummato, lætabatur ad Deum transire; & nõ solũ de morte sua non cõtristabatur,sed ipsam quoque dilationé vitæ suæ pœnã quasi putabat.Vis autem scire quàm patienter sustineret carcerẽ? nunquam de suo periculo solicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat,id est discipulorum suorum.

Augu. in festo S. Ioã.Bapt. sermone. 1.to. 10.

Quod autem Ioannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos ordinat: lex ad Euangelium transmittit,quæ lex iuxta typum Ioannis quasi ignorantiæ clausa carcere, in obscuro & in occulto iacebat, & iudaica cæcitate sensus intra literam tenebatur inclusus.

D. Anto. 1.par.Histo. tit.5. ca.1.§.13.

Cum autem argueret Herodem Ioannes de incestu & de adulterio, dicens: non licet tibi habere vxorem fratris tui, scilicet Philippi, à quo eam abstulerat; Herodias ipsa quæ recesserat à viro legitimo, & adhæserat Herodi, odio habens Ioannem, insidiabatur ei & quærebat occidere eum.

Simõ de Cassia lib. 3. cap. 2.

Herodias omnem amorem viri transtulerat in fratrem, & odiebat ex animo eum qui Herodi iustum diuortium suadebat. Talibus namque processibus illorum malitia graditur, in quibus sic ardet tam funestus amor.Sed in hoc plus Herodis excessit iniquitas, præter id quod Ioannem dedit exitio. Nam etsi honestatis iustitiã vituperaret in alia muliere,zelare protinus debuit in fratris vxore:& quãuis thoros omnium ex libidine reuelasset, saltẽ fraterni debuit esse tutor.Apud quem quęso commendatio ac custodia fiet vxoris, si frater fratris dehonestat vxorem? Apud quem talium rerum fides, si frater decipit? si germanus reiicit fidem? si vterinus honestum non seruat amorem? Et certè in omnes sceleratius subditos peccat, qui committit ex malè agendi libidine, quòd in alio punire debuisset ex autoritate iustitiæ. Herodes audita fama Ioannis eum ad se accersiri fecit, audiendi & videndi auiditate commotus. Ad quem Ioannes non frustranter accessit: sed suadens ei quæ iustæ vitæ sunt, & maximè quæ ad principem Reipub. pertinebant, dissuadebat facinus quod non solum lex data, sed ipsa etiam naturalis iustitia reprehendit, & consuetudo ac mores hominum maximè detestantur. Quem ideo Herodes male suasus ab amore pelliceo, detrusit in carcerem,cum interim eum audiret in quibusdam quæ suadebat.Mos enim est deprauatorum hominum,vt aliquos pacificè audiant pro quibusdam humanis operibus exercendis, in cauendis autem criminibus aures auertant: & quod nequius est, Herodem imitantes,dissuasores criminum affligant.

Deute. 5.

Scriptum est autem, non concupisces vxorem proximi tui. Item de vxore fraterna expressa prohibitio facta est: turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est. Sed quorsum his Ioannes Herodem arguebat, qui lege diuina carebat,qui Romanus,& paganus erat? Quia scilicet præter hæc, ipsa etiam naturali ratione, & iustitia, hoc facinus omnibus hominibus inhibetur, & leges præterea Persarum, Medorum, Græcorum, & Romanorum, hoc magnis decretis cauerunt, nempe ne quis alterius vxorem inuadat: & ipsa ratio apertè etiam suadet, quòd homines in magis proximis maiorem custodiãt honestatem. Animaduertendum igitur quantum Herodias esse in incestuoso adulterio diligebat, quæ Ioannem huius sceleris reprehensorem venabatur ad mortem.Nil mihi crede in hominibus nequius, nil ad interitum, & damnationem procliuius, quàm odisse ad mortem scelerum reprehensores. Quid enim in infirmo magis infirmum, aut peius, quam medici necem inquirere, qui quærit omnino sanare? Contra hos quidem per prophetam Amos dicitur, odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt. Habet hoc proprium anima depraua- Amos 5.
ta, vt intestino odio oderit eum, qui suis nefariis placitis obicem conatur opponere.Pernicioſa libertate gaudere exoptat, & in se cæca neminem sui sceleris vellet esse videntem. Herodes timebat quidem Ioannem Mar.6.sed melius sibi si timuisset dominum in Ioanne: quoniam timor domini expellit peccatum. Quid enim vtilitatis accedebat Herodi quòd audiendo Ioannem multa bona faceret, si facinus eius omnia benefacta superabat? Ad nihilum certè valet operum bonorum nouella plantatio,nisi malorum prius fiat eradicatio.

Greg.lib. 3 Morali. cap. 4.

Ecce autem dum beati Iob vulnera,cruciatúsque considero, repentè mentis oculos ad Ioannem reduco,& non sine grauissima admiratione perpendo quòd ille prophetiæ spiritu intra matris vterum impletus, atque vt ita dixerim, prius quàm nasceretur renatus, ille amicus sponsi, ille quo inter natos mulierum maior nemo surrexit,ille ita propheta, vt plus etiam quàm propheta, ab iniquis in carcerem mittatur, & pro puellæ saltatu capite truncetur: atque vir tantæ seueritatis pro risu turpium moriatur.Numquid credemus aliquid fuisse turpe in eius vita, quod tam despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locustas solummodo,& mel syluestre edebat? vel in qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Aut quando conuersatione sua offendere potuit, qui de eremo non recedebat? Aut quando loquacitatis reatus eum polluit, qui disiunctus longè ab hominibus fuit? Vel quando illum silentij culpa attigit, qui malos ad se venientes tam vehementer increpauit? dicens, progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? quid est ergo quòd vir tam sanctissimus,& omnibus Christi testimonio prælatus, pro temulenti verbis,& in saltatricis præmium moriatur?quid est inquam quòd Deus omnipotens tam vehementer in hoc seculo despiciat,quos sic sublimiter ante secula elegit? Hoc,hoc certe est, quòd iccirco eos premit in infimis, vt velit remunerari in summis. Hinc ergo iam vnusquisque sibi colligat, quid illi sint tandem passuri quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat. Aut quomodo in iudicio ferientur, qui arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso iudice teste laudantur.

Chryſ.ſu per Mat. 14.homi. 49.to.2.

O conuiuium diabolicum! ô satanæ spectaculum! ô iniquum tripudium, & mercedem tripudij multo iniquiorem! cædes enim omnium fere scelestissima cædium excogitabatur: & qui coronari, ac laudibus in cælum efferri merebatur, percussus securi veniebat:& eius,qui dæmones deuicit,caput, post cædem ad mensam adferebatur.

Chryſ.ex virtus in Matt. locis hom. 16.to.2.

Cum hodie nobis Ioannis virtus, & Herodis seritas refertur, confunduntur planè viscera, & corda tremunt.Ioannes enim schola virtutũ, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ via, fidei disciplina. Ioannes maior homine, par Angelis, legis summa, Apostolorum vox,silentium propheratum,lucerna mundi, præcursor iudicis, domini testis, traditur adulteræ, & addicitur saltatrici.Tu adulterium facis Herodes, & in carcerem mittetur Ioannes? siccine iudicare debet sedens in loco iudicis? vbi iustitiæ facies, ac forma? Vbi tuus pudor? vbi fas, lex, & ipsius iura naturæ? simul planè omnia sunt Herodes te agente,

ac iudicante confusa. Te causa Herodes vrget, te arguũt vincula, te carcer accusat, te diuulgat infamia: Ioannes tamen iniuriatur, Ioannes affligitur, atque punitur. In te inuenitur quod puniatur, & tamen in Ioanne castigatur. Ioannes orbi notus, fama clarus, & cognitus, celebratissimus sanctitate, tu vero crimine obscurus atque ignobilis. Arguet te igitur tandem confusio publica, quem corrigere non valuit secreta correptio & priuata. Malos qui monet, eos offendit; incurrit odium qui arguit criminosos. Dicebat Ioannes quod erat iustum, æquum, & salutare: ecce qualem consecutus est ab impio propietate mercedem, nempe carcerem, & denique interitum.

Chrys. super 2. ad Cori. 12. homil. 28 tom. 4.

Non licet tibi: non dixit, sceleste, pollute & præuaricator, ac prophane, conculcasti legem, contempsisti quæ statuta sunt, potẽtiam tuam legem fecisti. Nil inquam horum dixit, imò in reprehensione apparuit omnis mansuetudo viri, dixit enim: Non licet, erat siquidem hoc magis verbum docẽtis, quàm reprehẽdentis, & quàm punientis; corrigẽtis, quàm insultantis. Sed furi lux inimica est: & molestus est iustus peccantibus. Non enim ferunt huius radios, sicut nec solis iubar qui oculorum morbo tenentur.

Hugo de S. Victore i festo S. Ioann. Bapt. 10. 2. prope finem.

Quemadmodum varia diuersitas lapidum pretiosorum vestimentum ornat, sic in Ioanne Baptista nobis emicat diuersarum virtutum multitudo, & eiusdem multitudinis pulchritudo: vt contemptus seculi, amor Dei, quies solitudinis, virginitas corporis, humilitas cordis, rigor seueritatis, confessio veritatis, virtus patientiæ, odor bonæ famæ. Hic est aurora veri solis, præcursor redemptoris, miles superni regis, præco venturi iudicis.

Herodianæ cænæ cruentas epulas, & conuiuium, tum terra, tum cælum, hodie mecum horruit, & expauit. Sed vox occidi non potest, quin magis clamat angustiis corporis soluta. Sic vox Abel cum suo iam effusa sanguine, magis sonat, magis penetrat, magis pertendit ad cælum. Ita & nunc Ioannes toto orbe clamat, totis seculis tantum facinus cunctis refert, & ostentat in gentibus.

Cypria. de reuelatiõe capitis beati Ioann. Bapt. epist. 112.

Narrat Iosephus vinctum fuisse Ioannem Baptistam in castello Macheronte, ibique, caput eius truncatum fuisse, ac sepultum in Sebaste ciuitate regionis Palestinæ, quæ quondam Samaria est appellata. Post longum verò tempus monumentum eius Pagani inuulgauerunt, & ossa eius per campi planitiem dissipauerunt, rursúmque collecta igne concremauerunt, & postea per agros cremata proiecerunt. Sed aduenerunt quidam monachi religiosi viri de Hierosolymis ad locum eiusdem monumenti, audientes ea quæ Ioanni acciderant: & quidquid potuerunt ex ossibus eius colligere, ad patrem suum Iosephum detulerunt Hierosolymam. Et ille transmisit cum aliis viris religiosis Athanasio Alexãdriæ Pontifici fidelissimo, ibique miro modo fuere seruata, vsque ad tempus Theophili eiusdem vrbis Episcopi. Caput autem illius tunc temporis repositum adhuc erat in loco quo illud in absconso vxor Herodis depositerat nemine sciente, cum id in disco à filia susceperat. Quod si quis hæc plenius voluerit scire, Chronicam Marcelli principis legat, & ibi reperiet duos monachos ab oriente in Hierusalem venisse causa orationis, in tempore Martiani Imperatoris; quibus monachis in visione angelica dictum est: Ite ad palatium Herodis, qui quondam hic fuit perfidus princeps, & introeuntes prospicite diligenter, & vbi fumum à terra ascendentem videritis, fodientes, ibi caput Ioannis Paptistæ incunctanter inuenietis. Et ita fecerũt, ac cum magno honore clanculum secum Hierosolymam deportauerunt. Sed non multo post à latronibus raptum est, quod mitterentes in specum, ibidem dimiserunt, donec idem Ioannes Christo annuente cuidam viro religioso nomine Marcello sacerdoti, qui in specu morabatur eremita, reuelauit, dicens: Accipe caput meum, quod in specu depositum est à latronibus, & defer illud Episcopo qui nunc præest Alexandriæ ciuitati, post Theophilum Deo charum: vbi reliquiæ corporis mei requiescunt, & sic fecit Marcellus.

Quibusdam Iudæorum videbatur ideò periisse Herodis exercitum, quòd in eum iustè indignatio diuina commota sit, pro vindicta Ioannis, qui vocabatur Baptista. Hunc enim Herodes occidit, virum valde bonum, qui præcipiebat Iudæis virtuti operam dare, iustitiam colere, in Deum seruare pietatem, & per baptismum in vnum coire. Quæ cum ab eo præcepta docerentur, atque ad audiendum eum perplurima multitudo concurreret, veritus Herodes ne forte doctrinæ eius persuasione, populi à suo regno discederent (videbat enim quod præceptis eius & monitis parata esset plebs in omnibus obedire) melius credidit, priusquam nouã aliquid fieret, præuenire hominem nece, quàm postmodum turbatis rebus seram pœnitudinem gerere. Atque ex sola hac suspicione Herodis, vinctus in castellum Macherontą abducitur Ioannes, ibique obtruncatur. Euangelistæ aliter sentiunt. Iosephus lib. 18. antiquitatũ cap. 10.

Vinculis adligatur beatus Ioannes, virtutis iubar, virtutis splendor, & horrendum peccatoribus exemplum. Si enim tantus Ioannes carcere claditur, & pro veritate quam prædicabat capite plectitur: qua pœna quæso peccator aridus pro tot sceleribus afficietur? Ille decollatur, qui tantum mel syluestre, & locustas edebat: quæ igitur erit pœna edentis & bibentis vsque ad crapulam & ebrietatem? Ille induitur saceo ex camelorum pilis cõtexto, & tamen ignominioso carcere clauditur: peccator mollibus vestitus, in quod ergastulum trudetur? Ille qui eremum in tenera ætate iam petiuit, ne leui saltem maculare vitam famine posset, traditur decapitandus carnifici: heu quibus satellitibus traderetur peccator cruciandus, qui totum corpus subiecit deliciis! Verè iudicium incipit à domo Dei: & si in viridi ligno omni virtute prædito hæc fiunt, in arido omni virtute destituto quid fiet? Aliud etiã est quod initio huius sacræ lectionis me maximè reddit attonitum, nempe quantũ prævaluit apud Herodem detractio delata aduersus beatũ Ioannem. ô nunquam à Regum mẽte excidendum exemplum! ne credant calumniatoribus. Magnum insuper consilium sequentur in hac re illorum duorum Regum, quos Deus ipse elegit, Saulis, & Dauidis, spiritu prophetico decoratorum. Debent namque reges, qui tanta omni die audiunt, ne fallantur, spiritũ sanctum postulare; vt qui iam nõ dono prophetiæ decorantur, saltem bono spiritu, & interiori doctrina ac instinctu, quid agendum, cui credendum, quid non faciendum, quid non credendum sit, doceantur.

Soarez. vbi supra tracta. 3.

Quæri potest (cum beatus Ioannes ob correctionem in Herodem de Herodiade vxore Philippi fratris sui viuentis, quam tulerat, sit detrusus in carcerem, & capite plexus) an vnusquisque prædicantium pro veritate teneatur subire mortis suppliciũ, & peccantes similiter publicè increpare. Et quanquam vulgò asseratur non esse quemquam, qui veritatem proclamet publicè: sanè vulgaris ea sententia est, quæque apud doctos & sanctos viros nullius est momenti & autoritatis. Est igitur veritas triplex, fidei, vitæ, & doctrinæ: veritas fidei nũquam est silentio præmittenda, nec propter periculum relinquenda. Semper enim legens, docens, disputans, vel prædicans, tenetur veram fidem exponere, nec aliquid

contra fidem asserere. Poterit tamen renuentibus, & eam à se repellentibus, infidelibus, & hæreticis, ne audiant fidem, recedere si nil proficit, iuxta domini dogma Matt. 10. si non receperint vos, etiam puluerem calceamẽtorum excutite. Quod & beatus Paulus fecit in Antiochia Pisidiæ, dicens Iudæis: vobis oportebat primum prædicari verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Tunc Iudæi excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedum in eos, venerũt Iconium. Itaque recedere à persequentibus & nolentibus recipere fidem licet, non tamen relinquere vnquam ipsam fidem, etsi omnia inferãtur supplicia. Veritas vitę pari modo nunquam relinquẽda est, nec in minimo quidem: quæ est viuere secundum præcepta Dei. Cum igitur vera vita sit obseruatio mandatorum dei, non est aliquod præceptorum eius transgrediendum, licet mille mortes ob oculos constituantur: nec alicui contra præcepta Dei facere consulendum est. Veritas doctrinæ etiam non est relinquenda, quoniam non licet mendacium, aut aliquod falsum miscere doctrinæ. Cæterum potest, & debet Prædicator vel doctor aliqua reticere, quæ magis scandalum, quàm fructum adferre possunt: non tamen certè aliquod peccatum mortale notorium, quod magnum in populo scandalum excitet, quale fuit peccatum Herodis nefandum. Quapropter beatus Ioãnes post plurima salubertima consilia, publicè Herodem corripuit, dicens, Non licet tibi. Atque sic tenentur prædicatores mortem subire pro veritate. Hoc quidem est quod Apostо. præcipit 1. ad Timo. 5. peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant, ideſt ne scandalizentur, similia, vel peiora facientes, si viderint publicos peccatores minimè corripi, quod verè scandalum dicitur. Grauius enim scandalum est, cum te intuẽtur omnes impunè peccare, ob gubernantium desidiam, & prædicatorum ignauiam: cúmque nec superior punit, nec prædicator reprehendit, manifestum enim malum est, & quod alij imitantur, vel addunt peiora. Tales homines expedit carpere, vt & cæteri talia perpetrandi timorem habeant. Ac propterea iusti vita non obscuratur carcere, nec deformatur morte: sed illustratur potius. Nam vasa figuli probat fornax, & tentatio tribulationis, iustos: qui in persecutionibus clariores redduntur. Act. 13. Eccles. 27

O rerum vices inuersas! Herodes adulteratur, & sedet in throno regali: Ioannes verò tenetur in vinculis. Dauid rapit vxorem alienam, & vir eius pro rege adultero militans occiditur in prælio, idque non casu, sed data opera. Antiochus quidem cum in venatione quadam studio persequendi feram, ab amicis & seruis aberrasset, in casam pauperiorum hominum ignotus intrauit: ac inter cœnandũ cum de rege sermonem iniecissent, audiuit dicentes bonum esse regem, sed amicis flagitiosis vtentem plurima negligere: sæpéque ea quæ essent necessaria nil curare, quòd venationis nimium esset studiosus. Et quidem rex tacuit tunc, ac etiam postea quàm satellites simul cum die ad casam illam venientes, allata purpura & diademate, omnibus eum nuntiarunt. Imo addidit: sanè ex quo vos dimisi, cœpi primum de me ipso vera audire, nec propterea quemquam in vincula iussit detrudi, ex his à quibus veritatem audiuit, vt fecit Herodes. Cæterum Ioannes non ignorabat quod veritas quam dicebat paritura erat sibi mortem, nihilominus tamen palinodiam non cecinit, quia veritatis erat præco. Cur enim non iste faceret, quod Socrates etiam fecit? Nam cum delatione quorundam coniectus esset in vincula, & sibi liceret permittente Athenien sium Senatu, vitam pecunia redimere, ab amicis liberaliter eam conferentibus collata: noluit tamen, sed mori prælegit, quia sic iudicauerunt Athenienses. Ne inquit dicatur in populo me tanquam reum vitam pecunia redemisse, quod esset turpiter viuere. Quamobrem ait non admodum nobis curandum est quid isti de nobis loquantur, sed quid dicat is vnus qui intelligit iusta & iniusta, atque ipsam veritatem. Nec magni faciendum est viuere, sed bene viuere. Et postmodum ait, scitote si me occideritis non me lædi, sed vos magis: nefas enim arbitror meliorem virum à deteriore lædi: interficere quidem eum potest, & contumelia afficere, animam autem non potest. Hæc ille ad populum, & tamen veneno periit, quia veritatem dicebat. Ita Ioannes fortunã vtramque eodem modo, eodémque vultu ferens, pariter amplexus est mortem, atque Socrates venenum hausit.

Discipuli Ioannis etiam ei in vinculis assistebant, & magistrum suum in aduersis non dereliquerunt: sed ad passionem vsque & sepultutam ei diligenter ministrauerunt. Hinc discamus & nos fratres, magistris, & amicis nostris, in omni aduersitate constantiam exhibere fidelitatis. Sicut enim ignis aurum, & cursus equum: ita aduersitas probat amicum. Vnde Eccles. 12. non agnoscetur in bonis amicus. Et Prouerb. 25. Dens putridus amicus deficiens in via. Rhudolphus Arbentis in Domini. 3. Aduentus.

Carceris & vinculorum molestia non prohibebat Ioannem quo minus officio fungeretur suo. Hoc proprium est eorum qui verè atque ex animo seruiunt Deo, nullis afflictionibus deterreri, ne ea & dicant, & faciant, & tractent, quæ ad gloriam Dei pertineant. Sic Paulus in mediis vinculis scribebat Ecclesiis, & eas confirmabat. Isidorus Clarius super Lucam 7. 0ª rario. 39.

Cum audisset Ioannes in vinculis. Edisserere quibus quomodo Deus sæpè permittit vt serui sui persecutionem patiantur & opprimantur: cui quidem rei lege sequentia loca deseruientia. Autor.

Leges Hectorem Pintum super Ezechielem 1. dum illa verba declarat ad Heb. 11. alij ludibria, & verba experti &c.

Leges Abacuc prophetam cap. 1. A. & ibi doctores, in illud, vsquequo domine clamabo.

Vide Iob cap. 19. A. & ibi doctores super illud, vsquequo affligitis animam meam.

Vide Hiere. cap. 12. & ibi doctores circa illud, Quare via impiorum prosperatur.

Consule D. Hiero. in prologo super Abacuc prophetam, & explicantem cap. 1.

Quod multi boni persecutionem patiuntur ab impiis, lege librum quem conscripsit doctissimus ille Philo, quem inscripsit, de eo quod deterior potiori insidiari solet: qui reperitur in principio suorum operum.

Vide D. August. ad fratres in Eremo sermo. 60. circa finem tomi. 10.

Boni à malis afflicti reperiuntur, Hiere. 20. A. B. & percussit Phassur Hieremiam.

Boni à peruersis hominibus percussi & oppressi, Hiere. 37. C. cæsum eum miserunt in carcerem.

Boni à malis constricti & afflicti, vide prologum tertium super Amos in fine.

Boni persecutionem patiuntur à malis, Prouerbio. 14. A. ambulans recto itinere.

Noli conturbari videns bonos multos à prauis vexatos hominibus, quoniam aliud isti succedet tempus: vide Ecclesiastem 5. capit. B. si videris calumnias. & capit. 8. C. vbi ait, sunt iusti quibus

mala proueniunt.

Boni sæpè vexati & afflicti, Eccles. 10. cap. B. est malum quod vidi sub sole.

Boni quidem hic opprimuntur iniustè, sed tamen illorum tempus aduenit. Vide Sapien. cap. 5. A. hi sunt quos habuimus aliquando in derisum.

Tyranni bonos affligunt & opprimunt. Ecclesiastici 11. cap. multi tyranni sederunt in throno.

Boni oppressi & in vincula coniecti, Actorum. 4. A. posuerunt eos in custodiam.

Consule Senecam lib. de Tranquillitate vitæ ad Serenum cap. 15.

Auctor. Super vincula magni Baptistæ differre poteris calamitates atque labores esse consolationes atque delicias, quibus Deus in mundo hoc suos reficit & solatur amicos: vnde videbis sequentia.

Quemadmodum cereus splendet & ardet cum dispendio ceræ & mixi, ita multi homines inflammantur & ardent in suis vitiis, & mundanis honoribus splendent, atque secundis rebus vbique lætantur, cum magno tamen corporis animæque dispendio: & hac de causa Deus amicos suos non ducit per hanc viam, sed per aliam præstantiorem. Consule D. Bernard. in sermo. qui inscribitur, de nimia quadam fallacia præsentis vitæ, prope finem.

Cur dixit Aposto. quid enim oremus sicut oportet, nescimus, ad Roma. 8. quandoquidem apertum erat illum non ignorare Dominicam orationem? Ratio est, quoniam molestæ tribulationes sæpè nobis vtiles sunt, vel ad corrigendam vitam, vel ad amplius meritum assequendum, & tamen nos id non intelligentes, ab omni liberari labore, & tribulatione optamus. Et hoc demonstrat etiam idem Apostolus 2. ad Corint. 12. cum dicat, propter quod ter dominum rogaui. Alia plura reperies in D. Augustin. epistol. 121. in qua viduæ diuiti nomine Probæ præscribit quomodo sit orandus Deus, tomo 2.

D. Basili. In veteri testamento erat prohibitum sacerdotibus & Nazaræis ne mortuorum ossa cõtingerent, quod si ea contingebant, manebant irregulares. Nunc autem contra res se habet: nam ossa eorum qui in vincula fuere coniecti propter Deum, & cruciati, ac demum occisi, eam sanctitatem habent, vt ea tangentes quadam potius sanctificatione & virtute participent. Lege D. Basil. super Psalm. 115. in illa verba, pretiosa est in conspectu domini mors sanctorum eius.

Omnes morti sumus obnoxij, sed non omnes hanc consequentur felicitatem & sortem optimam, vt propter Iesum Christum vincula patiantur, carceres, atque tam beatam sustineant mortem, suúmque fundant propter eum sanguinem. Hæc, & alia plura reperies in D. Basilio in Gordium martyrem homi. 19.

D. Cypri anus. Postquam Christus de laboribus & persecutionibus, quas passuri sunt boni, dixit, Lucæ 21. Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei: quis deinceps non lætabitur in laboribus constitutus, cum temporale commutetur æterno, & labores mutentur in gaudia? Alia plura copiosissimè inuenies apud Cyprianum tractatu 9. de mortalitate.

D. Cypri. Non appellabo mortem quam vincti & trucidati pro Christo domino patiuntur, sed gloriosam potius immortalitatem, & dignam æternis laudibus: quando contemplamur & intuemur quosdam propter hanc mortem inter angelicos choros collocatos, & Christum dominum ante patrem æternum factum illorum laudum illustrissimum oratorem, atque factorum præstantium enarratorem. Alia te plura docebit idem doctor de laudibus martyrij tractatu 77.

Agere poteris de Herodis insana tyrannide, & quem exitum tyranni omnes habeant: ad quod sequentia accipito loca. Auctor

Quo tyranni deueniant 2. Para. 21. C. hæc dicit dominus Deus Dauid.

Tyranni quo exitu consumantur, vide 1. Macha. 1. &. 6. 7. 9. &. 10. & 2. Macha. 3. 5. 9. 10. 11. & 15.

Tyranni qui homines opprimunt, Apocal. 16. A. iustus es domine.

Tyranni punientur, Iaco. 5. A. Ecce merces operariorum.

Tyrannorum supplicium quando erit 2. Petri 2. B. iniquos verò in diem iudicij.

Quid superueniat tyrannis. Psalm. 10. pluet super peccatores &c.

Quid accidet tyrannis, Psalm. 33. vultus autem domini super facientes mala.

Quo punientur tyranni supplicio, Psal. 82. Deus meus pone illos vt rotam.

Tyrannis suum superueniet supplicium, Psal. 93. Deus vltionum &c.

Quemadmodum pater postquam filium suum virga percusserit & castigauerit, solet confractam virgam in ignem proiicere: sic Deus sæpè tyrannum aliquem ac sæuum hominem accipit vt flagellum quo filios castiget, sed postea virgam ipsam nempe tyrannum conterit, atque horrendum mittit in barathrum.

Sicut spicas aristæ circundant & opprimunt granum, ita impij bonos persequuntur & opprimunt. Cæterum sicut arista circundans & obsidens granum, defendit illud ab auibus: ita impij laboribus quos inferunt iustis, eos à peccato tuentur atque præseruant: sed ipsos tandem tanquam aristas, inferni ignis vorago consumet.

Sicut turbulentæ nubes magno tonitruorum impetu ac fragore deterrent homines, sed tamen resolutæ in aquam & defluentes in terram, verturtur in lutum, quod proteritur ab ipsis hominibus: sic tyranni atque superbi principes, qui sua potentia, furore, ac tyrannide, perterrefaciunt orbem, incident denique in sepulchrum cessantibus tonitruis eorum, & terroribus, atque ab ipsis hominibus calcabuntur, imò & à dæmonibus.

Quemadmodum si quis magno furore vellet aliquem dilaniare, & ad id præstandum acciperet tanquam medium plurimas gemmas, torques aureos, & alia id genus maximi pretij, quæ in eum proiiceret, ille non moueretur his ictibus, quin potius omnia proiecta colligeret lætus, atque seruaret, maximi faciens ea: ita faciunt serui Dei cum tyrannis, qui volentes eos occidere & trucidare, vitam eisdem largiuntur æternam, atque coronas immortales impertiunt.

Sicut qui videt taurum se insequentem & iam iam propinquum, deserit, & immittit in illius oculos pallium, vt vitam seruet suam: sic sancti considerantes tyrãos persequẽtes, vt animas suas saluas faciant, dimittunt illis vestes, hoc est sinunt vt illi furore debacchentur in corpora, vinculis, tormẽtis, & morte, coniicientes tantum animum in illud ad Philip. 3. propter Christum omnia detrimentũ feci.

Cum audisset Ioannes in vinculis, &c. Quid indignius, quàm summi atque diuini viri caput in gratiam saltatriculæ (cui puerili aliquo obsonio satisfieri Ludouic. Granatẽsis. poterat) amputandum tradere? Sed aliud huc simile mundi facinus audiamus. Post mortem Ioiadæ cum rex & principes relicto Dei cultu, idola gentium colere cœpissent, & Zacharias Ioiadæ filius & 24. 2. Paralit.

sacer

sacerdos, diuino spiritu actus, regem & principes propter hoc nefarium scelus corripuisset, iussu eiusdem regis à furente populo in eodem loco lapidibus obrutus est, in quo tam ingens ab illius patre beneficium ingratus acceperat. An nõ igitur vel hęc duo exempla satis esse debent, quo lethalem mundi phreneśim agnoscamus, quando phreneticorũ more his qui eum sanare, & à morte reuocare contendunt, adeò ingratus & infensus est? si talem constat esse mundum, qualem hæc eius opera declarant, cur illi fratres tantopere fidimus? cur tam insano eius amore tenemur? si famulo tuo in furto aliquo aut mendacio deprehenso, nil fidere, nec iurato etiam credere soles, imo si quid è domo tua furto sublatum est, illum furripuisse iudicas: quid mundi iudicium & sententiam magni facis, quem scis tot furta, atque flagitia commisisse?

Vide insuper Ioannem Gersonem 4. par. fol. 61.

2. Ad Timot. 2. *Cum audisset Ioannes in vinculis.* Eadem quoque Apostolum in carcere vinctum cura solicitabat. Vnde ait, in quo laboro vsque ad vincula.

Dicitur Lucæ. 3. incluśit Herodes Ioannem in carcerem. Ex quo etiam intelligimus, verũ esse quod in Ecclesiastico legitur cap. 3. peccator adiiciet ad peccandum: frequenter enim causa peccandi peccatum est: quia peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo veluti pondere ad aliud trahit. Hæc non in Herode solum, sed etiam in Dauide animaduertere licet: vterque enim adulterij peccatum homicidij peccato cumulauit.

Mittens duos de discipulis suis, ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Habuit se Ioannes hac in re, sicut parentes moribundi se habent erga filios suos: qui læti & hilares discedunt, manentibus filiis in honore & statu: sic enim gloriosus Baptista cum se in carcere recluśum, & morti propinquũ animaduerteret, vehementer optabat suos relinquere discipulos in statu perfectionis. Quare vult prius in agnitione veritatis eos remanere: & misit illos ad Iesum, vt videntes eius doctrinam & miracula, eum cognoscerent. Sic legimus in 4. libro Regum 2. quòd cum prophetarum filij cuperent de Elia scire, misit eos Eliseus per montes & ardua, ac peragrati sunt tribus diebus, & non repererunt eam. Non dubitabat quidem Eliseus Eliam raptum fuisse in cælum, sed tamen ad tollendum dubium illorum misit eos per montes.

Abulẽsis sup. Matthæũ. 11. Ioannes cum esset morti propinquus data occasione misit discipulos suos ad Christum, & noluit determinate mittere eos ad Christum dicens ita: Ite ad illum quia est Messias, & ego non sum: vel quia ipse est melior me: quia crederent forte discipuli, quod diceret hoc Ioannes ex humilitate, & ire nollent. Ideò expectauit tempus, quousque ipsi discipuli annuntiarent de Iesu aliquid, propter quod esset occasio mittendi eos, & mittit duos quos nouerat fortasse aliis persuasibiliores.

Non quia ipsum esse mundi redemptorem dubitet, sed quærit vt sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat: quem enim præcurrens mundo nuntiauerat, hunc etiam moriendo & ad inferos descendendo præcurrebat. Ac si apertè dicat, vt qui natiuitatis tuæ præcursor extiti, descensus etiam præcursor fiam, & venturum in infernum te nuntiem, quem iam venisse mundo nuntiaui.

Greg. super Ezechielem ho. 1. to 2. *Tu es qui venturus es?* His verbis quæritur, quia iam in terris quidem venisse redemptorem nouerat, an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet.

Chrysost. Ioannes in carcere sciens se iam in exitu constitutum, volebat discipulos suos Christo adiungere, tanquam si prouidus pater moriens filios suos consignet fideli tutori. Desiderabat enim viuens plenam fidem videre discipulorum, & sine dubitatione aliqua credentes in Christo. Sicut enim pater moriens si viderit filios suos bonis moribus ornatos, & omni sapientia perfectos, quasi securus moritur, nil de cætero timens de illis: sic planè Ioannes volebat discipulos suos perfectos videre in Christo, vt iucundius moreretur. Ideò interrogabat igitur per discipulos suos, non vt ipse acciperet sibi responsum à Christo, sed vt missi discipuli oculis suis viderent opera eius, & crederent. Intellexit autem cogitationem Ioannis Christus, ac animaduertit consilium principis sui rex, & ita fecit. Sensit sermonem serui sui dominus, & quod spiritus in Ioanne dictauerat, Deus intellexit, dicente Apostolo, Qui scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Propterea spiritualem hominem spiritualis facile intelligit, carnalis autem non intelligit spiritualem, quia carnalis homo secundum carnem loquitur semper, & secundum carnem intelligit: spiritualis autem secundum cor loquitur. in nõ abtanquam so. ho. 27. tom. 2. Roma. 8. 1. Cor. 2.

Ad hoc mittit discipulos suos ad Christum, vt supplementum scientiæ consequantur: quia plenitudo legis Christus est. Ambrosius super Lucam lib. 5. cap. 7.

Ioannes mittebat discipulos suos in vinculis constitutus, vt sibi quærens, illis disceret, & capite truncandus illum doceret esse sectandum, quem interrogatione sua magistrum omnium fatebatur. Neque enim poterat ignorare, quem ignorantibus antea monstrauerat, & de quo dixerat, qui habet sponsam sponsus est. Et cuius non sum dignus calceamenta portare. Item illum oportet crescere, me autem minui. Deum etiam patrem intonantem audierat, Tu es filius meus, &c. quod autem dicit, Tu es qui venturus es? hunc quoque sensum habere potest. Scio quod ipse sis qui tollere venisti peccata mundi, sed quia ad inferos descẽsurus sum etiam, hoc interrogo, vtrum & illuc ipse descendas, an impium sit hoc de filio Dei credere, aliúmque missurus sis. Hoc autem scire desidero, vt qui scilicet te in terris hominibus nuntiaui, etiam inferis nuntiem, si forte venturus es. Ioann. 3. Matth. 3. Luc. 3.

Vt per occasionem videntes signa crederent in eum, non quasi ignorans interrogat, Beda super Mat. lib. 2. *tom.* 5.

Hi sunt discipuli, scilicet intellectus & affectus, quibus omnis homo, nisi omnino insaniat, sociatur. proinde inclusus in carceribus peccatorum, huiusce modi discipulos mittat ad Christum, & ab ipso quid agendum, quidue diligendum sit, apertè cognoscat. Ipse enim veritatem infallibilem docet, & in ipso dumtaxat spes hominum solidatur. Quare exemplo innocentis incarcerati, nos qui vinculis peccatorum detinemur, hos duos discipulos mittamus ad Christum, audientes doctrinam eius, & videntes mirabilia potestatis eius, ad imitandum eum in moribus, & passionibus, in anima & vita crucifixi cum ipso, omnem spem & intentionem proiicientes in eum. In vinculis quidem non inuitè, sed sponte, vt quæ nobis ipsi fecimus, existimus, & detinemur ab improbitate maleficæ placentis voluntatis, & à consuetudine praua: funes peccatorum ex mora, & ex multitudine componentes. Mittamus ergo ad Christum & responsum eius intentis cordis auribus audiamus. Simõ de Casia lib. 3. cap. 3.

Totius populi ore loquens Baptista Ioannes in legatione ad Iesum missa, ait, Num tu es ille venturus, an alium expectamus? expectatum enim à populo Origen. in præfatio. in Euãgel. Ioãnis to. 1.

pulo bonum Iesus erat: de quo Prophetæ annuntiabant, & qui sub lege & prophetis erant, in eo spem habebant, Samaritide illa hoc testãte, atque dicẽte,
Ioann. 4. Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cũ ergo venerit, ille nobis annũtiabit omnia. Et Luc. 24. nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.

Quod autem non dixerit, Tu es Christus? hoc
Rupert. Abbas. super Mat. 11. lib. 9. vult intelligi: quia etsi opera eius reuera essent opera Christi, inter ipsa tamen opera Christum se esse palam non dicebat, imò discipulos suos hoc dicere prohibebat, Luc. 9. præcipit discipulis suis ne cui dicerent, quòd ipse esset Christus, & ideo Ioannes non ita interrogauit.

Oecumenius super Matt. Quia sæpius eos admonendo persuadere nequiuerat, nunc breui moriturus delectis duobus qui prudentiores essent, hos mittit ad Christũ, prætextu quidem interrogandi an ipse esset ille qui venturus erat: vera tamen causa erat, vt conspectis miraculis quæ faciebat, crederent. Sciebat nãque testimonium ab operibus credibilius esse, magisque suspicione carere: & ideo etiam Christus cognito quod ob id potius Ioannes eos misisset, statim in illa hora multa operatus est miracula, sicut dicit Lucas.

D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 2. Ioannes Baptista de aduẽtu Christi in carne non quæsiuit, quasi hoc ignoraret, cum ipse expresse id confessus fuerit, dicens: Ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei, vt habetur Ioan. 1. vnde non dixit tu es qui venisti? Sed tu es qui venturus es? quærens de futuro, nõ de præterito. Similiter non est credendũ ꝙ ignorauerit eum ad passionẽ
Ioann. 1 venturum: ipse enim dixerat. Ecce Agnus Dei, prænuntiãs eius immolationẽ futuram: & hoc prophetæ alij etiam non ignorauerũt, sed ante prædixerũt, sicut præcipuè patet in Esaia. Potest ergo dici, sicut Grego. dicit: quod inquisiuit ignorans an in infernum esset in propria persona descensurus, licet sciret quòd fructus passionis eius extendendus erat vsque ad eos qui in limbo detinebantur, secundum illud Zacha. 9. Tu quoque in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo nõ est aqua. Nec hoc tenebatur explicitè credere antequam esset impletum, quòd per se ipsum deberet descendere.

Arbore. sup. Luc. 7. Hoc autem nos docet, vt quos nostris viribus nostráque autoritate castigare non possumus, per alios quos scimus esse præstantiores nobis, & meliores, castigari curemus.

Gorraneus sup Lucã 7. *Tu es qui venturus es?* Ecce fideles nuntij, qui verba magistri sui fideliter recitant, nec plus nec minus proponentes. Prouer. 13. legatus fidelis, sanitas: & lingua tertia multos commouit. Eccles. 28. Tunc est autem lingua tertia, quando non solum recitatur quod prius fuerat auditum, sed etiam aliquid de proprio additur.

Palacios sup Mat. Existimo nullam vnquã fuisse in orbe quæstionem maioris quàm istam moueti. Expende cuncta: qui interrogant vicem habent omnium fideliũ, qui interrogatur deus est, quod verò interrogatur summum negotium est, scilicet an is esset Deus, qui videbatur homo: finis verò interrogationis est, an per Christum sint eo tempore à rege tyranno eruendi, an non. Summa res hæc erat sanè, & super qua totius orbis salus velut in cardine versabatur.

Circa illa verba, Tu es qui venturus es an alium expectamus? consule D. Tho. 2. 2. q. 2. arti. 3. ad 2. & 3. senten. Dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiun. 3. ad 1. & de veritate q. 14. art. 11. ad 5.

Duas etiam edidit conciones D. Tho. alteram de epist. alteram verò de Dominica: quæ inueniuntur prope finem tom. 16.

D. Antoninus etiam totidem composuit, alteram super epistolam, alteram super Euangelium, prope principium primæ partis Theologalis.

Chrysost. sup Mat. ho. 37. to. 2. *Et respondens Iesus, ait illis, Euntes renuntiate.* Quod si respondisset, Ego sum, offendisset ipsos responsum hoc, & dixisset, aut certè cogitasset id, quod Iudæi crebrò solebant dicere, Tu de te ipso testimonium perhibes. Idcirco non ita dicit: sed signis ipsos ad fidem adducit, vt & omni suspicione doctrina eius careat, & dilucidior sit.

Sciens dominus quia venturi erant discipuli ab Ioanne; sicut Lucas dicit, in illa hora bonis hospitibus digna conuiuia præparabat, vt etiam Christo tacente, ipsa opera eius loquerentur de eo. Nam & qui curati fuerant gratias agebant: & quidam dicebant, quia visitauit Deus plebem suam. Alij dicebãt, gloria Deo qui talem potestatem dedit hominibus. Alij autem dicebant, quia nunquam sic vidimus. Sic ergo discipuli Ioannis & oculis, & auribus, pascebantur: mirabilia sanitatum videntes, & gratias agentium voces audientes.

Claudius Guillau. sup. Mat. Ioan. 10. Quasi dicat, nil opus est vt de me qui sim pronuntiem; quando opera quæ ego facio in nomine patris mei, testimonium satis perhibent de me. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.

S. Thomas. 3. par. q. 43. arti. 4. in corpore. Miracula quæ Christus fecit sufficientia erant ad manifestandam diuinitatem ipsius secundum tria. primò quidem secundum ipsam speciem operum, quæ transcendebant omnem potestatem creatæ virtutis, & ideo non poterant fieri nisi virtute diuina: & propter hoc cæcus illuminatus dicebat, à seculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati, nisi esset hic à deo non poterat facere quidquam. Secundò propter modum miracula faciendi, quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alij: vnde dicitur, quòd virtus de illo exibat, & sanabat omnes: per quod ostenditur (sicut Cyrillus dicit) quod non accipiebat alienã virtutem, sed cum esset naturaliter Deus propriam virtutem super infirmos ostendebat, & propter hoc innumerabilia miracula faciebat. Vnde super illud Matt. 8. eiiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit, dicit Chrysost. attẽde quantam multitudinem curatam transcurrunt Euangelistæ, non vnumquodque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes. Ex hoc ostendebatur quod haberet virtutem æqualem Deo patri, secundum illud, quæcunque pater facit hæc filius similiter facit: sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Tertio ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat: quæ nisi vera esset, non confirmaretur miraculis diuina virtute factis. Et ideo dicitur Marc. 1. quænam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Cæci vident per doctrinam Euangelij illuminati; Glo. interlinearis super Matt. 11. Pauperes spiritu, vel opibus, intus illuminantur, vt in prædicatione nulla distantia sit inter pauperes, & diuites.

Intellectus datus est etiam his qui perfectam sapientiam non habent, dum muti loquuntur, & Mortui resurgunt. Illuminat igitur fidei claritate, resurrectionis suæ gloria, & diuinorum operum potestate: intellectũ dat paruulis, de quibus in Euangelio gratias agit patri in eo, ꝙ mysteria sua Deus abscondisset à sapientibus, & paruulis reuelasset. Hiero. super Matt. li. 2. to. 9.

Vel pauperes spiritu, vel opibus pauperes, vt nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos, in præ

in prędicatione distantia sit. Hęc magistri rigorem, hęc præceptoris comprobant veritatem: quando omnis apud eum æqualis est.

Hugo Cardinalis super Luc. 7. Cæci in temporalibus, vident in spiritualibus, Canti. 5. ego dormio; & cor meum vigilat. Claudi ad malum, ambulant ad bonum. Claudus est qui tantum vno pede innitur terræ, & alterum suspendit à terra: duo autem pedes sunt necessitas & voluptas. Ille bonus claudus est, & bene ambulat, qui pede
Genes. 32. necessitatis tatũ terræ innititur, & pedem voluptatis suspensum tenet. Hoc modo claudus effectus est Iacob percussus ab angelo. Esa. 35. tunc saliet sicut ceruus claudus. Item Esaiæ 33. Claudi diripient rapinam. Vel sic, cæci, ideſt qui reputant se cæcos; vident: Claudi, id est qui reputant se claudos, illi ambulant. Leprosi sua opinione, seu reputatione; mundantur, vel potius mundi sunt: eo ipso enim quòd immundos se reputant, mundi fiunt. Basilius enim ait, tanto eris apud Deũ pretiosior, quãto fueris ante oculos tuos despectior. Sic Publicanus mũdatus est,
Lucæ 18. quia Leprosum se esse confessus est: Pharisæus autem qui se mundum dicebat, recessit leprosus. Surdi ad detractiones, & mundi vanitates, audiunt legem Dei, vel pauperes clamantes. Mortui mundo, vel peccato, resurgũt; de bono in melius proficiendo. Esa. 26. viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. 1. Cor. 15. Quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Ioan. 12. nisi granum frumenti &c. pauperes euangelizantur. Esa. 61. ad euangelizandum pauperibus misit me.

D. Bonauẽ. super Lu. 7. Nota quod magis dicit pauperes euangelizantur, quàm virgines, vel obedientes: quia paupertas fundamentum est euangelicæ perfectionis, sicut fundamentum ciuitatis Babylonis est auaritia, secundum illud 1. ad Timo. 6. radix enim omnium malorum est cupiditas: & initium omnis peccati est superbia. Sic paupertas spiritus, quæ includit oppositum vtriusque, scilicet paupertatem, & humilitatem, radix est omnium bonorum.

Caie. super Mat. Pauperes euãgelizantur: significatur per hoc differentia inter mundanum & cæleste regnum, inter mundana & cæleſtia bona. Quia mundana bona communia sunt solũ magnatibus & diuitibus mundi, & per illos deriuantur ad reliquos, & tandem ad pauperes. Cæleſtia autem bona communia toti generi humano annuntiantur, diuitibus, pauperibus piſcatoribus, & aliis huiusmodi sequentibus Iesum.

Zegueus super Luc. Pauperes euangelizantur, ideſt humiles beatificantur: vel pauperes felices redduntur: aut si mauis, euangelizantur, ideſt lætum accipiunt nuntium.

Ludo. Granatẽsis. *Pauperes euangelizantur.* Hoc est beatificantur, & euangelicæ gratiæ participes fiunt. Sed quoſnã hos pauperes esse dicimus? certe vtroſque, sed prius quidem humiles, secundo vero loco inopes: non quidem quatenus inopes; sed quatenus inopiæ cõiuncta esse plerunque vera cordis humilitas solet, sicut contra diuitiis & opulentiæ fere semper superbia insidiatur: aliàs enim nequaquam Apostolus Timotheo scriberet, diuitibus huius seculi præcipe
Eccle. 25 non sublime sapere. Porro autem sapiens tria quidem vehemẽter sibi displicere ait: pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum & insensatum: quibus verbis admonemur monstruo similem esse vt senectutem fatuam ita paupertatẽ superbam. Itaque pauper hoc modo est, qui nil sibi arrogat, nil tribuit. Pauper erat hoc modo Dauid, cum diceret: ego autem mendicus sum, & pauper. Pauper etiam erat hoc modo Publicanus ille, qui paupertatem suam agnoscens, & à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare. Dies autem erat Pharisæus
Psal. 39. ille, qui sic orabat: Deus gratias ago tibi. Dies erat præterea ille, quem in Apocal. Dominus accusat his verbis: dicis quia diues sum &c.

Ludo. Granat. *Pauperes euangelizantur.* In mundano regno cum noua aliqua accidunt, prius regibus, deinde potentibus, mox patritiis & nobilibus, nuntiantur, & cum tandem ad plebeiorum & pauperum aures deferuntur, iam principibus vetera sunt & detrita. Sed cæleſtia bona prius denuntiantur pauperibus, ex quibus bona nuntia diuitibus aperiuntur. Tempo-
Psal. 10. rales quidem diuitiæ ex diuitibus trahuntur ad pauperes, sed spiritualia dona ex pauperibus detegũtur diuitibus, & istis euangelizantur, hoc est datur eis bonum nũtium regni cæleſtis. At prædicatores nostri potius diuitibus quàm pauperibus euangelium prædicare volunt, cũ Christus intueatur pauperem. De illo enim habetur, oculi eius in pauperem respiciunt. Imo Herode miracula videre cupiente, noluit facere: at apud pauperes multa miracula fecit. Ionas
Ionæ 3. etiam propheta Niniuen missus prius cœpit cõcionari pauperibus, vnde nuntia regi sunt allata: ideo dicitur, peruenit verbum ad regem. Ionæ enim prædicatio de vno ad alium circunferebatur, donec ad regis aures peruenit. Leprosi etiam quatuor nuntiauerunt in aula regis in Samaria quod castra Syriæ essent plena cibis, & diuitiis, & destituta hominibus. Dixerunt enim adinuicem: hæc dies boni
4. Reg. 7. nuntij est, nũtiemus in aula regis. In natiuitate etiã
Luc. 2. Saluatoris primo angelus bona nuntia pauperibus pastoribus reuelauit. Euangelium etiam prius à
1. ad Cor. 1. Christo domino fuit piscatoribus Apostolis reuelatum: vnde Paulus, non multi potentes, non multi nobiles &c. Vide de hoc August. sermo. 27. de verbis domini, & lib. 22. de Ciui. Dei cap. 5. In primo Regum habetur etiam quod seruus quidam Ægyptius debilis, ægrotus, ac famelicus, adtulit nuntia Amalechitarum: sic Deus pauperes Apostolos, & discipulos, pro nuntiis accepit. Et quemadmodum Ge-
Iudicũ 7. deon cum comitibus inermibus & paucis subegit potentem & magnum exercitum Madian: sic etiam Christus paucis, inermibúsque discipulis vniuersum orbem euicit.

Hiero. q. 1. ad Algasiã. & Hedibi. tom. 3. Ioan. 3. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Quod infert, beatus qui non fuerit scandalizatus in me, non Ioannem, sed discipulos eius percutit: qui prius accesserant ad eum dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ad Ioannem, magister, cui tu perhibuisti testimonium iuxta Iordanem, ecce discipuli eius baptizant, & plures veniunt ad eum. Quo dicto liuorem significant de signorum magnitudine, ex inuidiæ mordacitate venientem. Cur scilicet baptizatus à Ioanne, ipse audeat baptizare, & multo amplior ad eum turba concurrat, quàm prius venerat ad Ioannem.

Bern. epist. 97. In quo nimirum verbo significauit dominus se moriturum, & tali morte, quæ esset Iudæis scandalum, & gentibus stultitia.

Beda lib. 2. super Luc. to. 5. Ac si apertè dicat: mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor: quia ergo moriendo te subsequor, cauendum valde est hominibus, ne in me mortem despiciant, qui signa venerantur.

Gorran. sup Luc. 7. Bene dicit, in me, sed nõ à me: quia Christus nulla fuit causa scandali, cuius omne dictum & factum fuit rectum. Fuit tamen materia siue occasio scandali, occasio inquam non data, sed assumpta, propter quod Esa. 8. dicitur petra scandali: quia petra nullum scandalizat, facit enim suæ naturæ debitum; multi tamen scandalizantur ad petram, vt qui in eam impingunt per negligẽtiam, vel stultitiã suam.

Gutierr. Treins sup. Euã. lib. 4. Moses serpentem fugit, Moses serpentem exaltat; qui scandalizantur in petra scandali, ipsi fugiunt serpen

serpentem, qui oculos figunt in exaltatum serpentem, ipsi sunt qui cum Paulo gloriantur in cruce
Gala. 6. domini. De quibus dicitur, beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

Caie. super Mat. Subiunxit hoc, vt præberet occasionem Ioanni erudiendi,& præmuniendi discipulos suos,ne scandalizentur in Christi abiectione & passione.

Euse. Emissenus in do. 3. Aduen. Beatus qui fideliter firmitérque crediderit quæcunque scripta & prophetata sunt de me: qui enim non horrui virginis vterum, non vtique horreo ad infernæ descendere. Lux quidem stercore nō inquinatur,& mundus transeo per immūdum. Descende igitur securè qui præcursor mihi es. Vade,præcurre, nuntia gaudium fidelibus meis,cito sequar, & liberabo eos.Considera frater modò, quanta lætitia locus ille tenebrarum,quantóque gaudio exultauerit, quando ibi beatus Ioannes hęc verba narrare cępit.

Ludou. Gra. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.*D.Hierony. & Chrysost.aiunt his verbis tectè atque dissimulanter inuidiam discipulorum Ioannis dominum corripuisse, quæ huic interrogationi occasionem prębuerat: quos videlicet fama & gloria miraculorum Christi mordebant. Quo in loco non negligenter obseruandum est, quod dominus tanta lenitate discipulorum Ioannis inuidiam, signis tantum editis, non verbis, castigauerit: dignitati videlicet atque honori eorum modestissimè parcens, vt exemplo suo nos ad similem modestię virtutem erudiret, cum occulta proximorum vitia emendare volumus. Vt videlicet eorum famam, existimationémque, quàm maximè fieri poterit, integram & illibatam conseruare studeamus. Sunt enim qui ita homines corripiunt, vt illorum vitia prodant, cum eos sanare sine famæ detrimento potuissent.

Abulēsis sup Mat. 11. *Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.* Laudat Ioannem, ne opinio plebis circa illum deficeret. Fuerat enim in maxima opinione in cordibus omnium quando prædicabat, ita vt putaretur esse Messias,Lucæ 3.Tempore ergo illo frustra erat quòd Christus eum laudaret, nullius enim laudibus indigebat, cum maiora de eo populus crederet,quam quisquā verbis poterat exprimere. Nunc verò cum iam à diebus multis ab Herode viro scelerato in vinculis teneretur, nec Deus super hoc vltionem vllam ostenderet, poterat infirmari opinio eius in cordibus rudis plebeculæ.

Chrys.super Mat. ho.38.to. 2. Non dicit vt dixit ad Iudæos,quid cogitatis prava in cordibus vestris? nam quidquid illi cogitarunt, non ex malitia, sed ex ignorantia, cogitabant. Ideò non acriter illis loquitur,sed suauiter,ab omni falsa suspicione ipsos remouens; & pro Ioanne respondet, ostendens non esse mutatum ab illa sua priore opinione. Hæc autem non statim sua sententia,sed ab eorum prius testimonio probat,ostendens eos non verbis solum, verum etiam factis stabilitatem Ioannis testatos fuisse. Dicit enim, quid existis in desertum videre? ideſt,cur omnibus ciuitatibus, atque domibus vestris, ad desertum vnà omnes concurristis? vt miserum quendam,atque mobilem hominem videretis? Nō potuistis certè tanto studio in desertum impelli,tot tantarúmque ciuitatum populi:nec ita facile omnes ex vniuersa Iudæa effusi in fluuium Iordanem venissetis, nisi magnū quendam & mirabilem virum, atque adamantinis lapidibus firmiorem,Ioannem putassetis. Nec enim ad videndum arundinem vento agitatam existis:cui maximè sunt similes illi,qui nunquam idem dicunt: sed huc atque illuc facile pulsi, modò hęc, modo illa soliti sunt asserere.

Chry. in non absoluto ho. 27.to.2. Quàm bene recedentibus discipulis cępit laudare Ioannem! non sicut quidam blanditores homines, qui libenter hominem in facie laudant, aut quando vident amicos eius fideles adesse, aut domesticos,quos credunt nūtiaturos illi quidquid audierint. Insipiens gaudet laudari in facie, vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde.Propter duas ergo causas hominē in facie laudare non debes: primum si sapientē illum putas, grauiter susceпturus est: quare ergo illi laudibus tuis molestiam exhibebis? si insipientē illum existimas, quare insipientiam eius laudibus tuis nutris?

Optimum sume ex hoc exemplum,vt cum videris alicuius famam pericli tari,quas noueris virtutes de illo, coram detractoribus non erubescas referre. Sic enim expostulat charitas, quæ diligit proximum suum sicut se. Soarezi⁹ sup Mat. tractatu 2.

Pro Ioanne denique respondit Deus, vt nouerint iusti & qui pro veritate occumbunt, Deum suarum virtutum prœmiatorem. Sciántque illum suum esse protectorem, nec peccatorem hominem timeant persequentem. Laudat sanctitatem Ioānis Christus, & de illo publicè bene loquitur,docens nos vt cum de proximo agitur, si volumus rectè & secundum Euangelium agere,bona de eo loquamur non mala in mutuis cōfabulationibus,rectè de omnibus sentiendo,& de omnibus bene merendo, cum quidem nullus, nisi sit infidelis, hęreticus, & Ichismaticus, viuat in mūdo, qui etsi aliquo obumbretur delicto, non aliqualem virtutem secum retineat.Nullus vtique Christianus est, de quo etsi iniquus sit, aliquid boni non possis haurire. Imo cuncta quę fecit Deus valde bona sunt, Genes. 1. malus tamen amor hęc valde bona corrumpit. Aurum bonum quidem est, quomodo ergo diuitem deiicit in tartara? Non vtique aurum id facit, sed auaritia, & auri improbus amor.Auro descendit in ima diues quisquis est auarus: & auro ascendit in cælum qui dispergit & dat pauperibus, cuius iustitia manet in sęculum sęculi. Regno perditur Saul: regno saluatur Dauid. Denique quę sunt valde bona, male amantibus redduntur mala.Bona quidem est lux, bonus solidus cibus: oculis tamen ægris nil luce molestius, & stomacho debili nil noxius solido cibo. Soarezi⁹ vbi supra tractatu 3.

Testimonium hoc loco de teste suo Ioanne Christus exhibet, vt de eius constantia & probitate persuasus populus, maiorem Ioanni fidem habeat de Christo prędicanti. Gagnęus sup Mat.

Si quæras quare Christus non laudauerit Ioannem presentibus eius discipulis:respondemus,quod non indigebant discipuli Ioannis his qui sibi multis suum commendarent magistrum, de quo aliàs plus æquo sentiebant.Discimus vero ex hac Christi concione, vt nemini inuideamus felicitatem suam, sed quæ laudanda sunt suo tempore ex animo laudemus. Hozmei sterus su per Lucam. 7.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Qui mouentur de opinione in opinionem dicuntur moueri à vento, Ephesio. 4. ne tanquam paruuli circumferamur omni vento doctrinę. Sic etiam habentes fidem non firmatam, dicuntur à vento moueri,Iaco. 1. qui enim hęsitat similis est fluctui maris qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo putetis quod Ioānes motus fuerit de opinione sua, quia non est sicut arundo vento agitata. Abulensis super Mat.11.

Quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? qui mox vt fauore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit,hilarescit & extollitur, séque totum ad gratiam etiam inflectit. Sed si inde ventus detractionis eruperit, vnde laudis aura veniebat,mox eum in partē alterā furoris vētus inclinat. Arundo igitur vento agitata Ioannes nō erat, quem Gregor. ho.6. super Euā.

quem à statu sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.Discamus ergo fratres charissimi non esse arundines:solidemus animum inter auras linguarum positum:sit inflexibilis status mentis:nulla nos detractio ad iram prouocet,aut fauor deprauet.Non nos prospera eleuent,nec aduersa perturbent:vt qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moueamur.

Chry.in nō abso. hom.27. to.2. Calamus est vacuus & nullam habet virtutem,& ideo quocunque flante vento huc illuc impellitur. Sic homo carnalis in quo fidei nulla est medulla,nec virtus veritatis, qualiscunque tentatio subierit, inflectitur. Et certè Deus volens ostendere ipsi Iob, in quibus diabolus requiescat, post multa,tandem ait, dormit in secreto calami. Calamus quidem vacuus est & leuis admodum: sic homo carnalis in quo réquieſcit dæmon, vacuus est in fide,leuis in sensu, & in passionibus.

Præconem verum verus iudex exaltat, & regis verbum effert laudibus præcursorem, vt vnus commendetur ex altero, & mutuum testimonium ex alterna laude clarescat. Et quòniam detinebatur ipse captiuus, ne erederetur ob culpam suam illud esse Saluator eum commēdat & extollit. ô quàm optimum esset in his qui patiuntur iniuste, non suam, non hominum, sed excusationem expectare supernam! per negationem autem contrarij Saluator asserit bonum quod de Ioanne intendit.Illa ergo est fortitudo Ioannis,vt non cedat in alteram partem,tanquam arundo quæ agitatur à vento, & in quam partem aura impulerit se conuertit. Semper enim eodem modo se habet, atque constantia.

Inconstantia vile & magnum est vitium: ad stabilitatem verò mentis sacra scriptura præcipuè nos hortatur.Ait enim Apostо. stabiles estote & immobiles abundantes in opere domini semper. Et alibi, non cito moueamini à vestro sensu. Et rursus,optimum est gratia stabilire cor.Item in ecclesias:Non te ventiles in omnem ventum, esto firmus in via domini,& in veritate sensus tui.

Non est magna apud probos viros ratio earum laudum,quæ à bonis fortunæ & corporis ducuntur: quæ autem dicuntur à virtutibus animi, hæ demum veræ laudes putantur.Vnde Christus non commendat hoc loco Ioannem à proceritate corporis, nec à generis nobilitate: sed à dotibus animi,quæ est vera laus.Et cum quatuor sint virtutum genera,videlicet temperantia, iustitia, fortitudo, prudentia: ab his etiam singulis Christus Ioannem audiente turba commendat.Has profectò virtutes præstitit Ioannes imprimis apud Iordanem, cum Christus peteret ab eo baptizari,dixit enim.Ego debeo à te baptizari,& tu venis ad me? Deinde quando concilium Hierosolymitanum publicam misit legationem ad Ioannem, & detulit ei honorem Messiæ, confessus est quòd non esset Christus. Item in omnibus actionibus tam priuatis quàm publicis ingenuè testatus est non se esse agnum, sed Iesum esse agnum ipsum tollentem peccata mundi. Testimonium igitur de tantis virtutibus & tanta constantia Ioannis dat Christus.Non iste est vt quidam, qui vbicunque occasionem nacti fuerint sua commoda aliorum incommodo augent,& tam imbecilles animo sunt,vt obiectis minis mox negent quod prius affirmarunt,aut affirment quod prius negarunt: sed constans est Ioannes & immobilis.

Arbore⁹ super Mat. Digni sunt vt cum arundine conferantur qui cum multa polliciti sint: nunquam tamen stant pollicitis; & qui pollicitus est Deo se nunquam relapsurum in peccatum, & subito relabitur, leuior est arundine.

Tanta viget in hominibus inconstantia vt vitia quæ sunt detestati, nedum semel, & iterum, verum & milies repetant. Quos taxillos hesterna die abhorruisti, cur hodie iterum illis vacas? qui die ab hinc tertia à pecatorum lue mundatus es, hodie cur impurus in hac ipsa delectaris peccatorum fœce?virtus igitur prudentiæ in constantibus valde necessaria est. Hanc enim maximè exoptabat Moses populo suo,dicens.Gens absque concilio est,& sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent,atque nouissima prouiderent: prudentia namque in hoc consistit, quòd in præsenti ex præteritis coniectemus futura. Vis ô homo scire nunc quid de te futurum sit, ne velut arundo à quocunque vento agiteris? id certè quod factum est de patre tuo, de auo tuo, proauo,& atauo: morieris tandem. Considera ergo non quod Rex es,Imperator,Papa,Prælatus alius,vel diues,iuuenis,vel nobilis:sed quemadmodum desines rex esse,desines imperare,relinques diuitias,& florem iuuētutis,atq? ignobile & fœdum sepelietur cadauer.

Euse. Emissenus in do. 3. Aduen. Non est arundo,columna est potius: non mouetur vento,non quatitur timore, non flectitur adulatione.Vno eodémque vultu respicit & illos qui eum laudant,& eos qui vituperant. Sic inimicos vt amicos diligit: sic potentes vt impotens arguit. Vide igitur quàm bene Saluator noster & Ioannis iustitiā commendet, & seipsum ab adulationis vitio defendat,dum eum quem laudat, laude nō delectari dicit.

Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Hic non vana gloria ductus lucra quærit pro dapibus,vel vestibus,cum locustis viuat,& pilis camelorum induatur.Illi enim in domibus regum sunt,vbi aliquid venentur.

Ad hoc enim multi magnatibus adulantur vt cū ipsis commorantes deliciis vtantur: sed omnes viri veritatis talia aspernantur. Vnde narrat Valerius Maximus lib.4.quod quidam dixit Diogeni olera lauanti: si tu Dionysio adulari velles, ista non ederes. Cui respondit Diogenes.Si tu ista edere velles,Dionysio adulari nolles.

Adulēsis super Mat.11. Per vestes molles intellexit Christus hic omnes delicias nostræ vitæ,nam aliter quantumcumque sit vestis pretiosa in cultu diuino non est negligenda: pater hoc quia Deus instituit in lege Mosaica vestes pretiosas, habentes aurum,& lapides pretiosos,quibus vterentur sacerdotes.Exo.28.

Greg.ho. 6.super Euan. Aperta sententia demonstrat quòd non cælesti sed terreno regi militāt hi, qui pro deo perpeti aspera fugiunt, & solis exterioribus dediti præsentis vitæ molliciem & delectationem quærunt. Nemo ergo existimet in luxu, atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hæc culpa non esset, nullo modo Ioannē dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Paulus Apostolus per Epistolam fœminas à prætiosarum vestium appetitu compesceret,dicens:Non in veste pretiosa. Pensate ergo quæ culpa sit hoc etiam viros appetere,à quo curauit pastor ecclesiæ fœminas prohibere.

Ioannes nullo modo mutabilis est,nō enim quasi ad videndum arundinem in Iordane ad ipsum Iudæa fuit effusa. Nec deliciis corruptus robur animi sui perdidit: probat hoc amictus ipsius,probat eremus,probant carceres.Nam si deliciis ille caperetur, non eremum,non carceres, sed regias domos habitasset.Poterat enim profectò si tantummodo tacere voluisset,magnis ab Herode affici honoribus: nam si & redarguentem & vinctum mirum in domum Herodes verebatur, multo magis tacentem coluisset.Quare qui in gestis suis tantam constantiā osten-

dit,quomodo poterit in suspicionem incidere leuitatis?Itaque partim à constantia, partim à vestimentis,Ioannes laudatur.

Chry. in nō absoluto ho. 27.to.2. Multa delectamenta mundus iste ad seductionem ostendit hominibus. Et sicut homo malignus si viderit aliquem orphanum habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius: sic & mundus, & diabolus, videns hominem habentem in se thesaurum cælestem, id est, animam immortalem à Deo creatam, in arca tamen terrena positam, ostendit illi aurum, argentum, & concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes pretiosas, & delicioſos cibos,ac glorioſos honores, vt per hoc subiugans eum voluptatibus suis, auferat salutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipsius.

Vis nutrire corpus? resecа quod est superuacaneum,& quod sufficiat tantum subministra. Nil sic iucundum est,sicut cibus bene digestus & decoctus, nil sic salutem, nil sic sensuum acumen operatur, nil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio, excessus verò ciborum consumit & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, ac tandem morte crudeli consumit.

Plerosque mollioris cura vestis offœminat, qui quasi graue onus ferre non possint, sericas vestes per terram verrunt,vsúmque faciunt, vt amictus sit honori. Tenera autem corporis cura, luxúque & lasciuiarum cupiditate mollitos,nequaquam cœlestis aula suscipiet.

Hiero. q. 7.ad Algasiā, & Hedibi. to.3. Quia omnis prædicatio falsa sectatur lucra,& gloriam quærit humanam, vt per gloriam nascantur commoda, asserit eum camelorum vestitum pilis nulli posse adulationi succumbere, & eum qui locustis contentus vescitur, ac melle syluestri, nec opes, nec alias terrenas delicias quærere, sed rigida & austera vita auram vitare palatij, quam quærunt qui purpura, byſſo, & serico, ac denique mollibus vestiuntur.

Minimum genus locustarum fuisse, quo Ioannes Baptista pastus est,vtiq; hodie apparet:quæ corpusculis in modum digiti manus exilibus, & breuibus,in herbis facile repertæ, coctæque in oleo, pauperem præbent victum.In eodem deserto sunt etiam arbores,folia lata & rotūda lactei coloris,mellitíque saporis habentes, quæ facile fragilia manibus confricantur, & eduntur: & hoc esse mel syluestre dicitur ibidem, vbi etiam fons sancti Ioannis Baptistæ ostenditur, lucida aqua,ac lapideo protectus tecto, calcę perlito.

Non vixit vsitatis hominum cibis,sed cibus illius erant locustæ, & mel syluestre.Tantúmque abfuit à deliciis aulicis, vt quod ad victū & amictum attinet magis belluinam, quàm humanam vitam duceret. De vita autem aulica lectu dignissima scripsit Lucianus in quodam libello inscripto, de his qui mercede conducti in diuitum familiis viuunt. Sed vereor hodie in aulis quorundam magnatum longe dissolutiora corruptioráque opera esse, quàm vt ea nullus digne persequi possit Lucianus, quantumuis ad carpendum hominum mores longè exercitatus.

Qui mollibus vestiuntur. Quasi dicat, meis ministris nil commune est cum strepitu, pompa, & luxu mundano, nec cum aulicis: inter quos locus est inconstantiæ, & adulationi: vt dicant cum Gnatone Terentiano, Quidquid dicunt laudo: negant, nego: aiunt aio,

Qui mollibus vestiuntur. Non damnamus vestes,sed vitium vestibus abutentium, scio enim sub purpura plures Deo placuisse, & è contra plures sub sacco Deo displicuisse.Sunt enim qui in purpura non efferuntur, & sunt qui se vestitos sacco vel dolent, vel gloriantur: magnus verò est quem saccus non deiicit, & quem purpura non extollit. Talis erat Dauid, & talis Ioannes Baptista: quoniam nec ille sub purpura,nec iste sub cilicio erat arundo ventis agitata. Mollia fratres opera fugite,quæ faciunt qui carni seruiunt: quæque ædificant lignum, fœnum, & stipulam igne concremandam.

Isidor. Cla.sup. Luc.7. ora.39. In hac parte vehementer peccant homines qui à vestibus ac rebus sensu carentibus quærunt honestari. Et certe si iudicare de quopiam equo, aut cane volumus,non solum non æstimare solemus pretiosas vestes,si quibus obtecti sunt, sed iubemus etiam vt eas illis detrahant, vt contemplari nudum animal liberius liceat. Vbi igitur de homine faciendum iudicium est, quem solus rationis vsus, & virtus à ratione profecta commendare atque honestare debet, velle à vestibus & pretioso corporis cultu, laudem atque autoritatem illi comparare: quis non videat rem esse non minus ridendam, quàm si cerneremus asellum onustum auro ob illud aurum laudari,& generoso alicui equo anteferri? Nonne hoc faciunt hi,qui cum moribus & vitæ ratione nil à mutis pecudibus differant, ob ornatum tamen vestium præferri volunt iis,qui frugaliore victu & cultu vtūtur,quamuis summis virtutibus præditi sint,quæ solæ sunt in pretio habendæ, & quibus omnia ista externa seruire debent? Hoc quidem sanctè scribit beatus Iacobus in hæc verba:Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ. Nam si ingrediatur in cœtum vestrum vir aureum gestans annullum,& veste indutus splendida, ingrediatur autem & pauper in sordida veste,& respexeritis ad illum qui vestem gestat splēdidam, & dixeritis illi: tu sede hic bene: & pauperi dicatis,tu sta illic,aut sede sub scabello pedum meorum &c.Et post adiecit,audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus eligit pauperes in hoc mundo diuites in fide? Vide etiam quid in actis Apostolorum de Herode sit scriptum. Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos, populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis &c. ferunt enim quidam historici illum indutum fuisse veste argentea, & venisse in theatrum incipiente die, vbi primum solis radiorum ictibus argentum illud illustrius factum mirè splendebat, quòd intuentes adulatores acclamauerunt tanquam Deum appellantes: perentésque vt propitius sibi fieret. Et quia rex illos non corripuerat,neque impiam assentationem fuerat auersatus,sed cum sibi honorem arrogabat, vide quantum hoc Deo displicuerit: confestim enim percussit eum angelus domini,& consumptus à vermibus expirauit. Præcipuè quidem in hac vestimentorum corruptela mulieres peccant:quæ si cogitarent quàm multis ex causis absurdus sit iste mos, non tam essent in hac parte dissolutę.Nam ad impudicos amores multos prouocant,& veluti rete quoddam sunt,quo diabolus vtitur ad capiendas illas animas pro quibus Christus mortuus est. Deinde nimij illi sumptus, & qui nunquam finem habent, impediunt beneficentiam in pauperes, quod quàm vehementer sit abominandum, audite quid dicat Apostо. Iacobus: Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miseriis vestris,quæ aduenient vobis.Diuitiæ vestræ putrefactę sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt &c. nil autem est aliud humanum corpus (honor sit auribus) quam stercus inuolutum. Ecquis vestrum vas

vas stercoris plenum pateretur ornari pretiosa veste, auro,& argento,quod vas corporibus vestris facitis? Statuite semel vtrum malitis Ethnicarum mulierum more viuere, an Christianam veritatem profiteri. Si enim Ethnicę esse vultis,nil opus est vt ad me audiēdum conueniatis, neque vt ego diutius fatiger. Paunones si quis tacitus spectet,recondunt pennas dum non laudantur, at vos non solum non laudatæ, verum etiam reprehensæ ab his recedere nescitis vanitatibus. Illud quæso cogitate, cum Deus omnia hominis gratia creauerit, si voluisset vos externa corporis pompa honestari, effecisset profecto vt in hac parte reliqua omnia satis superaretis: sed contrarium fieri voluit, vt desinatis in his contendere,quę sola opinione, non autem rerum veritate, sunt æstimanda.

Haymō in do.3. Aduen. Vnicuique nostrum sua conscientia testis est, quia pretiosa vestis nisi propter inanem gloriam non quæritur.Nam si in occulto simus vbi à nemine videamur, non est cura nobis qualibus induamur vestibus.

S. Bon. sup. Luc. 17. In deliciis periclitatur spiritualis vita, vnde 1. ad Timo. 5. vidua quæ in deliciis est viuens, mortua est: & Hiere. 31. vsquequo deliciis dissolueris filia vaga?

Euse. Emissenus in do. 3. Aduea. Ioannes sicut legitur pilis camelorum vestitus erat: qua in re apertissimè ostendebat quia & mundum istum, & eius concupiscentias pro nilo ducebat. Insuper & quia pœnitentiam prædicabat & bonus magister pœnitentibus in seipso pœnitentiæ simile exemplum & regulam dabat. Vnde non immerito quidam ait, si vis me flere, dolendum est prius ipsi tibi.

Locustæ Ioannis si vetustioribus fidimus autoribus,non herbas, aut fruticum extremitates,summitatésve significant,vt nonnulli arbitrantur: nec russus genus illud locustarum, de quo Plinius lib. 11. Natura. histo. cap. 29. & alibi scribit, satis prodigiosa.Sed animalcula quædam in scripturis sępè nominata secundum visitatam & notam acceptionem significant.Neque id mirum aut absurdum cuiquam videri debet, si Baptistam intelligamus locustis vitatasse, his videlicet quæ terrestria sint animalcula, quæ Plinius loco citato,& lib.6.c. 30. testatur etiam populos quosdam, ac regiones, nominatim Parthiam, eiusmodi habere,& æsitare cibum,& à nonnullis etiam locustas fumo & sale durari in annua alimenta. Vnde etiam beatus Hiero.lib. aduersus Iouinianum 2.orientales inquit & Libyæ populos, quia per desertam & calidam eremi vastitatem locustas reperiunt, locustis vesci moris est. Hoc verum esse Ioannes quoque Baptista probat. Huc accedit quod apud Leuiti. cap. 11. etiam locusta inter animalia munda quibus vesci licitum erat expresè recensetur. Cuiusmodi autem fuerit hoc locustarum genus aperte nos docet homi. quædam in Marcum Chrysostomo inscripta. Certius tamen idem nobis tradit beatus Hieron. vtpote certus sanctæ illius regionis explicator & incola,qui de locustis, Baptistæ victu, loquens:animal est inquit paruum, infirmas habens alas, de terra quidem surgens, sed altius non valens volare, vt plus sit quàm reptile,& tamen animbus non æquetur.

Gorran' su. Mat.3. Zona erat de pelle cruda & pilosa, vnde rectè comparatur Eliæ,de quo scribitur, vir pilosus,& accinctus zona pellicea.

In dictis Arnulphi Galliarum Episcopi reperimus minimū genus locustarum fuisse in deserto Iudææ, quo pastus est Ioannes,& vsque hodie eæ appparent, quæ corpusculis in modum digiti manus exilibus & breuibus,in herbis facile capiuntur, coctæque in oleo pauperem præbent victum.

Druth Marius Grama. super. Mat.3. Fiunt cilicia ista ex lana camelorum, quæ de camelis tondetur:habent enim sub ventre lanam cum qua miscetur alia lana etiam caprina, & fiunt aliquando dura cilicia, quibus Ioannes vestitus fuit. Audiui autem quendam dicere quod istæ locustæ auiculæ fuerunt paruæ, cum rubeis tibiis. Alium etiam dicere,quòd Ioānes cum versabatur in Iordane,locustas pisces marinos æderit.Sed neutrum verū est: quin locustas, quæ etiam in veteri testamento permittuntur, manducauit. Quare enim laudaretur de abstinentiæ rigore,si marinas delicias ederet, aut volatilia, quæ desideraverunt Iudæi?

Qui mollibus vestiuntur, &c. Vide Laurentium Iustinia. lib. de Institutione & regimine Prælatorum cap.19.vbi ait quod exterior ornatus non reddit hominem gratum Deo, quin potius in virtutum consummatione id consistit.

Quod detestabilis sit in vestibus prophanitas, nimiaque licentia, loca consule subsequentia.

Cyprianus est imprimis videndus de habitu virginum tractatu 2.

Chrysost. etiam ad populum Antiochenum homi.8.

Item Innoc.3.de contemptu mundi lib.2.c.37.

D. Hiero.lib.1.super.Mat.c.6.to.9.

Origenes super Euan.homi.28.& 40.

Augustinus ad Possidiū de cultu & ornatu Christiano Epist.73.to.2.

Ambrosius lib.3.de interpellatione c.5.

D. Chrisostomus super Mat.ho.50.to.2.

Hieronymus ad Eustochiam virginem de virginitate seruanda to.1.

D.Bernardus in Natiuitate S.Ioannis Baptistæ.

D.Hieronymus in regula monacharum de detectatione pretiosarum vestium c.28.to.4.

Basilius Magnus in admonitione ad filium spiritualem to. 2.

Seneca lib.14.Epist.ad Luci.Epist.91.& 93.

Hugo.de S.Victore institutionis Monasticæ cap. 11.to.2.

De vestibus moderatis iuxta Philosophos, vide Vincen.Belluacensem speculi Doctri.lib.11. capitulo 101.& 102.

Vestes verò moderatas, cuique iuxta singulorum statum conuenientes esse debere,& de pretiosis lectis,rebúsque ad ornatū spectantibus, consule eundem Vincen.speculi Doctri.lib.1.c.1.2.3.4.5.

Super illa verba, in dominibus regum sunt: tractare poteris de ambitione & arrogantia ad quod vide sequentia loca.

Fluctuationem cogitationum inanium, qua superbi & arrogantes vbique feruntur,lege apud D. Ioannem Chrysost.ad populum ho.43.to.5.

De arrogantia Oziæ de qua habetur 2. Paralipo. cap.26.consule.D.Chrisosto. explicantem verba illa Esa.6.In anno quo mortuus est rex Ozias,vidi dominum sedentem.tomo 1.

Elati ne tantum sibi confidant,Esa.c.17.

A.B.Damascus desinet esse.

Arrogantibus comminatur Deus.Amos 4.A. audite verbum hoc vaccæ pingues.

Arrogantibus ac superbis quomodo comminatur Deus,Amos 6.A.væ nobis qui opulenti estis.

Arrogantes quomodo tractabit Deus,Michæ 6. A.surge contende.

Arrogantes, Sopho.1.B.visitabo super principes.

Arrogantes,Sopho.3. A. principes eius in medio eius quasi leoues.

Superbi & tumidi, Zacha. 1. C. Ira magna ego irascor.

Ingenium ac proprietas arrogantium, Iob 4.A. sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

Arrogantes Iob.16. A. nunquid habebunt finem verba ventosa?

Arrogantes, quo fine desinunt esse, Iob 18. B. C. nonne lux impij extinguetur?

Arrogantes prostrabuntur, Iob.20. A. si ascenderit vsque ad cælum.

Arrogantes cito cadent, Iob 24. D. eleuati sunt ad modicum.

Arrogantes in quem finem perueniunt, Sapien. 2. A. B. Exiguum & cum tædio.

Arrogantia fugienda, Acto. 3. B. quasi nostra virtute.

Arrogantiam fugere debemus, Apoca. 19. B. & 22. vide ne feceris.

Quisquis peccatum vehementer odit, is etiã carnem suam pari penè odio prosequitur: quoniam ea peccatorum origo & seminarium est. Qui verò tali eam odio insectatur, is vtique abstinentia, nuditate, atque omni alia ratione illam attenuare, & spiritui subiicere conabitur. Quàm verò sacrificium hoc Deo gratum existat, vel hoc vno argumẽto perspici potest, quòd hoc sit summum illud Patriarchę nostri Abrahæ sacrificium quodammodo imitari, quo is dilectissimum filium domino immolare destinauerat. Vnusquisque nostrum fratres suum habet Isaac, nempe corpus suum, quod naturali amore ita diligit, vt non defuerint matres quæ filiis vitam eriperent, quo proprij corporis vitam incolumen conseruarent. Quod si ita est, non deest vtique nobis materia quin gratissimum hoc sancti Patriarchæ sacrificium imitari quodammodo valeamus. Interim mirum est quòd Ioannes quidem Baptista vinciatur in carcere, impurissimus autem Herodes in regali throno sedeat. Hæc planè quæstio difficilis olim veteris testamenti patribus, & frequenter agitata fuit. Abacuc 1. vsquequo domine clamabo? & psalm. 72. mei autem penè moti sunt pedes, &c. Cuius rei causa in promptu est: cum enim lex illa cultoribus suis corporis incolumitatem, opulentiam, cæteráque terrena bona promitteret, impiis autem & præuaricatoribus legis, pestem, & exitium minaretur, consequens esse videbatur, vt cum improbos viderent secunda fortuna vti, pios vero aduersa iactari, vehementer hac rerum vicissitudine commouerentur. At vbi nouæ legis gratia in mundum inuecta est: vbi lator legis Christus dominus in mundum veniens, in stabulo nasci, in cruce mori, & vitã inopem, humilem, & acerbam, eligere dignatus est: is planè hac noua & inusitata laborum electione, humilique perpessione, labores ipsos in corpore suo consecrauit, nobilitauit, & ad summam dignitatis & gloriæ laudem extulit. Sicut enim aqua eorum locorum saporem refert per quos labitur: ita cum fons vitæ Christus tam multa corporis mala in se susceperit, salutarem eis vim atque summam dignitatẽ contulit. Simili penè argumento magnus ille Seneca diuitias & opulentiam non esse inter bona numeranda confirmat, quod ea pessimis interdum hominibus contingant, contra verò egestatem, labores, & calamitates, nullo modo esse inter mala collocanda, quòd ea Cato pertulerit. Quod si tanta apud hunc insignem Philosophum Catonis autoritas fuit, vt quæ ille perpessus fuerit, in bonorum numero ponenda esse censeat: quanta quæso Seruatoris nostri dignitas & auctoritas apud nos maior esse debet, vt quæ ille pertulerit & elegerit, in summo pretio habenda sint! Hinc certe factum est vt tot deinde martyres existerent, qui immania tormentorum genera adeò non horrerẽt, vt vehementer potius appeterẽt, & alacri animo subirent. Non ita beatum dico Paulũ quòd in paradisum raptus verba audiuit ineffabilia, quàm quòd ita vincula sustinuit. Quod enim ista reliquis sint maiora, audi ipsum quomodo glorietur: non enim dicit, obsecro vos qui verba ineffabilia audiui, sed quid? obsecro inquit vos ego vinctus in domino. ô beata vincula! ô beatas manus, quas catena illa exornauit! Admiraris Paulum tum valde, quando nil illi, quæ manui adhæserat, detrimenti adferebat vipera? nil mireris, catenam quippe illam verebatur. Imò & vniuersum illam mare veneratum fuerat, nam tunc quoque vinctus erat.

In domibus Regum sunt. Sanctissimi viri nunquam spem suam aut fiduciam in filiis hæredibus, aut maioribus, rebúsve fluxis & caducis seculi, quæ diu consistere nequeunt, sed in solo Deo ponunt. Vnde quia memoriam non quæsierunt, æternam sui memoriam reliquerunt: cum contrà acciderit quamplurimis seculi regibus & principibus, qui omnem vitam suam honoribus inhiantes transegerunt: nunc tamen non secus obliuioni traditi sunt, ac si nunquam fuerint.

Sed quid existis videre? prophetam? etiam dico vobis & plusquam prophetam &c. Prophetæ quidem ministeriũ est ventura prędicere, non etiam demonstrare. Ioannes ergo plusquam propheta, quia eum quem præcurrendo prophetauerat, etiam ostendendo monstrabat. Greg. ho. 6. super Euan.

Cum dixisset prophetis illum esse maiorem, quare maior sit ostendit. Cur igitur maior prophetis Ioãnes? quoniam propinquior erat Christo venturo. Nam quemadmodum maiore dignitate hi sunt, qui proximè regium vehiculum equitant. Sic & Ioannes proximè ipsius aduentum præcedens, maiore gratia fulsit. Nec tamem testimonium prophetæ ad ostendendam excellentiam ipsius sufficit: sed sententiam quoque suam attulit Christus, dicens. Amen dico vobis, non surrexit maior Ioanne Baptista. Chrisf. sũ. Mat. ho. 38. to. 2.

Nunquid prophetæ fuit, vt in vtero constitutus, Deum in vtero cognosceret? nunquid prophętę fuit, vt pri⁹ esset propheta quàm homo natus, & ante gratiam acciperet? nunquid prophetæ est, beneficium baptismatis Deo donare? nunquid prophetæ est, vt Deus de illo prophetet? dicens. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Audi nunc & intellige dignitatem: puto (si non est audacia dicere) quòd glorioſior est Ioannes quia homo fuit, & propter virtutis meritum angelus potest vocari: quàm si nomine angelus & natura fuisset. Angelus enim hoc ipsum quod angelus est, non tantum est virtutis præmium, quantum naturæ proprietas: iste autem mirabilis est, qui humana natura angelicã sanctitatẽ transgressus est⁹ & obtinuit quod nõ habuit natura, per gratiam Dei. Multæ quidẽ stellæ ante lucẽ præcedunt, nuntiantes lucis aduentum: nulla tamen earum Luciferi nomen habere meretur, nisi vna quæ cum ipsa luce procedit. Sic omnes prophetæ ante faciem Christi præcedunt nuntiantes aduentum eius: solus autem Ioannes præcursor est appellatus, quia non solũ aduentũ eius annuntiat, sed eum ipsum digito suo ostẽdit. Omnes prophetæ prophetauerũt de Christo, de illis autẽ non prophetatũ est: hic verò nõ solũ prophetauit de Christo, sed etiã alij prophetauerunt de ipso. Quis prophetarũ cum esset propheta prophetã facere potuit? Elias quidẽ vnxit Eliseum in prophetã: non tamen prophetandi gratiam illi donauit. Iste autem in vtero matris existens, diuini introitus scientiam quasi matri donauit, & os illius in verbo cõfessionis aperuit. Nã sicut mater ipsa testatur, statim atq; vox salutationis cõuenit ad aures Elizabeth, exultãs puer prophetauit, nõ voce, sed motu. Chry. in non absc. ho. 27.

Præcellit

Præcellit cunctis Ioannes, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere natus est, Ioanne inferior est.

Videamus si Eliæ meritum admitteret, vt Eliseus duplum donum eius mereretur accipere. Dictum est autem à spiritu sancto per Zachariam, cuius meriti futurus esset Ioannes. Veniet inquit in spiritu & virtute Elia. Patrem ergo Ioannem Eliæ ostendit, & dominus dicit: Nemo maior inter natos mulierum Ioanne Baptistã, non dixit omnibus maior est, sed nemo illo maior est, hoc est, æqualem habet, maiorẽ non habet, Elias ergo par illi erit. Sed quomodo Eliseus maior illo est, cum Ioannes (quo nemo maior est) par Eliæ fit? nam veniens ad aquarum transitum non accepit honorem ab eis, vt potuisset transire: nisi nominasset Deum Eliæ, vt per hoc dura petitio cor repta videretur, dũ non nisi nomine Eliæ auditus est &c. Hæc, & alia quãplurima leges in D. Augustino.

Antecessores prophetæ Christum futurum præcinuerant, quem Ioannes indice prodidit, vt in eius Hymno concinit Ecclesia.

Ioã. Maior sup. Luc. 7. 1. Reg. 17. Hieron. A condito orbe nullum vitæ austeritate ei æquiparandum dederis: non pascebatur dimidiato pane ac carnibus cum Elia, & Paulo primo eremita: non caticis ac syluestribus pomis cum Hilarione, Antonio, & cæteris, sed austerioribus alebatur.

Bonauen. super Luc. 7. Postquam commendauit Saluator Ioannem quãtum ad meritum vitæ, hic commendat quantum ad officium doctrinæ: & recto ordine, quia prior debet esse vita bona, quàm doctrina auctentica.

Super illa verba, etiam dico vobis & plusquam prophetam: vide S. Thom. 2.2.q.174.art.4.ad 3. & de verita.q.12.ar.12.ad 3. & ar.14.ad 5.

Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Quod Græcè angelus, hoc Latinè nuntius dicitur: Rectè ergo qui nuntiare supernum iudicem mittitur, angelus vocatur: vt dignitatem seruaret nomine, quam explet in operatione.

Simõ de Cassia lib. 2. cap. 3. Propterea Marcus, Lucas, & Ioannes, initia librorum præconiis Ioannis dedicarunt, vt videlicet autoritas tanti nominis prima fronte prælati, totum deinceps commendabilius quodammodo redderet Euangelium.

Ioannes viam domino præparauit, non lapides tollendo, nec aspera coæquando: sed mentes hominum instruendo, quando nuntiauit dicens, pœnitentiam agite.

Super illa verba, Ecce ego mitto angelum meum: vide D. Tho. opusculo 19. cap. 12. & c. 26. & in Ioan. 1. lect. 11. & ad Rom. c. 10. le. 2.

Super illa verba, qui præparabit viam tuam ante te: consule eundem. 3. p. q. 38. art. 1. per totum. & 2.2. q. 7. art. 1. ad 3. & in 4. sen. dist. 2. q. 2. ar. 1. quæstiun. 1. per totam, & quæstiun. 2. in corpore, & quæstiun. 3. ad 2.

Inspice denique Innocen. tertium ferè in principio eius operum, in quadam huius Dominicæ concione, super illa verba ad Philip. 4. Gaudete in domino semper.

Dominica tertia in Aduentu domini secundum vsum Romanum, & quarta secundum aliquos.

MISERVNT *Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, tu quis es? Ioannis 1. Matthæi 3. Marc. 1. Lucæ 3.* Putabant aliqui ex Iudæis Ioannem esse Christum: alij putabant eum esse Eliam propter nimiam abstinentiam, castitatem, solitariam vitam, asperrimam delictorum reprehensionem, & maximum futuræ vindictæ terrorem. Alij dicebant esse vnum de prophetis resuscitatum, propter prophetiæ gratiam.

Aduertendum quòd tempore prædicationis Ioãnis erat famosa opinio, & maximè in Hierusalẽ vbi vigebat studium legis & propherarum, quòd tempus aduentus Messiæ esset in proximo. Primo quia videbant ab eis ablatum esse regnum, & hoc fuerat eis datum pro signo aduentus Messiæ. Gene. 49. secũdò quia videbant completas hebdomadas dictas à Daniele. Item ex altera parte Ioannis Baptistæ mirabilem natiuitatem, & eius excellentem sanctitatẽ: & ideo fuerant moti ad opinãdum ipsum esse Christum. Propter quod miserunt solemnes nuntios ad Ioannẽ, volentes super hoc scire veritatem. Chrysosto. quidem dicit quòd malitiosè venerunt, Origenes autem quod simplici animo venerunt ad quærendum veritatem. Gl. Lyræ super Ioan.

Graue vitium inuidia est dilectissimi, graue inquam & exiriosum: non his quibus inuidetur, sed ipsis inuidentibus. Eos enim offendit consumitque tãquam mortiferum quoddam virus eorum animos occupans. Quod patet ex inuidia Iudæorũ: qui enim ex ciuitatibus ad Ioannem confluxerant, qui propria damnarant peccata, qui se baptizanerant, post baptisma tanquam ex quadam pœnitentia mittunt qui Ioannem interrogent, Tu quis es? certè genimina viperarum, & serpentes: vel si quid his grauius habet. Generatio mala, adultera, & peruersa, post baptisma Baptistam interrogas & percuntaris? Quid hac stultitia stultius? Quomodo ad eum conueniſtis? Quomodo peccata vestra confessi estis? Quomodo ad baptisma cucurristis? Quomodo ipsum percontati estis quid foret agendum? hæc planè omnia à vobis temere & sine ratione facta sunt, cum neque principium, neque fundamentum intelligatis. Verum nil horum protulit, aut obiecit Ioannes, neque quidquam exprobrauit. Sed omni cum mansuetudine respondit, vt omnibus eorum manifesta perspicuáque fieret malitia. Sæpenumerò Ioãnes Christo testimonium perhibuit, & cum Iudæos batizaret frequenter de Christo meminit. Ego quidem inquit baptizo vos in aqua, qui autem post me venit fortior me est, & baptizabit vos spiritu sancto & igni. Quibus verbis perturbatione quadam affecti sunt: mundi namque gloriam affectantes, & secundum faciem iudicantes, Ioannem Christo inferiorem esse, indignum arbitrabantur. Multa enim Ioãnis excellentiam obstendebant: primum generis claritas, cum filius esset principis sacerdotis. Deinde vitæ asperitate, & rerum humanarum cõtemptu, insignis erat. Si quidem domo, mensa, lecto, victúque & cultu contempto, eremum ab ineunte ætate incoluit. Contrà Christum dicebant obscuro genere natum, quod ei sæpe obiecerunt, dicentes, Nonne hic est filius fabri? nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph? Patriam item, vnde originem ducere putabatur, ignominia quadam notabant, vt dixit Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse? Tum conuersatione omnibus communis erat Christus, & vestimenta eius nil à vulgo differebant. Non enim zona pellicea cingebatur, nec pilosam vestem induebat, nec melle & locustis vescebatur: sed cum omnibus eandem habebat consuetudinem. Infamium etiam hominũ & publicanorum conuiuiis aderat, vt eos ad meliorem frugem reduceret. Quod intelligentes Iudæi, ei exprobrabant, vt idem Christus ait, venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, Ecce homo vo- Chryf. sup. Mat. ho. 15. to. 3.

rax, & potator vini, & publicanorum, & peccatorum amicus. Cum ergo Ioannes ab se Iudæos ad Christum longè eorum opinione inferiorem dimitteret, ægrè ipsi ferebant, & rubore perfundebantur: quippe qui Ioannem potius magistrum habere quàm Christum voluissent, palam tamen id dicere verebantur. Mittunt autem ad eum, vt per adulationem & inuidiam ipsum alliciant ad confitendum se Christum esse. Mittunt ergo non abiectos, & infimę sortis homines, quemadmodum cum Christum capere volebant in sermone, tunc enim miserunt discipulos, & Herodianos. Nunc ergo sacerdotes & leuitas mittunt, nec vndecunque, sed ab Hierosolymis, hoc est maioris autoritatis & nominis, non enim temere hoc significauit Euangelista. Et mittunt vt interrogarent eum, Tu quis es? Et profectò natales eius adeò celebres erant, vt vulgo diceretur. Quis putas puer iste erit? & super omnia montana Iudææ diuulgabantur verba hæc. Item cum Iordanem petiuisset omnes ad eum conuolabant, & ex Hierosolymis, & ex omni Iudæa, ad Ioannem vt baptizarentur concurrebant. Quid igitur interrogant? non quod eum ignorarent, satis enim cognoscebatur, nec vllo pacto poterat ignorari. Sed ea quàm paulo ante diximus ratione interrogant, quo eum adducerent vt se Christum confiteretur. Audi ergo quomodo beatus Ioannes non verbis, sed animo quo illi percontabantur, respondit. Nam cum rogarent, Tu quis es? non respondit continuo quod rectè erat respondendum, Ego vox clamantis: sed eorum primam suspicionem amouit, dicendo, quia non sum ego Christus.

Tanta excellentia erat in Ioanne, vt Christus esse crederetur: sed in eo probata est eius humilitas, quòd dixerit se non esse Christum, cum crederetur esse. Non quidem mississent, nisi moti essent excellentia autoritatis eius, & quia ausus est baptizare.

Beda ho. in do. 4. Aduen. tomo 7.

Hinc patet Iudæis fuisse tunc notissimum secundum scripturas Incarnationis dominicæ tempus adesse. Sed mira cæcitas, quod in Ioanne sponte credebant, hoc in Saluatore tantis signis ac virtutibus approbato, & ipso etiam Ioanne attestante, non credere.

Simõ de Cassia su- Euã. lib. 3. cap. 1.

Pia, sed non vera erat ista existimatio populi de Ioanne, quin hæc existimatio in eorum iudicium vertebatur: quòd cognitionem per fidem de Christo venturo habebant, quem iam in Ioanne venisse credebant. Et nimirum ipsorum damnatio cumulatur, quod cum tanta esset existimatio de Ioanne, vt Christus esse crederetur, ei tamen de Christo vera dicenti nulla ratione crederent. iustus quidem iudex, meritorúmque librator, non secundum famam, aut infamam: sed secundum veritatem virtutis aut vitij homines iudicabit: vnde Ioannes dicit, Non sum ego Christus.

Rhabul. Ardentis in do. 4. aduen.

Nos quoque fratres Scribis & Pharisæis similes videmur, qui ad perscrutandum scripturas curiosi sumus, ad operandum vero duri & tardi. Sed quæ nobis fratres inde est vtilitas? nisi quod nobis dicitur, quòd seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

Fer' sup. Ioan. 1.

Ad Ioannem mittunt, non ad Christum: quia offendebat eos humilitas Christi, & indignum, iudicabant tanto honore eum qui tam pauper esset, turpéque ipsis videbatur tam humilem habere Messiam. Ecce hoc est ingenium mundi, semper horret crucem, pudet eum humilitatis & paupertatis indecorum putat cum eis conuersari qui cruce premũtur, etiam si sint sanctissimi, vt patet de diuite illo & Lazaro Lucæ 16. Denique omni honore indignos arbitrãtur eos qui pauperes & humiles sunt, etiamsi sint doctissimi. Item De Christo dicebant, Contrarius est operibus nostris, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Omnes enim nos similiter affecti sumus, & eos certè cupimus prælatos, rectores, & prædicatores, qui nostris affectibus accommodi videantur: nec si in potestate nostra esset, quemquam pateremur, qui obsisteret affectibus nostris, ne Deum quidem.

Tu quis es? Nemo inquit Euseb. Emissenus securũ se putet, tanti laquei obiecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam immanes hostes custodiunt iter nostrũ, tantæ foueæ, tanta prærupta, tantæ rerum difficultates, interiacent inter nos & finem nostrum, tantis spiritualium latronum insidiis obsidemur antequã optato in litore collocemur. Ne putemus igitur nos debere esse securos, & sine quotidiana cura ac sine quotidiano timore tempus nostrum transigere. Quis enim transiens profunda fluminis alicuius per arctissimi pontis angustias, etiamsi maiorem partem inoffenso transmiserit pede, iam periculum euasisse se credat, præsertim si cum in vltimo pontis spatio titubauerit, casum quem in medio spatio timebat, possit adhuc incurrere? Quare nos etiamsi magna pars vitæ istius prosperè videatur fuisse transacta, non ideo præsumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur. Ecquis in acie positus, ante finem certaminis, aut ante victoriæ securitatem, arma deponat? Ecquid omnis mundi securitas aliud est, quàm ingens illa imago à Nabuchodonosore in somnis visa? Magnificam quidem speciem præ se ferebat, tota aurea, argentea, ænea, ac ferrea erat, sed tamen testaceis pedibus innitebatur. Talis est mundi securitas, quæ testaceis pedibus insistens, vel leui quadam tentatione frangitur. Quamobrem fac semper tibi ante oculos proponas. Tu quis es?

Vt interrogarent eum, Tu quis es? Considera quàm magna tentatio offeratur Ioanni, dum illi tantus principatus offertur: & videbis vix reperiri tempus aut locum tutum satis, sed circunspectè semper vigilantérque viuendum nobis esse.

Quemadmodum plerumque vinum merum obruit mentem, iudiciúmque rationis euertit, aqua verò dilutum sit suaue ac salutare: ita qui honoribus inhiat, dignitatibus, & voluptatibus, & his omnibus oblectatur, immergitur, atque destruitur, verum si hæc omnia adeptus attemperat consideratione suæ mortalitatis, atque quod cuncta vana & caduca sint, tandem illa omnia contemnet, atque pessumdabit. Et hac ratione diuinus præcursor honores sibi oblatos à synagoga contempsit.

Sicut qui per angustas & altas scalas ligneas ascendit, si magna cura non videt qua ratione pedem figat, & vel tantillum pedem à suo loco dimoueat, maximum incurrit casum: ita in hoc mundo operepretium est euigilare vt actiones nostræ rectè dirigantur, & lingua suo probe perfungatur munere.

Sicut aures quæ ad edendum aduolant, ab ipsa esca arte parata irretiuntur: ita plures laudibus & adulationibus, quæ sunt esca quædam, decipiuntur.

Si tanta vigilantia atque attentatione opus est, vt quis per funem tentum inambulet, & vt magna æqualitas passũ & ponderis ex vtraque parte seruetur: quanto maiori cura, attentione, ac prudentia opus est nobis, vt in hoc mundo, cuius casus & prolapsus periculosiores existunt, tuto viuamus.

Iustum sanè esset vt ita præparati ad tentationes occurrentes ac præmuniti essemus, vt dicere possemus, non decipies me fortuna, nec securum, aut

aut negligentem opprimes. Scio quid quæras, alium percussisti &c. vide Senecam ad Martiam de Consolatione, lib. vnico cap. 9.

Semper parati expectare debemus fortunæ conflictus, aduersósque euentus, veluti in præsidio positi: & omnes eius conatus ac impetus prospicere multo antè, quàm occurrant. Illis enim grauis fortuna est, quibus est repentina, nec facilè sustineri potest. Nam & hostium incursus eos prosternit, quos inopinatè occupauit. Plura alia ad hoc institutum facientia habes in Seneca libro ad Albinam matrem de consolatione cap. 5.

Publius Philosophus quidam dixit: illud imprimis scito, talem humanarum rerum circulum esse, qui roratus eosdem semper fortunatos esse non sinat. Item Horatius, Ne insulta infortunato, communis enim fortuna est. Aristides, Nemini calamitatem exprobres, nam fortuna communis est. Diogenes, Nil rerum humanarum esse firmum existima, sic enim fiet vt nec in rebus secundis lætitia exultes, nec in aduersis consternaris. Gerontius, Rebus prospere cedentibus suspecta tibi semper sit aduersitas: annus enim vnus quatuor constat partibus, & vnicum temporis momẽtum variam secum affert rerum mutationem.

Nolebat diuinus Ioannes fauores ipsos humanos, aut potentium amicitias. Sciebat siquidem eos qui his capiuntur, similes esse hederæ: vt enim hedera arbori adhærens, si arbor præscindatur, statim perit: ita qui adhæret alicui potenti & magnati, quandiu is viuit poterit florere, sed tamen si inopinata subierit mors, illico etiam ipse improuiso perit.

Quemadmodum puluis quamuis sursum aliquãdo subleuetur, mox tamen deorsum redit: ita profectò tametsi quis aliquando eleuetur, patronos habeat amplissimos, gratia plurimum possit, homo tamen cum sit, hoc est ex humo ipsa, cesset tandem omnis eius pompa, & in humum redeat necesse est.

Quemadmodum præterea aquarum intumentes fluctus atque impetus, nequeunt rupes ac saxa quæ impetunt perfringere, quin potius fluctus ipsi tandem debilitantur, ita aduersus Dei seruos non præualent tentationum incursus, non humani conatus, non dignitatum oblatio, sed semper immobiles in diuino obsequio permanent tanquam rupes firmissimæ, vt constat de beato Ioanne, cui tanta nunc delata est Messiæ dignitas.

Hoc obseruabis, duas Ioanni Baptistæ fieri legationes, vnam quidem ab Hierosolymis à Iudæis, qui sacerdotes & leuitas mittunt, vt eum quis es interrogent: alteram autem à Pharisæis qui mittuntur, qui ad responsum datum vrgent. Obserua etiam quemadmodum ea quæ primo dicuntur, cum mansuetudine & studio quodam discédi dicuntur, nempe hoc tu quis es? Tum illud. Quid ergo? Elias es tu? Et illud, Propheta es tu? Item illud, Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Nil enim contumax, neque audax in horum videtur interrogatione, sed omnia insunt, diligentibus Dei cultoribus conuenientia. At verò qui Pharisæi missi erant, suo nomine contumeliosis, atque inhumanioribus, verbis agunt cum Baptista, hoc modo: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? nec vero discendi studio id dicunt, sed animo arcendi eum à baptizandi munere, quòd baptizare nullius nisi aut Christi, aut Eliæ, aut præcipui illius prophetæ, opus & munus esse existimarent. Quare ei qui diligenter scripturam diuinam legere velit, vbique cura est adhibenda, vt obseruet, quæ dicantur, & à quibus, & quando dicantur, vt in omnibus sanctis libris distinguat accommodatè personis tributum sermonem.

Bernard. de verbis Esa. ser. 3.

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Verè amicus sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viã, sed prædicat gratiã, vt & ipse de plenitudine eius accipere mereatur. Lucet ergo Ioannes tanto vtique clarius, quanto amplius feruet: tanto verius, quanto minus appetit lucere. Fidelis sanè Lucifer, qui solis iustitiæ non vsurpare venit, sed prænũtiare splendórem. Non sum ego, inquit, Christus, venit fortior me, cuius non sum dignus, &c.

Ideo autem Euangelista ingeminat hoc quod dicit, Et confessus est, & non negauit: vt ostendat humilitatem Ioannis, qui licet esset tantæ autoritatis apud Iudæos, vt eum crederent Christum, non tantum honorem sibi non debitum non vsurpabat, sed confessus est potius, quia non sum ego Christus. Sed quid est hoc quod dicit, confessus est, & non negauit? Videtur enim quòd negauit, quia dicit se non esse Christum. Sed dicendum est quòd ideo non negauit veritatẽ, quia dicit se nõ esse Christum: aliàs negasset veritatẽ, Iob 31. dicens: Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, &c. Non negauit ergo veritatem: quia quãtumcunque haberetur magnus, non est elatus in superbiam, vsurpans sibi honorem alienum.

Simõ de Cusia su. Euan. li. 3. cap. 1.

Nemo vt stultus supra se ipsum opinione hominum rapiatur, si nouit sibi omnino deesse quod creditur. Spectat enim ad mentis cõstantiam, existimatione magna hominum non extolli; & etiam si inesset quod fama vulgarium clamat, intra humilitatis & vilitatis claustra se famosus includat. Ecce Ioannes diuina non rapit, & oblata respuit: Quod nouit esse Christi, non arrogat sibi. Suspenduntur patibulis qui temporalia diripiunt, qui domino inuito aliena contrectant: quid ergo erit eis qui diuina rapiunt, qui diuinos honores vsurpabant, & qui etiam impertinenter oblatos non respuunt?

Dionys. Carthu. super Io. 1. to. 7. Sap. 1.

Confessus est Ioannes veritatem, tanquam veritatis præco, amicus, & paranymphus, & non negauit veritatem. Os enim quod mentitur occidit animam. Et Psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quamuis namque sæpè licitum sit veritatem silere, propter audientium improbitatem, vel propriam pacem, seu aliam piam & rationabilem causam, iuxta illud, posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: nunquam tamen licet veritatem negare, quamuis possit aliqua pia cautela abscondi.

Frater Lu. Granatea.

Et confessus est, & nõ negauit. Hæc verba non vulgatè emphasim præ se ferunt, alioqui enim simpliciter respondere potuisset, Nõ sum ego Christus. Sed Euangelista iterum repetit, vt hac loquendi figura solicitudinem atque timorem sancti præcursoris haud obscurè declaret, cum sibi diuinos honores tribui imprudentis populi opinione cerneret. Nullus enim vir vsque adeò de vxoris suæ pudicitia solicitus est, ac sancti omnes fuerunt, nec sibi quidquam diuini honoris arrogarent, aut ab aliis sibi tribui paterentur. Sic Paulus & Barnabas cum eos Lystris ciues propter edita miracula vellent adorare, conscissis tunicis tantæ impietati obstiterunt, dicentes. Viri, quid hæc facitis? Simili concilio & affectu Ioannes à se diuinos honores depulit. Quo enim alio scelere & primus parens, & summus ille Angelus, in barathrum deiecti sunt, nisi quod vterque diuinam sibi vsurpare similitudinem præsumpsit? Sunt & aliæ viæ quibus sibi homines diuinos honores quodammodo tribuunt. Qui enim inani gloriæ studet, qui-

que de acceptis à Deo beneficiis impudéter gloriantur: an non isti etiam gloriam quæ soli Deo debetur suffurantur, & sibi tribuunt quod diuinum est? Ingrati quoque, hoc modo peccant, qui Dei beneficiorum memores nunquam sunt, qui nunquam oculos in cælum tollunt, qui ita beneficiis Dei vtuntur, acsi illa non à Deo, sed à se ipsis percepissent, atque ita viuunt, ac si se ipsi condidissent. Hac enim ratione Pharaonem dominus increpauit, cum ait: Ecce ego ad te draco magne. Et certè sicut in quouis opificio artifex magis quàm artificis instrumentum causa operis esse dicitur: ita cuiuscunque laudabilis actionis nostræ, Deus magis quàm nos ipsi, causa censendus est. Ezechie. 29.

Si Euangelium hoc diligenter inspexisti, tibi statim (vt suprà attigi) illud occurrit, quòd cum diuinus ille præcursor ita ab hominum consortio esset amotus, oblata nihilominus illi fuit occasio adeò grauis, vt indigueriit maximis viribus atque virtute, quò tanti honoris resisteret oblationi, quantum Respub. Hierosolymitana gratis offerebat eidem. Hic ergo edisserere commode poteris, locum nullum esse satis tutum & securum in hac misera vita: ad quod consules sequentia loca. Autor.

Non esse locum in hac fragili vita securum, & tutum à laboribus & tentationibus, vide apud Augu. epist. lib. epist. 122. Victoriano presbytero missa, tom. 2.

Nemo se tutum esse arbitretur in hac vita, neque torpescat, ac somno se dedat, Cypria. epist. 10. de opere & eleemosynis.

Quod homo quantumuis in deserto commoretur, non sit omnino à periculis alienus, D. Cypria. de ieiunio & tentationibus Christi.

Alexander putabat se esse securum quod Darium expugnasset, præsertim cũ spolia quinquaginta mille talentis æstimarentur. Sed planè ei in hac securitate posito, delatum est, Spartharios quadã regni parte bello vrgere: quadam etiam regem Pyrrhum: vide Iustinum lib. 12. suæ histo.

Quod sicut in mari, licet nulla sit oborta tempestas, nihilominus securitas nõ est, sic quoque in mundo contingat, vide D. Greg. lib. 5. Mora. cap. 8.

Quamuis multa bona fecerit seruus domini, non proprerea est omnino securus, consule Greg. 9. Mor. cap. 27.

Quod nullus existat locus tutus, lege eundem lib. 6. epist. cap. 5. & lib. 8. cap. 45.

Nullus debet se putare securum, & cõfidentia vti nimia, Abacuc 2. super custodiam meã stabo. & Hier. 31. statue tibi speculam. & prouer. 28. Beatus vir qui semper est pauidus. Item Canti. 3. vniuscuiusque ensis super femur suum. Vide D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 5.

Vbi tranquilla tibi omnia videntur, illic nocitura non desunt, consule Senecam lib. 2. de ira ad Nouatum cap. 31.

Semper attente vigilantérque viuendum, vide eundem lib. 1. de Tranquillitate vitæ ad Serenum, cap. 11. & 15.

Non debet in hac vita homo sibi securitatem polliceri, lege eundem lib. vnico ad Martiam de Consolatione cap. 21.

Non est in mũdo securitas, Esa. 47. C. veniet super te malum, & nescies ortum eius.

Non est locus tutus, Hiere. 21. C. Qui habitauerit in vrbe hac.

Vana securitas ac dolosa, Hiere. vigesimo octauo per totum.

Nulla in hac vita securitas, Iob 30. D. expectabam bona, & venerunt mihi mala.

Securitatem non habemus in mundo, Prouer. 27. ne glorieris in crastinum.

Non est in terra securitas, Eccles. 18. C. memento paupertatis in tempore abundantiæ.

Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Sicut enim aduentus Christi fuerat promissus Iudæis, ita & aduentus Eliæ, vt habetur Malachiæ vltimo. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam. Et ideo audientes quod non esset Christus, interrogauerunt si esset Elias. Glos. Lyræ super Ioan. 1.

Iam semel frustrati ad alia conuertuntur, intentúmque suum adumbrare volentes, dicunt: Quid ergo? Elias es tu? vt videantur simpliciter, ac sine malitia interrogare, siquidem expectabant etiam venturum Eliam, Malachiæ. 4. Oecum. super Ioannem 1.

Elias es tu? Et dixit, Non sum. Elias non fuit in persona, sed in spiritu. Ex quibus sequitur talem vnumquemque esse, taléque nomen sortiri, qualem spiritum habeat, qualémque vitam sequatur. Et quisquis intra se dæmonis spiritum habet, dæmonísque malitiam & pranitatem sectatur, is dæmon appellari potest, Ioan. 6. nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Sed quomodo si pij omnes eundem spiritum habent, non eandem etiam vitæ rationem sequuntur? Certe quemadmodum lux vna solis, quæ stellas omnes siue fixas, siue errantes illuminat, variè quidem eas pro varia ipsarum natura afficit, quo fit vt aliæ serenitatis, aliæ tempestatis, aliæ pluuiarum causæ sint: ita planè lux illa diuini spiritus, quæ omnia piorum corda illuminat, variè illa quidem vel pro naturarum, vel etiam pro gratiarum varietate, afficit, ac mouet. Hic spiritus Mosen effecit mãsuetissimum, Eliam verò adeò seuerum & acrem, vt persecutores suos bis igne cælesti consumpserit, & prophetas Baal iugulârit, ac tribus annis & sex mensibus oratione sua imbres & pluuiam suspenderit. Cæterum cur præcursor domini Ioannes, qui agnum demonstraturus veniebat, non magis spiritu Mosis, qurm Eliæ, hoc est non potius mãsuetudinis, quàm seueritatis spiritu donatus fuit? Responsio: fortasse hanc tantam seueritatem corruptissimi illius seculi mores exigebant. Maiora autem vulnera acrioribus remediis curanda sunt. Fortasse etiam hoc ad autoritatem testimonij plurimum cõferebat: seueritas enim fere magis quàm mansuetudo veritatis testimonium commendat, cum mansueti homines magis se aliorum moribus & sententiis, quàm acres & seueri accommodent, qui nullis aliorum affectibus, aut persuasionibus flecti, & à recto deduci solent. His etiam adde quòd si lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerũt: quemadmodum prophetarum vaticina in illo, ita rigor quoque legis cessare debuit. Videmus certè lucernam cum iam iam materia ipsa quam habet deficiente mori incipit, splendidiorem flammam excitare, & sic tandem emori: sic igitur quoniam veteris legis asperitas in Ioanne finem accipiebat, commodum erat vt in ipso potissimũ hæc asperitas emineret, quæ erat in illa. Ludoui. Grac.

Non sum Elias, ideest non præeo potentiam indicans, sed in quam offenditis ostendo humilitatem. Quasi dicat, seruite humili, antequam excelsus iudicet: ecce nec ego Christus, nec apertæ potẽtiæ iudex.

Quid est hoc quod dicit Ioannes, Non sum, scilicet Elias, cum Christus dixerit ipsum esse Eliam? Hanc quæstionem soluit angelus Lucæ 1. dicens. Ipse præcedet ante eum in spiritu & virtute Eliæ in suis nempe operibus. Non fuit ergo Elias in persona, sed in spiritu & virtute Eliæ. Potest autem attendi similitudo quantum ad tria: primò quantum ad officium, quia sicut Elias secundum Domini aduentum S. Tho. super Ioannem. Lect. 12.

tum præueniet, ita iste præuenit primum. Secundo quantum ad viuendi modum, quia Elias in desertis morabatur, parco vtebatur cibo, & duris vestibus operiebatur. Tertio quantum ad zelum, quia Elias maximi zeli fuit. Vnde dicebat, zelo zelatus sum, &c.

Propheta es tu? Erat famosa opinio tunc temporis apud aliquos Iudæos, quod ante ipsum Christum veniret vnus magnus propheta, propeo quod est Deut. 18. prophetam susciabit dominus Deus de fratribus tuis. Quæ quidem autoritas secundum veritatem intelligenda est de Christo. & ideo interrogauerunt eũ si esset ille Propheta, de quo dicta est scriptura prædicta. Sed hic non ponitur propheta absolute, sed cũ articulari dictione, quæ denotat prophetam dictum antonomaticè.

Non rogarunt an esset vnus ex aliorum numero propherarum, sed articulum addiderunt. Ac si dicerent, propheta ne ille es, qui à Moyse prædictus est? propterea negauit, non se prophetam esse, sed esse prophetam illum. Chrysost. super Ioan. ho. 15. to. 3.

Non sum. Ioannes dicit se non esse prophetam, eo modo quo ait Amos, non sum propheta, nec filius prophetæ: & quomodo Christus dicit in Psalm. 21. Ego autem sum vermis, & non homo.

Verè potuit dicere Ioannes, Domine non est exaltarum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Bene Hiere. docet, non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. Sic Ioannes fecit: vult enim dicere, quid est quod à me excellẽs illud, & præclarum quæritis? en habetis Christum, qui solus omnia est, & præ quo ego nil sum, ne propheta quidem, si cum ipso conferar.

Respondet non, etiam fortasse responsurus, si sine articulo interrogassent.

Quid dicis de te ipso? Quasi dicant: ad hoc missi sumus vt sciamus quis es, ideo dicas nobis quid dicis de te ipso. Sed attende ad Ioannem: iam enim impleuit quod Aposto. dicit, viuo autem iam non ego &c. & ideo non respondet, Ego sum filius Zachariæ, vel talis: sed solum illud, in quo Christum sequebatur.

Ego vox clamantis in deserto, &c. Id est ego sum ille, de quo scriptura dicit Esa. 40. quòd debet clamare in deserto Iudææ, vt homines se præparent ad Aduentum Christi in mundum. Et bene designatur Ioãnes in proprietate vocis, quia erat annuntiator verbi diuini, id est Christi, qũi est verbum patris secundum diuinitatem. Vox enim ipsa est verbi mentalis expressiua.

Via per quam nos vadimus ad Deum, est obseruatio mandatorum, à qua declinando erramus: & ob hoc dicitur Deutero. 5. quòd non declinemus ad dexteram nec ad sinistram ab ipsa lege. Et quia ista obseruatio præceptorum est aliquantulum difficilis, dicitur via dura, siue stricta & arcta. Ita Christus, arcta est via quæ ducit ad vitam. & Psalm. 16. propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Ioannes loquebatur de Aduentu Dei ad nos, quia annuntiabat Messiam esse venturum: ad quem recipiendum debeant Iudæi parare viam suam: quia oportebat eos dimittere antiquam & carnalem conuersationem, quia immundus Christum suscipere non potest, & ob hoc præposuit quòd pœnitentiam agerent, & cluerent crimina. Rectas autem facere semitas idem est: nam est iteratio sententiæ, quod solet fieri apud prophetas. Idem enim est parare viam Domini, quod rectas facere semitas eius. Abulẽsis sup. Mat. 3.

Via Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum illius vita præparatur. Vnde scriptum est, si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Quisquis ergo in superbiam mentem eleuat, cordis ostium contra veritatem claudit. Greg. super Euã. hom. 7.

Dirigite, ideſt in corde vestro venienti sapientiæ aditum referate? sicut aliàs dicitur, iter facite ei qui ascendit super occasum. Super occasum fuit ascendere, ipsam mortem quam pertulerat resurgendo superasse. Ait ergo, ei qui ascendit super occasum iter facite, ideſt resurgẽti domino in vestris cordibus per fidem viam præbete. Hinc Ioanni per spiritum dicitur, præibis ante faciem domini, parare vias eius. Quisquis etenim prædicando à sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti sapientiæ viam præparat. Greg. 19. Mora. ca. 3. Psal. 67.

Dominus non terrenam semitam tenet, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus asperum, crudelitate durum, conuersatione pollutum: iubemur id mundare, coæquare, & componere: vt superueniens dominus non offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate purã, proclium fide, & eleemosynis eminentem. Sed videamus ipse Ioannes qui parare viam domino iubet, quã ipse viam parauerit Saluatori. Per omnia planè adueniente Christo tramitem viæ suæ composuit, & direxit. Nam fuit ieiunus, humilis, parcus, & virgo. Quas eius virtutes Euangelista describens, ait: Ipse autem Ioannes vestitum habebat de pilis camelorũ, & zona pellicea erat circa lumbos eius, esca autẽ locustæ, & mel syluestre. Ambro. de S. Io. Bap. sermo 65. colũ. 760

Omnipotens pater innotescere nobis volens sapientiam, & verbum illud quod in principio erat apud Deum, beatum Ioannem quasi vocem, per quam ad nos verbum suum deferret assumpsit.

Animas credentium præparabat, in quibus ambulaturus erat dominus, vt purus in viis puris ambularet, dicens, habitabo in eis, & ambulabo, Deus ipsorum ero, & ipsi erunt mihi populus.

Tanquam ignaros scripturarum arguit, autoritate prophetica ministerium sibi cõmissum exponens: Venio inquit dicturus, in ianuis ipsum iam esse, qui expectatur, vt parati sitis proficisci quocumque iubebit: ambulastis hactenus in via Moysi, modo Christi viam suscipite, quam prophetæ omnes vobis prædixerunt.

Quod autem dicit, clamantis, potest intelligi dupliciter, vt scilicet sit vel Ioannis in deserto clamantis & prædicantis, vel Christi clamantis in ipso, secundum illud, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Via autem ad recipiendum Deum parata & recta est via iustitiæ, secundum illud Esa. semita iusti recta est. Tunc enim semita est recta, quando homo totus subiicitur Deo, vt scilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam, Deo subdantur. Et hoc sicut dicit Esa. propheta, ideſt sicut prædixit, quasi dicat, Ego sum ille, in quo ista complentur.

Ioannes est forma pœnitentibus, quibus desertus locus est congruus, vbi non molestat hominum intuitus, vbi est pœnitens non mollibus vestitus, vbi cibus est parcus. In deserto inquam est Ioannes, vbi apparet dominus, Osee 2. ducã eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Et Psal. 62. in terra deserta, inuia, & inaquosa, &c. Exodi etiam 3. Moysi existenti in deserto apparuit dominus. Parate ergo viam domino bene viuendo, praua corrigendo, & verbum Dei libenter audiendo. Hugo Car. sup. Mat. 3.

In deserto clamat, non in palatio: *hic enim non clamat Christus*: imò legitur Hieremię 36. quod cum volumen Hieremiæ allatum esset regi in palatio, scidit illud, ac proiecit in ignem. Hu. Car. sup. Lu. 3. Hiere. 36

Domino viam præparare est pœnitentiam agere. Et quẽadmodum cum terrenus rex vrbem aliquam ingress

ingressurus est, habet præcursores, qui viarum sordes amoueant, vias complanent, & hospitium ornẽt: sic Christus rex cælestis ad hominum corda venturus, præmisit Ioannem, qui sibi viam præpararet ad inducendos homines ad virtutes.

Dionys. Carthu. super Mar. 1.

Quæstio oritur, Quomodo Marcus dicat hoc testimonium in Esaia descriptum, cum prima pars eius scripta sit in Malachia, & altera in Esaia. Ad hoc doctores catholici diuersimodè respondent. Hierony. enim putat nomen Esaiæ scriptorum vitio additum. Quidam dicunt etiam quod Marcus breuitati studens nomen Malachiæ omisit, eo quod vltima pars huius prophetiæ habeatur in Esaia, & quoniam Esaias principalior fuit: res autem à fine & à principaliori nomen sortitur. Sed verè & indubitanter dici potest quòd tota iam allegata autoritas in Esaia habetur quantum ad sensum, licet quo ad tenorem verborum prima pars eius in solo Malachia contineatur. Vnde Marcus in lege & prophetis eruditus, nomen & verba Esaiæ commemorans, verba Malachiæ interserit, tanquam declarativa verborum Esaiæ.

Rhodulphus Arientius in Dom. 4. Aduẽt.

Responsio Ioannis magnum dat nobis humilitatis documentum. Sciunt quippe sancti quòd ædificatio virtutum sine humilitate ruina est: & sicut superbia est ruina omnium virtutum, ita & humilitas est earum fundamentum. Superbia primum angelũ, & primum hominem, ab alto præcipitauit in imum: humilitas verò infirmos reuocat ad cælum.

Vocem clamantem se dicit Ioannes, ad confusionem illorum qui cum pastores & Episcopos se iactent, nil tamen aliud interim quam otium quærunt. Canes muti sunt, non valentes latrare: cum tamen eorum officium potissimum sit Euangelium annuntiare. Tale etiam erat officium Ioannis, quale in Genesi legitur, quòd cum Ioseph à Pharaone exaltatus circumduceretur, præco clamabat vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum scirent vniuersæ terræ Ægypti.

Gutierr. Treius sup. Euã. lib. 2. c. 1. Psal. 57.

Videtis desertum, auditis clamantem: cauete ne imitemini aspides surdas obturando aures, ne audiatis voces. Misceo quidem amara iucundis: illa, quia dico progenies viperarum: hæc autem, quòd appropinquabit regnum cælorum. Parate ergo viam domino, qui propediem venturus est.

Druthmarius Grãmaticus sup Mat. 3.

Tunc viæ prauæ à prædicatoribus rectæ fiunt, cum per prædicationem Euangelij, hi qui ante fuerant superbi, humiles efficiuntur, qui luxuriosi, casti, &c.

Super illa verba, parate viã domini, vide D. Tho. 2.2.q.81.art.8.in corpore. & 3.p.q.62. ar.6. ad 2. & 1. sent. dist. 15. q. 1. ar. 1. quæstiun. 1. ad. 1.

In eadem verba differere poteris quanta cura, deuotione, attentione, ac reuerentia, sit auscultãdus sermo diuinus: idcircoque inspicies sequentia.

Quanta sit cura ad audiendum verbum Dei, vide D. Grego. 18. Mora. cap. 7.

Quod non est curiositatis gratia audiendum, vide D. August. lib. 6. confess. cap. 13. to. 1.

Quantum intersit audire Dei verbum, vide eundem vbi supra cap. 14.

Audientes concionatorem libenter auscultent, & cum proficiendi desiderio, vide D. Chrysost. super Genesim ho. 2. to. 1.

Quales esse debeant audientes, vide eundem super Gene. ho. 4. to. 1.

Quomodo proficere debent auditores, vide eundem vbi supra ho. 15.

Qua ratione sese debeant præparare auditores, vide D. Chrysost. vbi supra ho. 45.

Audire debent cum desiderio proficiendi, vide Senecam li. 11. epist. ad Luci. epist. 81.

Curent proficere audientes, Seneca lib. 19. epistо. 109. epist.

Pessimi audientes qui veritatem audire nolunt, Esa. 30. B.C. Qui dicunt videntibus nolite videre. Item loquimini nobis placentia.

Audientes mali. Hiere. 18. C. venite, & cogitemus contra Hiere.

Auditores qui nolunt proficere, Ezechie. 33. G. Et veniunt ad te.

Audientes quales esse debeant, Acto. 2. f. Quid faciemus viri fratres?.

Auditores debent concionatorẽ diligere, ad Gal. 4. C. si fieri posset, oculos vestros eruisseris.

Auditoribus pigris ac secordibus quid dicẽdum, ab Heb. 5. C. cum deberetis magistri esse.

Pessimi auditores qua ratione tractandi, Mat. 10. B. exuntes foras.

F. Ludo. Granatẽ.

Clamantis in deserto. Anima quæ Deo vacua, & à dæmone obsessa & occupata est, desertum & solitudo quædam est. In deserto autem non modo rerum omnium ad vitæ vsum pertinentium inopia est, sed magna etiam earum rerũ copia quæ nocere possunt, hoc est ferarum, reptilium, &c. Esaiæ 34. & orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ. Miserandum verò spectaculum est, si quis ciuitatem videat à truculentissimis hostibus obsessam, nullóque aut murorum, aut militum præsidio cinctam: talis est planè anima illa misera. Nil enim deformius anima quam Deus deserit, vt nil contrà speciosius ea, in qua spiritus sanctus cõmoratur. Meritò ergo nos ad Deum intra cordis nostri penetralia recipiendum inuitat, cum ait, parate viam domini. Et certe sicut speculum puluere obsitum atque respersum, non reddit imaginem intuentis: ita anima nostra vitiorum puluere fœdata, puram conditoris sui imaginem minimè refert.

Orig. super ca. 1. Ioã. to. 6.

Vocis autem clamantis in solitudine necessitas est, vt animus qui & Deo caret, & desertus est à veritate, redeat in viam. Quæ enim solitudo alia grauior, & acerbior est, anima quæ à Deo deserta est, & veritate? quia deprauetè ambulat, egens doctrina ad dirigẽdam domini viam. Quam viam dirigit quidem is, qui nequaquã viæ serpentis deprauationem imitatur.

Ego vox clamantis. Id est ego vox clamans, sicut terra promissionis, terra promissa, virga æquitatis, virga æqua, vas electionis, vas electum. Ioannes erat vox, quia quidquid erat in Ioanne vox erat: vestis, manus, pedes, caput, lingua. Totus denique erat vox clamans, & dicens, pœnitentiam agite. Eius cibus, potus, lectus, cilicium, inedia, & denique facies, prædicabant. Et etiamsi os non loqueretur, quidquid in ipso erat prædicabat contemptum mundi, pœnitentiam, & amorem diuinum. Non illi dici poterat Medice cura teipsum. Bene quidem carnis blandimenta & indulgentiam nimiam taxare poterat, siquidem melle syluestri se ipse alebat, & camelorum pellibus, induebatur. Bene auaritiam execrari poterat, & reprehendere: quãdoquidem à puero diuitias contempsit. Bene omnia quidem vitia taxare poterat, cum exemplar totius virtutis & sanctitatis esset. Mirabilis certe concionator, qui quasi alter Orpheus durissima saxa, id est durissima corda, ex antiqua peccandi consuetudine, diuinis verbis emolliebat, ita vt publicani, & milites ad eum venirent, toto corde pœnitentiam acturi.

Clamantis in deserto. Contingit sæpè vt in aliqua domo multi sint saltantes, canentes, & gaudentes, dum tamen aliquis tunc temporis ostium pulset, & non exaudiatur, propter magnum tumultum siue strepitum eorum qui intra domum sunt. Ita intra ipsam

ipsam peccatoris animam sunt multi tumultus, & inordinati appetitus, vt diuitiarum, & vindictæ inimicorum, sunt denique voluptates & blãdimenta carnis. Et hinc fit quòd cum plena sit anima inordinatorum appetituum, quando Deus vocat non exaudiatur. Quod autem animæ desideria voces dici possint, ex eo constat, quod cum orans esset Moses, nec tamen aperiret os, nec labia, dixit ei Dominus: Quid clamas ad me? Dauid etiam dicebat, desideriũ pauperum exaudiuit dominus. Conturbant quidem animam desideria carnis & sanguinis, cumque magnus sit strepitus, etiam si dominus ostium pulset, non exaudiatur. Et certè quamuis dederis tuis inordinatis desideriis quod petunt, nunquam tamen voces cessant emittere. Auari namque, cupidi, & mundani etiamsi consequantur omnia illa quæ cor suum desiderat: semper amplius petũt. Remedium autem vt Deum clamantem possis audire, est facere vt taceant omnes illi qui intus clamitant. Nunquam tuis appetitibus quod volunt cõcedas, quia neuticam tacebunt, linguam potius tuorum desideriorum scinde, breuitatem vitæ considerans. Audi tandem Dominum, dicentem: Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cũ illo. In hoc quidem apparet quàm inurbanus cum Deo ipso peccator sit. Nam cum sit ad ostium pulsans, expectare illum semper facit, & non vult aperire.

Parate viam Domini. Alia est enim via Domini, & alia via nostra: via nostra vitia & peccata sunt, via autem Domini virtus. Vnde apud Esaiam Dominus dicit: Non sunt viæ meæ viæ vestræ, & c.

Rectas facite semitas eius. Viæ domini sunt præcepta, & semitæ eius consilia: rectum iter ille facit, qui sicut natus est, & moriturus est, ita viuit. In laboribus natus es, plorans, pauper, nudus, & humilis, & morieris mille doloribus, angustiis, & calamitatibus circundatus. Opus ergo est, si rectum iter facere volueris, in lachrymis viuas, orationibus, & gemitibus, humilis, & pacificus. Sed cum natus fuisti parum te cunabulum capiebat, in morte etiam constituetur parua sepultura continebere. Modo verò vix magnæ & superbæ domus possunt te capere: imo forte eo peruenies infaniæ, vt tibi etiam mũdus paruus videatur. Quare tibi caueto, & consulito.

Super illa verba, Ego vox clamantis in deserto, designatur humilitas magna Ioannis, & quantum abominaretur arrogãtiam atque superbiam: ad quod consules sequentia.

Arrogantia detestabilis, Esaiæ 3. C. pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion.

Præsumptio & arrogantia, Esaiæ 5. E. væ qui sapientes estis in oculis vestris.

Arrogantes in quem deueniãt exitium, Esaiæ 47. per totum.

Humana præsumptio quàm exiguum habeat fundamentum, Hiere. 18. A.B. Descende in domum figuli.

Qua ratione deturbat Deus arrogantiam, Ezech. 27. A. ô Tyre! tu dixisti.

Quo pacto elatos deiiciat Deus, Ezechielis 29. A. B. pone faciem tuam contra Pharaonem.

Arrogantiam atque superbiam quo pacto deprimit Deus, Ezech. 31. per totum.

Ingenium arrogantiũ, Iob. 15. B. Quid nosti quod ignoremus?

Quàm detestabilis sit arrogantia, Iob 31. C. & osculatus sum manum meam.

Quo detrudatur siue deueniat elatio. Genes. 11. A. venite, faciamus lateres.

Non est cur arrogantiam habeamus, Deute. 7. B. Non quia cunctas gentes.

Detestanda est arrogantia. Deut. 9. A. Ne dicas in corde tuo.

Inuenies arrogantiam mirè reprehẽsam à D. Hie. in prologo super epist. ad Roma.

Absque causa arrogantiam habemus Apocal. 2. B. memor esto vnde excideris.

Non est cur nobis arrogemus quidquam, ad Eph. 2. A.B.C. Cum essetis mortui.

Magna dementia est iactantia de generis nobilitate, & aliis huiusmodi, 1. Petri 2. B. vos autem genus electum.

Ego vox clamantis. Est sensus, ego sum is quẽ Esaias propheta in spiritu vidit, cum dixit vocem se audire clamantis in deserto, parate viam domini.

Greg. super Euãge. ho. 7.

Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis. Quia non studio cognoscendæ veritatis, sed malitia excercẽdæ æmulationis, accedebant: ideò Euangelista nõ tacuit eos, dicens: Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis. Acsi apertè dicat, illi Ioannem de suis actibus requirũt, qui doctrinã nesciunt quærere, sed inuidere.

Hic significatur ingens horum obstinatio: quasi dicat: Quotquot audierunt hactenus Ioannem clamantem, ad pœnitentiam moti sunt, etiam Publicani, & milites, indeuotum alioqui hominum genus: hi autem cũ essent ex Pharisæis, hoc est sanctissima Iudæorum secta, Ioannémque audissent clamãtem, nil tamẽ moti sunt. Sic certè nullum est hominum genus quod minus moueatur verbo Dei, quàm hi qui in sua confidunt iustitia. Quidquid enim audiunt de pœnitentia, non putant ad se pertinere, sunt scilicet ex numero nonaginta nouem iustorum, qui non egent pœnitentia. Hinc est quod Christus eandem obstinationem eis sæpe obiicit, dicẽs: Si in Tyro factæ fuissent virtutes quæ in vobis factæ sunt, pœnitentiam vtique egissent. Item publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Nemo equidem tam doctus est, qui non longè plura ignoret. Imò nemo minus verum scripturæ sensum capit, quàm qui superbè scripturarum notitiam sibi arrogat. Quem enim docebit scientiam, ait propheta? Et statim respondet, ablactatos à lacte, aulsos ab vberibus.

Chrysost. super Ioannem. hom. 15. to. 3.

Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non est Christus, neque Elias, neque propheta? Viden iam quòd nõ temerè dixerim, quòd ad hoc eum adducere volebant? Non tamen hinc orsi sunt, ne quo animo dicerent deprehenderentur. Et cum se Christum negasset, iterum malitia sua dissimulata ad Eliam veniunt, & ad prophetam præterea. Quod cum se neutrum esse profiteretur, simulatione omni abiecta, apertè mentem fraudulentam his verbis detegunt. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? deinde vt animum celarent, addiderunt, neque Elias, neque propheta? Et cum adulationibus eum allicere non potuissent, calumnia cogendũ arbitrati sunt, vt quod non esset se esse confiteretur.

S. Tho. sup. Ioã. 1. lect. 12.

Pharisæi mouebantur contra Ioannem, quòd sibi baptizandi officium præter ordinem legis & traditionem eorum assumpsisse videretur. De tribus autẽ significari videtur in veteri Testamento, quod eis competeret baptizare, &c.

D. Tho. vbi supr. lect. 13.

Non quærunt vt sciant, sed vt impediant. Quia enim videbant populi multitudinem ad Ioannẽ currere propter nouum ritum baptizãdi, & extraneum à ritu Pharisæorum, & legis, inuidebant Ioanni, & conabantur pro posse impedire eius baptismum, & ideo se continere non valentes, nec suam inuidiam, dicunt, Quid ergo baptizas? quasi dicant: non debes baptizare ex quo negas te esse aliquem illorum trium, in quibus præfiguratus est baptismus. Hoc est, si tu non est Christus, qui habiturus est sontem in

ablutionem peccati, & si non es Elias, vel propheta, vt Eliseus, qui sine vestigio lordanem transierunt, quomodo audes baptizare?

Addidit Euangelista, Et interrogauerunt eum, vt intelligeremus quod non ex commissione mittentium, sed ex proprio sensu subiunctam interrogationem fecerunt. Commissum erat eis vt interrogarent eum, Tu quis es? & non vt arguerent eum de Baptismo. Vide igitur arrogantiam, vel inueteratam malitiam horum, quòd arguant Ioannem, inferendo eũ non debere baptizare, ex quo nõ est Christus, nec Elias, nec propheta. Tantum propriæ tribuunt sententiæ & autoritati, vt decernant nemini licere baptizare, nisi alicui istorum trium: nec solum id decernunt, sed reprehendunt etiam Ioannem.

Postquam per adulationem non potuerunt eum ad suas partes trahere, atrocioribus & minacibus verbis terrent vt tandem diceret quod volebant, hoc est confiteretur se esse Christum.

Glos. Lyrana super Ioan. *Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, &c.* Ego baptizo in aqua, corpora tantum lauando, ad significandum illius Baptismum, qui lauat animas in Spiritu sancto. Medius autem vestrum stetit, id est communiter viuens inter homines.

Non in spiritu, sed in aqua baptizat, quia peccata soluere non valebat. Corpora per aquam lauat, sed tamen mentem per veniam non sanat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptisma non relaxat? vt scilicet præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum etiam baptizando præueniat.

D. Tho. su. Ioan. 1. lect. 13. Quasi dicat, non debetis mirari si ego qui nõ sum Christus, nec Elias, nec propheta, baptizo: quia Baptismus meus non est completiuus, sed imperfectus. Nam ad perfectionẽ Baptismi exigitur lotio corporis & animæ: & corpus quidem secundum naturam lauatur aqua, anima verò non nisi spiritu. Vnde ego baptizo in aqua, id est corpore lauo corpus: veniet autem alius qui perfectè baptizabit, scilicet in aqua, & spiritu sancto, Deus & homo, qui & corpus aqua, & spiritum spiritu lauabit.

Ego baptizo in aqua. Baptizati baptismate Ioannis indigebãt postea baptizari baptismo Christi, D. Augustin. tractat. 5. super Ioannem, & tractatu 80. to. 9. super quo non potest ergo teneri Magister in 4. senten. dist. 2.

Si quis dixerit Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit. Conc. Triden. sess. 7. de Baptismo cap. 1. vide etiam de Consecra. distin. 4. cap. ad aliud.

Vide insuper D. Thomam 3. part. q. 38. art. 3. ad 1. & q. 66. arti. 3. ad 1.

Greg. super Euã. ho. 7. & Beda super Io. 3. *Ipse est qui post me venturus est, ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Mos apud veteres fuit, vt si quis eam quæ sibi competeret accipere vxorem nollet, ille ei calceamẽtum solueret, qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctę Ecclesiæ sponsus apparuit? de quo & idem Ioannes dicit: Qui habet sponsam sponsus est. Sed quia Ioannem homines Christum esse putauerunt, quod tamen Ioannes negat, rectè se indigum esse ad soluendam corrigiam eius calceamenti denuntiat. Acsi apertè dicat, ego redemptoris nostri calceamenta denudare non valeo, quia spõsi nomen mihi immeritò non vsurpo. Qua in re pensandum nobis est fratres charissimi, & tota intentione agitandum, quomodo sancti vt humilitatis in se virtutem custodiãt, licet aliqua sciant, illa tamen in mentem redigant quæ nesciunt: vt dum ex parte alia infirmitatem suã considerant, ex ea parte qua perfecti sunt eorum se animus non extollat. Scientia quidem virtus est, & humilitas virtus, ac custos virtutum. Restat ergo vt in eo quod scit mens sese deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis spargat. Cùm bona fratres agitis, semper ad memoriam male acta reuocate, vt dum caute culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur. Magnus ergo vnusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat: ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat intus quod erat. Hinc enim per prophetam dicitur, væ qui sapientes estis in oculis vestris. Et Paulus ait, nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Item contra superbientem Saül dicitur, nonne cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Istaël factus es? &c. Contra certè Dauid, qui regni sui, & suam potentiam, coram arca saltando despexit, dicens: Ludam, & vilior fiam plusquã factus sum, & ero humilis in oculis meis. Quem enim alium non extolleret, ora leonum frangere, vrsos ipsos dissipare, despectis prioribus fratribus Regem creari, reprobato rege ad regni tabernacula vngi, & timendum cunctis gigantem vno lapide deiicere, atque alia id genus? Dauid tamen seipsum humiliauit, ac despexit. Si ergo sancti viri quamuis fortia præstent, vilia de semetipsis sentiunt: qua tãdem digni iudicabuntur reprehensione illi, qui sine vlla virtutis operatione intumescunt? In cunctis ergo fratres humilitatem, boni operis radicem, tenete: neque quibus superiores, sed quibus inferiores estis adhuc, aspicite, vt dum meliora quæritis, ad maiora ascendere ex humilitate valeatis.

Quod si Ioannes indignus qui corrigiam solueret, Ioannes inquam, quo maior inter natos mulierum non surrexit: quo tandem loco nos numerabimur?

Chryso. sup. Mat. ho. 3. to. 2 & ad pu. hom. 38. to. 5. Cauеamus de nobis ipsis dicere gloriosa: hoc enim nos & hominibus inuisos, & Deo abominabiles facit, Et idcirco quanto maiora fecerimus bona, tanto de nobis minus dicamus: hoc enim modo maximam & coram Deo, & coram hominibus, gloriam consequemur. Minimum de se sentire tam magnum quidem est, quàm maximas res fecisse: quod si non adsit, nec res illæ poterunt esse laudabiles. Itaque si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim magna esse non poterũt. Vnde Centurio dixit: Non sum dignus vt intres sub tectum meum, & propterea factus est omnibus admirabilis. Sic Paulus dixit, non sum dignus vocari Apostolus, & factus fuit tam magnus Apostolus. Sic Ioannes, non sum dignus soluere corrigiam calceamẽti, & amicus factus est sponsi, atque qui manum calceamentis indignam esse dixit, eandem manum caput Christi subleuatam habuit. Item Petrus qui dixit, Exi à me domine, quia homo peccator sum factus est Ecclesiæ princeps.

Augu. de sanctis, serm. 20. to. 10. Præmittitur ante Christum Ioannes, quasi testamentũ vetus ante nouum, quasi lucerna ante solem, seruus ante dominum, amicus ante sponsum, præco ante iudicem, vox ante verbum.

Cyrill. li. 1. super Ioan. ca. 26. Tantum me superat, vt dignus ipse non sim quasi seruus ad filium domini comparari. hoc enim vt arbitror significat, non esse dignum qui corrigiam calcalceamenti eius soluat. Atque ita & veritatem dicit, & suo exemplo Pharisæos ab arrogantia in humilitatem traducere conatur.

Bernard. De verbis Esa. sermo. 3. Acsi manifestè Lucifer dicere videatur, Quid admiramini intuentes splendorem meum? nõ sum ego sol, longè enim alium videbitis eum, in cuius comparatione tenebræ sum, & non lux. Ego tanquam sidus antelucanum matutino vos rore perfundo: ille verò emittet in feruore radios suos. Soluet glacies, paludes siccabit, algentes calefaciet, pauperibus erit pro vestimento.

D. Tho. su. Ioan. lect. 13. Quasi dicat: dignus non sum præstare illi hoc minimum obsequium, quod est soluere corrigiam calceamenti. Vnde patet quod Ioannes multum accesserat ad Dei cogitationem, in quantum ex cognitione infinitæ magnitudinis se totaliter vilipẽdebat, & nil se esse dicebat. Sicut Abraham dixit, loquar ad dominum meum cum sim puluis, &c. Item Iob 42. nũc oculus meus videt te: idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Esaias etiam postquam consideranit Deum, ait: omnes gentes quasi non sint.

Erubescat tandem præsumptio & superbia nostra: Ioannes enim quo inter natos mulierum nõ surrexit maior, dicit se indignum calceamento soluendo, & tu dicis te dignum sacerdotio, & dignum pontificatu? Tu inquam carbo fumigans, dignum te dicis qui corpus Christi tractes?

Theoph. sup. Mar. 1. & sup. Ioan. 1. Qui baptizabantur à Ioanne, soluebãtur per pœnitentiam à vinculo peccatorum suorum credendo in Christum. Omnes igitur habebant corrigias peccatorum ad soluendum, sed in Christo non fuit inuenta aliqua peccati corrigia, & ideò dixit, non sum dignus, &c.

Corrigia calceamenti est vnio naturarum: soluere ergo corrigiam calceamenti est explicare mysterium vnionis, ad quod indignum se Ioannes dicit, quia Esa. 53. dicitur, Generationem eius quis enarrabit?

Circa illud, non sum dignus soluere, &c. vide D. Augustin. oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, cap. 14. to. 6.

Nicolaus Lyranus explicans hoc Euãgelium, circa illa verba, cuius nõ sum dignus, &c. affirmat Christum nudis pedibus ambulasse. Sed tamen communis opinio contraria est; & D. Augustin. oppositum tenet sermo. 42. de sanctis to. 10. Ad illud autem quod Lyra pro sua opinione producit, nempe dominum discipulis suis imperasse ne calceamenta portarent, & illud ipsum à Christo fuisse seruatum: respondeo, similiter Christum dominum præcepisse discipulis ne per viam aliquem salutarent, neque pecuniam secum adportarent, neque peram: quæ omnia non debent ita accipi, vt à Lyra explicantur, id enim maximum esse videretur absurdum. Quocirca consules Augustin. loco citato, & D. Hieronymum. lib. 1. super Amos cap. 2. to. 6. & D. Ambr. lib. 7. super Luc. explicantem cap. 10, Tum Diony. Carthusianum super Lucam, capit. 10: artic. 26. Item venerabilem Bedam lib. 3. super Lucam, cap. 42. explicantem cap. 10. Certè verba in scriptura non intelligenda sunt semper vt superficies sonat. Nam & in Prouerb. dicitur, spinæ nascuntur in manu ebrioſi: significatur enim quod homo iracundus iurgia & contentiones seminat, leges etiam de hac re Orige. hom. 2. in Gen. & lib. 4. Periar. ca. 2. & Augustin. lib. 3. de doctri. Christia. cap. 11. & in Psal. 103. circa finem.

Super illud, non sum dignus, &c. agere poteris de humilitate: ad quod intuere sequentia.

Augustin. ait, iureiurandum quod Iosue & Israelitici populi fecere, parcentes Gabaonitis, Deo placitum fuisse, quoniam ipsi sese humiliauerunt ac submiserũt, lib. Quæstionum super Iosue q. 14. to. 4.

Magna ad humilitatem pertinentia, vide apud D. Augustin. de tempore, sermo. 213. to. 10.

Consule Cyprianum epist. 111. de duodecim abusionibus seculi, abusione 8.

Vide insuper D. Basilium in suis Moralitatibus, Moral. 50. & 122.

Quod humilitas virtutum omnium sit custos, cõsule D. Hierony. epist. ad Celantiam matronam de ratione piè viuendi, fere in medio eius, to. 1.

Quantumcunque vir Christianus sese humiliet atque deiiciat, nunquam pertinget ad humilitatem Christi, vide D. Hiero. epist. ad Pammiachium super obitum Paulinæ vxoris, to. 1.

Quod quanto quis pluribus naturæ dotibus fulget, atque diuinis donis magis illustratur, tanto sese plus humiliare debeat, imitatus humilitatem & patiẽtiam Christi, lege D. Hiero. ad Domnionem Apologetico tomo. 2.

Inuenies magnum quoddam humilitatis exemplum in quadam epist. missa à D. Augustin. ad D. Hiero. tomo. 2. D. Hierony.

Reperies quoque aliud humilitatis exemplum Hieronymi in epist. ad Theodosium to. 1.

Quod nos Deo humiliare debeamus, ac superbiã nostram reprimere sub omnipotenti manu Dei, vide Grego. 1. Mora. cap. 28.

Extat insuper excellens quoddam humilitatis exemplum apud D. Greg. lib. 1. Dialogorum cap. 2.

Quod Deus exaltet humiles, vide eundem lib. 6. Moralium cap. 8.

Quemadmodum planta altis defixa radicibus cõseruatur, sic homo profunda humilitate fundatus, vide eundem 8. Moralium cap. 34.

Si angeli se humiliant, cur homines id nõ facient? vide eundem 9. Moral. cap. 14.

Quanto quis plurimis abundat operibus bonis, tanto esse debet humilior, inspice eundem 11. Mora. cap. 16.

Si cognoueris malum quod in te est esse tuum, bonum autem ex Deo, teipsum facile humiliabis, vide eundem homi. 9. super Ezechie.

Quid faciendum vt quis fiat humilis, & quod frustrà laboret qui alias omnes virtutes accumulare absque humilitate contendit, vide D. Grego. ho. 7. super Euange.

Quo pacto conseruabitur humilitas, & alia multa huic instituto consona, vide apud D. Gregor. 21. Moral. cap. 9. & 10.

Reuocans homo in memoriã quidnã sit, humiliabitur, vide D. Chrysost. super Gene. ho. 12. to. 1.

Cognitione propria sui conseruatur humilitas, Chrysost. de verbis Dauid, quis sum ego quòd talem gratiam, &c. to. 1.

Attende rem exquisitam, & valde mirabilem, nempe, quod humilitate quidam Episcopus Imperatoris potentissimi furorem, qui Antiochiam vastare volebat, omnino superarit, apud eũdem ad pop. hom. 20. to. 5.

Medium maximè seruandum vt quis præcelsus fiat, ac felix, est humilitas, consule D. Chryso. ad popul. ho. 38. in fine to. 5.

Aduerte quod qui se miserum arbitratur, & iudicat, est Dei amicus, Esa. 42. C. Quis cæcus nisi seruus meus?

Deus humilitatem diligit, Esa. 57. C. Quia hæc dicit excelsus.

Vide vt Deus euehat humiliantes se, Hiere. 1. B. Ah, ah, ah, domine Deus, nescio loqui. Noli dicere, &c.

Humiles exaltat Deus, Ezechie. 17. G. & scient omnia ligna regionis.

Quantum valeat humilitas, Iob 11. D. cùm te cõsumptum puraueris, orieris vt lucifer.

Qua ratione humilitas acquiratur, Iob. 31. B. nunquid non in vtero fecit me, qui & illum, &c.

Humiles consequuntur honorem, Prouerb. 25. A. melius est enim vt dicatur tibi ascende huc.

Humiles de ſe humilia & abiecta cogitant. Exod. 3.C.Quis ſum ego vt vadam.

Humilitas quantum præponderet,Iudic.6. C. familia mea infima eſt.

Humilitas multa impetrat,& magna,1. Reg.9.D. Nunquid non filius Gemini ego ſum?

Quot,quantáque obtineant qui ſeſe humiliant,4. Reg.1.C.homo Dei noli deſpicere.

Humilitas conſeruatur anteactæ vitæ delictis in mentem reuocatis, 1. ad Timo. 1. Qui prius blaſphemus fui.

Conſeruatur humilitas conſiderata noſtra miſeria,1.Petri 2.B.Qui aliquando non populus Dei.

Cõmendat Chriſtus dominus humilitatem,Mat. 20.D. non ita erit inter vos.

Quot quantáque obtineantur per humilitatem, Luc.3.A.omnis vallis implebitur.

Magna denique Ioannis Baptiſtæ humilitas,Ioan. 3.D.illum oportet creſcere.

*Non ſum dignus.*Huius exemplo diſcant ſacerdotes, cum ad tremenda altaris myſteria accedunt, quo timore & reuerentia illuc adire debeant: quando is qui ab vtero matris ſpiritu ſancto plenus erat, indignum ſe eſſe fatetur qui ad pedes domini procumbens corrigiam ſoluat calceamentorum eius. Peccator quidem facilè ſuam humilitatem agnoſcere debet, qui tam abiectus eſt: cum hi qui innocenti & immaculata vita vixerunt, vt Ioannes, & alij ſancti, tantam humilitatem habeant ex conſideratione diuinæ potentiæ.Nam quæcunque habent & poſſidẽt, omnia agnoſcunt à Deo ſibi tradita eſſe, nilque boni ſuis viribus comparaſſe.

Vidua illa iuſſu Eliſei non fundebat oleum niſi in vacuis vaſis:ſi vis ergo vt Deus infundat tibi gratiã, neceſſum eſt humile cor, & ab omni ſuperbia longe ſummotum & vacuum, ei oſtendas. Somnia etiam Pharaonis nõ reuelauit Deus ſapientibus Ægyptiorum, ſed humili Ioſepho.Quin legimus etiam Didimum quendam Philoſophum hæc verba Alexandro Magno dixiſſe:Paratus quidem eſt Deus ad dandam tibi ſapientiam,ſed non habes vbi eam recipias,quia ſuperbus es.Oculi etiam nimium eminentes imbeciſſem habent virtutem ad videndũ:oculi verò ſummiſſi melius,& magis vident: ſic humiles melius diuina myſteria percipiunt,

*Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem,vbi erat Ioannes baptizans.*Duæ ſunt Bethaniæ, vna trans Iordanem,altera citra, non longè à Hieruſalem,vbi Lazarus ſuſcitatus eſt.

Dicitur quod hæc in Bethania facta ſunt,vt oſtendatur magni præconis libertas,qui nõ in domo, nec in angulo, ſed circa Iordanem in media multitudine hæc de Chriſto prædicauerit.

Super Euangelium huius diei & epiſt.duas habet conciones D.Antoni.initio primæ part.Theolog.

Tres conciones D.Thomas habet in hanc Dominicam,duas ſuper epiſt.& aliam ſuper Euangelium, inueniuntur autem circa finem to.16.

Vide etiam ſuper Euangelium Ioannem Gerſo.4. part.fol.63.

Conſule Euthymium ſuper Ioan.cap.1.

Cur Ioannes exiſtens in mundo non fecerit miracula,vide D.Chryſoſ.ſuper Matth.hom.14.to.2.

Vide etiam eundem in Marcum homi.2.prope finem to.2.

Conſule Origenem in Lucam ho.11.to.2.

Dominica quarta in Aduentu Domini, ſecundum vſum Romanum.

ANNO quintodecimo Imperij Tyberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudææ, &c. Luc.3. vide etiam Matthei 3. Marci 1.Ioannis 3. Familiaris rerum geſtarũ ſcriptoribus conſuetudo eſt, cum rem aliquam inſignem narrare volunt, tempus quo ea res contigit, diligenter adnotare, & regis nomen ſub cuius imperio ea res geſta ſit, & annum & menſem, interdum etiam diem & horam commemorare. Sic in huius Euangelicæ lectionis exordio diligentiſſimè ſanctus Lucas tempus deſcripſit quo præcurſor cœpit Chriſtum annuntiare.Magnam huius rei cognitionem ex diuiſione Iudaici regni, quam Ioſephus lib.antiquitatum deſcribit, petere etiam potes.

Quia illum prædicare veniebat,qui tum ex Iudea, tum ex gentibus multos electurus erat, per regem gentilium, & principes Iudæorum, prædicationis tempora deſignantur.

Quis fuerit Lyſanias iſte de quo Euangeliſta meminit, non ſatis inter veteres ſcriptores conſtat. Nicephorus namque, Theophylactus, & Beda, hunc Herodis eſſe filium arbitrantur. Quod tamen non vſque adeò veriſimile eſt, quandoquidem Ægeſſippus vicinus Apoſtolorum temporibus, & Ioſepus, qui diligenter regni diuiſionem,& nomina filiorum Herodis retulit, nullam huius Lyſaniæ mentionem facit. Vnde videtur Tyberium Cæſarem hanc regni partem, quæ matri per mortem Salome teſtamento obuenerat, huic Lyſaniæ matris nomine gubernandam commiſiſſe.

*Imperij Tyberij Cæſaris.*Gloriantur complures de maiorum ſuorũ ſplẽdore, quaſi ſibi aureum quoddã caput affingẽtes, iactãt diuitias & fortunas ſuas, aliáque caduca & fluxa ſeculi bona. Quæ certè gloria fortunæ vnico iactu mirum eſt quam citò aboleatur. Qua de cauſa quo ſecuriores in his videmur,cautius agere debemus,ne his tentationibus ſuccumbamus, à quibus grauiſſima nobis imminent pericula, ſed ſemper ſimus parati,& in timore: iuxta illud ſapientis,beatus homo qui ſemper eſt pauidus.

Sub principibus ſacerdotum Anna,& Caipha. Satis aperte conſtat quanto rectius hoc temporte gentilitas gubernabatur, quàm ſynagoga: quando gentilis populus cum adeò copioſus exiſteret,ab vno tãtum capite regebatur, nempe ab vno Imperatore, populus autem Hebræus anguſtus & paruus, multa capita & moderatores habebat, vt patet ex ipſo contextu.Quod certè erat indicium perditionis illius atq; ruinæ: cum ruinæ ſubiecta ſit omnis Reſpub. à variis capitibus gubernata, ſecundum illud Lucæ 11. omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.Lege homi. 20.Grego.ſuper Euang.

Reſpub. variis capitibus conſtans rectè gubernari non poteſt, neque gubernatores ipſi diutius conſeruari poſſunt. Vnde triginta Senatores qui tyrannicè occupauere Rempub.Athenienſem, ita perperam eam moderabantur,vt breui fere tota fuerit proſtrata:& ipſi gubernatores intra breue tempus fuerint per Thraſybulum impugnati, & omnino deuicti, atque ſuis honoribus ſpoliati, vt refert Iuſtinus lib.5.ſuæ hiſto.

Epaminundas quamuis fortiſſimus, & literis adeò exornatus, vt omnes ſui temporis doctos propè excelleret, erat nilominus ſic ambitionis, principatúſque exoſor, vt vix, ac ne vix quidem, ab eo obtineri potuerit, vt regimen acceptaret imperij,vt ſcribit Iuſtinus lib.6.ſuæ hiſto.

Quoniam Hebræi ambitioſi erant, atque dominandi maximè cupidi, ideo erant inter ipſos tot capita, & tot Pontifices. Non enim ſatis aduertebant quantorum malorum ſeminarium ſit ambitio: cõtra quam vide ſequentia. Autor.

Maria & Aaron ambientes dominium populi,detrahebant Moyſi, dicentes, num per ſolum Moyſen locutus eſt dominus?Nume.12.

Core & complices ambientes dominium populi Moyſi,ſimiliter detraxerunt.Nu.16.

Ambiens Abſalon regnum, detrahebat patri, dicens:Non eſt qui te audiat conſtitutus à rege, ſecundo Regum decimo quinto.

Alcimus qui fieri volebat ſummus pontifex,coram Demetrio detrahebat Iudæ. 1.Machab.7.

Abimelech,pcurauit ſe,eligi per amicos in dominum,& ſeptuaginta ſuos fratres occidit,aliáque fecit mala,Iudicum 9.

Parabola Ionathæ de Rhamno, ambitioſos, eorúmque opera mala declarabat,Iudicum 9.

Athalia libidine dominandi omne ſemen regium interfecit 4.Reg.11.

Ptolemæus vt obtineret regionem, Simonem, & eius filios interfecit.1.Machab.vltimo.

Gaal præſumptuoſè dicebat,vtinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech,quod non fecit,vt habetur Iudic.9.

Eleuabatur Adonias dicens,ego regnabo, & poſt ea non euenit, 3.Reg.1.

Nabuchodonoſor dixit cogitationem ſuam in eo eſſe,vt omnem terram ſubiugaret, Iudith.2.

Dicebat Seron, faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Iudam,& tamen ipſe fuit poſtea debellatus 1.Machab.3.

Zambri qui occidit dominum ſuum vt regnaret poſt eum,ſeptem diebus tantum regnauit,3.Reg.16.

Ptolemæus regnum Alexandri voluit occupare, ſed parum functus eſt eo,quia die tertia eſt defunctus 1.Machab.11.

Cupidi dominandi & imperandi, ſiũt ſæpe etiam ſimoniaci, vt conſtat in Iaſone 2.Machab.4.qui promiſit Antiocho argenti talenta 360. & multa alia pro ſummo ſacerdotio. Et vide quo tandem deuenerit.

Et certè dominium atq; imperium vitæ præſentis, vt multum ad mortem vſque tantum oſtentatur. Nam quemadmodum in nemore aliquo dignoſcuntur quidem arbores, aut ex proceritate, aut frondibus,vel aliter, cæterum ſi præciſſæ comburantur, & conuertantur in cinerem,non dignoſcitur quis cinis ſit huius,vel illius: ſic quamuis in hac vita homines dignitatibus dignoſcantur ac differant alij ab aliis, morte tamen interueniente præciſſi,& in cineres reuerſi, non dignoſcuntur,neque cinis regis differt ab aliorum cineribus.

Sicut domus ædificata ſuper arenam, licet à nullo vento impellatur, ipſa ex ſeſe paulatim ſubruitur:ita quamuis homo humanis plenus honoribus ſe ita prudenter habeat, vt nullus fortunæ impulſus depellat eum à ſede ſua, nilominus tamen quia homo eſt, hoc eſt ex humo, caſurus tandem per ſe eſt,atque in ſepultura deponendus.

Quemadmodum qui latrunculis colludunt,mẽte nimium ineſcata, nonnunquam male & inconſiderate calculos ipſos mouent, quo fit vt ludum perdant, quam tamen negligentiam aliqui ex ſpectatoribus quamuis non ita ſint experti in ludendo, animaduertunt: ita qui honoribus merguntur & dignitatibus humanis, ac gloria præſentis ſeculi, in plurimos non rarò labuntur errores & abſurda, quæ ipſi excæcati non vident: ab aliis verò non ita forte prudentibus ac ſagacibus, extra dignitatem tamen poſitis,conſpiciuntur.

*Procurante Pontio Pilato Iudæam.*Cur Deus quo tempore Iudæorum res adeò deiectæ erant,& Reſpublica eorum tam variè diſſipata, ac in gentilium poteſtatẽ redacta,prædeceſſorũ ſuum ad pœnitentiã hominibus prædicandam deſtinauit?Hoc certè eo conſilio factum videtur, vt non modò viri ſancti doctrina, ſed rerum etiam publicarum ruina, magiſtra eis veritatis,& pœnitentiæ foret, eadémque ſpes omnes quibus nitebantur, fallaces & inanes oſtenderet: idque non aliunde quæſitis, ſed domeſticis ac familiaribus exemplis, & argumentis, comprobaret. Non enim temerè dictum eſt, ſola vexatio dabit intellectum auditui, Eſaiæ 28. & quos doctrina non erudit, certè calamitas ipſa ac malorum experimenta docent.Hoc autem medicamento Iudæi maximè indigebant, qui Dei præſidio neglecto, inania mundi præſidia conſectabantur.

Philoſophi aliqua etiam contra ambitionem documenta reliquerunt. Nam Chilo dixit, tua ſorte contentus ſis: quidam enim ea non contenti, ſed ſublimiores facti, grauiſſima incurrerunt incommoda. Socrates etiam dixit, Magnanimos puta, non eos qui maiora ſuſcipiunt quam ſuſtinere queãt, ſed eos qui ſuis paria viribus tantum aggrediuntur.

*Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto,&c.*Deus ſuper Ioannem,ſuper ſerũm dominus, ſuper vocem verbum, venit ad Iordanem: quia Iudaicas ſordes non poterat Hydria iam lauare, ſed flumen, per pœnitentiam,& fidem. Chryſolog. ſermo. 137.

In deſerto. Super iſta verba agere poteris de vtilitatibus quas ſecum deſertum & ſolitudo adfert, & quã varie poſſit accipi ſolitudo: ad quod vide pauca ſequentia, & paulò inferius plura. Autor.

Solitudinem laudabilẽ poteſt quis habere, ſi modò vixerit circumſpectè, quamuis in vrbe exiſtat,vide D.Hiero.epiſt.ad Marcellam to.1.

Vaſta & horribilis, ſed tamen perutilis fuit illa ſolitudo,in quam D.Hieronymus ſeceſſit, lege eundem epiſt ad Euſtochiũ de cuſtodia virginitatis to.1.

De pluribus antiquis Philoſophis qui ſeſe ſolitudini incolendæ tradidere, conſule eundem lib.2. aduerſus Iouinianum to.2.

Quod ſolitudo ſit aptior & accommodatior contemplationi: & hac de cauſa Abraham fuerit à locis frequentibus ad inhabitatos egreſſus,lege D. Chryſ. in Gene. ho.33.to.1.

Quandoquidem ſacratiſſimi Euangeliſtæ non ſolum nobis D.Ioannis prædicationem ediſſerunt, ſed etiam referunt locum eius,nempe deſertum, & reliquam vitæ ſanctitatem:apertum certè eſt hanc maximè relucere debere in cõcionatore. Quo circa diſſerere poteris qualis eſſe debeat concionatoris vita, & munus,atque videbis ſequentia. Autor.

Nemo poteſt bene prædicare verbum Dei,niſi rectam habuerit mentis puritatem, vide Diuum Bernardum in fine ſermo.6.ſuper Cant.

Quod boni eſſe debeant concionatores,inueniesſuſe dictum apud Grego. in omnibus quatuor partibus Paſtoralium, quæ ſunt in principio to.2.

Nota quòd nõ ſolum D.Ioan.ex ſua doctrina vult prædicare, ſed teſtimonia adducit ſcripturæ. Vnde concionator non ſolum ſuam proferre ſententiam debet, ſed quæ dicit confirmare ſcripturæ teſtimoniis, atque ſanctorum grauiúmque doctorum doctrina, vt admonet Magnus ille Baſilius libro breuiũ regularum, qui eſt vltimus in eius operibus,interrogatione prima. Autor.

Cum maiorem neceſſitatem auditores D. Ioãnis, qui maximi erant peccatores,haberent de pœnitentia, tum vitam corrigendi, moréſque componendi, propterea diuinus præcurſor dicebat eis,pœnitentiã agite.Eadem quoque ratione bonus prædicator proponere debet ea quibus auditores maximè egere co- Autor.

guouerit, ſicut D. Auguſt. faciendum monet ad fratres in eremo. ſerm. 64. circa finem tomi 10.

Qualis eſſe debeat concionator, tractat etiam Sanctus Antoninus 3. par. Theologali titulo 18. ca. 3. 4. 5. & 6.

Multa quoque prædicatoribus apta reperies tacta ab antiquis Philoſophis apud Vincen. Belluacen. lib. 5. ſpeculi doctrinalis cap. 52. 53. 54. & 55.

Qualem eſſe oporteat concionatorem, & quo pacto debeat reprehendere, vide apud eundem ſpeculi hiſto. lib. 20. cap. 66. & 67.

Quantum referat vt concionator opere impleat quod prædicat, vide Senecam lib. epiſt. ad Luci. epiſt. 20. in principio.

Concionator faciat quod prædicat, Eſa. 10. A. vade & ſolue ſaccum.

Qualis eſſe debeat prædicatoris vita, Eſa. 40. C. ſuper montem excelſum aſcende, &c.

Concionator vt debet implere officium ſuũ, Eſa. 58. A. clama, ne ceſſes.

Concionari debet cum efficacia concionator, Ierem. 15. D. & dabo te populo huic in murũ æneum.

Prædicator zelator honoris Dei eſſe debet, & perſequetare vitia reprehendendo, Iere. 26. A. noli ſubtrahere verbum.

Concionatori ſit animi robur ac fortitudo ad reprehendendum, Ezech. 3. B. ecce dedi faciem tuam valentiorem.

Concionator qui auditores non monet de prauis operibus, punietur, Ezechie. 33. B. quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem.

Concionatores malos ac fallaces quandoque permittit Deus ob peccata populi, Oſee 9. B. ſpeculator Ephraim.

Prædicator quod docet adimpleat, ad Roma. 2. C. qui ergo alium doces.

Optimum præbeat exemplum, 1. Cor. 4. A. ſic nos exiſtimet homo.

Verbis & rebus doceat. 2. Cor. 10. C. quales ſumus verbo.

Qualis eſſe debeat eius vita 1. Timo. 4. C. nemo adoleſcentiam tuam contemnat.

Sit exemplaris concionator, ad Titum 2. B in omnibus teipſum præbe exemplum.

Super illud, factum eſt verbum domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, vide D. Amb. lib. 2. ſuper Lucam cap. 3. vbi id tractat copioſè.

Si requiris plura de ſolitudinis commoditatibus, conſule quæ ſequuntur.

Quòd deſertum & ſolitudo ſint apta & accómodata ad agendum cum Deo ac conuerſandum, vide D. Auguſt. de tempore ſermo. 77. to. 10.

Vitam agentes ſolitariam, ſortiuntur ſocios ipſos Angelos, lege eundẽ ad fratres in eremo, ſer. 2.

M. Tullius Cicero laudat, & effert magnificè Scipionem Affricanum, quòd relictis negotiis, & hominum conſortio, ſeceſſerit in ſolitudinem, ac dixerit ſe nunquam fuiſſe minus otioſum, quàm cum eſſet in otio.

Laudat etiam Torquatum quod poſt partam victoriam tot nationum, ac regem Epirotarum expugnatum, atque deuictum, Romam cum ſuis tumultibus dereliquerit, ſeque in villam vbi vitam trãquillè traduceret contulerit. Cincinnatus etiam ex aratro vt Romæ Dictator eſſet aſſumptus eſt, quæ maxima omnium dignitas erat, quemadmodum Feneſtella refert lib. de Magiſtratibus: ſed poſtquam eo munere fuit perfunctus magno honore ac gloria, rediit magno ſtudio ad ſuum pauperẽ fundum, vt Columella etiam ſcribit.

Magnus ille Cato Cenſorinus, de quo ſublimia & maxima Plinius ſcribit, poſtquam maioribus Romæ muneribus perfunctus fuerat, ab vrbe ſtatim diceſſit, & ad vitam ruri agendam acceſſit, vbi vitam finiuit, legẽs, ſcribens, ac meditans.

Empedocles Agrigentinus diſcipulus quondam Pythagoræ, nunquam voluit accipere regnum ſibi oblatum, vt Xauthus affirmat in lib. quem de eius laudibus & encomiis edidit: imo ſanè vitam ſolitariam ac tranquillam pluris fecit quàm omnes potentias atque diuitias.

D. Hiero. aſſerebat vrbem ſibi carcerem eſſe, ſolitudinem verò paradiſum videri, & multa alia addebat de laudibus ſolitudinis; quod inuenies in epiſt. ad Ruſticum monachum de viuendi forma, to. 1.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Cur ſpiritus ſanctus qui huius ſancti viri ductor atque magiſter erat, hoc tam rigidum vitæ genus illi indixerit: hoc vel maximè in cauſa mihi fuiſſe videtur, quod illum ad prædicandum hominibus pœnitentiam deſtinarat, vt eius verba teſtantur. Ideóque cum Dei opera perfecta ſint, non mirum ſi quem ad perſuadẽdum pœnitentiam delegerat, talem eſſe voluerit, qui non modo verbis, ſed factis etiam, atque adeò toto corporis habitu pœnitentiam prædicaret. Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum ſic ait: Delicatus magiſter eſt qui pleno vẽtre diſputat de ieiuniis. Sacerdotis lingua, mens, manúſque concorderit. Altera verò ratio fuit, vt hoc modo dominus teſti ſuo autoritatem, & magnam ſanctitatis opinionem conciliaret: quæ ad eius teſtimonij fidem comprobandam maximè faciebant. Homines enim qui corporis ſenſibus ducuntur, cum earum virtutum quæ intus in animo latent ſplendorem minimè videant, eas maximè mirantur quæ corpore exercentur: ideóque laboribus, & inedia, corpus atterere, maximum quiddam eſſe arbitrantur, cum ipſi corporis obſequio perpetuò addicti ſint. His ergo de cauſis aſperrimum vitæ inſtitutum ſpiritu ſancto inſtigante Ioannes delegit. Adde his etiam quòd hac ratione vir ſanctus magis magíſque carnem ſpiritui ſubiiciebat: quo enim magis caro noſtra fuerit incdia & laboribus fracta ac debilitata, hoc minora aduerſus ſpiritum bellorum incendia ſuſcitat. Cuius rei typum ingens ille piſcis gerit Tobiæ 6. qui intra fluminis alueum poſitus, aperto ore inhians, Tobiam deuorare nitebatur: angeli verò iuſſu ab aquis in aridam terram extractus, extincto penè robore deficere & palpitare cœpit ante pedes eius. Ad hunc ergo modũ caro noſtra carnalibus deliciis inuitata ſpiritum deuorare nititur, ieiuniis tamen & inedia macerata, ac veluti in arido loco poſita, minora aduerſus eum bella cõcitat. Quare Ioãnes tã nõ vocis prædicatione, quàm carnis caſtigatione dominum laudabat, & populum inſtruebat. Hanc autem eius virtutem non poſtremo loco Angelus poſuit cum Zachariæ patri dixit: Erit magnus coram domino, & vinum & ſiceram non bibet. Neque verò Ioãnes hoc ſolo abſtinentiæ præſidio contentus fuit, ſed addidit etiam abſtinentiæ ſolitudinem, quæ maximè ad innocentiam tuendam adiuuat. Inter aliàs enim multas commoditates hoc habet ſolitudo, quòd innumeras præſcindat occaſiones peccandi. Et certè ſi totus mundus in maligno poſitus eſſe dicitur, quid niſi malitiam ex eius conſuetudine excerpere potetimus? Ferro autem quid durius, quod omnia domat contunditque metalla? & tamen ſi diu in terra defoſſum iaceat, depoſita & conſumpta omni tandem duritia in mollem terram reuertitur: ita cor durum molleſcit ſecedens in ſolitudinem.

Ludoui. Gra.

Cur

Cur Ioannes qui tam inſigni ſanctitate præditus erat, vitam omnem in ſolitudine tranſegit? Reſpondeo vt tanto eſſet ab omni peccato purior, quanto ab omni peccandi occaſione, & hominum conſuetudine, erat ſecretior. Ad hoc autem ſolitudo maxime conducit, quæ peccandi occaſiones vno ictu amputat, dum nec oculi habent quod cum periculo videant, nec aures quod turpiter audiant, nec lingua cum quo inania & otioſa loquatur. Denique ſi diligenter vni tantum cordi cuſtodiam adhibueris, omnes alios peccandi aditus ſolitudinis beneficio intercludis.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Vnde rogo tanta virtus Ioanni inerat, vt ſuis verbis tam multos conuerteret? Is plane non aliud Euangelium quàm nos prædicabat. Cur ergo tot homines ad Chriſtum inducebat, nos vero nullos, aut tam paucos? fiebat id vtique cùm moribus & vita etiam prædicaret. Cur enim Eliæ verbis rex Achab peſſimus obtemperauit? Certè quia in ſuo conſpectu hominem videbat pœnitentia pallidum, rigidum, cilicio indutum, noctu, diúque altiſſimæ contemplationi vacantem. Sic etiam credebant omnes Ioanni pellibus induto, & aſpera pœnitentia confecto, hunc omnes tremebant, & corda eorum in admirationem rapiebantur.

Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. In illud, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ, &c. quod idem eſt quod illud Matth. 4. pœnitentiam agite, videbis etiã doctores ſuper hunc locum Mat. 4.

De Baptiſmo Ioannis & Chriſti, & cur miracula in vita nõ ediderit Ioannes, vide D. Tho. 3. p. q. 38. ar. 2. & 3. & 6.

Cur Ioannes qui innocentiæ laude ornabatur, ad pœnitentiæ virtutem prædicandam potiſſimum delectus eſt? Noſtro quidẽ iudicio inſignis aliquis peccator, quem tamẽ poſtea ſcelerum ſuorum verè pœnituiſſet, magis opportunus ad hoc munus exequendum videbatur. Qui enim nauigant mare, enarrant pericula eius. Dauid cum poſt adulterium, & Vriæ cædem, veniam ac miſericordiam à Domino precaretur, inter lamentationes verè contriti & demiſſi animi, ſic ad dominum ait: Docebo iniquos vias tuas. Cæterum longè aliter diuinæ ſapientiæ viſum eſt. Nam cũ in Eccleſia ſua duos inſignes miniſtros creare decreuiſſet, alterum qui ad pœnitentiam mortalium animos incitaret, alterum qui pœnitentibus veniam daret: illum quidem innocentiſſimum eſſe voluit, nempe Ioãnem Baptiſtam, hunc verò etiam infirmum, nempe Apoſtolum Petrum. Diuino certè conſilio: nempe vt tanto clarius intelligerent homines neceſſariã eſſe pœnitentiam, quanto is qui eam prædicabat purior & innocentior erat, tanto autem facilius veniam ſperarent (ſi verè illos pœnituiſſet) quanto infirmiorem illum eſſe viderent, qui eam eſſet impertiturus, quíque in ſeipſo didiciſſet nulli eſſe negandam.

De temperantia etiam ſi velis hic aliquid dicere, accipies aliquorum philoſophorum & auctorum dicta. Vt Pythagoras dixit: ſuperior his rebus eſſe aſſueſce, ventre, ſomno, libidine, & iracundia. Epictetus etiam dixit, quod ad corpus adtinet, neceſſaria tantum miniſtrabis. Phocylides: Tẽperantiam exerce, & à factis obſcenis abſtine, moderatè cibum potúmque ſumas, atque loquare. Cicero, tantum cibi & potus adhibeto, vt vires reficiantur, non opprimantur. Apud poẽtam etiam legitur:

Nec veneris, nec tu vini tenearis amore:
Vno namque modo, vina, veníſque nocent,
Vt venus eneruat vires, ſic copia Bacchi
Attenuat greſſus, debilitátque pedes.

Quantum etiam vtilitatis adferat tẽperantia, vide Eccleſiaſtici 31. B. C. D. Ne comprimaris in conuiuio vino.

Temperantiam Chriſtus commẽdauit Luc. 21. F. attendite ne grauentur corda veſtra.

Temperantiam in potu commendauit Apoſtolus 1. ad Timo. 5. D. modico vino vtere.

Quemadmodum ignis augeſcit magis magíſque lignorum appoſitione: ita planè venus ipſa immoderato cibo ac potu viget, & incitatur.

Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonium Eſaiæ prophetæ: vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Hæc via præparatur, ſi dolorem peccatorum noſtrorum habeamus, Eſaiæ 38. C. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; & vide ſuper hunc locum doctores.

Via Domini præparatur pœnitentia & dolendo de peccatis noſtris, Ezechi. 36. F. & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra.

Super illa verba, parate viam domini, vide S. Thomam 1. par. q. 62. arti. 2. ad 3. & 1. 2. q. 109. ar. 6. per totum. & q. 112. art. 2. per totum, & arti. 3. in corpore. & ad 2. & arti. 4. in corpore. & q. 113. art. 3. per totum. & in 2. ſenten. diſt. 5. q. 2. ar. 1. per totum. & diſt. 28. q. 1. art. 4. per totum. & in 4. ſenten. diſt. 17. q. 1. ar. 2. quæſt. 1. & 2. per totam. & ar. 3. quæſtiũ. 2. per totam. & diſt. 19. q. 2. ar. 1 ad 3. & diſt. 20. q. 1. art. 1. in corpore. & de veri. q. 24. ar. 1. ad 2. & artic. 15. per totum.

Exhortatio hæc, parate viam Domini, eſt valde conformis illi quam regius propheta adtulit Pſal. 2. dicens: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, ſuper quẽ ergo locum conſules Pſalmorum interpretes.

Hæc etiam exhortatio, rectas facite ſemitas eius, eſt maximé conſona doctrinæ Apoſtoli ad Hebr. 12. quæ ait: remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris; ſuper quod leges etiam doctores.

Quando hæc loca accepta ſunt ex cap. 40. Eſa. ibi proinde doctorum Commentarios ſcrutabere.

Circa hæc eadem verba, parate viam Domini, vide etiam Thom. Quodlibeto 1. q. 4. art. 2. per totum: ſed aduerte hunc eſſe articulum ſeptimum reſpectu totius quodlibeti, & ſecundum reſpectu quæſtionis.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. In illud omnis vallis implebitur, tractare poteris de humilitate; & ſuper hoc, omnis mons & collis humiliabitur, agere poteris de ſuperbia. Ad quæ ſi conſulueris graues autores, ſi etiam autorum indices, ſi Concordantias ipſas, & tuos Codices exceptorios, vbi ſunt materiæ illæ communes, & tandem noſtri voluminis tabulam alphabeticam, tibi ampliſſima ſuppetet materies.

Super hodiernum tandem Euangelium, leges D. Baſil. libro regularũ breuiorum, interrogatione 5.

Leges inſuper Origenem ſuper Lucam homi. 21. 22. & 23. to. 3.

Dominica infra octauas Natiuitatis Domini.

ERANT *Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Luc. 2.* In hoc Euangelium tibi nonnulla depromes ex gloſ. interlinea.

Videbis etiam Origenem in Luc. ho. 16. & 17. vbi multa diffuſe tractat circa hoc Euang. to. 3.

Erant Ioſeph & Maria. Vide D. Thomam in Ioann. lectio 2. in principio.

Ecce positus est hic in ruinam, &c. Quomodo Christus ponitur in signum populorum, vide Richardum de S. Victore super hunc locum tomo 1.

Vide August. lib. quæst. vete. & noui Testa. q. 73. tomo. 4.

Et in signum cui contradicetur. Numerorum 20. reperies aquam appellatam contradictionis, applicat verò eam D. August. his verbis Euangelij. Annotatáque res elegantes, libro Quæstionum super Nume. q. 36. to. 4.

Appellatur Christus à Petro Apostolo lapis offensionis & petra scandali 1. Petri. 2. leges Commentarios in eam.

Super Epist. & Euang. huius dominicæ duas edidit conciones D. Antoni. in principio primæ partis Theologalis.

Duas præterea conciones habet D. Thom. de hac eadem Dominica in fine tomi. 16.

Consule Theophylactum in hoc Euange. qui habet optima annotamenta scilicet super Luc. 2.

Circa illud, & in signum cui contradicetur, tractare poteris de scandalis, quoniam agitur de petra scandali, & ages de scandalum præbentibus: ad quod accipe quæ sequuntur.

Quantum noceant mala exépla & scandala, Hietem. 3. A. in viis scdebas.

Scandala & occasiones ad malum, Eccles. 10. B. qui fodit foueam.

Non demus ad malum occasionem nec scandalum, Ecclesiastici 27. D. qui in altum mittit lapidem.

Scandalizatores & qui aliis peccandi dant occasionem quo fine claudantur 3. Reg. 15. G. percussit omnem domum Ieroboam.

Scandalizantium quæ pœna, ad Galat. 5. B. qui autem conturbat vos.

Alteri scandalum præbere malum est, super quo D. Chrys. contexuit concionem, quam inscripsit: Ne scandalum cuiquam fratrum ponamus, est autem inter initium & medium, to. 5.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Circa expositionem huius loci dixerunt aliqua, Origenes ho. 17. super Luc. & August. lib. quæst. vete. & noui test. q. 73. & Theophylac. in Commenta. super Luc. & D. Chrysosto. in enarratione Psal. 13. ex quibus aliqui propter prauam suammet intelligentiam turpiter lapsi sunt: dicentes moriente Christo scandali & infidelitatis gladium Mariæ animum pertransisse. Intelligendi siquidem sunt prædicti autores non de co dubitationis genere quod ex infidelitate procedit, sed de hæsitatione stuporis quæ ingentem admirationem comitari solet: vt explicat D. Thom. 3. par. q. 27. artic. 4. Cæterum copiosius hoc tractatum inuenies in Bibliotheca sancta Sixti Senensis lib. 6. Annotat. 138.

Explanatur illud, & tuam ipsius animam pertrãsibit gladius, apud D. August. epist. 58. quæ inscribitur, Paulinus Augustino, tom. 2. columna 192. nouæ impressionis.

Hoc ipsum etiam explanat deuotissimè D. Bernardus in Natiui. B. Mariæ, in quodam sermo. qui incipit, Signum magnum apparuit in cælo.

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Inuenies hoc explicatum à D. Aug. epist. 59. to. 2. cuius titulus est, Augustinus Paulino Episcopo.

Super hoc agere tibi licebit de cura quam adhibere debemus vt cogitationes nostræ castæ sint & bonæ, quandoquidem Deo & hominibus sunt reuelandæ. Vnde leges quæ sequuntur.

Quantum cogitationes malæ molestent, vide D. Bernar. lib. de interiori domo, cap. 30. incipit autem, Cor mundum crea in me Deus, & non longe à fine operum reperitur.

Cogitationes vanæ & vagæ quo pacto propulsandæ sint à nobis, consule D. Basil. lib. Regularum breuiorum, interroga. 306. to. 2.

Cogitationes debent recolligi ac temperari, vide eiusdem lib. Constitutionum monasti. cap. 2. est autem in fine operum.

Cogitationibus non collectis nil boni effici potest, vide Basil. lib. Regularum fusius disputatarum, cap. 6.

Quam rectæ esse debeant cogitationes, lege Senecam, lib. 12. epist. ad Luci. epist. 84. & lib. 14. epist. 93.

Cogitationes prauæ quantum noceant, vide Esa. cap. 59. A. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.

Quàm conseruatum & tutum esse debeat cor à cogitationibus malis, Iob. 27. A. nec enim reprehendit me cor meum.

Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Asser, &c. Vide D. Tho. 3. p. q. 36. ar. 3. in corpore. & ar. 5. in corpore. & art. 6. in corp. & ad 1.

Super hæc verba tractare potes quales esse debeãt viduæ, nempe collectæ, deuotæ, castæ. Quo circa accipies sequentia.

Viduæ castè viuere debent imitando turturem auem, de qua re videbis Ambrosiũ lib. 5. Eximeron, cap. 19.

Idem Ambrosius prope finem, to. 3. librum habet quem de viduis edidit.

Viduæ vt se habere debeant ad continentiam cõseruandam, & famam,, & quam gratæ Deo existant si id faciant, vide Hiero. epist. quadam circa principium, tom. 1. inscripta, Ad Saluinam de seruanda viduitate.

Idem Hieron. etiam quandam conscribit epistola. prope principium to. 1. cuius titulus est ad Furiam de viduitate seruanda, & aliam quę postmodum subsequitur, cuius inscriptio est, ad Gerontiam viduam: & aliam habet paulò post, quæ inscribitur, Ad principiam virginem Marcellæ viduæ epitaphium: in quibus omnibus plurima huic instituto congruentia inuenies.

De viduis quoque reperies librum quendam non longe à fine 4. to. D. August. qui inscribitur, de perfectione viduitatis.

De statu viduarum, & multis ad viduas pertinentibus, vide Antoninum 3. p. Theolo. tit. 2. cap. 3.

Mirabile quoddam exemplum cuiusdam ditissimæ ac potentissimæ viduæ, deuotissimæ tamẽ, deoq; inseruire maximè desiderantis, vide apud August. li. epist. 121. epist. cap. 1. & 2. to. 2.

Nonnulli vidui & viduæ sunt, qui toties connubia ducere studere videntur, quoties hi de quibus mentionem facit D. Hiero. scribẽs ad Gerontiam viduam. Nam tempore Damasi Papæ contigit virum quendam vigesies vxorem duxisse, vxorem autem eius bis & vigesies, existit autem tom. 1.

Quales esse debeant viduæ, lege Basil. in Moralitatibus, Mor. 186. & 187.

De multis Ethnicis viduis quæ ne iterum nubere cogerentur se ipsas occiderunt, & alia patrauerunt, consule Hiero. aduersus Iouin. li. 1. to. 2.

Notabile exemplum cuiusdam iuuenculæ castæ quæ postea vidua relicta fuit, inuenies apud Grego. lib. 4. Dialogorum, cap. 13.

Viduę optimam habeant famam, Ruth 2. C. nuntiata sunt mihi.

Viduæ bonum præbeant exemplum, Ruth 3. scit enim omnis populus.

Viduæ deditæ sunt contemplationi ac collectè viuant, Iudith. 8. A. secretum cubiculum.

Non

Non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Super hunc versum non discedebat de templo, poteris tractare quod debeamus omnino omnem peccandi occasionem sicut ista faciebat, deuitare, circa quod applica sequentem materiam. Quemadmodum qui habet domum compositam, ornatam, & paratam, hospitem inuitat & allicit vt in ipsam domum diuertat: sic plane qui non aufert occasiones peccandi, inuitat peccatum vt in sua anima hospitium accipiat. Quare non solum à peccato, sed etiam ab omni specie peccati cauendum est, vt docet Apostо. Cum filij Israel captiui tenerentur in Ægypto, & vellent domino deo suo sacrificare, Moysi & Aaroni dixit Pharao: Ite, sacrificate domino: oues tantum vestræ, & armenta remaneant. Sic diabolus peccatoribus quos captiuos detinet, inquit: ite ad sacrificandum domino, quasi dicat, confitemini, agite pœnitentiam, occasionem vero peccandi minimè deponatis. Aduerte enim quod si dæmon pignus aliquod tuum in sua potestate habuerit, redire debes, vt pignus ab eo auferas. Tu igitur respondere debes id quod Moses & Aaron dixerunt: cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula. Vbi attendere debes quod neque vngula nec vestigium aliquod peccati in domo debet remanere, ne iterum offeratur occasio redeundi in Ægyptum. Petrus cum esset in carcerem Herodis detrusus, dixit illi angelus: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Ita vult Deus vt à carcere peccati exeas, nec caligas quidem aliquas & ansas ibi relinquas. In Leuitico etiam præcepit Deus carnem iuuenci & pellem eius comburi extra castra: & cum esset sacrificium pro peccato, non solum carnes, sed fæces etiam sacrificij relegare iubet, & in locum immundum proiici, nil reliquiarum manere permittens: vt discamus non solum peccata longe à nobis ablegare, sed etiam eorum vestigia, ne locum vllum concedamus satanæ, vt iterum in peccatum nos deducat. Alibi præterea dominus de subuersione gentium loquens, dixit: Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucósque succédite, & sculptilia cõburite. Quare delenda est omnis omnino peccatorum memoria. Vnde Moses quoque vitulum quem filij Israel adorauerunt, cõminuit in puluerem, & dedit bibere populo: vt doceamur quod nec puluis quidem peccati manere vllus debeat. Sanctus etiam Propheta Hieremias consulit dicens: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum domini. Sicut aquam inquit non sicut mel, oleum, aut vinũ. Nam si alium quemuis liquorem præter aquam ex vase effuderis, manebit postea vas ipsum liquore effuso inunctum siue linitum, vel saltem odorem liquoris effusi ipsum vas retinebit, vel colorem pristini liquoris conseruabit. Nil autem horum reperies in aqua: & ob hanc causam præcipit propheta vt sicut aquam effundamus cor nostrum, ita vt nulla peccati memoria, nullúmque vestigium relinquatur in nobis. Templum insuper quod à gentibus violatum fuerat, Iudas Machabæus mundari accurate præcepit, altare extrui, & vasa noua fieri: sic templum hoc Dei (quod sumus nos) quod peccata violarunt, debemus adeo mundare, vt nihil immundiciei maneat, nec aliquod signum peccati.

Non discedebat de templo. Multi non modo obstacula non fugiendo viam virtutis impediũt, sed etiam omne virtutis fundamentum demoliuntur: ideo obstacula fugies. Hac enim de causa Nicodemus venit ad Iesum nocte, ne à Pharisæis interpellaretur, quominus cum Christo loqueretur. Et Abraham de nocte surgens, proper impedimenta quæ vel ab vxore, vel à familia opponi possent, ibat sacrificare filium.

Super illud, non discedebat de templo, vbi indicatur quanta diligentia sese colligebat hæc sancta fœmina, atque fugiebat occasiones seculi, si tractare fusius voles quòd omnino fugiendæ sunt à nobis occasiones, quæ nobis officere possunt, videbis sequentia.

Fugere debemus damnosas occasiones, vide D. Ber. in fine fermo. 65. Super cantica, incipit autem, Duo nobis, super vno capitulo.

Occasiones quæ nobis nocere queunt, deuitandæ sunt, consule Lauren. Iusti. libro de vita solitaria cap. 4. est autem non longè post medium illius operum.

Occasiones quæ noxiæ esse possunt, omnino vitandæ, D. Basi. lib. constitu. monasticarum c. 3.

Periculosas occasiones deuitare debemus: de quo longam & vtilem texuit disputationem D. Cypria. inter medium & finem suorum operum, inscriptio autem est, de singularitate clericorum, & incipit, Promiseram quidem vobis.

Quo pacto fugere debeamus occasiones, & nos. Dei obsequio penitus mancipare, vide D. Hiero. epist. quadam existente inter medium & finem tomi primi, cui titulus est, ad Exuperantiũ exhortatoria. facit etiam ad idem propositum alia epistola quæ postea inuenitur, quæ inscribitur, de euitando suspecto contubernio.

Pessimas occasiones fugiamus, consule August. de incauta familiaritate extranearum mulierum, & vide eundem de tempore sermo. 250. inter medium & finem tomi 10.

Quod statim sint præscindendæ occasiones, ne forte illuc detrudamur cum nostro malo, vnde postea vix egredi valeamus, vide Senecam lib. 2. de Ira, ad Nouatum c. 34. & 35.

Quomodo sint fugiendæ occasiones malæ Prouer. 6. D. nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo &c.

Fugere debemus occasiones, Prouer. 11. C. Qui cauet laqueos, securus erit.

Diuitemus occasiones peccandi, Prouer. 26. D. Qui fodit foueam.

Occasiones diuitemus, Gene. 13. B. ne quæso sit iurgium.

Fugiamus occasiones, Gene. 26. E. foderunt autem & alium.

Occasiones amoueamus, Exo. 21. si quis aperuerit cisternam.

Occasiones declinemus, Exo. 22. A. si egressus ignis inuenerit spicas.

Fugiamus occasiones, Numero 25. A. Quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua.

Fugiamus occasiones, Iosue 23. C. quòd si volueritis.

Ne demus malo occasionem, Iudicum 8. F. Fecitque Gedeon Ephod.

Deuitanda omnis occasio, Iudicum 17. B. quæ tulit ducentos argenteos.

Occasiones diuitandæ sunt 1. Reg. 13. D. Faber ferrarius non inueniebatur.

Fugere occasiones debemus 2. Reg. 11. A. & de ambularet in solario.

Qui occasionem mali præbuerit, non abibit impunè 4. Reg. 14. B. C. Tunc misit Amasias.

Super illud, non discedebat de templo, disserere etiam poteris quòd Dei templa sunt frequentanda.

Item circa illud, ieiuniis & obsecrationibus seruiens, de ieiunio & oratione poteris aliquid dicere.

Super illud, nocte ac die, de perseuerantia in virtutis officio tractabis. Ad omnia autem hæc, pet

doctorum indices,& Concordantias, tibi campi patebunt amplissimi, & per tuos exceptorios codices de materiis communibus, tum per tabulam alphabeticam nostram ad calcem operis reiectam.

Circa illa etiam verba,non discedebat de templo, tractare,si voles, poteris, quòd Dei templa non modo frequentare debemus, sed honorare, construere, & exornare. Ad quæ leges sequentia.

Templorum Dei ædificationi, & honori,incumbere debemus, 2. Reg. 7. A. vides ne quod ego habitem.

Vehementer & magnificè exædificanda templa.3. Reg.5.per totum.

Templa Dei debent magnificentissimè curari.3. Regum.8.C. si enim cælum,& cæli cælorum.

Templa Dei celebria & sumptuosa procuranda 1. Parali.22. C.auri talenta centum millia.

Omnes debent templorum ædificationem iuuare 1. Parali.29.B.auri talenta quinque millia.

Templa fauoribus prosequenda 1. Esdræ 6. & 7. per totum.

Templa cum deuotione exornanda, Exo. 35. C. egressáque omnis multitudo.

Templa locupletanda redundanter, & ornanda, Exo. 36. A. plus offert populus quàm necessariũ est.

Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Super hæc verba consule D. Tho.3.p.q.9.ar.4.per totum,& q.12.per totum. & q. 15.ar.8.per totum,& opus.2.q.216.

Circa illud etiam,plenus sapientia, vide eundem 3.p.q.9.& q.10.11.& 12.per totas.& q.15.artic. 2. in corpo.& ar.3.in corpore, & ad 1.& in 3. senten. dist. 14.per totam.& de veri.q.20.per totam.

Super illa insuper verba,& gratia Dei erat in illo, vide eundem 3.p.q.7.per totam. & 3.senten. dist.13. q.1.ar.1.per totum,& ar.2.& q.2.ar.1.& 2.& de veri. q.29.per totam.

Dominica post Circuncisionem Domini,siue in vigilia Epiphaniæ.

DEFVNCTO *autem Herode, ecce Angelus domini apparuit in somnis Ioseph, &c. Matthæi 2.* Tres fuerũt Herodes, vnus quidem Ascalonita, qui occidit Innocentes: alter fuit filius huius vocatus Herodes Antipas,& fuit Tetrarcha, qui D. Ioannem decollauit. Tertius fuit Herodes Agrippa, qui D.Iacobum fratrem domini occidit, & D. Petrum Apostolum apprehendit ac coniecit in carcerem, vt habetur Acto. 12. Mors autem huius Agrippæ describitur eodem cap. 12. & apud Iosephum lib. 19. antiquita. cap. 7. Herodes autem Tetrarcha, qui vt diximus D. Ioannem Baptistam interfecit, vna cum vxore sua fugit in Hispaniam, quemadmodum refert Iosephus de bello Iudaico li. 2.c.8.in fine capitis,& fertur aduentasse Lugdunum, Galliæ notissimam vrbem.

Super illa verba, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, tractare poteris Deũ maiori semper periculo necessarium auxilium præstare, circa quod lustrabis sequentia loca.

Vide D. Basi.Moralitate 130,vbi multa scripturæ sacræ loca accommodata adducit.

Deum esse innixum scalæ quam Patriarcha Iacob vidit, per quam Angeli ascendebant, præfiguraut, vt ait D. Hiero. curam & solicitudinem quam habet fauendi imbecillibus, eisdem maximis in periculis constitutis, suam potentissimam porrigendo manum. Vide D. Hiero. epistо. ad Furiam de viduitate seruanda to.1.

Quod Deus piissimus maioribus necessitatibus clementer occurrat,consule D.Grego.lib. 20. Mora. cap. 19.

Deus nos magnis affligi ærumnis ac laboribus sæpè permittit, in nostrum bonum ac commodum: nihilominus tamen maiori in discrimine semper accurrit.Lege D. Grego.lib.26.Mora.c.15.

Imploremus auxilium diuinum in nostris necessitatibus, & Deus protinus nobis porriget manum. Vide de hoc D.Greg.lib.9.Mora.c.34.

Nil quod nobis succedat aduersum, nos deiicere debet, quando quidem tam facile liberare nos potest Deus omnipotens, consule eundem 6. Mora. cap.8.

Multa fiducia Deum obsecrare debemus vt nobis in nostris calamitatibus opem ferat, & nos ei obsequamur ac pareamus, vide eundem 9.Mora. capitulo 30.

Post tenebras succedit lux, sic Deus post calamitates mittit & donat quietem atque lætitiam, lege eundem 13.Mora.c.20.

Ne deficiamus quod Deus statim nos non subleuet à laboribus nostris atque miseriis, quoniam ipse cum nobis magis fuerit opus planè succurret, lege eundem lib.26.Mora.c.16.

Abraham non amisit spem promissionum diuinarum,quamuis multæ illi calamitates succreuerũt: pariter tu ne desperes de misericordia Domini quantumcumque laboribus ac miseriis afflictus & oppressus existas. Hoc vide fusè apud Chrysosto.super Gene.ho.31.to.1.

Quod Deus seruis suis in maximo discrimine cõstitutis opituletur, & quod magna ac multa huius rei exempla per scripturam diuinam reperiantur, consule eundem super Gene.ho.32.to.1.

Quod sit discrimen inter confidentiam in Deum, atque in homines, mirè explicatum inuenies apud Chrysosto.super Gene.ho.56.to.1.

Quanti æstimat ac facit Deus vt homines in eum totam spem ac fiduciam collocent, vide eundem ad popu.ho.64.to.5.

Quo pacto Deus præbeat auxilium hominibus in eum confidentibus, in magnis laboribus constitutis, atque ab ipsis illos maximo cum honore potenter educat, vide eundem super Gene. homi. 63. tom. 1.

Quo pacto confidere debeamus in Deum, vide Esa.c.26.A.vrbs fortitudinis.

Spem nostram in Deo locemus,Esa. 43. B. ego sum,ego sum dominus.

Deus nobis magnam fiduciam semper inspirat, qua speremus in se, Esa. 49. D. Nunquid obliuisci potest.

Quàm æquum sit nos sperare in Deum, Esa. 50. A.nunquid abbreuiata, & paruula facta est manus mea.

Fidamus domino Deo, ac in eum speremus, Esa. 59.A.Ecce non est abbreuiata manus domini.

In solo Deo ponere debemus spem nostram, Hie. 3.G.Verè in domino Deo nostro salus.

Vanitas est in alium quàm in Deum sperare,Hie. 14.D.nunquid sunt in sculptilibus gentium.

Confidamus in domino, qui procul-dubio nobis fauebit, Hierem. 30. B. tu ergo non timeas serue meus.

Quanta nobis insit obligatio in domino confidendi,Michææ 7.B,ego autem ad dominũ aspiciam.

Ponamus in domino fiduciam nostram, Zacha.2. B.C,absque muro habitabitur Hierusalẽ, Qui enim tetigerit vos,tangit pupillam oculi mei,

Speremus in Deum,Iob 39. A. Quis præparat coruo escam suam.

Noli

Noli teipsum in calamitates iniectum nimis affligere,sed confide in Deo,Prouer.4.C. D.ne paucas repentino terrore.

His qui se totos domino Deo commendant, magna in discrimina adductis, auxilium suo tempore præbet dominus, Genes.30. recordatus quoque dominus Rachelis.

Quantum referat spem suam in domino collocare, vide 2.Paralip.c.32. per totum.

Confidamus in domino, nobis sine vlla dubitatione futuro 1.Esdræ 6.per totum.

Auxiliatur ac fauet suis Deus in laboribus.Tobię 3. D.hoc autem pro certo.

De hoc Euangelio vide D.Brunonem Carthusianorum patrem,qui homiliam quandam habet.

Ecce angelus domini. Optimè quidem egregius Psalmista, iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde. Nunquid etiam vidistis Ioseph in Ægypto venditum, in carcerem detrusum, atque omnibus spoliatum? Sed attendite quanto cum honore dominus eum ab his omnibus eripuit. Maioribus siquidem necessitatibus dominus fauet,ac succurrit.

Surge,& accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel. Res valde curiosas, siue accuratas & elegantes,super hoc leges apud D.Hiero.li.3.in Oseam propheram c.11.to.6.

Consules D.Chrysost. ex variis in Mat. locis ho. 4.to.2.

Septem autem annos fuit in Ægypto Christus, de quo vide Gorranum super hunc locum.

De reditu domini ab Ægypto, consules etiam Vincentium Belluacensem speculi histo.lib. 6. capitulo 103.

Chrysost. in nõ ab. solu. ho. 2.to.2

Quasi Medicus descendit in Ægyptum, vt visitaret eam languentem erroribus, non vt remaneret in ea. Nam in prima facie quasi Herodem fugiẽs descendit in Ægyptum,reuera autem vt Ægyptios errores,& dæmones effugaret ex ea, sicut testatur Esa. dicens: Ecce dominus ascendet super nubem leuem &c. Videȝ ergo quia ipse descendit in Ægyptum,non mortem fugiens,sed vt tot mortifera idola dissiparet. Nam nunquam inuenitur descendisse Christus, nisi tunc. Notandum autem quòd nocte fugit in Ægyptum,& reuertitur per diem: quoniam fugiens,persecutionem fugiebat Herodis, reuertens autem mortuo reuertebatur persecutore. Omnis enim persecutionis angustia nox est,refrigerium autem dies.

Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Tractare potes quo pacto superbia tyrannorũ atque elatio deprimitur ac euanescit: & quomodo eosdem punit iustissimus Deus potentérque humiliat & deiicit.Vnde ad id leges sequentia.

Mali consumuntur infaustè,& infelicissimos semper terminantur in fines:intuere siquidem quàm infelici exitu occubuit ille crudelis Ioas 2. Paralipomenon 24.

Considera in quem finem peruersitas regis Demetrij deuenit tandem, quod maximè extitisset ingratus Ionathæ.1.Mach.11.

Attende quo fine crudelis ille tyrannus Ieroboam consumptus est,2.Paralipo.13.

Quo pacto tyrannos tractet Deus,Esa.49.F.G. & afferent filios tuos.

Tyranni in quem finem deueniunt, Ezechie.19. A.quare mater tua læna.

Tyrannos punit Deus,Amos. 5. C.idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem.

Tyrannos cohibet & refrenat Deus,Nahum 1.D. & nunc conteram virgam eius.

Confidera vt minatur tyrannis Deus Nahum 3. A.væ ciuitas sanguinum.

Tyrannis Deus comminatus iamdiu est Abacuc 2.C.væ qui ædificat ciuitatem in sangnibus.

Tyranni quo fine claudantur.Sopho.3. A.principes eius in medio eius. & D. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te.

Tyrannis facta est comminatio à Deo Malachiæ 3.B.& accedam ad vos in iudicio.

Tyrannis tempus aduenict quo pœnas suorum scelerum luent, Iob 5.B. C. qui dissipat cogitationes malignorum.

Tyranni prostrantur à Deo,Iob.18.B. C. D. nonne lux impij extinguetur.

Tyranni in quos fines pertrahuntur Iob 20. C. diuitias quas deuorauit euomet.

Tyrannis grauissimè comminatur Deus Iob 24. per totum.

Tyranni cito peribunt Iob.24.D.eleuati sunt modicum.

Tyrannos quo pacto tractabit Deus Iob 27. B. nunquid Deus audiet clamorem eius.

Tyranni qua periodo claudantur 2.Reg.19. D. & proiecerunt eum.

Tyrannorum atque crudelium qualis existat finis 3.Reg.16.D.videns autem Zambri.

Tyranni & superbi quo tandem deueniant 3.Reg. 20.per totum.

Tyranni in quem terminum redigantur 3.Reg.21. per totum.

Tyrannides quàm infeliciter terminentur 4.Reg. 9.B.& percuties donum Achab.

Tyranni ac crudeles quo tandem redigantur 4. Reg.10. 11. 18. 19.

Morbos & exitum tandem miserabilem Herodis huius Ascaloniæ, videbis apud Iosephum de bello Iudaico lib.1.c.21.& de antiquit.lib.17.ca.8.9.10. & in Histo.Ecclesiast.lib.1.cap.8.& 9.

Super illa verba,defuncti sunt qui quærebant animam pueri,vide S.Tho.1.2.q.82.art.2.ad 1.& 3.p.q. 46.ar.11. ad 3.& de malo q.4.art.8.ad 1.

Nicolaꝰ Lyranus.

Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro pro Herode parte suo, timuit illo ire. Ad intelligentiam huius loci notandum, secundum quod refert Iosephus lib.17. Antiqui. c. 10. Quod Herodes moriens condidit testamentum, in quo ordinauit Archelaum filium regni sui successorem, ita tamen quod coronam sibi non imponeret, nisi per Romanum Imperatorem. Ad accipiendum igitur diadema venit Romam, sed & fratres eius Philippus & Herodes illuc venerunt petentes paternæ hæreditatis partem. Denique Imperator decreuit vt Archelaus haberet medietatem regni paterni, & data est Iudæa: aliam autem medietatem diuisit in duas partes, & vnam dedit Herodi,& factus est Tetrarcha Galileæ: aliam dedit Philippo, & factus est Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis,vt tangitur Lucæ.3 Quare quia Archelaus fuerat à patre substitutus quantũ in se fuit,ideo fauebat factis à patre:propter quod Ioseph relicta Iudæa secessit in partes Galileæ, vbi dominabatur alius filius, qui portione sibi debita à patre fuerat priuatus quantum in se fuit. Et ibidem securius mansit:ideò enim maluit huc venire, quòd non ita paternis factis iste adhæreret.

Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth. Vide Tho.3.p.q.35.art.7.ad 2.

Vt adimpleretur quod dictum est per prophetas,quoniam Nazareus vocabitur. Vide D. Hiero. in præfatione in Pentateuchum.

Nazareus vocabitur. Erat autem Nazareth viculus vilissimus,immò non ille tantummodo: sed cuncta prorsus regio Galileæ. Propter quod dicitur, vide quia

quia à Galilea propheta non surgit. Sic etiam Nathanael dixit, à Nazareth potest aliquid boni esse? Verum Christus non inde erubescens vocari, ostendit quòd nullius eorum quæ secundum hominem magna videntur, indiget. Item discipulos de Galileæ regione elegit, vbique occasiones amputans desidia ac torpore languentibus, ac docens, quòd nullius rei indigeamus externæ, si voluerimus studere virtuti. Propterea etiam nec domum quidem vspiam possedit: filius inquit hominis non habet vbi caput suum reclinet. Item Herodis insidias fugit; & natus in præsepio collocatur, in diuersorio manet; & matrem elegit pauperem: nos videlicet erudiens, ne quid horum esse erubescendum putemus. Itaque ab ipsis principibus vniuersam mundi pompam, omnem superbiam, atque arrogantiam, calcans, solius nos sectatores præcipit esse virtutis. Cur enim tu de nobilitate patriæ tumescas, cum te ego totius mundi iubeam esse peregrinum, cúmque talem esse te liceat, vt ad comparationem tui totus hic orbis iudicetur indignus? Quemadmodum etiam Christianus ista debeat despicere, quæ ne ab ipsis quidem Gentilium Philosophus alicuius pretij iudicantur, sed longe extra bona hominis constituta, Ioannes quidem ad se venientibus inclamabat: Ne velitis dicere quia patrem habemus Abraham. Quid enim filios Samuelis necessitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis hæredes? Quid etiam Mosi liberis paternæ profuit cura iustitiæ, cuius eis non successit imitatio? Age verò, quid Timotheo nocuisse creditur, quòd fuerit de patre gentili? Quid contra Noë filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est famulus? vidistis certè quàm non suffecerit ad suffragium liberorũ paterna nobilitas: vitia siquidem voluntatis, vicerunt priuilegia naturæ. Esau quoq; nonne sancti Isaac erat filius, magnóque etiam patris fauore munitus? qui scilicet studebat atque cupiebat primatus ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat. Sed tamen quia prauus moribus erat, nihil ex his omnibus adiutus prorsus est. Nequaquam ergo hominum accedamus sententiæ, qui de nobilitate ac diuitis gloriantur, ne in extremam tandem inopiam decidamus. Sed illam potius expetamus opulentiam, quæ consistit in splendore virtutum: illam verò paupertatem refugiamus, quæ nos constituit in squalore vitiorum. Per hanc ille dives versus in pauperem est, qui ne vnius quidem erat aquæ guttæ dominus, quam multis precibus ambiebat: nec est omnino inter nos quispiam, qui tanta egestate teneatur. Quid igitur tota mente diuitiis, & nobilitati inhiamus, quandoquidem nos ista in cælum euehere non possunt? Multa alia inuenies in hãc sententiam apud Chrysost. ho. 9. super Mat. to. 2.

Dominica infra octauas Epiphaniæ Domini.

VM factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus parentibus eius Hierosolymam secundum consuetudinem diei &c. Luce. 2. Quod auderet Ioseph quotannis ascendere in Hierusalem etiam cum Iesu, regnante Archelao, vide Augst. lib. 2. de Consensu Euangelist. capitulo 10. to. 4.

Hoffmeister sup. Luc.

Hic docetur quomodo parentes debeant filios adducere ad templum. Quid enim quæso, sunt ne liberi tui delicatiores ipso Iesu, vt eos ad id nõ debeas assuefacere? Si dicis non habere capacem ætatem ad sermones audiendos, cur quæso eos instruis id ætatis in cantionibus, saltationibus, & aliis lasciuiis? Aduerte quòd ex ipsis concionibus discent quomodo debeant tibi obedire, & debeant te reuereri: & melius credent dicenti concionatori, quàm tibi. Aduerte quòd quia carent filij doctrina & disciplina, tendunt sæpissimè in infelices exitus, & parentibus molestissimam exhibent senectutẽ. Aduerte & reuoca in memoriam Patriarcham illum Abraham, qui maximo in pretio à Deo habitus est, propter solicitudinem, quam gerere alioqui de suis filiis debebat. Dicitur enim Genes. cap. 18. scio quod Abraham præcepturus sit suis filiis, & familiæ, vt seruent mãdata mea. Atque ita Deus in eo promissiones omnes exoluit. Disce quid Heli contingerit, propterea quod non castigauit filios. Aduerte quanta cura Iob incumberet non solum in eo vt filij non committerent peccatum, sed etiam vt ne vellent quidem cogitare malum aliquod. Multi denique filij damnantur, & infeliciter pereunt, propter parentum ipsorum negligentiam, & instruendo incuriam. Vide quid dicat Grego. cap. 18. lib. 4. suorum Dialogorum: scilicet quod erat quidam puer valde assuetus iuramentis, de quo tamen pater eum non arguebat. Atque ita ex ipsiusmet patris sinu à Dæmonibus ereptus est.

Noluit Christus ante trigesimum ætatis annum prædicationem exercere (nam hodie tantum interrogat & respondet) vt intelligamus quod id ætatis deberent fere prædicatores nancisci. In cuius rei typum, Iosepho cum esset triginta annorũ data est gubernatio Aegypti. Et dauidi etiam administratio regni. Item Ezechieli triginta annorum, datus est spiritus propheticus.

Non est tempus periculosius quo pueri discurrãt per vicos, quàm cum celebrantur diuina officia: quia in his recolliguntur fere omnes timentes Deũ, aliis autem horis sunt per calles dispersi, & si quid mali viderint, id reprehendent: tempore autem quo fiunt conciones fere viri inutiles tãtum & nequam relicti per vicos sunt, quibuscum versari possint. Vnde parentes, si secum filios non habent, semper metuere debebunt eorum periculum. Filiæ etiã si domi relinquantur, multo maiorẽ ingerẽt solicitudinẽ. Omnis ergo hæc solicitudo & molestia tolletur, si tecum liberos omnes, vt debes, ad templum adferes.

Quemadmodum sol priusquam sese hominibus totum ostendat, tenebras paulatim discutere solet: ita sol iustitiæ Christus, qui 30. fere ætatis suæ anno mũdum erat aperte illuminaturus, duodecimo cœpit fulgore suo eius tenebras & caliginem dispellere. Ascendit autem Christus in templum, vt doceret nos, rerum diuinarum curam etiam in nostra pueritia esse suscipiendam, neque in senectutem differendam, quin à teneris vnguiculis incumbendum esse virtuti. Vnde voluit dominus vt Leuitæ qui eius seruitio destinati erant, à pueritia diuino cultui totos sese traderent. Ecclesiastici 30. etiam legitur, curua ceruicem filij tui in iuuentute. Stultus quidem esset qui diceret, nolo equum meum itineri & deambulationi assuefacere, donec inseneſcat. Sero insuper, vt ait Poëta, morbo medicina paratur, cum mala per longas inualuere moras. Sero profecto resistitur hostibus, postquam totam vrbem occupauerunt: & sero sal adhibetur carnibus, quæ iam vermibus scaturiunt. Qui optime equitaturus est, vt inde à prima ætate equum ascendere incipiat necesse est: & qui pastor futurus est, etiam debet scire iam inde à pueritia & peram portare, & funda iacere, & in montibus altissimis cœli iniurias ferre.

Ascendentibus parentibus. Dices, quo tempore ad orandum accedo (nam datur huius rei nobis exemplum in Euangelio) variæ magines circumstrepunt, quæ mentem meam ad terram deprimant. Fugite fratres quantum potestis omnem strepitum interorandum pro deuotione retinenda. Nam nihil deuotionis spiritu delicatius, nil magis vitreum: nil magis cuilibet iniuriæ obnoxium. Christe sancte, quàm leuibus de causis feruor ille & calor diuini spiritus refrigescere solet! leui scilicet risu, verbulo otioso, incomposito corporis motu, & similibus. De beato Antonio Athanasius in vita eius memorat, quòd cum illi in deserto agenti, semel aut bis in anno ministeret quidam panem (quo solo vescebatur) afferret: ne simplici quidem verbo vltro citróque dato, quietem suam vir sanctus interrumpere vellet, ne hac occasione internum illud animæ suæ silentium, & sabbathum violaret. D. vero Francisc⁹ in solitudine montis Aluerniæ cum Deo vitam agens, socium admonebat vt cum media nocte ad eum pergeret, nocturnos Hymnos recitaturus, nullum verbum proferret: sed statim versiculum inchoaret, Domine labia mea aperies. Quod si ipse sequentem versiculi partem non redderet, abiret protinus.

Vitia in filiis extinguamus in initiis. Nam plerumque inutilis fit medicina cum morbi ob diuturnitatem fiunt robustiores. Videmus etiam arbores, quæ nunc immensis radicibus tertæ adhærent, quo primum tempore plantatæ fuerunt, virgas fuisse, quæ tunc leui manu euelli potuissent: nunc verò fortissimis machinis non possunt euelli. Non vides flumina quo pacto fiant magna? nam vbi ortum habent exigui riuuli sunt, sed collectis per spatia aquis, multiplicantur. Virga profectò atque correctio tribuit sapientiam, vt ait Salomon Prouer. 29. Puer autem qui dimittitur voluntati suæ, pudefacit matrem suam. Et rursus inquit, instrue filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Dicitur etiam: lacta filium tuum, & pauentem te faciet: lude cum eo & contristabit te: instrue puerum iuxta viam bonam, & cum senuerit non recedet ab ea.

Aliter sunt admonendi qui cum habeant sufficiẽtiam & ætatem recusant prædicare propter humilitatem & timorem: & longè aliter refrænandi potius, qui cum inhabiles sint, id muneris volunt exercere. Videant enim illi quòd si iustè reprehendũtur qui cum habeant pecunias eas non cõmunicant pauperibus: multo magis ipsi reprehensionem incurrere debent, qui nolunt quam habent doctrinam cõmunicare. Sapientia autem absconsa & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? si præterea populus famæ præmeretur, & tu haberes triticum absconditum, nonne hoc tuum magnum scelus esset? Multo maius certe est, quòd doctrinam, pabulum animę, abscondas. Qui abscondit frumenta ait sapiens, maledicetur in populis: abscondere autem frumenta est denegare sanctam prædicationem. Si non abscindere putridum alicuius vulnus, cum attem calleas, crudelitatis cuiusdam est, quandoquidem ea causa is moreretur: an non maior est crudelitas, prædicationis gladio vitia non abscindere, cum possis, & morbis animæ non mederi? Maledictus ait Hiere. qui prohibet gladium suum à sanguine. Recordare præterea eius qui abscondit talentum grauem pœnam quam subiit. Non equidem prophetа in hanc reprehensionem incurrere volebat, cum dicebat: Ecce labia mea non prohibebo, domine tu scisti. Cæterum illi sunt refrænandi & arcendi à tanto munere, qui tũm propter ætatem, tum propter ignorantiam, minus habẽt ad hoc munus autoritatis, præsertim cum propter audaciam suam possint deturbari cum ignominia ab ea dignitate, quam tamen progressu temporis vtilius, laudabiliúsque exercuissent. Sunt isti tanquam arbores illæ quæ intempestiuè flores emittunt, succedentibus autem ventis, & calamitate aliqua, mox destruũtur, & omnino intereunt. Sunt etiã similes auiculis, quæ vix bene plumatæ, sese aëri exponunt, ac propterea concidunt, & intereunt. Si ædificium aliquod bene solidatum & fundatum non est, ac superuenerint trapes multæ, & alia pondera, ruit plane totum ædificium. Item partus intempestiui infelices habere solent exitus. Quamobrẽ Christus ad nostram vtilitatem & exemplum, tametsi posset prædicare in quacunque ætate, maturiorem tamen expectauit. Hæc, & alia Gregorius 3. par. pastora. admoni. 26.

Anno duodecimo voluit manifestare suam sapientiam, vt significaret quod fides & Euangelium suum per duodecim Apostolos & egregios prædicatores esset promulgandum. Ambrosius 2. super Luc. capitulo 9.

In festiuitatibus & sacrificiis inueniebatur Christus, quia ipse erat qui significabatur in illis, & ibi manebat quasi absconditus duplici velo: aliud erat superficies literæ, aliud verò caro ipsa. Hoc significare voluit sponsa, dicens: En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Esaias etiam dixit, verè tu es Deus absconditus. Ipse quidem inter agnos quodammodo ingulabatur, & inter vitulos sacrificabatur, & in omnibus sacrificiis offerebatur.

Ter in quoque anno debebant pueri præsentari in Hierusalem in templo ante dominum, vt patet Exo. 23. in festo agni, in Pentecoste, & festo tabernaculorum: sed qui procul aberant, in duabus vltimis festiuitatibus dispensabantur. Alber. Ma. sup. Luc.

Christus inueniebatur in ipsis sacrificiis & solemnitatibus: vbi in igne ostendebatur eius charitas, in morte agnorum & ouium, eius mansuetudo: qui tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit.

Habet quandam hom. super hoc Euang. D. Ber. quæ incipit, Petis à me fili charissime.

Super epistо. & Euang. hodiernum duas edidit conciones D. Antoni. in principio primæ partis Theologa.

Tres habet conciones D. Tho. Duas quidem super epist. & tertiam de Euang. prope finem to. 16.

Circa filiorum curam videbis exemplum illius filij male educati, qui quia erat male instructus & informatus, filius nempe illius mulieris Israelitidis ex viro Aegyptio, blasphemus euasit, ac sceleros⁹, & fuit ab omni populo lapidibus obrutus, vt habetur Leuiti. 24.

Præcipiebat Deus in lege parẽtibus, vt filios suos docerent maxima beneficia & excellentia bona, quæ illis fuerat elargitus, vt sic diligeretur Deus ab illis, vt legitur Deutero. 11.

Mirabiliter instruebat mater Machabæorum filios, & animabat ad ea quæ Dei obsequium ac gloriam concernebant 2. Machabæorum 7.

Curæ erat maximæ patriarchæ Iacob bono filij sui Ioseph consulere, cum increpabat eum somnia referentem, Gene. 37.

Si Adonias fuisset rectè educatus ac castigatus, non fuisset tam infausta morte de vita sublatus 3. Reg. 2.

Quàm optima dederit cõcilia Dauid filio suo Salomoni in ipso ab hac vita discessu, lege 3. Reg. 2.

Quanta diligentia parentes Saræ sponsæ Tobiæ iunioris instruerent eam quæ facere deberet, & quomodo sese habere deberet ac gubernare, vide Tobiæ 10.

Optimè educata atque informata sane erat constantissima illa Susanna, quando tanto tãmque virili pectore

pectore Dei honorem & suam famam ac nomen, fortissimè conseruauit, Danie. 13.

Philosophi aliqui etiam circa liberorum institutionem documenta nonnulla reliquere. Vt Phocylides dixit, blanda patrum segnes facit indulgentia natos. Cleobulus dixit, Excitatè in liberorum educationem incumbe. Socrates, curare debes, vt tum tu, tum filij, honestā famam relinquatis, potius quàm amplas opes, quæ mortales sunt. Cato tandem grauissimè dixit, familiam ne sinas peccare.

Consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes &c. Origen. in Luc. ho. 19. Non est intelligendū quod perderetur ipse, nec quod quamuis parentes eum quærerent, crederent esse perditum. Sed quærebant eum, quia ipsi eum perdiderant: hæsitabántque num ad aliam prouinciam vel locum abiisset, vel si in cælum forte rediisset, posteà aduenturus cum vellet.

Octo diebus durabat festum, de quo vide Deute. 23. & Haymonem hom. in domi, infra octauas Epiphaniæ.

Didacus st. Ila sup. Luc. Percontatur quidam modernus, quomodo Christus in illo triduo quod fuit in Hierusalem, se sustentauerit, aut quis illi dederit cibum, & dicit. Respondeo cum Basilio, Bernardo, & aliis Ecclesiæ doctoribus, Christum ostiatim mendicasse. Et Paulus de Christo ait: propter nos egenus factus est, vbi in Græco habetur, mendicus, & sic legit Basilius. Verba autem Bernardi libet referre. Vt te per omnia nostræ paupertati conformares, quasi vnus de turba pauperum stipem per ostia mēdicabas. Quis dabit me bucellarum illarum mendicatarum participem fieri, & illius edulij reliquiis! Et si aliquis dixerit quod dominus in vetteri lege præcepit, dicens: Non erit mēdicus inter vos, respondeo quod loquebatur diuitibus, ac si eis diceret: Ita diligentes sitis in subueniēdo necessitatibus pauperum, vt nullam habeant necessitatem mendicandi. Pauper & mendicus voluit esse, secundum illud Psalm. 39. Mendicus sum, & pauper: quæ verba ad literam August. super hunc Psalm. de Christo intelligit. Allegat autem S. Bonauentura, & refert illa verba Bernardi, quæ modo enarrauimus. Theophylactus etiam iuxta antiquam translationem, qua vtitur Thomas in Catena aurea, super illud Lucæ 10. in eadem domo manete manducantes & bibentes quæ apud illos sunt, ita hunc locum exponit. Vide inquit, qualiter discipulos mendicare instituit, & pro pretio nutrimentum eos habere voluit, Ioannes autem Occolampadius, qui Theophilactum corrupit, de industria verbum mendicandi mutauit, eo quod patrocinari videbatur piæ monachorum mendicitati.

Et remansit puer Iesus. Permittit sæpe Deus vt suas cōsolationes perdamus, vt cognoscamus quàm magnæ sint, & cum redeunt pluris eas faciamus. Vnde Reges cum secundò viderunt stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Saul quidem Samuelem & Dauid tunc satis cognouit, cum se vidit adeò oppressum à Philisthæis, cúmque falsa illa oracula consulebat, præsertim cum illi duo omnia eius opprobria auferrent.

Deum perdimus & amittimus nostrapte culpa, & ideò abest, quòd eum conseruare nesciamus. Cum habes apud te venerandum aliquem hospitem, præstas quantum est in te vt domi nullus adsit strepitus, nulla rixa, aut perturbatio, sed sint omnia quieta, & omnia præparata, aliter enim nullus vellet apud te manere. Quod cum ita sit, quid quæris vt Christus apud te maneat, si tua ista prāua vita eum depellis, viuens tam negligenter, & perditè? Si vis eum excipere hospitio, id quietè & solicitè præstare debes, ornando probe hospitium tuum, hoc est animam: quemadmodum mulier illa quę prophetam excepit, parauit hospitium, & in eo disponit lectulum, sellam, mensam, & candelabrum.

Si insignem aliquem virum hospitem haberes, & non solum eum à te dimitteres prauo hospitio, verumetiam in illius locum sufficeres inimicum eius: dic quæso, quid iste hospes de te iudicaret? Ita nos gerimus fratres, qui Deum eiicimus à nobis, & dæmonem ipsum admittimus. Cæterum tam benignus & clemens est Deus, vt si eum reuocemus semper redeat. O bonitatem, & clementiam diuinam! Ecquis posthac tam negligens esse poterit, qui Deum semper non reuocet?

Quàm parum Deum immortalem tantam iacturam dolemus! Si annullum amittimus, aut vanum aliquem honorem, quàm inquieti sumus, anxij, ac tristes, quantáque solicitudine amissum quærimus, indagamus, ac curamus recuperandum! amittendo verò Deum ipsum (qua iactura nulla maior esse potest) negligentes omnino sumus. Ne perdamus ludū aliquem, aut sponsiones, maximam adhibemus diligentiam: propter absentiam autem Dei non ita anxiè nos gerimus.

Non tractat cum matre Christus quòd remanere vellet, vt intelligamus quòd res quæ manifestò bonæ sunt, & necessario præstandæ, non sunt communicandæ ipsi carni, quæ fortasse ne laborem tolleret, contrarium aliquid consulet. Vnde ei qui volebat Christum sequi, si permitteret primum sepelire patrem: respōdit Christus, sine mortuos sepelire mortuos suos. Et alteri qui dixit se primum velle renuntiare his qui domi erant, dixit, quòd nemo mittens manum suam ad aratrum, & respicians retro, esset aptus regno Dei.

Si Deus à te discesserit auferendo interdum suas internas consolationes, non debes propterea cadere animo: solet enim id sæpè cum maximè dilectis ad maiorem ipsorum vtilitatem facere, vt vehementius & ardentius eum quærant, ac inuentum ament. Capella Carthusia.

Considera quomodo abscondatur Christus, & suo tempore etiam manifestetur, vt discas ex eo cōmodo tempore abscondi, & prodire. Nec debes cum charitas non postulat id facere, vel cum minus conuenit. Sed interim meditabere quæ è re tua sunt: & tua omnia dispones, moréque & actiones dirigens, vt quando prodeas, id facere possis considerate, & cum fructu ac vtilitate. Capella Carthusia.

Et non cognouerunt parentes eius. Vide Bibliothecam sanctam Sixti Senensis lib. 6. annotata. 139.

Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes eum, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Origen. in Luc. hom. 18. Quæritur Christus à sancto Ioseph, & licet fuerit eius comes in laboribus, & in fuga Aegypti, non tamen inuenit eum statim. Non reperitur etiam Iesus inter cognatos carnales. Vide ergo vbi tandem inueniatur, vt & quærere scias, & inuenire. Quere enim in templo diuino: quære eum inter magistros & doctores suæ Ecclesiæ, non inter eos qui foris sunt, siue inter hæreticos. Si enim hic quęsieris, planè non inuenies. Maximis angustiis sanctissima mater & doloribus circundata erat, cum thesaurum illum & sapientiam æterni patris, quam in custodiam acceperat, amisit. vnde gemitibus dicebat verba illa quæ Rubem dixit: puer non comparet, & ego quo ibo?

Quærebat virgo puerum, & non inueniebat: quemadmodum cum quis quærit sensum alicuius loci scripturæ, & non inueniens, multa cura & solicitudine

citudine tum ingenium exercet, tum libros euoluit; non tamen propterea intelligens quòd sensus ipse sit perditus, vel erratus, sed quod ipse eum non possit inuenire: ita parentes puerum quærebant, ita tamen vt satis scirent eum perditum non esse, sed se modo eum non inuenire.

Capel. Card. *Et non inuenientes.* Non debemus quærere perfectam consolationem in creatura aliqua, nec debemus sperare in ea, sed tantum in solo Deo: qui in Hierusalem, quæ est visio pacis, inuenitur. Sine hoc enim cæteta vana sunt, & sine vllo sapore, ac consolatione. Eam ergo si non inueneris nil præterea reliquum esse poterit quietis.

Et non inuenientes. Amittunt puerum in festo & solennitate ascendendo in Hierusalem, & non perdunt eum quando cum eo aufugiunt in Ægyptum. Non solet amirti Christus in tribulationibus, imò solet te periri, potius quàm in prosperitatibus & humanis iucunditatibus. Dauid in calamitatibus non amisit Deum, in prosperitatibus autem sic. Salomon etiam in pace & iucunditate eum amisit. Alexander Magnus postquam totum Oriētem subegit, superbiendo in prosperitatibus, in crudelitatem incidit & tyrannidē, interficiens fratres suos, matrem, & multos cognatos, ac amicos, viros præclaros. Propter quod Paulus Orosius eum vocat magnum miseriarum gurgitem, & totius Orientis atrocissimum turbinem. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11.

Deus in laboribus inuenitur, iuxta illud, cum occideret eos, quærebant eum. Consule Glos. incognitam super psalm. 77. prædictum versum explanantem.

Quomodo quærendus sit lege Hectorem Pintum explicantem locum illum Esai. 21. venit mane & nox: si quæritis, quærite.

Deus melius inter labores quæritur, quàm inter delicias ipsas, lege Hectorem Pintum declarantem verba illa Esai. 28. sola vexatio intellectum dabit auditui.

Autor Non fuisse inuentum Iesum inter cognatos & notos, significat Deum inter delicias ac voluptates minimè inueniri: & ita poteris differere quantum ista nobis officiant, & videbis sequentia.

Voluptates ac delicias humanas esse rem quandam momentaneam, vide apud Esai. cap. 29. B. & sicut somniat esuriens.

Quàm mala sint oblectamenta & gaudia humana, consule Hiere. 3. capit. C. abiit sibi met super omnem montem.

Quantum impendiant à Dei obsequio humana solatia & oblectamenta, vide eundem cap. 5. G. ideo magnificati sunt, & ditati.

Deliciosè nutriti & voluptuosè, quem habeant tandem exitum, Hiere. 25. G. vlulate pastores.

Solatia ac gaudia vana quò deueniant, ac quantum noceant, Hiere. 31. D. vsquequo deliciis.

Voluptates & vana gaudia quomodo terminentur, Threno. 4. A. qui vescebantur voluptuosè interierunt.

Humana gaudia & oblectamenta quomodo desinant, Ezechie. 16. F. hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ.

Deliciæ ac voluptates humanæ quem in finem redigantur, Ezechie. 31. per totum.

Voluptates humanæ multum damni afferre solent, Danie. 13. B. afferte mihi oleum & fmigmata.

Gaudia & oblectamenta vana multorum malorum fontes. 2. Reg. 11. vidítq; mulierē se lauantem.

Delicatè nutritis & deliciosis vide quid Amos propheta dicat 6. capitulo B. qui dormitis in lectis eburneis.

Voluptates atque deliciæ humanæ quem finem sortiantur, Michææ 1. D. decaluare, & tondere.

In quem finem deuenient in deliciis nutriti, Esa. 3. D. in die illa auferet dominus ornamentum. Item & erit pro suaui odore fœtor.

Delicati & dediti voluptati quem habeant exitum, Iob 21. B. ducunt in bonis dies suos.

Oblectamenta humana quem terminum habebunt, Iob 24. C. D. dulcedo illius vermes.

Quid delicioſi & delicati dicant, vide Sapien. 2. B. venite ergo & fruamur bonis.

Gaudia mundana & oblectamenta, diuinis gaudiis minimè copulantur, Deute. 11. B. terra enim ad quam ingredieris.

Voluptates mundanæ cum diuinis esse simul non possunt, Iosue 5. C. defecítque manna.

Humanæ deliciæ quo exitu desinant, Iudicum 4. C. aperuit vtrem lactis.

Ne persistamus ac hæreamus in voluptatibus vanis, Iudicum 7. B. qui manu & lingua lambuerint aquas.

Humanæ deliciæ fallaces sunt, & prorsus inanes, Apoca. 18. D. poma desiderij animæ tuæ.

Temporalia oblectamenta nocent multum, Mat. 10. D. qui inuenit animam suam.

Attende quem finem obtineant voluptates humanæ, Lucæ 16. E. qui induebatur purpura & byſſo.

Et factum est post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, stupebant autem omnes qui eum audiebant &c. Orig. super etiam admirabilibus. Atque ita vrgebat, vt nullus per. Luc. 18. Interrogabat diuinè & respondebat responsionibus, respondere sciret, & ideo ipsemet suis interrogationibus respondebat, siue satisfaciebat,

Post triduum. Ita in Passione gloriosa resurrexit tertia die. Fuit etiam optatus eius aduentus in lege naturæ à patriarchis, & non fuit inuentus. A prophetis in lege scripta desideratus, sed non inuentus. A gentibus verò tanquam die tertia fuit quæsitus, & inuentus est. Glos. Or di. super Luc. 2.

Non satis constat quidnam hi doctores cum Christo tractarent, nec quid Christus interrogaret. Colligitur tamen ex Euangelio res eas fuisse subtilissimas, & grauissimas, cum dicat. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Credibile est Christum proposuisse aliqua loca difficilia ex leges ex quorum cognitione venirent tandem ad cognoscendum Messiæ aduentum. Quæ cum ipsi non intelligerent, Christus eos instruebat, tum interrogando, tum respondendo. Exemplum quoddam & specimē edebat tunc puer, eorum quæ postea successura essent, ostēdendo tantam virtutem. Cōtrà hac nostra ætate pueri & adolescentes vitiosè agendo, omnibus manifestāt quales in posterum sint futuri, suis fallaciis, lasciuiis, imposturis, & vitiis: O infelicem ætatulam! ò annos paruos, sed prauos! ô parentum eorum improbitatem, qui tam impurissimam liberis relinquunt hæreditatem, & doctrinam! Qui autem adolescentes moderati, vrbani, studioſique sunt, & in quibus est iam senilis animus & consilium sub iuuenili corpore: hi certè maxima laude dignissimi sunt. Quos cum video, non possum non & Deum factorem laudare, & pleno ore dicere: O felices, qui tales, ac tantos genuere, parentes! Et vicissim, ô laudabiles adolescentes, quibus tales patrēs contigerunt.

Cum eum mater inter doctores inuenit maiori gaudio perfusa est, quàm antea tristitia, & cum esset modestissima, noluit ingredi vbi ipse erat: sed statuit se in loco, vbi posset à puero videri. Qui cum Capella Carthusia.

primum eam vidit, breuiter se expediuit, & discedens à doctoribus accessit ad matrem, quæ cum lachrymis, & reuerentia, ac fiducia suæ obedientiæ, dixit: Fili, quid fecisti nobis sic?

Quantum gaudij pia virgo ceperit, cum filiũ tanto quæsitũ dolore inuenit, nulla dicendi vis poterit exprimere: de quo videbis Sannazarium poëtam.

Quibus autem signis coniicere possis te tandem Deum inuenisse mire D. Bernardus explicat his verbis, sermo. 64. super Cantica: Ex motu ait cordis, intellexi præsentiam eius: & ex fuga vitiorum, carnaliúmque affectuum compressione, aduerti potentiam virtutis eius.

Quid significet puerum Iesum post tres dies inuentum esse, vide D. Ansel. in expositione super aliqua Euangelia cap. 3.

De inuentione domini Iesu in medio doctorum, vide Vincen. Belluacensem in speculo Doctri. lib. 6. cap. 104.

Quomodo inuenit beata virgo filium suum in templo, & de triplici interrogatione beatæ virginis, vide D. Antoni. 4. par. Theolo. tit. 15. cap. 35.

Vide etiam eundem 1. par. histo. ti. 5. ca. 1. §. 5.

Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te &c. Indolendum nobis est acerbissime, cum propter peccatum Deum ipsum amittimus: sed illud grauius, quòd ex rerum terrenarum iactura acerbius lugeamus, quàm ex Dei iactura. Æquum plane esset, vt quandoquidem aliqui vident te peccãtem, & Deum eiicientem, eis etiam constaret de dolore quem sentis ex tanta iactura.

Si Tobiæ parentes adeò flebant, vt viderent filium suum, tametsi scirent se eum misisse; & dicebant: heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ. Item omnia simul in te vno habentes te nõ debuimus dimittere ire à nobis &c. Quanto magis credibile est fleuisse, & doluisse virginem! Hæc, & alia huiusmodi reperies apud Bonauent. super Luc. 2.

Fili mi, ait virgo, nonne sat erat pertulisse eos dolores quos sensi fugiens in Ægyptum tecum? Pertulisse paupertatem in tua natiuitate, laborem in Galilæa, quia nunc etiam ita me dolore afficere voluisti? labores omnes quos hactenus pertuleram, tuo tantum conspectu alleuabam: nunc autem lux mea & dulcedo, nullus erat consolationis locus te absente.

Quando propter scelera nostra Iesum amisimus, non obliuiscamur eum quærere: quin potius maxima solicitudine, lachrymis ac dolore, eum conquiramus, dimittendo peccata, & reconciliando nos ipsi mediis sacramentis. Qua autem ratione eum quærere debeamus, Moyses ipse nos edocet Deute. 4. dicens: Cum quæsieris dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. Item in Hieremia legitur, dum quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis.

Hinc notatur, quòd sic voluit filius id disponere: non quod in illis fuerit aliqua negligentia. Vnde non dicit mater, fecimus, sed fecisti. Videtur autem quòd Ioseph id erat dicturus: tamen dicendum, quòd non legitur quòd Ioseph alloqueretur Iesum, sed virgo: propter timorem & reuerentiam, qua eum prosequebatur. Virgo autem tanquam vera mater, & charitate perfectiori, id dicebat.

Dolentes quærebamus te. Vt Ægyptij submersi fuere vndis maris, sic peccata delentur & merguntur in aquis lachrymarum. Vnde diabolus, tanquam Holofernes obstruxit fontem vt Bethuliam acciperet, & obtineret, sic ipse lachrymarum fontem obstruere vult in nobis, vt nos capiat & obtineat. Iudith 7.

Pater tuus & ego. Quare obsecro dicis virgo, pater tuus, cum nihil habeat ab eo? Sed intelligit virgo id conuenire, nempe quod hoc mysterium verbi incarnati sensim & paulatim reuelarétur, quod tam altum esset, & nõ erat tunc tempus reuelandi. Si enim etiam post tot signa adhuc illum Ioseph filium nuncupabant, quomodo ante signa natum ex virgine credidissent? Chrysost. super Matthæ. homilia 3. Chrysost.

Super illud, dolentes quærebamus te, poteris tractare, iustissimum esse vt Deum amissum magno dolore & lachrymis inquiramus: ad quod contemplare paucula quæ subsequuntur. Autor.

Si tantum flebat Esau quia patris sui benedictionem amiserat, & tanta instantia ac lachrymis vt benediceretur, patrem suppliciter orabat: quanto magis nos flere debemus amisso Deo? Si adeo flebat Hebræus populus quòd alimento indigeret, quanto nos magis lamentari debemus, Deo à nostris animis absente? Gene. 27. Num. 14.

Si regius propheta tam vehemẽter optabat Deo frui, vt diceret: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum &c. certè hinc colliges facile quanto dolore Iesum amissum quærere debeamus. Psal. 41.

Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbũ quod locutus est ad eos. Hic est figura Synecdoche, nam Ioseph non intelligebat, virgo autem intelligebat, cum esset diuinitus instructa. Quod si intelligitur de circunstantibus, certum est eos non intellexisse mysterium.

Sed quæ nam erant ea negotia quæ Christus tractabat, nisi ea quæ ad salutem nostram spectant? quæ solicite tractabat, cum tu adeò tuam salutem negligas, quamuis videas Christum tam solicitum pro ea. Hæc certe cogitare deberes negoria maximi momenti esse, cum Christus ea tam diligenter tractet, & vigilanter. Cognoscitur enim vel maximè causæ alicuius pondus, ex personæ quæ eam tractat conditione, & ex diligentia quæ collocatur. Capel. Car.

Super illa verba, nesciebatis quia &c. vide D. Augusti. Dominica infra octauas Epiphaniæ, in 17. sermonibus, quos Parisienses assignant D. Augustino, in fine to. 10. operum eiusdem, sermo. 2. incipit autem, Cum esset Iesus.

Et ipsi non intellexerunt verbum. Vide Bibliothecam sanctam Sixti Senensis lib. 6. annota. 111.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Discant filij exemplo Christi obedire parentibus suis, subditi prælatis, populus suo superiori, iuuenis seni. Bene quidem intelligebat sanctus Ioseph, superiorem esse puerum, etsi videret sibi fieri subditum, & ita cum timore ac reuerentia ei loquebatur. Videant igitur hoc exemplum qui aliis subiiciuntur, quibus videntur superiores. Orige. in Luc. ho. 20.

Super illud, & erat subditus illis, vide August. contra Maximinum Arrianorum Episcopum lib. 3. cap. 18. to. 6.

Vt filiis esset exemplum Christus quomodo deberent obedire parentibus suis, dicit Euangelista quòd erat subditus eis: & vt videat quòd aliquando eis parendum non sit, dicit: Quid est quod me quærebatis? si enim parentes petunt aliquid contrarium legi diuinæ, certum est non debere nos eis obedire: nec debet amor terrenus res cælestes impedire. Nam vt dicitur Acto. 5. obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Quod si propter parentes, quibus tantum debemus, nefas est quicquam contra

contra Dei legem præstare: cur quæso propter amicos & nostras commoditates terrenas, id vnquam faciemus?

Descendit à Hierusalem in Galilæam, & erat subditus illis. Egregium planè procedẽdi modum, à seruitio Dei ad seruitium hominum: non enim debemus obliuisci etiam seruitium debitum hominibus, præmisso tamen semper seruitio Dei. Vnde quando Petrus dixit, obedire oportet Deo magis quàm hominibus, non dixit, & non hominibus. Ita enim nos gerere debemus, vt cuique demus quod suum est, reddendo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, deo. Acto. 5. Matt. 22.

Si filius Dei obedit parentibus suis terrenis, cur quæso filij non parebunt etiam parentibus suis? ô facinus turpissimum, & quod multos in barathrum trudat! Vtinam hactenus in hac re seruarentur leges Leuitici, & Deute. In Leuiti. siquidem præceptum erat ita: Quicunque maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Et Deute. 21. Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire cõtempserit; apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portã iudicij, dicéntque ad eos: Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxurię, atq; conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimẽscat. Tobias quidem cap. 4. commendabat filio, vt obediret matri. In Prouer. etiam cap. 20. scribitur: Qui maledicit patri suo & matri suæ, extinguetur lumen eius in mediis tenebris, hoc est eum Deus destituet auxilio particulari & speciali in suis maioribus periculis. Dices quòd parentes iam tui nimia senectute quasi delirant: verum hoc non sat est ad obsequium denegandum. Dic enim quæso, an non maiores isti labores tollerarũt in te educando? Nam quàm sæpè vt alia omittam, vagitibus eos molestasti, & somnum omnem adempsisti? Aut siquis concedebatur somnus, is erat maxime solicitus & inquietus, vt te defenderent, cum præsertim esses talis, vt ne à musca quidem te posses defendere. Hoffmeis super Luc 2. Matt. 16.

Et mater eius conseruabat. Hinc colligitur quòd virgo optime callebat tantum mysterium, & ita conseruabat in corde suo omnia. Caiet. super Lucã.

Et erat subditus. Is cui angeli subduntur, fit subditus: Deus homini; Deus virgini, & Ioseph per virginem. O res mirabilis, quòd Deus fit subditus mulieri, & mulier imperet Deo! Propterea disce homo obedire: disce terra subdi: disce puluis obtemperare: erubesce superbire cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gesties hominibus? Tuo te præpones autori? Vtinam cum aliquid horum intenderem, Christus ipse responderet illud quod Petro respondit: Vade post me Satana, non sapis ea quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties quasi Deo meo præire contendo, & nunc verè non sapio ea quæ Dei sunt. Si negligis homo imitari homines obediendo, imitare saltem Deum ipsum, qui subditus fit. Sequere eum quà proficiscitur: & si non potes in maioribus, saltem in humilibus. Bernardus super Missus est homilia 1. Bernard. Bernard.

Quis non fugiet posthac suo nimium ingenio adhærere, & duci, cum videat sapientiam diuinam se submittere aliis, & subdi? Bernardus de Resur. Domini sermo 3.

Et erat subditus illis. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? An ignoratis quod melior sit obedientia, quàm victima? subiicitur filius Dei virgini, & fabro, & tu vis viuere tuo ductu, citra vllam obedientiam, & citra vllum superiorem? Quousque vos sapientes eritis in oculis vestris? Si Deus subiicitur, & subditus fit: cur homo non subiicietur? Bernardus super Canti. sermo. 19.

Super illud, Et erat subditus illis, vide Laurentium Iustinia. lib. de gradibus perfectionis, qui est vltimus eius operum liber, capit. 11. vbi agitur de obedientia, ac eius quibusdam gradibus. Lauren. Iust.

Super illud, Et erat subditus illis, potes tractare de obedietia ac subiectione, quãdo Deus se subiicit, & paret hominibus; ad quod hæc pauca percurre. Autor.

Obediamus Deo, alioqui penitus delebimur. Hieremiæ. 7. E. audite vocem meam.

Maledictio diuina comprehendit illos, qui Deo non obediunt, Hiere. 11. A. B. maledictus vir qui non audierit. Item, audite vocem meam.

Attende quàm obedientes extitere parentibus suis Rechabitæ Hiere. 35. A. B. vade ad domum Rechabitarum.

Obediamus Deo, alioqui affligemur, Baruch 2. F. Si non audieritis vocem meam.

Obediunt Deo creaturæ aliæ eius: considera enim quid fecerit piscis cùm Iona.

Multa bona nascuntur ex obsequio Dei, Iob. 22. C. acquiesce igitur ei, & habebo pacem.

Subdamur domino, Iob 23. C. Vestigia eius secutus est pes meus.

Superioribus nostris pareamus, Gene. 16. C. reuertere ad dominam tuam.

Subiiciamur superioribus, Nume. 16. per totum.

Quantum interfit, vt subditi suis superioribus pareant, & obsequantur 1. Machab. 5. G. faciamus & ipsi nobis nomen.

Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. In Christo ponimus duplicem sapientiam, vnam diuinam, alteram humanam. Diuina non potest augeri, nec minui: humana vero bifariam spectatur, vel habitualis, quæ non fuit aucta, quia ab instanti conceptionis habuit tantam scientiam, quanta dari potuit naturæ humanæ: alia fuit experimentalis, in qua proficiebat. Nico. Ly ra super Luc. 2.

Hoc deber intelligi secundum apparentiam apud homines: ipse enim tanquam omnium rerum moderator, ita suauiter moderabatur suam sapientiam quantum ad manifestationem, pro ætate, tempore, & personis, vt nunc sapiens, iam sapientior appareret aliis, etsi in se esset semper sapientissimus. Bernard. sup Missus est ho. 2.

Proficiebat sapientia, &c. Contrà quidem in impio, in quo tempus frustra teritur, prætereunt dies, & anni, quibus impij corrigantur & pœnitentiam de malo agant: tamen ipsi quamuis anni labantur, & prætereant, semper in sua manent iuuentute, & peccati viriditate, ita vt nec vnquam vitam corrigere studeant, nec prudentiam senio adipiscantur. Vnde maledicti fiunt pueri centum annorum. Non sic beata Anna prophetissa, cum tempore enim proficiebat, ideóque Euangelista id scribens, ait quòd processerat in diebus multis. Lucæ. 2.

Proficiebat sapientia, &c. Consule D. Tho. 3. p. q. 7. art. 12. ad 3. & q. 12. art. 2. per totum & art. 3. ad 3. & q. 15. art. 8. per totum. & in 3. senten. dis. 13. q. 1. art. 1. ad 5. & dist. 14. art. 3. quæstiun. 5. per totam. & de veri. q. 20. art. 6. ad 3.

Et gratia. Vide eundem 3. p. q. 7. art. 12. per totum. & 1. sen. dist. 15. art. 1. quæstiun. 4. per totam. & 3. sen. dist. 13. q. 1. art. 2. quæstiun. 3. per totam. & super Esaiam cap. 11. lect. 2. in principio.

Vide denique Sixtum Senensem, Biblio. sanct. lib. 6. annota. 141.

Dominica prima post octauas Epiphaniæ Domini.

Bernard. in ser. 2. post octa. Epipha.

NVPTIÆ *facte sunt in Chana Galileæ, & erat mater Iesu ibi, Ioannis 2.* D. Bernardus in secundo sermo. super hoc Euangelium: nos animat & incitat vt confidenter in nostris necessitatibus à virgine opem auxiliúmque imploremus, dicens: Ipsa enim dico vobis fratres chariſſimi, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non decrit neceſſitati noſtræ. Et qua ex re id ſibi, & nobis perſuadeat, oſtendit dicens: Duplici nitor ratione: primum quia miſericors eſt, & mater miſericordiæ. Deinde quia video in hodierno Euangelio quod compaſſa eſt verecundiæ illorum à quibus fuerat inuitata. Multo igitur magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata. Atque hinc ſi voles poteris ſalutationem ipſam texere.

Hodierna concio & Euangelium ad ipſos coniuges videtur ſpectare. Ponit enim nobis ob oculos Eccleſia ſancta nuptias quaſdam maximæ autoritatis, & ſanctitatis: tum ex parte ipſorum coniugum, tum ex parte conuiuarum ſeu inuitatorum. Sponſus quidem fuit beatus Ioannes Euangeliſta, ille ſcilicet tam dilectus Chriſti diſcipulus, & illa aquila regia & diuina: ita teſtantur D. Hiero. & Auguſt. in præfationibus ſiue prologis ſuper Ioannē. Item D. Thomas 2.2.q.186. & alij complures doctores. Vxor ipſa fuit quædam ſancta fœmina, quæ deinceps ſecuta eſt beatam virginem. Conuiuæ fuerunt, Chriſtus, virgo, & diſcipuli ipſius Chriſti. Qua in re non modo Chriſtus matrimonium confirmauit, ſed etiam honeſtas eius & decentes ſolemnitates. Ita enim fieri Gene.24. ſolitum eſſe, legimus in veteri teſtamēto. Maximum ſiquidem quoddam conuiuium à Laban factum eſt Tobię 7. in nuptiis ſororis ſuæ Rebeccæ. Maximum item fuit illud conuiuium in nuptiis Tobiæ. Maximum inſuEſther 2. per illud Regis Aſſueri, cum reginæ Eſther iunctus eſt. Quare ſi coniuges non propter laſciuiam & luxuriam, ſed ſancto zelo copulentur, ibi etiam certe erit Chriſtus, & mater eius. Inuentus eſt ergo Chriſtus in his nuptiis ad auctoritatem tanti ſacramenti, & ad id confirmandum, quod inſtituerat.

Obſerua quòd Galfridus in ſua ſumma titu. de Sacra. non iterandis, & Hoſtien. eodem titu. & Dur. in 4. ſenten. diſtin. 26. q. 3. aſſerunt matrimonium non dare gratiam. Idem tenet Magiſ. Senten. in 4. diſtin. 2. hic tamen eſt error manifeſtus. Qua de re poteris conſulere D. Tho. contra gen. lib. 4. capit. 77. leges Conci. Floren. vbi de hac re tractat, & denique Triden. de Sacramentorum Doctrina Canon. 6. 7. & 8.

De matrimonio, & eius præſtantia, & quod legi naturali conforme ſit non plures habere vxores, ſed vnam tantum: & quomodo ſe diligere mutuo debeant coniuges, ac quo pacto educandi ſint filij, & de aliis huiuſmodi, conſule Vincen. Belluacenſem ſpeculi Natu. lib. 30. cap. 31. 32. 33. & aliis.

Labores quinam ſint in ſtatu matrimonij, vide apud eundē in ſpec. Natu. li. 3. cap. 50. 51. 52. & aliis.

Coniuges quomodo ſe habere debeant in regimine domus ac familiæ, & aliorum, iuxta Philoſophos, lege eundem ſpecu. Doctrina. lib. 6. cap. 1. & cæteris per totum librum.

An ſapientem deceat ducere vxorem, conſule eundem ſpecu. hiſto. lib. 5. cap. 3. & 4.

De erroribus quorundam negantium nuptias, vide D. Bernard. ſuper Canti. ſermo. 66. qui incipit, Capite nobis vulpes parvulas.

Vxor nec domina eſſe debet, nec ſerua mariti, ſed ſocia. In cuius rei figuram ac typum illud eſt, quòd Gene.2. Deus eam non formauerit ex capite, nec ex pedibus viri, ſed ex coſta: vbi ſignificatur etiam, ita ſeſe debere diligere coniuges, vt ſolent ſua corda diligere.

Vxor reuereri maritū debet ac venerari, & ipſe tenetur honeſtis vxoris petitiōibus acquieſcere: attende enim quēadmodū Abrahā & Sara cōuerſabātur. Gene. 18.

Parentes filias ſuas vi nuptui non tradant; parentes ſiquidem Rebeccę antequam eam nuptui traderent, dixerūt: quæramus volūtatem puellæ, Gen. 24.

Mulieres in fide ſeruanda ſuis coniugibus, imitentur Suſannam, Danie. 13.

Dicens Deus, erunt duo in carne vna, ſignifica- Gene.2. uit quod mulier vnum tantummodo maritum debet habere, & ipſe vnam ſolùm vxorem.

Noē iuſſit dominus tot viros quot vxores reſeruare, vt eſſet vnica vnici, Gene. 7.

Vinculum matrimonij indiſſolubile eſt, Mat. 19. quòd enim Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Multum ſolent inficere virum iniquitates vxoris, & contrà mariti vitia & peccata commaculant multum vxorem. Sic videmus regem Ioram ſubuerſum fuiſſe ab vxore ſua, filia Regis Achab, vt conſtat 4. Reg. 8. Ic circo cōſideret ſedulo vnuſquiſque quam vxorem ſibi in matrimonium iungat, & vxor quem virum.

Multum intereſt mariti vt optimam eligat ſibi vxorem, quando tam vehementer reprehendit Nehemias, atque puniuit eos Hebræos, qui alienigenas duxerant vxores, vt conſtat Nehemiæ 13. vbi illis reuocat in mentem regem Salomonem hac de cauſa peccaſſe, atque prolapſum maximè fuiſſe, qui ſapientiſſimus erat, & Deo maximè charus, atque ab ipſomet Deo in ſolio regni collocatus.

Vir ſequi non debet vxoris vitia, nec vxor mariti: vnde non erat olim ſufficiens excuſatio quam fœminæ illæ Hieremiæ dabant, dicentes, quòd quia ſui viri idola colebant, ipſæ quoque vellent idipſum efficere, vt habetur Hierem. 44. & hac de cauſa filij tranſmigrationis dimiſerunt filias alienigenas quas habebant, vt conſtat 1. Eſdræ 10.

Quo fine ac inſtituto debeat vxor coniungi in matrimonium, explicuit angelus Tobiæ iuniori dicens: Accipe vxorem cum timore Dei, & amore filiorum magis quàm amore libidinis, Tobiæ 6.

Matrimonium in nouo teſtamēto & veteri Deus multipliciter honorauit. Nam ordinem matrimo- Gene.2. nialem in paradiſo conſtituit, & in diluuio ſolos matrimonio iunctos ſaluauit, Gene. 7.

Vt nobilitaret etiam matrimonium Chriſtus Dominus, voluit vt mater ſua eſſet iuncta matrimonio ſeu deſponſata, eſſētque inter eam & S. Ioſeph ve- Matt. 1. rum matrimonium, licet non cōſummatum: & quoque voluit hoc die intereſſe nuptiis, cāſque primo Ioann. 2. omnium miraculo celebrare & illuſtrare.

Fuge prorſus habere ex adulterio filios, quoniam plerumque vitioſi & peſſimis euadunt moribus: nam qui blaſphemaſſe in Deum primum inuentus Antoni⁹ eſt, fuit ex adulterio, & Dei præcepto lapidibus obru- Ampigol tus fuit, vt patet Leui. 24. lus in ſua biblia au rea ca. 83.

Attende in quæ abſurda ac deliramenta prolapſi de Matri fuerint Dauid & Herodes committentes adulte- monio. rium. Alter enim occidit Vriam, & alter interfecit 2. Reg. 11. D. Ioannem Baptiſtam. Marci. 6.

Quomodo ſe inuicem cōiuges diligere debeant, Matt. 14. vide D. Baſilium in Exame. diuini opificij hom. 7.

Quàm bonum ſit matrimonium, & alia multa, leges apud D. Chryſoſt. homi. de verbis Eſaiæ, Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum to. 1.

Quanto ſtudio ac ſolicitudine coniuges pacem inter ſeſe curare debeant, vide eundem D. Chryſoſt. ſuper Gene. ho. 38. to. 1.

Vxor honeſta potius, & ſtudioſa quæratur, quàm

dies, aut pulchra, conſule eundem in non abſoluto hom. 45. to. 2.

Quantum referat bonam eligere vxorem, vide eundem hom. 48. to. 1.

Quomodo cōiuere debeant matrimonio iuncti, lege eundem ſuper Matt. ho. 47. tomo 2.

Quantum oporteat virum habere bonam ac virtutibus præditam vxorem, vide eundem ſuper Ioan. hom. 60. to. 3.

Quod nuptiæ omni modeſtia ac pudicitia ſint celebrandæ, & quantum vt hoc pacto celebrentur interſit, vide eundem in epiſt. ad Epheſi. capit. 5. hom. 20. to. 4.

Quod maximè turpe ſit & abiectum quòd vir male tractet & peſſumdet vxorem ſuam: & quod olim lex inter Barbaras gentes ſancita fuerit vt vir qui vxorem male tractaſſe ſemel conuictus eſſet, amitteret ius in eam, & alia huc ſpectantia, leges apud D. Chryſoſto. in epiſt. 1. ad Corin. ho. 26. to. 4.

Honori viro eſt bene tractare vxorem, vide eundem in epiſt. ad Epheſi. ho. 15. to. 4.

Mulieres magis ſe eſſe virtutibus præditas ac pudicas gaudere debent, quàm pulchritudine decoras, lege eundem in epiſt. Pauli ad Heb. ho. 28. to. 4.

Matrimonia violenter contracta, infelices ſolent habere ſucceſſus, intuere Ambroſium ſuper 1. ad Corin. cap. 7.

Virum ſanè prudentem magis delectat virtus ac probitas vxoris, quàm pulchritudo, & quæ huius rei cauſa ſit, conſule Ambro. lib. 1. de Abraham cap. 2.

Si tantum malus ſocius nocet vel exigua conſuetudine cum eo intercedente, quanto putas amplius nocituram marito peruerſam vxorem, cum qua tam longa & indiuidua eſt conſuetudo futura? vide D. Ambro. lib. 1. de Abraham. cap. 9.

Attende exēpla miranda de vipera, quæ declarant quanta quámque ſyncera dilectiōe ſeſe proſequi debeant maritus & vxor: res planè ſunt notatione digniſſimæ, quas leges apud eundē li. 5. Exame. cap. 7.

Quod mater blande ſiue ſuauiter nutrire debeat infantes, vide D. Baſi. ho. 21. de humilitate.

Bene coniugati, Prouer. 5. D. Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus.

Matrimonio iuncti pacifici eſſe debent, Prouer. 11. D. Qui conturbat domum ſuam.

Coniuges pacem habeant, Eccleſiaſtici 4. D. noli eſſe ſicut leo in domo tua.

Coniuges familiæ curam gerant, Eccleſiaſtici 7. C. filij tibi ſunt? erudi illos.

Parentes ne diu filias detineant quin eas nuptui tradant, Eccleſiaſtici 7. C. filiæ tibi ſunt?

Coniugati habere pacem debent, Geneſ. 21. B. non tibi videatur aſperum.

Coniuges inter ſe conueniant, ſéque inuicem ament, Gene. 31. B. reſponderúntque Rachel, & Lia.

Coniuges ſeſe diligant, 2. Reg. 3. C. ſequebatúrque eam vir ſuus plorans.

Coniugati quo pacto conuerſari debeant 1. Petri. 3. A. B. mulieres ſubditæ ſint viris.

Coniuncti matrimonio quo pacto conformari debeant, Lucæ 1. A. erant autem ambo.

Domus bene ordinata ac gubernata 1. Paralipomenon 27. C. D. ſuper theſauros autem Regis.

Philoſophi circa coniuges aliquid etiam dixerunt. Nam Chilo dixit, nuptiæ ſint frugales, & temperatæ. Cleobulus, vxorem noli acerbe tractare. Heſiodus, ducas virginem, vt bonis moribus eam inſtituas, & omnia diligenter circumſpice ne vicini tuas nuptias irrideant. Phocylides, ama vxorem tuam: quid enim iucundius & melius quàm cum viro mulier placet ad ſenectam vſque, & maritus ſuæ vxori charus eſt, atque vtrinque longe eſt diſcordia.

Nuptiæ facte ſunt. Vide Hugo de S. Victo. in annota. in Euange. D. Ioan. to. 1. cap. 2.

Vide Ioannem Gerſonem 1. parte. folio. 67.

Vocatus eſt autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Sciebat Chriſtus non defuturos hæreticos qui nuptias reprehenderent, atque ideo ſua etiam præſentia eas voluit honeſtare & confirmare. Omnes præterea pertinemus ad nuptias Eccleſiæ ſponſæ Chriſti: vinum autem quod datur in his nuptiis, eſt ſanguis Chriſti pretioſiſſimus, & virtus ſacramentorum. Antea ſiquidem ſola aqua dabatur, vt videtur inſinuare Apoſtolus nominando ſacramenta legis Ad Gaveteris infirma & egena elēmenta. Et ideò dicitur in la. 4. Euangelio hodierno, bonum vinum ſeruaſti vſque adhuc, quod poteſt referri ad Chriſtum. Auguſt. ſuper Ioan. tractatu 9.

Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum, vinum non habent. Cognoſcebatur defectus vini, & ideo virgo accedens ad filium, tantum dixit, vinum non habent: quia ſufficit nobis Deo tantum exponere nude & ſimpliciter neceſſitatem & indigentiam noſtram.

Quare autem mota fuerit virgo ad dicendum hoc filio, præſertim cum hactenus nulla petiuiſſet miracula: reſpondet Chryſoſtomus, quòd ipſa iam videbat adueniſſe tempus faciendi miracula, & vt manifeſtaretur Chriſtus mundo; tum quod videret Ioannem tam manifeſta teſtimonia de Chriſto dare, tum quod videret eum etiam diſcipulos ſibi aggregare. Vide Chryſoſ. ſuper Ioan. hom. 20. to. 3.

Vinum non habent &c. Ex hoc loco diſcimus, in Ludou. quauis inopia & calamitate quæcunque illa fuerit, Gra. ad dominum, beatiſſimæ virginis exemplo, accedendum eſſe: quod cum in omni calamitate, tum præcipuè in deſperatiſsimis rebus, faciendum eſt. Quod contrà plerique faciunt: qui tunc potiſsimum orationis & ſpei arma proiiciunt, cum ea maxime capere deberent. Quemadmodum enim pictores, cæteríque artifices, difficillima quæque operum ſuorum ſibi reſeruant, cum cætera diſcipulis facienda committant: ita diuina prouidentia fieri ante oculos videmus. Non eſt autem cur quiſquam humano more ex ſe Deum æſtimans, credat aut illum clamorum noſtrorum aſsidua importunitate grauari, aut verba multa & ornata deſiderare.

Deficiente vino, dicit, vinum nō habent. Vide Sixtum Senenſem in ſua Biblio. Sancta lib. 6. annota. 185.

Et dicit ei Ieſus. Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Super hæc verba dicit Auguſt. hic ſignificari quòd ſecundum diuinitatem Chriſtus non habebat matrem, ſecundum quam diuinitatem erat operaturus miraculū: & propterea nominauit eam mulierem, non matrem. Hora autem quæ nondum venerat, erat hora paſsionis ſuæ: in qua manifeſtauit moriendo, quod ex matre acceperat, nempe humanitatem ipſam. Auguſt. de fide & ſymbolo cap. 4. to. 3. & ſuper Ioan. tracta. 8. to. 9.

Voluit Chriſtus differre ipſum miraculum aliquantulum, vt melius noſceretur defectus, & miraculum. Atque ita etiam voluit per tot ſecula differre remedium redemptionis humanæ, vt noſcentes homines melius ſuam miſeriam, ſeſe, ac ſuperbiam omnem deiicerent & deponerent. Lege Thomam 3. p. q. 1. Vnde ſæpe etiam permittit vt incidamus in multas calamitates, & differt medicinam, vt manifeſtæ nobis fiant magis magiſque noſtræ miſeriæ, & noſtra inopia. Ita enim cum Dauid ſe habuit, dif- 2. Reg. 12. ferendo miſsionem prophetæ Nathan.

Dicens Chriſtus, quid mihi & tibi eſt mulier? ſi- Chryſoſ. gnificat, quòd res ſpirituales non conſanguinitate,

sed virtutibus metiendæ sunt: quæ magis cõducunt quam nobilitas sanguinis. Nil enim profuisset virgini matris nomen, nisi bonitate & fide præstitisset. Quod si virgini nil profuisset matrem esse Dei, nisi virtutibus ornaretur: quid tandem nobis proderunt nobiles maiores, & cognati, si vitiosi erimus? Non debemus gloriari de generis splendore: si enim studiosi virtutis non fuerimus, is planè splendor dedecori potius, quam decori est futurus. Multi gloriantur quod procedant ex antiquissimis Christianis, & tamen vitiosè viuunt, quibus certè paratus erit infernus: præsertim cum tam antiquos Christianos maiores habeant, & nolint optimorum Christianorum mores imitari: vnde falluntur quòd putent se gloriari de iis quæ suam laudem concernant, cum potius ad vituperium spectent. Vide Chrysost. super Ioan. ho. 20.

Cur beatam virginem vocauerit Christus mulierem, & non matrem, consule D. Grego. in Registro lib. 8. cap. 42. to. 2.

Super illa verba, quid mihi & tibi est mulier? vide S. Tho. in 3. senten. distin. 4. q. 2. arti. 2. ad 2.

Super illa verba, nondum venit hora mea, consule eundem 3. p. q. 46. art. 9. per totum. & arti. 10. in corpore.

Super eadem verba, an liceat Christiano res ipsas obseruare ex cælestium syderum respectu, vide Gerso. 4. p. fol. 35.

Dixit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis facite. Ex tam sapienti ore non poterat sanè pronuntiari nisi tam sapiens cõsilium: quod omnes vtinam seruaremus. Nam vt sacros taceam autores, & prophanos aliquos in medium proferam. Pythagoras Philosophus dixit, consilium bonum capesse, ne quid stulti committas. Amianus etiam dixit: necessarium omnino est optima sequi consilia. Item Phocylides, accipe consilium sapientis. Isocrates, persuasum habe optimum semper sequendum consiliarium. Menander, sapientum semper capessito iussa, & consilia.

Auctor. Super illa verba, quodcunque dixerit vobis facite: poteris tractare de peruersis consiliis, & consiliariis, ad eorum reprehensionem. Ad quod hæc pauca accipe.

Consiliarij multi mali, Esai. 19. B.C. Stulti principes Taneos.

Consilia nulla accipienda, nisi quæ Deo placitura sint, Esa. 30. A. væ filij desertores.

Consiliarij mali quo deueniant 2. Reg. 17. F. suspendio interiit.

Quantum noceant peruersi consiliarij 3. Reg. 1. A. & sermo eius cum Ioab & Abiathar.

Consilia leuium hominum quantum noceant 3. Reg. 12. minimus digitus.

Consiliarij pessimi quantum incommodent, Hesther 5. D. Iube parari excelsam trabem.

Consilia praua quam lethalia, Mat. 14. A. præmonita à matre.

Non sunt exercenda mala, sed bona consilia, Tobiæ 10. D. monentes eam honorare soceros.

Quam expediat non mala sed bona amplecti consilia, Hesther 4. C, & moneret eam vt intraret ad regem.

Consilium in bello, & aliis, necessarium est: & non capessere bonum, noxium, 1. Macha. 5. G. quia non audierunt Iudam.

Consilium optimum quodque deligẽdum, Acto. 27, B. viri video quoniam cum iniuria.

Dicit eis Iesus: implete hydrias aqua: & impleuerunt eas vsque ad summum. Quod plus sit ac maius animam gratia implere, quam hydrias ex aqua cõuerso vino, & alia huiusmodi, lege apud D. Ambro. sermo. 19. qui est secundus de Epiphania.

Vide D. August. de consensu Euangelist. lib. 2. cap. 17.

De tanto miraculo, ac tota Dominica, duas inueniẽs conciones in D. Bernardo initio suorum operum. Prima inchoat, In lectione sancti Euangelij fratres.

De eadem dominica sermonem existentem inter sermones de tempore D. August. reperies, & est sermo 41. parum ante medium tomi 10.

Duas quoque conciones composuit, super Epist. videlicet & Euãg. D. Anto. initio primæ par. Theol.

De virgine cum fuit in nuptiis, vide eundem 4. par. Theolo. tit. 15. cap. 38. 39. & 40.

Idem præterea tangit hoc ipsum Euãgelium prima par. histo. tit. 5. cap. 1. §. 6.

Tres sermones D. Thomas texuit, vnum super Episto. & reliquos super Euange. qui existunt prope finem to. 16. suorum operum.

Et dicit eis Iesus: haurite nunc, & ferte Architriclino. Auctor. Architriclinus eum significat, qui præest triclinio. Dixit autem Christus vt ei vinum adferrent gustandum, significans eum melius id iudicaturum. Vnde colligas, exercitatos in aliqua re melius de ea sententiam laturos: vt exercitati in virtute, melius de ea iudicabunt.

De aqua in vinum mutata vide Hugonem de S. Victo. lib. Allegoria. in Ioan. to. 1. cap. 1. & 2.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Discrimen est inter Deum & mundum, quòd mundus initio det vinum bonum delectationum & iucunditatum, in fine verò det malum, nempe supplicia, & tormenta: Deus autem initio dat labores & calamitates, & tandem bonum vinum beatitudinis & gloriæ.

Super illud, omnis homo primũ bonum vinum ponit, lege D. Tho. 3. p. q. 44. art. 3. ad 2.

In his verbis magnum etiam inter Dei ac dæmonis calicem discrimen designatur, cuius ignorantia maxima generis humani pars in pestem & exitium ruit. Dæmon enim tanquam subdolus mercator, si quid in suggestionibus suis habet dulce, aut pretiosum, id statim initio conspiciendum, atque degustandum proponit: quod verò acerbum & amarum est, seruat in posterũ: atque hac fallendi arte parum prouidos & incautos illaqueat. Sic meretrix illa Prouer. 7. aspersi cubile meum myrrha, &c. & Sapien. 2. Venite, fruamur bonis. Ex quibus omnibus liquido apparet, nõ minus homines à dæmone, quam pisces à piscatore, illaqueari, ac falli. Ideo dicitur etiam Prouerb. 1. fili si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Deus autem contrà omnino se habet.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana Galileæ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Hoc fuit primum miraculum quod Christus fecit: non quidem in puericia edere voluit miracula, ne id videretur quasi monstri quidpiam simile. Et certè si in ætate perfecta adhuc inuidis videbantur suspiciosa eius miracula, in tanta prædicatione: minus credidissent in ætate puerili. Quare bene dicitur quòd disponit omnia suauiter: & bene dicit Iob, qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum, &c. Sapien. 8. Iob 26.

Super illa verba, hoc fecit initium signorum Iesus, lege D. Tho. 3. p. q. 36. arti. 4. ad 3. & q. 43. art. 3. per totum. & opus. 11. art. 18.

Super illa verba, & crediderunt in eum discipuli eius, vide eundem 3. p. q. 43. art. 3. ad 3.

Dominica

Dominica secunda post octauas Epiphaniæ.

Paul. de Pa. super Mart. Psal. 39.

VM *descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Matt. 8. Mar. 1. vide etiam Lucæ 5. & 7.* Descendit de monte, hoc est de illa asperitate & rigore, & de nomine illo tam terribili, Deus vltionum, vt inquit propheta. Descendit ab illis comminationibus, vt Exo. 20. dicitur, visitans iniquitatem patrum &c. Tantam autem asperitatem & rigorem deposuit, cum propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, &c.

Isaac super hunc locũ. 1. ad Cor. 9.

Ascendit in montem, & descendit de monte, accommodando se omnibus: ita vt congruat illud Apostoli, omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Cum humilibus sese exhibet humilem; cum sublimibus sublimem: cum peccatoribus

Ioann. 8. sese inclinat, scribendo & exarando in humo ipsa

Psal. 17. digito, cum sanctis eleuatur, cum scriptum sit, Ascendit super Cherubim. Atque ita vt prædicaret sanctis discipulis, subiit in montem: & descendit de monte, vt curaret hunc leprosum.

Cum descendisset Iesus de monte. Magnum esse debebat illud commodum quod prophetæ præsentiebant futurum ex descensu Dei in mundum, siquidem Dauid dicebat: Domine inclina cælos tuos, &

Esai. 64. descende. Esa. etiam dicebat: vtinam dirumperes cælos, & descenderes. Sed quorsum quæso, prophetæ, Deum tantopere ad descendendum inuitatis? An non videtis quãta mala secuta sint ex aliquibus eius

Gene. 3. descensionibus? Descendit olim ad paradisum, & vnico tantum verbo protoparentem absterruit, & exanimauit; eundem misit in exilium, & tandem

Gene. 11. morti adiudicauit. Age verò glorioſos illos & ouantes gigantes, exædificantes celsissimam turrim, descendens Deus perdidit, & eorum linguam confu-

Gene. 19. dit. Tum præterea in Sodomam vitiorum omnium sentinam descendens, ita eam tractauit, vt radicitus omia euerterit, & combusserit. Quod si hæc ita habent, quorsum Dei descensum tãtopere efflagitatis? Sed iam tempus est, ait Esaias, vt deponat Deus eiuscemodi seueritatem, & descendat cum magna humanitate & mansuetudine: quandoquidem non

Esa. 53. abest longe dies, in qua sicut ouis mansueta ad occisionem ducetur. Et descendere præterea debet vt ait

Psal. 17. Dauid, Sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram: hoc est clemens, pacificus, & redemptor; hæc enim omnia significantur eo versu. Cum enim esset Hebræus populus propter scelera sua sub iugo Madianitarum, dixit angelus Gedeoni: Deus est populum hunc liberaturus per tuam manum. Gedeon autem habens iam exercitum paratum ad pugnam, dixit Deo: Da obsecro domine signum aliquod quòd sim potiturus rerum, & victoriam reportaturus: quod tale esse poterit. Vellus hoc statuam in area, quod si solum reperietur madefactum, terra existente sicca, deprehendam hoc ita sese habere, & quod dominus sit qui mihi loquatur. Quod plane ita accidit, & concham impleuit rore illo ex vellere expresso. Rursumque Gedeon ad Deum: quæso & obsecro te domine ne subirascaris quod aliud petam signum, quod sit tale. Vellus statuam iterum, quod peto terra existente madefacta, vt siccum maneat. Quod ita factum est. Quare hoc sibi voluit Dauid: ita descendet Deus, sicut pluuia in vellus, id est in signum etiam victoriæ, tranquillitatis, & libertatis, vt tunc factum est. Item descendet sicut stillicidia: stilla quidem guttam significat, & alia compositionis pars est à cado, quasi sint stillicidia guttæ cadentes super terrã suauiter. Ita enim videtur paulo inferius explicare propheta, dicens: oriatur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.

Descendit de monte ad campestria, tanquam dominus tum sublimium, tum humilium: omnibus siquidem prouidere vult, & consulere. In sublimibus, Angelis ipsis prouidet: interim tamen descendit etiam ex illis sublimibus, vt humilibus hominibus consulat, in se reconcilians ima summis. Itaque eum inueniemus nõ solum in sublimibus, sed etiam in infimis ipsis, adeò vt scriptum sit, Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens: qui tamen lucem inhabitat inaccessibilem. Descendit etiam, quia Timiser homo aliter ascendere non poterat. Erat siquidem adeò debilitatus, & cõfractus, propter peccata, ita leprosus, & onustus suis vitiis, vt non valeret ascendere. Ideo igitur descendit Deus, vt hominem ipsum subleuaret, & extolleret. Ad Philip. 2. 1. Ad Timot. 6.

Descendit præterea Christus sua doctrina, accommodando eam nostro captui imbecillo & exiguo: si enim nobiscum aliter locutus esset, nemo planè eum intellexisset. Atque ita ille in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, sese accommodauit nostræ infirmitati, & ignorantiæ. Ad Coloss. 2.

Descendit insuper non solum prædicando, sed etiam miracula faciendo: quia plerique interdum verbis non emendantur, & corriguntur operibus & miraculis quæ vident.

De leproso mundato vide Hugonem de S. Victore lib. 2. Allegoria. in Matt. cap. 21. tomo primo.

Consule Origenem de hoc Euange. In diuersos, ho. 5. tom. 3.

Super epist. & Euangel. huius diei habet duas conciones D. Anto. in principio primæ par. Theolo.

Leges etiam eundem prima par. Histo. titu. 5. cap. 1. §. 8.

S. Thomas tres edidit conciones, vnam de epist. & reliquas duas super Euange. circa finem to. 16.

Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens. Domine, si vis, potes me mundare. Occurrit nunc Christo quidam leproso corpore, sed fideli animo: qui sub tam fœdo morbo, animam pulchra fide conseruabat. Atque ita agnoscendo tantum Medicum, & dominum, sese demittit, adorans eum, & dicens: Intelligo quidem te esse autorem naturæ, & fateor virtutem tuam ac potentiam maiorem multo esse infirmitate mea: quæ quamuis incurabilis & insanabilis sit secundum ipsam naturam, tibi tamen facillimum adeò fuerit mihi mederi, vt solo nutu id valeas efficere. Huic tam breui & subtili petitioni, breuiter etiam ac subtiliter Christus respondit, dicens. Tu petis si volo te mundare: ego dico; volo: mundare igitur statim. Titelmã sup Mat. 8.

Cæterum nota prudentiam huius leprosi qui non vult esse importunus suis verbis: sed breuiter ac succinctè sensum perstringit. Non autem subiit in montem vbi Christus erat, ne interrumperet sermonem, aut perturbaret audientes: quin potius Christum expectauit donec descenderet, commoditatem quærens, & locum opportunum. Et quod petit non petit frigidè, & oscitanter: sed viriliter, & animosè, atque prostratus, vt dicitur Marci. 1. Chry. super Mat. ho. 26.

Aduerte hic obiter discrimen inter legem antiquam, & nouam. Descendens enim Moses de monte cum lege quam Deus ei dederat, præcepit vt omnes leprosi pellerentur ab hominum congregatione, & ab ipso exercitu. Christus autem hic descendens de monte, vbi legem tradiderat, non solum non imperauit leprosos eiiciendos, sed potius eos tetigit, & curauit. Chryso. homi. in dictum Apost. 1. ad Cor. 15. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, quæ est vltima homil. to. 4. Num. 5.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Quantum vera cordis humilitas ad impetrandum valeat, declarant
Psal. 101. illa Prophetæ verba: Respexit in orationem humilium. Leo quidem animal generosum nisi fame vrgeatur prostratis parcere dicitur: quod ingentis animi esse, declarant illa poëtæ verba:

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ:
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugnæ suum finem cum iacet hostis habet.
At lupus, & turpes, instant morientibus, vrsi:
Et si quæ minor est nobilitate fera.

Si hæc igitur placabilitas veræ nobilitatis propria est: quid faciet infinita illa & diuina nobilitas, vbi se supplex homo ante eam demiserit? Dicitur quidem 3.Reg.21. nonne vidisti Achab humiliatum coram me? vide quæso quantum in sceleratis etiam hominibus animi submissio apud Deum valeat.

Adorabat eum, dicens, &c. Non conciliat Deum multiplex orationis sermo, sed purissima syncerá- 20 que cordis intẽtio, vt inquit Isidorus. Super illa etiã verba, Aures eius in preces eorũ, inquit Saluianus, Per id quod dicitur diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantũ Dei, sed quædam quasi obedientia demõstratur. Eos enim audit, & post audita cõcedit. Quàm beati essemus, si quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi dominum audire vellemus!

Autor Quia labores leprosum hunc humiliauerant, tractare poteris quod labores & calamitates hominem 30 refrænent à malo, & eum humilient. Ad quod consule quæ sequuntur.

Baruch 1.C. inuenies homines ex laboribus maxime humiles ac submissos; vbi dicitur, Et orate pro vita Nabuchodonosor.

Labores quàm sint vtiles Baruch 3. A. quia propter hoc dedisti timorem.

Quantum labores conducant Amos 4. B. Vnde ego dedi vobis stuporem dentium.

Quantum prosint labores 2. Parali. 12. C. verum- 40 tamen seruient ei vt sciant distantiam.

Calamitates atque labores multa nos docent, Esa. 28. C. Quem docebit scientiam, &c. Item paulo inferius, sola vexatio intellectum dabit auditui.

Cum nobis ingruerit calamitas, ad dominum confugiamus, sicut hic leprosus fecit: vide Esai. 37. cap. A. B. C. D. & factum est cum audisset rex.

Calamitates nos in Dei cognitionem ducunt, Ezechie. 30. G. & scient quia ego dominus.

Labores maximè instruunt homines. Ezechie. 33. 50 F. & scient quia ego dominus.

Calamitates multa nobis patefaciunt, & docent nos quamplurima, Danie. 4. E. Septem quoque tempora.

Calamitates à Deo mittũtur in bonum nostrum, Iob 5. C. beatus homo qui corripitur à Deo.

Multum calamitates prosunt, Sapien. 16. A. sed ad correptionem.

Quàm necessariæ sæpe sint calamitates Gene. 11. B. & cessauerunt ædificare. 60

Calamitates oculos nostros aperiunt, & vt nostra cognoscamus errata efficiunt, Gene. 42. D. Merito hæc patimur.

Calamitates nos à somno excitant Exo. 23. F. non eiiciam eos.

Calamitates vtilissimæ sunt 2. Parali. 33. C. Postquam coangustatus est orauit.

Calamitates humiles reddunt nos, Iudith 7. D. peccauimus cum patribus nostris.

Calamitates veniunt vt emendemur 2. Macha. B, 70 C. obsecro autem.

Calamitates vtiles. 2. ad Cor. 12. C. placeo mihi in infirmitatibus meis.

Labores & calamitates quantum conducant, Heb. 2. B. videmus Iesum propter passionem.

Filij Israel afflicti in Ægypto proni adorauerunt, Exod. 4.

Offerente Samuele sacrificium liberatus est populus à tribulatione Philisthinorum. 1. Regum. 7.

Reuersi filij Israel de captiuitate Babylonis con- 10 fitebantur domino, Nehemiæ. 9.

Contemplare insuper patientiam huius leprosi maximam in tam molesta infirmitate: qua de re concionem quandam condidit August. quæ inscribitur, Ad leprosos, vt patientiam teneant, ad fratres in eremo sermo. 32. circa finem tomi. 10.

Super illud, Ecce leprosus adorabat eum: agere Autor. poteris etiam quòd refugium in nostris maximis laboribus est ad Deum statim accedere, & nos nostráque omnia ei suppliciter commendare.

Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: volo: Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Quod legendum sit ita distinctum: volo, Mundare, lege D. Ambrosium explicantem psalmum primum.

Super illud, extendens Iesus manum, tetigit &c. Autor. tractare poteris quàm benignus atque misericors sit Deus, & quàm facilis ad exaudiendum eos qui in eum confidunt, séque illi commendant. Ad quod consules pauca sequentia.

Quanta benignitate quasi importunis Abrahæ precibus acquieuerit omnipotens quando pro Sodomitis orabat, vide Gen. 18.

Quanta facilitate atque clemẽtia succurrit Deus afflicto Iacob, vide Gen. 28. & 33.

Quo pacto subuenit Deus fame compresso ac vehementer afflicto Eliæ, lege 3. Regum. 17. & 18.

Quam de Daniele in lacum leonum intruso curam habuerit Deus, vide Danie. 14.

Quàm opportunè Susannam maxima in angustia constitutã omnipotens liberarit, vide Danie. 13.

Non debemus abiectum quid arbitrari cum infirmis atque debilitatis conuersari, quando tam benigne eos Christus susçipit: & vide etiam 2. Reg. 9, C. tu comedes panem in mensa mea semper.

Volo, mundare. Maxima certe est nostra consolatio Ioannes quòd Deus semper velit bonum nostrum. Nam vt Ferus su- dicit Apostо. vult omnes homines saluos fieri. Item per Mat. dicit Deus: nolo mortem peccatoris, sed magis vt 1. Ad Ti- conuertatur, & viuat. Paratus est Deus ad audien- mot. 2. dum, si eum inuocamus: cum dicat per prophetam: Ezech. 18 Clamauit ad me, & ego exaudiam eum. Manifesta Psal. 90. est etiam voluntas Dei in nostra miseria subleuanda, cum dicat Matt. 6. quòd si tibi curæ est vestire lilia, & aues pascere: multo potius nostrum sataget.

Et ait Iesus, vide nemini dixeris: sed Vade, ostende te sacerdoti, &c. Elaborandum est vt ait Bernardus, vt virtutes etiam non modo vitia, occultemus. Si enim tanto studio vitia nostra abscondimus, ne humanam gloriam amittamus: quanto maiori cura dissimulandæ virtutes sunt, ne cælestis gloriæ iacturam faciamus?

Circa illud, vade, ostende te sacerdoti; tractare Autor. poteris de honore, reuerentia, ac veneratione, quæ Dei ministris debetur. Vt insinuat Hiero. lib. 1. super Matt. explicans hunc locum. Ad hoc autem vide sequentia,

Quod honorari debeant sacerdotes, consule D. Chrysost. in quadam concione seu homilia, cuius titulus est, de fide Annæ, quæ existit prope finem to. 1.

De honore exhibendo sacerdotibus, consule eundem in quadam homi. vbi explicat locum illũ Rom. 16, qui ait, salutate Priscam, & Aquilam to. 4. post totius

totius epistolæ ad Roma. expositionem.

Ministri Dei honore colantur debito, Nume. 12. B. & ecce Maria apparuit candens &c. non Aaron apparuit ita, qui erat sacerdos.

Dei ministros veneremur officij ac dignitatis causa, Ecclesiastici 7. D. sacerdotes illius sanctifica.

Sacerdotes priuilegiis decorari debent, Gene. 47. E. præter terram sacerdotum.

Dei ministri licet mali sunt honorandi, Exod. 32. G. percussit ergo dominus populum.

Magna est ministri Dei dignitas, Nume. 18. A. si quis externus.

Ministri Dei honorari debent 1. Regum. 22. D. noluerunt autem serui regis.

Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, &c. Nota quod Nicolaus de Lyra super Mat. 8. explicans hoc Euange. tenet iuxta D. Chrysost. sententiam vt ipse putat, hunc Centurionem, & Regulum de quo habetur Ioan. 4. vnum & eundem esse. Sed planè, quod pace tanti viri dixe- 20 rim, deceptus est: quia id minime Chrysost. asserit; imo contrarium posuit homi. 34. super Ioan. & homil. 27. super Matth. & in non abso. homi. 22.

Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur, &c. Solet plerumque Deus ea quæ nobis Gene. 4. chariora sunt affligere. Vt Adami filium chariorem 22. 35. Abel afflixit. Isaac etiam Abrahami dilectum. Ra- 2. Reg. 12. chel insuper Iacob charissimam. Filium præterea Dauid ex Bethsabee. Quare nullus debet nimio terrenorum & caducorum amore teneri: sed ibi nostra 30 fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia.

Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus vt Paul. de *intres sub tectum meum.* Vocat domum suam tectum, Palacios tametsi magnificam & elegantem: vt intelligamus, sup. Mat. quòd res istæ caducæ & humanæ non sint multum æstimandæ: vel vocat tectum, quia cum Christum ipsum Deum esse confiteatur, intelligit tanto domino indigna esse & humilia, vel maxima quæque & celsissima ædificia.

Affirmans Centurio se indignum esse, fecit se 40 dignum. De quo vide D. August. sermo. 6. in Euãg. secundum Matt. tom. 10.

Super hæc verba, domine non sum dignus, vide Thomam 3. p. q. 80. art. 10. ad. 3.

Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Super hæc verba consule biblio. sanctam Sixti Senen. lib. 6. annota. 43. vbi inuenies quasdam censuras tum huius autoris, tum Dominici de Soto, super certas propositiones Ioannis Feri, vbi tractat de fide, lib. in Matt. 2. explicando prædictam clausulam, & in 50 Commenta. super Ioannem.

Hic Centurio significat peccatorem, qui per inspirationem diuinam cognoscit se & sua scelera, ac infirmitatem animæ suæ: & mittit Deo suos nũtios, nempe orationem, contritionem, & confessionem, dicens: Domine non sum dignus, &c. Ex qua cognitione & diligentia venit tandem salus & medicina animæ deo cooperante. Theophy. super Luc. 7.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & 60 *venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* Super hæc verba vide biblio. sanctam Sixti Senensis lib. 6. annota. 44. vbi inuenies quandam censuram super ho. 22. operis imperfecti.

Audiens autem Iesus, miratus est: & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Super illa verba, miratus est, vide D. Thom. 3. p. q. 15. art. 8. per totum. & 4. contra gen. cap. 33. in fine.

Super illa verba, non inueni tantam fidem, consule eundem in 3 sen. dis. 25. q. 2. arti. 2. quæstiun. 1. 70 per totam &. 2. 2. q. 5. arti. 4. per totum.

Dico autem vobis quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Hanc tantam rerum commutationem variis Lud. Gra. modis in litteris sacris adumbratam cernimus. Vbi Figuræ ex enim filij Israel per arentem Iordanis alueum tran- Iosue. 4. sierunt; præcepit dominus, vt duodecim inde lapides sublatos, extra flumẽ locarent: quod vbi factum est, protinus Iosue duodecim alios à litore sublatos 10 intra ipsum alueum reposuit. Qua quidem lapidum permutatione hanc vtriusque populi mutationem appositissima similitudine expressam videmus. Idem etiam sub eadem pene similitudine regius propheta significauit, cum ait: Posuit flumina in desertum, Psal. 106. & exitus aquarum in sitim. Idem quoque innuit illa tam frequens in scripturis primogenitorum tranmutatio, vt Phares & Zare, Manasses & Ephraim, Iacob & Esau: per quam hæ duorum populorum cõmutationes apertissimè designantur: in illa enim mirabili Dei consilio minores natu, ceu præter naturæ iura, maioribus præferuntur. Malachiæ 1. dicitur, non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Item Roma. 9. Quid est, quod Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit? Quia scilicet sibi suisque operibus plurimum tribuebat, Christi verò gratiæ nil relinquebat. Merito ergo ab ea deserti, & sibi ipsis relicti, in multa deinde flagitia prolapsi sunt. Prouer. 16. ante ruinam exaltatur spiritus. Cassianus quoque ex probatissimorum Ægypti patrum sententia colligit, non modo cætera vitia, sed lapsus etiam carnis, ab elatione animi originem ducere. Verũ vt ad nos redeamus fratres: hoc planè exemplo monemur, vt omnem à nobis animi tumorem, tanquam teterrimam salutis & iustitiæ pestem, abscindere studeamus. Non te extollas inquit Ecclesiasticus, in co- Eccle. 6. gitatione animæ tuæ, velut taurus. Tum ad Roma. 11. dicitur, Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es: noli gloriari aduersus ramos. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Qui enim Dei populus electus erat, nunc Satanæ Synagoga effectus est. Ad integritatem diuinæ iustitiæ, quæ personas non accipit, hoc maxime pertinere videtur. Hoc insuper aptissime olim in duabus Assueri regis vxoribus, Vasthi scilicet, & Esther, adumbratum cernimus. Quia enim Vasthi ex pulchritudine ac dignitate regia in superbiam elata, inobediens Assuero regi extitit; ipsa quidem regno depulsa, Esther humilis & religiosa ad regiam dignitatem Ester 1. euecta est. De illo etiam splendidissimo angelo scriptum est: Perfectus in viis tuis à die conditionis tuę, Ezec. 28. donec iniquitas inuenta est in te. Quid ergo mirum est si pro hominibus homines subrogentur, quando pro angelis viles & terreni homines in cælo collocantur? Huius quoque tantæ mutationis causa, beneficiorum diuinorum abusus fuit. Nam certe qui talia faciunt, persimiles mihi illis esse videntur, qui serpentem æneum, cuius cõspectu à serpentiũ morsibus in deserto sanabãtur, adorauerunt: & pro Deo. Num. 21. ad Ezechiæ vsque tẽpora coluerũt. Qui cum verum 4. Reg. 18. potius beneficij huius autorem venerari debuissent, vile figmentũ, & mutum signum, pro eo coluerunt.

In tenebras exteriores. Sciendum est duplices quidem esse tenebras, nempe interiores mentis, & exteriores corporis: & illas quidem tenebras impij (qui his in hoc seculo excæcati vixerunt) secum deferunt. Has præterea interiores mentis tenebras exteriores illæ tenebræ consequuntur, quæ harum tenebrarũ supplicia sunt; vt omni etiam luce corporea careant,

careant, qui in tetris animæ tenebris iacere perpetuo maluerunt. Itaque omni interna & externa luce destituti, nil videre poterunt, nisi quod maiorem illis cruciatum videndo parere possit: vt in Psalm. 111. dicitur, peccator videbit, & irascetur. Quod si apud nos quispiã ingenuus carcere incluſus, ſolum fœtorem, & tenebras loci, ac vincula cum homicidis cõmunia; rem quauis morte acerbiorem putat: quid erit in tantis tenebris plecti cum facinorosis?

Ibi erit fletus, & stridor dentium. Sicut in hoc mundo multi ſub vno ſole conſiſtunt, nec tamen eiuſdem ſolis æqualiter ardorem ſentiunt, quia alius plus æſtuat, alius minus: ita illic in vno igne non vnus eſt modus incendij, quia quod hic diuerſitas corporum, hoc illic agit diuerſitas peccatorum, vt quamuis ignem non diſſimilem habeant, eo tamen diſſimiliter exurantur.

Multa ſane de Centurione tractare poteramus; ſed tamen ea commodius reſeruabimus in feriam quintam poſt Cineres, vbi fuſius ea hiſtoria tractari conſueuit.

Dominica tertia poſt octauas Epiphaniæ Domini.

ASCENDENTE *Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Matthæi 8. Marci 4. Luc. 8.* Vt palæſtræ magiſter optimus ad vtrumque eos exercebat: ne aut terrore vincerentur, aut honoribus efferrentur. Nunc igitur ne quid ſibi arrogent quoniam aliis ommiſſis ipſos tantum ſecum retinuit; vt in tempeſtatem incidant permittit: & ſimul in ferendis aduerſis fecit meliores, Chryſoſ. ſuper Matt. ho. 29.

Non dubium eſt nauem iſtam Eccleſiam figuraſſe, ſecundum quod per Salomonem de ea ſpiritus
Prou. 31. ſanctus loquitur, dicens: Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans, &c. Id eſt Eccleſia, quæ nauigantibus Apoſtolis, gubernante domino, flante ſpiritu ſancto, prædicationis verbo vbique diſcurrit, portans ſecum magnum & inæſtimabile pretium; quo totum genus humanum redemptum eſt. Nauigat quidem Eccleſia inſtructa fidei gubernaculo felici curſu per huius ſeculi mare: habens Deum gubernatorem, angelos remiges, portans choros ſanctorum, erecta in medio ipſa ſalutari arbore crucis: in qua Euangelicæ fidei vela extollit, & flante ſpiritu ſancto, ad portum paradiſi, & ſecuritatem quietis æternæ deducitur. Hæc certè nauis quamuis hîc per has tentationes ſeculi nauiget, non eſt tamen ſeculi nauis, ſed Dei. Etenim eſt alia ſeculi nauis, non Dei: id eſt conuenticulum hæreticorum: aduerſus
Eſai. 2. quam diem iudicij futurum, Eſaias manifeſtè declarat, dicens: Dies domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum. Et poſtmodum ait: & ſuper omnes naues Tharſis &c. Chryſo. in non abſo. ho. 23. to. 2.

Hæc nauicula comparatur pœnitentiæ: quia vt nauicula principio anguſta, poſtmodum vero ampla eſt; ita pœnitentia, quia initio nos affligit, ſed progreſſu temporis non perinde nos afficit, vt experimur in ieiuniis, diſciplinis, & aliis aſperitatibus. Dicitur autem nauicula, & non nauis, quia reſpectu pœnæ peccatis debitæ, exigua eſt pœnitentia quam ex parte noſtra præſtamus. Comparatur etiam mundus mari, propter pericula quæ in ipſo ſunt: imo periculoſior eſt mundus ipſi animæ, quàm nauigatio maris corpori. In mari enim ex decem nauibus vix tandem vna naufragium facit: at in mundo, ex centum hominibus vix ſaluatur vnus.

Ferus ſuper Matt. Cum eſſet oboritura tempeſtas in nauicula, ideò Chriſtus prior aſcendit tanquam præclariſſimus dux, qui præcedit in periculoſioribus conflictibus; ſtatim verò ſecuti ſunt eum diſcipuli. Debemus autem nos horum exemplo Chriſtum ſequi, non ſolum in proſperitate, ſed etiam in aduerſitate. Cum enim tranquillum eſt mare, quiuis gaudet nauigare: & cum omnia proſpera ſunt, quiuis cupit viuere; non ita in aduerſitate & tempeſtate. Cæterum illud eſt nobis conſolationi, intelligere quòd in noſtris laboribus & periculis adeſt nobiſcum Chriſtus in nauicula. Dicit ſiquidem etiã per prophetam: Cum Pſal. 90.
ipſo ſum in tribulatione. Et per Eſaiam, Noli timere Eſai. 43.
Iſrael, meus es tu, & ego tecum ſum. Quid times ergo, ſi Deum vides tibi adeſſe, & non dicis potius quod dicit Propheta? Etſi ambulauero in medio Pſal. 22.
vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Non video certè quorſum in laboribus tantopere exanimaremur, ſi nobis perſuaderemus deũ nobis præſto ſemper adeſſe. Immittit quidem Deus ſalutares tribulationes, vt his afflicti obliuiſcamur voluptates ipſas: quemadmodum ſolent infantes lac matris obliuiſci, amaro aliquo collocato in matris vbere. Et certe quemadmodum poſt vehementem tempeſtatem melius noſcitur tempus ſerenum: & poſt caritatem annonæ, eiuſdem vilitas: & poſt morbum ſalus: ita quæuis proſperitas melius cognoſcitur cum præceſſit aduerſitas, & calamitas. In maiori etiam periculo Deum ſeruentius quærimus. Eſa. 26. Domine in anguſtia requiſierunt te. Sed quorſum tantopere affligitur homo, cum per Ezechielem Ezech. 18.
etiam dicat Deus ſe maximè hominis bonum velle? Dicit enim, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Et per Dauid, viſitabo in virga Pſal. 88.
iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo. Sed tamen multi tot tantiſque immiſſis flagellis, non propterea corriguntur. Quod Hieremias ipſe conqueritur, dicens: Percuſſiſti eos, Hiere. 5.
& non doluerunt. Item per Amos dicitur, dedi vobis ſtuporem dentium, & indigentiam panum, & Amos. 4.
non eſtis reuerſi ad me.

Quemadmodum illi ſolum qui ingreſſi ſunt in Paul⁹ de Palacios ſup Mat.
arcam Noë, fuerunt incolumes & liberi à Diluuio: ita illi tantum ſalui fient, qui erunt in nauicula Chriſti, non qui extra.

Hanc vitam quam viuimus, nauigationem eſſe, & hoc ſeculum, mare, in quo nauigamus: cõmunis ſanctorum Patrum, atque adeò Philoſophorum, ſententia prædicat. Et quemadmodum, vt ait Plutar. qui cælo etiam ſereno nauigant, inſtrumenta aduerſus tempeſtatem non obliuiſcuntur: ita qui læta fortuna vtuntur, præſidium quoque aduerſus infortunia cõparare debent. Item quemadmodũ qui nauigant nunquam quieſcunt, ſed ad portum quantũ in ſe eſt propiores quotidie fiunt: ita nos velimus nolimus per ſingula momẽta temporũ quotidie ad finem vitæ noſtræ tanquam ad portũ approperamus.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Qui cum domino nauigare, & in Ludou. Gra.
eandem cum eo nauiculam ingredi parant: ſciant neque ſibi tribulationum & laborum procellas, nec auxilium è cælo defuturum, quo & à puſillanimitate ſpiritus, & à tempeſtate liberẽtur, ac tandem in portum ſalutis domino dirigente perducantur. Ioannis 16. in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite: ego vici mundum. Cum ergo labores ac procellæ nos intus & foris vndique circumſtent, quas partim ferre, partim ſuperare neceſſe ſit: non mirum vtique ſi ſalutem noſtram in laborum perpeſſione Seruator ipſe locarit, cum ait: In patientia veſtra poſ- Lucæ. 21.
ſidebitis animas veſtras. Cæterum ſi quæras cur dominus ſalutem hominum in laborum patiẽtia præcipue collocauerit: fortaſſe (vt cæteras omittamus) hæc

hæc vna cauſa extitit, quòd laborum magna copia in hac fragili & ærumnoſa vita reperiatur. Et quemadmodum eorum Sacramentorum materiam, quæ ad ſalutem maxime neceſſaria erant, in his rebus poſuit, quæ vbique ad manum ſunt, vt aqua, dolore, pane, vino: ita plane magno diuinæ pietatis conſilio factum eſt, vt ſalus noſtra (qua nil nobis aut maius, aut charius eſſe debet) in laborum perpeſſione collocaretur; quòd hæc laboris atque patiendi materia nuſquam non inueniatur. Quis enim toto mundo locus, quæ domus (quamlibet felix & opulenta ſit) laborum, & calamitatum expers eſt? D. Potentianus Epiſcop. etiam ait: mira Dei diſpenſatione agitur, vt boni tribulationibus exagitentur, vt ſcilicet dum veritas eos per amorem vocat, mundus præſens à ſeipſo per tribulationes quas ingerit reiiciat; tantóque facilius ab amore huius mundi mens exeat, quanto magis impellitur quo vocatur.

Si cum Chriſto tempeſtas & periculum eſt, quid erit ſine Chriſto? Etenim Apoſtoli in naui periclitantes præſto habuerunt dominum, cuius ſeruarentur auxilio: tibi verò longiſſimè à Deo agenti, quid poterit opitulari? Da igitur operam vt nunquam longius à Deo euageris, ſi in laboribus tuis patientiam habere deſideras.

Didacus Stella ſuper Luc. *Ecce motus magnus.* Docemur vt in tempore fortunæ proſperæ timeamus, tempore verò triſti fidamus. Ecce cum ſancti Apoſtoli ſecuriſſimi eſſent, repentè & inopinatò magno ac periculoſo turbine oppreſſi ſunt: è contrario verò cum iam de interitu cogitarent, momento citius ſeruantur: Talis eſt mundi conditio.

D. Grego. ait animum affectibus concuſſum turbatæ aquæ ſimilem eſſe, in qua nemo faciem ſuam, nec quidquam aliud cernere poteſt. Plutarchus verò nubibus affectus ipſos comparat: quæ nubes nonnunquam ita aërem obtegunt, vt vel in meridie clariſſimum ſolem obumbrent.

Petrus Chryſoſ. ſerm. 20. Mare quod pedibus Chriſti tumentia terga ſubmiſit, ſtrauit in plano vertices ſuos, motus frænauit, adſtrinxit fluctus, quid nunc tantoperè ſæuit? Quid ipſe etiam Chriſtus futurorum præſcius, præſentium ſic videbatur ignarus, vt inſtantem procellam, tempeſtatis horam, tempus periculi, non cauereret; ſed inter vigilantes omnes tunc ſolus teneretur in ſomno, quando imminebat ſibi ſuiſque tam graue diſcrimen? fratres, gubernatoris peritiam non probat temperies ſerena, ſed procelloſa tẽpeſtas. Blandiente aura nauem regit vltimus nauta: in cõfuſione autem ventorum primi quæritur ars magiſtri. Hinc eſt quòd diſcipuli poſtea quàm viderunt ſibi induſtriam nauticorũ deperiiſſe, in ſe maria ſæuire, ſe fluctus petere, aduerſum ſe ventorum turbines conuenire: ad ipſum gubernatorẽ rerum, rectorem mundi, elementorum magiſtrum, trepidi confugerunt; petentes vt ſedaret fluctus, periculum ſummoueret, ſalutem redderet deſperatis. Vbi verò iuſſione ſola tenuit mare, recuſſit ventos, tulit turbines, dedit quietem: nauigantes ipſum eſſe rerum omnium autorem ſenſerunt, crediderunt, faſſi ſunt.

Origenes in diuer. hom. 6. Poſtquam in terra mirabilia fecerat, vult etiam in mari potentiam ſuam oſtendere: vt nobis aperiret ſe eſſe rerum omnium dominum. Ingreſſus ergo nauiculam, fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus, ad terrendum diſcipulos, vt ita peterent tandem opem & auxilium ab eo; & eum noſcerent. Illa quidem tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed ex poteſtate eius, qui terminum mari arenam conſtituit.

Gloſ. inter. *Et ecce motus magnus.* Vt magna virtus liberatoris videretur.

Nauigamus in hac vita quaſi per quoddam mare, vbi & ventus eſt, & procellæ non deſunt tentationum. Vnde hoc, niſi quod dormit in te Ieſus? Si non in te dormiret, tranquillitatem vtique haberes intrinſecus. Quid ergo facies vt libereris? Excita Ieſum, & dic: Magiſter, perimus. Auguſt. ſermo. 221. to. 10. Idem dicit to. 9. tracta. 49. ſuper Ioan.

Per hanc perturbationem maris ſignificantur tribulationes humanæ, quæ nobis ſunt vtiliſſimæ. Nam ſicut in auxilla diu feruenti iure adhæreſcit caro, ſi non commoueatur: ita homines niſi laboribus commoueantur & agitentur, adhærent his rebus inferioribus. Qui in hac vita tribulationes non ſentit, ſed omnia ad libitum ei ſuccedunt: ſimilis videtur infirmo, qui iam à medico derelictus, & ſalute deſperata, permittitur quemuis ſumere cibum, & pro libito viuere. Immitti verò nobis à Deo afflictiones, eſt Deum nobis amorem ſuum declarare. Si enim peteret infirmus minus conuenientem aquam à medico, quam medicus non concederet: haud certè quiſquam diceret id fieri quòd parum infirmum amaret, imò id prouenire iudicaremus ab optimo animo, & ſalutis infirmi ſolicito. Si domus aliqua incendio conflagraret, eum ne qui aquam infunderet ad flammam extinguendam, iudicaremus domus vaſtatorem? Si quem equus effrænatus citato curſu in medios hoſtes inferret, & aliquis occurrẽs equum illum frænaret, & ſubneruaret: non certe cenſendus eſſet id feciſſe quòd odio equitantem proſequatur. Quare ita accipiendum eſt, quòd ſi Deus alicui calamitates inferat, id fiat propter eiuſdem commodum & vtilitatem. Si enim equum dirigimus cum imminet aliquod tum ei, tum nobis periculum: eum ſolemus fræno compeſcere, & affligere, ne præceps ruat, & nobis noceat; ita Deus corpus affligit, ne in lethalia incidamus peccata. Hoc quidem petebat Pſal. 82.
Dauid, cum dicebat: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Sed heu quàm negligentes ſumus, & inconſiderati! Si enim equus aliquis deuiat, & pungatur, intelligit id fieri vt redeat in viam: quod ſi viam ipſam tenens affligatur tamen, aduertit id fieri vt magis incitetur, & velocius currat: peccator autem non ſentit quod Deus immittat in eum tribulationes, vt redeat in viam: & ſi quærendo virtutem affligitur, non cognoſcit id fieri vt vehementius in eam incumbat. Quis etiam non miretur, quòd ſi mulio ſex aut ſeptem mulos agens & dirigens, vnum tantum icerit, aut incitarit, cæteri etiam corrigantur, & erudiantur: nos verò adeò negligentes & remiſſi ſimus, vt neceſſariò vrgere nos mala debeant, & non ſatis ſit ex aliorum malis exemplum ſumere? Cæterum non liberat quidem Deus ſuos ſemper à laboribus, quòd videat id minus vtile futurum. Vnde Petrum non liberauit à cruce, nec Paulum à gladio, nec Laurentium à craticulis, &c.

Vita noſtra mille quidem expoſita eſt periculis & tempeſtatibus: ſed propterea non debemus cadere animo, cum ſint nobis vtiliſſimæ. Acto. ſiquidem 14. dicitur, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et ad Roma. 8. non ſunt condignæ paſſiones huius ſeculi &c. Et Iaco. 1. omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.

Comparatur ira tempeſtati: periclitatur enim nauis, id eſt cor tuum quærens vindictam: quod ſit quia dormit in te Chriſtus, & oblitus es Chriſtum. Excita ergo Chriſtum in te, & recordare quod ipſe in cruce pepercit: & tunc dices: Quis ſum ego, vt vindictã petere debeam? Moriar prius quã id faciam: quia ſi id ita non facio, cum ex hoc mundo prodibo

non me recipiet ille, qui noluit vindictam petere de inimicis suis. Sub iussione enim Christi mare audit, & ventus cessat: & tu sufflabis? nam quid aliud est te sufflare, nisi sub verbo Christi nolle cessare? Auguſt. in 17. sermonibus, qui ad calcem tomi 10. ad ponuntur à Parisiensibus, sermo. 3.

Autor. Super illud, Et ecce motus magnus: multi sancti Doctores dicunt hanc maris commotionem significare homines ira excandescentes: in quibus sanè ipsorum incuria atque culpa dicitur Deus dormire. Si igitur hoc loco velis aliquid tractare contra iram, consules quæ subsequuntur.

Magnam planè cæcitatem in animis hominum nimium irascentium existere, ita vt nec amicos agnoscant, nec superiores debito honore ac reuerentia colant, eleganter tractat D. Ioan. Chrysost. super Gene. ho. 53.

Quod exemplo nobis vt iram atque furorem compescamus esse debeant nostri serui ac subditi, qui patienter sustinent ac dissimulant quæ in eos molesta nimis ac grauia profundimus verba, atque contumelias imprudentes & immoderatas, vnde facillimè colligamus esse possibile alios substinere patienter, & alia permulta huc spectantia, leges apud Chrysos. ho. 88. to. 2.

Quod studemus leones efficere mansuetos, atque subinde mansuetudine eos nobilitare, nostras verò compescere ferocitates atque efferatos animos non curamus, aliáque huiusmodi planè singularia, præbebit tibi idem doctor super Matt. ho. 4. to. 2.

Quod ira sit ignis quidam, quódque si homo iratus sese clarè videret iratum, terreretur, & stupesceret, aliáque id genus, lege apud Chrysos. super Ioan. ho. 23. prope finem to. 3.

Quod iracundus deterior videatur quàm à dæmone obsessus, & similia, vide apud eundem super Ioan. ho. 47. in fine to. 3.

De proprietatibus terribilibus iræ reperies multa in eodem doctore in acta Apostolorũ homi. 6. to. 3.

De stulta excusatione quorundam irascentium, qui dicunt ab ira, non à se, damnum promanasse, vide eundem in Acta Apostol. ho. 17. to. 3.

Quod ira perturbet ingenium atque rationem, & quod ira commotus sic operetur ac si esset in tenebris densissimis constitutus, & alia id genus, inuenies apud Chrys. de sacerdotio lib. 3. initio to. 3.

Quod irati similes sint nauibus fluctuantibus, atque sine magistro iactatis, reliquísque nautis prorsus absentibus, & præterea de aliis proprietatibus hominum irascentium, consule eundem sermo. de mansuetudine to. 5.

Quod quantum dies serenus ac clarus distat à rigido, turbulento, ac tempestuoso, tantum paccatus homo ab irato dissideat, videbis apud Chrysos. ad populum homi. 29. tomo. 5.

Quod magna stultitia sit Deo obsequentem se non præbere, sed irasci, quandoquidem tam promptè ei paret turbulentum mare, lege D. Hiero. in Hiere. lib. 2. caput. 5. exponentem.

De maxima iracundorum insania, atque excessibus, in quos prolabuntur irati, seipsos quandoque percutiendo, iam paratam mensam euertendo: interdum vasa frangendo, & similes insanias ostendendo, consule Senecam lib. 1. de Ira ad Nouatum cap. 16.

Quod ira sit infame vitium, atque fœminarum proprium, vide Senecam vbi suprà.

Nonnulli iracundi sese excusare nituntur asserentes se aliud efficere non posse cum irascuntur, quòd natura propensi sint ad iram, & bile quidem prædominante sint nati. Sed hæc sanè excusatio non placet Senecæ: ait enim terrorem, ac frigus, & id genus alia, nobis euenire frequenter vel nolentibus, sed tamen iram consummatam absque deliberatione non esse. Super quo mira reperies apud eundem lib. 2. de ira, cap. 1. 2. 3. & 4.

Iracundi in crudelitatem ac feritatem sæpe labuntur. Hannibalem enim aiunt dixisse, cum fossam sanguine humano plenam vidisset: ô formosum spectaculum! Alius quoque tyrannus cum vno die 300. homines interfecisset, incedens inter cadauera vultu superbo, Græcè proclamauit, ô rem regiam! lege Sene. lib. 2. de Ira cap. 5.

De mari, & eius mutationibus, & quare sit salsum, & quo pacto eius aqua reddatur dulcis si à mari extrahatur, & de ipsius periculis, consule Vincen. Belluacen. specu. natu. lib. 5. cap. 5.

De quibusdam lacunis admirandis, rebúsque stupendis atque mirabilibus quæ in ipsis reperiuntur, consule eundem specu. natu. lib. 5. cap. 42.

Si cupis nosse ingentem quandam, qua Seneca iactatus fuit, procellam, ab ipso mari difficulter euadens: ita vt asserat non tantum Vlyssem natasse quantum ipse natauit, lege Senecam lib. 7. epist. ad Luci. epis. 54. in medio.

Ipse verò dormiebat. Matth. quidem dicit quia dormiebat, Marc. verò quod super ceruical, vt & humilitatem suam patefaceret, & præstantis Philosophiæ præceptis nos instrueret. Chrysos. super Mat. hom. 29.

Dormire verò dominus in hac naui tunc intelligitur, cum ad probationem fidei Ecclesiam suam pressuris & persecutionibus mundi istius tentari permittit: oratio verò discipulorum excitantium dominum, & auxiliũ implorantium vt liberarentur, preces sanctorum ostendit, qui orta tempestate persecutionis, sæuiente diabolo, & angelis eius, deuota fide ac iugi oratione, patientiam domini velut de somno excitant, vt misericordiæ suæ auxilio per timorẽ humanæ infirmitatis periclitãtibus subuenire dignetur. Quò increpatis ventis, immundis scilicet spiritibus, qui autores sunt persecutionis, & mitigata omni seculi tempestate; Ecclesiam suã in pace & tranquillitate restituat. Chrysos. in non abso. ho. 23.

Sicut qui dormit eodem vultu semper est, quocunque honore vel cõuicio afficiatur: ita Deus cum in hoc seculo sæpenumerò optime meritos iustósq; viros beneficio vllo non prosequatur, impios autem & criminosos plerumque impunitos abire sinat, imo potius eos plurimis aliquando diret bonis, bonos autem magnis torqueat calamitatibus; videtur quodammodo in rebus humanis tanquam inter quosdam bonorum & malorum fluctus obdormire. Vnde Dauid dicebat, Exurge, quare obdormis domine? Cæterum qui dormit expergiscetur, nec sinet malorum conatus ad finem vsque peruenire iniquitatis suæ. Nunquid ait propheta, qui dormit nõ adiiciet vt resurgat? Dormiebat Noë, & nequissimus Cham illius pudenda proteruo cernens ore, patrem irridebat suum, at Sem, & Iapheth pietate moti, fratrísque infensi impudentiæ paternum veste texere corpus. Tandem excitatus Noë impio maledixit Cham, & pio Iaphet benedixit, atque Sem. Pſal. 43. Pſal. 40. Figura ex Gene. 9.

Hic diuinus somnus piorum calamitates multo efficit grauiores. Cæterum hoc præcipue discrimen Elias inter verum Deum falsósque & commentitios deos esse declarauit: quod verus Deus ad suorum preces & labores vigiles semper oculos & aures habeat, Dij commentitij dormiant, imo verò nihil attendant, cum ipsi nihil sunt. Vnde cum sacerdotes Baal deum suum inuocantes dicerent, Baal exaudi nos, nec esset qui responderet: irridens eorum clamores Lud. Gra. 3. Reg. 19.

mores Elias, Clamate inquit voce maiori, Deꝰ enim vester est forte in itinere, vel diuersorio, aut certè dormit. Cùm ergo hoc sit inter verum Deum, falsósque discrimen: quid putatis animi pios habere, cum eis Deus dormire videtur, hoc est cum eorum preces non exaudit, cũ remedia in longum differt, quódque grauius est interdum etiã non dormire solum, atque voces eorum non audire, sed etiam eos tanquam à se alienos & inimicos repellere apparet. Quod sanctissimo Dauidi non semel contigit, quemadmodũ ipse testatur cum verba illa doloris plenissima protulit Psal. 30. Ego dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum: hoc est, ita aliquando tribulationum fluctibus obrutus, & animo cõstratus fui, vt prope arbitrarer me non solum à te derelictũ, sed etiã proiectũ atque repulsum. Quid porrò aliud illa morientis in cruce Domini querimonia, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me! nisi hanc piorum derelictionem sonat? Sed quid posthac mirabimur si pios dominus in mediis aduersarum rerum fluctibus deserere videatur, cum hoc eodẽ modo inter acerbissimas dolorum angustias amantissimum filium dereliquerit? Quare tandem liquet pios sæpe & innocẽtes homines sine vllo ipsorum crimine hoc modo à deo non quidem in perpetuũ sed ad tempus pia dispensatione deseri. Quod & innocentissimus Iob testatur, cũ ait: Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberẽ mundas ad Deũ preces. Et Psal. 43. hæc omnia venerũt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo: & tamen humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Quid ergo sibi vult dominus, quando ita se cum piis hominibus gerit? Certe illorum fidem, spem, charitatem, humilitatem, patientiam, atque constantiam, cæteráque virtutes, in imperfectis quidem exercet, & perficit: in perfectis autem probat, & explorat. Hinc sanctus propheta Moses: tentat vos inquit dominus Deus vester, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non.

Petrus Chrysol. sermo. 21. Quoties Christ' nostra dormit in naui, irruit procella tota confusione ventorum, sæuiunt minaces vndæ, & dum spumosis fluctibus sæpius eleuantur, & decidunt, amara nauigantibus gignunt expectatione naufragia.

O res mirabilis plane! qui nunquam obdormiuit, dormit: qui non dormitat, sed semper vigilat, totum gubernando orbem, dormit. Cæterum dormiebat secundum humanitatem, & vigilabat secundum diuinitatem.

Gl. Ordi. sup. Mat. Dormit in nobis dominus, id est, fides domini, cum negligentius agimus: & ideo tempestas.

Deus vigilat in cælo semper, vbi eo fruuntur beati: Dormit autem in inferno semper, non audiendo voces damnatorum: in mundo autem interdum vigilat, interdum dormit. Videtur dormire, cum labores immittit in electos suos: & dicimus quòd vigilat, cum fauet periclitantibus.

Dormire Dei est, electis suis in tribulationibus huius mundi positis tardius subuenire: vigilare Dei est, in defensionem electorum venire, & in vltionem inimicorum suorum. Auguſt. lib. de essentia diuinitatis to. 4.

Neque verò vel in corpore constitutus ita dormiebat dominus noster Iesus Christus, vt ignoraret tempestatem maris: dormiebat corpore sed virtute vigilabat, & vigilabat eius potestas ac prouidentia, quæ excitauit tempestatem in mari. Ambrosius in Psalm. 44.

Figura huius dormitionis Christi fuit somnus Ionæ in tempestate: & vt inferendo hunc in aquam, & excitando, cessauit tempestas: ita per passionẽ Christi cessauit tempestas ac naufragium mundi. Hiero. lib. 1. super Mat. 8.

Dormit Deus dissimulando mille iniurias & blasphemias non solum infidelium, & hæreticorũ: sed etiam complurium malorum Christianorũ. Vnde de eo dicit propheta, quod factus est sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. Et Esaias, Tacui semper, silui, patiens fui. Quidam Euangelista dicit quòd erat super ceruical dormiens: ceruical quidem omnino lectus non est. Vnde significatur quòd Christus elegit vitã cõmunẽ: non enim dormiebat in delicatissimo lecto, nec etiam super durum saxum: virtus siquidem non est amica extremorum. Vnde dixit Propheta: Nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus super me. Sponsa præterea mentionem faciens de suo sponso, non lecti, sed lectuli nomine vsa est. Super hoc poteris tractare de his qui ita in pœnitentia se gerunt vt extrema persequantur.

Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eũ, dicentes: Domine salua nos, perimus. Idipsum olim Dauid ex persona Apostolorum suscitantium dominũ significasse visus est, cum dixit: Exurge, quare obdormis domine? Exurge, adiuua nos, & libera nos, propter nomen tuum. Chrysosto. in non absol. homilia 23.

Theodoretus in historia religiosa inquit medicos quidem varia medicamentorum genera ægris pro morborum varietate adhibere solitos: cæterum ad omnes animorum morbos depellendos, omniáque huius vitæ incommoda perferenda, orationem esse commune medicamentum, atque remedium. Est & aliud tempore calamitatis remedium, nempe fidem & veritatem diuinarum promissionũ reminiscí: quæ sperantibus in domino instar impenetrabilis clypei sunt. Mat. 11. venite ad me omnes qui laboratis, &c. & Psalm. 91. bonum est confiteri domino. Hac spe sanctus Chrysogonus beatã Anastasiam à viro suo publico idolorum cultore inclusam, & inhumanissime tractatam, epistola ad illam missa consolatur, dicens: Fluctuanti tibi inter procellas & turbines mundi, citò super vndas deambulans Christus aduenier, & diaboli aduersum te flantem spiritum, vno iussionis suæ sermone compescet: patienter, & quasi in medio maris posita, crede ad te Christum esse venturam: & ad temetipsam conuersa, exclama cum propheta, dicens: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, &c. Mos enim Dei est post tempestatem tranquillum facere. Ioseph quidem in medium proferam, qui fuit venditus à fratribus, calamitas tamen ea non solum maximam gloriam iuueni sancto, sed etiam salutem familiæ suæ & cunctis Ægyptiis peperit. Tum 2. Petri. 2. dicitur, nouit dominus pios de tentatione eripere. Psalmo præterea 70. dicitur, quantas ostendistis mihi tribulationes, multas, & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me! Tobiæ insuper 11. benedico te domine, quia tu castigasti me, & tu saluasti me. Tum 1. Reg. 2. dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. Item Deute. 8. Moses populo ait: afflixit te penuria, & dedit tibi cibum mãna, quod ignorabas tu, & patres tui. Cæterum nõne maius beneficium esset præuenire labores ne nos vexarent, quàm vbi diu torserunt, opem laborantibus ferre? Respondeo, quod vt gratior est res post vehementem sitim aquæ frigidæ potus, & post solis æstuum vmbram peteres ita post calamitatum tempestatem, speciosa est misericordia Dei.

Super illa verba, Domine salua nos, perimꝰ: quòd in nostris tribulationibus accedere mox debemus

ad Deum, tractare poteris, ad quod paucula hæc legito.

Inuocemus Deum in nostris angustiis, Esa.33.A. domine miserere nostri.

Deus vult vt ipsum imploremus in nostris afflictionibus, Iere. 3. B. ergo saltem modo voca me pater meus.

Inuocemus in nostris necessitatibus Deũ, Danie. 13.E.Deus æterne qui absconditorum,&c.

Confugiamus ad Deum, vt nobis opituletur in nostris calamitatibus, Iudicum 10.C.D. peccauimus tibi.

Poscamus à Deo auxilium, cum nos laboribus immersos inueniemus 2.Para.18.G. clamauit ad dominum.

Oremus Deum vt nos à quibus opprimimur laboribus eruat, Psal. 43. Exurge, quare obdormis domine.

Quod Deus velit vt nostris miseriis oppressi clamemus ad eum, Psalm. 49. inuoca me in die tribulationis.

Deus lætatur vt se in nostris necessitatibus inuocemus, Psal.80.in tribulatione inuocasti me.

Imploremus Deum in nostris tribulationibus, vide Psalm.85.per totum.

Sæpe contingit Deum nolle exaudire clamantem in laboribus, quod is vocationi diuinæ noluerit respondere, nec eius inspirationibus consentire. Lege Esa.c.65.A.Expandi manus meas. Et Prouer. 1. quia vocaui, & renuistis: Et Iere.7.C.& nunc quia fecistis omnia opera hæc.

Et dicit eis Iesus. Quid timidi estis modicæ fidei? An peccarint discipuli, lege Abulensem, qui id accuratè tractat quæ. 19.super Mat.8.

Super hæc verba tractare poteris quanto magis timere debeamus ne Deum offendamus erratis nostris, quàm omnes ingruentes procellas, ac tempestates. Ad quod percurrito quæ sequuntur.

Quantum Deus timeri debeat, vide Esa.c. 36. D. Quis est ex omnibus diis terrarum.

Magnam Dei potentiam timeamus, Esa. 40. E. F. G. qui sedet super gyrum terræ.

Dei potentiam reuereamur, Esa. 45. A. portas æreas conteram.

Deus timeri vult, Esa.46.B. Cui assimilastis me.

Timeamus Deum qui terribilis est ac tremẽdus, Esa. 50.B. ecce in increpatione mea.

Reuereamur Deum verum, quando idololatræ Deos falsos timent, Iere.2.C. transite ad insulas.

Timeamus Deum, qui peccantes punit, Iere.6.E. propter hæc dicit dominus, ecce ego dabo in populum istum ruinas.

Deus horrenda comminatur his, qui eum non timent, Nahum 3.A.B. væ ciuitas sanguinum.

Quàm iustum sit Deum timere, consule Iob 12. B.C. si destruxerit, nemo est qui ædificet.

Timeant mali Deum, quandoquidem tantopere timetur à bonis, Iob. 23. C. à facie eius turbatus sum.

Timeamus dominum semper, Prouer.28.C. beatus vir qui semper est pauidus.

Timeamus Deum qui malos terribiliter punit, 2. Reg.6.B. percussit eum.

Deus timendus est 2.Para. 28. C. dimiserúntque viri Israel.

Quot quantáque per Dei timorem obtineantur 4.Reg.22.D. pro eo quod audisti verba voluminis.

Ieremias ait: Audi populestulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, nó videtis: & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, qui posui arenã terminum maris? Arenam quippe dominus mari terminum posuit, qui ad frangendum mundi gloriam, abiectos, & pauperes elegit, &c. vide Greg. lib. 9. Mora. c. 5. & Hiero. lib. 2. in Iere. 5.

Tunc surgens imperauit ventis, & mari: & facta est tranquillitas magna. Dauid ait, quòd domino verbo imperante, maris violentia mitiganda esset, Psalm. 88. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Et itetum: dixit, & stetit spiritus procellæ. Et rursum, qui conturbas profundum maris, &c. Chrysosto. in non abso. homi. 23. Chrisost.

Hinc discimus, vt in omni conturbatione patientiam teneamus: stabiles simus, fidem nó deseramus, etsi omnis iste mundus tanquam mare ebulliat, atque in furorem consurgat. Etsi omnes venti & vertigines dæmonum vndique sæuiant, etsi omnes tempestates maris, id est omnes principatus & potestates mundi incitentur, & in tumorem iracundiæ despument ac sæuiant in sanctos, & quamuis vsque ad nubes sese attollant. Nõ inquã timere debemus cõcitatos aduersus nos: nec debemus deficere, etsi ipse dominus pio dormiat somno, nostram patientiam & tollerantiam expectans, vel impiorum pœnitentiam & conuersionem. Alacriter accedamus ad Deũ, orationibus instantes, & dicentes cum propheta, Exurge, quare obdormis domine? Ipse autem surget, & imperabit ventis, & dæmonũ spiritibus, qui maris tempestates commouent, hoc est amaros concitant & elatos fluctus principatum mundi, ad persecutiones omnibus sanctis immittendas. Quæ omnia mitigans Deus tandem, ea euanescere faciet. Origenes in diuersos ho.6.

Tranquillitas magna. Magna potestas, quia de magna tempestate fit magna tranquillitas. Dormit autem vt homo, imperat vt Deus. Gl. inter. sup. Mat.

Non cessant vndæ tumentis maris, nempe superbia ipsa & arrogantia, nisi comminationibus & imperio Dei. Quis enim poterit turbatũ animum omnino sedare, præter factorem suum? Quis poterit cor immutare, nisi qui illud effinxit? Quis poterit inestinum odium expellere, nisi Deus suis cõminationibus, & nutu suo? Nullus plane alius odium in amorem, & inuidiam in charitatem, nisi Deus commutare potest. Reges quantumuis imperent, at certe corda immutare non possunt: Deus verò id potest, qui in interiora & exteriora dominium habet. Cæterum si quem Deus castigat, id facit ad corrigendum eum: nos autem minus patiẽter sustinemus correctiones, non cõsiderando quod dicitur Prouer. 1. despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo. Et Prouer.15.Qui increpationes odit, morietur. Et Prouer.10.Qui increpationes relinquit, errat: Et Prouer. 12. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: Qui autem odit increpationes, insipiens est. Item 15. auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientũ morabitur. Et paulò pòst, qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Simon de Casia lib. 5.cap.2.

Imperauit ventis. Seruorum quidem Dei imperio obedierunt multa. Nam Moses virga diuisit mare rubrum. Iosue arefecit Iordanem, & sicco pede totum populum transmisit. Elias & Eliseus quoque pallio diuiserunt Iordanem. Cæterum nullus tali imperio, quali Christus, imperauit.

Tũc surgens. Surgit Deus, vt suis faueat: vnde Stephanus dixit: Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem. Et Nahum primo dicitur, bonus dominus, & confortans in tribulatione, & Tobiæ 3. post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymas gaudium reddis.

Nota quod solet Deus conturbantibus bonos secreto

secreto comminari, & imperat eis vt cessent, & eos non persequantur. Nam ita reprehendit Abimelech, qui Abrahæ tulerat vxorem. Item reprehendit Laban, quia persequebatur Iacob. Tum secreto reprehendit sæpe & comprimit nostros effrænatos appetitus.

Pint' super Esa.

Qui Deo semper adhæret, nunquam in laboribus succumbit: nam etsi interdum permittatur premi, vexari, ac torqueri, non ideo deserit eum Deus, imo fauet magis, quã si eum liberaret: quia dat pro pignore amoris ea tormenta. Et quamuis corpus patiatur, at certe anima ipsa illæsa permanet & incolumis. Vnde fauebat maximè diuo Laurentio in craticulis, non minus quàm pueris illis in camino. Tum D. Ignacio fauit inter leones, non minus quàm Danieli in lacu leonum. Atque hoc est ardere rubum, & non comburi, quod scilicet premantur quidem boni, non tamen omnino opprimantur. Vnde etiam comparat Deus seruos suos domui supra firmam petram ædificatę, quàm nec pluuia, nec ventus, possunt demoliri. Dicit insuper Propheta iustorum nomine, Transiuimus per ignem, & aquam &c. Cæterum non debemus propterea negligentes esse: fieri enim posset, vt propter scelera nostra succumberemus calamitatibus. Vt enim in mari rubro alii incolumes transierunt, alij submersi sunt: ita in calamitatibus alij saluantur, alij verò damnatur.

Inter varios errores, quibus deluſa olim gentilitas laborabat, hic vnus erat: quod mundi regnum credebat deos multos inter se humano more fuisse partitos. Ioui enim cælum, Plutoni inferiora, Neptuno verò maria, sorti obtigisse putabant, & sic de cæteris. Ad hanc ergo cæcitatem ex humanis mentibus expellendam, Seruator noster vbi tot miranda prodigia edidisset in terra, transit ad mare: vt se terræ, marisque, atque adeò omnium rerum dominum comprobaret.

Tranquillitas magna. Discamus ex hoc loco obedire ei, cui creaturæ insensibiles obediunt. Vnde Esa. vt hominum hanc inobedientiam notaret, cælum, & terram inuocat, adferens hæc in testes humanæ superbiæ. Dicit enim, Audite cæli, &c. acsi dicat Deus, vos omnes ò creaturæ mihi obtemperatis: homo verò inobediens est. Quare vos eritis eius inobedientiæ testes.

Quanto maior est labor, & magis vrgens, tũc magis debes tibi persuadere non procul abesse remedium, sed viciniorem te habere Deum ad subueniẽdum. Considera enim quomodo Dauidi quãdo Saul eum persequebatur, & vrgebat in monte, citò Deus accurrerit. Cum etiam Iacob fugiebat Labam, vide quàm subito ipsi Iacob Deus succurrerit. Recordare præterea cum venit Esau contra Iacob, quàm repente Deus Iacob subuenerit. Vide vt Israelitico populo opitulatus est in transitu maris rubri. Memento denique quomodo Petro propitiam porrexerit manum, cum cœpisset mergi.

Animaduerte vt statim procella cessauit ad Christi imperium: circa quod lege Laur. Iusti. lib. de obedientia c.6. non procul à fine eiusdem operum.

Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Somnus quidem hominem ipsum declarabat, at verò maris tanta per eum subito facta tranquilitas Deum exclamabat. Quanquam enim & Moses tale quid olim fecerat, sed ille quasi seruus, hic verò quasi dominus operatur. Non enim virgam hic vt ille tetendit: non manus in cælum sustulit: non precibus indiguit. Sed vt dominus ancillæ imperans, & conditor suæ creaturæ, fluctus maris depressit, frenauitque verbo solum, atque præcepto. Chrysosto. super Matth. ho. 29.

Qualis est hic. ô peruersitas humana, quòd solus homo renuat obedire Deo, cum cæteræ creaturæ ei obediant! De quo conqueritur Deus per Esa. dicẽs: Cognouit bos possessorem suum, &c. Et per Iere. cum dicit: Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur &c. populus autem meus non cognouit iudicium domini.

Super epist. & Euange. huius diei duas composuit cõciones D. Antoni. in principio primæ par. Theolo.

Tres cõposuit conciones D. Tho. de hac dominica, vnã super epist. reliquas super Euan. in fine to. 16.

Lege deniq; D. Hilariũ Canone 8. super Matthęũ.

Dominica quarta post octauas Epiphaniæ Domini.

IMILE factum est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo: cùm autem dormirent homines venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Matthæi. 13. Post dormitionem Christi & Apost. per mortem, istas hęreses inter fideles seminauit diabolus pro maiori parte: quia etiam aliquando hæreses viuẽtibus Apost. fuerũt seminatæ, vt patet in epistolis Pauli, & 1. Cano. Ioan. 2. nunc Antichristi multi facti sunt. Nicolaus Lyranus super Mat. 13.

Illud profectò diaboli artibus astutè fieri scire debemus, vt veritati semper errores connexi atque inserti, per similitudines facile decipiant leuiores. Propterea nõ alia semina, sed zizania immista dixit: quæ tritico similima sunt. Falsi enim Prophetæ post prophetas apparuerunt, & fallaces Apostoli post Apostolos, & post Christum Antichristus. Chrysost. super Matt. ho. 47. to. 2.

Diabolus hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam, gratis serere consueuit: non vt acquirat zizania, sed vt perimat innocentes. Hostis plus ducem quàm militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viuentes: sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos: Sed vt iustos capiat sic laborat. Superseminauit autem zizania in medio tritici, & abiit: quia diabolus impellit quidem viribus ad ruinã, sed postea quàm prostrauerit, derelinquit. Diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit. Fratres ille malis nostris gaudet: surgit ruinis nostris: nostris vulneribus cõualescit: nostrum sanguiné sitit: nostra saturatur ex carne: nostris viuit ex mortibus. Diabol⁹ hominẽ non vult habere, sed perdere. Quare? quia ad cælũ, vnde ille cecidit, non vult non fert, non patitur, hominem peruenire. Petrus Chrysologus sermo. 79.

Cum autem dormirent homines. Insidiator impotens in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, impetit tantum dormientes. Fortis autem conflictum palam petit: prouocat palam, & spectantibus omnibus, ac coram populis vult habere victoriam. Maximæ infirmatis indicium est, dormientibus irruisse. *Superseminauit zizania.* Vt quid? vt periret dominica messis. Et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici, nisi quod inuidiæ spiritu hominum damnum suum computabat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisiuisse. Petrus Chrysolo. sermo. 97.

De inimico qui superseminauit zizania, vide Hugo. de S. Victo. lib. 2. Allego. in Matth. c. 26. to. 1.

Cum autem dormirent homines. Si quæras vnde lethalis hic sommus, ex quo tot mala oriuntur, proficiscatur: haud dubium quin ex prauis nostræ carnis cupiditatibus, quæ vbi se totã illarum obsequio tradit, actiones spiritus vehementer impedit, ipsúmque lethifero somno consopit. Hoc autem appo-

sitissimè adumbrauit potus ille lactis, quem Iahel fugienti atque sitienti Sisaræ Madianitarum duci propinquauit.

Superseminauit zizania. Legit diabolus scripturas, non vt ex earum lectione melior fiat, sed vt simplicitate eos qui tantum corticis & literæ amici sunt, interficiat. Sic etiam legunt scripturas hæretici, vt alios decipiant: laborant enim omnes hæretici suas hæreses probare autoritate scripturæ, sensum verum retorquentes, & vt Paulus inquit, adulterant verbum Dei.

Si inter homines quãdo expugnatur vrbs aliqua, reperiuntur tantæ artes, tantæ insidiæ, tum ad prædandum, tum ad intercludendos commeatus hostiũ: quanto magis connitetur dæmon ad expugnandum arcem voluntatis, & suffurandos spirituales thesauros? Norunt sagaces agricolæ quæ tandem humus apta sit ad triticum producendum, & concipiendum, quæque ad auenam, quæ ad siliginem & denique pro natura telluris seminare consueuerunt granum. Ita dæmon tanquã astutus & callidus seminator pro ingenio & natura cuiusque seminat zizania, ac tentationes varias. Hic enim spargit auaritiam, illic luxuriam, iam superbiam seminat, iam verò inuidiam.

Vt triticum semper periclitatur, & calamitati est obnoxium, ita hominis vita sexcentis exposita est periculis. Vnde quisque sibi consulat, ac diligenter caueat. Si enim maximam diligentiam homines adhibent ad bona & diuitias custodiendas, ne ab aliquo dilapidentur: si diligentes sunt in seriis ipsis religandis, & componendis, ne vinum effundatur: si in vasis olearijs ne pereat ipsum oleum: si in ipsis vestibus curandis, ne à tinea lædantur, & aliis id genus: cur non multo magis animum ipsum, diligentiúsque tuebuntur, & defendent, ne dæmon superseminet zizania? Cum aliquis est nobis fortior hostis, & potentia, viribúsque maior, circumspectè planè & vigilanter viuimus, metuentes semper ne qua nos aggrediatur, & inuadat imparatos: magis ergo, magisque fortiorem multò dæmonem fugere debemus, qui hinc illinc, atque adeò vndique nos oppugnat.

Apud D. Bernar. super illa verba Psalm. 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel, in hunc sensum habes. Etsi scires dæmonem ipsum esse imparatum, nilominus autem paratus semper esse deberes, & vigilans, ne forte sua ista astutia & simulatione aliquãdo te imparatum offenderet. Quẽadmodum enim qui versantur in bello, quando hostis inuadere cessat, tunc sese muniunt, & propugnacula sua reficiunt: ita tu te gerere debes, imo vigilantissimus esse semper, cum scias eum nunquam cessare, sed perpetuò esse in insidiis, & leonem rugientem, ac quærentem quem deuoret.

Ex negligentia protoparentum nostrorum ansam arripuit dæmon seminandi zizania, ita vt statim horum pullulatio secuta sit: & caro cõcupiuerit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, atque lex illa oborta fuerit, quam dicebat Apostolus repugnãtem legi mentis. Erat quidem Apostolus adeò afflictus videns tantopere hæc zizania pullulantia, vt diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore &c. Seminat quidem dæmon zizania, ad perdendum triticum: nam modicum fermentum totam massam corrumpit. Mirum autem est picem tangere, & nõ inquinari: in igne versari, & nõ vri: inter prauos esse, & non deprauari: inter zizania, & nõ suffocari.

Pau. de Paula. super Mat.

Doctrina quidem diuina primo erat seminata, sed deinceps multæ hæreses superseminatæ sunt. Dixit enim Deus, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, &c. super quæ verba seminauit dæmon zizania, dicens: Cur præcepit vobis Deus &c. Quare nunquam debemus nobis securitatẽ omnino pollicerí: quamuis in nobis cernamus aliqua mirabilia. Nam etsi Apostolus vidisset diuina illa, quæ non licet homini loqui: interim tamẽ dæmon solicitè curabat, vt in eo seminaret zizania. Vnde dicebat Apost. ne magnitudo reuelationum extollat me, &c.

Si seminatum bonum triticum adeò dæmon disperdit seminando zizania: quid faciet seminando malum semen? Si cum quis vult bene operari, ita dæmon curat peruertenda illius bona opera: quid illi continget, qui malè operabitur?

Super illud, venit inimicus, & superseminauit zizania: tractare potes contra hæreticos, & diabolica zizania suorum falsorum dogmatum. Ad quod accipies quæ subsequuntur.

Duplex est hæreticorum genus: alij namque sunt occulti, alij verò manifesti. De quo vide D. Bernar. sermo. 42. super Canti. qui incipit, Cum esset rex.

Aduersus hæreses, apostasias, & schismata, lege Vincentium Belluacen. Specu. Mora lib. 3. par. 3. dis. 30. & 31.

Contra crimen hæresis, & aduersus hæreticos ipsos, & eorum conuenticula, item de pœnis ipsis infligendis, de confiscatione bonorum eorundem, de variis hæreticorũ sectis, & quomodo sint extirpandæ, & fautores puniendi: leges eundem Specu. Doctri. lib. 9. à c. 44. vsque ad c. 55.

Quam rapaces lupi sint hæretici, vnde Acto. 20. F. Ego scio quoniam intrabunt &c.

Quod postquam per aduentum filij Dei in mundum idololatria cessauit, generis humani hostis antiquus dæmon totis viribus excitandas ac disseminandas curauerit hæreses, vt ita hæretici successerint idolatris: consule D. Aug. de ciui. Dei. lib. 8. c. 51.

Quam variæ etiam ac discrepantes sententiæ atque sectæ fuerint inter antiquos Philosophos, cum præsertim illas colligens atque enumerans M. varro, compererit extitisse 288. lege eundem Augu. lib. 19. de Ciui. Dei c. 1. to. 5.

Hæresiarchæ qui à tempore post Ascensionem Domini Iesu ad cælos, ad tempora vsque D. August. reperti sunt, fuerũt 88. quorũ nomina reperies apud eundem doctorem in præfatione libri ad Quod vult Deum to. 6.

Consule eundem lib. de hæresibus ad Quod vult Deum diaconum to. 6. per totum librum.

Quod hæretici diuinam scripturam perperam omnino intelligant, eiúsque torqueant sensum: lege eundem de tempore sermo. 98. to. 10.

Quod illa mulier quæ ne puer diuideretur instabat, præfigurabat Ecclesiam, altera verò quæ diuidendum esse dicebat, hæreticos adumbrat, amicos diuisionis & schismatis: lege eundem de tempore sermo. 20. to. 10.

Hæretici sunt superbi, hypocritæ, & deceptores: vide D. Grego. lib. 3. Mora. c. 18.

Quod hæretici sese fingunt humiles quò securius decipiant, & alia huiusmodi: vide apud eundem super Canti. cap. 2. in illa verba, Capite nobis vulpes paruulas.

Hæreticorum arrogantiam, & alias proprietates prauas: lege apud eundem 14. Mora. cap. 12.

Proprietates & ingenia peruersa hæreticorũ, D. Hiero. aptè describit lib. aduersus Heluidium hæreticum, de perpetua virginitate Beatæ Mariæ, to. 2.

Hæretici sunt audaces, dissoluti, & impudentes: vide eundem scribentem D. Aug. epist. quadam incipiente, Tres simul, prope finem to. 2.

Quemad

Quemadmodum qui cupit ruinam Reipub. alicuius, primum omnium infamatorios libellos contra ipsum principem gubernatorem diuulgat, & contra cæteros moderatores, nitens vt dissideant à subditis: ita hæretici volentes euertere ipsam Ecclesiam, infamant summum Pontificem, & negant eius autoritatem, atque cæteris Ecclesiæ gubernatoribus detrahunt, sed frustra omnino, cum præualitura semper sit Ecclesia, & hæretici confundendi, atque omnino exterminandi. Vt enim mare non potest cadauera ipsa retinere, quin potius ea eiicit: ita Ecclesia omnes hæreticos à se eiicit, & expellit.

Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset tunc apparuerunt & zizania. Quod latet in herba, manifestatur in spica, & quod celatur in gramine, aperitur in fructu: sic quos credentes putamus pares, fide dispares inuenimus. Sic etiam iudicij prodit messis, quod Ecclesiæ germen occultat: iuxta illud dictum Dominicum, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Flores quidem multi multitudinem fructuum pollicentur, sed examinati ventorum flabris, ad fructum pauciissimi perseuerant: sic credentes in Christo multi Ecclesiæ videntur in pace, vbi autem persecutionis procella perflauerit, pauci martyrij reperiuntur in fructu. Chrysologus sermo. 97.

Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Quod homo toties peccet vel contra ipsam rationem, similis mihi planè videtur infantibus: qui cum blandè & molliter à nutricibus educentur, maiore interdum amore eas prosequuntur, quàm parentes à quibus progeniti sunt, & quorum beneficio ab ipsis etiam nutricibus aluntur. Nã ad hunc modum sensibilia bona instar nutricis nobis existunt, à quibus videlicet alimur & fouemur, & cum quibus familiarem consuetudinem gerimus: Deus autem præcipuus & summus pater est, qui nos condidit, cuiusque beneficio & prouidentia cuncta nobis sensibilia deseruiunt, & cui omnia accepta ferre debemus. Nos tamen infantum more nutrices parenti præferimus, hoc est sensibilia bona, à quibus nutrimur, conditori nostro per quem & viuimus, & in lucem editi atque suscepti sumus. Hæc igitur causa est cur magis corporea bona, quàm spiritualia, quę vix agnoscere volumus, diligamus. Quo fit, vt licet bonum semen Deus seminauerit: nos tamen zizania producamus.

Et ait illis: inimicus homo hoc fecit. Quæret fortasse aliquis, cur tanto odio persequatur nos dæmon, & profectum atque salutem nostram tot modis impedire conetur, inimicíque nomen ob eam causam in præsenti lectione sortiatur. Ad hoc respondendum: dæmonem quidem acerrimum esse Dei hostem, nam dæmonem ipsum Deus è cælesti sede pulsum in barathum perpetuo igne cruciãdum relegauerit. Cum verò Deum lædere, atque maiestatẽ eius imminuere nequeat: ipsius imaginem inuadit. Ad hunc enim modum reges terræ, qui capitali inter se odio dissident, quando alter alteri nocere non potest, alterius fines & regnum inuadit.

Non modo autem inueniuntur qui viam virtutis impediãt: sed etiam multi sunt qui viam perditionis patefaciant, sicut faciebant quadringenti illi prophetæ Achab regi suo. Si virtutẽ sequeris, mirantur quasi nouum aliquid, & inauditũ. Vastantibus quidẽ Chaldæis Hierosolymã, Idumæi incitabant illos, & dicebant: exinanite, exinanite, vsque ad fundamẽtum in ea. Varij sunt igitur inimici hominis, à quibus sibi cauere debeat, & variis modis oppugnatur.

Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? Et ait, non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Magna & excellens misericordia est domini, in mundo iustos aliquos relinquere. Quid enim factum esset de Ægypto septẽ illis annis, quando vniuersam terram fames occupauerat: nisi altissimus dominus tũc temporis Ioseph ei misisset? Quid de Eliphaz, & duobus amicis suis, si sanctissimus Iob pro illis non orasset? Quid actum esset Israelitico populo, quando Deus locutus Mosi dixit se illum destruere velle: nisi Moses pro eo interc̃essisset? Quare dominus misericorditer relinquit hic triticum, etiam inter zizania?

Inter bonos Christum confitetur beatus Petrus esse filium Dei, quem postea inter impios in atrio pontificis iuramento negauit. Ex quo docemur consortium malorum fugere, & bonorum societatẽ amplecti. Vt enim speculum quamuis mundum & splẽdidum sit, contaminato tamen flatu circunstantium inficitur: sic qui est honestate præditus, impiorum conuersatione contaminatur.

Hoc videtur simile ei quod Ioannes & Iacobus magno zelo dixerunt Christo: Domine, vis dicamus, vt descendat ignis de cælo, & consumat eos? Vbi Christus id non permisit fieri, hoc est vt tunc ignis descenderet: ita neque hic vt colligerentur zizania.

Non sunt illico eradicandi mali, si non sunt pertinaces: si autem secus, maximè. 1. ad Cor. 5. auferte malum ex vobis ipsis. Et 1. ad Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Non, ne forte. Agamus gratias domino, qui ita nobis prouidet, & nos conseruat: iuxta illud Esa. Prophetæ, Super muros tuos Hierusalem constitui custodes: tota die, & tota nocte perpetuo nõ tacebũt. Quia videbat tantam solicitudinem Propheta, quãtam de hominibus gerit Deus, dicebat, Quid retribuam domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Bernar. in Phal. Qui habitat: sermo. 12.

Super illa verba, vis imus & colligimus ea, vide D. Th. 2. 2. q. 10. art. 8. ad 1. & q. 11. art. 3. ad 3. & q. 64. ar. 2. ad 1. & q. 108. ar. 1. ad 3. & art. 3. ad 1. & in 4. sen. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 3. & contra gent. lib. 3. cap. 146. Nota. 5. & Quodli. 10. art. 15. ad 1.

Super illud, Non, ne forte colligentes zizania eradicentis simul & triticum: tractare poteris quantum valeant atque conducant boni inter peccatores & impios, quandoquidem Deus conseruat & sustinet malos, ne boni simul eradicentur. Ad quod consules quæ subsequuntur.

Quantum prosint in Repub. boni, Iere. cap. 5. A. circuite vias Hierusalem.

In hac vita boni miscentur malis sicut triticum inter zizania, Ezechie. 2. B. increduli & subuersores sunt tecum.

Boni & mali simul existunt modò, Ezechie. 12. A. in medio domus exasperantis tu habitas.

Dolendum est nobis sanctum quempiam virum à nostro cœtu recedere, maximè cum sit rara auis in terris, Michææ 7. A. væ mihi, periit sanctus de terra.

Boni in hac vita conuersantur inter malos Iob. 1. A. vir erat in terra Hus.

Quantum Reipub. conducat esse bonos in ea, Gene 18. C. nunquid perdes iustum cum impio?

Quàm vtilis ac necessaria sit impijs bonorum societas, Gene. 19, E. festina, & saluare ibi.

Quod impijs bene sit inter bonos; lege Exo. 32. C. dimitte me vt irascatur furor meus.

Nunquam inter innumeros impios deest bonus aliquis 3. Reg. 18. A. Abdias autem timebat dominũ.

Boni cum malis conuersantur quamuis non semper agnoscantur 3. Reg. 19. D. & derelinquam mihi septem millia virorum.

Nonnulli boni frequenter inueniuntur vbi non credamus. Acto. 5. F. surgens autem quidam.

Boni inter malos splendent. ad Philip. 2. B. in medio nationis prauæ.

Boni inter malos præsentem traducunt vitam. Mat. 10. B. oues in medio luporum.

In vita præsenti plurimi ciues cælestes inter impios occultantur, sed tempus aduenit quo eorum præstantia nota fiet, vide D. August. lib. 1. de Ciui. Dei cap. 35. to. 5.

Quemadmodũ qui tempus malè consumpserunt, cum iam è vita decedunt illud aduertunt, & stultos se fuisse quod non bene vixerint clamitant, sanctéque promittunt sese si mortem euaserint emendaturos esse mores ac vitam, quod scribit Seneca ad Paulinum de breuitate vitæ cap. 11. pariter qui modò nolunt agnoscere bonos, quum hi auferentur, intelligent eorum indigentiam ac necessitatem: bonum fere siquidem, vt vulgo dicitur, nunquam nisi cum ablatum est nosci tur. Maxime enim Saul agnouit Prophetam Samuelem, postquam è vita sublatus fuit, cum tamen eundem dum esset in vita minus audiret.

Circa societatem etiam quam diligere debeamus, Philosophi aliqua documenta tradidere. Nam Solon dixit, Cum malis commercium ne habeto. Item Cato, cum bonis ambulato. Philemon, cum viro improbo iter ne facias. Epictetus, scito eum inquinari, qui cum inquinato ingenio conflictatur. Socrates, malorum consuetudinem fugito. Plautus, nolo ego cum improbis te viris, gnate mi neque in via, neque in foro, vllum sermonem exequi. Æschylus, visi improbi comitatum semper fuge. Lycurgus, cum pari viuito: qui enim cum potentiore viuit, necesse habet sæpe de suo iure concedere: cum æquali autem æquale tibi ius erit. Pindarus, caue certamen congredi cum potentioribus. Isocrates, nullam familiaritatem temere aut sine ratione contrahe: sed his gaudere congressibus assuesce, qui te & sapientia augeant, & virtutis apud alios opinione.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Super illa verba Iob 10. vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ait D. Grego. Mirum verò est valde quòd dicitur, vbi nullus ordo &c. nec enim omnipotẽs deus qui mala bene punit, inordinata esse vllo modo vel tormenta permittit: quia ipsa quoque supplicia, quæ ex lãce iustitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modũ criminis retributio sequitur vltionis? Hinc quippe scriptũ est, potentes potenter tormenta patientur: & fortioribus fortior instat cruciatio. Hinc etiã in Babylonis damnatione dicitur: quantum exaltauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum. Si igitur iuxta modum culpæ pœna distinguitur: constat nimirum quod in suppliciis ordo seruatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent: nequaquam iudex veniens, dicturum se messoribus esse perhiberet: colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in supplicio ordo seruatur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est hos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat: & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio subleuat. Quòsque non dissimiliter dilatauit ambitio, non dissimilis angustet afflictio. Et par cruciet flamma supplicij, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo patris mansiones multæ sunt, pro diuersitate virtutis: sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subiicit disparitas criminis. Quæ videlicet gehenna quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna eademque qualitate succendit. Nam sicut vno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis vna est gehenna, quæ eos afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Quomodo ergo nullus inesse ordo suppliciis dicitur: in quibus profecto quisque iuxta modum culpæ cruciatur? &c. Grego. lib. 9. Mora. c. 47.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Chrisost. ho. 47. in Mat. hunc locum examinans, verba quædam habet, quæ Hermannus Bodius in Collectaneis suis in titu. de hæreticis inducit, vt astruat hæreticos quamuis in hæresi pertinaces fuerint, non esse pœna mortis puniendos. Sunt autem hæc: non prohibet Christus concilia hæreticorum dissipari, ora obstruere, libertatem loquendi conscindere: sed prohibet interficere, & trucidare. Et vide quàm mitis sit: non enim solum prohibet, sed cur prohibet rationem exponit, dicens parcendum esse zizaniis quousque vnà cum frumẽto in agro sunt, quia possunt in frumenti statum commutari. Hæc quidem Chrisost. sententia: in qua cum aliquãdo fuisset August. postea se eam mutasse testatur in epist. 48. ad Vincen. Rogatianæ hæreseos assertorem sic scribens: Mea primitus sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum: verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabat exemplis. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donatistarum, ad vnitatem catholicam timore legum Imperialiũ conuersa est: quam nunc videmus ita huius perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur. Ita & alię multæ quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa rectè posse intelligi quod scriptum est: Da sapienti occasionẽ, & sapientior erit. Hactenus August. Qui in lib. cõtra epist. Parmeniani, explicans mentem Christi dicentis: sinite vtraque simul crescere vsque ad messem, ait hæc verba in eo tantum casu seruanda esse, quando zizania sine extirpatione tritici extirpari non possunt: id est quando hæretici occidi & extingui nequeunt, nisi etiam cum eis catholici trucidentur. Sed cum metus iste non subest, & crimen eorum notum est, & execrabile, nec tales habent defensores, per quos possit schisma contingere: tunc aduersus eos seueritas exercenda est. Nam si Imperatores puniunt furta, & homicidia: cur non puniãt hæreses, & sacrilegia? Neque ab hac Aug. sententia discrepat Chrysost. sicut aperte ostendunt eiusdem verba, prædictis verbis præmissa, in hunc modum: Dominus prohibet euelli zizania, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici euellant. Decebat enim vt bella, & effusionem sanguinis prohiberet: nam si tunc trucidarentur hæretici, atrox, & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Euthymius in expositiõe huius sententiæ, Chrysost. explanationem sequens, ita scribit: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, messem dicit mundi consummationem, iubet ergo vt vtriusque generis homines, hoc est hæreticos, sinãt viuere crescentes auctósque numero in mundo, vsque ad consummationem. Verisimile siquidem est ante id tempus multos conuertendos hæreticos, nec tamen ob hoc illis commisceri oportere. Spatiosus est enim hic mundus, & illos per se viuere oportet, non ablatos quidem, sed separatos: ne docendo corrumpant quod seminatum est triticum. Hic locus ad defensionem hæreticorum adiectus est à Lutheranis in opere Bodij iam citato. Cæterum ex verbis quæ statim hanc periodum antecedunt, apparet Euthymiũ idem sensisse quod Chrysostomus. Ait enim: prohibuit auferri hæreticos, ne etiam pariter orthodoxi auferrentur: futurum enim erat vt bella & cædes orirentur. Sixtus Senensis in Biblio. sancta lib. 6. annota. 60.

Vsque ad messem. Idest vsque ad iudicium diuinæ patientiæ suæ, & nostræ pœnitentiæ tempus. Vt qui se de malo commutarit ad bonum, dominicum deputetur ad triticum, cælestibus horreis aggregandus: qui se de fideli fecerit infidelem, gehennæ deputetur incendio. Et quid plura? Si zizaniis non Dei patiẽtia subueniret, nec Matthæum de publicano Euangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret. Denique Ananias eradicare triticum tunc quærebat, quando ad Saulum missus, de Paulo talia querebatur: Domine, quanta mala fecit sanctis tuis! hoc est, eradica zizania. Quid ad lupum ouis? Quid ad contumacem, deuotus? Quid ad persecutorem, talis prædicator missus? Sed cum Ananias videret Saulum, Paulum dominus tunc videbat: cum Ananias persecutorem diceret, tunc dominus prædicatorem sciebat: & cum ille eum zizania iudicaret inferni, Christus eum vas electionis, & triticum in cælesti horreo iam ponebat. Vade inquit, quia vas electionis est mihi. Petrus Chrysologus sermo. 97.

Messis hæc est genus humanum in consummatione seculi ad iudicium congregandum: zizania, peccatores: inimicus homo, diabolus qui superseminauit peccata: messores sunt angeli, qui separant iustos à peccatoribus: ligare autem fasciculos, est rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus: similes denique cum similibus. Vnde dixit propheta: Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. August. de sanctis sermo. 39. to. 10.

In messe est vna spica grandis, alia atque alia humilis & parua: sed cum venit messor ad falcandum, paruas atque eminentes æquat, solóque prosternit, ita vt non facilè postea sit cognitu quænam earum in profundum, quæ vero in altum propagarent: sic in huius mundi tragædia alij potentes & magnates, alij humiles & abiecti: cum verò iam tandem mors inopinata & repentina venerit, vt falce acutissima vitæ tramitem & filum scindat, omnes æquales nullo facto discrimine manebimus. Si sepulchra aperias, etsi attentiori consideratione id tecum volueris excogitare: non facile erit cognoscere quis pulcher, quis diues, quis pauper fuerit: mors vtique omnia æquat. Ita enim D. Ioannes postquam vocem illam audiuit, Beati mortui qui in domino moriuntur: dicit se angelum vidisse clamantem, Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur: quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessuit eam.

Alligate ea in fasciculos. Nota supplicium quod manet malos, nempe quod separabuntur, ac ligabũtur, & æterno igni comburentur. O nefanda sceleratô delectationes vanas, & pestiferas, quæ in tam æterna tormenta commutantur! Apoc. 14. dicitur cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum. Illic separabitur & discutietur triticum à paleis, iuxta illud Hiere. Quid paleis ad triticum? & iuxta illud Mat. 3. cuius vẽtilabrum in manu sua, & permũdabit aream suam. Illic tunc quisque colliget prout seminauerit, ad Gala. 6. Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Et 2. ad Corint. 9. Qui parcè seminat, parce & metet. Et Psal. 125. Euntes ibant & flebant, &c. Antonius Broicus 1. par. arti. 59.

Deus non permittit vt eradicentur mali de medio bonorum: quia si quamprimum aliquis malus est, eum eradicarent, totus pene mundus periisset iam, cum nunc hi, nunc illi labantur. Videmus præterea multos fuisse zizania, & postmodum in lectissimum triticũ euasisse. Et certè si Adamus illico eradicatus esset: nullus post eum extitisset. Adde quod malis vtile sit misceri secum aliquos bonos, vt saltem non illico intereant. Sodoma enim sustentabatur quamdiu Loth in ea manebat, quo discedente statim interiit.

Hæc permistio & confusio quæ hic reperitur palearum cum tritico, piscium bonorum & malorum in sagena, ipsius fœcis & vini in torculari, non debet perpetuo durare. Tempus enim aduenit, in quo exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum. Quod si igitur nunc non potes corpore omnino abesse à malorum congregatione: at certè animo à prauis eorum operationibus abesse quàm longissimè & potes, & debes. Ex quo referes præmium amplissimum & coronam: cum viuas inter eos, de quibus dicit Apostolus, quod quærunt quæ sua sunt, nõ quæ Iesu Christi: tu autem contrà te geras, vt non quæras quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi, secũdum illud: charitas nõ quærit quæ sua sunt, August. contra literas Petiliani lib. 3. cap. 3. to. 7.

Ad comburendum. Quo tandem modo paleæ sese poterunt liberare à tam rapacissima flamma? Si montes quidam Pyrenæi essent homines, aut Alpes, vel Armeniæ montes, contra tantam flammam facilius viderentur (si qua modo esse poterit resistentia) tunc posse resistere. Vel si Nilo vterentur, aut copiosiori flumine, vel denique Oceano ipso longe, latéque patenti. Cæterum misellus homo cum sit impotens & caducus, quod tandem habebit refugium in tam voracissima flamma? Quid atidum fœnũ caro nostra faciet tunc in tanto incendio? Autor.

Super illud, alligate in fasciculos ad comburendum, vide D. Tho. quæstio. 2. de malo. arti. 9. ad 3.

Circa eadem verba agere poteris de igne inferni: & ita consules quæ sequuntur loca. Autor.

De barathro seu inferno, eiusque tormentis, & extremis cruciatibus, lege D. Anto. 1. par. Theo. tit. 5. cap. 3.

Si vis agere de hoc nostro igne, vt inde sumas similitudines, & comparationes, déque eius varietate multiplici, vide Vincen. Belluacen. specu. Natu. lib. 4. cap. 1. & 2.

Si cupis nosse effectum ignis nostri, & scire quæ corpora in igni posita non comburantur, & de eius flamma, fumo, carbone, cineribus, aliísque id genus: inspicito eundem in specu. natu. lib. 6. cap. 70.

Ignis inferni quàm potens erit, Esa. 1. G. erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ.

Infernus, eiúsque miseria, Esa. 3. D. erit pro suaui odore fœtor.

Infernus eiusq; miseriæ, anguistiæ, execrationes, ærumnæ, labores, atque mœrores, Esa. 8. D. quodsi nõ dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux

&c.& maledicet regi suo,&c.& ecce tribulatio,& tenebræ, & dissolutio, & angustia,&c.

Infernus eiúsque horrenda tormenta, tanguntur Esa.33.B.C.Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?

Quã male tractet infernus impios,Esa.65.C.Serui mei comedent, & vos esurietis.

Infernus quàm miserabilis & horrendus sit, Esa. 66.G.Vermis eorum non morietur.

Quo pacto impius sustinebit infernum, qui res adeò leues tollerare non valet? Hiere.12.B. Si cum peditibus currens laborasti.

In inferno sunt varij cruciatus, Iob 24.C. Ad nimium calorem transeat.

Infernus perhorrendus & terribilis,Sapien. 6. A. Potentes autem potenter tormenta patientur.

Vnusquisque in inferno iuxta peccata sua ac praua inclinationes tormenta patietur,Sapien.11.C.ꝙ quidam errantes colebant muros serpentes.

Qualis erit infernus! cum Apoc.9.A. dicatur, & ascendit fumus,&c.

Quomodo impij tractabuntur in inferno, Apoc. 18.B.Quantum glorificauit se.

Infernus,& ignis eius,qualis,ac quãtus erit,Apoc. 19.A.Et fumus eius ascendit in secula seculorum.

Infernus qualis erit,Mat.8.&.13.ibi erit fletus, & stridor dentium.

Quales existent in inferno miserrimi damnati, Psal.20.Pones eos vt clibanum,

Inferni, pœnarúmque duratio. Psal. 48. Laborabit in æternum.

Triticum autem congregate in horreum meum. Super hoc Euang.vide D.Grego.lib.22.Mora.cap.20.& lib. 2.super Ezech.ho. 15.explicantem illud Marci 4. sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram.

Plura sanè præclara depromes ex D. Bernard.in psalm.Qui habitat,sermo.12.

Super Epist.& Euange. duas habet conciones D. Antoni.*initio* primæ part.Theolo.

Videbis præterea eundem 1. part. histo. titulo 5. cap.2.§.1.

Habet insuper duos sermones D. Thom. alterum de Epist. alterum de Euange. huius Domi. prope finem to.16.

Dominica quinta post octauas Epiphaniæ, secundum vsum fratrum Prædicatorum,præcedentis Dominicæ reperitur Euangelium: iuxta verò Romanum ponitur sequens Euangelium.

SIMILE *est regnum cælorum grano sinapis,&c. Mat.13.Marci 4.Lucæ 13.* Si regnum pro ipso rege accipias, verissima est sentẽtia,quod simile est grano sinapis.Quid enim abiectius Christo erat, vel quid humilius antequam in terram seminaretur per mortem? Exinaniuit semetipsum,inquit Apostolus,formam serui accipiẽs, &c. Et Esa.vidimus eum, & non erat ei aspectus. Tum filium fabri eum vocabant,& peccatorem,& dæmoniacum. Paruum istud præterea granum proiectum in terram,mortuum & sepultũ, adeò creuit, vt Paul. dicat:Donauit illi nomen, quod est super omne nomen,&c.De hac etiam exaltatione Esa.dicit:erit germen domini in magnificẽtia,& glotia,& fructus terræ sublimis.Sin regnum accipias pro Ecclesia, hoc est populo Christiano, idem videbis,nempe esse similem grano sinapis.Videte,inquit Pau.vocationem vestram: quia non multi sapientes secundum carnẽ, non multi potentes, non multi nobiles,&c. Videetiam & nunc quantum creuerit, ita vt vere de ea dicatur:Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem,& Meridiem.

Ad Philip.2.

2.ad Cor. 1.

De grano sinapis, vide Hugonem de S.Victo. lib. 2.Allego.in Mat.to.1.cap.27.

*Quod minimum quidem est omnibus seminibus.*Vide quantum sit discriminis inter opera Dei & opera mundi: opera enim mundi splendidum habent exordium, sed malo fine clauduntur: contrà verò Dei opera humili principio oriuntur, sed splendidum & glorioſum habent finem.Vnde dominus per Esa. nõ sunt viæ meæ viæ vestræ. Mundus quidem sua splẽdidè incipit,sed in fine deficit: quemadmodum videre est in turre illa Babel. Nabuchodonosor etiam dicebat: Quis est Deus, qui vos liberate possit de manibus meis? & quasi Deum se adorari volebat,sed vt bos postea pascebat herbas. Alteri Nabuchodonosoſi regi Assyriorum, qui omnes Deos terræ exterminari præcepit, vt ipse solus Deus haberetur, prosperè succesſit negotium initio: sed vna mulier Hebræa confudit eum, quæ Holofernem principem sui exercitus trucidauit.Sed quid multis moror?mũdana vita splendidum habet exordium, potentiam videlicet, voluptatem, diuitias, gloriam, & similia: & hæc omnia ad tempus prospere succedunt: sed finis denique eorum mors est, atque perditio. Contrà verò vt dixi opera Dei tam humile habent initium, vt vix credi possit aliquid boni inde secuturum: finẽ tamen habent splendidiſſimum.Hoc patet in Ioseph filio Iacob Gene. 37. Item liberatio Israëlis de Ægypto humile habuit initium: mittitur enim Moses inermis contra regem potentiſſimum. Hoc enim proprium Dei est, humili principio sua incipere, sed semper ascendere. Quod sciens Gamaliel, dixit in concilio:Si ex hominibus est concilium hoc, dissoluetur:si verò ex Deo est, non poteritis soluere.Quis putaret pastorem Dauidem ad regni fastigium ascensurum? Quis hominũ exulem Moſen, pascẽtem gregem soceri sui,nõ cõtẽpsisset?hic tamen in tãta multitudine filiorum Israël principatum obtinuit. Quis Ioſephum venditum, & in carcerem coniectum,non despexisset, &c.

Exo.3. Exo.3. Acto.5. 1.Reg.16. Exo.3. Gene.39.

Quærens in cælo & in terra, nil inuenit nisi granum sinapis, in quo potentiam totam supernæ dominationis includat: & illud regnum singularitate potens, æternitate felix,diuinitate fulgens,diffusum toto cælo, tota terra dilatatum, in grani sinapis coarctat,& concludit angustias. Christus autem est regnum cælorum,qui velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus,orbe toto Crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem. Conteritut autẽ passione, vt quidquid est vitale suo saporaret, & conditet attactu. Nam sicut in integritate grani sinapis, sinapis virtus habetur occulta,apparet verò virtus eius vehementiſſimè si teratur: ita Christus corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem.Petrus Chrysol.ser.98.

Ipse quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plãtatus,arbor magna surrexit. Granũ namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret: granum per humilitatem carnis, arbor per potentiã maiestatis.Granum quia vidimus eum, & non erat ei aspectus : arbor autem quia speciosus forma præ filiis hominum,Greg.lib.19.Moral.cap.1.

Esa.53. Psal.44.

De grano sinapis consule D. Amb.in lib.cuius titulus est,Opus sermonum,cap.2. est autem prope finem to.3.Composuit enim tres sermones, quos inscripsit,de grano sinapis.

Consule Antoninum 1.part. histo. tit. 5. cap. 2. §.1.

Hoc granum sinapis doctores sancti cõparant fidei:de qua si voles agere,consulito quæ sequuntur.

Autor.

De

De hac virtute vide.Lauren. Iusti. in lib.quem edidit de ligno vitæ,in tractatu de fide, initio suorum operum.

De fide, & eius excellentia,ac autoritate, vide eũdem lib.de Triumphali Christi Agone cap.4. est autem parum ante medium operum.

De virtute fidei quendam paruum librum edidit Grego.Nyse.cuius titulus est, de fide: existit autem inter initum & medium suorum operum.

De fide D.Basilius texuit quempiam satis prolixum tractatum, quem inscribit de vera ac pia fide, circa principium to.2.

Vide eundem de virtute fidei lib.de Constitutio. Monaſ.cap.15.in fine eius operum.

Gregorius Nazianzenus habet tractatum de fide, cuius interpres est Ruffinus: est autem inter finem operum eius.

D.Cyrillus edidit prolixum etiam librum, quem inscripsit,Ad Theodosium regem de recta in dominum nostrum Iesum Christum fide.

De fide & eius obiecto, actu, habitu,& effectu consule Vincen.Belluancen.Specu.Mora.lib.1. part. 3.dist.14.15.& 16.

Quod granum sinapis significet fidem feruẽtem, & alia huiusmodi,lege apud August. lib.1. quæst. Euang.cap.11.to.4.& lib.2.cap.39.post medium.

Quemadmodum gladius ipse in arca abscondi nõ debet, vt eo defendamur cum necesse fuerit: ita planissimè fides ipsa non debet dumtaxat otiosa in anima asseruari,sed ad manus deriuari, hoc est ad bene operandum.

Quemadmodum qui præceps in profundum fluuium labitur, & renuit natare, & sese.commouere, facile in profundum ruit, & demergitur:si autem sese commouerit, euadet, & enatabit incolumis: ita qui soli fidei innixus,bona opera recusabit exercere, haud dubium quin in profundum inferni descẽdat, & demergatur.

Quemadmodum granum ipsum virtute continet folia, fructus, & quidquid ex eo producitur: ita profecto in his verbis, credo quicquid Romana Ecclesia sanctiſſima credit, includitur lex ipsa, Concilia, sanctiones, & sacri Canones.

Sicut qui ad Indos nauigare contendit, minus fidens polo arctico,ipso antarctico ducatur tãdem necesse est: ita mediusfidius qui ad cælestem patriam contendit, atque nauigat, non debet omnino duci sua solum ratione naturali, vt tandem commode naviget: sed eam debet submittere ipsi fidei in omnibus perpetuò.

Sicut celsum aliquod,elegans,ac permagnificum ædificium,innititur quidem columnis,columnæ verò basibus, hæ rursus ipsi solido fundamẽto:ad eundem certè modum vita nostra inniti debet virtutum ipsarum columnis, virtutes autem inniti debent rectæ intentioni & simplici, & hæc tandem ipsi Christo ac suæ fidei firmiſſimæ & solidiſſimæ.

Autor.

Quandoquidem D.Hiero.& alij graues doctores, affirmant granum sinapis significare virtutem verbi Dei,atque feruorem & ignem quem Dei sermo producit in anima: differere commodè hîc tibi etiam licebit, quantum conducant recta, ac sancta consilia, quámque cõducibilis sit mentibus sana doctrina, & sermo.Ad quod percurres subsequentia.

Vide quantum profuit consilium quod soror Mosis infantis præbuit filiæ Pharaonis : quandoquidem causa fuit vt infantulus Moses liberaretur à morte, vt patet Exod.2.

Quantum recti sermones Abigail à Dauid obtinuerint, nempe ne eius maritus occideretur, & ipse Dauid Deum non offenderet,vide 1.Reg.25.

Attende quantum profuit exhortatio Mardochei ad reginam Esther, præsertim cum tot hominũ millia vita donauerit,Esther 4.

Abdemelech exhortatus Sedechiã,liberauit Hieremiam è carcere in quo morabatur,Hiere.38.

Considera quantum profecit Moses ex consilio quod sibi eius cognatus præbuit,Exo.18.

Contemplare quãtum profuerunt exhortationes Nehemiæ factæ ad principes Israelitici populi in reædificationem Hierusalem.Nehe.2.

Tum quantum valuerunt exhortationes Ioiadæ ad Ioas regem factæ.4.Reg.12.& 2.Paralipo.24.

Ad exhortationem Nehemiæ, vsurarij reddiderunt vsuras, & eas vlterius non acceperunt,Nehe. 5.

Animaduerte quantum illæ exhortationes magni Baptistæ valebant,quẽdo tot ad eius prædicationem vndique confluentes baptizabantur,confitentes sua peccata, Mat.3.

Intuere quod robur ac fortitudinem incolis Bethuliæ dedit exhortatio Iudith viduæ,Iudith 8.

Vide quantum valuerunt exhortationes illæ feruentes Iudæ Machabæi,& quantum animati sunt ad pugnam milites eas audientes 1.Machab.3.& 4.&.2. Ma.10.& 11.

Attende quantum prædicatio Ionæ prophetæ obtinuit apud Niniuitas,Ionæ 3.

Considera quantum D.Petri Apostoli prædicatio potuit die Pentechostes, cum circiter tria millia virorum ac mulierum baptizata fuerint conuersa, Acto.2.

Contemplare præterea quot etiam fuere cõuersi ad dominum alia diui Petri Apostoli prædicatione, cum factus sit numerus credentium quinque millium Acto.4.

Verbo Dei non fructificantur,neque inflammantur animi obstinatorum ac proterurum, & ita nil omnino profecit crudelis Cain ex Dei ad ipsum exhortatione, Gene.4.

Sodomitæ exhortationibus Loth proficere noluerunt, sed belluinos suos secuti sunt appetitus, Gene.19.

Asael infelici fuit morte peremptus,quia consilio & admonitioni Abner noluit acquiescere.2.Reg.2.

Parum Nabuchodonosori profuerunt sanctæ exhortationes Danielis prophetæ,Danie.4.

Feliciter cessit Iacob, quòd suæ parentis admonitis ac consiliis paruerit,Gene.27.

Bene fuit fratribus Ioseph,quod secuti fuere consilium Ruben,& Iudæ,Gene.37.

Feliciter actum est cum principe Naamã qui tandem Eliſei prophetæ consilio ac imperio obtemperauit.4.Reg.5.

Tobiæ iuniori cũcta prosperè succesſerunt, quòd credidit & paruit angeli Raphaelis exhortationibus atque consiliis,Tob.6.

Cur Christus sese grano sinapis comparauit, & quid fermentum significet, & alia eiusmodi, leges apud D. Hilarium Cano.13.super Mat.

Vide D.Hiero.super Marcum cap.4.in illa verba, sicut granum sinapis: alium quendam conceptum efformat, & diuersum ab eo quem super Matthæum edidit.

Granum certè sinapis res est vilis, si tamen teri cœperit, vim suam fundit: ita fides si teratur aduersis, copiam suæ virtutis adeò effundit, vt alios quoque qui vel audiunt,vel legant, odore suo compleat, Amb.lib.7.super Luc.

Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Super hæc verba, cum autem creuerit,&c. ait Lyra: Ideo scribitur Lucæ 14.qui se humiliat,exaltabitur.

Super

Super illud,Et volucres cæli,&c.ait Glossa Lyræ, id est angeli sancti: qui ad consolationem humilium descendunt.

*Et habitent in ramis eius.*Per ramos istos possunt intelligi duodecim humilitatis gradus: qui ponuntur in regula S. Benedicti.Primus est,in corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus.Secundus,vt pauca verba & rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce. Tertius, vt non sit facilis aut promptus in risu.Quartus, taciturnitas vsque ad interrogationem.Quintus,tenere quod habet communis monasterij regula.Sextus,credere, & pronuntiare se omnibus viliorem.Septimus,ad omnia indignum & inutilem se confiteri, & credere. Octauus,confessio peccatorum.Nonus,pro obedientia in duris & asperis patientiam amplecti.Decimus, vt cum obedientia se subdat maiori.Vndecimus, vt propriam voluntatem non delectetur implere.Duodecimus, vt Deum timeat, & memor sit omniū quæ præcepit.Nico.Lyra super Mat.13.

Iterum simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus: donec fermentatum est totum. Bonus dominus, amator suorū Christus, regni sui similitudines iterat, variat comparationes,quas non de occulto sumit,non captat de cælestibus: sed profert de quotidiano vsu,de communi conuersatione proponit, vt ad omne genus hominū perueniat, quod est omnibus profuturum, iuxta illud prophetæ: Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem,&c. Si quid de diuinitatis occulto, si quid de secreto regali, si quid de penetralibus diuitum afferret in medium:hoc nesciret pauper, non caperet mediocritas, notum simplicitas non haberet.Nunc verò loquitur nota diuiti, vsitata pauperi, omnibus vitæ ipsius necessitate vernacula: quia homo in Dei vocatione quæritur, non discernitur in eis vocatione persona. Petrus Chrysolo.sermo.99.

Sicut fermentum magnam farinæ copiam in vires suas, quamuis modicum sit, conuertit: sic quoque vos vniuersum terrarum orbem cōuertetis. Nemo ergo pauciratem vestram deploret: magna enim est prædicationis virtus. Et quemadmodum fauilla cum in arida ligna inciderit, in flammam ipsa conuertit, quæ vi sua deinde vel viridia ligna facile incendit: eodem quoque modo prædicatio. Sed cur non dixit ignis, sed fermentum? Quoniam nō ignis virtute totum fit, sed lignorum quoque ariditate: fermentum verò per seipsum omnia conficit.Si autē duodecim homines totam penè farinam orbis fermentarunt: diligenter animo versa quæso quanta sit nostra malignitas atque ignauia, qui cum iam innumeri simus, has gentium reliquias conuertere non possimus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus.Sed Apostolos illos fuisse inquies. Quid ad rē? Nonne tecum eiusdem naturæ fuerunt? Nonne cum hominibus etiam ipsi conuersabantur, artes professi, eisdémque rebus nutriti? an forsan credis illos angelos natura, aut de cælo lapsos fuisse? Non, inquies: sed signis illi rutilabant. Non propter signa certè illi claruerunt.Vsquequo negligentia ita ignauiam nostram miraculorum fulgore, quæ tum coruscarunt,quasi velamine quodam obducimus?Multi eiicientes dæmones puniuntur. Quid igitur inquies fuit, quod præcipuè illos magnos effecit?Certè verus, ac non simulatus gloriæ, atque pecuniæ contemptus: & quoniam nullam secularium harū rerum omnino curam habebant. Nam nisi hoc habuissent,sed passionibus veluti nos seruiissent,etiam si de morte innumeros homines suscitassent,non solum nil vtilitatis fecissent, verumetiam seductorum atque deceptorum nomen non effugissent. Viuendi ergo disciplina est quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit.Quod enim signum Ioannes fecit, qui tot tantásque ciuitates erudiuit? Nam nihil miraculosè ipsum egisse, testatur Euangelista,dicens: Ioannes quidem nullum signum fecit. Vnde præterea Elias mirabilis factus? Nonne quia regem liberè alloquebatur? Nonne quia nihil possidebat, clarius quàm per signa quoque perfecit? Iob autem illum quibus signis diabolus admiratus est? Certè signo quidem nullo: vitæ autem mirabili disciplina, & robore animi excelso atque inuicto. Quæ signa Dauid adhuc adolescens effecit,vt Deus diceret: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum? Abraham porro, Isaac, & Iacob, quos mortuos suscitauerunt? quem leprosum mundarunt?Ipse etiam dominus quando leges discipulis ferebat,quid eis præcipiebat? Non certè vt signa facerent,vt videntes homines glorificarent patrem. Sed quid porrò? luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.Petro quoque non dixit: si me amas, signa fac: sed pasce oues meas.Chrysost.super Matt.hom.47.

Ioan. 10.
3.Reg.18.
Iob 1.
1.Reg.13.
Mat.5.
Ioan.21.

Diuersus est hominum stomachus: alij amaris,alij dulcibus, alij austerioribus, alij lenibus delectantur cibis.Proponit itaque dominus diuersas parabolas, vt iuxta vulnerum varietates,& medicina diuersa sit. Hiero.super Mat.lib.2.

Mulier abscondit. Mulierem istam & ipsi Ecclesiam interpretamur, quæ fidem hominis farinæ satis tribus commiscuerit, credulitati patris, & filij, & spiritus sancti: cúmque in vnum fuerit fermentata,non nos ad triplicem Deum, sed ad vnius diuinitatis perducit notitiam. Farinæ quoque sata tria, dum non est in singulis diuersa natura, ad vnitatem trahunt substantiæ.Hiero.super Mat.lib.2.

Super illa verba, simile est regnum cælorum fermento,lege D.Thom.3.senten.dist.4.q.1.ar.1.quæst. 3.ad 2.&.1.Corint.5.lect.2.

Quid significet illud fermētum quod accepit mulier, & abscondit in farinæ satis tribus, consule D. August.lib.1.quæst.Euang.cap.12.to.4.

Quod abscondere hanc mulierem tres farinæ mēsuras in eadem massa, significat confessionem trium personarum in eadem essentia atque substantia,consules etiam D.Bernar.lib.5.de Consideratione, inter medium ac finem libri.

Vide Venerabilem Bedam lib.1. super Marcum 4.cap.20.

Legimus in sancto Euangelio, dicente Christo domino de se ipso, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit,multum fructum adfert.Ergo si triticum dominus, & dominus est fermentum: quia non nisi de tritico fieri solet. Rectè ergo fermento Christus dominus comparatur: qui cum esset specie homo,humilitate paruus,imbecillitate deiectus: tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, vt doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet. Qui cum se cœpit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere: statim omne genus hominum in substantiā suam sui potestate protraxit,vt & iugum spiritus sui sancti infunderet omnibus,hoc est Christianos cunctos faceret esse quod Christus est. Nam quod homo dominus Iesus vnus & solus esset in mundo tanquam fermentum in massa reconditum, vniuersos homines præstitit esse quod ipse est. Quisquis igitur illi fermento Christi adhæserit, efficitur & ipse fermentum,

Ioan.12.

Psa. 48.

Mat.7.

tum, tam sibi vtilis, quàm idoneus vniuersis, & de sua certus salute,& de aliorum acquisitione securus. Si igitur fermentum cum in cumulum conspergendum est farinatum, confingitur, comminuitur,dissipatur,& ipsum omne dissoluitur: vt dispersam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem constringat, atque in solidum corpus redigat,quod in puluerismodum ipsa diminutione languebat, faciátque coniunctione sui vilem massam, quod propria dissolutione videatur inutile: sic ergo & Dominus Iesus Christus, cum esset totius mundi fermentum, diuersis passionibus cōfractus, laceratus, & dissolutus est, & succus eius pro salute nostra,qui est pretiosus sanguis,effusus est, vt admixtione sui omne genus humanum solidaret, quod per diuersa antra resolutum iacebat.Sic enim velut fermētum quoddam nos qui farina ex gentibus videbamur esse, adhæsimus. Nos inquam qui per totum orbem dispersi & diminuti penitus iacebamus: vigore passionis Christi in ipsius corpus redacti sumus: sicut beatus Apostolus ait, quoniam sumus corpus Christi,& membra.Nos igitur qui ex nationibus in puluerismodum è terræ facie iactabamur,aspersione sanguinis Domini in massam soliditatis eius aggregamur. Mulier autem quæ dicitur abscondere in farina fermentum: quæ est nisi sancta Ecclesia, quæ quotidie doctrinā Christi in cordibus nostris,conatur abscondere?&c.Ambrosius sermo. 5.

Ephe.5.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per prophetam, dicētem: Aperiam in parabolis os meum,&c. Super hæc verba, Aperiam in parabolis os meum, vide Biblio.Sanct.Sixti Senen.lib.6. Annota.61. vbi adfert sententiam quandam Ambrosij Compsæ Episc. lib.2.Annotationum, quæ pugnat contra expositionem Caietani super hunc locum prophetæ in commentariis super Mat.

Psal.77.

Super illa verba, sine parabolis non loquebatur eis, vide Tho.3.p.q.42.ar.2.ad 3.

Vide præterea Glos.incognitam Annota.1279.explicantem versum illum Psalm.77.Aperiam in parabolis os meum.

Circa illud,Aperiam in parabolis os meum, consule D. Thomam opusc.60. cap. 11. & explicantem Psalm.84.

Dominica in Septuagesima.

IMILE est regnum cælorum homini patri familiæ, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suā.

Glos.incog.sup psal.

Matthæi 20. Mysticè hæc vinea est anima nostra, quæ merito dicitur vinea ratione multiplicis assimilationis, quæ vineæ æquiparatur.Scilicet ratione plantationis, ratione putationis, ratione ligationis, ratione fossionis, ratione occupationis, ratione fructificationis.Primum patet, quoniam sicut vinea plantatur in terra:sic anima nostra in terra corporis creatur. Quamuis enim de anima primi hominis apud doctores sit dubium vtrum primo fuerit creata extra corpus, & postea vnita corpori: de aliis tamen certum est quod in corpore creantur, vt ostēdit Magister lib.2. dist.17. sicut etiam vinea non potest fructum facere, nisi quamdiu in terra manet plantata: sic neque anima nisi quamdiu vnita corpori manet, quia statim separata amplius non potest mereri, vt ostendit Magister lib.4.dist.50.Secūdum patet, quoniam sicut vinea putatur vt fructum plus afferat, quinimo ne syluestris efficiatur: ideo enim putata plus fructificat, & melius conseruatur, quia virtus radicis eius ad pauciores palmites transmittitur, & sic eius virtus magis vnita vigoratur: nam putare nō est aliud, quàm virtutem ad multos palmites dispersam, ad vnum reducere:sic & putanda est anima nostra, quia tota virtus eius ad vnum solum, scilicet ad Deum, est reducenda. Vt scilicet intellectus animæ omnibus aliis abiectis, solum ad Dei contemplationem intendat: Voluntas ad Dei dilectionem: memoria ad eius recordationem. Si enim ad multa se velint ista spargere, satis faciliter anima efficeretur syluestris. Sed aduerte quod in putatione vineæ oportet tempus obseruare debitum, sicut si tempore incongruo vineam putares:nihil proficeres. Sic & in ista spirituali putatione, cuius putationis tempus debitum est solum vita præsens: Canti.2.tempus putationis aduenit.Ideo de illis qui tempore isto vineā putare negligunt,conqueritur Dominus dicens:Posui vineam meam desertam.Tertium patet,quoniam sicut vinea putata ligatur ad palum, ne ad terrā corruat: sic anima putata à prædictis vitiis, ne iterum ad terram,idest ad vitia & terrena cadat, ad Christū per amoris vinculum ligari debet: quia sine Christo casum peccati vitare non potest. In cuius rei typum est, quod quando tempore Christi passionis ipse in horto volens orare à discipulis se diuisit, statim ipsi dormierunt, nec potuerunt vigilare: ad significandum quod sine ipsius sustentatione nullum bonum valeamus facere, sed neque dormitationem peccati vitare. Et ideo ad Christum vitam animæ suæ ligauerat Paulus, qui dicebat: Christo affixus sum cruci. Quartum patet: postquam enim vitis est plantata, & ligata, tunc foditur,vt plus humoris habeat,& tunc melius foditur quando pluuia præcesserit,quæ terram aliqualiter irrigauerit.Sic spiritualiter est faciendum de vinea animæ: vbi sciendum quod fodere est terram clausam aperire, & illam partem quæ subtus manebat absconsa, vertere & ipsam desuper facere manifestam.Hoc autem facit spiritualiter confessio,quæ occulta peccata sacerdoti facit manifesta, & sic humorem dat animæ, dum Dei acquirit gratiam.Prouerb.28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Quintum patet: sicut enim inter omnes arbores vinea vt fructum faciat maiorem requirit occupationem, vt experientia docet: sic & anima nostra vt fructum afferat multam requirit diligentiam. Quod satis patet si consideres quot & quales habeat inuasores, qui eius fructum impedire quærant. Vnde si quis otiosus stet contra animæ hostes, statim hæc vinea dissipabitur.Prouer. 24. Transiui per vineam hominis stulti, & ecce totā repleuerant vrticæ & operuerant faciem eius spinæ, & macceria lapidum destructa erat.Quia statim cum custodia animæ negligitur, vrticæ pungunt, & lacerant eam, scilicet vanæ cogitationes illam replent, & malæ delectationes ipsam operiunt. Ex quibus macceria lapidum, scilicet vitiatum congeries, dissipatur. Vnde talis merito dicere potest illud: Posuerunt me custodem in vineis. vineam meam non custodiui.Sextum patet, quia sicut super omnia ligna, vitis dum viuit in radice ratione fructus est nobilior: sic & anima dum in radice charitatis manserit, fructum nobiliorem Deo reddit: imò solum talis vitis fructum Deus acceptat ad meritum. Sic è contrario sicut vitis à radice separata inter omnia ligna conteptibilius lignum est, & solum igni aptum, vt ait August. super Ioan. Sic & anima nostra si à radice charitatis separata fuerit,ad nil valet,nisi vt in ignem mittatur,& ardeat.Et hoc est quod dicitur Ezech.15.

Mat.16.

Cantic.1.

Ad Gal.6.

factus

factus est sermo domini ad me,dicens: Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, &c.nunquid tolletur vt ex ea fiat opus? quasi dicat, non.Sequitur enim, Ecce igni datum est, &c.Gloss. incognita super psal.79.vers.1379.

De hoc Euangelio,vide Ioan. Gersonem 2.par.fol. 256.& 4.par.fol.71.

De operariis in vinea,vide Hugo.de S. Victore li. 2.Allego.in Mat.to.1.cap.35.

Hanc vineam colimus, cum diligentem animæ nostræ curam gerimus, cum ab ea noxia vitiorum germina euellimus,cúmque virtutum in ea plantas conserimus.

Conducere operarios. Solent operarij exiguam laboris mercedem causari: at nos fratres de exigua mercede queri non possumus, cum sciamus eam merita
Luc.6. omnia,ac vota superare. Mensuram bonam, inquit, Christus & cõfertam,& coagitatam,& supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. Denarius item numerorum omnium maximus est numerus. Nulla enim est natio quæ numerum aliquẽ supra decimum agat, nisi denuo ipsum repetat. Cum ergo dominus cultoribus vineæ suæ denarium promisisse intelligendus est, id excedit planè merita, superat vota, vincit desideria:ibi erit enim quidquid voles,& non erit quidquid noles.

Exiit primo mane conducere operarios. Opera dicent quæ sis arbor, hæc enim per fructum, homo autem ex operibus cognoscitur: operibus crede, non verGen.27. bis. Sic fecit Isaac, qui verbis fidem adhibere noluit, sed manus Iacob tetigit ipse. Christus item de aliquibus multum loquacibus, pauca vero implentibus,
Mat.7. dicit: Multi dicent mihi in illa die,domine,domine,
Ioan.10. &c.Et in alio etiam loco,inquit: opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.

Sciendum est quod mercenarius solicitè curat inspicere ne vnquam dies vacuus labatur ab opere, & ne expectatus finis temporis inanis veniat ad remunerationem. In labore namque conspicit quid percipere in tempore remunerationis possit. Vnde cum opus crescit, & feruet,præmij fiducia etiam proficit: cum verò opus torpet, spes remunerationis frangitur. Ita electus quisque vitam suam quasi mercenarij diem pensans, tanta fidentius spe tendit ad præmiũ, quãto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum,&c.Grego.lib.8.Mora.cap.7.

Sixtus Sen. Chrysostomus ho.in Mat.56. quærens cur non statim ab initio omnes operarios in vineam conduxit: ita quæstioni respondet, vt videatur vocationis diuinæ gratiam, quæ gratis datur, voluntati, & fidei vocatorum ascribere, his verbis: Omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset, sed à voluntate vocatorum hæc differentia resultauit: idcirco alij mane, alij tertia, alij sexta, alij nona, alij vndecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erãt. Quod
Ad Gal.1. & Paulus apertè significauit, dicens: Quando autem visum est Deo, qui me segregauit ex vtero matris meæ. Quando autem ei visum est? Quando certè obtemperaturus erat. Nam ipse à primis etiam incunabulis voluisset: sed quia illum renixurum sciebat, tunc voluit,cum animum ipsius penetraturam vocaLuc.23. tionem non ignorabat. Sic & latronem quem postea vocauit, potuisset antea ipsum vocasse: sed vocatus ille non paruisset. Nam si Paulus ab initio non paruisset, multo minus ipse latro. Hac eadem quæstionis solutione, iisdem pene exemplis & verbis sæpissimè à Chrysosto. repetita, vsus est olim August. in lib.6. quæst. contra Pagan.q.2. vbi respondens Porphyrio percontanti cur Christus prioribus seculis non venerit vocare omnes homines ad viam salutis, & veritatem, sic ait: Hoc solum breuitatis gratia in huius quæstionis solutione dicamus: tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse qui in eum fuerant crediturí. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt: qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Hãc responsionem postea reprobans August. in lib. de bono perseuerantiæ cap.9. & in 2. lib. Retra. cap. 31. in 2. q: ait: Quod dixi, non ideo dixi, tanquam ex meritis suis quisquam vocatione dignus fuerit: sed quemadmodum ait Aposto. Roma.9. non ex operibus, sed ex vocante dictum est, maior Gene.25. seruiet minori. Quàm vocationem ad Dei propositũ asserit pertinere, non secundum opera nostra, sed se- Roma.8. cundum propositum, & gratiam suam. Et vnde item dicit, scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. De qua vocatione ait, vt dignos vos habeat vocatione sua sancta. Sixtus Senen. in sua biblio.lib.6.Anno.87.& Annota.251.

Conuentione autem facta ex denario diurno. Nõ enim alteri erit longior, alteri breuior, quod pariter sempiternum est, quod non habebit finem nec mihi, nec tibi. August. de verbis domini sermo. 59. to 10. Pariter enim sine fine viuunt, cum in suis quisque claritatibus viuat: & ille denarius vita æterna est. Tanquam autem prima hora vocantur, qui recentes ab vtero matris incipiunt esse Christiani: quasi tertia pueri, quasi sexta iuuenes: quasi nona, vergentes in senium: quasi vndecima, omnino decrepiti. Agust, vbi supra:& Greg.ho.11.super Euang.

Ex denario diurno. Vnum tantum vitæ æternæ denarium omnes accepturi sunt. Sed attendite & vos fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineã. Securus est quidem quòd ille denarius illi promittitur, sed differre non iubetur. Nunquid enim & illi qui sunt ad vineam conducti quando ad illos exibat paterfamilias vt conduceret, quos inuenit hora tertia, dixerunt illi: expecta, non illuc imus, nisi hora sexta? Merces quidem cunctis æqualis promittitur: sed de ipsa hora operandi magna quæstio est. Si dicerent illi iuuenes vocari, expecta, audiuimus enim in Euangelio, quia omnes vnam mercedem accepturi sunt, cum senes fuerimus hora vndecima veniemus: responderetur cuique, & diceretur: laborare nõ vis, qui vtrum viuas vsque ad senectam nescis? Quare ergo differes vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide ne forte quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Et si hoc rectè dicitur de infantibus, & iuuenibus: quanto rectius dicetur de decrepitis? Ista enim duo occidunt animas, desperatio, & peruersa spes. Ne tardes conuerti ad dominum dicit Ecclesiasticus, nec differas de die Eccles.5. in diem. Nõ debes differre panem daturus, & differs indulgentiam accepturus? Si miserando, alterum nõ differs, miserere animæ tuæ placens Deo. Exhibe & Eccle.30. animæ tuæ eleemosynam: nec dicimus vt tu ei des, sed ne repellas manum dantis. August, contra Gresconium Grammaticum lib.3. cap. 66. & lib. 4. cap. 53. tom. 7.

Hic est ille denarius merces omnium communis. Cæterum quia in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud patrem. Ambro.de voca.gentium lib.1.

Sumus quidem vites,& est adeò nobis insertum Paul.de Pal. sup Mat. peccatum, vt egeamus assidua cura ad eradicandum fermentum vetus, & amputandum veterem hominem, cum præsertim & Aposto. dicat ad Ro.7. inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis

mentis meæ.

Autor. *Conducere operarios.* Omnes hic sumus operarij, & vocati ad hanc vineam. Aduertere porrò debemus quòd ita nos geramus, vt qui curant vineam, aut metunt frumentum. Hi enim sibi inuicem instare in opere minus solent, nisi iam laborent plusquam cæteri: quo fit vt qui minus laborant, nitantur pro virili plus laborare. Vnde operibus ipsis multo magis nituntur tales exhortationes, quàm verbis. Ad eundem ergo modum nos gerere debemus vita nostra exemplari, vt magis magisque proficiamus semper, & per virtutis viam celerius curramus. Nõ debemus autem esse similes procuratoribus operis, qui tãtum verbis vrgent & instant, cum manibus nihil faciant.

Conuentione autem facta cum operarijs. Redemit nos Deus, atque tam carò, vt necesse sit intelligamus, etiam secundum morem hominum & cõsuetudinem debere nos ei omnino seruire, qui pro nobis tantos sumptus fecit. Quod si pecunia empti tantopere tamque solicite laborant, & dominis suis seruiunt: multo certè magis nos laborare debemus, qui non corruptibilibus auro neque argento redẽpti sumus, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati. Quàm excusationem adferemus ante eius tribunal, cũ tam carò nos emerit, & recusemus ei seruire, quin seruiamus potius diabolo, cui nihil constamus? Qua tandem fronte mercedem is expectabit, qui non in vinea laborarit? non est vsui bono militi, neq; æquum certe est, stipendium quærere, vbi non militarit, & præsertim si militarit pro aduersarijs. Dignus quidẽ est mercenarius mercede sua: sed videat quisque qua in vinea laboret. Nam verendum est ne in die iudicij in quo quisque pro suis operibus recipiet, nobis dicatur: Quærite mercedem ab iis, pro quibus militastis. Hiero.in Epist.de scientia diuinæ legis,to.4.

Similes quidẽ sumus viti ac vineæ variis de causis. Est enim vitis arbor humilis, & infima: ita & nos humiles certè sum⁹ & abiecti. Vitis porro arbor est, quæ si putetur diligenter, fructum maximum dat: ita plane vt quis optime fructificet, laboribus agitari debet, & quasi putari. Vitis item arbor est, quæ hyeme sæuiente triste admodum exhibet spectaculum; æstate vero longissime superat cæteras arbores: in hac vita miserabili tanquam in hyeme serui Dei parum æstimantur, in æstate vero beatitudinis æternæ manifestabitur eorum virtus maxima, atque nobilitas. Hoc visus est insinuasse D. Ioan.1. Canoni. cum dixit: filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Tum quemadmodum qui vineam aliquam possidet, perpetuo aliquid in ea inuenit curandum, aliquid amputandum, aliquid ligãdum, aliquid propagandum: ita vnusquisque si seipsum diligentius contempletur & intueatur, semper inueniet aliquid emendandum. Non quærit vinea pinguem nimis tellurem, irriguam, aut stercoratam, vt fructum suum optimum producat, quin potius sublatum & editũ locum desiderat, vbi vndique etiam à ventis perfletur: ita quisque vt laudabiles edat actiones, nõ debet plantatus esse in deliciis mũdanis, atque defixus, sed tunc proficiet, cũ vtrinque variis calamitatibus premetur. Vitis cum tenera est, debet suffigi ac sustentari quibusdam fulcris, & quasi clauis, ne à vento facile confringatur: ita bona opera nostra tãquam teneros quosdam ramos humilitate fulciamus, ne vẽtus superbiæ ea lædat, & cõcutiat. Est etiam homo instar vitis, qui in infantia pallulat, frõdescit in pueritia, floret in iuuentute, matures cit in senectute, & tandem marcescit in decrepita ætate. Fossor quidem & operarius bonam diei partem impendit in seruitio ipsius heri, minimam verò partem in seipso curando, comedens, & otians aliquantulum: ita nos debemus bonam magnámque vitæ partem Dei obsequio tradere, & consecrare. Verum nõ id facimus, quin potius vitam fere totam impendimus & insumimus in deliciis, & lasciuiis, minimam tantum eius partem Dei obsequio dantes, atque id parum deuote, ac circumspectè. Fossor sustinet laborem ipsum expectans semper diem statim claudendum, & mercedem tunc adfuturam ac laboris præmium. Ita nos in hac vita laborare debemus intendentes semper oculos & animum in vitæ breuitatẽ, qua decursa denarium recipiemus, & præmium vitæ æternæ. Iam vero etiam vt vitis ligone fodienda est, vt herbæ noxiæ eradicentur: ita terra carnis nostræ excoli debet, & agitari asperitate, ne herbæ in ea enascantur malarum cogitationum, & peruersarum inclinationum, seu propensionum. Nonnunquam vitis porro ipsa exhumanda est vndique, nonnunquam verò iterum humanda quodammodo: sic planè se gerere quisque debet, nempe vt interdum humum ipsam remoueat, contemens suam nobilitatem & excellentiam: ideò considerans se esse Dei filium, & capacem vitæ æternæ: atque ita spernet res istas mundanas & terrenas, tanquam viles res & abiectas. Interdum etiam ne in superbiam efferatur, debet considerationes suas & cogitationes tanquam radices humo opplere, considerans se terram esse, cinerem, ac miserabilem hominem, qua certè consideratione maximè humiliabitur. Solitum est præterea apud aliquas nationes, cum vineæ iam prope maturuerunt, & fructum suum reddere volunt leniter terram ligone commouere, propter experientiam qua experiuntur puluerem illum supra incidentem esse vineæ vtilissimum. Non aliter ergo considerare debes tibi vtile futurum, in excellenti aliquo opere tuo & laudabili considerationem aliquam immiscere tuæ infirmitatis, & humilitatis, considerando quod quidquid tu feceris minimum quidpiam sit, cum omnia Deo accepta referri bona debeant. Tum minimum est, facta comparatione ad ea quæ Deus operatus est pro homine: & facta etiam comparatione ad aliorũ seruitia pro Deo facta: imo etiam facta collatione ad ea quæ tu ipse facere melius potuisses, si laborare magis ac conniti voluisses. Quare quisque in suis præclarè cœptis considerabit suam humilitatem & abiectionem, & quod si hodie est, cras forte non erit superstes: & ita si quid habet excellens ac laudabile, illud à fonte copiosissimo cælesti promanare agnoscet. Quo modo humilitatem conseruabit, & propagabit facinus suum, quod dæmon omni diligentia curat perdere, quando quidem initio illud potuit impedire.

Videtur quidem impiis laudabile quiddam esse & honorificum, se non purgari à vitiis suis laboribus & calamitatibus, sed quod de se dicatur: Non est ruina maceriæ, neque trãsitus, neque clamor in plateis eorum. Sciant igitur quod quemadmodum vineæ ipsi maius incommodum accidere non potest, quam ei putationem negari: ita hi non possunt planè infelicius quid habere, quam in hac vita sine supplicio vllo scelera sua dissimulari.

Ex denario diurno. Numerum denarium esse numerum perfectum, consule D. Thom. 1. Metaphi. lectio. 7. & contra gent. libro quarto, cap. 83.& 3.part. q.31.arti.8.

De singulari vitis commendatione,& quo modo exemplum eius ad nostræ vitæ institutionem aptari possit, consule D. Ambro. lib.3. Exame. cap.12.& 17.

Vtrum sit apud Deum aliqua differentia charitatis eorum qui à pueritia,& eorum qui à iuuentute, aut posteriori ætate crediderunt, vide eundem lib.4. epist.13.epist.to.3.

Autor. Super illud, Exiit primo mane conducere operarios, &c. differere poteris nos omnes in præsenti vita laborare debere, ad futurum quod speramus præmium consequendum. Cui rei consule quæ sequuntur seruientia.

Deus laboribus finem constituit, atque compensationem. Esa. 38. Decce in pace amaritudo mea.

Labor assiduus & improbus omnia vincit, & obtinet, vide D. Hierony. in prolo. in Daniel. & tanto tædio affectus sum, &c.

Laboremus in vita præsenti, cum sit tempus laborandi, quoniam requiei tempus aduenier. Prouer. 10. A. qui congregat in messe.

Labor salutaris res plane est, Ecclesiastes 5. C. Dulcis somnus operanti.

Laborare debemus in hac vita libenter, Ecclesiastici 7. B. non oderis laboriosa opera.

Omnes in hac vita subijcimur magnis laboribus, Ecclesiast. 40. A. iugum graue super filios Adam.

Labores ducunt in requiem, Nume. 13. D. veni-mus in terram ad quam, &c.

Bonum esse continuare laborem in rebus bonis, vide Vincen. Belluacen. specu. Doctri. lib. 4. cap. 75. & 76.

Si laboribus assuescimus, non ita eos sentiemus: vnde Seneca, cum semel animum virtus indurauit, vndique innumerabilē præstat, lib. ad Albinam matrem de consolatione ca. 13.

Nunquam laborandum nobis est in rebus vanis & inutilibus, quoniam eum qui ita occupatur, & laborat, otiosum, pigrum, & quasi mortuum appellare possumus, vt asserit Seneca in lib. quem ad Paulinam misit de breuitate vitæ cap. 13.

Super illa verba, misit eos in vineam suam, considerabis quam multi fallantur, nolētes diuinis inspirationibus obtemperare, perperam arbitrantes sibi ad salutem sat esse se Christianos existere: cōtra quos vide D. August. lib. de vera & falsa pœnitent. cap. 6. tom. 4.

Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit ad illos: Ite & vos in vineā meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam: & fecit similiter. Mihi videntur primæ horæ esse operarij Samuel, Ieremias
Psal. 21. & Ioannes Baptista: qui possunt cum Psalmista dicere: ex vtero matris meæ Deus meus es tu. Tertiæ vero horæ operarij sunt, qui à pubertate seruire Deo cœperunt. Sextæ horæ, qui matura ætate susceperūt iugum Christi. Nonę qui iam declinātes ad senium. porro vndecimæ, qui vltima senectute. Et tamē omnes pariter accipiunt præmium, licet diuersus labor sit. Hiero. super Mat. lib. 3. cap. 20.

Circa vndecimam vero exiit: & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.
Lu. Gra. Quemadmodum sol iste quem oculis vsurpamus, nunquam illuminandi, atque calefaciendi officium intermittit: nocte verò & per stellas quas luce sua illustrat atque perfundit, mundum illuminat: ita summa illa & infinita bonitas, quæ sese in omnia diffundit, nunquam illuminandi aut ex citandi homines officium deserit. Modo quidem per se internis motibus pulsans, modo vero per ministros suos, qui sunt velut stellæ in firmamento Ecclesiæ positi, externis vocibus hominem ad pietatem vocans. Idem etiam vbi hanc vniuersi machinam condere cœpit, nisi absoluto opere non quieuit. Quod ergo in creatione mundi fecit, idem quoque in eius instauratione modò facit, vt videlicet nunquam eius opera conquiescat, quo vsque rei extremam manum apponat, & donec hoc opus consummatū fuerit, quod in fine mundi huius futurum est, cum electorum numerus fuerit impletus. Quod si quis quærat cur tanta solicitudine vrgeat hoc opus, cum bonorum nostrorum nō egeat. Hæc mihi præcipua causa esse videtur: quod is quidem solus huius operis dignitatem & necessitatem plenissimè intelligat. Cum enim ex eo æterna hominum vita, & æterna item mors pendeat, nemo autem duo hæc qualia sint comprehendat, nisi ille qui solus æternitatem complectitur, nihil mirum si amator hominum Deus summa cura prouideat, ne tantum illud bonum amittamus, né-ve in tantum illud malum incidamus. Si iuxta viperam periculi nescium paruulum filium assidere cerneres: quo impetu occurreres? quibus vocibus & clamoribus cōpelleres, vt ab eo loco fugeret, ne à vipera illi assidenti impeteretur? Cum ergo nos sensibus paruuli simus, & huius tanti negotij pondus & periculum ignoremus: non mirum si pater ille cælestis, qui exactissimè omnia nouit, tanta cura nos ab hoc tam ingenti periculo reuocare contendat.

Orosius Episcopus in eo libro quem de regia institutione inscripsit, sic ait: Nunquam bonus colonus erit, qui non fuerit nauus & industrius, & rusticarum rerum studio vehementer incensus. Sic etiam qui pecuariam faciunt, nisi fuerint in ea diligentes & attenti, minimum certe fructum ex ea curatione percipient. Opifices etiam qui non de multa nocte vigilauerint, neque tota mente operi cuius artificium tenent incubuerint: quid possunt efficere, quod sit in eo genere aliquo pretio & æstimatione dignum? Quid dicam de studiis artium maximarum in quibus nemo vnquam progressus est sine singulari studio, & diligentia? In diligentia igitur, omnium artium, disciplinarum, & officiorum, laus, & vt ita dicam, vita consistit. Est verò otium tacitum quoddam venenum, quo paulatim omnes virtutes infectæ languent, & artes omnes præclaræ in oblionem adducuntur. Rectè quidem M. Cato libro de moribus scripsit, vitam humanam esse vt ferrum, quod si exerceas splendescit. Inter grauissimas præterea Draconis leges, quas Lycurgus Lacædemoniorum legislator mitigasse dicitur, hæc vna erat: vt otij damnati capite punirentur. Scribit etiam Diodorus legem fuisse apud Ægyptos, qua singuli cogebantur nomina apud præsides profiteri, & qua arte, quó-ve lucro sustentarentur, ostendere: & si qui mentirentur, aut iniusto quæstu viuerent, capite damnabantur. Nec mediusfidius iniuria: otiosi enim & ignaui iuuenes, venenum sunt ciuitatis: proni ad libidinem sunt: bonis inuident, aliena appetunt, & denique seditiosi & turbulenti euadunt. Quod si hæc seueriſſima lex aliquibus videbitur: non tamen poterit illa Solonis non iusta videri, qua sanciuit, filium nequaquam parenti necessaria subsidia debere, à quo nullam artem accepisset.

Ex lib. Francis. Senen. de Repub.

Quia nemo nos conduxit. Horum excusatio fratres grauis accusatio nostra est. Illi enim qui vel sub torrida zona, vt sub arctico polo commorantur, quibus Christi nomen prorsus ignotum est & inauditum: cum ab eis Dominus in extremo iudicij die requiret, cur totam in otio ætatem perduxerint, non prorsus absurdè respondere poterunt, quia nemo nos conduxit. Hæc responsio fratres non parum hos homines excusabit, non quidem à toto gehennæ supplicio, sed à magna certè parte supplicij, vel ipso Domino testante: qui ignorantem seruum & negligentem paucis vapulaturum esse confirmat. At nos quid in illo districti iudicij
Luc. 12.

examine

examine respondebimus? Quam desidiæ nostræ causam pretexemus, qui cælesti doctrina imbuti sumus, qui supra Apostolorum, & Prophetarum ipsorum fundamentum ædificati sumus: qui non hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei decreti sumus, qui iuxta aquarum cælestium fluenta plantati sumus: qui tot sacramentis, tot mysteriis, tot beneficiis, tot bonorum exemplis, tot Ecclesiæ vocibus, ad virtutis & religionis studium quotidie inuitamur? Vt ipse quoque paterfamilias per prophetam dicat: Laboraui rogans. Si illos quibus adeò exiguum rationis lumen illuxit, inexcusabiles esse Aposto. ait: quid illi respondere poterunt, qui sub sole iustitiæ Christo in Euangelicæ lucis meridie vitam perduxerunt? Seruus, inquit Christus, qui scit voluntatem domini sui, & eam non facit, vapulabit multis. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.

Quid hic statis tota die otiosi? Vita nostra tempus est operandi: mors vero mercedis percipiendæ. Non abnuo quidem ad extremum vsque vitæ halitum esse merendi ac demerendi tempus: sed hora tamē mortis (quod negari non potest) ad hoc impeditissima est, in qua mille animi curæ, milléque corporis dolores ab studio pœnitentiæ nos auocant. Quid igitur agis miser? Quid hoc tempore ad fodiendam vineam non pararis? bona enim mors, inculpatæ vitæ fructus est: non tam hoc operandi, quàm recipiendæ mercedis tempus est. Non tam ligonem tractandi, vt vineam fodias, quam manus porrigendi, vt mercedem accipias. In Ecclesiastico 1. legitur, timenti Dominum bene erit in extremis. Quid igitur ad vesperum pœnitendi & operandi tempus expectas? Iam sero est, iam instat nox, in qua homines non operari, sed ab operibus quiescere solent. Venit nox, inquit Christus, in qua nemo potest operari. Et propheta
Psal. 6. inquit: Quoniam nō est in morte, qui memor sit tui. Cuius ergo tunc temporis homo memor est? Memor est plane desolatæ vxoris, quam viduam relinquit, & filiorum, quos orphanos deserit: & dolorum corporis, quibus vndique premitur. Dei vero memoriam vis dolorum, & curarum angor, pene totam extinguit. Quæ igitur insania est hoc primum tempore ligonem parare, vt vineam fodias, quando viuere vix possis? Prouer. 20. legitur, propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Sic mendicauerunt fatuæ illæ virgines, quæ toto vitæ tempore dormientes, ætatis, hoc est mortis hora ad clausas cælestis regni fores mendicare cœperunt, dicentes: Domine, Domine aperi nobis.

Quid hic statis tota die otiosi? Ex otio incommoda multa oriuntur, cum vrgeantur plerique propter ignauum otium variis pressuris, & propter id etiam homines aliorum ope egeant, & fiant adulatores, ac contempti. Vnde Salomon, raro, inquit, inferes pedem ad amicum tuum, ne saturatus tui oderit te. Qui enim frequenter ad alienam mensam conuenit, otio deditus, aduletur necesse est pascenti se, cum tamen religio nostra ad libertatem homines vocet. Ideóque si quis manducare spernit, cesset à labore: vt quia nullus sine cibo potest viuere, det operam laborandi, vt arbitrio suo viuens Deum possit habere propitium. Audiuimus enim quosdam ambulare inter vos intemperantes, nil operantes, sed curiose agentes: qui otiosi esse desiderant. Id agunt etiam quatenus occasio nascatur, qua introitum suum desiderabilem faciant domibus diuitum, vbi gesta varia, & opiniones subtiliter colligant, scientes quid primo & de quo velint audire, vt libentius hoc modo pascantur. Hoc factum valdē abhorret disciplina Dominica, horum enim venter Deus est, qui fœda cura necessaria sibi prouident. His igitur denuntiamus, & hos exhortamur in Domino Iesu Christo, vt pacifice operantes suum panem manducent. D. Ambr. in Epist. ad Thessalo. 2. cap. 2.

De otiositate vide Vincen. Belluacen. specu. Doctri. lib. 4. cap. 141.

Quid hic statis tota die otiosi? Quodnam esse maius otium potest, quam negligenter curare salutem suā? Quæ maior negligentia, quam vt quis statim infantulus inseratur Christo per baptismum, attingat vero iam senectutem propè, nondum tamen virtutis viam & sanctitatis ingressus fuerit? Quæ etiam maior excogitari negligentia potest, quam abscondere alta humo Dei talenta, & dona? Quam maiorem potest quis ignauiam incurrere, vel amentiam potius, quam dormire, stertere, exhilarari, & otiari in mediis hostibus? Isti omnes grauissime reprehenduntur in sacris literis. Dauid enim ait: Filij hominum
Psalm. 4. vsquequo graui corde? Ecclesiastici 1. dicitur, vsquequo paruuli diligitis infantiam? & prouerbiorum 1. vsquequo piget dormis? & Hiere. 4. vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Ferus super Mat.

Quid otium est, nisi viui hominis sepultura? propter otium iacent incultæ virtutes: tum etiam per otium sæpè ad luxuriam incitamur, per otium item in superbiam incidimus. Otio mundanam gloriam & caducam quærimus, ciborum lautitias consectamur, omnium mensarum assecłæ sumus, & in cultu prodigi. Otium nutricula quædam somni est, seminarium detractionum, & susurrationum. Seminat zizania, & cupiditatis otium mouet: iram succendit, homicidia parit. Quisquis denique amator otij inertis fuerit, regnum cælorum à se fugabit. In iis igitur qui sese totos Dei cultui manciparunt, nil noxius ipso otio. O fratres vellem vos semper occupationibus honestis dietineri, vt quod iustum est optari à nobis, consequeremur, nempe cæleste regnum. Hoc quidem dum taxat in eremo S. Antonius petebat vehementissime: ex quo audire vocem meruit sibi dicentem, Antoni, si cupis placere Deo, ora, & quando ex oratione defessus eris, manibus tuis labora, ac semper alicui honestæ occupationi teipsum dedito. Recordemur præterea quantum mali otium ipsum Dauidi inuexerit. Recordemur quam noxius somnus fuerit Samsoni. Recolamus etiam mente, ex otio Salomonis infortunium ortum habuisse. Quid igitur tandem expectamus, qui sanctiores non fumus Dauide, nec sapientiores Salomone, nec fortiores Samsone? Augusti. ad fratres in eremo serm. 17. to. 10.

Distribue commode tempus ipsum, & horas laudabiliter occupatas habe, tum in diuino cultu, tum in aliis laudabilibus operibus exercendis. Si enim ita te non gesseris, proculdubio quiuis dies longior tibi nimium videbitur, breuior autem vel longissimus quisque, si honestè occuperis. Atque hoc quidē modo tum tibi, tum aliis, proderis vitę honestate, atque singulari tuo exemplo. Hiero. ad Demetriadem de virginitate seruanda to. 1.

Quemadmodum gladius aliquis nisi ad exercitationem & vsum accommodetur, læditur, ac rubigine obducitur; ita hominum ingenia exercitatione splendent, otio vero inerti & ignauo torpent, atque læduntur. Hiero. in Ecclesiasten cap. 10. to. 7.

Nequaquam homines domiendo, atque voluptatibus indulgendo, diuites euadunt. Nam Esaü cum

esset otiosus,amisit primogenituram etiam spiritualem, & paternam benedictionem, qui maluit edulium petere & cibum,quam in eo laborare.Nota autē quod hic Ambrosius Esaü vocat otiosum, quamuis fatigatus maximè à venatione rediret: vnde facilè colligas, non omnem occupationem & exercitationem laude dignam esse. Ambros.lib.10. Epist. 82. epist. Gene.25.

Sanctum Noë quem Deus liberauerat à tanto infortunio, & tempestate diluuij, vel leui quadam inaduertentia, quam commisit bibens ex vino minus vsitato, adeò somnus inuasit, vt eius pudenda reuelata sint liberis.Ambro.in Psal.118.sermo.11.

Otium radix fuit & initium nostrorum malorum, quod præuidens Deus præcepit ipsi Adam vt operaretur, & custodiret paradisum.Nam dices,vt quid egebat paradisus custodia aliqua? Iussit quidem ita Deus, vt Adam occuparetur, & otium ipsum fugeret. Si enim ab omni negotio liber extitisset, statim profectò propter nimium otium in varios errores lapsus esset, vt lapsus est. At certè non ita occupatus honestè: nam occupatio ea neque laborem ei dedisset, aut molestiam vllam exhibuisset,sed potius ei ad innocentiam tuendam profuisset. Chrysost. super Gene.ho.14.to.1. Gen.2.

Si positi nos in tali mundo sumus, vt in eo maximè laborare debeamus,necessario ad vitam traducendam, & nilominus tamen à peccatis non cessamus, quo tandem effrænata nostra voluptas, & libido peruenisset,si in tali mundo nos Deus constituisset, vbi omnibus necessariis ad libitum suppeditatis viueremus? Hoc certè ex eo constare potest, quod his similia accidere in mundo in dies videamus, & ex iis multa legimus accidisse superioribus seculis. In Exo.32.enim legitur, sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.Et Deut. 32. Incrassatus est,& impinguatus, & recalcitrauit dilectus.Cōtra debet succedere laborantibus ac negotiosis,& nihilominus multa patiūtur mala. Iuxta illud prophetæ, cum occideret eos, exquirebant eum,& reuertebantur.Chrysost.lib.1.de prouidentia Dei to.5. Psal.77.

Otium est receptaculum immunditiei, & otiosis succedunt tentationes, & cogitationes malæ. Nunquam otiosus esse debet seruus Dei, quum occupari debeat in operibus studiosis ac præclaris. Quisquis aliquid facit quod ad Deum non tendat, is certè in otiosis occupatur: & pro vitando otio otiosa sectari ridiculum est.Non est tantum curandum vt tempus occupetur quibuscumque rebus ad traducendū in tantum: quin potius tales esse debent occupationes,vt conscientia nostra illis semper proficiat.Quotidie aliquid laudabile in thesauro animæ reponendum est. Non is debet nobis censeri & computari dies in dierum numero, quem præterierimus vt ille dicebat, sine linea: hoc est in quo nil nostræ vtile præstiterimus saluti. Plura alia in hanc sententiam promes ex Bernardo epistola quadam inscripta, ad fratres de mente Dei,& sermo,51.inscripto de modo bene viuendi ad sororem.

Dei seruus semper aut orare debet,aut legere,aut laborare aliter ne decipiatur ab spiritu fornicationis: delectatio enim carnis labore superatur.Diuide frater diem tripliciter: primò quidem preces tuas fundes, siue officium persolues,& perorabis.Secundo leges: tertio vero laborabis. Rex quidem Salomon propter otium ipsum, in varia turpiter lapsus est vitia fornicationis,& idololatriæ.Bernar.de modo bene viuendi sermo.51.ad sōrorem.

Multa promanant commoda ex honesta occupatione,ex otio vero multi etiam morbi oriuntur:pau-pertas etiam hinc proficiscitur,atq; ignorantia.Arist. ad Alexandrum de Genere demonstratiuo to.1.

Labora quantum potes, cum præsertim vsus ipse reddat omnia suauia. Labor quidem inter præcipua bona nostra numerandus est.Felicitas enim tota, & fundamentum virtutis, sine quo nihil honorificum, & laudabile esse potest, labore adquiritur. Vt nil sine luce conspicuum esse potest, ita nil laudabile sine labore parari potest. Amicitiam Dei, bona præterea alia spiritualia, mechanica officia, liberales artes, non planè comparamus quantum est ex nobis sine labore. Agricolæ quidem qui diuites euadere volunt, laboribus sese dedunt: quin & salus corporis exercitatione etiam conseruatur. Vides igitur omnia probe bona à labore tanquam à radice quadam pullulare.Solus Deus sine labore efficere quod cupit potest: mortali autem nemini adipisci bona sine labore datum est.Philo lib. de sacrificio Abel & Cain.

Otium initium est malorum,& seminarium:bruta quidem in terra, & pisces in mari procurant sibi necessaria, ac prouident futuris: nos ergo cur in otio desidebimus? Basilius in Exame. diuini opificij homi.7.

Cur non erit otium omnibus odio, cum per illud homo inferior sit iudicandus minutissimis etiam animalculis, vt formica, & ape. Hæc enim solicita sunt in his conquirendis quæ suæ cōseruationi conuenientia sunt. Quod præterea hominis proprium quodam modo videtur, est labor ipse, & occupatio laudabilis.Vnde nil magis videtur contrarium naturæ suæ, & magis præter finem quo conditus est, quam otio torpere.Basilius in cap.1.Esa.

Videte fratres quid nos literæ sacræ doceant: discite benefacere, & mala declinare.Fili serui Deo, & dignas ei oblationes offer.Memor esto quoniā mors non tardat, & testamentum inferorum:quia demonstratum est tibi. Ante mortem bene fac amico tuo. Non defrauderis à die bona, & particula diei bonæ non te prætereat.Euseb. Papa in Epist.ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ. Eccle.14.

Cogitare debemus non solum de operibus,sed & de omni tempore & hora otiosa,ac minima & breuissima eius parte,rationem à nobis reddēdam esse. Grego.Nazian.oratio.26.

De hoc prætetea argumento vide D. Anselmum super 1.ad Thessalo.4.

Philosophus quidam Hipponax se dignam sentētiam protulit, dicens: Nullum tibi tempus otiosum elabatur.Callimacus dixit, Animum exerce in bonis operibus. Theophrastus,nullū tēpore pretiosiorem sumptum esse puta.Plato: vide vt otium in re aliqua honesta semper colloces.

Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo:Voca operarios, & redde illis mercedem,incipiēs à nouissimis vsque ad primos. Voca operarios,hoc est vocа non stertentes, aut ludentes, & vitam omnem in otio & voluptatibus transigentes:sed operarios, hoc est in vinea domini strenue laborantes.Quādo igitur fideles operarij in vnum conuenient, vt mercedē labore suo partam accipiant:qua frōte iniquitatis operarij mercedem cū illis pariter exigent?Merito enim cum vnoquoq; eorum fidelis procurator ad hūc modum expostulare poterit:Amice,quid à me exigis & non meruisti?quid metere vis quod nō seminasti.Laborasti quidē in via iniquitatis & perditionis.Laborasti in operibus luti, & lateris:in obsequio Pharaonis,hoc est diaboli,mūdi,cupiditatumq; tuarum. Hi domini tui,hi Dij tui:ad ipsos ergo,non ad me, confuge,vt laborum tuorum tibi mercedem reddant.Sic enim Ex Ludo. Granat. Sap.5.

Hiere.2. enim scriptum legis. In tempore tribulationis suæ dicent: surge, libera nos: vbi sunt dij tui quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ. Dij tui fuerunt venter tuus, caro tua, pecunia tua, voluptas tua,& cætera quæ supra me dilexisti: ad istos ergo deos tuos confuge. Quid enim magis præposterum,quam in alterius castris militare,& ab altero aduersus quem inimica arma tulisti,stipendium petere? Expergiscimini quæso fratres: quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.Non enim video quonam modo hæc duo simul cohæreant: ad æternam vitam aspirare, & per viam mortis ingredi: mercedem à Deo exigere, & in vinea diaboli operari. Quisquis enim efficaciter optat finem,ea quoque adiumenta quibus ad illūperuenitur, non detrectat. Qui vult ad Indos pergere, laborē nauigandi nō recusat:qui à morbo graui sanari desiderat,medicamēta nō respuit.Neq; vero est cur tales sibi fide sola,deque salutis lauacro, cæterisq; redēptionis nostræ beneficiis, blandiantur, si ipsis beneficiis abusi sunt, & talēta credita in sudario reposuerūt. Vermis ille immortalis, qui damnatorum semper viscera depascitur hinc præcipue lacerandi occasionē sumit.Quum videlicet infelices illi diuina beneficia & adiumenta, quæ ad rectè viuendum perceperunt, ad memoriam reuocabunt, ô nos inquient tunc, miseros, qui tantam salutis opportunitatem toties cōtempsimus, quoties huius periculi admoniti fuimus! Ad Gal.6 Esa.66.

Autor. Circa illa verba, voca operarios & redde illis mercedem,edisserere quibus quā optimus ac fidelis præmiator sit Deus.Ad quod vide loca quæ sequuntur.

Deus sibi obsequentes cumulatissimè remunerat. Esa.60.D.pro ære offeram aurum.

Deus liberalissimus largitor, præmiatórque munificentissimus, vide quam redundanter Abdiam ob laborem impensum remunerauit, In prologo Abdiæ.

Aduerte quā cumulatè persoluit Deus Iob 22.D. dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.

Deus sibi parentibus præmia cumulata rependit, Gene.13.D.leua oculos tuos.

Quam copiose seruis suis Deus præmia reddat, Gene.18.A.B.apparuit autem ei Dominus: & reuertens veniam ad te.

Magnus remunerator Deus,Genes.22.C. per memetipsum iuraui.

Considera quam plene remuneret Deus,Gen.26. E.ascendit autem Isaac.

Deus perfectissimus ac liberalissimus præmiator, Gene.31.F.afflictionem meam & laborem.

Cumulate compensat Deus opera seruorum suorum,Exo.1.C.bene ergo fecit Deus obstetricibus.

Reddit Deus vnicuique iuxta opera sua, 1.Regū 15.G.Sicut fecit absque liberis.

Quam fidelis remunerator sit Deus,2.Paralip.19. A.sed bona opera inuenta sunt.

Attende quanta cura Deus obseruet quæ pro se fecerimus,ac laborauerimus, vt præmietur ea, Tob. 12.C.quando orabas,& sepeliebas.

Deus singulis iuxta opera sua persoluit,Apoc.13. B.C.qui in captiuitate.

Attende vt Deus vnicuique iuxta facta rependat, Apoc.18.B.Reddite illi,sicut & ipsa reddidit vobis.

Vnusquisque suorum operum præmia consequetur,ad Gal.6.B.quæ enim seminauerit homo.

Animaduerte quam liberalissimus remunerator sit Deus,Matth.19.D.sedebitis & vos.

Persoluamus & nos iis, qui pro nobis laborarūt, Tob.4.C.quicunque tibi aliquid operatus fuerit.

Cum venissent ergo qui circa vndecimam horā venerant, acciperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus Patremfamilias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus? Isti propter inuidiam aliorum murmurabant. Omnia quidem vitia ad aliorum semper intendunt & prosiliunt læsionem, suos vero semper amplius inuidia consumit. Inuidia suorum carnifex semper extitit: extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Et quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia: quia in se domesticum semper diligit habere tormorem. Quis ibi malorum finis, vbi alterius bonum pœna est, & vbi cruciatus est aliena felicitas? Malum certe multiplex: quot enim sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt inuidorum. Ite ergo velociter fugiendus est morbus? quia quos contigerit non patitur iam prope sanari. Inuidia cælum tentat: ibi enim diabolum fecit ex Angelo: vrit terras, quæ vtique paradisi nobis amœna flammeo custode secluſit.Reges vrget, quia hæc Herodem in coæuos Christi sic compulit desæuire, vt ante lac quam sanguis teneris fundererur ex membris.Charitatem violat:nam hæc Cain reddidit fratricidam, & innocuam adhuc terram noui sanguinis cruore perfudit. Vastat populos: Iudæos namque hæc (si dici fas est, si capit sermo) fecit esse deicidas.Deicidas diximus, non quo peruenit, sed quo facinus hoc tetendit.In Christo enim Iudæi non hominem tantum, sed Deum filium Dei conati sunt opprimere, & necare virtutem, cum dicunt:Hic est hæres,venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.Petrus Chrysolo. de Inuidia & hypocrisi sermo.172. Mat.2. Gene.4. Mat.23.

Hi nouissimi vna hora fecerunt. Aduerte quod inuidus non dolet de suo incommodo, & mercede minima, sed inuidet mercedi alterius. Hi enim non dixerunt, nobis parum dedisti: sed istis dedisti multum, & fecisti eos pares.Inuidia videtur habere sedem in oculis:dicetur ergo: an oculus tuus nequam est,&c. vt enim vocamus peruersam linguam dolosum aliquem hominem, etsi lingua ex se mala non sit:ita inuidi oculos malos & nequam appellamus,quamuis ex se boni sint oculi.Abulen.super Matth.

Mirum videtur quod eos qui plus laborarunt æquent iis qui minus laborarunt,imo & eos reprehēdant. Quid enim, melius ne est tardius accedere ad laborandum? Absit.bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.Et Eccle.9. Quæcunque poterit manus tua, instanter operare. Et Apost.1.ad Cor.15.gloriatur se plus omnibus laborasse. Idem admonet discipulum suum 2. ad Timo. 2. & 3. & ad Gala.6.labora sicut bonus miles Christi. Sed causa reprehensionis extitit,quia conuenerant cum patrefamilias,&c. vide Ioannem Ferum super Mat.

Super illa verba,acceperunt singulos denarios,vide D.Tho.1.2.q.1.ar.8.& q.2.ar.7.& q.5.ar.2.ad 1.& in 4.senten.dist.49.q. 1. ar.4. quæst.2. ad 1.& contra gentes lib.3.cap.58.

Super illa verba, pondus diei & æstus, vide D. Tho.1.part.q.65.ar.2.ad 3.

Murmurabant aduersus patremfamilias. Philosophi nonnullas admonitiones contra murmuratores, & murmurationes ipsas,nobis reliquere.Siquidem Pythagoras dixit; noli aduersus quempiam murmurare, est enim abiectorum hominum.Chilo;Defunctū aliquem non maledictis persequi, impium id enim esse videtur. Publius,Etiam de ipso inimico nō murmurabis.Democritus, errata propria magis quam aliena reprehendito.Sopater, Ne respexeris ad falsas vulgi opiniones,sed veritatis ratione omnibus præ- Autor.

ferto. Antiſthenes, Regium eſſe putato falſo male audire, cum tu benefeceris.

At ille reſpondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Hic operarius tanto peior apparuit, quanto benignior offendebatur & liberalior dominus. Vnde quanto maior eſt gratia quã à manu Dei recipimus, tanto maior erit condemnatio noſtra, & conſcientiæ remorſus, ſi tantam bonitatem & miſericordiam offenderimus, &c. Vide Richardum de S. Victore de ſtatu interioris hominis, tractatu 1. cap. 37.

Super illa verba, amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario, &c, vide D. Thom. ad Ro. 9. lectio. 3. & conſule eundem 1. ſenten. diſt. 41. quæſt. 1. ar. 1. 2. & 3.

Super illa verba, an oculus tuus nequam eſt, &c. potes agere contra inuidiam, & reprehendere ipſos inuidos. Comparant autem D. Baſilius, & Bernardus inuidum ipſi viperæ, cuius filij eandem necant: ita plane inuidus apud ſe ipſum concipit & gignit ea, quæ deinceps eum miſerè torquent, ac lacerant. Vt etiam rubigo ferrum ipſum conficit ac conſumit: ita ipſa inuidia inuidum conficit & dilaniat.

Quemadmodum naturale eſt ipſi igni ſuperiora capeſſere loca: ita ipſius inuidi contentio omnis eſt ſublimari, & ſupereminere, atque eos qui pluris æſtimantur, deprimere, ac deiicere.

Pictor quidam olim cum gallum gallinaceum, & gallinas aliquas pinxiſſet, curauit vt famulus adeſſet ſemper ipſi picturæ, quàm non ſatis optimè depictã nouerat, eo autem cõſilio famulus ibi aderat, vt gallinas abigeret, ne defectus picturæ noſceretur: ad eundem planè modum inuidi ante ſe bonos ipſos & claros viros videre nollent, ne ſui defectus manifeſtarentur, & deprehenderentur.

Quemadmodum veſtis à tinea prope conſumpta, vix reparari poteſt: ita anima in qua ſemel inuidia inhabitarit vix remedium vllum admittit.

Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Nemo ſe de opere, nemo de tempore extollat, cum hac expleta ſententia ſubſequenter veritas clamet: Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Ecce enim etſi iam ſcimus quæ vel quanta bona egimus, adhuc ſupernus iudex qua ſubtilitate hæc examinet ignoramus. Equidem gaudendum cuique ſummopere eſt, in regno Dei eſſe vel vltimum. Quid enim hodie aſpicimus, ſi quis cras futurus ſit vnuſquiſque neſcimus? plerumque & qui poſt nos venire cernitur, per agilitates nos boni operis antecedit: & vix cum cras ſequimur, quem hodie præire videbamur. Ecce cum Stephanus pro fide moreretur, Saulus lapidantium veſtimenta ſeruabat: omnium ergo lapidantium manibus ipſe lapidauit, qui ad lapidãdum omnes expeditos reddidit: & tamen eundem ipſum in ſancta Eccleſia laboribus anteceſſit, quem perſequendo martyrem fecit. Duo ergo ſunt quæ ſolicite penſare debemus, quia multi vocati, ſed pauci electi ſunt. Primum eſt, vt de ſe quiſque minimè præſumat: quia etſi iam ad fidem vocatus eſt, vtrum perenni regno dignus ſit, neſcit. Secũdum verò eſt, vt vnuſquiſque proximum quem fortaſſe iacere in vitiis conſpicit, deſperare non audeat: quia diuinæ miſericordię diuitias ignorat. Gregor. hom. 19. ſuper Euang.

Cur Mat. 8. dicitur, Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob; & Apocal. 7. vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat? Dicitur quidem hic paucos eſſe, facta comparatione ad damnandos: vt dicimus pauca grana eſſe in manu, reſpectu eorũ quæ remanent in horreo. Auguſtin. contra Greſconium Grammaticum lib. 3. capitulo 66. & lib. 4. cap. 53. tomo 7.

Vide præterea eundem lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 6. to. 4.

Vide item Hieron. ſuper expoſitionem huius parabolæ in Epiſt. ad Damaſum in fine totius epiſtolæ to. 3.

Vide Hugonem de S. Victo. to. 2. fol. 304. & 334. & 342.

Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Cum dicit erunt primi nouiſſimi, deprime teipſum quamuis ſis quaſi alter Ioannes Baptiſta, aut Petrus Apoſtolus, clarus virtutibus. Tum dicendo, erunt nouiſſimi primi, tolle deſperationem omnem, quamuis quaſi Pilatus aliquis fueris, vel Iudas. Quare nullus quamuis optimus ſit, negligens eſſe debet: & nullus deſperet ac diffidat, quamuis maximus peccator fuerit. Et certè qui in mediis armis verſantur, non quod aliquid ſiniſtrum & aduerſum obtingat, animis ſtatim cadunt, imo certe curant diligenter vt recuperent amiſſa in perniciem ſuorũ aduerſariorum: quod ſi euincunt, curent quantum in ſe eſt, ne illud amittant quod multo ſudore ſibi pepererunt. Sciens ergo Chriſtus quod multo labore etiam quæ amiſſa ſunt recuperantur, negligentia autem & ignauia etiam quod partum eſt perit ſæpè, monendo vtroſque dicit: Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Debemus ergo omnes peruigiles eſſe: Prouer. enim 28. dicitur, beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Ioannes Ferus ſuper Matth.

Non debent contemnere qui citius vocati ſunt eos qui tardius veniunt: quia potens eſt Deus efficere vt hi perdita recuperent, quamuis ſero veniant: & ita præmium conſequantur non minus quàm qui venerunt citius. Inter operarios quidem terrenos nõ poteſt quis tam diligens eſſe, qui veniẽs veſperi tantum laboret, quantum is qui per totum diem defudauit: at vero in vinea ſpirituali, breui tempore multum laborari poteſt, & quod amiſſum eſt, facile recuperari.

Videbis D. Auguſti. etiam circa hoc Euang. lib. de ſancta virginitate cap. 26. to. 6.

De numero prædeſtinatorum ſunt variæ opiniones, ſed tutius, certius, ac verius eſt, illum Deo tantummodo notum eſſe, vide D. Thom. 1. part. q. 23. ar. 7. in corpore.

De hoc Euangelio lege Innocen. 3. in ſermo. de Septuageſima.

Vide inſuper D. Hilarium Cano. 20. ſuper Matt.

Quod hæc parabola ſit fœcundiſſima, & alia apprimè obſeruanda in eam, inuenies apud Origenem ſuper Mat. tract. 10. hom. 9.

Super Epiſt. & Euang. huius dominicæ duos habet ſermones D. Anto. initio primæ par. Theologa.

Vde etiam eundem 1. par. hiſt. tit. 5. cap. 2. §. 2.

D. Thomas duos habet etiam ſermones, alterum de epiſtola, alterum verò de Euang. qui inueniuntur circa finem tomi 16.

Super illa verba, erunt nouiſſimi primi, lege D. Tho. 1. par. q. 65. arti. 2. ad 3.

Super illa verba: multi ſunt vocati, &c. vide D. Tho. 1. ſenten. diſt. 41. arti. 1. 2. 3. & 4.

Dominica in Sexageſima.

CVM turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum, dixit per ſimilitudinem: Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Lucæ 8. Matthei 13. Marci 4. De ſeminatore & ſemine vide Hugo. de S. Victo. lib. 2. Allego. in Mat. to. 1. cap. 25.

Vide Ioann. Gerſon. 4. p. fol. 73.

Didacus ſtella ſuper Luc.

Non ſolum in templo & Synagoga intra mœnia ciuitatis audiebant verbum, ſed per montes & ad deſerta properabant, vt illud audirent. Nos autem iuxta eccleſias habitantes, parum itineris ambulare nolumus vt conciones audiamus: faſtidimus enim quidquid ſpirituale & honeſtum eſt. Surgẽt vtique iſti in die iudicij ſicut Niniuitæ aduerſus impios, & condemnabunt nos. Attende obſecro qua diligentia mundani mundo inſeruiant, & mundana quærant. Quid igitur eſt cur tu in Dei obſequio nonnihil laboris nolis pati? cur mundo ſeruientes diligẽtiſſimi erimus, Deo autem inertes & ignauos nos præſtabimus? Quod Cain domino obtulit, id pigre, & ſegniter fecit, & ſero, atque male. Factum eſt inquit ſcriptura, poſt multos dies, vt Cain offerret domino de fructibus terræ munera. Non ſic ſanctus Patriarcha Abraham, qui ſtatim nocte conſurgens, nec mane expectãs, abiit ad ſacrificandũ filium. Eſto verò quãtumuis doctus, nihilominus tamen aduerte quòd viua vox habet neſcio quid latentis energiæ. Dauid ſapientiſſimus erat, & magnam Dei cognitionẽ attigerat, & diuinis reuelationibus donabatur: nihilominus hæc omnia nihil ei profuerunt toto tempore quo in peccato vixit: ſed tamen protinus vt ad eum venit Nathan propheta, ad viuam vocem prędicantis conuerſus eſt. Similiter & Nabuchodonoſor cõtemplabatur illam arborem quæ ſtatum ſuum deſignabat, nil tamen ipſe hac cogitatione mouebatur: ſed cum adiuncta fuit viſioni & contemplationi viua vox prophetæ Danielis, pœnitentiã egit. Doctus erat Paulus in lege, qui præclara didicerat ad pedes Gamalielis, ſed nil ei profuerant: cum autem viuam vocem è cælo dicentem, Saule, Saule, cur me perſequeris? audiuit, ſtatim attonitus & ſtupefactus cecidit, dicens: Domine quid me vis facere? Vide quomodo illum quem ſcripturæ lectio & libri non conuerterant, vox prædicantis conuertit. verbum Dei non ſolum eum qui in peccatis iacet iuſtum efficit, ſed etiam iuſtum paſcit, alit, & ſuſtinet. Quid ergo mirum quod deſiderio audiendi properarent vrbe, cum de Salomone ſit ſcriptum, quod omnis terra deſiderabat audire ſapientiam eius? Sed ecce pluſquam Salomon hic.

Salutationem ſi velis aliquam præmittere, conſulere poteris D. Chryſoſt. qui ita habet. Veſtra cauſa huc conuenimus, vt vitas emendetis, & in virtute proficiatis. Itaque vitæ emendationem curate, ne quis nos forte accuſet quod fruſtra laboremus, naſcatur, & creſcat in vobis triticum ſpirituale, nempe gratia, & non ex quatuor ſeminis partibus tres nobis pereant, quemadmodum contigit huic ſeminatori. Spero vel confido potius Deo iuuante, & vobis etiã conniuentibus, non ita nobis contingere. Quod vt facilius fiat, imploremus ſupernam gratiam, &c. Chryſoſto. ho. 4. ſuper Gene. to. 1.

O genus humanum quàm multa in te ſeminata ſunt, & quam lectiſſimum quidem ſemen, quámque atrociſſimum erit ſupplicium ſi tale ſemen negligatur! ſeminauit in te ſanctiſſima Trinitas angelos, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines. Seminauit ſiue miſit pater filium, quando exiit ſeminare ſemen ſuum: vide tu quantum profuit mundo tempus huius ſeminationis. Seminauit ſpiritum ſanctũ in cordibus Apoſtolorum, cum apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis. ſeminarunt in nobis angeli defenſiones ſuas & protectiones. Apoſtoli item quando in omnem terram exiuit ſonus eorum. Tum martyres ſeminarunt ſuis illis animis inuictis, & conſtantibus. Præterea Confeſſores iuſtitiæ perpetuo rectam tenentes ſemitam. Virgines item caſtitatem ipſam proſeminarunt. Patriarchæ denique initio exempla immortalia obedientiæ, &c. vt Abraham, Iſaac, &c. Badius ſuper hunc locũ ex mẽte D. Bernar.

Impletum eſt hodie illud Eſaiæ 2. fluent ad eum omnes gentes. Et illud Pſal. 71. omnes gentes ſeruiẽt ei. Dicit autem omnes gentes: quia nulla extitit natio, ex qua ad eum non venirent: talis erat eius fama, prædicatio, ac vita ſanctiſſima. Cæterũ quia doctrina eſſe debet ſecundum vtilitatem vel neceſſitatem audientium: idcirco propoſuit in hac parabola quatuor differentias telluris, ſiue audientium. Bonauen. ſuper Luc.

Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Seminare ſecus viam eſt locum dare vagis cogitationibus: ſunt autem nuntij quidem dæmonis vagæ & vanæ cogitationes: & quamuis videantur admodum leues, magnorum tamen incommodorum ſeminaria ſunt, cum feneſtram patefaciunt, & aditum ad maiora incommoda, quaſi furunculi, qui de nocte occultantur in domibus, ad valuas aperiẽdas maioribus furibus. Quare quemadmodũ ſoles ſepe circumducere agrũ tuum, ne ab aliquo lædatur: ita debes cor tuum perdiligenter cuſtodire, non conſentiendo vanis & peruerſis his cogitationibus, ne animam tuam perimant. Et quemadmodum arcam cuſtodis vigilanter, vbi pecuniam tuam aſſeruas: ita cor tuum, vbi theſaurum vniuerſum aſſeruas, cuſtodire debes. Cęterum obſerua, cogitationes iſtas, vanas importunas aliis magis quàm aliis eſſe: nam quemadmodum muſcarum multitudo ad læproſos magis confluit, quàm ad ſanos: ita vanæ cogitationes peccatores magis inuadunt & otioſos, quàm iuſtos, atque occupatos.

Pau. de Pala. ſup. Mat.

Difficile eſt plane intellectu volucres cæli eſſe dæmones, & quod edant triticum ſeminatum, nempe doctrinam. Sed dicendum quod edunt, quia eam inueniunt peſſumdaram, & deſpectam: atque ita prævalent contra eos qui eam contemnunt, & videntur comedere quod alter deſpicit. Cæterum etiã metaphorice dicitur quod dæmon edat, quia conſeruat apud ſe hunc huius contemptum, vt de eo ſuo loco eum deferat, & accuſet. Aduerte autẽ hic quadrare commodè quod contingit piſtori regis Pharaonis, qui ſomniauit quod aues cæli deſcendebant, & comedebant eos cibos, quos ipſe adferebat. Nam Ioſeph dixit, hoc eſſe adeo exitioſum prognoſticum, vt breui ei eſſet vita adimenda ignominioſa morte, & ſepultura corpus carens, ab auibus deuorandum. eodem enim modo indicium eſt quoddam damnationis, adeo negligenter cuſtodire verbum Dei, vt dæmon illud abripiat.

Et aliud cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Cibus animæ eſt verbum Dei, & vt acceptus cibus ſtomacho languente reiicitur, ſic ſermo Dei ab inconſtante repellitur. Cęterum quiſquis alimenta non retinet, huius profecto vita deſperatur. Grego. ho. 10.

Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Super hoc tractare poteris de curis ingentibus, ac ſolicitudinibus variis, in quas prolabuntur diuites auari: magnam verò hac de re ſegetem inuenies in D. Grego. lib. 15. Mora.

Quod ſolicitudo rei familiaris, atque familiæ totius cura, ſuffocare non debeant verbum Dei, vide eundem lib. 1. Mora. c. 31.

Magnis anxietatibus atque moleſtiis cor diuitis auari vehementer opprimitur, vide eundem lib. 1. Mora. c. 35.

Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Quod martyrum fructus sit centesimus, virginum sexagesimus, coniugatorum verò trigesimus, consule D. Auguſt.lib.1.quæſt.Euange. q.9.to.4.

Quod numerus centenarius sit virginum, sexagenarius viduarum, atque trigesimus cõiugatorum, vide eundem lib.de sancta virginitate, c.45.to.6.

Vide S.Tho.super hæc verba 1.2.q.70.art.3.ad 2. & in 3.sen.dist.34.q.1.ar.5.ad 4. & 5.& in 4. senten. dist.49.q.5.ar.2.per totum.& q.2.per totam.

Ludo. Gra. *Hæc dicens clamabat: qui habet aures audiendi audiat.* Quid ais domine Ieſu? an non aures habent omnes iſti qui te audiunt? Certe ſi aures haberent,nequaquam dominus ſigillatim diceret: Qui habet aures audiendi audiat. Nequaquam Hiere. propheta quereretur: Cui loquat,aut quem cõteſtabor vt audiat? Ecce incircunciſæ ſunt aures eorum, & audire non potuerunt: Qui ſunt autem qui incircunciſas aures habent?illi nimirũ vt Theodoretus ait, qui ſine vllo delectu quæcũque dicuntur audiũt:quibus nil adeò fædum & turpe eſt,quod ab auditu ſuo reiicendum & amputandum curent. Qui omnibus nugis, fabulis,mendaciis,detractionibus, aures ſemper paratas atque patentes habent:ad diuinorũ verò eloquiorũ tractationẽ prorſus occluſas. Sanam quippe doctrinam non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros prurientes auribus. Horum quidem auditorum mores & ingenium Plutarchus appoſitiſſima ſimilitudine deſcribit, his verbis: Si quis de coniugio quopiam loquatur, aut de ſacrificio, &c. huiuſmodi negligenter & oſcitanter audit curioſus: aitque ſibi pleraque iam audita eſſe, iubet etiam narrantem conferre ſermonem in pauca,aut prætercurrere. Quod ſi quis aſſidens referre cœperit vitiatam virginem, aut adulteram alicuius vxorem, &c. hic nec dormitat, nec cauſatur deeſſe otium. Quemadmodum enim cucurbitæ quod in carne deterrimum eſt ad ſe trahunt: ſic curioſorum aures deterrimos quoſque ſermones attrahunt. Et ſicut ciuitates habent portas quaſdam nefaſtas, perquas ſordes atque purgamenta eiiciunt, nil autem purũ,aut ſacrum, per eas vel ingreditur, vel egreditur: ita per talium curioſorum aures nil probum aut venuſtum tranſit,ſed ſermones de cædibus aditum inueniunt, atque ibi verſantur impuras & impias fabulas ſecum deferentes.

Hac voce non obſcure dominus indicauit, non cuiuſuis eſſe idoneum ſe verbi Dei auditorem exhibere: niſi eius qui cum propheta dicere poteſt,Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij. Hæc autem gratia fidelibus in baptiſmate data eſt, cum ſacerdos digitos in aures inferens,ait:Effeta,quod eſt adaperire.

Circa ſuperiora verba diſputare poteris quomodo ſit audiendum verbum Dei.Ad quod intuetor ſequentia.

Quantam homines ſpiritualem patiantur inopiam, ſi non adſit qui Dei verbum prædicet, Amos 8.D.ecce dies veniunt.

Quàm auide omni ſit tempore audiendum verbum Dei Acto.20.vſque in lucem.

Quantam habeant vim verba Dei Matt. 9. B. & ſurgens ſecutus eſt eum.

Non tantum audire Dei verbum, ſed etiam illud implere debemus,Ro.2.C.nõ enim auditores legis.

Qui Dei verbum auſcultant, pro ipſo concionatore ad Deum preces effundant, ad Coloſ. 4. A. & pro nobis vt Deus aperiat nobis.

Quàm horrendè nolentibus Dei verbum audire minatus ſit Deus, Mat. 10. B. tollerabilius erit terræ Sodomorum.

Interrogabant autem eum diſcipuli eius,quæ eſſet hæc parabola:quibus ipſe dixit:Vobis datum eſt noſce myſteriũ regni Dei, cæteris autem in parabolis,vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Cur tu Domine, qui à Deo veniſti magiſter,obſcuris & implicitis verbis ita doces homines,vt nihil intelligant, ieiunique à conuiuio cæleſtis tuæ doctrinæ diſcedant? vbi quæſo Domine ſunt magnifica illa vatum promiſſa? filiæ Sion lętamini in domino Deo veſtro,qui dedit vobis doctorem iuſtitiæ.Item,& erunt oculi tui videtes præceptorem tuum & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis,&c.An non in hoc veniſſe diceris in mundum, vt illuminares eos qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedẽt, quódque admirationem auget,id facies non ſub lege,ſed ſub gratia:quãdo iuxta Apoſto.nox præceſſit, dies autem appropinquauit? Quando ceſſauerunt vmbræ, quando velum templi ſciſſum eſt medium, & ſancta ſanctorum detecta ſunt, in hac luce meridiana, tenebras & nubila parabolarum obiicis oculis noſtris, perinde ac ſi in lege & vmbris illis more Iudæorum verſaremur? Ad hoc dicendum quod Deus reddit vnicuique ſiue præmium ſiue ſupplicium pro eo ac quiſque ſe in vita gerit. Vnde inter varia bona quæ Eſa. piis hominibus Dei nomine pollicetur, hoc quoque ait: Implebit ſplendoribus animam tuam. At contra improbo cuique inter varia maximáque ſupplicia hoc quoque minatum eſt: percutiet te dominus cecitate.Et per Eſa. dicitur, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Quod non obſcure dominus inſinuauit,cum de Pharaone ad hunc modum excęcato ad Moſen dixit:Non audiet vos Pharao.Et Zacha.7. dominus ait, quod cum prophetarum vocibus ad iuſtitiam & pietatem vocarentur,noluerunt attendere.

Vt videntes non videant. Quæres qua ratione hoc fieri poſſit,vt idem homo & videat, & non videat, audiat,& non audiat.Quæſo te frater,credis ne poſt hanc breuem & mortalem vitam aliã ſupereſſe immortalẽ,in qua bonis infinita & inenarrabilia præmia propoſita ſint, malis verò extrema & innumera ſupplicia conſtituta? Cur ergo qui iſta ſic credis, in iſtis ipſis criminibus tamdiu verſaris? Quis enim inquit Iob,poterit guſtare,quod guſtatũ affert mortem? Quid quæſo hoc aliud eſt,quàm videre,& non videre, audire, & non audire, ſcire, & non ſcire? talem nobis perſonam ante conuerſionem ſuam Apoſtolus exhibuit: de quo ſcriptum eſt, quod apertis oculis nil videbat. Cuius cæcitatẽ infelices iſti imitantur,qui apertis fidei oculis ita viuunt, ac ſi prorſus fidei luce deſtituti eſſent. Contra hos autem Iudas Apoſtolus clamat: væ his qui in viam Balaam abierunt. Qui inter cætera mala ſua,hoc etiam de ſe ipſe teſtatur, quod cadens apertos haberet oculos, videnſque foueã,tamen ſpõte ſua ruebat in illã. Talibus autem creditum fidei talentum, non in lucrũ, ſed in ſcandalum eorum vitio cedit. Quare cum ex hac vita decedent, damnationis ſuæ ſententiam ſecum adferent.

Quomodo intelligatur illud, vt videntes non videant,& de aliis huic propoſito congruentibus, vide D.Aug.lib.de bono perſeuerantiæ c.14.to.7.

Eſt autem hæc parabola:ſemen eſt verbum Dei. Iure quidem verbum Dei ſemen appellatur, quod quidem quantitate paruum, virtute tamen & fœcunditate magnum eſt.

Cum tamen multiplex & fœcunda verbi Dei virtus ſit,meritò quæri poteſt cur toties hominib⁹ annuntiatum adeo exiguum referat fructum. Sciẽdum ergo in omni actione ſiue naturali ſiue ſpirituali duo eſſe

eſſe neceſſaria: alterum quod agit, alterum quod patiatur.Et in agente quidem virtutem eſſe oportet ad agendum, in patiente autem diſpoſitionem ad ſuſcipiendum:vt enim terra fruges producat, neceſſe primum eſt vt agricola ſemen ſpargat in terram, deinde vt terra quæ ſemen recipit,nouata ſit,& proſciſſa,ſpiniſque & tribulis purgata. Quod ſi alterum horum deſit,fruſtra agricola ſementem faciet. Faber ferrarius etiam vt opus ſuum perficiat, ferrum prius in fornace mollit,& tractabile facit. Celebris enim Philoſophorum ſententia eſt, actus actiuorum eſſe in patiente diſpoſito. Quod plane adeo verum eſt, vt quo maior fuerit in rebus diſpoſitio, eo & celerior & perfectior actio conſequatur. Sic videmus ligna arida igni admota facile inflammari. Quare non ſemper ſatis eſt vt audiendis concionibus proficias,idoneum quidem eſſe doctorem, niſi ſit etiam idoneus auditor, qui videlicet non ſegniter, non oſcitanter, non curioſitatis affectu, audiat verbum Dei. Quemadmodum enim terræ aliquæ eſſe perhibentur adeo ſteriles,vt ſi in eis tritici puriſſimi ſemen ſparſeris,non triticum,ſed typham referant:ita plane iſtis contingit,in quorum pectoribus,ſi verbi Dei ſemen ieceris, nõ ſeminis huius fructum, qui in vitæ integritate conſiſtit, ſed vanitatis,aut curioſitatis paleas proferunt. Hoc autem in ſcelerum pœnam Deo ita permittente futurum eſſe,prophera non tacuit,cum ait: Quia oblita es Dei tui, & fortis adiutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationem fidelem,& germen alienum germinabit. Quid autem indignius, quam atrociſſimas Dei minas non ad timorem, ſed ad delicias & voluptatẽ audire? Quia vero ad hanc animi præparationẽ ſpectat, vt omnia introducendæ formæ impedimenta remoueantur,ſummo ſtudio curandum eſt, vt quænam ea ſint intelligamus:quo illis è medio ſublatis, verbi Dei ſemen vberem & copioſum in nobis proferat fructum. Quæ autem ſint hæc impedimenta, hodierni ſancti Euangelij lectio propoſita inſigni parabola adeo luculenter declarat, vt hæc lectio vel prefatio quædam omnium aliarum concionum, & Euangeliorum,quæ toto anno in Eccleſia leguntar,mihi eſſe videatur. Quam arbitror ea ratione hodie ab Eccleſia propoſitam fuiſſe, vt quoniam Quadrageſimalium concionum tempus appetit,eſſet hæc conuenientiſſimum ad omnes alias conciones exordium, quod auditorum animos ad audiendum præparet.

Hoc ſemen tantæ fæcunditatis eſt, vt frequenter ex vno tantum ſeminis grano, totius vitæ commutatio,& vberrima virtutum omnium, atque bonorum operum ſeges, in granario cæleſti condenda, oriatur.

Qualis debeat eſſe doctrina concionatoris & cõcionator ipſe,atque pleraque alia huc ſpectantia,vide apud Chryſoſt.in Acta Apoſto.ho.30.to.3.

De verbo Dei audiendo vide Auguſt.de tempore ſerm.218.inter medium ac finem to.10.

Qui autem ſecus viam:hi ſunt qui audiunt,deinde venit diabolus,& tollit verbum de corde eorum,ne credentes ſalui fiant. Super hæc verba tractare poteris de negligentia hominum in audiendo, & conſeruando verbo Dei. Contra hos autem ita habet D.Chryſoſt. Nonnulli tam miſere affecti ſunt, vt diutius audiendo ne nomina quidem librorum intelligant:nec pudet, nec verentur tam negligenter in Dei concionem ingredi. Quod ſi Citharœdus, vel ſaltator, vel mimus aliquis,ad ſcæn[illegible] aduocaret ciuitatem, omnes frequenter concurrerent, & admoniti gratias haberẽt: in quo ſpectaculo diei dimidium conſumunt, nulli alij negocio vacantes. Deo autem nos per prophetas,& Apoſtolos alloquente, oſcitamus, deſidemus, hallucinamur,& plurimum faſtidimus. Quare in forum egrediuntur plerique: in hyeme vero cum pluuia & lutum impediret,domi ſedent. At in theatris etiam ſine tecto à quo pluuia defendantur,cum imbre,vento,frigore,luto,viæ longitudine contempta, inſani perſiſtunt. Nulla hos cauſa domi continet, nulla quin ad ſpectacula frequentes confluant, prohibet.Huc autem ſub tectum, ſine frigoris, & pluuiæ iniuria,ad animæ ſuæ ſalutem,nemo ea alacritate concurrit.Sunt ne hæc tolleranda?Ideo in illis apprimè edocti, in neceſſariis quã pueruli impediores ſumus. Quod ſi quis te aut aurigam,aut ſaltatorem vocaret,contumeliam induceres, eámque rem pro viribus populares: ire autem ad eorum ſpectacula non recuſas:& cuius artis nomen fugis,eam fere omnem proſequeris.Cuius autẽ & nomẽ, & rem, hoc eſt eſſe,& vocari Chriſtianus,profiteris:quidnã ſit non intelligis.Quid hac dementia peius?hęc quidem frequenter vobis dicere ſtatui: veruntamen veritus ſum, ne fruſtra & ſine fructu mihi odium comparem. video enim non iuuenes tantum,ſed & ſenes inſanire, quorum gratia maiorem in modum erubeſco, cum video virum canitie venerabilem, eum labefactantem,& filium ſecum trahentẽ. Quid hoc magis ridiculum? Quid indignius? filius à patre impudentiam diſcit? Mordent hæc vos verba? hoc & ego volo. Verba vos mœrore afficiant,vt per opera à turpitudine liberemini.Sunt etiam nonnulli multo his frigidiores,quos illorum non pudet,ſed pro re multa verba faciunt: quos ſi rogaueris quis Amos ſit,quis Abdias,quot prophetæ? quid reſpondeant neſciunt. De equis,aurigis,Sophiſtis, Rhetoribus, quamuis reddant rationem: inde vero quæ iactura, quod detrimentum ſequatur, interrogant. Propterea ingemiſco, quoniam quod ſit damnum, quod malum,non intelligitis. Dedit tibi vitam Deo, vt ſe coleres: tu eam in caſſum, & inutiliter conſumis.Quæris quod ſit damnum? Si vel parum argenti amiſeris, id omnino damnum appellas: ſin totos dies in diaboli operibus conſumpſeris,nihil amiſiſſe opinaris. Opus eſt in ſacrificiis & precibus vitam omnem impendere, tu vero ad clamores, perturbationes,obſcæna verba,contentiones, intempeſtiuas voluptates in tuum conuertis detrimentum. Et cum hæc commiſeris, quod damnum acceperis interrogas: neque intelligis omnia potius amittenda, quàm tempus. Aurum amittis, poterit recũperari: amiſſum tempus difficulter. Breue nobis in præſenti vita tempus præſtatur, quo niſi in neceſſariis vtamur,quid hinc migrantes faciemus?vide D. Chryſo. ho.57.ſuper Ioann.to.3.

Eſt horum cor velut commune quoddam diuerſorium,quod omne genus hominum, ſiue illi noti, ſiue ignoti,ſiue boni,ſiue mali ſint, admittit, Nullum enim delectum, nullum diſcrimẽ bonarum aut malarum ſiue cogitationum,ſiue deſideriorum, habent.Eccleſiaſtes 2.omnia quæ deſiderauerunt oculi mei,non negaui eis:nec prohibui cor meum,quin omni voluptate frueretur.Sunt ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu:quę facile ab hoſtibus inuaditur: & tanquã vinea ſepe & maceria deſtituta. Quod ſi qui diligenter & ſtudioſe ſe cuſtodiunt, ſæpe fœdis imaginibus,& cupiditatib⁹ infeſtãtur:quid hi patientur qui ſine vllo diſcrimine cupiditatibus cunctis & impuris cogitationibus aditum prebent?

Quale hoc dedecus animæ ſit, vel hoc vno exemplo colligi poteſt.Summum enim mulieris dedecus eſt eo impudentiæ deueniſſe,vt in publico lupanari proſtituta omnibus copiam faciat. Summa itaque animæ noſtræ ignominia erit, omnes rerum

omnium

omnium cupiditates & cogitationes sine vllo delectu intra se admittere. Hoc enim est aperte meritricem illam agere,cui dominus per Iere.dicit,sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Et rursum, leua in directum oculos tuos, & vide, &c. Ecclesiastici 9.omnis mulier fornicaria quasi stercus in via.Vt meretrix cum mares omnes admittat,nihilominus tamen sterilis & infæcunda manet: sic isti quamuis verbi Dei semen frequentissime recipiant, semper tamen in eadem sterilitate & infœcunditate perstant, nec vllum pietatis fructum germinãt.Hæc ergo prima seminis portio, quæ iuxta viam sparsa fuit,nullum prorsus attulit fructum: Qua quidem ex re colligere licet fratres,quanta cura puritati cordis incumbere, quanto studio fores eius occludere, qua celeritate omnes impuras cogitationes à nobis excutere debeamus.

Aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas;nam deus qui de durissimis, & incultissimis, animos mitissimos sæpe verbo reddit suo,non dubitat in omnes illud effundere: Qui cum sit prudentissimus, eo modo animos hominũ fecit, vt quotiescunque duritiem, aut suauitatem induere vellent,possent. Egregie quidem hoc in Saulo præstitum est. Idem etiam de latrone in cruce pendenti dici potest: Quid præterea magis peruium itineribus omnium malarum cogitationum Maria Magdalena? Illam tamen Deus terram fructificantem fecit: Quid Matthæo in telonio sedente spinosius, & incultius?&c.

Super illud, venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, tractare licitum erit tibi de damno quod infert torpor & incuria. Ad quod applicabis sequentia.

Quantum noceat negligentia,Iudicum 18.C.eamus & possideamus eam.

Homines quidem torpent, & dormiunt quasi Deum haberent fictitium,Esa. 40. E. Cui ergo similem fecistis Deum?

Maxime negligentes atque torpentes viuimus, Ezechie. 33. A. audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ.

Incuria multos in magnum coniecit discrimen, Ionæ 1.dormiebat sopore graui.

Maxima negligentia atque socordia præsentem traducimus vitã,Iob 22. B. C.an cogitas quod Deus excelsior cælo sit?

Magna est incuria nostra,Ecclesiastes 11.D.si annis multis vixerit homo.

Maxima existit incuria & torpor noster, 2. Regum.4.A.B.qui dormiebat.

In præsenti sane vita summopere torpescimus, atque negligimus, vana quadam spe ducti vitæ nostræ postea corrigendæ & emendandæ. Aduersus quod Seneca ita decernit: maximum viuendi impedimentũ est expectatio quæ pendet ex crastino:perdis hodiernum, & quod in manu fortunæ positum est disponis,quod verò in tua dimittis: Quo spectas? quo te extendis? Omnia quæ ventura sunt in incerto iacent. Hæc, & pleraque alia apud Senecam in hanc sententiam inuenies, ad Paulinum lib. de breuitate vitæ cap.9.

Quod volucres cæli sint dæmones, & quod dæmon quandoque per auem,quandoque per alia animalia designetur; & de eius arte, atque dolis, aduersus homines,tibi apud Grego.lib.33.Mora.c.20. suppeditabit.

Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Cuius periculi sit verba Dei audire,nec proficere,vix vlla oratio satis explicare poterit. Certe inter cætera reprobationis signa,quæ sancti patres designarũt,hoc in primis numeratur autore Paulo:qui ait:Terra venientem super se bibens imbrem, proferens autem tribulos & spinas iis à quibus colitur, reproba est, & maledicto proxima: cuius cõsummatio in cõbustionem.Quid his verbis vel apertius, vel formidabilius? Non protinus de ægri salute desperamus quamuis grauiter ægrotet, si adhuc medicamentis aliquo modo iuuatur:at cum morbus in dies ingrauescit,& medicamenta nihil conferunt:quæ spes salutis reliqua est? Quis autem dubitat ægroti animi medicamentum esse Dei verbũ? At hoc frustra ægræ menti adhibitum, imminentis exitij maximum argumẽtum est.Hinc legimus Paulum, quamuis miti & placido ingenio esset,tanta tamen acrimonia aduersus Elymam Magum, quòd Dei verbis obsisteret,incanduisse: vt eum subita cæcitate, & his acerbissimis verbis feriret: O plene omni dolo & omni fallacia,fili diaboli &c.sed quam multi modo in Ecclesia sunt,qui sibi ipsis Elymas Magus effecti sunt, Quã multi in quos illud merito iactari possit, quod de suis olim ciuibus propheta querebatur!Ecce verbum domini factum est illis in opprobrium, & non suscipient illud: Quilibet ergo cõcionator illa quoque domini Saluatoris apud Esa.verba poterit vsurpare: Ego autem dixi,in vacuum laboraui, vanè, & sine causa fortitudinem meam consumpsi.

Quisquis in anima sua virtutis radices defigere cupit,illud in primis præstare debet quòd in 1.Psal. de viro iusto scriptum est: In lege domini voluntas eius,& in ea meditabitur die & nocte.

Multi audiendo doctrinam bonam, ac sanctam, cõstituunt eam ad exercitationem vocare, atque referre:sed mox inchoata derelinquẽt. Sæpe enim cõtra culpas cõpungimur, & tamẽ post fletum ad easdem culpas redimus. Ita enim Balam contemplatus populum Israel,orabat dicens: Moriatur anima mea morte iustorũ,& fiant nouissima mea: horũ similia. Sed mox vt hora cõpunctionis trãsit,in auaritiæ nequitiam exarsit.Greg. hom. 4.super Euangelia.

Et hi radices non habent, &c. Perseuerantia est semper spectanda in operibus. Saul enim cum esset paruulus in oculis suis,rex est super Israel constitutus. Sed quia nõ perseuerauit in virtute, regnum amisit, & vitam.Si durasset prudentia illa Samsonis,& prudentia Salomonis: nec illi oculi eruti fuissent, nec hic in contentionem vocasset salutem suam. Si Herodis deuotio perseuerasset,audiendo feruenter Baptistam:non plane tam infelicẽ exitũ consecutus esset.Bernardus ad Ianuenses Episcopos epis.129.

Turpissimum sane est habere cor saxeum in corpore carneo. Esa. 11. dicitur, auferam cor lapideum &c.Non debet seruus Dei habere cor lapideum, sed cor piũ & phumanũ,iuxta illud 2.ad Cor.3.Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, non in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus. Et quemadmodũ petra centrũ petit: sic plane cor durũ & ferreum in barathrum ipsum tendit. Faxit Deus, vt vel cõsideratione sanctissimæ Crucis suæ, vel immissione calamitatũ & flagellorũ, aut denique aliis mediis quibus ipse solus nouit melius cor durũ fore emolliendum, feriat nos ipsos,quousque aqua contritionis promanet, sicut ex lapide duro excussit aquam Moses.Hector Pintus super Ezechie,11,

Super superiora verba lege D.Aug.lib.2.de bono perseuerantiæ c.14.to.7.

Circa illud, hi radices non habent, agere poteris de perseuerantia in bono ac virtute: Quare videbis sequentia.

Comminationes fiunt à Deo illis qui in bono non

non perseuerant.Ecclesiastici 2.C. vę his qui perdiderunt sustinentiam.

De inconstantia vide D.Antoni,2. par.Theo. tit. 5.cap.12.

Perseueremus in virtute.Ecclesiastici. 5. C. esto firmus in via domini.

Reprehenduntur inconstantes Ecclesiastici 27. B.stultus vt luna mutatur.

Magnum ac mirabile perseuerantiæ in virtute exemplum Gen. 39.C. & mulier molesta erat adolescenti,& ille recusabat stuprum.

Perseuearntia in bono ac virtute coronat habentem Num.22.D.si dederit mihi Balaac.

Quam necessaria sit & conducibilis perseuerantia in virtute Iosue 24.Absitque à nobis.

Quantum intersit in virtute perseuerare 1.Reg. 9.A.erat ei filius vocabulo Saul.

Quantũ noceat non perseuerare in bono 1.Reg. 15.D.nonne cum paruulus esses.

Perseuerare in virtute quantum referat 2.Para. 32.G.in omnibus operibus suis.

Perseuerare in bono quam sit conducibile 2.Para.26.C.sed cum roboratus esset.

Quanta fortitudine ac robore perseuerandum sit in bono Esdræ 2.cap.4. G. vna manu sua faciebat opus.

Magna in virtute perseuerantia 1.Macha. 1. G. & multi de populo.

Excellens quædam in virtute constantia 2. Macha.6.E.at ille cogitare cœpit.

Quod erit præmium perseueranti in bono Apoca. 2. B. G. vincenti dabo edere de ligno vitæ. Item esto fidelis vsque ad mortem.

Perseuerantia in virtute Apoca. 3. C. tene quod habes,& D.qui vicerit dabo ei.

Perseuerantia in virtute 1.Cor. 16. C. vigilate & state in fide viriliter.

In virtute non esse perseuerantem,vitiũ magnum est,ad Gala.1.A.mitor quod sic tam cito.

Perseueremus in virtute,ad Gala.6.C.bonum autem facientes non deficiamus.

In bono non simus inconstantes ad Ephe. 4.C. non simus paruuli fluctuantes.

Perseueremus in virtute 2.Ioan.1. C. ne perdatis quæ operati estis.

Cui rei in virtute perseuerans comparetur Mat. 7.D.assimilabitur viro.

Perseuerantia in virtute necessaria est Mat. 11. Regnum cælorum vim patitur.

Perseuerantiæ exemplum Lucæ 2. F. non discedebat de templo.

Perseuerantia quantum conducat Lucæ 9. G. nemo mittens manum.

Perseuerantes in bono cui comparantur Psal. 1. erit tanquam lignum.

Non est aliqua sufficiens excusatio ad non audiendum verbum Dei,& retinendum, quemadmodum ad alia multa datur, vide D. Chrysosto. ad popu.ho,9.to.5.

Ferunt paludem esse quandam inter Troglodytas, quæ mutari singulis diebus sexies consueuerit, nunc dulcem,nunc amarum saporem induendo: ad eundẽ plane modum inconstantes, leuésque homines,non persistunt in laudabiliter cæptis, sed mutãtur in horis; quæ nunc amarunt, iam odio prosequuntur,& modo aiunt, modo negant,vt ille dicit.

Quod autem in spinis cecidit,hi sunt qui audierunt: & solicitudinibus, & diuitiis,& voluptatibus vitæ, euntes suffocantur,& non referunt fructum.

Spinas dominus appellat vitæ voluptates & solicitudines seculi. Et certe summus ille Philosophus Tarẽtinus apud Ciceronem in Catone maiore, mala omnia, tum publica, tum priuata, ab immodico voluptatum amore proficisci ait. Curarum verò examina mentẽ ita pũgũt & lacerãt:vt nil eã q̃ eas abigere possit,cogitare sinãt.Ita fit vt partim sceleribus, partim aculeis curarum superfluarum mens nostra oppressa,nullum ex verbi Dei semine fructũ germinet.His etiam adde humani cordis angustiã,quæ tãta est, vt spiritualibus, & terrenis rebus simul sufficere nequeat: quod videlicet illud rerum conditor sibi vni sedem atque domicilium destinauerit,Quare quod vni tantum hospiti excipiendo præparatum fuit,duos simul capere non potest.Sic calce⁹ qui pedi vni, sic manica quæ tegendæ manui, sic vagina quæ vni tantum cõdendo gladio facta est: nec duos simul pedes,nec duas manus, nec duos intra se gladios,capere possunt. Hanc autem esse cordis nostri naturã, aptissima similitudine vates sanctus expressit, cum ait: Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat:& palliũ breue vtrũque operire non potest. Strati autem appellatione cor hominis intellexit, in quo vel Deus, vel mundus:hoc est vel Dei,vel mũdi amor sedem sibi constituit. Quod idem angustũ esse dicitur,quia vtrunque simul amorẽ ex æquo capere non potest. Quod cum sempiternus ille generis humani hostis intelligat: in hoc vnum neruos omnes intendit, vt variis nos seculi curis & cupiditatibus implicet. Duo sunt vt inquit Bernardus, necessitas,& cupiditas:quæ miserum hominis pectus perpetuo vrgẽt,stimulãt,atque dilacerãt,eoque impellũt,vt omni ratione cõgerendis opibus incũbat.Sed necessitas quidem naturæ cõsulere intendit:cupiditas vero luxum quærit.Ex his autẽ duobus humanæ mẽtis stimulis vter sit vehemẽtior,non facile quisq; dixerit,nisi qui definire poterit vtra sit vehementior sitis,falsa ne febricitantis, an vera sitientis. Nam & æger ob incendium febris vehementissime sitit, & sanus cum necessario ad vitã humore destitutus est, simili flagrat siti.Sic ergo & pauper, qui necessarius ad vitam rebus eget:& auarus diues, qui non eget, vterque vehementer sitit. Ille verò eget quibus necessitati,iste quibus libidini satisfaciat.

Appellat Christus per Mat.diuitias ipsas mẽdaces & fallaces.Siquidem fallaces sunt, quia nobiscũ diu permanere non possunt. Fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ autem diuitiæ veræ sunt,quæ nos diuites virtutibus faciunt.

Cum acquiruntur diuitiæ falsam lætitiã tribuunt: & cum perduntur, veram tristitiam derelinquunt: quomodo ergo sunt diuitiæ, quibus crescit inopia? Auguſt,de sanctis Innocen.sermo.3.to.10.

Vix legi spinæ possunt,quin manum lædant: vnde & diuitiæ vix comparari possunt & acquiri,quin anima ipsa lædatur, & afficiatur. Considera igitur diues, quod bona quæ comparas sunt etiam instar escæ in hamo, & quemadmodum caseus in decipula,videas qua ratiõe te geras,ne fallaris, aut pũgaris.

Quisnam esse poterit adeo negligens, qui si certior fiat diuitias suas prædonibus expositas esse, eis non prouideat, atque eas dem defendat? si enim sciret pater familias qua hora fur veniret,vigilaret vtique.In hodierno quidem Euangelio docemur ea pericula, quæ incurrere possumus verbo Dei minus conseruato in cordibus nostris. Idcirco diligenter nobis caueamus,& videamus cum propheta:In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Hoffmeisterus super Luc.8.

Quemadmodum ouis incedens inter spinas, in eisdem partem aliquã suæ lanæ relinquit:ita qui vacat nimium negotiis secularibus,& diuitiis, perdit res ipsas spirituales. Spina quidem dolorem infert

quum

quum infigitur, cum etiam infixa manet; & denique multo vehementius, cum extrahitur: ad eundem plane modum diuitiæ sudores maximos secum adferunt in adquirendo, maiores etiam in possidendo: omnium maximos in amittendo. Ludolphus Carthusiensis p.1.c.64.

Quod semen spirituale non recipiamus nec crescat in nobis, quia habemus terrenis occupatos animos, & de aliis huc spectantibus, consule D. Chrysost. ho.1. super Ioan.

Nasci, atque crescere debet in nobis triticum spirituale, nimirum verbum Dei, vide eundem ho.4. super Gene. to.1.

Cum tanta cura corpori nostro alimenta quæramus: sit nobis aliquantula solicitudo, & studiũ, animæ nostræ doctrinam necessariam conquirendi, lege eundem contra Amonæos to.5.

Super illud, & solicitudinibus, & diuitiis, &c. tractate poteris quantum damni inferat nimia solicitudo præsentiũ rerũ: & ita lege quæ subsequũtur.

De solicitudine & inquietudine animi, consule Vincentium Belluacen. Specu. Mora. li. 3. c. 3. dist. 27.

De solicitudine vide eundem Specu. Mora. lib. 1. par. 3. dist. 41.

Quemadmodũ flumina antequam in mare perueniant, dulcem habent aquam, cæterum vbi primum ingrediuntur mare, salsa ea fit: ita diuitiæ dum in hac vita possidentur, videntur dulcedinem quandam parere: vbi verò mors ipsa aduenerit, luctum potius exhibent & amaritudinem.

Sicut Lydio lapide cõprobatur aurum, & manifestatur: ad eundem plane modum diuitiæ manifestãt quid homo ipse sit, si enim bene illis vtatur, bene de eo iudicabitur, sin secus, malè.

Apes quidem accedens ad mellificandum, comedit tantum mellis quantum satis est ad pascendum, cæterum si nimium sumit, & inuiscatur, occumbit tãdem, atque emoritur: nõ secus plane diues homo, si solum quod sufficit & sat est ex diuitiis sumat, & reliquum pauperibus distribuat & egentibus, facile hinc discedens volabit ad cælestem patriam: si verò nimium diuitiis ipsis implicetur, eas nimirum amando, iacturam faciet vitæ suæ.

Quemadmodum luna eclipsim non patitur nisi cum circa plenilunium versatur: ita quisque tanto magis obscuratur plerumque virtutibus, quo plus diuitiis plenus est, atque circumfluit.

Sicut sæpe arborum rami, quod nimio fructu abundent, & onerentur, frangũtur tandem, & fructus perit, qui nondum ad maturitatem peruenerat: ita plerique tum diuitias, tum corpus, & non raro animam ipsam perdunt, nescientes iis vti magna prudentia ac consilio.

Sicut vinea nisi putetur & circuncidatur, sua illa nimia germinatione eneruatur tandem, atque perit: ad eũdem modum nisi quis solicitudines varias, anxias, & nimias circuncidat, & præsertim diuitiarum, fiet tandem vt pereat, atque in miserabilẽ ruat interitum. Vt etiam in ipsa inculta terra noxiæ herbæ maximè pullulant, atque adeo, vt salutares, & præclaras suffocent, & opprimant: ita qui animum virtutibus non excoluerit, adeo negotiorum & curarum inutilium fluctibus circumfluit, vt etiam bona opera sua extinguantur sæpe, & opprimantur.

Sicut qui aspide icti sunt, vt Naturales Philosophi scribunt, somno quodam consopiuntur prædulci, & dormiunt iucunde, donec venenum ipsum tandem vires suas exerat, postmodum enim mors ipsa tacita obrepit: ita diues homo vsuris deditus, cum proponitur fraudulentum & iniquum aliquod lucrum videtur delectationem quandam persentire, & quasi edormiscere, succedente autem tempore, quo ex somno isto excitabitur, mors eum intercipiet, primum quidem temporanea, quam statim subsequetur æterna.

Philosophi aliqui circa diuitias nonnulla etiam scripsere. Siquidem Isocrates scripsit, Ama bonorum tuorum non ingentem cumulum, sed mediocrem fructum. Idem etiam scripsit, beatos iudica nõ opulentissimos, sed nullius sceleris sibi conscios. Polixenus, diuitiis fretus, iniusta ne nitatis facere. Democritus, diuitias iniustas ne congregato, aut retineto. Phocilides, diuitias & opulentiã non in iniustos, sed iustos expendito vsus. Aristippus, ea parato bona, quæ simul cum naufragio enatent. Socrates, Quas habes facultates dilige, vt magnum aliquod damnum resarcire, & amicis laborantibus possis opem ferre: & ad reliquum vitæ vsum non plus æquo, sed moderate eas concupiscere.

Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. De epistola & Euangelio duas habet cõciones D. Antoni. initio primæ Par. Theologo.

Vide etiam eundem primæ par. histo. titu. 5. c. 2.

D. Thomas 4. edidit sermones de hac Dominica, tres super epistolam, & quartum de Euangelio, prope finem to.16.

Quemadmodum in ipsa insitione arbor ipsa fructifera inutilem arborem in se conuertit quodammodo, atque in suam proprietatem traducit: ita verbum Dei insitum in anima sterili, eam prosperã reddit, atque adeò immutat, vt longe alia folia, atque fructus virtutum proferat, & producat.

Quemadmodum pluuia agros ipsos irrigat, segetes lætificat, arboribus dat robur, & denique plantis omnibus vtilissima est: ita profecto verbum Dei, & lex ipsa Euangelica, gaudium & iucunditatem dat iustis, confirmãtque ac roborat eos, malos etiam cõuertit, & denique vtilitatẽ maximã affert omnibus.

Fructum afferunt in potentia. Philosophi aliqui de patientiæ virtute nonnulla scripta ad totius posteritatis recordationem ac memoriam reliquére. Vt Publius dixit, feras, non culpes, quod vitari non potest. Solon dixit, fer difficilia patienter, vt facilia leuius feras. Socrates, Quæcunque acciderint aduersa, tolleranter sunt sustinenda. Democritus, Quod infligitur incommodum, si potes, propulsa: sin minus, patienter tollera.

Dominica in Quinquagesima.

ASSVMPSIT *Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolimam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.* Luc.18. Mat.20. Mar.10. Circa hoc Euangelium vide Ioann. Gerson.4. par. fol.74.

Optimi Imperatoris officium est, milites suos ante congressum armis munire & instruere. Cum autem hæc ipsa vita quam degimus, tot casibus & periculis obnoxia sit, vt ea vel militia, vel tentatio literis sacris appelletur: magna Christianæ Philosophiæ pars est, salutaribus præceptis pectora nostra armare, quibus ab impendentibus vndique malis immunes esse valeamus. Inter quæ præcepta non postremum illud est, quod Philosophi passim docent, vt videlicet mala omnia quæ nos infestare possunt, multo ante cogitatione præueniamus, & aduersus ea spiritualibus armis accingamur. Hac ergo de causa Christus discipulos suos malorum omniũ quæ Ludo. Gra.

quæ illis impendebant frequenter admonere solitus erat. Hac etiam nos salutari doctrina muniti, demus operam ne quod malum improuisos nos & imparatos occupet: sed quidquid accidere potest, multo ante præcognitum, & præmeditatum habeamus. Quod contra his accidit, qui more pecudum nil nisi sola præsentia vident. Huius igitur admonitionis summa est, vt illud Ecclesiastici consilium nobis ante oculos proponamus, vt videlicet in die bonorum non immemores impendentium malorum simus.

Opportune hoc sacratissimo ieiuniorum & pœnitentiæ tempore Dominicæ passionis memoriam Ecclesia refricuit: vt hoc exemplo nos ad pœnitentiæ labores inuitaret. Sicut enim elephantis, vt est in lib. Macha. sanguis vuæ & mori ostendebatur, quo sanguineo colore inspecto ad prælium acrius incitarentur: ita plane sanguis Christi oculis nostris exhibitus, ab spiritualia cum antiquo serpente certamina acuere nos debet, ne eius iterum seruituri subiiciamur, à quo nos ipse pio cruore suo misericorditer liberauit. 1.Mach.6

Opportune sane tribus his ante initium Quadragesimæ diebus, quibus multi hominum ventri, gulæ, crapulæ, omnique intemperantiæ laxari solent; dominicæ passionis acerbitas ante oculos ponitur: vt hoc exemplo sese contineant, nec se totos commessationibus, ebrietatibus, stultæque lætitiæ dedant. Meminisse enim debemus aliter sub lege, aliter sub gratia dies festos celebrandos esse. Iudæis enim tanquam in carnali lege viuentibus, dicebatur: Epulaberis in omnibus bonis, quæ dederit tibi dominus deus tuus, tu & leuites, & aduena qui tecum est. Modo vero cum nox præcesserit, dies autem apptopinquauerit, nobis dicitur: non in commessationibus, & ebrietatibus &c. Deut.26. Rom.13.

Didacus Stella super Lucam. Ester 6. *Tradetur enim gentibus.* Si Assuerus vsque adeo se Mardochæo gratum præbuit pro vitæ parua mora: quanto gratiori animo debent erga Deum Christiani esse, à quo non vitam mortalem, sed æternam sanguine eius emptam acceperunt? liberatus est Assuerus à morte corporis: at nos ab animæ interitu liberi sumus. Non effudit Mardochæus sanguinem pro rege suo; at Christus pro populo suo sanguinem suum exhausit. ô quanta diligentia deberemus in annalibus animæ nostræ imprimere tantum Dei beneficium! Vt enim ignis flatu accenditur crebro: ita amor diuinus assidua meditatione in mentibus nostris accenditur. Et quemadmodum sol speculum obiectum radiis suis illustrans, ex radiorum reflexione ignem excitat: sic radiis indicij nostri in speculum passionis Dominicæ intentis, ignis amoris diuini ingens in cordibus nostris oritur. Ideo Christus Iesus passim repetit passionis suæ memoriam discipulis suis. Sic etiam Paulus hortatur ad perpetuam memoriã passionis Christi, cum ad Hebræos ait: Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem.

Eductur deus Israelem de Ægypto, misit angelum qui domesticatim omnes primogenitos extingueret Ægyptiorum. Et ne forte simul Iudæi necarentur, præcepit illi ne intraret in domus, quarum postes agni sanguine essent peruncti. Non aliter plane Seruator noster nobiscum aget: qui omnes, nisi memoria sanguinis sui fuerint muniti, æterna morte damnabit. Habetur etiam in Ezechiele, quod præcepit dominus interfici omnes, qui signũ Tau in frontibus impressum non haberent. Cæterum si ad mortem damnati eo vsque de sua celantur morte, donec iam iam ad supplicium sunt educendi, ne tandiu agonis memoria excrucientur: quid sensisse puta- Exo.12.

mus illum, qui ob diuinitatem suam à tempore conceptionis vniuersam semper ante oculos gestauit passionis figuram? Ea certe de causa Abrahamus filium Isaac postmodum sacrificandum celauit quæ esset victima futura: constructo enim igne, dicentéque filio, vbi est victima? respondit, dominus prouidebit. Quare tota Christi vita, quædam passio fuit, &c. Didacus Stella super Luc. Gene.22.

Considerans Apostolus quam ex animo Christus dixisset quòd ascendebat in Hierusalem, vbi traderetur, conspueretur &c. Curauit etiã ipse eum imitari, vt constat Acto.21. vbi scribitur quòd apprehendens Agabus zonam Apostoli, & ea sibi pedes, & manus adstringens, dixit: Eum cuius est hæc Zona, ita Iudæi constringent, & tradent eum gentibus. Quod cum Apostolus audiret, sciens Christum magistrum suum dixisse: Ecce ascendimus Hierosolymam, & quod propter nos ascendisset eo vt crucifigeretur, lætatus est se constringi debere, tradi, & interfici pro magistro suo. Et quamuis discipuli curarent impedire eam profectionem in Hierusalem, ipse tamen respondit quod non solum lætabatur, & paratus erat tradi, & affligi, verum & denique mori pro Christo. Origenes tracta.11. super Matth.

Nos quoque ascendemus Hierosolymam, si nos prius humiliauerimus. Nam vt aues cum volare intendunt, primum omnium sese demittunt, & incuruant ad terram vsque; quod experientia etiam magistra discimus tum in hominibus, tum in brutis: ita & nos vt ascendamus ad superiora & perfectiora quæque, atque adeo ad cælestem patriam, prius per humilitatem nos demittere debemus. Vide Isaac super hunc locum.

Ecce ascendimus Hierosolymam. Ad alta non facilis patet ascensus: in quo intelligimus quod ad perfectionis ipsius culmen non sine laboribus ascendere possumus, per quos etiam sancti cælum ipsum conscenderent. Non debes ergo tibi persuadere, quod per voluptates & blanditias, illuc debeas conscendere. Cypria. de disciplina & habitu virginũ epis.13.

Pauci sunt qui ascendũt ad virtutum ipsarum fastigium, pauciores qui perseuerant. Vbi enim difficultas modica occurrerit, statim prope desperant. Certe si emetiũtur difficultatem ipsam viribus suis, impossibilis vt ita dicam res ea apparebit: verum si in Deo spem suam omnem collocent, difficultatem omnem & asperitatem superaburit. Richardus de sancto Victore de contẽplationis gratia par.1. ca.76.

Quæ sublimia & alta loca sunt, periculis variis exposita facile sunt. Cur igitur sublimia ambis munera, & excelsa, cum tam innumerabilibus exposita sint periculis, & rationem de tuis subditis reddere debeas? De quibus tantam curam gerere debes, vt horum nulli vel minimum quid aduersi accidat, quod non tu tanquam tuum indolere vehementer debeas. Paulus de Palacios super Matt.

Ecce ascendimus. Laboriosior est perditionis via, quam virtutis. Vnde etsi, vt ita dicam, certitudinem non haberemus quod vitiis ipsis æternas incurramus pœnas: satis certe esse deberet vt ea fugeremus, laborum copia quam secum adferunt. Vide enim quantos labores hi sustineant, qui malum aliquem finem sibi proposuerunt, vt vindictam, fornicationem &c. Quam multi, vt alia ommittam, tunc conscientiæ stimuli, quanta mæstitia, & tristitia, quam horrenda somnia. Dices laboriosam esse maximè virtutis viam: fateor quidem, sed aduerte tamen discrimen maximum inter ipsa media, quibus vterque vtitur, & distantiam inter fines ipsos. Chrysosto. in epis. ad Roma. ho.12. to.4.

Super illa verba, Ecce ascẽdimus Hierosolymam,

vide Glos. incognitam super Psal. 23. explicantem verba illa, Quis ascendet in montem domini, versi. 336. & super Psal. 83. in illa verba, Ascensiones in corde suo disposuit, versi. 1436.

Vide August. super hoc Euangelium de consensu Euangelista. lib. 2. cap. 65. to. 4.

Quod præsens vita sit ascensus & labor, & quod ad perueniendum in illam cælestem Hierusalem, sint transeundæ nobis difficultates, ascensusque difficiles subeundi, & alia multa quæ huic instituto poteris applicare, vide apud D. Grego. lib. 15. Morali. cap. 26. & 27.

Pertractare poteris super illud, Ecce ascendimus Hierosolymam, quod impij oculos mentis minime coniiciant in ascensum, vitamque futuram: sed tantum hæc vana præsentia contemplentur, ac quærant: vide D. Grego. lib. 16. Mora. cap. 6.

Super illud, ecce ascendimus, vide Laurem. Iusti. lib. de perfectionis gradibus, qui est vltimus eius operum cap. 15. vbi tractat quòd naturaliter homo appetat ad altiora conscendere.

Super epis. & Euange. Duas edidit conciones D. Anto. initio pri. par. Theolo.

S. Thomas confecit duas etiam conciones, alteram de epistol. alteram de Euangelio: reperiuntur autem in fine to. 16.

Autor. Super illa verba: Tradetur enim gentibus &c. tractare poteris quam deuincti simus Christo gratias agere pro tot tantisque in nos collatis beneficiis, tanto suæ vitæ, honorisque dispendio. Ad quod lege sequentia.

Attende quam gratum sese Iacob post tot beneficia accepta præbebat, dicens: Domine memor sum omnium. Gene. 32.

Audiens Dauid multa beneficia sibi promissa, gratias humiliter egit 2. Reg. 17.

Gratum sese deo pro beneficiis ab ipso acceptis Daniel ostendebat, Danie. 2.

Gratum quoque sese declarauit Apostol. 1. ad Cor. 1. & ad Ephe. 5. & 1. ad Thessa. 5.

Vult deus nos esse gratos Exod. 13. erit quasi signum in manu tua.

Gratos sese esse post transitum maris rubri Hebræi ostenderunt, quandoquidem cócinebant, Cantemus domino &c. Exo. 15.

Gratitudinem pueri illi tres in fornace seruarũt, vt constat Danie. 3.

Iudæi gratias egerunt deo de magnis periculis liberati. 2. Macha. 1.

Gratos sese ostenderunt Hebræi post partam illam victoriam quæ habetur Nume. 31. & eam quæ legitur Iudicum 4. & eam quæ scribitur 1. Macha. 4. & denique illam quæ recensetur 2. Macha. 10.

Multa sunt genera ingratitudinis, vt ait Seneca. Ingratus enim est qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus etiam est qui dissimulat: item qui non reddit: ingratus qui oblitus est, qui nunquam fieri gratus potest, Vide Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 1.

Non expedit, ait Seneca, notum omnibus fieri quam multi ingrati sint. Pudorem enim rei tollit multitudo peccantium, & desinit esse loco opprobrij cómune maledictum, lib. 3. de beneficis cap. 16.

Quænam grauior & maior infligi pœna potest ingrato, quam quod ipse cognoscat, & cæteri, se prorsus indignum esse recipiendis beneficiis? Seneca lib. 3. de benefi. cap. 17.

Philosophi complures de gratitudine nonnulla documenta dedere. Siquidem Socrates promulgauit egregiam sententiam: Indignum puta & turpe ab amicis beneficiis superari. Epicurus etsi vitiosus, dixit: benefacta tuis benefactis compensa. Menander, beneficium accipiens, illud semper animo conserua. Epictetus, beneficiis ne supereris vnquam. Plato, non minus turpe ducas superari beneficiis amicorum, quam vinci maleficiis inimicorum. Solon, ne detrectes etiam in re exigua hominibus gratificari, videberis enim in rebus magnis idem acturus. Bias, quicquid boni feceris, id Deo acceptum referas. Democritus, si facultas adest aliis gratificandi, ne differto: nosti enim quam mutabilis sit rerum omnium status. Plautus, benefacta, benefactis aliis pertegito. Anaxilaus, in conferendis beneficiis ne vincaris vnquam, & gratus saltem sis. Pithacus, Depositum beneficium redde. Horatius, Tu quamcũque deus tibi fortunauerit horam, grata sume manu.

Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Quia magistrum suum impense diligebant, mortémque eius molestissime ferebant: ideo quod nullo modo esse volebant, nullo modo intelligebant. Amor enim, & odium, & quicunque alius impotens affectus, rationis iudicium vehementer excæcat, ne verum dispicere valeat. Hanc esse reor causam fratres, cur homines tam facile aliorum fragilitatem & mortalitatem intelligant, suam non intelligant; & tamen magnifice de generis humani fragilitate philosophétur. Tacite enim quædam persuasio intus latens, bono eos animo esse iubet: qua diuturnam ætatem, nulla tamen satis firma ratione dictante, sed naturali vitæ amore suadente, sibi pollicentur. Hinc D. Hieron. in Epita. Nepot. Quotidie inquit morimur, quotidie commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. Hinc videas frequenter sexagenarios homines, & amplas domos à fundamentis erigere, & pecuniis congregandis auidissime inhiare. Quid autem dementius, quam quo minus supersit vitæ, hoc plus viatici congerere? Cæterum longe aliter sanctus quidam vir affectus erat, qui vt Guido Bituricen. refert, cum iam senex ab amico in crastinum vocaretur ad conuiuium: cur me inquit vocas in crastinum, qui à multis iam annis crastinum non habui, sed mortis aduentum in singulos dies expectaui?

Ludou. Gra.

Didacus Stella su per Luc.

Quæro à vobis ô discipuli, sciatis ne quid nomen filij hominis significet? scimus plane. Scitis rursum quid sit flagellari, illudi, & conspui? Et hoc quoque nouimus. Iungite ergo vtrumque, hoc est filius hominis flagellabitur, &c. hoc plane inquiunt quid sibi velit ignoramus. Apparet itaque hoc in loco, discipulos priusquam plenitudinem spiritus percepissent, puerorum prima literarum elementa discentium similes extitisse. Aquorum aliquo si roges quonam modo hoc elementum A. appelletur: respondebit A. At hoc B. rursum respondebit B. Iunge igitur vtrumque: frequenter hæret, & nescit quid vtrumque simul efficiat. Quomodo enim conuenire crederent, quod filius hominis, quem Dei filium confitebantur, tot ludibriis, & iniuriis afficiendus esset? Ad latrones enim pertinet flagellari, ad blasphemos conspui, ad stultos illudi, & ad parricidas crucifigi. Hoc plane non intelligebant.

Matt. 2.

Cum discipuli Christum tenerrime amarẽt, nullo modo sibi persuadebãt ea quæ euenire nolebant. Herodes cum audisset Christum natum esse, ex prophetarum, & Magorum sententia, & esse regnaturum, non credidit. Saul sciebat quod Dauid esset regnaturus in Israel, & sciebat esse electum à domino, cuius voluntas immobilis est: nihilominus suadere sibi non poterat quod esset regnaturus, eo quod nolebat vt regnaret. Hac de causa etiam nolebat

1. Reg. 20. & 24.

3. Reg. 22.

lebat Achab credere Michææ Prophetæ veraci, quia
Ioan. 9. non iuxta regis beneplacitum prophetabat. Et Ioannes dicit de cæco nato, quod non crediderunt ei Iudæi: qui certe credidissent, si quid contra Christum loqueretur.

Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Iesus Nazarenus transiret: & clamauit, dicens, Iesu fili Dauid, miserere mei. De cæco iuxta viam illuminato, vide Hugo. de S. Victo. lib. 4. Allego. in Euange. secundum Lucam, tomo 1.

Matt. 20. Apud Mat. duo cæci inducuntur, hic vnus: ibi egrediente Iericho, hic appropinquante. Sed nulla distantia: nam cum in hoc vno typus populi gentilis sit, qui sacramento dominico recepit amissi luminis claritatem; nihil interest vtrum in vno medicinam, an in duobus accipiat. Vide Ambro. super Luc. lib. 8. cap. 77.

De hoc cæco vide etiam August. lib. 2. Quæstio. Euange. cap. 48. to. 4.

Quod cæcus hic designet peccatorem, & de modis quibus eum dæmon occæcare procurat, consule D. Gregorium. 7. Mora. cap. 16.

Quanta sit cæcitas quam peccatum efficit, vide eundem lib. 11. Mora. cap. 23.

De isto cæco consule præterea D. Anto. 1. par. histo. titu. 5. cap. 1. §. 17.

Super vltimam huius Euangelij partem, vbi de cæco sit sermo, vide Orige. hom. 13. super Matt. to. 3.

Ludou. Gra. *Et qui præibant increpabant eum vt taceret.* Mundus si ab eo deficias, si mores eius non sectaris, si eius leges & præscripta contemnas: inclamat protinus, accusat, persequitur. Quid igitur nos hoc tempore facere par est? nimirum cæci huius constantiam imitari, qui vocibus populi interpellatur, & tamen ideo à clamandi & orandi officio non desistit. Cur enim mundi vocibus fidem adhibere, aut ab instituto pietatis cursu reuocari debeamus? an non eius
Ioann. 18. teterrima illa vox fuit, Non hunc, sed Barrabam. Has ergo voces omnes, velut Syrenum cantus, surda aure transire debemus. An non videtis generosum canem, cum in via pergentem catelli hinc atque inde oblatrantes, & morsu minantes, insequuntur: quomodo is contrà nec obluctatur, nec oblatrat, nec aspicere eos quidem dignatur? Quam ergo magnanimitatem irrationale animal præstat, hanc & ratio, & fides, & diuinæ autoritatis testimonium, non præstabit, quod voces illas damnat? Officium mundi est eos insectari, qui non probant quod ipse facit: quemadmodum vinolenti homines facere solent, qui iniuriæ loco ducunt, si in compotationibus suis à vino abstinere velis.

Cur quæso clementissime domine tandiu illum clamare permisisti? an te latet nil esse tam carum quam quod precibus emitur? non defuerunt enim qui dicerent: malo emere, quam rogare. Sed certe hac breui mora non solum deuotionem, fidem, atque perseuerantiam cæci dominus acuebat: sed nobis etiam prospiciebat, ne dilatione donorum quæ ab ipso petimus, spem protinus abiiceremus. Lucæ 11. Si perseuerauerit pulsans &c. Quid verò blandius aqua? quid porro durius lapide? Si ergo gutta aquæ assiduitate cadendi durissimos lapides mollit, & excauat: quid non faciet oratio, quæ velut sagitta quædam est, si assidue paterna illa Dei nostri viscera feriat? Moses quidem iussus à deo virga petram percussit: quæ cum primo ictu aquam non fudisset; secundo quidem copiosissimam vndam sitienti populo propinauit.

Num. 20.

Hæc est vna de astutiis diabolo, suffocare bonum semen in germine. Vnde per serpentem religionem inchoantem in paradiso suffocauit. Et per Pharaonem populum Israeliticum destruere voluit, submersione paruulorum. Et per Herodem Christum paruulum occidere voluit, qui vt illum occideret, paruulos Innocentes occidit. Sic & nunc per hanc turbam vult bonum incæptum suffocare in hoc homine cæco. Sed antiquum est in orbe hoc vitium. Audiens enim Dauid Goliath blasphemasse, ibat vt honorem dei propugnaret: quod videns Eliab frater eius, arguebat eum. Eodem modo Michol Dauidem deludebat, ante arcam Domini saltantem. Tum 1. Esdræ scribitur, quod populus terræ impediebat populum Iudæ in ædificando: quia moris est populi terreni iustorum omnes conatus impedire. Discamus ex hoc loco non impedire eos qui virtutem sectantur: sed potius eosdem iuuare. Latro ille in cruce, statim incæpit admonere socium suum. Sic Philippus postquam Christum inuenit, Nathanaelem adduxit. Idẽ fecit etiã D. Andræas cum D. Petro.

Gene. 3. Exo. 1. Matt. 2. 1. Reg. 17. 2. Reg. 6. 1. Esdr. 4. Lucæ. 23. Ioann. 1.

Sæpe dum conuerti ad dominum post perpetrata vitia volumus, dum contra hæc eadem vitia quæ perpetrauimus conamur: occurrunt cordi phantasmata peccatorum quæ fecimus, & mentis nostræ aciem turbant, confundunt animum, & vocem nostræ deprecationis premunt. Qui præibant ergo increpabant eum vt taceret: quia priusquam Iesus ad cor veniat, mala quæ fecimus cogitationi nostræ suis imaginibus illisa, nos ipsos perturbant. Sed quid adhuc illuminandus iste cæcus fecit, audiamus. Sequitur quidem, ipse vero magis clamabat, fili Dauid miserere mei.

Lucæ 18.

Turba ipsa, nempe peruersi Christiani curant quantum in se est impedire, & obsistere iis qui ad Deum sese conuertere cupiunt: ne perseuerantia sua curentur. Qui non debent sane propterea conquiescere, vel cessare à virtute, nec debent cadere animo, & imitari negligentes atque secordes. Vide August. de verbis domini in Euange. secundum Matt. sermo. 18. to. 10.

Multos labores sustinere debes, si vis ad patriam cælestem peruenire, non enim deerit qui te persequatur, & tibi impedimento sit. Inimici tui, amici etiam, cognati, filij, passiones tuæ, dæmon denique, tam variis modis, tum interioribus, tum exterioribus, te lacessent, vt id planè mireris. Incipe ergo iam frænare & comprimere appetitus tuos, & videbis quænam exoriantur cõtradictiones: quamque potentes sint inimici tui: videbis tibi quidem esse pugnandum & certandum viriliter. Qui enim ita se non gerit, haud sane intelligit quam atrocissimum sit hoc bellum: quamque opus sit nobis auxilio cælesti, vt euincamus. Vide Chrysosto. in non abso. ho. 35. super Matth. to. 2.

Dicunt cæco vt taceat, atque reprehendunt eum quod clamet, existimantes ipsum perperam facere: Sic falluntur impij dum reprehensiones bonis præcipitanter iniiciunt. Lege D. Gregor. lib. 5. Mora. cap. 10.

Autor. Circa illud, & qui præibant &c. tractare fas est, virtutem contradictioni multorum & pugnæ expositam esse. Ad quod accipies hæc paucula.

Virtus habet contradictionem, Amos 7. C. Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda.

Virtus habet difficultatem 1. Reg. 14. A. Eminentes petræ.

Magnam continet contradictionem virtus Apo. 12. A. B. & draco stetit.

Virtus repugnantiam sustinet Roma. 7. D. video aliam legem.

Virtuti contradicitur à multis 2. Timo. 4. C.

Alexander ærarius.

Non deest qui virtuti contradicat Matt.26. A. Vt quid perditio hæc.

Ipse vero multo magis clamabat: fili Dauid miserere mei. Ecce quem turba increpat vt taceat, magis ac magis clamat: quia quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi insistere ardentius debemus. Contradicit turba ne clamemus, quia peccatorum nostrorum phantasmata plerunque & in oratione patimur. Sed nimirum necesse est vt vox cordis nostri quo durius repellitur, eo valentius insistat: quatenus cogitationis illicitæ tumultum superet, atque ad pias aures domini nimietatate suæ importunitatis erumpat. Grego. homil. 2. super Euangelia.

Oportebat vt tantum clamaret cæcus iste, vt resisteret clamoribus & obstaculis turbæ: & vt animo perseueranti ac constanti clamaret ad Christum, quousque audiretur. Ita & nos perseuerare debemus clamantes, & inuocantes Deum, quousque inaudiamur, & exuperemus vitia nostra, ac prauos mores, qui tanquam turba quædam intendunt nobis intercludere aditum omnem ad salutē nostram. Sola ergo perseuerantia hæc superare debemus. Vide D. Augustl.lib.1. Quæst. Euange. cap.24. to.4.

Fili Dauid miserere mei. Audi me creator mi: tua creatura sum, & perij: factura tua, & deformatus sum. Tuæ istæ manus cruci affixæ fecerunt me.
Psal.137. Quamobrem opera manuum tuarum ne despicias. Contemplare manus tuæ vulnera, in quibus me descriptum habes: lege scripturam istam, & succurrito mihi quæso. Indigentia sane qua laboro, efficit vt tam importunis vtar clamoribus. Infirmus sum, & clamo ad medicum. Cæcus sum, & voco eum qui me illuminet. Miserere ergo mei, fons misericordiæ: Lux transiens, expecta quæso cæcum istum, & duc eum. Vita mea, restitue, ac resuscita me mortuum. Cibus sum vermium, & despectus omnino, miserere mei. Satis est enim me hominem esse, quo miseriis & calamitatibus abundem. Miserere ergo mei fili Dauid. Augustl.lib.Soliloquiorum cap. 2. to.9.

Constans & fortis animus, quo magis vetatur, eo altius prouehitur. Permisit quidem Christus vt cæcus iste contradictionem hanc & obsistentiam pateretur, quo nobis fieret manifestior eius animus, perseuerantia, ac feruor. Chrysost. super Matt.hom. 67. to. 2.

Ipse vero multo magis clamabat. Non ideo diffidere debemus, quod Deus nobis statim non succurrat: quin potius patienter eius auxilium expectemus. Cum plantulam aliquam seris, non illico fructum refers, sed ipsum diu expectas. Cum etiam pecuniam impendis in mercibus, non illico lucrum facis, sed expectas tempus aliquod. Quæ cum ita sint, debes patienter sustinere, qui certus es de diuino auxilio, si perseueraris. Vide Chrysost. super Mat. hom.21. super illa verba, nolite thesaurizare &c.

Talis est natura fidei: quanto enim magis vetatur, eo magis accenditur. Itaque serui Dei non solum in tentationibus non succunbunt, quin potius videntur magis incitari & inflammari. Virtus enim fidei in periculis secura est, & in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, ac longa tranquillitas? Vide Chrysost. in non abso. hom.36. to.2.

Autor. Super illud, fili Dauid miserere mei, agere poteris quod tribulationes & mala nos reducant ad Deum. Ad quod vide quæ subsequuntur.

Quantum tribulationes & labores possint, & quod ista nos ducant ad Deum, vide Esa. 19. D. & peceptiet dominus Ægyptum.

Tribulationes & angustiæ ad dominum nos ire compellunt Esa. 26. C. Domine in angustia requisierunt te.

Tribulationes nos ad Deum reducunt Hiere.2. Verterunt ad me tergum & non faciem.

Tribulationes in nos mittit Deus vt ipsum sequamur. Hiere.30.B. Castigabo te in iudicio.

Quantum valeant afflictiones & flagella diuina Hiere. 31. D. castigasti me domine & eruditus sum.

Tribulationes excitant nos Danie. 4. F. Oculos meos ad cælum leuaui.

Tribulationes immittit Deus vt se quæramus & inuocemus Aggæi 2. C. D. & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me.

Tribulationes mittuntur vt emendemur Exo.20. C. vt enim probaret vos.

Tribulationes & labores nos maxime excitant Exo.23. F. non eiiciam eos à facie tua.

Imploremus Deum in nostris afflictionibus Iudicum 10. C. D. peccauimus tibi.

Per angustias atq; labores reuertimur ad Deum. Non enim potuit Absalon obtinere à Ioab vt ad se accederet conueniendum, donec segetem illius igni succendit. 2. Regu. 14. G. succenderunt ergo serui Absalon.

Quam vtiles sint tribulationes 2. Parali. 33. C. postquam coangustatus est.

Deus mittit afflictionē, & requiem, infirmitatem, & sanitatem Tob.13. A. Tu flagellas, & saluas.

Tribulationes efficiunt vt homo se cognoscat 1. Macha. 6. B. & factum est vt audiuit rex.

Quemadmodum triticum asseruatum, nisi ventilabro agitetur; corrumpitur; vestis etiam in arca asseruata, nisi excutiatur, consumitur à tinea: ita qui laboribus & calamitatibus non concutitur, tardus ac piger plerumque redditur, & efficitur.

Quemadmodum chirurgus prouidus & prudens membrum aliquod putridum secat ad salutē ipsius infirmi: ita Deus afficit corpus nostrum calamitatibus & afflictionibus, vt conscientiæ ipsius vulnera curet, ac persanet.

Quemadmodum industria optimi nauis magistri, atque nautarum pudentium, deprehenditur maxime regendo prudenter tempestatis tempore nauem ipsam: ita virtus & præstantia lectissimi, ac probi viri, in aduersitatibus ipsis, & procellis cognoscitur.

Aliæ quidem sunt calamitates interpollatæ, quæ succedere solent per vicissitudinem, aliæ sunt continuæ: instar certe febrium ipsarum, quarum alia est tertiana, alia quotidiana & continua &c. Ad omnia autem hæc incommodorum genera Dei seruus paratus esse semper debet, & omnia æquo animo tollerare, cum his suos Deus probet.

Sicut vuæ in torcular ipsum coniiciuntur, vt expressæ, & vehementer concussæ, vinum ipsum reddant: ita Dei seruus ponitur in torculari laborum & afflictionum, vbi oppressus edat fructum optimum, & clarissimum patientiæ, aliarumque virtutum exemplum.

Sicut pyropus tanto magis magisque splendet, quanto fit nox ipsa obscurior: ita constantia & perseuerantia optimi cuiusque viri tanto plus manifestatur, quanto pluribus premitur calamitatibus, & afflictionibus.

Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se: & cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Discant hinc Reges, Principes, Prælati, & horum ministri, pauperibus negotiatibus locum dare.
Deut.4.

Olim

Olim quidem mulier quædam Adriano Imperatori dixit: vel me audi, vel Imperatoris dignitatem depone. Sed iam omnes quærunt quæ sua sunt: negotia tractant sua: omnes diligunt munera. Cæterum non minus clamat coram Deo sanguis pauperis spreti, quam sanguis iusti Abelis. Qui obturat aurē suā ad clamorē pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur.

Quid tibi vis faciam? Vult dominus vt vnusquisque defectus suos humiliter agnoscat, & proprio ore fateatur. Sic Dauid: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Sapiens etiam ait: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.

Vult hac interrogatione Christus nobis insinuare, vt qua fiducia filij ad parentes impendente aliqua tempestate confugiunt, eisque calamitatem suam familiariter aperiunt: eadem ad eius nos pluſquam paterna viscera confugiamus; illique causam nostram aperiamus, propheticum illud implentes: Reuela domino viam tuam. Et illud item Iere. Consurge in nocte in principio vigiliarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante dominum. Sic olim Ezechias rex feciſſe legitur: qui quas literas minarum & blasphemiæ plenas à Sennacherib rege Assyriorum acceperat, ascendens in templum expandit coram domino. Perinde enim ac si dominum coram videret, ita literas ante ipsum proposuit: vt hac ratione intelligamus qua fiducia sanctus ille rex ad dominum confugerit; qui quasi cum amico familiariter agens ita literas ante eum velut ab eodem legendas expandit. Sic propheta dicebat: effundo in conspectu eius orationem meam. Nec vero timendum est q ipsi domino assiduis clamoribus nostris fastidium pariamus. Si enim molestæ ei essent preces nostræ, nō eas vtiq; tanto studio à sponsa sua exigeret, cum ait: Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in
Canti. 2. auribus meis. Et Canti. 8. fac me audire vocē tuam. Et per Hiere. dicit: clama ad me, & exaudiam te.

Marc.10. Vbi cæcus turbæ vocem audiuit, proiecto vestimento vt Marcus ait, exiliens venit ad dominum. Si igitur tanta celeritate cæcus hic ad corporeum lumen accipiendum properabat: quid nos facere par est vt spirituale mentis lumen à domino consequamur? Magnus ille Antonius, vt Palladius refert, cum Didimum oculis captum inuisisset, eumque de rebus diuinis mirabiliter differentem non sine magna admiratione audiuisset; & ab eo quæsisset num orbitatem illam molestè ferret, isque tacendo magis quam loquendo animi sui mærorem indicasset: cur ait sanctus vir grauiter fers quod his oculis cares, quos formicæ habent, cum eos tamen habeas, qui tibi cum angelis communes sunt?

Lud.Gra. Marci quidem 10. legitur de isto cæco, quod proiecto vestimento suo exiliens venit ad Iesum. Mulier etiam olim illa quæ Eliseum hospitio excipere solita erat, vbi vnicum filium quem habebat, mortuum vidit: in montem Carmeli ad virum Dei iumento insidens quanta potuit celeritate contendit; puerumque se insequentem vrgebat acriter, dicens. Festina, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age quod præcipio tibi. Si tu ergo ita animæ tuæ mortem, sicut ista filij sui, deplorares, & quid esset in corpore viuo mortuam gestare animam cogitares: non dubito quin simili festinatione atque studio illius vitam & salutem quæreres. Sed quoniam hæc te mors omnino latet, tot morandi causas nectis. O te miserum! ô infelicem! si oculos habes, quibus lucra mundi videas: cur non etiam habes, vt æternæ
Marc.39. vitæ lucra, pariter & damna tua conspicias? Sanctus ille adolescens Ioseph. cum pudicitiā suam tueri nisi pallio relicto non posset: pallio maluit, quam pudicitia carere. Ad hunc ergo modum cæcus noster vt celerius ad Christum properaret, vestimentum in ipso itinere reliquit. Cuius vtriusque exemplo monemur, vt omnia quæ salutem nostram vel impedire, vel remorari aliqua ratione possunt, quam ocyssime relinquamus. Si enim propter corporis salutē, quæ paucorū dierum est, præcipua corporis membra ferro & igni crucianda tradimus: cur non vestem, cæteraque inania impedimenta relinquimus propter vitam illam quæ æternum duratura est?

Stans autem Iesus. Ecce stat, qui ante transibat: quia dum adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Iesum aliquatenus transeuntem sentimus: cum vero orationi vehementer insistimus, stat Iesus vt lucem restituat. Grego. hom.2. super Euange.

At ille dixit: Domine vt videam. Et Iesus dixit illi: respice, fides tua te saluum fecit, & confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Fratres charissimi, imitemur quem & corpore audiuimus & mente illuminatum: non falsas diuitias, non terrena dona, non fugitiuos honores, à domino; sed lucem quærtamus. Nec lucem quæ loco clauditur, quæ tempore finitur, quæ noctium interruptione variatur, quæ nobis communis cum pecoribus cernitur: sed lucem quæramus quam videre cum solis angelis possimus, quam nec initium inchoat, nec finis angustat. Grego. hom.2. super Euange.

Dixit illi, respice. Quemadmodum Protogenes sola linea quam vidit, eam cognouit esse egregij illius Appellis, alius enim non potuisset eam ita dirigere, & describere: ita plane ex solo vno Christi miraculo manifestari satis poterat eius diuinitas, cum nullus alius præter Deum ita posset operari.

Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Hoc tempore solitū est recreari & relaxari, fortasse vt promptius, feruentius, atque vt ita dicam rigurosius, ieiunium Quadragesimæ sanctæ suscipiatur. Cæterum quales esse debeant recreationes ipsæ, vide S. Thom. 22.q.168. per totam.

Videas plerosque hoc tempore ludis, lasciuiis, & dissolutionibus nimium excedere. Quare horum moderandis & corrigendis excessibus, lege D. Ambros. lib.1. Officio. cap.23.

Hoc tempore aptissime loqui poteris ac prædicare aduersus illicitos, & superfluos ludos, atque luxus. Ad quod consules D. Cyprianum parum ante medium operum ipsius, vbi inscriptio est de aleatoribus, & incipit, Magna nobis &c.

Omnes Christianorum ludi, & lusus, vbique prese ferre virtutem, pietatem, atque modestiam debent. Consule D. Hieron. non longe à medio to.1. epis. quadam de hac differente materia, missa vero ad Eustochiū, de acceptis ab ea munusculis: & duabus epistolis subsequentibus, quarum altera inscribitur, ad Marcellam de acceptis munusculis, & altera ad Paulum Concordiensem. Quæ omnes disserunt de modestis recreationibus.

De ludis inhonestis vide Vincen. Belluacen. specu. Mora. lib. 3. par. 8. dist. 4.

De variis ludis lege eundem specu. Doctri. lib.1.

Feria quarta in capite ieiunij.

Cvm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Matt. 6. Fictam virtutis speciem prohibet, non virtutem. Bonum est ieiunio pro peccatis tristes esse ad pœnitentiam, & humiliare animam nostram. Vnde psalm. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Tristitiam autem hypocritarum quæ pro laude ducitur ab ipsis, prohibet: vnde non ait simpliciter, nolite ieiunare, sed addit, sicut hypocritæ tristes,

Gloſſa Ordina. ſuper Matt.

Excludit intentionem vanæ glotiæ ab operibus pœnitentiæ dicens: Cum ieiunatis &c. Dicitur autem hypocrita ab hypo quod eſt ſub, & Chryſos quod eſt aurum, quia ſub auro, vel ſub honeſtate exterioris conuerſationis, habet abſconditum plumbum falſitatis. Iſti enim oſtendunt quandam faciei triſtitiam, vt ſimulent pœnitentiæ rigorem. Glo. Lyræ ſuper Mat.

Nolite fieri. Ideſt ipſa vultus triſtitia nolite oſtentare ieiunium. Hypocritæ quidem ſunt repræſentatores alterius perſonæ, qui non virtutibus ſtudent, ſed fauorem vulgi quærunt. Gloſ. inter. ſuper Mat.

Vita hypocritarum Ezechiæ culpa figuratur: qui poſtquam vna prece, & ſub vnius noctis ſpatio, centum octoginta quinque millia hoſtium angelo feriente proſtrauit: poſtquam occaſui proximum ad altiora cæli ſpatia ſolem reduxit: poſtquam vitam appropinquãte iam termino coarctatam in tempora longiora protelauit, Babylonici regis nuntiis bo-
4. Reg. 20 na omnia quæ poſſidebat oſtendit. Sed prophetæ voce protinus audiuit: ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt in Babylonem. Non relinquetur quicquam dicit dominus. Sic nimirum hypocritæ poſtquam magnis virtutibus fortaſſe excreuerunt: quia cauere malignorum ſpirituum inſidias negligunt, & celari in eiſdem virtutibus nolunt: bona ſua oſtendendo, hoſtium ea faciunt, & procedentes, ſubito amittũt quidquid diu-
Pſal. 77. tius ſtudentes operantur. Hinc per Pſalmiſtam dicitur: tradidit in captiuitatem virtutes eorum, & pulchritudines eorum in manus inimici. Virtus quippe & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur, quia omne bonum quod per concupiſcentiam laudis oſtenditur, occulti aduerſarij iuri mancipatur. Hoſtes namque ad rapinam prouocat, qui ſuas eorum notitiæ diuitias denudat. Quo vſque enim ab æternæ patriæ ſecuritate diſiungimur, per latronum inſidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abſcondat neceſſe eſt bona quæ portat. Grego. lib. 8. Mora. cap. 36. & 37.

Si faciei corruptio eſt propter inanem gloriam pallidum apparere quemquam: quid nam dicendum eſt de fucis atque picturis corumpentibus facies fœminarum in perditionem iuuenum laſciuorum? Nam hi quidem qui oſtentant pallorem ieiunij, ſemetipſos tantummodo, hæ vero & ſeipſas, & eos à quibus videntur, interimunt: propter quod vtramque peſtem multo cum ſtudio oportet effugere. Chryſoſt. ſuper Mat. hom. 21.

Vana carnis natura quemadmodum primum difficilis eſt ad bene faciendum, ita & ſi benefecerit facilis eſt ad iactantiam boni operis. Propterea & in hac parte nos inſtruit, dicens, cum ieiunatis &c. & Attendite ne iuſtitiam veſtrã faciatis &c. vt bonum veſtrum non ad miniſterium vanitatis proficiat, ſed ad vſum ſalutis. Concupiſcentia vanæ gloriæ non ſolum ſeruos diaboli, ſed etiam ſeruos Dei, & viros fideles impugnat: magis autem ſeruos Dei, quam ſeruos diaboli. Vbi enim res agitur glorioſa, ibi facilius locum inuenit gloriationis occaſio. D. Chryſoſt. in non abſo. hom. 13.

Propter futuram ſpem ſoli domino ieiunemus, à quo expectamus humilitatis huius deuotæ mercedem. Nam qui ita ieiunant vt magis hominibus quam deo placeant, habent quidem laborem de corporis afflictione, ſed per inanem gloriam mercedem laboris apud Deum habere non poſſunt. Chryſoſt. ex variis in Mat. locis hom. 10. to. 2.

Ideo dixit hypocritas, quoniam ſimulatione alienam perſonam induant. Sicut in ſcena qui Tragœdias agunt, pro eorum dictis quorum perſonas gerunt, motus ſuos excitant, vt aut iraſcantur, aut mœreant, aut cantent. Affectant enim iſti, vt ieiunare videantur hominibus, magis quam Deo. Ambro. lib. de Elia & ieiunio cap. 10.

Manifeſtum eſt his præceptis omnem noſtram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quærentes mercedem, huic ſeculo conformemur, & amittamus profeſſionem tanto ſolidioris atque firmioris, quanto interioris beatitudinis: qua nos elegit Deus conformes fieri imagini filij ſui. In hoc autem capitulo maxime aduertendum eſt non in ſolo rerum corporearum nitore atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactantiam, & eo periculoſiorem, quo ſub nomine ſeruitutis Dei decipit, &c. Auguſt. de ſermo. Domini in monte lib. 2. tom. 4.

Si corpus tuum ieiunia longa conſumpſerint, atque illi ſubtraxeris cibum, cum tamen non detrahas vitia, in malis perſeuerans: magis fœtes, quam placeas Deo. Tunc erunt Deo accepta ieiunia, ſi operibus ſanctis fuerit expiata conſcientia. Cur enim corpus fame diſcrucias, cui turpiter peccando blandiris? Principaliter ergo animus ieiunet à malis, & ſic corpus ſubeat exercendo ieiunia. Nam cum ſit ieiunium animæ humiliatio, quale eſt humiliari cibo, & augeri peccato? Qui igitur corpori ſuo ieiunia deuotus indicit, principaliter renuntiet vitiis, cupiditatum fomites comprimat: frangat impetus mentis, libidines vincat, faces auaritiæ ardentes extinguat, latiuſque vim dilectionis extendat, atque in alimentis pauperum abrupti apparatus ſtipendia largiatur; omnia corporis nefanda peccata animi virtute calcentur, vt & anima ſanctitate corporis adiuuetur, &c. Auguſt. ſermo. 172. de tempore to. 10.

Eſt fratres quoddam ieiunium commendabile, & quoddam damnabile. Damnabile quod vident homines, & fit propter homines: commendabile quod ſolum propter Deum fit. Aliqui item ieiunant vt infirmi, aliqui vt faſtiditi, aliqui vt auari, aliqui vt hypocritæ. Ægrotus ieiunat vt valeat, faſtiditus vt appetat, auarus vt parcat, hypocrita vt appareat. Ieiunium ægroti eſt ſanitatis, ieiunium faſtiditi guloſitatis, ieiunium auari parcitatis, ieiunium hypocritæ ſimultatis. Ieiunare debemus propter Deũ; & debemus certe frangere nucem, vt nucleum accipiamus. Proiiciamus folia, vt inueniamus fructum. Purgemus puteum, vt hauriamus aquas de fontibus Seruatoris. Lauemus facies lachrymis cum ieiunamus, & caput vngamus, nempe Chriſtum, qui caput eſt cunctorum. Vngemus autem oleo miſericor-
Ephe. 5 diæ eleemoſynas dando, & verba contritionis clamando: peccauimus domine, ſed miſerere; & ſic vncti erimus à Chriſto oleo lætitiæ. Sic vnctum Petrum, & Mariam proſpicimus. Auguſt. ad fratres in Eremo ſermo. 41. tom. 10.

Non omnimodam nobis triſtitiam interdicit, ſed eam quæ in facie eſt coram hominibus: alioqui Eccle. 7. enim, cor ſapientis, vbi triſtitia. Et Paulum quoque
2. Cor. 9. diſcipulos contriſtaſſe non piget, pro eo quod contriſtati ſunt ad ſalutem. Non eſt enim talis triſtitia hypocritarum, quæ non in corde, ſed in facie eſt. Nota autem quod non dixit, nolite eſſe ſicut hypocritæ triſtes, ſed nolite fieri, hoc eſt fingi. Bernardus ſermo. 1. in capite ieiunij.

Noli obſcurare faciẽ tuam more hypocritarum. Obſcuratur quidem facies cum internus affectus externa ſpecie velut incruſtamento quodam inducto tegitur, & mendacio ceu velo obtento celatur. Siquidem hypocrita dicitur hiſtrio, qui in Theatro perſonam ſuſtinet alienam; ſæpe profecto heri, cum

cum ſit ſeruus; aut Regis, cum ſit priuatus. Itidem in hac vita plerique vitam ſuam velut in proſcenio ad oſtentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in ſpecie hominum oculis præ ſe ferentes. Baſilius hom. de ieiunij laudibus.

De ieiunio non remouet dominus triſtitiam omnimodam, ſed triſtitiam hypocritarum: quæ non ſolum meritum non habet, ſed ſupplicium prometetur. Notandum autem quod ieiunium aliud ſpirituale eſt, aliud vero corporale. Spirituale eſt quod abſtinet à peccato: de quo Eſa. 58. Nõne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? diſſolue colligationes impietatis &c. Ieiunium corporale eſt abſtinere à cibo corporis certo tempore, quod multa bona efficit, cum recte fit. Primo pauperem reficit: tum enim eſt rectum ieiunium, quando quod ventri ſubtrahitur pauperi datur. Vnde Eſa. 58. poſtquam monuit ad ieiunium, ſubiungit: frange eſurienti panem tuum. Item intellectum exacuit, Danie. 1. tollebat cibaria, & vinum potus eorum dabatque eis legumina; pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omniſciẽtia. Danieli autem intelligentiam omnium viſionum. Item gratiam docendi impetrat. Vnde Exo. 34. legitur quod Moyſes ieiunauit quadraginta diebus, & tunc ſuſcepit legem, qua doceret populum. Præterea reuelationes ſecretorum meretur: vnde Dani. 9. poſt ieiunium audiuit ab angelo, tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Item ad viſionem Dei perducit: vnde 3. Reg. 19. legitur de Elia quod ieiunauit quadraginta diebus &c. & venit ad montem Dei, vbi vidit Deum. Item autoritatem & gratiam apud homines confert. Vnde Matth. 3. legitur de Ioanne Baptiſta, quod omnes exibant ad eum propter vitæ auſteritatem; & ieiunium durum. Porro pœnam euitat, vnde Ionæ 3. ieiunio miſertus eſt dominus Niniuitis. Carnis laſciuiam domat, vnde Hiere. 10. oratione ſanantur peſtes mentis, ieiunio peſtes corporis. Marci 9. genus hoc in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio. Hominem cum Deo ſeruat, Eſa. 30. dabit tibi dominus panem arctum, & aquã breuem, & non faciet auolare à te doctorem tuum. Sanitatem corporis conſeruat, Eccleſi. 31. vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, ſomnus ſanitatis in homine parco. Tentationem dæmonis eliminat, vnde Iudith 13. poſt ieiunium amputauit caput Holofernis, ideſt ſuggeſtionem dæmonis. Liberationem à morte pro aliis impetrat, vnde Eſther 7. poſt ieiunium impetrauit apud regem liberationem Iudæorum, de quibus data erat ſententia mortis. Gratiam præterea, vel augmentum gratiæ, impetrat. Vnde Acto. 2. poſt ieiunium 40. dierum datus eſt ſpiritusſanctus Apoſtolis. Exemplo informat, & ideo ieiunauit dominus in deſerto, Matt. 4. Hugo Cardina. ſuper Matt.

Cum ieiunatis &c. Hypocriſis ſubtile malum, ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis. Aduerſa omnia nituntur vitibus ſuis, armis ſuis pugnant, impugnant palam: vnde & cauentur tam facile quam videntur. Hypocriſis ſecura ſimulat, fallit proſpera, curioſa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit: oratione orationem euacuat: miſericordiam miſeratione proſternit. Hypocriſis cognata febris frigido poculo propinat ardorẽ. Quod corporibus eſt hydropis, hypocriſis animabus hoc eſt. Hydropis bibendo ſitit, hypocriſis inebriata ſitit. Petrus Chryſologus ſermo. 7.

Quid poteſt efficacius eſſe ieiunio, cuius obſeruantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo vitia blanda ſuperamus? Semper virtutis cibus ieiunium fuit; de abſtinentia prodeunt cæleſtes cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innouatur. Leo papa de ieiunio decimi menſis ſermo. 2.

Hortamur vos vt vnuſquiſque ſecundum menſuram poſſibilitatis quam accepit à Deo, in bonis operibus eniteſcat: quia & inimici noſtri qui noſtra ſanctificatione torquentur, in his diebus quos ad maiorem obſeruantiam nobis diſpoſitos eſſe nouerunt, vehementius ſæuiunt, & ſubtiliore inſidiantur aſtutia: vt aliis immittendo metum inopiæ de largitatis expenſis, aliis immittendo triſtitiam de labore ieiunij, complurimos à conſortio huius deuotionis abducant. Contra quas tentationes dilectiſſimi vigilet in nobis pij cordis intentio, & à Chriſtianis mentibus cogitationes diffidentiæ repellantur. D. Leo papa vbi ſupra ſermo. 3.

In omni tempore, omnique vita huius ſeculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores. Ieiunia contra concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: ſi tamen in ſocietatem ſibi beneuolentiam charitatis adſumant. Noſtra ergo ieiunia dilectiſſimi abundent fructibus largitatis, & in pauperes Chriſti benigna ſint, & fœcunda muneribus. Leo papa vbi ſupra ſermo. 4.

Cauete inquit Chriſtus Lucæ 21. ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Quotidiano enim dilectiſſimi experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita vt delectatio edendi etiam corporum contraria ſit ſalũti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati. Cum autem vniuerſa vitia per cõtinentiam deſtruantur, & quicquid auaritia ſitit, quicquid ſuperbia ambit, quicquid luxuria concupiſcit; huius virturis ſoliditate ſuperetur: quis non intelligat quantum fructus per ieiunia cõferatur? In quibus indicitur, vt non ſolum à cibis, ſed etiam ab omnibus carnalibus deſideriis temperetur. Alioqui ſuperfluum eſt ſuſcipere eſuriem, & iniquam nõ deponere voluntatem: ablato affligi cibo, & à concepto non deſilire peccato. Leo papa vbi ſupra ſerm. 8.

In omni agone certaminis Chriſtiani, vtilitas continentiæ plurimum valet, ita vt quidam fœuiſſimorum ſpiritus dæmonum, qui ab obſeſſis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, ſola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente domino: Hoc genus dæmoniorum non eiicitur &c. Grata ergo eſt Deo, & terribilis diabolo, ieiunantis Matt. 17. oratio: nec latet quantum acquirit ſuæ ſaluti, quæ Marc. 9. tantum præſtat alienæ. Leo papa de ieiunio ſeptimi menſis ſermo. 2.

Hebræorum quondam populus & omnes Iſraeliticæ tribus cum propter peccatorum ſuorum offenſiones graui Philiſtinorum dominatione premerentur: vt ſuperare eos poſſent, ſicut ſacra manifeſtat hiſtoria, vires animi & corporis indicto ſibi reparauere ieiunio. Intellexerant enim duram & miſeram illam ſubiectionem neglectu ſe mandatorum 1. Reg. 7. Dei & morum corruptione meruiſſe: fruſtraque ſe armis certare, niſi prius vitiis repugnaſſent. Et nos itaque dilectiſſimi inter multas aduerſitates & prælia conſtituti, ſi ſimilibus remediis vti cupimus, ſimili obſeruatione vtamur. Eadẽ enim propemodum cauſa noſtra eſt, quæ illorum fuit: quoniam ſicut illi à carnalibus aduerſariis, ita & nos à ſpiritualibus maxime impugnamur inimicis. Qui ſi donata nobis per Dei gratiam morũ correctione vincantur, & corporeorum nobis hoſtium fortitudo ſuccumbet,

& emendatione nostra informabuntur. Quos graues nobis non ipsorum merita, sed nostra delicta fecerunt. Quapropter dilectissimi vt omnes hostes nostros superare valeamus, per obseruatiam cælestium mandatorum diuinum quæramus auxilium: scientes non aliter nos prævalere posse aduersariis nostris, nisi prævaluerimus & nobis. Sunt enim intra nosmetipsos multa certamina, & aliud caro aduersus spiritum, aliud aduersus carnem spiritus concupiscit. In qua dissensione si cupiditates corporis Galat. 5. fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem: & pernicioſum erit eum seruire, quem decuerat imperare. Si autem mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corRoma. 6. pore regnare peccatum non siuerit: ordinatissimum tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla spiritalium nequitiarum labefactabit illusio. Quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur. Leo Papa sermo. 1. de Quadragesi.

Factum est autem in anno quinto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda in mense nono prædicauerunt ieiunium &c. Conueniens ordo, vt indictione pœnitentiæ, prædicetur ieiunium parsimoniæ: vt qui per luxum non cauendo vitia in peccatum inciderant, per abstinentiam & afflictionem corporis peccata abluere contendant. Nam cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiamsi licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. Et qui commisit prohibita, sibimet ipsi abscindere debet etiam concessa: & reprehendat se in minimis, qui meminit se in maximis deliquisse. Rabanus lib. 13. in Hiere. ca. 36.

Hactenus de eleemosyna, nunc ieiunij materiam persequitur: quam bipartito scindit. Prius ieiunium inutile secludit, postea vtile continenter subdit. Primo enim olitor vrticas, & alias noxias herbas ab horto reiicit, & mox paulo salutares plantat, & inserit. Cæterum audiui nonnullos mendicantium exquisitis quibusdam herbis membra sua deformare, vt morbosi videantur, sic voluptuosi hypocritæ suis herbis facere solent, vt quasi personati suam fabulam ieiunij agant. Ioan. Maio. super Mat.

Quemadmodum vera ratio sabbatizandi, siue sabbathum celebrandi, non est solum vt ab opere cesſetur; alioqui otiosi sabbatizarent, sed est ab opere reuocante nos à cultu Dei cessare, cui intenti esse debemus eo die, vt Deo seruiamus, cum humilitate animi diuinam clementiam suppliciter orantes: ita & ieiunium non est solum (vt simpliciter finem assequaris) simpliciter cibo & potu aliquo vsque vltra consuetum abstinere. Sed in hoc consistit potissimum, vt corpus tuum coerceas, & sobrietate in officio retineas, & luctum quendam ac iustam corporis castigationem atque afflictionē suscipias, erigens cum omni humilitate animum tuum ad immensam Dei bonitatem & clementiam: hoc enim vsu conseruatur disciplina quædam, ac corporis moderata castigatio. Quod si semel tantum die comederis, & à vitiis non abstinueris: ieiunas quidem, hoc est cibo abstines, & præcepto de comedendo semel in die satisfacis: sed veram & germanam ieiunij rationem, non obseruas. Et verum ieiunium dicendum puto, quando totum corpus affligitur & coercetur, cum omnibus quinque sensibus: vt mens ad Deum purius erigatur, & illi seruiat. Cauendum tamen est ne quid plus fiat, quam necessitas postulauerit. Nam aduersus luxuriantis carnis voluptatem, & prouocationem ieiunium institutum est: & non in naturæ dispendium. Atque hoc non solum exercendum est cum tempus præcepti aduenit, sed etiam quouis tempore necessitate exigente. Est enim præceptum omnibus, vt modestè, castè, ac sobrie viuamus: non ad vnicam solum dieculam, aut annum vnum, sed quotidie, & semper. Claudius Guillaudus super Matt.

Hypocrita fingit se orare Deum, vt auram popularem venetur, mentem tamen impudicis cogitationibus polluit. Alius simulat se opitulari pauperibus, vt liberalis, & pietatis studiosissimus iudicetur ab hominibus. Alius deuorat domos viduarum, longa oratione precando dominū, eo quidem fine vt quæstum amplissimum faciat. Ieiunium autore Hilario Canone 5. in Mat. debet esse extra iactantiam cōfecti corporis. Itaque vult innuere, ꝙ non debeas dicere corā hominibus: ego ieiunaui hesterno die; siue inedia maceraui corpus meum. Nam te exponis periculo inanis gloriæ, & id raro fit sine huiusmodi motu, aut non est tutum id dicere. Vbi vero nullo modo velles aucupari huiusmodi verbis auram vulgi, sed potius id diceres vt peccatores tuo exemplo ad ieiunium & pœnitentiam accerseres; id certe dicere posses. Dicit enim Paulus; in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in ieiuniis &c. sed 1. Cor. 4. nisi diuina gratia te excitet ad id dicendum, vix ostentationis ventum euitabis. Quotus enim quisque est, qui non tangatur affectu inanis gloriæ? &c. Ioannes Arboreus super Matt.

Contra ieiunium quid hæretici gartiant non habent, cum ieiunium dominus, quod in deserto opere celebrauerat, nunc verbo approbet, dicens: Cum ieiunatis &c. Approbat etiā cum præmium pollicetur ieiunantibus, dicens: Et pater tuus qui est in abscōdito, reddet tibi. Quid autē conqueruntur quod Ecclesia præcipit ieiunia celebrari? Cum Moab & filij Amon insurgerent cōtra Iosaphat, vt 2. Par. 10. legitur: Iosaphat timore perterritus totum se conuertit ad rogādum dominum, & indixit ieiunium vniuerso Iuda. Præcepit etiā Saul non comedere populum, 1. Reg. 14. vsquequo se vlciſceretur de Philisteis, & nō manducauit vniuersus populus panē. Peccat autē Ionathas, & iubetur interfici: quoniā contra regis edictū parum mellis gustauerat, nec dominus illi vult respōsum præbere 1. Reg. 14. Tū psal. 34. dicitur, Ego autē cū mihi molesti essent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animā meam, &c. Soarez super Matt.

Dignitas ieiunij multipliciter commendatur, vt à loco, à tempore, ab autore. Primum porro præceptum quod Deus fecit homini, de ciborum extitit abstinentia: quod donec ipse custodiuit fideliter, Gene. 2. perstitit: vbi vero trāsgressus est, mortaliter corruit. Vnde per eius contrariū intelligi potest quā bonum sit ieiuniū. In Leui. dicitur, omnis anima quęcunque se non humiliauerit in ipso ieiunij die, exterminabitur de populo suo. Vtilitas etiā ieiunij multiplicius assignatur. Legitur enim ieiunium valuisse ad iram Dei placandam, & veniam impetrandam: ad pœnam vitandam, & nequitiam extirpandam: ad munditiam retinendam, & ignorantiam repellendam: ad victoriam consequendam, & gratiam obtinendam. Quid plura? Triplex est insuper solenne ieiunium, quod generaliter indicit Ecclesia: primum in quatuor temporum obseruantia, secundum in Quadragesimalium abstinentia, tertium in festiuitatū vigilia. Quodlibet eorum certis temporibus, certisque diebus, certis rationibus, certisq; de causis, est institutum: quæ singula diligenter inuestigare longum esset. Quadragenarius certe numerus sanctus est in scripturis: nam Deus in diluuio quadraginta diebus Gene. 7. & quadraginta noctibus aquas effudit abyssi. Nūtij porro Moysi quadraginta diebus terrā explorauerūt promissam

Exod. 16. promissam Israeli. Israel etiam quadraginta annis cælesti pane nutritus est in deserto. Ionas subuerIonæ 3. sionem Niniue quadraginta dierum spatio prophetauit. Christus quoque post resurrectionem quadraginta diebus remansit in terris &c. Innocentius in capite ieiunij sermo. 1.

Qui tristatur suorum recordatione peccatorum, vel de alieno malo, vel de dilatione patriæ cælestis, bene contristatur: hypocritæ vero vel non tristantur, sed tristitiam simulant; vel si tristantur, simulant intentionem, quia simulant se ex bona intentione contristari, cum de dilatione potius vanæ gloriæ, quam desiderant, tristentur. Rhodulph. Ardentis super Mat.

Prohibet non solum facere, sed velle: quia in voluntate radix merendi, & demerendi est. Isidorus super Amos ait: qui à cibis abstinent & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus abest. D. Thom. super Matt.

Cum ieiunatis. Non solum à cibo, sed etiam ab omnibus vitiis, à rapina, ebrietate, &c. ieiunandum est. Dicitur autem hypocrita græce, latine deauratus, qui extrinsecus prætendit sanctitatem, cum intrinsecus sit plenus iniquitate: tales erant scribæ. Haymon in die cinerum.

Tertullianus librum habet, qui inscribitur de ieiunio.

Dominus noster virtutum spiritualium retributor, sacratam nobis perfectamque dedit regulam ieiunandi, dicens. Cum ieiunatis &c. Non enim Deo ieiunat sed hominibus, quicunque ostentatione ieiunij sui gloriam requirit humanam. Non quidem vult disciplinæ cælestis magister, irreligiose agi, quod fieri pro religione præcipitur. Nec patitur inuocantium se laborem, quibus æternam parat mercedem, infructuosa iactantia deperire. Vide D. Maximinum Episcopum in homilia.

Lucæ 2. De Anna prophetissa legitur quòd non discedebat de templo, ieiuniis & orationibus seruiēs nocte & die. Certe si in ignem ouum, aut castanea, siné vlla fractione mittantur, agente in ea igne, dehiscunt, franguntur, & extra ignem saliunt; si vero ante calefactionem paululum frangantur, non item: similiter de homine ad amorem & Christi feruorem accedente, dicendum est. Si enim talis fuerit pinguis, & obeso corpore, non vero fractus ieiuniis & orationibus: cito quidem deficiet, & ab oratione diDanie 1. scedet. Abstinentes quidem erant & ieiunabant pueri illi Babylonici, nec cibos mensæ regalis comedere volebant, sed legumina tantum: & quasi castaneæ missi sunt in fornacem, ibique sine metu aliquo in medio ignis positi, & absque aliqua combustione, imo canentes laudes diuinas, erant perseuerantes, & dicentes: Benedicite omnia opera domini domino, & liberati tandem sunt.

Affligenda caro est ieiunio, & oratione maceranda, nam ne se extollat, expedit vt abstinentia caro coerceatur. Hæc enim est Æua nos ad pomum prohibitum inuitans. Hæc est Ægyptia illa Putipharis coniunx, Ioseph ad turpitudinem inuitans. Hæc est Iahel Sisarā fictę seducens, & vere occidens. Hæc est Dalila, quæ Samsonem in gremio blande excepit, & falso tradidit Philisthæis, vt cæcus ad ignominiam duceretur. Hæc est puella saltatrix, quę Ioannis caput petiuit. Hæc est ancilla ostiaria, ad cuius vocem Christum negamus. Hanc ergo prorsus debemus coercere & castigare, vt fecit Apost. dicēs: Castigo corpus meum. Quod si Christi Apostolus, & electionis vas, corpus suum castigabat: maiori quidem iure nos peccatores de nostra salute incerti, id efficere debemus. His quidē armis armata Esther populum Israeliticum à tyrannide Aman liberauit: & Iudith fortissimum ducem Holofernem trucidauit. O quam minimam famen nos volumus pro Christo pati, qui vel in vno die ieiunij deficimus, & maxime fastidimus! Quod si opus fuerit vt seruiamus appetitui nostro, vel pecunias paremus, per hebdommadæ spatium nec dormire, nec comedere vix possumus. Sumus tanquam prophetæ illi Baal, qui à summo mane vsque in medium diem, dicebant: Baal, exaudi nos, & scindebant venas suas cultris, & lanceolis, donec perfundebantur sanguine: omnia autem hæc alacri & iucundo animo pro diabolo patiebantur.

Vide quantum possit ieiunium ipsum! præsertim cum matri Samsonis vt pareret filium fortem & inuictum, dictum sit, vt seruaret abstinentiam à vino, & ab aliis ieiunaret, vt legitur Iudicum 13. Vide præterea quanta fuerit virtus Samsonis & potentia! qui abstinebat à vino, & ab aliis rebus. Nam interfecit Leonem, & innumeros Philisthæos, & confregit multas fortissimas res, & templum ipsum demolitus est, vt patet Iudicum 14. & sequentibus.

Non debes timido animo metuere ipsam abstinentiam, quam hoc sanctissimo tempore Ecclesia indicit: præsertim cum inuentus fuerit monachus quidam, qui per triginta annos nil aliud ederit quā panem ex auena, & aquam etiam turbulentam biberit. Alius etiam legitur vixisse multum in quadam cisterna, qui quotidie edebat quinque tantum infolatos ficos: vt asserit D. Hieronymus se vidisse in Eremo iuxta Syriam. Quod leges apud eundem scribentem vitam beati Pauli primi Eremitæ.

Nolite fieri sicut Hypocritæ tristes. Quemadmodum in ipsis pharmacopoliis sæpissime inuenias ampullas aliquas, siue etiam capsulas, insignibus lemmatis ornatas, in quibus habetur capsulis illis contineri pretiosissima medicamenta, cum tamen res contineantur sæpe venenosæ, aut saltem sint vacuæ: ita hypocritę exterius præ se ferunt sanctitatem maximam, ac virtutem, cum tamen interius & vacui sint virtutibus, & plenissimi omnibus omnium fraudum generibus.

Quemadmodum arundo ipsa exterius bellissima ac formosissima apparet, cum tamen interius sit vacua atque inanis: ita hypocrita cum faciem videas, videtur quidem esse quantiuis pretij, cor autem eius si contueare, totus est impurissimus.

Cum ieiunatis. Cum virtuti potissimum honor debeatur: tunc vel maxime homini dæmon insidiatur, cum aliquod virtutis opus molitur, quia tunc honorem & gloriam iure illi deberi persuadet. Quoniam ergo cælestis magister & humani cordis ingenium, & huius periculi magnitudinem perspectissimam habebat, summa nos cura in præsenti Euangelio admonet, vt hoc vitium diligentissime fugiamus, dicens. Cum ieiunatis &c.

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Vereor ne hinc Lud. Gra. perperam perditi homines putent esse maximum vitæ solatium, quamuis vitiosi sint, si modo longissime ab hypocrisi absint. Quid quæso iuuat te ab hypocrisi abesse, si cæteris vitiis & criminibus sis obnoxius? Quid absurdius, quam vt hypocrisim fugias scurram agere? præsertim cum is qui vetuit ne iustitiam nostram faceremus coram hominibus, idem etiam præceperit, dicens. Sic luceat Matt. 5. lux vestra coram hominibus &c. aliud est enim bona opera facere vt humanam gloriam aucuperis, aliud vero vt bonorum omnium autorem glorifices. Et sicut grauissime delinquunt, qui ita viuunt, vt per eos nomen domini & doctrina blasphemetur: ita maxima laude digni sunt qui sic vitam instituunt vt idem

vt idem nomen eorum causa glorificetur. Hinc my-
Ezech. 1. stica illa animalia quæ Ezechiel vidit, non carbo-
num modo ardentium, sed lampadarum etiam imaginem referebant.

Quid indignius, quam propter vilem & exiguam
Gene. 25. cænam mortiferum crimen incurrere? Quis iam miretur vili pulmento Esau primogenita vendentem, cum videat à Christo cælesti doctrina imbutos homines non maiori pretio cælestem hæreditatem distrahentes? quid faciet maioribus ad peccandum stimulis incitatus, qui tam leui occasione incurrere Dei odium non veretur? Ieiunia quidem ad hoc potissimum sunt instituta, vt petulantiam carnis, & procliuitatem ad peccandum, inedia cohiberemus. At nos miseri tantum abest vt hoc remedio proficiamus, vt potius de remediis vulnerum vulnera contrahamus, dum Ecclesiæ præcepta violando veteribus criminibus noua cumulamus. Quanto religiosius fideles olim hæc sacra Quadragesimæ ieiunia obseruabant? apud quos publico decreto cautum erat, vt qui Episcopi, vel sacerdotes, non ieiunarent: dignitate & officio pellerentur: cæteri verò fideles (quod summum eo tempore supplicium erat) à sacra communione arcerentur. fuit porro maxima olim Ecclesiæ cura ne vlla in re cum hæreticis commune aliquid fideles haberent. Quare Melchiades papa sacrilegum esse duxit dominicis diebus, & quintis feriis ieiunare, quod his diebus Gentiles & hæretici ieiunarent. Leo quoque summus Pontifex prohibuit ne dominicis diebus, atque die Natalis Domini, quis ieiunaret: quoniam Priscilliani hæretici his ipsis diebus ieiunebant, vt Christum veram carnem non suscepisse sacrilego hoc ieiunio profiterentur. Cum ergo hæretici qui sese ab Ecclesia Romana hac ætate præciderunt, vehementer & ciborum delectum, & Quadragesimæ ieiunium detestentur: nil certe Christiano homine dignius esse potest, quam fidei suæ integritatem, in hæreticos vero odium, & in Ecclesiam deuotionem, harum sanctissimarum legum obseruatione testari.

De sanctissimis cinerum ceremoniis, quibus hoc tempore vtitur Ecclesia, cinere capitibus imponendo, & frontibus, poteris sequentia tractare, si voles.

Cinis quidem primum arbor fuit viridis, nemorosa, & multis frondibus, ac fructu oculis grata, atque iucunda: quæ tamen vbi abscissa est, protinus pulcherrima illa specie ac decore marcescente, exiccatur; & in ignem coniecta in cinerem vertitur. Qua ergo alia imagine vitæ nostræ conditio magis exprimi potuit? Hanc enim & diuinus vates ex-
Psal. 102. pressit, cum ait. Recordatus est quoniam puluis sumus. Quid enim aliud modo sunt principes gẽtium? quid inclyti Cæsares Romanorum, si tumulos eorum effoderis? Quid nisi puluerem, ac cinerem de
Basil. in Exa. prehendes? D. Basi. ait: hodie vegeto aliquis est corpore, affluit deliciis, præstantem, gratumque colorem ei flos ætatis præbet: cras idem miserabili specie conspicitur, quam vel tempus, vel certe morbus immutauit. Vbi post mortem splendida illa corporis species? Vbi viuidum oculorum lumen? vbi pristina oris gratia? vbi ampla familia? Quid enim cadaueris specie vel odore tetrius, vel aspectu truculentius, vel contagio pestilentius? Arbores dum suis radicibus niuntur, & viuunt, facile ab omnibus agnoscuntur, suisque nominibus appellantur: at vbi abscissæ, & combustæ, in cinerem que redactæ sunt, omnes eandem cineris imaginem retinent. Nullius dignitas, nullius pulchritudo, atque natura conspicitur. Sic igitur quamdiu homines in hac vita florent, facile cuiusque dignitatem, nobilitatem, præstantiam & nomen agnoscas: at vbi mors eos absumpsit, & in puluerem redegit, nemo iam diiudicare possit quis diues, quis pauper, quis stultus, quis Reipub. princeps. Octauianus Augustus cum morti iam proximum, & post totius orbis principatum se in puluerem commutandum esse ac infimæ conditionis hominibus æquandum, cerneret: fabulam esse vitam hominum intelligens, astantes amicos interrogauit: Num ipsis videretur mimum vitæ sat commode transegisse. Cum etiam apud Constantinopolim Imperator aliquis creabatur, lapicidæ ad eum venientes, & varias ei marmorum crustas ostendentes; ab eo sciscitabantur, ex quo potissimum illorum marmorum genere vellet sibi incidi sepulchrum. Ita certe immoderatam efferuescentiam ex noua dignitatis accessione nascentem hac mortalitatis admonitione temperabant. Simili quoque ratione Romę cum primum summus Pontifex designatur, inter varias adulantis populi acclamationes, & voces; adsunt etiam qui leuem stupam ante illum comburentes, dicant: Pater sancte sic transit gloria huius mundi. In eadem etiam vrbe vt Hieronym. in Episto. quadam meminit, cum olim Imperator aliquis strenue bellum administrasset, triumphusque ei propter gloriam bello partam decretus esset, vbi illi frequentissimus populus vrbem ingredienti occurrisset, & omnia laudibus & acclamationibus personarent: aderat à tergo præco hanc frequenter vocem auribus eius inculcans: hominem te esse memento. Herodotus quoque autor est, Ægyptios olim hunc in solennibus epulis morem retinuisse, vt vescentibus cunctis vnus quispiam cadauer ligneum quam proxime effictum ad viuum conuiuis ostenderet, singulis dicens: in hunc intuens pota, & oblecta te: talis post mortem futurus.

Gubernator prudens à litore cum nauem soluit, & mare transiturus intrat fluctus: domus, patriæ, coniugis, pignorum, curas deponit, & ita totus mente, corpore, sensu, nauticis laboribus occupatur, vt & fluctuum possit superare discrimina, & stationem lucrosi portus periculi victor intrare. Sic nos fratres ingressi abstinentiæ, ieiuniique pelagus, & Quadragesimæ viam: nauem corporis nostri soluamus à litore mundano & seculari patriæ renuntiemus curis; in crucis arbore tota mentis vela tendamus, virtutum funibus, sapientiæ remis, gubernaculis disciplinæ, nauigij nostri muniamus incessum, & subducti terris speculemur cælum: vt ducatu signorum cælestium inter liquidos calles latentis viæ inoffensum tramitem tenere possimus, ac sic gubernante Christo, flante spiritu sancto, euictis voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus, decursis criminum procellis, transuectis scopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis euitatis, paschæ portum, lucrum vitæ, gaudia resurrectiõis intremus. Petrus Chrysologus serm. 8.

Cum ieiunatis. Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum: est ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ: est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina. Est ieiunium Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare: est denique ieiunium inuictus Christianę militiæ principatus. Chrysologus sermo. 8.

Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnam carnis legimus non vicisse: & audiuimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Proh dolor! victores gentium vitiorum fuisse captiuos, nationum dominos turpi seruisse criminibus seruitute, stetisse inter sæuientes gladios, & inter eneruata lenocinia corruisse! Regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis: aduersas acies contriuisse ieiunos, & crapulatos suarum castra dissoluisse virtutum: iacuisse effuso vino, qui iacere effuso sanguine nescierunt! vnde est hoc? vnde? quia hoc non est ratio, sed languor: non vita, sed febris: phrenesis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia deiicit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendium: toties æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desideriis, contrariis vrgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam. Tunc medici summo studio parant abstinentiæ remedio subuenire, vt sanetur: vt sanet abstinentia, quod voracitas sauciarat. Quod si pro temporali cura egri medicis obediunt, seruantque arduam parcitatem: quare pro sempiterna salute sit durum Christo moderatis obedire ieiuniis? Corpus gubernare mensura, mentem regere parcitate? Vt nubes obscurant cælum: sic obscurant animas intemperata conuiuia. Sicut ventorum turbines elementa confundunt: sic fercula congesta stomachum conturbant. Vt nauem fluctus, corpus ebrietas sic demergit. Hominem dat in profundum, lucra vitæ aufert, & mortis facit subire naufragium. Petrus Chrysologus sermo. 41.

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Augustinus libro 2. de sermone Domini in monte capitulo 19. nonnulla scribit, quæ D. Thomas 22. quæst. 187. refert, ex persona eorum qui vilem & abiectum monasticæ professionis vestitum vituperant. Sunt autem hæc. In hoc capitulo maxime aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei decipit. His Augustin. verbis apponit Hieronymi, ac Strabi testimonia: quorum ille ad Nepotianum scribens, vestes ait pullas æque vita vt candidas: ornatus, & sordes, pari modo fugienda sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Strabus vero in illud 6. Apocal. capit. Ecce equus pallidus &c. videns inquit diabolus nec per apertas hæreses se posse proficere, præmittit falsos fratres qui sub habitu religionis obtinent naturam nigri & ruffi equi, peruertendo fidem. D. Thomas ait ab his autoribus non improbari inopem cultum & demissum vestiendi institutum monachorum, & aliorum piorum hominum: qui ad humilitatis & pœnitentiæ exercitium, & ob contemptum mundanæ gloriæ, & quo cæteros exemplo suo auertant à seculi vanitate, abiecto vtuntur amictu. Sed hypochrisin, fastum, & iniquitatem eorum damnari, qui sordibus & squalore vestium delectãtur: vel vt in se oculos atque omnium ora conuertant, vel vt sub vestimentis ouium lupinam mentem operiant, in pernicię eorum quos decipere desiderant. Sixtus Senen. Biblio. sanct. lib. 6. Annota. 33.

De diuersis speciebus fucatæ humilitatis, vide D. Laurẽtium Iustinianum libro de humilitate cap. 15. prope finem operum eius.

Super illa verba, Nolite fieri sicut hypocritæ &c. consule D. Ambrosi. lib. de Elia & ieiunio cap. 10. tom. 4.

Quadragesima, eiusque ieiunia, quando & quo pacto fuerint instituta, vide 4. dist. cap. statuimus.

De obseruatione Quadragesimæ vide de Cõsec. disti. 5. cap. Quadragesima, & cap. ieiunium.

Quodnam & quale sit verum Christiani ieiunium, vide distinctio. 41. cap. deliciæ. & cap. quod dicit dominus.

Quomodo excepta causa necessitatis ab omnibus Quadragesima sit seruanda, vide de Consecra. distinctione 3. capit. non licet.

Quod non solum à carnibus, sed etiam à caseo, & ouis, sit in Quadragesima abstinendum, vide distinctio. 4. capit. denique.

De ieiunio Quadragesimæ consule concilium Prouinciale Senonense decreto 7. est autem in tomo 4. Conciliorum Generalium.

Institutum sanctæ Ecclesiæ in ieiuniis Quadragesimalibus, vide apud Conci. Toleta. 8. circa tempora Martini primi celebratum, capit. 9. reperitur autem tomo 2. Concilio. Generalium.

Quanto rigore seruari totum sanctæ Quadragesimæ ieiunium mandetur, vide conci. Laodicænum tempore Damasi papæ celebratum, editione 2. cap. 50. est autem to. 1. Conci. Generalium.

Quam sancta, quam pia, quam approbata sit occupatio, quam Christi fideles in sancta Quadragesima exercent, consule Conci. Tridenti. sess. 14. sub Iulio 3. cap. 5. in fine capitis.

De virtute & excellentia ieiunij, vide idem Conci. Trident. sessione 25. capit. 21. in continuatione sessionis, decreto de delectu ciborum, ieiuniis & diebus festis.

Hortatur sancta synodus Tridentina grauissimos concilij patres in sess. 12. decreto prorogationis sessionis, vt interim domini nostri Iesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patitur, ieiuniis, & orationibus vacent.

Nunc iam fratres charissimi Quadragesimæ sanctæ tempus inchoamus, nempe tẽpus militiæ Christianæ. Ieiunemus cum capite nostro, nempe Christo: si enim bona suscepimus ab hoc capite, mala quare non sustineamus? Num æquum est, vt sola iucunda amplectamur, & ea quæ tristia sunt, ac laboriosa, effugiamus? Qua tandem in re Christum decreuimus imitari, si eum in laboribus non sequimur? Non debet quidem graue aut laboriosum hic nobis cum Christo videri ieiunium; si cum eo accumbere cælestibus illis epulis tandem cupimus. Bernard. Ser. 1. in capite ieiunij.

Sicut hypocritæ tristes. Quibus hypocritæ similes, nisi infœcundis ac neglectis vitibus existunt? quæ si tandem quid proferunt, nequaquam id à terra subleuatur, sed quod palmites germinant, errantes
Osee 8. bestiæ conculcant. Vnde bene per prophetam dicitur: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod etsi fecerit, alieni comedent eam. Grego. lib. 8. Mora. cap. 29.

De Quadragesima & ieiunio reperies 4. conciones apud D. Ambros. in libro dicto Opus Sermonum. Sunt autem sermones 23. 24. 25. & 26. & postmodum habet alios duos ad idem institutum facientes, nempe 33. & 34. to. 3.

Quomodo ieiunandum sit, vide D. Basilium libro regularum breuiorum interro. 130. & paulo post ab interroga. 135. vsque ad 140. to. 2.

Super Epistolam & Eange. duos habet sermones D. Anto. initio primæ par. Theologa.

Ieiunium est duplex, corporale, & spirituale: corporale excitat corporalem famem: spirituale verò ieiunium nil aliud est quam fames quædam atque appetitus ciborum spiritualium, quod est facere Dei voluntatem. Vnde Ioan. 4. ait Christus discipulis suis, meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei. Lege Glos. incogni. super Psalm. 34. in illa verba, humiliabã in ieiunio animã meam, versu. 537.

Priores nostri, quorum virtutes sustentant vitia nostra, nostrosque lapsus; abstinentiæ adeò sectatores erant, vt ipsimet cibos sibi, & quidem simplices, pararent, atque condirent. Humi cubabant, de insigni

insignibus ædificiis non curabant. Vnde eorum nomina permanebunt in tempore sempiterno. Seneca ad Albinam matrem cap. 10.

Quemadmodum nulla est arx munitissima, quæ per sitim & famem oppressa non capiatur: sic nullum est vitium quod ieiunio & abstinentia non fræ-netur, ac comprimatur.

Sicut hypocritæ tristes. Sunt quidem hypocritæ tanquam adulterini quidam nummi, qui colore ipso nos decipiunt, & figura: ita enim hypocritæ cum mali sint, ficta sua sanctitate decipere homines nituntur.

Oua quidem aspidis foris sunt pulcherrima ac formosissima, intus autem sunt veneno confertissima: non aliter plane hypocritæ ipsi exterius boni quidem apparent ac sancti, cum interius toti concreti sint ex dolo atque fraudibus.

Quemadmodum pictor cum imaginem aliquam depingit, exteriora tantum delineat atque describit, non curans omnino interiora: ad eundem plane modum hypocrita exteriores tantum componit actiones, vt hominibus placeat, interiores autem omnino negligit.

Quemadmodum nautæ qui in portu versantur, nisi ventos secundos videant, eis vela non permittunt: ita hypocritæ ipsi nolunt actiones suas omnino exercere, quousque nacti sint occasionem, qua habeantur in pretio, & æstimentur apud homines.

Quemadmodum rapacissimus miluus quamuis alta petat, nunquam tamen ad sublimia, sed ad terrestria oculos suos dirigit, ac contorquet, vt videat num prædam aliquam possit abripere: non secus profecto hypocritæ & ficti homines videntur quidem sublimem contemplationem ac sanctitatem contingere, cum tamen in terrenam auram omnino inspiciant, & eo instituto omnia faciant, vt rumusculos aucupentur populares.

Sicut feræ & immanes belluæ, quales sunt Tygres, & Leones, sese demittunt omnino, & quasi humi repunt, cum insidiantur ipsi prædæ: ad eundem modum hoc hominum genus sæpe videtur subiici & humiliari, vt facilius deprædari possit, & præripere gloriam ipsam inanem ac vanam.

Est quidem hypocrita tanquam putridum quoddam pomum, quod foris quidem pulchrum exhibet spectaculum, cum tamen interius vermibus, putredineque scateat. Est præterea tanquam populus, salix, & similes arbores, quæ ascendunt mirè quidem sursum, ac sese extollunt, & viridissimæ sunt, cum tamen fructum ex se nunquam edant.

Quemadmodum aurichalcum quantum in se est aurum ipsum conatur adulterare, & stannum argentum ipsum, cum tamen longissime à se inuicem absint: ita profecto hypocritæ conantur referre exterius virtutem ipsam, ac veram mortificationem sensuum, cum tamen interius longissime absint non modo à vera virtute, sed ab eius etiam vmbra.

Æschylus quidem Philosophus sententiam illam vere auream ad totius posteritatis disciplinam ac memoriam, pronuntiauit: qua videtur omnino execrari hoc fraudulentum hominum genus, dicens: Non videri tantum, sed esse vir optimus stude. Anianus, quod non es, non te esse simules: non doctum, cum sis indoctus: non diuitem non nobilem, cum sis pauper & ignobilis, te iactes: vero enim comperto, rideberis.

Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Illi facies exterminant qui quandam tristitiam extra modum solitum aliorum demonstrant, vt religiosi præ cæteris appareant. Vel aliter; sicut fiunt quandoque vnguenta ad decorandum faciem, quibus vtuntur mulieres ad simulandum pulchritudinem: ita fiunt vnguenta ad exterminandum prædicto modo faciem, & forte talibus vtebantur ad simulandum pœnitentiam. Glossa Lyræ super Mat.

O miseri! qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum: cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt: quos nimirum maligni spiritus cum ad iactantiam prouocant, eorum opera captiuantes denudant. Vnde sub cuiusdam gentis specie antiquorum hostium malitiam signans, per prophetam veritas dicit: Posuit vineam meam in desertum, decorticauit ficum meam, nudans expoliauit eam: albi facti sunt rami eius. Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in desertum ponitur: cum plena fructibus anima, humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in fauoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahat, tegmen ei humilitatis tollit: eamque nudans, expoliat. Quia quousque in bonis suis absconditur, quasi tegminis cortice vestitur: cum vero hoc quod egerit videri ab aliis concupiscit, quasi expoliata ficus, eum qui se texerat corticem amisit. Vbi apte subditur, albi facti sunt rami eius: quia ostensa humanis oculis eius opera, candescunt. De sanctitate nomen sumitur, cum recta actio diuulgatur: sed quoniam subdito cortice rami fici huius arescunt, solerter intuendum est; quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, vnde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per iactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur: quia & candida est per hoc quod cernitur; & siccitati proxima per hoc quod tegmine corticis nudatur. Intus ergo sunt seruanda quæ agimus, si ab interno arbitrio vicem recipere nostri operis expectamus. Hinc est enim quod per Euangelist. veritas dicit. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Hinc est etiam quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Hinc Paulus ait: gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat: quia fauores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Gregorius lib. 8. Mo. cap. 37.

Ioelis 1.

Matt. 6.

Psal. 44.

2. Cor. 2.

Noli obscurare faciem: qualis es, talis appare. Ne teipsum transfigures in habitum tristem ac tetricum, hinc laudem & gloriam aucupans, si videare sobrius ac temperans. Neque enim vlla vtilitas benignitatis cui tuba præcinit; nullus fructus ieiunij, quod ad publicam fit ostentationem. Nam quæ geruntur ad præsentem ostentationem, ea nequaquam porrigunt fructum in seculum futurum; sed ad hominum laudem detorquentur. Proinde hilariter occurre ad ieiunij domum. Basilius homilia de laudibus ieiunij.

Non est tutum labiis hominum committere gloriam suam: arcæ vtique sine sera, & sine claue. Nam si ponitur in os meum, non iam in tua potestate, sed in mea est potestate: cum meo libito possim laudare te, vel derogare tibi. Hugo Cardina. super Matthæum.

Secundum diuersas animæ affectiones facies facile immutatur. Quemadmodum ergo Ester regina tristem animum celauit vultu iucundo: sic hypocritæ inanem animum celant facie mæsta. Aliqui autem

Esther 5.

autem hypocritæ ieiunant, vt faciem macilentam, pallidamque adquirant, & sic sancti, ac ieiunantes putentur. Ecce quam infelicissimum, vile & contemptibile est genus hypocritarum: de quibus merito dicitur: Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Deus namque est ipsa veritas: totum autem negotium hypocritarum falsitati innititur.

Exterminant facies suas. Si facies exterminant, ornamentum corporis quod manebit? vere sicut dominus dixit, si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? hypocrita, sit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus: nec tamen ab hominibus inuenisti laudem, & apud Deum fructum ieiunij perdidisti. Hypocrita, elaborasti ieiuniis, vt labor tibi ieiunij non prodesset. Hypocrita, abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti vndas: enatasti ieiunij pelagus: & in ipso portu ieiunij naufragasti. Quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem: qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Hinc est quod Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti miseræ fraudis vsuram. Fratres fugiendum est virus, pestilentia cauenda: quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationē facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vincit: qui incurrerit, cadit. Fugiamus hypocrisim, fugiamus fratres. Sit nostrum de simplicitate ieiunium: de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de synceritate syncerum: sit hominibus occultum: ignotum diabolo: Deo notum. Thesaurum qui non abscondit, prodit: virtutes proditæ non manebunt. Virtutes sicut proditores suos deserunt: sic suos instant custodire custodes. Ergo ieiunium quod contra vitia, prima virtus est: & à nobis in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt. Petrus Chrysologus sermo. 7.

Placere hominibus ex charitate, & ob ipsorum profectum, vtile est. Roma. 15. vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Et 1. Cor. 10. ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Sed ob lucrum, vel gloriam inanem: non est bonum. Ad Galat. 1. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Antonius Broicus super Euange. art. 26. par. 1.

Valde cauendum est, ne forte dum ieiunamus, tria vitia committamus. Quidam enim ieiunant ex vana gloria: quidam ex gastrimargia: quidam ex auaritia. Primi sunt hypocritæ, ieiunando mendaces: secundi sunt gulosi, ieiunando voraces: tertij sunt cupidi, ieiunando tenaces. Innocen. in die Cinerum sermo. 1.

Suas hypocritæ exterminant facies: hoc est quasi extra consuetos terminos violenta quadam detorsione constituunt, consuetámque natiuam vultus speciem velut obscurant, & destruūt artificiosa quadam compositione. Non ad aliud, nisi vt hominibus hoc pacto persuadeant ieiunio plurimum se affligi, ac velut consumi inedia: sicque laudem sibi aucupentur. Titelmannus super Matt.

Exterminant facies suas. Id est, deformant, vt pallidi videantur, & tristes: id est, quasi lugentes de peccatis suis, & aliorum. Zacharias Episcop. in Euangelia lib. 10. cap. 35.

Facies suas isti exterminant', quia vltra suæ pulchritudinis terminos, atque naturam, incultas, & informes horrescere sinunt. Certe si informitas Deo placuisset, non vtique tam pulchra facie hominem formasset. Eusebius in capite ieiunij.

Cum quis aliquid tristi vultu præstat, consueuerunt vulgo illi dicere: videris id quidem haud satis iucundo animo exequi. Vnde quamuis quod præstat præclarum sit, aliud præterea volumus, & requirimus: nempe vt id fiat hilari animo. Quanto magis volet Deus vt læto vultu ac hilari interiori animo ei seruiamus, & non tristi vultu more hypocritarum?

Cur quæso hypocrita tuas exerces actiones, vt hominibus tantum placeas? an non vides quod si id ipsi scirent, te merito derident, ac subsannarent? Quantum porro cupis vt id ipsis manifestum non fiat! Multo illud igitur peius tibi, & pernicioſius futurum est, cum apud Deum, & omnem hominum congregationem, hæc tua peruersa intentio manifesta fiet. Quare si tantopere popularem auram quæris, noli iam confectari hæc media, quin potius alia præstātiora, nempe vt Deo primum placeas, & hinc & apud homines tandem gloriam promereberis immortalem.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Hoc est laudem quam voluerunt, non adoptionem filiorum. Glossa interlinea. super Matt.

Quicunque pro virtute quam agit humanos fauores desiderat: magnum meritum vili pretio venale portat. Vnde enim cæli regnum mereri potuit, inde numerum transitorij sermonis quærit. Vili ergo pretio opus vendit: quia magna impendit, sed minima recipit. Gregorius libro octauo Moralium, capitulo 28.

Delectatio illa laudis tamdiu sentitur, quamdiu auditur: mox autem vt aures trāsierit, transit & delectatio laudis. Chrisostom. in non absolut. Homilia 15. tomo 2.

Ex his quibus possumus mercari cælestia, perfunctoria & terrena nanciſci: quid huic dementiæ possit æquari, penitus non inuenio. Væ autem accipientibus in hac vita de virtute mercedem. Sunt quidem studia & actus, quibus merito, & inculpatè, stipes temporalis conquiritur, & impenditur: quę autē ordinata sunt propter acquirenda & captanda cælestia, non decet in temporalis mercedis fine constitui. Quod si in hac vita finis spiritualis exercitij constituitur, vna concessa mercede, altera non speretur. Quamobrem hypocritarum gaudium ad instar puncti dicitur, qui inter cætera quæ positionem habent, est breuior: ita nil breuius respectu æternæ felicitatis, quam in hac vita exultare ad horam. Proinde omni studio, totísque viribus, incumbendum est in rectam intentionem iustitiæ, ne temporalem aucupando mercedem, perdamus æternam. Et ideo Saluator cautelam in ieiunando subiecit, dicens: Tu cum ieiunas, &c. Simon de Casia libro 10. cap. 36.

Venati sunt isti suo labore auram popularem, auram ergo & vētum habent, hoc est inanem & vanam rem, nempe rumusculum apud homines, auræ instar inanescentem. Nam cum laudantur ab hominibus, tantum acceperunt ab hominibus. Clau. Guillau. super Mat.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito. Ecce quomodo omnia in nouo testamento agenda. Ridiculi enim essent nūc in ieiunio oleo delibuti: sed spiritu potius amoris eius passionibus debemus participare, mens debet iniungi, & non oleo adulationis: aliter vana sunt ieiuuia. Glos. Ordina. super Mat.

Caput vngit, qui spirituali litera interius pingueſcit: & videtur hominibus ieiunare qui fauorem

corum captat.Gloſ.interl.ſuper Mat.

Ita erat conſuetudo in terra Chanaam, partim propter colores, & partim propter iucunditatem, quòd tam viri quam fœminæ oleo capita vngerent. Abulen.ſuper Marth.

Neque nos non oſtentari ſolummodo, ſed etiam dare operam vt lateamus præcipit, quòd fecit & ſupra.Nam de eleemoſyna quidem loquens, non ſimpliciter hæc poſuit:ſed cum dixiſſet, attendite ne faciatis coram hominibus, addidit, vt videamini ab eis. In oratiõe vero atque ieiunio nil tale ſignauit.Quare iſtud? quia eleemoſynam quidem impoſſibile eſt omnino latere, orationem vero atque ieiunium ſecretum eſſe poſſibile eſt. Sicut enim cum dixiſſet, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, non de manibus id dixit, ſed ſtudium quo celari oportet expreſſit:dúmque cubiculum ingredi iuſſit, non omnino nec principaliter tantummodo iuſſit iſtic orari,ſed idipſum rurſus innuit:ita hic quoque cum vngi iuſſerit, non vt vngamur omnino præcepit. Mos porro iſte apud veteres fuit,vt lætitiæ ſuæ tempore ſæpius vngerentur,quod facile & ſancti Dauid, & Danielis docetur exemplo. Præcepit ergo vngi, non vt hoc omnino faciamus, ſed vt ſemper omni cum diligentia bonum hunc theſaurum ſtudeamus occultare.Atque vt hoc ita ſe habere cognoſcas,ipſe id quod ſermone præcepit, opere compleuit: nam cum per quadraginta dies ieiunaſſet latenter,nec faciem ſuam lauaſſe,nec caput legitur vnxiſſe. Neque etiam extendens dierum continuatione ieiunium, longius illud fieri iubet:ſed admonet ne ipſius ieiunij corona depereat. Itaque quod ſolũ videtur oneroſum hypocritis, nobiſque commune eſt: nam & illi vtique ieiunant, quod vero eſt leuiſſimum, ne ſcilicet laborãtes mercede priuemur, hoc nobis dominus imperauit: laboribus quidem noſtris addens nihil,mercedem vero nobis cum omni congregans cautione,neque incoronatos ſicut hypocritas abire permittens. Atque illorum nos eſſe imitatores volens, qui in Olympio agone decertant: qui tanto certe populo conſidente,tantiſque principibus, vni placere feſtinant, victoriam ſcilicet eorum brauiis ſplendentibus honoranti.Chryſoſt.ſuper Mat.hom. 21.tom.2.

Omnis homo qui aliquod opus facit,cuius cauſa facit id quod facit, in corde ſuo illius aſpicit & perſonam. Ecce facis epiſtolã, vt aliquem ſalutes amicũ:quamdiu ſcribis,ſemper in corde tuo illius amici vides perſonam, propter quem ſcribis epiſtolam. Item artifex tenens opus in manu, ſemper eum præ oculis ſuis habet,qui ei opus commiſit faciendum, dum cogitat quomodo illud facere mandauit: ſic & propter Deum eleemoſynam facit, neminem videt in corde ſuo niſi perſonam Dei tantummodo, propter quẽ facit.Ideo etſi euenerit vt quibuſdam præſentibus faciat,tamen animus eius homines illos nõ videt,etſi ipſe videatur ab eis.Nunquam ne tranſiſti per viã aliquid cogitans, cum à multis quidem hominibus videbaris,ipſe vero nullum videbas, intendens in id quod cogitabas?&c. Chryſoſt. in non abſo.ho.13.to.2.

Facies animæ conſcientia intelligitur:proiice ergo abs te auaritiæ ſordes, periuri ſtercora, malitiæ putredinem, & lauaſti faciem, id eſt, conſcientiam tuam,aqua prophetica:de qua dicebat Eſaias: Lauamini,& mundi eſtote.Item caput tuum Chriſtus eſt:itentem pota, eſurientem ciba, algentem veſti, & ſic pretioſiſſima myrrha, id eſt, oleo miſericordiæ, vnxiſti caput tuum,id eſt, Chriſtum. Qui clamat in Euãgelio,dicens:quia quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Quoniam autem omnis iuſtitia in his duobus conſiſtit:primum vt ne facias malum, ſecundum vt facias bonum:ad id quod pertinet ad fugienda peccata,dixit: Laua faciem tuam.Ad illud autem quod pertinet ad faciẽda bona opera, vnge caput tuum.Sicut Maria, quæ poſtquam conſcientiam ſuam lachrymis pœnitentiæ lauit, poſtea effudit vas ſuper ipſum Chriſtum:& impleta eſt domus odore:ita & tuorum operum fama,ſi fuerit talis,implebis totam Eccleſiam.Chryſoſto.in non abſo. ho. 15.to.2.

Vt ſi fieri poſſit, opus religioſi ieiunij, & ipſius corporis atque animæ afflictionem, vultus hilaritate velemus. Nam ſanctiſſima Iudith cũ magno mœrore pro populo eſſet afflicta, poſt ſolemnitatẽ triduani ieiunij, capite vncto,& lota facie, ita internæ afflictionis triſtitiam texit: vt ſimulato gaudio lætari hoſtibus videretur. Ac ſic dum ieiunium vultus lætitia texit,de hoſte triumphum victoriæ reportauit. Similiter Eſther ſanctiſſima dum lota facie & capite vncto poſt triduanum ieiunium intelligi à rege potuit:Aman illum populi ſui inimicum iniquiſſimum interemit.Quid de Daniele, & tribus pueris dicemus?qui in tanta abſtinẽtia,inter tot adoleſcentes qui cibis regalibus paſcebantur, ſoli vultu cæteris gratiores inuenti ſunt.Chryſoſt.ex variis in Mat. locis ho.10.to.2.

Intelligendum eſt hoc præceptum vnguendi caput,& faciem lauandi,ad interiorem hominem pertinere. Vngere ergo caput,ad lætitiam pertinet: lauare autem faciem,ad munditiam.Et ideo caput vngit qui lætatur interius,& mente atque ratione.Hoc enim recte accipitur caput, quod in anima præeminet,& quo cætera homines regi & gubernari manifeſtum eſt. Et hoc facit qui non foris quærit lætitiam, vt de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Interius ergo gaudeat in ieiunio ſuo, eo ipſo quod ſic ſe ieiunando auertit à voluptate ſeculi, vt ſit ſubditus Chriſto.Ita etiam & faciẽ ſuam lauabit, id eſt, cor mundabit,quo viſurus eſt Deum:non interpoſito velamine, propter infirmitatem contractam de ſordibus,ſed firmus & ſtabilis, quoniam mundus & ſimplex.Lauamini inquit,mundi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris,atque à conſpectu oculorum meorum. Ab his igitur ſordibus facies noſtra lauanda eſt,quibus Dei aſpectus offenditur.Auguſt. de ſerm.Domi.in monte lib.2.to.4.

Iuxta ritum Prouinciæ Palæſthinæ loquitur, vbi diebus feſtis ſolebant vngere capita: præcepit ergo vt quãdo ieiunamus,lætos & feſtiuos nos eſſe monſtremus.Hierony.lib.1.ſuper Mat.to.9.

Alius ieiunat ſtudio vanitatis,& huic dicitur, faciem tuam laua:alius ieiunat cum impatientia & ratione,& huic opus eſt vt caput vngat. Eſt autem caput iſtud mens interior, quæ tunc vngitur in ieiunio, cum ſpiritualiter delectatur in eo. Bernardus ſermo:2.in capite ieiunij.

Vnge caput oleo exultationis,oleo lætitiæ, oleo miſericordiæ:ita vt ſecundum mãdatum Sapientiæ, miſericordia & fides non deſerant te.Cum etiam ieiunas, debes adire Pontificem tuum Chriſtum, qui vtique non in terris requirendus eſt, ſed in cælis: & per ipſum debes offerre hoſtiam deo. Nullũ cibum ſumas malitiæ,nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalefcas. Ieiuna à malis actibus, abſtinẽ à malis ſermonibus, contine te à cogitationibus peſſimis.Noli contingere panes furtiuos perueríæ doctrinæ: non concupiſcas fallacis Philoſophiæ cibos, qui te à veritate ſeducant. Tale itaque ieiunium deo placebit.Origenes.ho.10.in Leuiti.

Vnge caput tuum oleo, id eſt, feſtiuum & hilarem te exhibe.2.Cor.9.hilarem datorẽ diligit Deus.

Ecclę

1.Reg.6. 2.Reg.2. & 5.

Mat.4.

Eſa.1.

Mat.25.

Pſalm.33.

Ioan.12.

Iudith.9. & 13.

Danie.1.

Eccleſiaſtici. 35. in omni dato hilarem fac vultum tuum. Vel vnge caput tuum,id eſt, mentem tuam, oleo gratiæ,ne diabolus per capillos, id eſt, cogitationes,retineat te.Eſa. 10. computreſcet iugum à facie olei.Item oleo ſpiritualis lætitiæ, contra triſtitiã ſeculi.Pſal.44.vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Hugo Cardi.ſuper Mat.

Adludit ad conſuetudinem Iudæorum, qui vnguentis purgabant corpora ſua.Ruth.3.ſocrus dixit ad Ruth,lauabis te,& vnges,amicieſque te veſtibus. Et lucæ 7.ait Chriſtus:caput meum non vnxiſti. Ex quibus conſtat conſuetudinem eſſe Iudæis ſeſe vngere.Claudius Guillau.ſuper Matth.

Si quæratur quare dixit in plurali,cũ ieiunatis, & ſtatim ſubdat in ſingulari, Tu autem cum ieiunas. Dicendum quod ſuperius excluſit ieiunium malorum,qui ſunt multi: ſed poſtea ſuadet ieiunium bonorum,qui ſunt pauci. Gorranus ſuper Mat.

Iuxta Abulenſem peritiſſimi Medicorum fatentur abſtinentiam eſſe ſummam medicinam. Vnde & Plato improbat hominem bis in die ſaturum. Et cum in Siciliã nauigaſſet,menſas Syracuſanas voluptati comparatas damnauit: & ſuis ſcripſit, ſe vidiſſe portentum in Sicilia,homines videlicet bis in die comedentes. Et ſequitur,malæ ac turpis diſciplinæ ciuitatis nullam maiorem coniecturam poteſt quis capere,quam Iudicibus & Medicis indigere.

Oleum fructum miſericordiæ eſſe, cæleſtis prophetiæ ſermo eſt. His ergo miſericordiæ operibus caput noſtrum,id eſt, vitæ noſtræ ſenſus ornandus: quia intelligentia omnis in capite eſt, ſordeſque ex facie eluendæ ſunt, hoc eſt efficiendum, nequid ſit horroris ex vitiis:ſed magis gratia candoris ſit in occurſu. Atque ita nos in ſplendorem bonæ conſcientiæ elutos,& in gratiam miſericordiæ operum delibutos,deo ieiunia noſtra commendent.Hilarius ſuper Mat.Cano.5.

Per vnguentum oratio deſignatur, ſecundum illud Eccleſi. 11. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatẽ vnguenti,id eſt,importunæ cogitationes tollunt deuotionem orationis. Innocen. ſermo. 1. in die Cinerum.

Sapien.2.dicitur, vino pretioſo & vnguentis nos impleamus.Et Eſa.2.dicitur, & erit pro ſuaui odore fœtor.Vnde conſtat viros & fœminas ſeſe olim vnguentis delinire ſolitos. Senſus autem eſt,Chriſtiane cum ieiunas vnge caput tuum:id eſt, diem te feſtum agere exiſtima.Feſtus enim certe dies eſt, cum ſpiritus carnem ſuam vincit, refertque de ſuo hoſte triumphum. Feſtus dies eſt,cum arma dæmonis ieiunio extenuat,ſpemque ei aufert de habenda victoria.Feſtus dies eſt,cum terrenus homo deſinit, & incipit eſſe cæleſtium opum,& deliciarum æternarum copia.Porro ſicut Magdalena caput vnxit, & faciem lauit lachrymis:ita tu qui peccaſti, ne crede ad delẽda peccata ſatis eſſe fidem cum dilectione, niſi eandem dilectionem lachrymis laues, & dolore cordis perfundas.Nõ enim ſola fide & dilectione, ſine pœnitentia,lapſi peccata curantur.Vnge ergo caput, id eſt, fidem dilectione Dei: ſed eandem dilectionem lachrimis,doloréque laua. Paulus de Palacios ſuper Matth.

Eſt certe mens arida,quæ oleo non eſt impinguata. Tales quidem ſunt hodie multorum mentes: qui miſerorum dolore,miſeria,& anxietate, nõ magis mouentur, quam ſi lapides eſſent,non homines. Sunt enim, vt ait Apoſto. ſine affectione,ſine miſericordia, ſine fœdere:qui ſicut immiſericordes ſunt, ita ſummum iudicem ſibi ſentient immiſericordem. Scriptum eſt enim, iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. Et dominus in Euangelio ait:niſi remiſeritis ex corde fratribus veſtris, nec pater veſter cæleſtis remittet vobis. Contra vero de piis & miſericordibus dicit:Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur. Itaque fratres mei excludamus à nobis omnem duritiem, & inhumanitatem:& induamus viſcera miſericordiæ.Et cum omni tempore debeamus pingueſcere oleo miſericordię,nũc maxime debemus.Cum igitur ieiunamus, primo miſericordiam habeamus in nos,iuxta illud:miſerere animæ tuæ placens deo. Animæ noſtræ tunc miſeremur, quando à ſeruitute vitiorum eam per pœnitentiam reuocamus. Miſereamur & proximorum noſtrorum in nos peccantium,eis dimittendo.Miſereamur afflictorũ & pauperum, eis ſubueniendo, iuxta id quod Eſa. dixit: frange eſurienti panem tuum, &c. Rhudulphus Ardentis feria 4.in capite ieiunij.

Facies eſt conſcientia,Hiere. 4. laua à malitia cor tuum Hieruſalem,vt ſalua fias,&c. Lauatur quidem anima etiam per tribulationem, Apoca. 7. lauerunt ſtolas ſuas,& dealbauerunt eas in ſanguine agni. D. Thomas ſuper Matth.

Hypocrita quando ieiunat, faciem exterminat, quoniam exterminatorem principem in corde habet, & peruerſæ triſtitiæ autorem. Tu igitur qui totius conſolationis, lætitiæque dominum in cordis habitaculo geſtas: hilarem & pulchram faciem oſtende.Facque vt appareat exterius in facie, quantũ lætitiæ bonum præſideat menti.Quare vnges caput tuum,& faciẽ tuam lauabis.Euſebius in die Cinerũ.

Qui modus in abſtinentia ſeruandus ſit, conſule D.Baſi.lib.Regula.fuſius diſputatarum c.18.to.2.

Lege eundem ſuper illa verba,vnge caput tuum, lib.regula.breuiorum interroga.223.tomo 2.

De abſtinentia in cibo, & quo pacto debeat ſingulorum viribus commenſurari, vide eundem lib. Monaſtica.Conſtit.c.4. eſt autem in fine operũ eius.

Si de ieiunio fuſius etiam diſſerere voles, conſules D.Chryſoſt. in ſermo. de ieiunio qui exiſtit poſt explicationem Geneſis to.1.

Duos idem autor compoſuit præterea de ieiunio ſermones,quos inter initium & medium tomi 5. inuenies.

Abſtinentiam potiſſimum à carnibus valde commendat D.Hiero.adducitque plurima veterum Philoſophorum exempla,qui abſtinentia floruerunt, in Regu.Monacho.inter medium ac finem to.4.

De ieiunio præterea conſulito D.Auguſt.lib.epiſtolarum epiſ.86.to.2.

De ieiunio etiam,de eius qualitate,& effectibus, denique multiplici ieiunio,vide Vincen. Belluacen. ſpe.Mora.lib.3.par.10.diſ.26.27.28.29.& 30.

Tangit inſuper Seneca abſtinentiæ excellentiam libro quem inſcripſit ad Albinam matrem de Conſola.c.9. & 10.

Proxime finem tomi 9. D. Auguſt. liber exiſtit: qui inſcribitur de vtilitate ieiunij.

Porro de abſtinentia ſecundum Philoſophos vide Vincen.B.ſpecu.doctri.lib.4.c.95.96. & 97. Tum lib.15.c.85.

De rebus eximiis ac mirabilibus quas per ieiunia obtinemus,videbis D.Cyprian.in quodam prolixo ſermo.quem inſcripſit de ieiunio & tentationibus Chriſti,prope initium ſermonis.

Contra lurcacitatem & voracitatem ipſam, Philoſophi quibuſdam nos exemplis inſtruxere. Siquidem Socrates dixit,à cibis & potu abſtineto,niſi te fames & ſitis inuitent ad ea.Diogenes dixit, ventrem Charybdin interdum quandam vitæ eſſe putato. Chares præterea, ventrem modis omnibus frenare nititor, qui & beneficiis acceptis ingratus

Eſa.58.

Ecclę.9.

Ecclę.9.

Romã.1.

Iacobi.2. Matth.5.

esse videtur,& plura sibi semper iusto postulare.

Ne videaris hominibus. Non prohibet simpliciter videri, sed velle videri & inde laudari. *Sed patri tuo qui est in abscondito.* Esa.45. vere tu es Deus absconditus, &c. *& pater tuus, &c.* id est, in humili & pura conscientia, quæ cælum dicitur, Esa. vltimo, cælum mihi sedes est. *Reddet tibi.* Sapien. 10. redet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Hugo Cardi. super Matth.

Meretur ieiunium precum exauditionem, sicut ad Danielem angelus loquitur: ex die quo posuisti cor tuum vt affligeres te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. Tanta etiam est virtus ieiunij, vt de pessimis dæmonibus Christus dicat: Hoc genus dæmoniorũ in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio. Sed patũ prodest abstinere à cibis, nisi abstineatur à vitiis, prout dominus asserit. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. Nunquid hoc est ieiunium quod elegi? Dionys. Carthu. super Matt.

Matt. 17.

Esa.58.

Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Non valde sua bona diiudicat, qui ad eorum mercedem sufficere humanos fauores putat. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna, vili pretio venundatur, Gre. 3. par. pasadmo. 36.

Quid est quod opus nostrum & ita faciendum est ne videatur, & tamen vt debeat videri præcipitur, nisi quod ea quæ agimus & occultanda sunt, ne ipsi laudemur, & tamen ostendenda sunt, vt laudem cælestis patris augeamus? Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstrauit: quatenus operantis mens opus suum propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis patris gloriam nõ celaret. Vnde fit plerumque vt bonum opus & in occulto sit, cum fit publicè: & rursus in publico, cum agitur occulte. Qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari cõcupiscit, & nullus fortasse vidit quod exhibuit, tamẽ hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde quæsiuit. Grego. 3. par. pasto. admo. 36.

Non solum ieiunium, sed omnis Christianorum vita hoc scopo ac fine instituenda est, vt tãtum oculis Dei pateat, & accepta sit. Impij oculos quidem cum suo rege mundo habent, sed piorum opera sancta non vident. Claudius Guillaudus super Matt.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tineæ demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Ærugo metalla consumit, tinea vestes: quod ab his intactum est, tollunt fures. His tribus modis omnis auaritia condemnatur, Moraliter quidem si in carne gerimus thesauros, in terra eos condimus dum pretiosos corporis sensus in terrenis desideriis occupam⁹. Omne quidem terrenum vel ærugine consumitur, vt aurum, & argentum: vel putredine, & vermibus soluitur, vt vestes: vel quod ab his immune est, à furibus tollitur, vt lapides pretiosi. His ergo omne genus auaritiæ reprehenditur. Glos. ordin. super Matt.

Ærugo significat superbiam, quæ decorem virtutum offuscat: tinea quæ vestes latenter rodit, inuidia est. Quæ & studium lacerat bonum, & coniunctionẽ vnitatis dissipat. Fures sunt hæretici, & dæmones: qui semper ad hoc sunt intenti, vt nos spiritualibus spolient. Glo. interli. super Matthæ.

Auarus sic congregat diuitias, vt non audeat eis vti: sed iuxta eas ducit miseram vitam, & dimittit eas putrefieri. Et ideo dicit Hiero. in epistola ad Paulinum: antiquum dictum est, Auaro deest tam quod habet, quam quod non habet. Et talem modum thesaurizandi excludit saluator, cum dicit: nolite thesaurizare, &c. Ex prædictis patet quod thesaurizatio quæ fit ex causis honestis, non est interdicta à Saluatore tanquam illicita: vt quando aliquis thesaurizat ad bona opera facienda, vt est constructio Ecclesiarum, releuatio pauperum, & huiusmodi, vel propter Rempublicam seruandam, & similia. Glo. Lyræ super Matthæ.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Quia non estis de terra, nec de terra venistis: sed pro tẽpore de terra suscepistis terram, vt per terram vincatis terram. Sed de cælũ estis, & de cælo venistis, & iterum rediturí estis in cælũ, nisi vltro remanere volueritis in terra: illic ergo substantiam tuam colloca. Quid enim, melius ne est eam super terram reponere, vbi incertus est conseruationis euentus, an in cælo, vbi est certa constantia? Hic si non custodieris, perdes, si custodieris, timore & solicitudine cruciaris: Quæ est autem stultitia, illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es? Vere male seruatas diuitias etsi corporaliter non perdidisti, spiritualiter perdidisti: quia nec proficiunt tibi ad vsum salutis. Quicquid enim pro anima tua feceris, hoc est tuum: quod autem reliqueris, perdidisti, Chryso sto. in non absoluto ho. 15. to. 2.

Contempta omni facilitate terrena, in superioribus & tutissimis locis ea quæ nanciscimur docuit collocari. Neque voluit nos laborare in vacuũ, nec nostros cassos esse labores, dicens: Nolite thesaurizare, &c. Maledicta fuit terra in operibus Adæ, nec benedictionem aliquando recepit, sed per magnos tentationum æstus diuiditur. Et in Apocalypsi scriptum est: væ, væ, habitantibus in terra. Et Deus fundauit eam super aquas, super fluxibile elementum, quasi nihil stabile sit in terra, maxime illorum quæ ab omnibus vehementer ibi appetuntur. Quare nostra bona non sunt reponenda, imo nec quærenda in terra, siue spectent ad gloriam & famam, siue ad ea quę vulgus bona fortunalia vocat, prẽter id quo naturaliter viuitur ad mensuram. Quod non opinionẽ, non voluntatem sequatur, sed necessitati & naturæ coaptetur. Simon de Casia. lib. 10. c. 37.

Gene. 3.

Nunquid thesaurizare solummodo est pecuniam congregare? imo potius & opera qualiacumque seu bona, seu mala facere, thesaurizare est. Nam sicut qui bona agit, gloriam æternam thesaurizat, vt de timente dominum scriptum est. Iocunditatem & exultationem thesaurizauit super eum. Sic & qui mala agit, recte irã dicitur thesaurizare. Vnde Apostolus, tu autem secundum duritiam tuam, & impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Rupertus Abbas super Matthæum.

Eccle. 15.

Roma 9.

Quid tam paternum? quid sic veniens de amore? quod tam prouidendum de charitate consilium? Nihil tibi perire vult, qui tua in thesauris cælestibus vult reponi. Quam securus dormit, qui Deum suorum meruit habere custodem! Qui ergo vult auaritiam vincere, diuitias eroget, non reponat. Præmittamus fratres thasauros nostros in cælũ: sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo quæ nostra sunt ad superna portare. Nemo de fraude dubitet baiulorum: tuta est ista transuectio, per quam nostra ad Deum deo fideiussore portantur.

Petrus Chrisologus ser. 7.

Ex auaritia oriuntur lites, iniuriæ, bella, & clades, latrocinia, seditiones, sacrilegia, periuria. Non prohibet dominus thesaurum, sed ne cor diuitiis huius seculi affigamus. Id quod Dauid docet, si diuitiæ affluant, nolite cor apponere. Quam cito ægrotus medico iubenti, aut prohibenti, ne comedito hoc, ne bibito illud, obedit! Non exigens omnino rationẽ, cur istud prohibeat medicus, sed dictis statim

Psal. 61.

statim motem gerit. Quid quæso tantum obedientiæ conciliat medico, etiam plerumque erranti, ac seducenti? Profecto sanitatis desiderium. Cum ergo sanitas animæ præstet sanitati corporis: q̃d est quod desyderium sanitatis animæ non operatur in nobis? idem erga medicum infallibilem, quod desiderium sanitatis breui collapsuræ erga medicum hominem operatur? Quid est quod non illico paremus certissimo & fidelissimo salutis medico, &c? Claudius Guillaudus super Matthæ.

Mala depositaria terra: in qua repositum depositum, patitur ab omni corporalium genere detrimẽtum: ab insensibili, vt est ærugo: & à sensibili, vt est tinea, à rationali, vt sunt fures. Gotranus super Matt.

Hos vermes non existimes debiles esse: hi siquidem vermes sunt, tempus, dies & horæ, & ipsa minutissima momenta temporis. Quid ita silenter surripit, & vita spoliatum hominem nudum in terram deiicit, atque tempus? Cuius si spatia quæras, verius id quòd deficit enumerabis, quã quod existit. Nam si quis te percunctetur: heus tu bone vir, quot habes annos ętatis? si verè & recte sic interrogãti respõdere velis, non dices, annos natus sum quadraginta, imo quadraginta mihi sunt anni. Nec respondebit alius commode quinquaginta se habere annos, quos iam non habet. Nullum enim habemus annum præsentem, non mensem, non diem, non horam. Vt hinc iam verissime Aristotelem sensisse credã, cum dicit: de tempore non habemus nisi nunc. Quod sane nũc vix dum prolatum, recidit, euanescitque, vt nusquam ad nos redire, nec etiam nos ad illud transire licet vnquam. ô valde caduca & labilis ætas! ô vermis, & tinea, cui nec reges resistere possunt! Quod si etiam furem mortem intelligas, non abs re erit.

Hebræ. 9. Nam quis viuẽtium è manibus mortis euadet? Quis non ab illa correptus, quis non prostratus fuit? statutum quidem est hominibus semel mori. Optime igitur consuluit Iesus, ne thesauros nostros reponamus in loco temporis transeuntis, vermibus obnoxio. In cælo quidem recõditur, quicquid in vsum pauperum erogatur, dicente scriptura: qui dat pauperi, Deo fæneratur. Soarez super Matthæ.

Ecclę. 29.

Si super illa, verba nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: placebit differere quanta liberalitate in illis aureis recens natæ Ecclesiæ seculis thesauri isti seruabantur, & quam modo tenuiter admodum dispẽsentur, & similia, vide Diuum Cyprianum tractatu 3. de simplicitate prælatorum, fere in fine tractatus ipsius, qui est valde prolixus, & non est sectus in capita.

Quod Christus dominus nobis præcipiẽdo, nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, non prohibeat curam & solicitudinem moderatam, atque prouidentiam rerum futurarum, lege D. Tho. in 4. sen. dist. 15. q. 4. art. 4. quæstiuncula 3. ad 2.

Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tineæ demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Recordemur illius diuitis qui omnem gloriam suam in thesauris, atque deliciarum suarum, constituit. Qui cum propter affluentiam frugum de ampliandis horreis cogitaret, atque animæ delicias, opum, & securitatem longæ vitæ promitteret: non dicam surripiente fure hæc quæ congregauerat perdidit, sed ipsam animam etiam sub eadem nocte qua thesaurizabat, amisit. Vnde non immerito Dauid ipse testatus est, thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Cogitemus & illum adolescentem, qui cum prope omnia præcepta legis impleſſet, quia tamen thesauros pluris terrenos fecit quàm cælestes: vitæ æternæ thesaurum obtinere non potuit. Et idcirco bene Dauid ait: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Chrysostomus ex variis in Matthæ. locis. hom. 10. to. 2.

Lucæ. 12.

Psalm 38.

Debent hic thesauri virtutum aggregari, vt liberemur à morte culpæ, ac pœnatum, nec non vt cælestia coëmamus. In Hieremia scriptum est de octoginta viris, quorum omnium cæteris ab Ismaele Nathaniæ filio interfectis, decem euadentes remanserunt, qui dixerunt ad Ismael: noli occidere nos quia habemus thesaurum in agro frumenti, & hordei, & olei, & mellis: & cessauit, & non interfecit eos cum fratribus suis: absconditus ergo thesaurus, ex octoginta decem viros ab exitio liberauit. Decem viri sunt omnes decem præcepta tenentes, qui implẽtes Dei voluntatem, ab æterna morte liberãtur illa obseruantia præceptorum, & horum absconditio thesauro. Ager quidem est terra cordis, corporisque nostri, quam omni qua possumus spirituali cultura debemus excolere, absconderéque in illa thesauros aptos ad emendum regnum Dei. Absconde quidem diximus, vt in tempore opportuno præsto sint ad tale commercium: necnon ne prædationi subiaceant, cum sæpe quæ latronibus patent, diripiantur ab eis. Simon de Casia lib. 10. c. 37.

Si thesaurus est tibi in cælo repositus: ne crede solum in cælo, sed in ipso Deo, in ipso Dei sinu, in ipso corde Dei thesaurum collocatum. ô quam vere tantum locum habent opes tuæ! quis poterit eis incommodare? Sed ô miseriam! peccatum est quod nobis eas auferre è sinu Dei potest. ô longissimos, & rapacissimos vngues peccati! qui ad cælum pertingere, & à Deo thesauros nobis nostros rapere possunt. Palacios super Matthæ.

Super illa verba, Thesaurizate vobis, &c. Vide S. Tho. 1. 2. q. 4. ar. 7. ad 8.

Vbi est enim thesaurus tuus, vbi est & cor tuum. Qui collocat thesauros in terra, non habet quid speret in cęlo. Vt quid enim aspiciat in cęlum, vbi nihil reposítum habet? Chrysost. in non absolu. ho. 15. to. 2.

Hoc non solum de pecunia, sed etiam de eunctis passionibus sentiendum est. Gulosi Deus venter est: ibi ergo habet cor, vbi est thesaurus. Luxuriosi thesaur⁹ libido est. Lasciui ludicra: amatoris lasciuia. Ei seruit denique vnusquisque, quo vincitur. Hiero. lib. 1. super Matth.

Obseruandum est quod quando cor domicilium est sensuum & fons cogitationum ex quo promuntur & bona & mala, sit vt cor significet consilia, studia, mentem, iudicium, opinionem, affectum. Hoc autem loco pro affectu accipitur: item nomine thesauri hoc loco intelligitur quicquid fuerit in quo spes tota reponitur, cui præcipue, & in quo animus conquiescit, hoc affectu & animo diuitias suas mũdani colligunt & reponunt: multitudo rerum non dicitur thesaurus nisi adsit totus affectus & cor adhæresćat. Vnde hoc modo si acceperis thesaurum, facile intelliges Christum hic non prohibuisse diuitias ac substantiam huius mundi, sed solum ne sint nobis loco thesauri, hoc est, ne affectu toto nos illis adhæreamus. Claudius Guillaudus super Matthæ.

Valde certe degeneras, si cor, hoc est immortalem animum cuius est velle & prouidere de thesauro, in terra figis. Caietanus super Matthæ.

Neque parum id animæ nocumentum est, mentem videlicet suam ibi captam esse & circa thesauri custodiam multimoda cura distringi, talíque subiectam esse tyrannidi: neque audere ad aliam transire cogitationem. Euthymius super Matthæ.

Feria quinta post Cineres.

CVM introisset Iesus Capharnaum: accessit ad eum Centurio rogans & dicens. Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Matth. 8. Lucæ 7. Puto quod iste Centurio inter seruum & dominum nullam differentiam æstimabat, sciens quoniam etsi dignitas in hoc seculo diuersa est inter illos, vna est tamen natura illis. Ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quàm opus captiuitatis cótemnebat in seruo. Quod Deus non secundum suam iustitiam creãdo disposuit, sed propter peccata hominum permittendo suscepit. Si tu enim dominus pretium dedisti pro seruo, Deus spiritum suum plantauit in eo: quanto ergo maior est spiritus Dei, quam pretium hominis, tanto maius est quod ametur, quàm quod contemnatur in seruo. Vide ergo ne forte si tu propter pretium tuũ abusus fueris illo sine timore Dei, Deus propter spiritum suum rationem à te exigat sine misericordia. Audiant etiam & intelligant serui: sicut enim habent domini quòd imitentur in Centurione, propter misericordiam, sic habent & serui quod imitentur in puero propter synceritatem. Putas autem qualis erat ille puer vt sic amaretur à domino? secundum dilectionem domini mensurate fidem serui. Nec enim possibile erat vt sine pretio bonorum morum, talem sibi dilectionẽ domini comparasset. Domini ergo seruis debent amorem propter communem naturam: serui autem debent dominis suis timorem, propter ordinationem diuinam: & in seruis Christus ametur à Dominis, & in dominis Christus timeatur à seruis. *Et male torquetur.* Etsi non satis male torquebatur, tamen æstimabat illum dominus male torqueri: quia sic diligebat eum. Nam vnus quisque quem diligit etsi modice fuerit tẽdiatus, grauius eum putat habere, quàm habeat. Chrysost. super Matthæ. in non absolu. hom. 22. to. 2.

De isto seruo inquit Lucas quod erat moriturus 7. cap. Quod autem moriturum dixit Euangelista, non fefellit: moriturus enim erat, nisi fuisset sanatus à Christo. Impleuit igitur præceptum charitate cælesti, qui sic dilexit inimicos, vt morti eriperet, atque ad perpetuæ spem salutis adscisceret. Quantum autem diuinæ humilitatis insigne, vt cæli dominus nequaquam dedignaretur Centurionis seruum visitare? Elucet fides in operibus, sed plus operatur humanitas in affectibus: quod vtique non ideo faciebat quia absens curare non poterat, sed vt formam tibi daret humilitatis imitandæ: qua iuxta humilioribus doceret, ac superioribus deferendum. Denique alibi Regulo dicit: vade, filius tuus viuit, vt scias & potentiam diuinitatis, & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, ne in Reguli filio videretur magis diuitiis detulisse: hic ipse perrexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse seruilẽ. Omnis enim seruus & liber in Christo vnum sumus. D. Ambro. lib. 5. super Luc. c. 7. Ioan. 4.

Iste Centurio non erat Iudæus, sed gentilis: ibi positus à Romanis, ad custodiam principalis ciuitatis Galileæ, scilicet Capharnaum. Quia tota illa terra erat subdita Romanis, propter quod Iudæi coram Pilato dixerunt. Non habemus regem, nisi Cesarem. Et ideo quia Iesus erat Iudæus, ipse nõ venit ad eum in persona propria, reputans se indignum ad hoc impetrandum: sed misit ad Iesum principes Iudæorum, vt dicitur Lucæ 7. Vt per eos curationem serui sui facilius impetraret. Et quia quod per amicos facimus, quodammodo per nos ipsos facimus,: ideo Matthæ. dicit eum venisse ad Iesum, non quia in Ioan. 19.

persona propria venerit, sed per intermedios. Dicitur autem Centurio: quia habebat centum homines in armis sub se, ad custodiam illius terræ, ne forte vellent contra Romanos rebellare. Lyra super Matth. 8.

Puer meus iacet in domo paralyticus. Meum dico puerum, quia iacet: si tuus esset domine, nõ iaceret: Probat hoc propheta, cum dicit. Ecce nunc benedicite dominum omnes serui domini, Qui statis in domo domini. Qui statis ait, non iacetis: stant serui tui, hominum serui iacent. Puer meus qui iacet, vt tuus sit surgat: meus qui paralyticus, vt tuus sit iam sanetur. D. Chrysologus ser. 15. Psal. 133.

Centurio hic Romanus erat: sed plus erat hic ipse fructu centesimo Christianus, & deo magis militabat iste, quam seculo: & in humano bello fortis, fortior in diuinæ pacis erat custodia. Quæramus ergo quis est iste seruus, qui illi vt inquit Lucas erat pretiosus. Cum dominatur anima: & corpus seruit, ipsi nil corpore pretiosius. Chrysologus sermo. 102.

Domine puer meus. Serui Naaman patrem appellarunt dominum suũ: quia vir bonus & clemens, seruos non sicut canes, & sicut iumenta, sed sicut homines tractabat. At multos inuenies nunc seruos, qui dominos suos non patres, sed tyrannos Nerones poterunt appellare. Qui infirmos seruos non curant, imo in hospitium vt citius moriantur, mittunt. 4. Reg. 5.

Lucas refert quod nuntij dixerunt Christo: dignus est vt hoc illi præstes, &c. & Synagogam ipse ædificauit nobis. Quod si Cẽturio laudatur eo quod ædificauerit Synagogam: quanto magis erit Christianus commendatione dignus, qui ædificauerit Ecclesiam? si tantum æstimabat Deus ædificari Synagogam, vbi tamen quotidie offendebatur: quanto pluris faciet, si ei templum extruxerimus, vbi perpetuo laudetur? Bonum hoc Centurionis institutum receptum fuit: qui tamẽ occulte prædicabat Iudæis, & confundebat eos. Quod si ipse cum esset gentilis, ita honorabat templum illorum & Synagogam, multo certe magis ipsi debebant eam honorare. Vnde sacerdotib⁹ magno esse debet pudori, quod multi seculares sint plus deuoti, & quod tẽpla exædificent, & sacella, aliaque complura ornamenta, fundẽtque magnis expensis pinguia sacerdotia, cum tamen ipsi adeo negligentes sint, & minus curantes suum honorificum munus. Vide D. Ambr. in sermo. de dedicatione Basilicæ sermo. 89.

Accessit ad eum Centurio. Dicit Euangelista quod accessit ad eum, quamuis nõ venerit corporaliter: quia propinquior erat ei per fidem, quam qui corporaliter accesserunt, Vnde propheta: excelsus dominus, & humilia respicit, & alia à longe cognoscit: tanquam non accedentia. August. lib. de sancta virginitate c. 32. tom. 6. Psal. 137.

Super illa verba, Domine puer meus iacet in domo paralyticus: poteris tractare quo tandem modo & domini cum seruis, & serui cum dominis, sese debeant gerere. Parentes cum liberis, & liberi cum parentibus: viri cum vxoribus, & vicissim vxores cum viris. Quod mirabiliter plane & artificiose insinuat Apostolus ad Ephe. 5. & 6. super quem locum inuenies amplissimam copiam & dicendi materiẽ apud Chrisostom. in Commentariis super hanc epistolã ad Ephe. hom. 20. 21. & 22. vbi tractat quam syncerus esse debeat amor quo coniuges copulantur: & quod debeant esse tales ipsi viri, vt semper incumbant probitati vxorum suarum, suis salutaribus consiliis, & suaui gubernatione ac quieta, cum Deus eas dederit socias, & matres ac altrices liberorum: imitentur denique amorẽ, quo Christus dilexit Ecclesiam suam, instruendo eam semper. Considerabitque vir quòd sunt

sunt duo in carne vna. & quod si quid in illa corrigit & emendat, idem fere sit, ac si id emendaret in propria persona. Tractat præterea idem doctor, quod male tractare vxores sit hominum abiectorum. Tractat denique qua ratione moderandi sint filij, serui, & reliqua familia, vt ab omnibus ipse paterfamilias possit tandem & amari & timeri, imitando Abrahæ & Saræ prudentem gubernationem. Ex hac doctrina dilatata poteris texere innumeras fere conciones, & eas quidem perutiles. Chrysostmus vbi supra tomo. 4.

Iacet in domo paralyticus. Nõ illum huc adduco, quia commotio nocebit illi: nam male torquetur, &c. Vide Abulensem super hunc locum.

Autor. *Accessit ad eum Centurio.* Super hæc verba quia hic Centurio exat dux centum militum, conuenienter tractare poteris de statu ipsorum ducum siue Imperatorum, & cæterorum militantium. Ad quod accipies hæc paucula.

Qualis esse debeat optimus Imperator, Iudicũ 9. D. inter epulas & pocula.

Ducibus victis plerumque cæteri cadunt animis, 1. Reg. 17. G. videntes autem Philisthiim. Et Iudith 14. D. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum.

Qualis esse debeat Imperator siue dux, 1. Reg. 18. B. C. F. Et prudenter se gerebat.

Vt se gerere debeat Imperator cum suis militibus in diuidendis spoliis, 1. Reg. 30. G. æqua enim pars.

Cum dux interiit, statim animis cadunt milites, 2. Reg. 4. A. dissolutæ sunt manus.

Si dux generalis desit, exercitus ipse periclitatur, 2. Reg. 18. A. non exibis.

Quam necessarius sit in bello dux optimus 1. Machab. 2. per totum. & 1. Macha. 3. A. & surrexit Iudas. 1. Macha. 5. B. Miserunt literas ad Iudam. Tum Iudith 7. D. æquo animo esto.

Optimi Imperatores milites conseruant 1. Mach. 11. D. dimisit totum exercitum. & 2. Machab. 8. per totum.

Milites non debent prædari & suffurari cũ viam faciunt Nume. 20. C. obsecramus vt nobis transire liceat.

Quales esse debeant milites Nume. 21. E. obsecro vt transire mihi liceat.

Debent vtrique grati esse Deo in victoriis, Nume. 31. G. ob hanc causam.

Milites exemplum sumant de aliis Iosue 7. B. peccauit Israël.

Milites debent habere optimam conscientiam & sanctam, si cupiunt à Deo optatam impetrare victoriam, 1. Reg. 7. A. B. si in toto corde vestro.

Milites non debent manus habere aduncas siue rapaces cum viam faciunt, aliquem lædendo, 1. Reg. 25. A. B. saluos faciens tuos.

Milites qualiter debeant inire pugnam, 2. Macha. 10. E. post orationem sumptis armis.

Militum proprietates quales, Lucæ 3. C. contenti estote stipendiis vestris.

Quomodo intelligatur quod dicitur accessisse Centurionem ad Christum, cum per nuntios tãtum accesserit, lege D. August. lib. 33. contra Faustum cap. 7. & 8. to. 6.

Leges etiam eundem lib. 2. de Consensu Euange. cap. 20. to. 4.

Super illud, puer meus iacet in domo Paralyticus, agere poteris quod viri probi curant seruos suos, ac refouent decumbentes, & quod viles homines infirmos seruos & famulos deserunt: quemadmodum relictus est seruus ille Amalechitæ à suo miserabili domino, vide 1. Reg. 30.

Hic reperies dominum & seruum: in mundo siquidem sunt domini & serui, superiores & inferiores, ne inferiores contemnantur ab aliis superioribus, quandoquidem alij aliis necessario inuicem indigent. Vide Apost. 1. ad Cor. 12. qui de hac re tractat. super quem locum sancti Doctores tibi aperient magnam fenestram.

Iacet in domo, &c. Hic infinuatur cura, quam suæ familiæ habebat. Vbi si tu cupis agere de cura domestica, leges etiam Xenophontem lib. 3. de factis & dictis Socratis.

Seruus fidelis hic erat & bonus, quia tantum diligebatur à domino: curent igitur serui vt sic tractentur & diligantur à dominis suis, & potissimum vt præmium consequantur à Deo promissum seruis bene seruientibus dominis suis: sicut demonstrat Apostol. ad Colos. 3. in quem locum consules doctores.

Et ait illi Iesus: ego veniam, & curabo eum. Non debemus iactantiæ arguere dominum, quia statim se iturum, & sanaturum esse puerum promittit. Nam videbat Centurionis fidem, humilitatem, & prudentiam. Fidem in eo quod credidit ex gentibus, paralyticum à Saluatore posse sanari. Humilitatem quod se iudicauit indignum, cuius tectum dominus intraret. Prudentiam & fidem etiam quòd intra corporis tegmen diuinitatem latentem videret, & adoraret. D. Hiero. lib. 1. super Mat. 8. to. 9.

Qui verbo curare potuit, propter humilitatem visitare dignatur: & tamen in medio itinere verbo sanat: ne non propter humilitatem, sed ob impotentiam virium corporaliter ire putaretur. Glos. Ordi. super Mat. 8.

Quod & puerum Centurionis, & filiam Chananææ mulieris, non veniens ad domos eorum saluat: significat gentes ad quas non venit, saluas fore per verbum suum. August. lib. 1. Quæstio. Euange. cap. 18. to. 4.

Sed cur quæso tam facilem Christus se exhibuit medicum? Id quidem fecit, quia videbat quod Centurio eum cõfiteretur Deum: tum vt respõsum Centurionis veniret in omnium notitiam, & manifestaretur eius fides. Certum quidem est non respõsurum quod respondit, si Christus ita locutus non fuisset. Euthymius super Mat. 8.

Cur promiserit Christus se in domum Centurionis iturum, vide D. August. super Ioann. tractatu 16. tom. 9.

Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Notandum est quod vt habetur Nume. 21. cum populus Israel pœnitens propter plagam serpentum de murmuratione quam fecerant contra Deum & Moysen, dixisset Moysi: peccauimus, quoniam locuti sumus contra Deum, & contra te: ora pro nobis ad Dominum, vt tollat à nobis serpentes: orauit Moyses pro populo, & Dominus locutus est verbum Moysi, propter quod sanati fuerunt, & cessauit plaga. Et quod fuit verbum quod misit Dominus Mosi, id est dixit Moysi? hoc scilicet: fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit serpentem, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem percussi aspicientes, sanabantur. & hoc est ad literam verbum quod misit Dominus, vt inquit propheta, ad sanandum eos. Quando scilicet dixit Moysi, fac serpentem æneum. Et ideo Centurio ait: dic verbo, & sanabitur. Glos. incog. Psal. 106. versu 1900. super illa verba, Misit verbum suum, & sanauit eos.

Domine non sum dignus. Super hæc verba humilitatis plena, poteris adferre illud prophetæ, si non humiliter sentiebam, ita dicens: Quasi dicat propheta:

tunc non eram vere humilis, sed multum superbus, si non humiliter sentiebam: id est recognoscebam beneficia à Deo mihi data. Sed magis exaltaui animam meam in illis, scilicet illa mihi atribuendo, in illisque gloriando. Sicut qui sanitatem corporis habent, si non Deo sed sibi attribuunt, dicentes: meritis meis sanitate fruor, quia debite viuo. Diuites sibi attribuunt diuitias, quia sunt soliciti. Sic Doctores scientiam, quia sunt studiosi, &c. Tales enim nō sunt humiles, sed superbi: quia non humiliter sentiunt Dei beneficia, sed in illis se ipsos exaltant. Vis autem videre quia sanitas non est ex debito viuere tuo, nec diuitiæ ex solicitudine tua, nec scientia ex studio, & sic de aliis: sed ista à Deo possides? Considera quam multi sicut tu debite viuunt, parce comedēdo, & potando, à nociuis abstinendo, qui tamen corporis infirmitate grauantur. Quam multi æque solicitantur vt tu, & tamen semper inopes manent. Quam multi sicut tu studio sunt intenti, & tamen in scientia non possunt proficere. Vnde ergo ista diuersitas, nisi quia ista sunt dona Dei, quæ quibus vult ad libitum distribuit? Ergo illa debes humiliter sentire, & recognoscere à Deo, & non in illis te exaltare. Ita plane se humiliabat Centurio, cum dicebat: Domine non sum dignus. Glos. incog. in Psalm. 130. versicu. 2329. super illa verba, si non humiliter sentiebam.

Centurio cum sine lege esset, nil sine lege egit. Dicit: *Dic tantum verbo*, quia dictum erat: dixit, & facta sunt. Et si omnia perfecta sunt dictu: quomodo Psal. 148. dictu solo vnius infirmitas non curatur? *Dic tantum verbo.* Et sine verbo quid dicitur? sed iste postulat verbum, non de loquendi vsu, sed de virtute faciēdi: verbum de quo dictum est, Misit verbum suum, & sanauit eos. *Dic verbo tantum*, quia iste credidit in verbo Psa. 106. omnes manere virtutes. Verbum tuum domine sanitas est: verbum tuum vita est: verbum tuum vbi accesserit, inde confestim fugit dolor: infirmitas mox recedit. Verbum in quo Petrus cum laxaret retia, piscium multitudinem cepit: sine quo & ignorantiæ noctem pertulit, & nullum fructum peruigil piscator inuenit. Domine, inquit, laborantes per totam noctem nil cepimus: sed in verbo tuo laxabo retia. Petrus Chrysologus serm. 15.

Vt intres sub tectum meum. Fratres, quod est tectum quod hominem aut dignum facit, aut reddit indignum? quod Domini inuitet, aut repellat accessum? fratres hoc tectum corpus est, quod tegit animam: & operit sensum spiritus: quod cordis domicilium velat: quod libertatem mentis à cælesti visione secludit. Sub hoc ergo tectum Centurio indignum ducit intrare Christum, hoc est in corpus humanum diuinam succedere maiestatem.

Iste Centurio Christiani populi gerit figuram, qui Christi præsentiam corporalem se iudicat non mereri: sed solo verbo nuntio, auditu fidei tantum, tantas Domini audit, credit, respicit, in sua sanitate virtutes. Chrysolo. sermo. 102.

Domine non sum dignus. Ex humilitate hoc fecit. Petrus etiam dixit: Exi à me Domine. Et Abigail cum nuntios misisset ad eam Dauid, volens illam in vxorem accipere, dixit: Ecce famulam tuam, sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Non sic Gerasseni, qui rogauerunt Christum vt discederet, propter porcos quos amiserant. Aspectus quidem regum terræ, & eorum præsentia, homines reddit superbos: at Dei visus & intuitus, humiles: vidit Esa. Dominum, & seipsum exinaniuit. Abraham etiam coram Deo seipsum humilians, dixit: loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Sic Rebecca viso Isaac, descendit ex camelo. Quare sic anima Christiana videns Christum sponsum suū humilem, & videns Dei gloriam & maiestatem: descendit de camelo superbiæ, & humiliatur. Sic sanctissimus Iob domino, inquit: oculus meus vidit te, idcirco ego me reprehendo, & pœnitentiam ago in cinere & fauilla. Ex applicatione perpendiculi cognoscit artifex operis bonitatem, vel malitiam: sic opera nostra cū Dei operibus, & cum regula suorum mandatorum librata pānus sunt menstruatæ. Obserua etiam quod Dei serui quanto Deo sunt propinquiores, tanto humiliores sunt. Moses magnus princeps, & tantæ multitudinis imperator, adorauit Iethro cognatum suum.

Dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide & humilitate, nisi iam illum quem timebat intrare domum suam, corde gestaret. Nam non erat magna felicitas si Dominus Iesus intraret in parietes eius, & non esset in pectore eius. August. de verbis Domini sermo. 6. in princi. to. 10.

Ex reuerentia qua Christum prosequitur & obseruantia, dicit: Domine non sum dignus. De quo vide D. Tho. 3. p. q. 80. ar. 10. ad. 3.

Cognitio sui ipsius reddit quemque humilem: vnde multum refert, vt quisque sese nouerit, quod tamen laboriosissimum est. Adamus sibi nomen non imposuit, cum tamen illud imponeret cæteris rebus. Quia scilicet vt conuenientia rebus nomina imponātur, oportet vt notitiam habeamus naturæ ipsarum rerum. Vnde cum Adam in statu Innocentiæ haberet scientiam omnium rerum quæ naturaliter sciri poterant: facillimum ei fuit imponere rebus omnibus nomina. Sibi ergo non imposuit, quia non est ausus affirmare sui se habere notitiam. In quo docent nos sacræ literæ quam perdifficile sit, vt quisque sese nouerit. Gregorius Nazianzenus dicit, quod quemadmodum male euenit ei qui fixam oculorum aciem in solem contorserit, & præsertim si oculos habeat infirmos: ita impurus homo non potest puritatem ipsam & splendorem probitatis contueri: & oculi eius sunt adeò infirmi, vt videre non possint suam miseriam: multo igitur minus videbunt dignitatem, & excellentiam ipsam. Quo igitur nos magis per humilitatem descendimus ad notitiam nostri: tanto magis per contemplationem subleuamur ad Dei considerationem. In rebus quidem corporeis siue mundanis, verticem ipsum contingit & apicem, qui magis extollitur: in spiritualibus autem rebus, qui magis humiliatur. Sed quo tandem pacto poterit quis aliena diiudicare, si adeò laborat in sui cognitione?

Super illa verba, Domine non sum dignus, vide Origen. ho. 5. In diuersos to. 2.

Si velis etiam tractare de cognitione sui ipsius, quam necessaria sit, & cui quisque debeat incumbere: vide Philonem in libro quem scribit de Somnio Iacob.

Cum nil sit nobis magis cōducibile, quàm confideratio & cognitio nostræ miseriæ, ad emēdandam vitam: videbis hac de re Senecam lib. 3. de Ira ad Neronem cap. 42.

Quod quisque in sui ipsius cognitionem neruosissime debeat incumbere, nos admonet dictū illud vulgatum Porphyrionis philosophi: Intra tuam pelliculam te contine. Et illud Plinianum: intra tuum ipsius sinum inspice.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.

Videtis Centurionem antequam discipulatus subiisset

subiisset officium, locum magisterij fuisse sortitum? præbet enim petendi formam, dat normam credendi: fidei pandit causas: virtutum commendat exempla, qui nondum Christianæ scholæ ingressus est disciplinā. Causas pueri, quasi magister agit. Vere Centurio, qui stipendia terrena, centenarium cæli mutauit in fructum: & seruitutem militiæ secularis, in diuinam sustulit dignitatem. Petr. Chrysol. sermo. 15.

Quasi dicat: si ego qui sum sub potestate constitutus, imperio verbi solo facio mihi parere subiectos: quomodo tu qui nulli subiaces, & cuius omnia subiacent potestati, verbo non poteris iubente curare, sanitatem mittere, mandare virtutes? An verbo reficere non potes, quod verbo fecisti? dixit, inquit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. An aliquid ex aliquo reparare non sufficis, cuncta ex nihilo qui parasti? Petrus Chrysol. sermo. 102.

Nam & ego homo sum. Cognoscebat fragilitatem suam Centurio, & propterea hic etiam agere poteris de propria sui cognitione, & humilitate. & accipies sequentia.

Quantum propria sui cognitio valeat, vide D. Bernard. sermo. 36. super Canti. qui incipit, En ego meæ promissioni.

Si abest cognitio propriæ miseriæ, magnum damnum incurritur: consule D. Laurem. Iustin. in lib. cui titulus est, fasciculus amoris, cap. 16. inter initium ae medium operum.

Quomodo cognitionem propriam assequamur nostrarum miseriarum, eundem lege lib. de Casto cōnubio verbi & animæ cap. 17. prope initium operum eius.

Quantis quibusque modis sapientia reuocet hominem ad seipsum, vt cognoscat se: vide eundem lib. de Humilitate cap. 5. prope finem suorum operum:

Cognitio proprij sceleris est emendationis initiū: nec vult corrigi, qui se cognoscere renuit. Cōsule Senecam lib. 1. epist. ad Luci. epist. 28. in fine.

Quam pauci sint qui sua crimina velint agnoscere: & quod cæci quidem ductorem quærant, nos vero cæcutiendo prolabamur: consule eundem lib. 6. epist. 51. epist. ante medium eius.

Autor. Nos ipsos agnoscamus: quandoquidem deo omnes sinus conscientiæ nostræ, occultissimique recessus, apertissimi sunt. Vnde fusius perleges ista.

Nos ipsos agnoscamus, Esa. 37. F. habitationem tuam & egressum tuū. Et Hiere. 17. B. ego Dominus. Et Esa. 43. A. vocaui te nomine tuo.

Cōfiteamur culpas atque peccata, & humiliemur. Esa. 64. A. & facti sumus vt immūdi omnes. Et Hiere. 2. E. quomodo dicis non sum polluta.

De propria sui cognitione consule Exo. 4. B. mitte manum tuam in sinum tuum. & Hiere. 3. A. B. leua oculos tuos in directum.

Agnoscamus & accusemus delicta nostra, Hiere. 8. C. nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo. Et Hiere. 14. D. cognouimus domine impietates nostras.

Cognoscamus errata nostra 2. Regum 24. C. ego sum qui peccaui. Et ad Titum 3. A. eramus enim aliquando. & Daniel. 9. peccauimus, &c.

Autor. *Ego homo sum.* Super hæc etiā verba differere quibis quo pacto multi in prosperis constituti insolescant ac superbiant, & se esse mortales obliuiscantur, & contra in aduersis. Non quidem ita se gerebat sanctissimus Iob, nec in prosperitate, nec cum sedebat solus non tantum in terra, sed & in sterquilinio immundissimo. Consule hac de re D. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 4.

Quantum sit necessaria propriæ miseriæ, fragilitatisque cognitio, lege eundem lib. 10. Mora. cap. 8.

De ingenti bono quod ex propria cognitione dimanat, vide D. Greg. explicantem illum locum, vias meas in conspectu eis arguam, lib. 11. Mora. cap. 19. Quod quantumcunque boni, atque potentes simus, debeamus agnoscere miseriam & fragilitatem propriam: vide eundem lib. 19. Mora. cap. 5.

Quod sit remedium opportunum, vt facilius cognoscamus ac rectius miserias nostras, atque defectus: lege eundem lib. 24. Mora. cap. 6.

Vnde proueniat quod homines proprias miserias non agnoscant, vide eund. lib. 35. Mora. cap. 5.

Quod mirabilis ac rarus modus placandi Deum, & homines, sit cognitio propriæ miseriæ, & culpæ: vide D. Chrysost. ho. 20. to. 5.

De magnis incommodis quæ sequuntur ex eo q̄ homines nolint suas agnoscere culpas ac confiteri peccata: lege eundem ad popu. ho. 41. to. 5.

Fructus vberrimus, is qui ex propriæ miseriæ cognitione nascitur, existit: cum videamus cognitionem proprij lapsus Publicano maximè profuisse: vide eundem homil. 3. de Dauide & Saule, in media homilia quæ est inter medium ac finem to. 1,

Hic centurio quamuis indignitate positus, recte imitabatur illam cognitionem quam Dauid de seipso olim habebat, cum dicebat: Quis sum ego? 2. Regum 7. vide de hoc eundem D. Chrysost. homi. de Dauid, super prædicta verba, Quis sum ego? incipit autem, Imitatores Christi, to. 1.

Quod medium seruādum sit, vt in propriæ miseriæ cognitionem veniamus, vide eundem Chrysost. hom. 43. ad popu. tomo. 5.

Si velis videre mirabile quoddam colloquium, quod in laudem propriæ cognitionis est habitum inter Socratem & Euthydemum, super quodam titulo & inscriptione quæ erat in templo Delphico, nempe, Nosce teipsum: consule Xenophontem lib. 4. de factis & dictis Socratis.

Inuenies miras laudes & encomia propriæ cognitionis apud Platonem in dialogis inter Socratem & Alcibiadem.

Illud vetus prouerbium, Nosce teipsum, adeò fuit olim celebratum, vt graues disputationes & altercationes extiterint, quisnam eius autor fuerit, propter tantam excellentiam huius sententiæ. Nam Diogenes Laertius asserit esse sententiam Thaletis. Plinius affirmat esse Philonis Lacædemonij. Ouidius porro illud adscribit Pythagoræ. Socrates autem, & Plato, quos Macrobius sequitur in Somnio Scipionis, tribuunt illud Appollini.

Cum Philosophus Demonax fuisset rogatus quādo cœpisset philosophari: respōdit quod postquam seipsum cognoscere incœpisset.

De cognitione propria, vide D. Bernard. lib. de interiori domo cap. 29. & cap. 65. non procul à fine operum.

Consule præterea Lauren. Iustin, lib. de humilitate cap. 16.

De sui cognitione secundum Philosophos, vide Vincen. Bell. Specu. Doctri. lib. 5. cap. 60.

Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Creator mirabilium miratur: aurium conditor, quasi qui nō audita nesciat, sic stupet audita. Sed dum gētilem sic credidisse miratur, incredulitatem corripit Iudæorū. Petrus Chrysol. sermo. 102.

Non est dubium Iesum signa exteriora admirationis effecisse, ita quod exterior admiratio in eo apparuit. Interior autem admiratio in Christo quoque fuit, non ex ea parte qua omnia ei nota erant antequam fierent. Nullus enim admiratur de his, quæ iam nouerat. Sed ex ea parte, qua experimentali notitia

titia hactenus ei ignota fuerat tam noua, insolita,& magna fides hominis gentilis.Erat enim tanta, talisque confessio, digna admiratione apud omnes.

Non inueni tantam fidem. Hoc est, postquam cœpit prædicare, & quærere credentes. Vnde excludimus magnum Baptistam,qui maiorem habuit fidem,cum cõfessus fuerit diuinam naturam,& Christi mortem, ac redemptionem generis humani. Vel potest etiam intelligi absolute de omnibus: & tunc erit sensus, non inueni tantam fidem proportionaliter. Quia in gentili, & milite, & qui solum auditum habebat, & initio prædicationis Christi: fuit quidem admirabilis ea fides.Nam D.quidem Ioannes fuit sanctificatus in vtero, & fuit filius sacerdotis, nutritus in eremo, & instructus à spiritu sancto. Et sicut viduæ oblatio fuit maior cæteris proportionaliter, quamuis minimæ fuerit quantitatis, scilicet duorum minutorum: ita de Centurione dicendum. Caietanus super Matth.8.

Non inueni tantam fidem. Obiectum fidei potest dupliciter considerari: vno modo secundum formalem rationem,alio modo secundum ea quæ materialiter credenda proponuntur.Formale autem abiectum fidei est vnum & simplex, scilicet veritas prima, vnde ex hac parte fides non diuersificatur in credentibus, sed est vna specie in omnibus.Sed ea quæ materialiter credenda proponuntur, sunt plura: & possunt accipi vel magis vel minus explicite: & secundum hoc potest vnus homo plura explicite credere,quam alius.Et sic in vno potest esse maior fides, secundum maiorem fidei explicationem.D.Thom.2.2.q.5. arti. 4.in corpo.& 3.senten.dist.25.quæst.2.ar.2. quæst.1. per totam.

Miratus est. De hac admiratione,vide eundē 3. par. q.15.ar.8.& contra gen.lib.4.cap.33.in fine.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Vide supra Domi.2.post Octa.Epiphaniæ,colum.311.50.& colum. 412.per totam.& colum.312.fere per totam.

Et dixit Iesus Centurioni: vade,& sicut credidisti,fiat tibi.& sanatus est puer in illa hora. De seruo Centurionis, vide Hugo.de S.Victore lib.4.Allegori.in Euang.secundum Luc.cap.6.to.1.

Super Epist.& Euang. duos habet sermones D. Antoni,initio primæ part. Theologa.

Feria sexta post Cineres.

AVDISTIS *quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Matth.5.&.6.* Nunc exequitur de additamento charitatis, quæ totius cumulus est perfectionis.Ad Gala.5. Omnis lex in vno sermone completur,diliges proximum tuum. Et Roma.13. plenitudo legis est dilectio.Diliges proximum tuum Leuit.19.scriptum est. Sed odio habebis inimicum tuum, in toto corpore legis non est scriptum: vide ergo quod nomine legis intelligetur traditio scribarum, qui totam legem exposuerunt:in quorum traditionibus dictum est,odio habebis inimicum tuum. Quod ideo visum est eis addendum, quia dominus præcepit inimicos persequi. Præcepit enim filiis Israel, vt delerent Amalech de sub cælo: Et Saul habita victoria de Amalechitis,quia reseruauit regem ad vitam, & quædam pecora de præda, punitus est à domino,translatúmque est regnum ab eo. Videntes igitur dominum offensum, quia parcebatur inimicis: putabant odio habendos inimicos:ideóque cum in lege præceptũ esset, dilige proximum, in traditionibus suis addiderunt, odio habebis inimicum.Hugo.Cardi.super Matth.

1.reg.15.

Odio habebis inimicum tuum. Non odiendo naturam, sed culpam: non personam, sed vitium: quod vtiq; odium ex charitate procedit, & ad perfectionẽ pertinet. De quo in Psalm.138. cantatur, perfecto odio oderam illos.Item iniquos odio habui. Diony. Carthu.super Matth.

Non dixit, non oderitis, sed diligite, inquit: nec ait, nolite nocere, sed benefacite. Quod si quis diligenter examinet, horum quoque ipsorum aliud, & multo his maius additamentum, videbit. Nec enim vtcunque inimicos amari docuit, sed pro inimicis etiam supplicare.Vide iam quantis ad perfectionem gradibus ascenderit, & quemadmodum nos ad ipsum virutis cacumen eduxerit.Chry.super Matt. ho. 18. to.2.

Sic autem diligendus est inimicus, non inquantum inimicus, sed inquantum homo est: vt ei hoc velis prouenire, quod tibi: id est vt ad regnum correctus reuocatúsque perueniat. Proximus est autem omnis homo,omnes proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis, & mortalitatis: & etiam spe cælestis hæreditatis: quia nescimus quis quid futurus sit, forte per misericordiam Dei conuertetur,& inter sanctos sedere merebitur.Augustē.de tempore sermo. 59.to.10.

Qui sano intellectu scripturæ diuinæ sensum cognoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligat: vt diligat omnem hominem proximum suum, odio habebat diabolum inimicum suum. Quod etiam in vno homine,malo impleri potest. In ipso enim vno qui malus est, & proximus habem, & inimicum: nam quod homo est, proximus tuus est: quod malus est, non solum tuus, sed etiam suus inimicus est. Dilige ergo in eo carnem & animam, hoc est proximum tuum, quem Deus fecit, & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit. Quod cum sancto & pio animo feceris,vices cælestis medici ages, odio habens morbum, & diligens ægrotum.Aug.de tempore ser.168.to.10.

Hoc est nouum mandatum, hoc de filiis iræ facit filios Dei: benefacite, ministrando cibum mentis, vel corporis: singulis enim singula opponuntur, vt omnes partes malitiæ, bonitate vincantur.Glos.Ordin.super Matth.

Si iustum fuisset inimicos odire, nunquam Deus te inimicum ex gẽtibus suscepisset in suam dilectionem.Ille pro te & filium suum per omnia humanæ compassionis opprobria tradidit, vsque ad mortem. Ille te inimicum suum adoptauit: cohæredem vnigenito suo fecit: & tu vel nudam dilectionem reddere inimico tuo non vis.Quid tamen mirum si graue illis videatur inimicos amare, qui nec amicis suis synceram conscientiam seruant? Nam cum sit mundus iste scandalis plenus, si amicos voluerint diligere tantum, non inuenire poterunt quos diligant. Hodie enim iste illum offendit in re tali,cras ille istũ offendet in altera re: & ita fit vt ita si decreuerit homo inimicos odire, necesse sit vt odiat omnes, & odiatur ab omnibus. Puto quod nõ tantum pro inimicis nostris Christus illa mandauit: quantum pro nobis: non tantum iubet diligere inimicos vt illos diligamus, quantum vt à nobis ipsis quod malum est repellamus.Et ideo non dicam si læseris inimicũ, sed si oderis eum tantum, amplius tibi nocuisti secundum animam, quam illi secundum corpus. Et illi

illi forsitan nil noces odiens cum,te autem ipsum sine dubio lædis.Si ergo peperceris inimico, tibi amplius pepercisti quam illi: & si beneficeris ei, tibi amplius præstitisti quam ei. Qui te innocentem iniuriatur, si incipias considerare quomodo à diabolo possidetur, & agitur, & quo modo voluntatem suam adimplet per ministerium eius:non solum non irascêris ei, sed adhuc misereberis eius, Vis ergo diligere inimicum tuum? Si iniuriam pateris, noli iniuriam præsentem aspicere: sed considera gloriam quam pro mercede in iudicio consecuturus es. Illis enim tantum videtur difficile,qui retributionem nõ sperant futuri iudicij. Sciens autem dominus quia carnis dilectio ex beneficiis carnalibus nascitur, vbi non fuit prius: & nutritur etiam, vbi fuit prius: ideo iubet nos benefacere inimicis, vt nostris beneficiis compescantur. Si enim dando & accipiendo amicitia nascitur, quæ non erat prius: consequenter & odium & omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescetur. Benefacite ergo odientibus, vt ex vestra beneuolentia ipsi iudicent quia iniuste vos odiunt.Orantes porro pro inimicis, non tantum illos,quantum nos commendamus Deo: & magis exaudimur pro nobis.Chrysost. in non abso. ho. 13. tom.2.

Diligite inimicos vestros. Attende quam facile Samuel condonabat illatas sibi iniurias,ac precabatur pro his qui eum affecerant incommodis, vt patet. 1.Reg.12.

Tob.1. Vix dum præterea Tobiæ vxor desierat exprobare marito suo & eum infestare, cum iustus ac
Tob.4. sanctus senex contumeliæ prorsus oblitus, mandauit filio suo vt matri suæ diligenter obediret, eámque veneraretur: attende quæso quam cito remittebat offensas.

Si vis videre quo pacto beneficia cõferri debeant, lege Senecam lib.1.de beneficiis cap.1.

Imitemur in beneficiis conferendis Deum,qui ab omni spe lucri est penitus alienus,& tamen innumera.& maxima beneficia nobis largitur, idque tam frequentissime.Pudeat, inquit Seneca,venale habere beneficiũ: gratuitos quidem habemus deos,quos quidem si imitaris, etiam ingratis beneficia conferes. Nam & sceleratis sol oritur,& pyratis patẽt maria:lege Senec.lib.4.de benefi.cap.25.

Cleobolus Philosophus dixit: amicos beneficiis foue, quo fiant amiciores: inimicis benefac,quo fiãt amici. Solon, cum inimicis in gratiam redire stude. Marcus Cato, omnibus præterquam tibi ipsi ignoscito.Democritus,peregrinus cum sis,paccatus esto, & bene tecum agetur.Periander, supplicibus misericors esto.

Multi præcepta Dei imbecillitate sua non sanctorum viribus æstimãtes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere in virtutibus non odisse inimicos: cæterum diligere plus præcipi,quã humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta. Hæc autem præstitit Dauid in Saule, & in Absalon. Stephanus quoque pro inimicis lapidantibus est deprecatus.Et Paulus anathema cupiebat esse pro persecutoribus suis.Iesus præterea qui hæc docuit,eadem præstitit, dicens,Pater ignosce illis,&c. Hiero.lib. 1. super Mat.to.9.

Euenire plerumque patientibus solet, vt eo quidem tempore quo vel aduersa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulsentur, & sic patientiam exhibeant, vt custodire etiam cordis innocentiam non omittant. Sed cum post paululum hæc ipsa quæ pertulerunt ad memoriam reuocant, igne se doloris inflammant, argumenta vltionis inquirunt, & mansuetudinem quam tollerantes habuerunt, retractantes in malitiam vertunt. Quibus citius à prædicatione succurritur,si quæ sit, huius mutationis causa pandatur. Callidus namque aduersarius bellum contra duos mouet,vnum videlicet inflammans, vt contumelias prior inferat, alterũ prouocans, vt contumelias læsus reddat. Sed plerumque dum iam huius victor est qui iniuriam persuasus irrogat, ab illo vincitur qui illatam cõtumeliam sibi æquanimiter portat. Vnius ergo victor quem commouendo subiugauit, tota contra alterum virtute se erigit: eúmque obsistentem fortiter & vincentem dolet. Quem quia commouere in ipsa contumeliarum iaculatione non potuit,ab aperto certamine interim quiescens, & secreta suggestione cogitationem lacessens, aptum tempus deceptionis inquirit.Quia enim publico bello victoriam perdidit, ad exercendas occulte insidias exardescit. Quietis namque tempore iam ad victoris animum redit, & vel rerum damna, aut iniuriarum iacula ad memoriam reducit: cunctáque quæ illata sunt vehementer exaggerans, intollerabilia ostendit, tantóque mentem mœrore conturbat, vt plerumque vir patiens, illa se æquanimiter tollerasse post victoriam captiuus erubescat, seque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si occasio præbeatur, quærat. Quibus ergo isti similes sunt, nisi his qui per fortitudinem in campo victores sunt:sed per negligentiam postmodum intra vrbis claustra capiuntur? Quibus sunt similes, nisi his quos irruẽs grauis languor à vita non subtrahit, sed leuiter veniens recidiua febris occidit? Admonendi sunt igitur patientes, vt animum victoria muniant: vt hostem publico bello superatũ, insidiari mœniis mentis attendant,& languorem clam repentem timeant, ne hostis callidus in deceptione postmodum maiori exultatione gaudeat,quod dudum contra se rigida colla victorum opprimat. Gregor.3.part. Pasto. admo.10.

Astutiã vide inimici.

Quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apost.ait, vt det illis Deus pœnitentiã, ad cognoscendum veritatem,& vt resipiscant à diaboli laqueis, quibus capti tenentur pro sua voluntate?Gregor.lib.4.dialog.cap.44.

In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcunque excusationem prætendere: in habenda vero dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: non possum iciunare. Nunquid potest dicere,non possum amare? Non hic aut pedes laborant currendo,aut aures audiẽdo, aut manus operando lassantur, vt nos per ipsam excusationem liberare conemur. Non nobis dicitur: ite ad orientem,& quærite charitatem. Nauigate ad occidentem, & inuenietis dilectionem. Intus in corde nostro est quo redire iubemur, dicente propheta:Redite prævaricatores ad cor. Non certe in longinquis regionibus inuenitur,hoc quod à nobis petitur.Augustē. de tempore serm.59.to.10.

In diuinis voluminibus, fratres charissimi, ita dispensauit spiritus sanctus, vt & sanis ornamenta, & ægrotis spiritalia medicamenta deesse non possent. Quam rem domino donante agnoscens, de veteri ac nouo Testamento prout potuimus, vnicum ac singulare remedium animarum pro amore inimicorũ, collegimus.In primis considerandum est quanta in beato Iacob fuerit charitas, vt odientem se fratrem suum maluerit in longinquis regionibus fugere,quã vicem odij repensare. Quem sicut vitare sciuit, ita odisse nescivit, sed reuersus multis muneribus vt eũ sibi placaret honorauit. Deinde attendendum est quam benigna fuerit etiam erga inimicos antiquorum

Gene.28.

Gene.33.

rum aliorum sanctorum charitas. Nam beatus Ioseph pro parricidij crimine impiis & inimicis fratribus suis non odij amaritudinem, sed charitatis dul-
Gene.45. cedinem repensauit. Osculabatur enim singulos, & per singulos flebat: quibus etiam nō solum nil mali rependit,sed omnia bona retribuens tam viuo quam mortuo patre, germano semper eos amore dilexit. Beatus quoque Moyses, cum frequenter eum populus rebellis non solum contemneret, sed etiam lapidare vellet:diuinæ charitatis memor ita pro illis do-
Exo.32. mino supplicabat, vt clamaret, & diceret: Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro tuo.
Leui.19. In ipso etiam veteri Testamento legimus scriptum, itinera eorum qui iniuriam retinent malefacti mortem. Et iterum, ne memor sis iniuriæ proximi tui.
Exo.23. Et rursum, si videris asinum inimici tui iacentem in luto, non præteribis nisi prius alleues eum. Quo loco vnusquisque diligenter consideret quod si asinum inimici non licet in luto dimitti, quanto magis homo ad imaginem Dei factus non debet odio haberi, aut negligi? Beatus quoque Iob ita veram & perfectam charitatem etiam cum inimicis fideliter retinebat, vt gaudens & libera conscientia ad Deum diceret: Si gauisus sum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo quod inuenissem eum malum,&c. Beatus quoque Dauid licet virtutibus multis fuerit exornatus, nulla tamen eum actio familiarius Deo coniunxit,quam dilectio inimicorum suorum. Cui cum inimicus suus in faciem malediceret,maluit tamen parcere, & Dei iudicio reseruare, quam suæ iracundiæ satisfacere. Et in tantum non fuit simulata nec vel falsa dilectio sua, vt ipsos etiam aduersarios fleret:& illos qui eos occidere præsumpserant,castigaret. Vnde securus in Psalm.7. dicebat illud,quod omnes homines satis attento ac trementi animo dicere debent: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. Ecce quali maledicto se ipse comdemnat, qui de inimicis diligendis Dei præcepta contemnēs, odium in corde seruare non metuit! Vnde considerandum est qua fronte, vel qua conscientia, versiculum istum ex ore suo proferre poterit, qui inimicis
Prou.24. suis mala pro malis retribuit! Per Salomonem quoque spiritus sanctus dicit, & clamat: cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne forte videat Deus, & displiceat illi, & auertat iracundiam suam ab eo, & vtique cum auerterit, ad illum dirigat qui de inimici ruina gaudebat: secundum illud,qui in ruinā læ-
Prou.17. tatur alterius, nō erit impunitus. Et Ecclesiastici 28. homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur: Ipse cum caro sit reseruat iram, & propitiationem quærit à Deo? Quis exorabit pro delictis ipsius? Prouerb.25.
Rom.12. etiam dicitur: si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Qualiter autem accipi debeat locus iste: sancti & antiqui patres reue-
Matt.14. lante spiritu sancto definierunt. Caput quidem in homine sensus rationalis intelligitur,qui sensus cum à feruore charitatis recedens factus fuerit frigidus, vt scriptum est: quia abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas: necesse est vt quod obest saluti, contrarium sapiat, vt cui deberet esse amicus,
Rom.12. inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos, & charitatis igni successos hortatur Spiritus sanctus, dicens: carbones ignis cōgeres super caput eius. Cum enim inimico tuo frequentius pio animo benefeceris, quamlibet sit impius & crudelis, barbarus & cruentus: tamen tandem aliquando erubescit, & dolet, & pœnitere incipit: cumque pœnitentiam cœperit agere, sensus rationalis, hoc est caput ipsius, incipit charitatis igne succendi. Et qui prius quasi frigidus & phreneticus contra te consueuerat iracundiam retinere,spiritali calore de tua bonitate succensus,incipit te toto corde diligere. Ecce quomodo sancti patres hunc scripturæ locum intelligendum esse dixerunt. Nam absit à sensu catholico, vt eo animo quisque boni aliquid inimico suo conetur impendere, vt eum pro hoc beneficio velit æterno incendio concremari. Cæterum non attendimus quia dum nos inuicem odio habemus, ita muros ciuitatis Hierusalem contra nos claudimus, vt nullus nobis aditus permaneat per quem intrare possimus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum habet, dicente Ioanne, Deus charitas est: qui charitatē habere noluerit, qua fronte ad dominum, qui est charitas, præsumit accedere? &c. D. Aug. de tempore sermo. 168. tom. 10.

Quod si iniquis ac sceleſtis Deus parcendo, eisque vitam salutémque largiēdo, etiam plerisq; eorū quos nouit non acturos pœnitentiā, tamen exhibet patientiam: quanto magis nos in eos qui correctionem promittunt, & vtrum faciant quod promittunt incerti sumus, misericordes esse debemus? Augusti. lib. Epist. 54. epist. tom. 2.

Si me persecuti sunt, & vos persequentur dicit Ioan.15.
dominus. Sed quanta sunt in comparatione passionum eius, quæ patimur? Ille enim opprobria, irrisiones, & contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemque sustinuit: & nos miseri ad nostram confusionem vnico sermone fatigamur, vnico verbo deiicimur. Quid est quod agimus? cur quæso nō meditamur illud quod dicitur? si nō com- 2.Tim.2.
patimur,non conregnabimus. D. Augusti. lib. de conflictu vitiorum & virtutum cap. 8. to. 9.

Demitte nobis debita nostra,&c. Dicit tibi Deus: quid mihi das vt ego dimittam tibi debita tua? Quale munus offers? Quale sacrificium conscientiæ tuæ imponis altaribus meis? Continuo docuit te quid petas,& quid offeras. Debitor es ei qui falli non potest: habes & debitorem, dicit tibi Deus, tu debitor meus es, ille debitor tuus, hoc facio ergo tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo,&c. D. Augus. de tempore, ser. 170. to. 10.

Si hostis qui tecum bello armisque certauerit, depositis armis misericordiam suæ salutis adipiscitur, idque plerumque vel contemplatione naturæ, vel ipsius belli iure defertur, vt subiectis vita tribuatur: quanto amplius, meliore religionis contuitu faciendum est? Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur. Si patiens est, debet patientiam verberanti: si benigna est, non debet respondere maledictis: si non quærit quæ sua sunt, non debet resistere diripienti: si non æmulatur, odisse non debet inimicum. Hæc omnia Christus & dixit, & fecit: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum crucifigeretur, pro ipsis persecutoribus veniam postulabat, dicēs: Pater ignosce illis. Criminatores suos excusabat à crimine: illi crucem parabant, hic gratiam & salutē repēdebat. Ambr. super Luc. 6. lib. 5.

Quæri potest hoc loco quod sit magis meritorium, diligere amicum vel inimicum? Ad hoc diuersimode satis à diuersis respondetur. D. Thom. respōdet hoc modo: dilectio refertur ad diligentem,& ad Deum qui est ratio diligendi proximum: referendo ergo dilectionem ad diligentem, sic dilectio amici eminet dilectionem inimici. Quia amicus cum sit melior, atque propinquior, est materia aptior dilectionis, quam inimicus; propter quod actus charitatis

tatis transiens super talem materiam, est melior, & oppositum eius est peius, videlicet odium amici, quam inimici. Quantum vero ad id quod est ratio diligendi proximum, quod est Deus: dilectio inimici præeminet. Primo quoniam solus Deus est causa huius dilectionis: secundo quia ex dilectione inimici ostenditur amor Dei fortior esse in diligente, quam ex dilectione amici. Nihilominus dilectio amici secundum se est melior, feruentior, magisque meritoria: quia ad rationem virtutis ac meriti, plus facit bonum, quam difficile. Quamuis ergo dilectio inimici sit difficilior, non tamen est melior, vel magis meritoria, nisi præmij accidentalis, ratione laboris annexi: præmium vero essentiale correspōdet feruori dilectionis. Diony. Cart. su. Mat.

Fertur de Cæsare Augusto, quod cum alias esset tenacis memoriæ, iniurias tamen cumprimis obliuiscebatur. Audi præterea Senecam, Regium est, inquit, male audire, cum benefeceris. Si enim magnanimus es: nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi: sed animum nocendi habuit. Reuera sicut dicit Tullius, nulla de virtutibus plurimis admirabilior, nec gratior est, beneficentia: homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Regia crede mihi res est, succurrere lapsis, pulchrúmque vitam donare petenti. His quidem maxima laus est benefacere, quibus neminem speras esse fauturum: & vbi ad beneficiendum necessitudinis vinculum nullum est. Denique nulla res, vt Epicurus etiam dixit, perinde parit gaudium, vt beneficentia. Photio Atheniēsium princeps cum calculis suorum ciuium esset ad mortem damnatus, rogatus ab amicis si quid filio suo dici vellet: volo inquit, ne scilicet illatę mihi ab Athenieńsibus iniuriæ reminiscatur. Hæc ille, homo videlicet gentilis, & qui nihil de præmio diligētium inimicos vel somniauerat quidem, cum tamen proxime accederet ad id quod dicitur Leui. 19. non eris memor iniuriæ ciuium tuorum. Memorabile porro quoddam Thrasybuli staturum Plutarchus refert. Qui postquam ciuitas Athenienſium opera sua liberata fuit à tyrannide triginta tyrannorum, recōciliata tandem pace in ciuitate, legem tulit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, nec multaretur: quā legem obliuionis nominarunt. Cui quidem honoris corona, pro tantis meritis à populo data est. Hanc quoque obliuionis legem nostrates etiam maxime prosequuntur, obliuionis dico huius præcepti, diligite inimicos vestros,&c. Gutierrus Treius super Euang. lib. 3. cap. 5.

De signis autem dilectionis inimicis exhibendis, tenenda est beati Thomæ sententia 2. 2. q. 25. ar. 9. sunt enim quædam peculiaria quæ exhibentur amicis, vt confabulationes, deambulationes, simul edere,& similia. Hęc cum nec amicis teneamur sub præcepto exhibere, pariter nec inimicis. Sunt vero alia signa quæ in communi exhibentur hominibus, vt salutare se mutuo dum sibi inuicem occurrunt,& similia generalia signa quæ omnibus exhibentur. Hæc subtrahens inimico mortaliter peccat, quoniam & illum, & cæteros id videntes, scandalizat, & odium in corde habere iudicatur. Soarez super Mat.

Expende precor te lector totam rerum machinam, & inuenies aliud res mundi contendere, quam ex inimicis suis amicos facere. Quid enim aliud vorax flamma conatur, quam viridia & sibi aduersantia ligna in sui naturam conuertere? Quid contendunt arbores cum succum terræ sugunt, nisi ex terra sibi contraria terram facere meliorem, in naturam scilicet arboris conuersam? Quid aliud sol, quam tenebras lucis beneficio dissipare, lumenque caliganti mundo inuehere? Si igitur omnes res temporales ita conantur pugnantes secum corrumpere qualitates, vt contrarietas omnis soluatur: quanto potius vir pius, qui est veluti sal, & sol, beneficiorum suorum luce debet inimici tenebras expellere, vt videlicet ex inimico faciat amicum? Iam vero tam infelix est casus inimici tui in peccato iacētis, vt vel hoc vnum tibi debeat misericordiæ lachrymas excutere, stimulosque addere, vt quacunque possis ratione, arte, vel opera, erigas fratrem in cœno iacentem, libereſque à morte eum, qui iam in inferni faucibus est. Si enim asinum inimici sub onere iacentem lex antiqua subleuare iubebat: quanto magis animam sub onere peccati iacētem, æquum erit subleuare? Quod si nihil aliud vt Christianus optat vehementius, quā fieri voluntatem Dei, & eius regnum aduenire, diaboli vero regnum perire, & peccari: planè afficere beneficiis inimicum suum debet, vt auferens eum à regno diaboli, regno tandem Dei restituat. Qui pro inimicis orat, quique inimicos diligit, spectaculum est mundo, angelis, & hominibus. Spectat Deus, spectant angeli, stupet mundus, attoniti redduntur homines, cum vident Christianum reddentem bonum pro malo. Vnde Apostо. spectaculum facti, inquit, sumus mundo, angelis, & hominibus. Cur? Quia vsque in hanc horam esurimus, sitimus, colaphis cædimur: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, &c. Multorum porro habemus prophana exempla, qui malefactoribus beneficia reddiderunt Quæ Sabellicus lib. 5. de memorabilibus factis tradit. Vbi Iulium Cæsarem, & Augustum, Vespasianū, & Titum, hac laude coronat.

Diligite inimicos vestros. Hoc nobis potissimum in die illo terribili patrocinabitur, & redemptio maxima erit peccatorum nostrorum, si sic affecti fuerimus aduersus inimicos nostros. Si enim fortiter resistimus hosti tentāti, magna nos expectant bona: sin minus, graue sustinebimus iudicium. Chrysos. super Gene. hom. 4. & vide ho. 27. & 58.

Audistis quia dictum est antiquis, &c. Mirot vnde hæc tam pernicioſa doctrina in mundum inuecta fuerit. In literis enim sacris nusquam hoc Phatisæorum dogma, nec hæc verba reperiuntur, sed longe diuersa. Nam dominus ait, non [illegible]ltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium [illegible]m. Alibi etiam dicit: si videris asinum odientis te iacere sub onere, non præteribis, sed subleuabis cum eo. Quomodo ergo inimicum odisse præcipit? Vnde hæc tanta diuinæ legis peruersio? non dubium quin ex voluntatis humanæ deprauatione. Vnde enim tot hæresum prodigiosa monstra nostro seculo promanarunt? Certè sicut frequenter accidit vt noxius humor qui stomachum vexat, facile caput (propter coniunctissimam horum membrorum vicinitatem, atque resp̄sum) inuadat: ita cum intellectus & voluntas arctissimo naturalis amicitiæ vinculo copulentur, in procliui est vt cum volūtas ardentissima alicuius rei cupiditate flagrat, intellectum non modo ad consentiendum, sed ad probandum etiam q̄ cupit inducat.

Ego autem dico vobis. Similis vox seruos Absalon ad teterrimum facinus patrandum, nempe fratris natu maximi parricidium, inflammauit, qui dixit, obseruate cum temulentus fuerit Ammom, percutite eū: nolite timere, Ego sum qui præcipio vobis: cur nos ergo ad sanctissimum & pulcherrimum factum, hæc Christi vox, Ego autem dico vobis, Ego inquam qui vos ex limo terræ condidi, &c. non incitabit?

Sicut ignis vehementer incensus quæcunque in

cum ieceris vertit in ignem: ita cum charitatis igne iusti hominis pectus vehementer flagret, omnia quę aduersus illum siue recte siue improbe fiant, hunc ipsum charitatis ignem magis incendere & inflammare solent. Cæterum hoc cõsilio in corporis etiam periculis arcendis vtimur: qui enim cum aduersario inuadente colluctatur, non hoc solum captat, ne ab eo prosternatur, sed summa etiam vi contendit, vt illum magis ipse deiiciat, atque prosternat: quod hac ratione longius à lapsus & ruinæ periculo absit. Cum ergo te aliquis maledictis & iniuriis incessit, quid aliud molitur, quam vt cum animo tuo colluctans, te in furorem atque odium impellat? At tu qui ab hoc periculo immunis esse cupis, beneficiis aduersus illum certa: partim vt illum tu magis beneficiis allectum ad mutuam dilectionem incendas, partim vt longius ab inferenda iniuria absis.

Deus non solum beneficus est in illos quos nouit fore gratissimos & optimos, sed etiam in eos qui ingratissimi sunt futuri. Amicitiam enim iniit cum Saule, Salomone, & Iuda: quorum perfidiam futuram non ignorabat. Cur tu igitur non eris beneficus in ipsos inimicos?

Vnusquisque in maxima necessitate proximum tenetur corrigere: & quamuis inimico tuo existenti in mortali peccato, alij prædicent, & amicitiam persuadeant: non ita vere commouetur & conuertitur ad Deum, ac si tu illum esses alloquutus, qui offensus es. Nemo enim est qui tam apte inimicum curare possit, quam suus inimicus. Scorpio quidem acerrimus inimicus est muris, & hæc duo animalia maximè inter se contraria sunt: medicamentum tamen præsentaneum morsui scorpionis, est mus occisus, & apertus, positúsque morsui. Sic nimirum inimicum inimicus curare potest, si eum blandis & amicis verbis alloquatur, & coram eo humilietur. Quod exemplũ Christus sanctissimus ac benignissimus amicus etiam inimicorum suorum, nobis dedit: qui coram sceleratissimo Iuda genua flectens, pedes eius lauit, quem sciebat traditorem & inimicum suum esse. Non solum autem inimicum diligere debes, sed etiam multa ei amoris signa ostendere: & plura quam amico. Nam si aliquando amici beneuolentiam non captaueris, id incuriæ vel negligentiæ tribuit: quod si id feceris cum inimico, multi te id propter odium facere putabunt. Atque ideo ratione scandali vitandi, potius inimico quam amico amoris pignora debes ostendere. Christus redemptor noster in cruce pendens, prius pro crucifixoribus suis orauit: cuius exemplo discе tu curam de inimicis tuis habere. Potest quidem quis aliquando inimicis loquelam interdicere: sicut pater filio, & prælatus subdito. Sic enim fecit Dauid cum filio suo Absalon: qui etiamsi venisset in Hierusalem, tamen regis faciem duorum annorum spatio non vidit. Certè quia iudex eius erat, & rex: & hac pœna filij culpam castigabat. Certum est mulierem illam Samaritanam Christum offendisse, quia idolis deseruiebat, & concubina erat: nihilominus tamen Christus eam prius alloquitur, & loquelam incipit, dicens illi: Mulier, da mihi bibere. Quod vtique fecit vt eam ad se conuerteret: sic tu etiamsi offensus sis, prius inimicum debes alloqui, vt eum confundas, & conuertas. Si ratio præterea postulat vt benefactorem amore prosequamur: eadem etiam postulat, vt inimicum diligamus, quando quidem multa bona nobis impartitur. Inimicus studiosum te efficit, cautũ ac prouidum: & si coram eo loqueris, quid dicas attendis. Vnde sapienter ac præclare dicebat Socrates: hominem maximè indigere vero aliquo amico, vel crudeli inimico. Si quis vestem suam qua indutus est, scinderet, quia sibi non placeret, & se ipse pugione interficeret: nonne insanus hic talis esset? Sic tu inimicum tuum non potes ferire, quin prius te ipsum interficias. Vnde Augustinus sermo. 16. de verbis domini super Matth. dicit: Non potest fieri vt qui odit alterum non sibi prius noceat: nam dum lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus. Lege etiam eundem Augustinum in Psal. 34. super illud, in laqueum cadat in idipsum. Bene igitur in sua prima Canon. beatus Ioannes dixit: Qui odit fratrem suum, homicida est. Quid ais Ioannes? quomodo possum occidere inimicum absentem, licet oderim eum? Dicit quidem quod qui odit homicida est. Cuius? vtique sui ipsius: omnis enim qui odit, se ipse occidit. Ergo omnis qui odit homicida est. Quæ igitur maior insania esse potest, quam inimicum odio prosequi, quando hoc fieri non potest quin prius in graue malum tibi cedat? Fuit ne vnquam tam amens homo, qui cum comedens linguam dentibus momorderit, dentes euellat? Aut qui lignum scindens si pedem suum percusserit, manum abscindat? Scitote igitur magis proximum propinquum esse, quam dentes, aut manus. Quod si alia ratio non esset vt inimicum non prosequaris odio, quam ne damnum tibi inferres, cum natura hoc dederit vt quisque se diligat: hæc vtique sufficientissima deberet esse, vt eum semper amares, & ei felicia cuperes. Quare noli iam vinci à malo, sed vince in bono malum, vt inquit, Apostol. Inimicum porro debes diligere, quia omnes illi labores & persecutiones quibus te opprimit, à Dei manu mittuntur, & eos diuina maiestas in vtilitatẽ ac cõmodum tuũ permittit: vt verũ intelligas dictum Amos prophetæ, Non est malum in ciuitate quod non fecerit Dominus. Vnde cum Semei Dauidi malediceret, ipse Dauid suis dixit: Sinite illum, Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauidi. Quare cũ inimicus tuus te persequitur, considerare debes potentiam quæ in illo est, à domino esse: quia omnis potestas à Deo. Vnde etiam cum dæmon patientissimum Iob substantia sua orbauit: dixit Iob, Dominus dedit, Dominus abstulit. Nam si dominus non fecisset dæmoni facultatem, dæmon eam non tolleret. Is enim qui suspenditur latro, non de carnifice conqueritur, sed potius de prætore aut iudice. Vnde cum Pilatus inflatus superbia dicebat, Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te: Respondit ei Saluator: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Dauid quoque dicebat: Obmutui, & attendi quoniam tu fecisti. Quamobrem qui persecutores suos odit, non multum distat quin & Deum ipsum oderit. Aduerte porro quod redemptor noster Iudam ipsum amicum appellauit. Nam etiãsi intentio & animus eius inimici esset, opus tamen amici fuit: & ideo qui nos persequuntur, opera amici in nos conferunt. Theriaca quidem præsentaneum remedium est ac singularis medicina aduersus venenum: quæ tamen & ex ipso veneno componitur: ita tu si theriacam admirabilem ac singularem medicinam volueris conficere, & applicare vlceribus animæ tuæ, accipe tibi inimici tui malitiam, quæ venenum est: ob quam parcet tibi dominus, ac condonabit tua peccata, & simul etiam infirmati inimici tui medeberis. Cum enim ipse inimicus bonitatem ac patientiam tuam attenderit, pudore suffundetur. Nemo quippe adeò immanis est & barbarus, qui si videat te multa sibi bona facere in retributionem suæ malitiæ, non confundatur. Christus quidem Malcho seruo pontificis, qui simul veniebat cum Pharisæis, vt eum in carcerem detruderet, auriculã curauit. Solem item suum oriri facit super

Matt. 5. Rom. 12. super bonos & malos. Et mundum inuisit cum plures habebat inimicos, atque humanam tunc carnem assumpsit. Sic tu dum inimicus tuus magis indignus fuerit vt ei parcas, tunc ei debes indulgere: vt vel ita bonitas tua inter malitiam suam splendeat. Cum la-
4. Reg. 6. trones Syriæ capere vellent prophetam Elisęum, duxit eos propheta in mediam Samariam: cumque rex illos interficere vellet, non solum non id voluit propheta, sed potius splendidissimum conuiuium illis fecit. Qua ex re ita confusi sunt latrones, vt dicat scriptura quod vltra non venerũt latrones Syriæ in terram Israel.

Augustinus lib. 1. de sermo. domini in monte cap. 44. videtur asserere peccatum oppugnantis fraternitatem esse vsque adeò pernicioſum, vt nullus ab eo queat resurgere. Etenim illius peccati tãta labes est, vt deprecãdi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia & agnoscere & annuntiare cogatur. D. Thom. parte summæ tertia q. 86. hoc dictum mitigans, ait ipsum intelligendum esse eo modo, quo dicere solemus illum non posse sanari, qui non facile potest sanari. Licet enim peccatum hoc suapte natura sit curatu difficillimum, potest tamen facile curari ope diuinæ gratiæ: quæ iuxta Dauidis sententiam, etiam interdum profunduni maris conuertit. Six. Senen. in sua Biblio. sanct. lib. 6. annota. 28.

Super illa verba, diligite inimicos vestros, lege D. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 8. & 9. per totum, & q. 34. ar. 3. ad 3. & q. 83. ar. 8. in corpo. & q. 108. ar. 1. in corpo. & in 3. senten. dist. 3. arti. 1. & 2. per totum. & de verita. q. 2. arti. 2. per totum, & opusc. 4. diuisio. 5. 6. 7. & 8.

Super illa verba, benefacite his qui oderunt vos, vide eundem 2. 2. q. 25. ar. 6. in corpore. & ad 2. arti. 9. per totum. & quæst. 31. arti. 2. per totum. & quæst. 32. arti. 9. ad 1. & super epistо. ad Roma. 12. lect. 2. in fine. & ad Gal. 6. lect. 1. per totam.

Ordo qui in diligendo seruari debeat, ostenditur ab Origene in secunda editione seu interpretatione Cantico. hom. 2. to. 2.

Quod omnes tum amicos tum inimicos diligere debeamus, sermonem condidit D. Chrysost. cuius titulus est, diligamus omnes etiam persequentes: est autem inter initium ac medium to. 5.

Quod bonum procurare debeamus non tantum amicis nostris, sed etiam inimicis, leges 2. Paralipo. 6. F. externum quoque, &c.

Quo pacto vincemus difficultatem quæ in diligendis inimicis inuenitur, lege D. Augustinum de tempo. sermo. 255. to. 10.

Diligite inimicos vestros. Hoc implent impij diligẽdo mundum, qui grauis ipsorum est hostis: & adhuc amando dæmones, nempe eorum voluntatem implendo, cum tamen ab ipsis dæmonibus summo odio habeantur. Ad hoc institutum amplificandum inuenies materiam in D. Cypriano aptissimam epist. 9. de mortalitate.

Quod ad Dei imitationem debeamus amare nostros inimicos & aduersarios, consule eundem in tra. de bono patientiæ, epistо. 11.

Inimicus amandus est eo animo quidem vt fiat amicus, lege eundem epist. 111. de duodecim abusio. seculi, abusio. 4.

Latissimos campos de diligendis inimicis inuenies apud D. Chrysost. in illis prolixis homi. quas de Dauid & Saule conscripsit, quæ cernuntur inter medium ac finem tom. 1.

D. Chrysost. disserens de amãdis inimicis, adducit illud mirabile factum Elisei prophetæ 4. Reg. 6. huic instituto maximè congruens, in sermo. quem scribit de Elisęo & Syrorum insidiis detectis to. 1.

Quam sit magnũ, ac gratum Deo maximè, quod nostros inimicos propter Dei tantum iussa amemus, lege eundem ad popu. hom. 51. to. 5.

Qui sunt isti inimici quos amare iubemur, & quo pacto illos diligere debeamus, vide Basil. lib. regula. breuio. interro. 176. to. 2.

Vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. In quo enim alio cognoscetur quia filij Dei sumus, nisi fuerimus similes Deo? Filij enim carnales frequenter similantur carnalibus patribus, in facie, aut loquela, aut in risu, aut in aliquo corporis signo: filij autem spirituales in sanctitate. Sed illi quidem etsi similes fuerint laudem nullam merentur: si dissimiles, nullam vituperationem: quia non est in potestate hominis qualem accipiat corporis qualitatem. Filij autem Dei, si fuerint similes, laudandi sunt: si vero dissimiles, nimis vituperandi: quia in potestate vniuscuiusque est mensura faciẽdæ iustitiæ. Chrysost. in non absolu. hom. 13.

O mortales quorum pectora honoris ambitio, & diuitiarum vexat cupiditas, accurrite! En via summi honoris comparandi! En immensarum diuitiarum parandarum ratio plana profertur! Si inimicos diligitis, filij estis Dei. Summus est honor, summæ diuitiæ. Cur vester nõ inardescit animus ad hæc tam excelsa quærenda? Cur ad honorem qui vos pauperes facit, adspiratis: ad eum vero cui sunt regni cælestis iura connexa, languetis? Palacios super Mat.

Libera inimicum tuum è grauibus malis quibus opprimitur, & da operam vt iram suam deponat. Libera eum à sæuissimo dæmone, propriæque mentis furore. Nam & cum aliquos à dæmone actos videmus, sæpe lachrymamur: non autem agimus vt ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam in ira percitis seruemus: illorum enim sunt similes iracundi, imo illis longe miseriores, qui vtique sensibus adhuc integris insaniunt. Noli insultare iacenti, quin potius miserere. Supportemus vomentes, & confoueamus ægros: nec eos vspiam relinquamus, priusquam totam prorsus amaritudinem deponant. Et tunc tibi gratiam qui talis fuerit exoluat maximam. Quando enim huiusmodi æger à passione requieuerit, tunc liquido cognoscet à quanta illum contur-
batione sanaueris. Sed quid dico ab illo tibi gratiam referendam? Deus te plane coronabit, & innumeris remunerabit bonis: quia fratrem tuum à grauissima ægritudine liberasti: & eris filius patris tui qui in cęlis est. Chrysost. super Matt. hom. 18. to. 2.

Imitemur deos inquit Seneca, qui pluunt super iustos ac iniustos, lege lib. 4. de benefi. cap. 29.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

Quæ non tormenta patiemur, qui cum iubeamur iustitia anteire Pharisæos, gentilibus etiam inferiores iaceamus? Quemadmodum ergo, respõde quæso, videbimus regnum futurum? Quemadmodum sacrũ illud merebimur adire vestibulum, qui nec Publicanis quidem ipsis inuenimur meliores? Chrysost. super Mat. hio. 18. to. 2.

Filios & parentes amat latro, amat & leo, amat draco, amant vrsi, amant lupi. Si enim amantes non diligimus filios vel parentes, peiores latronibus, & supradictis bestiis sumus. Si vero amantibus vicem reddimus, adhuc nihil ab ipsis bestiis distare etiam videmur. Augustinus de tempore serm. 59. to. 10.

Cum aliquando inter pugnandum milites Cæsaris Brutum hostem acie iam inclinata requirerent summo studio, erat enim contrarius Cæsari: dux mediæ partis exercitus Lucilius quidam amicus Bruti, quo hostes ab insequendo Brutum auerteret, statuit

periculo suo quamprimum se illis obiicere, dicens se esse Brutum. Credidere illi, & tanta præda læti deduxerunt illum ad Antonium, qui Cæsaris partes faciebat, præmittentes è suis quosdam, qui hæc Antonio nuntiarent. His lætatus Antonius, obuiam fit adducentibus Brutũ fictum. Lucilius igitur adductus ante Antonium, pernimium fidens ait: Marcum Brutum nemo ô Antoni cepit, sed nemo capiet, ne fortuna tantæ virtutis victrix sit. Ego milites decipiens ad te veni, ob hoc nihil pati abnuens. Tunc Antonius ad eos qui ipsum adduxerant versus, ait: Credo quod hunc errorem ô commilitiones grauiter fertis, eludi vos existimantes. Sed scitote vos meliorem venationem adeptos. Dum enim hostem quæritis, amicum nobis adducitis. His amicis vtinam magis quã hostibus potiar: tunc Lucilium amplexus, illum cuidam ex familiaribus commendauit. Confer quæso hunc locum, & intelliges illud, nonne Ethnici hoc faciunt? & illud, nonne Publicani hoc faciunt? applicando tandem tuo instituto hoc exemplum, & illud dilatando. Treius super Euangelia libro tertio capitulo quinto.

Quam mercedem habebitis? Quasi dicat, aut modicam, aut nullam. Nam mutuo muli scabunt: manus manum lauat. Tu amas eum à quo redamaris: teipsum in amico amas: naturali denique instinctu teipse diligis. Claudius Guill. super Mat.

Lu. Gra. *Si enim diligitis eos.* Obserua quod si videtur hic Christus insinuare peccatores diligere peccatores vel alios, non est hoc intelligẽdum ex charitate quæ amor infusus est, & spiritualis. Nam qui tali charitate diligit amicum, merebitur vitam æternam. Peccator autem in mortali existẽs peccato non potest mereri vitam æternam. Tum quia diligunt se isti amore carnali. Signum autem quod quis non diligit amicũ ex charitate, est quia inimicum nõ diligat. Nam qui aliquem hominem odit, nullum veraciter diligit. Sed qui in charitate est omnes vere diligit, tam amicos quam inimicos.

Nonne publicani hoc faciunt? Si enim nihil amplius post tanta ad pietatem & virtutem adiumenta facimus, quorsum Dei filius incarnatus, & passus? quorsum spiritus sanctus in corda hominum è cælo demissus? quorsum nouæ legis sacramenta, cælestiaq; præsidia ad roborandas animæ nostræ vires? Quid vero hic Aristidem & Photionẽ Athenienses, & iustitiæ atque integritatis fama claros, commemorem? Quorum alter exilio, alter morte, sine crimine damnatus. Ille quidem in exilium iturus deos comprecatus est, ne quid aduersi Athenienſibus accideret, quo se ab exilio reuocare cogerentur. Hic vero cicutam bibiturus, astanti filio præcepit, ne quid vnquã mali Athenienſibus propter iniustam illam necem sibi illatam precaretur. Isti enim extra fines Euangelij positi, Euangelica præcepta seruabant.

Ludoui. Granat. An non æquum erit vt arbor iuxta perennes gratiarum aquas in Ecclesię paradiso consita, totque diuinis beneficiis irrigata, vberiores proferat fructus,
2. Reg. 1. quam quæ in montibus Gelboe nata est, supra quos nec ros, nec pluuia ex cælo descendit? Si igitur Ethnici homines & Publicani, solo humanitatis iure deuincti, amantes redamant: an non æquum est vt Christianus homo tot cælestibus præsidiis ornatus, aliquanto longius in officio progrediatur? Quorsum enim tot ad dimicandum aduersus rebelles animi motus arma tibi cælitus data sunt, si illorum te furori & importunitati ita subiicis, ac si prorsus inermis esses? Quorsum istam tuam animæ vineam tanto dominus labore sepiendam, fodiendam, pastinandam, & perennibus aquis irrigandam curauit: si non vuas, sed labruscas potius, hoc est acerbos fructus more gentilium proferat? Indignum profecto est vt gloriosum Christiani nomen vsurpet, qui Ethnicorum opera consectatur. Et frustra hæc diuina subsidia percepit, qui nihilo melior cæteris hominibus euadit. Quid hominibus dixi? cum ne muta quidem animantia humanitatis officio superet? Ælianus testatur quod cum Porus Indorum rex in prælio quod cum Alexandro commiserat, multis telis confixus esset: elephantus quo vehebatur, etsi sane multis etiam sagittis vulneratus erat, defixa tamen in corpore Pori tela leniter & caute extrahere non prius destitit, quam dominum sensit ex redundanti sanguinis profusione debilitari, & euanescere. Tuncque leniter etiam & sensim se inflexit, ne ex alto decidẽs Pori corpus graui casu affligeretur. Sed hoc si minus mirandum videtur in prudentissimo inter animantia cætera animali: certè admirabile illud esse non negabis, hanc eandem humanitatis & amicitiæ legem, in serpentibus quoque virulentissimis, infidisque bestiis reperiri. Cuius rei idem autor insigne memorat exemplum. Cum is enim de serpentum naturis agit: à quodam homine rustico parum quendam serpentem domi educatum ac nutritum fuisse ait, cumque latrones quidam domum ingressi rusticum illum interfecissent, serpens alioqui domestica iam consuetudine mansuefactus ob nutritij tamen sui mortem vipereo furore agitatus, in illos insiliens, eosdem strangulauit.

Super illa verba, si enim diligitis eos qui vos diligunt, &c. vide D. Tho. 2.2.q.27.ar.7.ad 1.

Non tãtum publicani & Ethnici benefaciunt suis benefactoribus, verum etiam bruta animalia & bestiæ feræ, vt videre est ex eo quod refertur ab Aulo Gellio de leonibus lib. 14. Noctium Atticarum ex mente Græci Apionis. Idem etiam tractat Ælianus lib. de Animalibus. Consule præterea de eadem re Plinium lib. 8. Natu. histo. vbi mira videbis. Si autem cupis præterea singularem videre gratitudinem canis in dominum suum: videbis Plinium lib. 8. Natu. histo. cap. 4. Ipsi quoque delphines pisces qui mare perambulant, sunt affectu dulci, pij, ac grati illis qui sibi beneficium contulerunt. Lege Plinium lib. 9. Natu. histo. cap. 8. Prædictis igitur in locis si ea percurreris, permulta inuenies obseruatione digna de huiusmodi animalibus. Ex quibus colligere debes quod non tantum sis dilecturus benefacientes tibi, teque diligentes: sed etiam eos qui te persequuntur, & tibi mala cupiunt, vt Christus dominus hodierno Euangelio præcipit.

Si velis de leonibus fusius aliquid dicere, hoc est de eorũ mansuetudine, & quasi gratitudine erga eos à quibus beneficia acceperunt; videbis Vincen. Bell. Specu. histo. lib. 18. cap. 14. & 16. & cæteros historiographos consules, qui tibi multa suppeditabunt.

Discordiæ atque inimicitiæ ex conscientia praua nascuntur, & ita cum primum parentes nostri peccauerunt, inimicitiæ atque dissidia excitata fuere inter Euam & serpentem. Et simulatque scelera perpetrauit Salomon atque dissoluit amicitiam inter se & Deum, plurimi aduersus eum consurrexerunt, atque procellæ ingentes concitatæ sunt.

Vbi Iudæi præterea Dei amicitiam violabant, & recedebant à Deo suo, illico hostes pro foribus contra eos aderant, vt Iudith 5. patet, & sequẽtibus cap. & alibi passim.

Inimicitiæ atque dissidia solent ex bonorum temporalium cupiditate prouenire, vt contigit inter pastores Abraham & Loth, Genes. 13. & inter pastores Geraræ & Isaac, Genes. 29. & tandem hæreditatis appetitu Esau odio prosequebatur maximo fratrem

frater suum Iacob vt patet Gene. 27.

Inimicitiæ ac discordiæ quandoque nascuntur ex inuidia, & hac causa oderant filij Iacob fratrem suum Ioseph, & Aegyptij Israelitas, & Saul deniq; Dauidẽ.

Inimicitiæ etiam nonunquam gignuntur, quod impij reprehendi ab his qui illorum delicta arguunt omnino renuant: ita Elias persecutionem patiebatur à rege Achab: & eadem etiam causa idem Achab oderat Michæam prophetam.

Multa sane media quibus inimicos sedet quærere debet homo. Sic fecit Iepte cum Galaaditis, quibus auxilium præstitit, quamuis ab ipsis accepisset iniurias. Cæterum nuntium qui ad Dauid de morte Saulis detulit: & latrones qui attulerunt caput Iesboseth, attende quo pacto punire præcepit rex Dauid. In quo quidem patenter ostendit se non gauisum de inimicorum morte fuisse. Quæ cognoscentes alij inimici, sine dubio redderentur amici, & bene animati in eum qui de talibus successibus non lætaretur.

Obserua quantam adhibuit diligentiam Simon Machabæus vt Tryphoni quæ petebat traderentur, ne daretur occasio dissidijs, suspicionibus, & scandalis 1. Macha. 14. Hæc omnia sigillatim diligenterque expendes, dilatabis, & applicabis tuo instituto quæ voles.

Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Sunt complures qui non deferunt alijs salutem, nec salutant, nisi prius salutẽtur: existimantes, suam maiestatem, grauitatem, & dignitatem imminui, si alios honore præuenerint. His quidem reclamat Aristoteles 1. Ethico. dicens laudem potius esse in honorante, quam in honorato. Nam laus & honor sequitur actionem: imo si prius ad salutandum properes, lucrum de alterius tumore reportabis. Arboreus super Matth.

Ecce ad quod culmen prouehit suos: estote ergo perfecti, secundum modum hominum: vt quæratis prodesse inimicis, sicut & pater, imitatione inquam, non æqualitate. Tota autem Trinitas hic intelligitur per patrem. Glos. interli. super Mat.

Ridiculam illam consuetudinem omnino pellamus, quam rationis inopes patiuntur, expectantes vt prius salutentur ab obuiis. Cuius rei gratia illum salutatione non præuenis? quia hoc inquis expectat. Propterea ergo ad hoc præcipue oportet accurrere, vt tu accipias coronam. Si enim te ille salutet prior, nihil tibi proficiet etiam si tunc eum salutaueris. Si vero tu prius ad salutandum properes, lucrum de illius tumore cepisti, & largissimum quendam fructũ de illius superbia messuisti. Extremæ omnino dementiæ est, vt qui nudis verbis tantum capere fructum possumus: cum sponte nostra perdamus: & super quo culpamus alterum, in idipsum nos incidamus. Si enim culpas quod prius ab altero salutationis expectetur officium: cur obsecro quod reprehendis imitaris? quodque ipse malum esse conqueris, cur id quasi bonum imitari studes? &c. Chryso. super Matt. hom. 18. to. 2.

Dimidium bonum est hominem discedere à malo, & non sequi bonum: perfectum est autem, vt nõ solum fugiat malum, sed etiam faciat bonum. Ideo dicit, perfecti estote: vt & amicos diligatis propter peccatum vitandum, & inimicos propter iustitiam habendam: quoniam illud de pœna liberat, hoc autem dicit in gloriam. Nec enim est perfecta Dei imago, quæ non per opera similat Deum. Chryso. in non abso. hom. 13. to. 2.

Estote vos perfecti. Quis dubitat aliter feras cum feris, aliter homines cum hominibus certare debere? Feræ namque rationis expertes, non ratione sed viribus, sed dentibus, sed vnguibus & veneno pugnãt: homines vero ratione præditos non ferali immanitate, sed ratione, consilio, & recte factis pugnare decet. Quibus artibus sic inimicorum impetum reprimunt, vt in mutuam eos beneuolentiam trahant. Ad hoc autem pulcherrimum victorię genus nos Apost. inuitat, cum ait: Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ, &c. Quod quidem fecisse memoratur etiam Philippus ille Alexandri pater, qui cum intellexisset quendam è ciuibus suis de se male loqui, nec deessent tamen qui principem ad supplicium de maledsco sumendum acriter incitarent; ille contra beneficiis cũ inimico certare voluit. Quod vbi factum est, & maledicus regis laudes vbique prędicaret, rex ad amicos conuersus, videtis, inquit, in manu nostra positum esse, vt alij de nobis bene vel male loquantur?

Super illa verba, estote ergo perfecti, vide Lauren, Iusti. lib. de humilitate cap. 8. vbi tractat quibus modis quisq; valeat ad perfectionis alta conscẽdere.

Super eadem verba rexuit etiam D. Basil. concionem quandam satis longam, quam inscribit de abdicatione rerum vitæ huius & de perfectione spirituali: est autem initio to. 2.

Lege etiam Lauren. Iusti. de humi. cap. 12. vbi agitur quibus gradibus perficitur virtutum scala, quæ ad Dei cognitionem perducit, prope finem operum eius.

Vide præterea D. Tho. 3. senten. dist. 29. ar. 8. quæstiun. 2. 4 et totam.

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est. Vana carnis natura quemadmodum primum difficilis est ad benefaciendum, ita & si bene fecerit, facilis est ad iactantiam boni operis: propterea & in hac parte nos instruit, dicens, attẽdite, &c. Chryso. in nõ abso. ho. 13. to. 2.

Ægyptij ex Phareonis præcepto fœminas tantum viuificabant, necabant vero masculos: ita dæmones ipsi insidiantur si forte nobis nascatur aliquis masculus, hoc est aliqua virtus, quam possint opprimere & submergere. Faciendum ergo quod fecit mulier illa de tribu Leui, quæ natum sibi masculum occultauit: ita enim debemus occultare bona quę facimus, ne demergãtur in profundum inanis gloriæ. Et ideo nos admonet Christus, dicens, attendite ne iustitiam vestrã faciatis, &c. Orige. in Exo. ho. 2. in cap. 1. to. 1.

Agit nobiscum Deus, agit in hoc seculo, ne quid nobis pereat in futuro, sicut ex ipso lucet principio lectionis. Attendite, inquit ne iustitiam vestram, &c. Sed quomodo quod fit ab hominibus, non fit coram hominibus? Patentis iustis iustitiæ latet sensus? publici operis quod secretum? Qui potest celare radios solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum, consiliis non velatur obscuris: iustitia cum sibi facto claret, tum omnes illustrat exemplo. Quid est quod eam dominus coram hominibus fieri non vult, per quam statum capiunt res humanæ? vbi est illud, sic luceat lux vestra corã hominibus, &c. Quomodo iustitiam vult celari, cuius opera sic vult elucere: fratres hæc præceptio cælestis vult iactantiam tollere: auferre pompam: vanitatem demeae: submouere inanem gloriam. Sic inquam iustitiam vult celare: iustitia enim quæ se humanis oculis ostẽtat, diuini patris non potest expectare mercedem. Voluit videri, & visa est: voluit hominibus placere, & placuit. Habet igitur mercedem quam voluit præmium autem quod habere valuit, non habebit. Petr. Chryso. lo. sermo. 9. Mat. 5.

Si te rectè viuentem hi inter quos viuis non laudant, illi in errore sunt. Si autem laudauerint, tu es in periculo: in quo periculo? iuxta iter scandalum
Psal. 139. posuerunt mihi, inquit, propheta. Quod si de bono opere gloriam captare peccatum est, ex prauis operibus laudem medicare magnum re vera malum est,
Acto. 12. & insaniæ proximum. Occidit Iacobum Herodes: videns autem quod placuisset Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Ergo vt morem geramus Iudæis, peribit instus, & iustitia de terra. Refert Plutarchus, quod cum Alexander Thebanorum mœnia diruisset, Phryne meretrix pollicita est suis impendiis reposituram, modo ciues paterentur hoc exculpi elogium: Alexãder quidẽ subuertit, sed Phryne restituit. Tanta cupido famæ in tam infami fœmina erat, &c. Treius super Euang. lib. 3. cap. 6.

Quemadmodum si præsente rege, & tota procerum regni sui caterua, & etiam adstante agricola rustico, miles strenue in inimicum irrueret, magnaque agilitate huc atque illuc discurreret: atque illuc discurreret, atq; alta voce proclamaret se non propter nobiles regni, sed propter illum rusticum talia agere: re vera non tantum is vllum à rege præmium nõ consequeretur, sed etiam irrideretur, & ab omnibus nullius momenti homo reputatus, extra consortium nobilium exterminaretur: ita qui astante Deo, & tota cælesti curia, dum operatur quodcunque bonum, siue se abstinet à quocunque malo, id propter rusticanum mundum facit, nullum à Deo consequitur præmium, quin imo irridetur, & extra consortium filiorum dei exterminatur. Soarezius super Matt.

Attendite, inquit, & cauete, quasi de aliqua mala bestia dicat, attende ne te dilaceret, &c. Theophylactus super Matt.

Ludoui. Granat. In omnibus quæ secundum Deum operamur, tres nobis foueas dæmones parant. Ac primum quidem bonum vti ne fiat impedire conantur: secundo vero si in primo superati fuerint, ne secundum Deum fiat moliuntur. Quod si hac quoque intentione sua fures isti potiti non fuerint: hic iam in silentio animæ nostræ astantes, laudibus nos efferunt, & beatos dicunt. Huiusmodi rem D. Augustinus notat his verbis: Virtutes quas sibi mens habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis, si ad quodlibet adipiscendum nisi ad Deum retulerit, vitia potius sunt quam virtutes. Nisi enim honestus finis fuerit, honestum nullum opus esse poterit. Quod ita esse M. etiã Tullius quamuis fidei lumine destitutus confirmat. Si non, inquit, honesto ipso mouemur vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, nõ boni. Eodẽ igitur tenore domino respondeamus, vt quomodo ille gratis nobis gratiam dedit, ita nos quoque illi gratis, hoc est siue vllius emolumenti respectu seruiamus. O quam multi sese in extremo illo examine delusos inuenient! Vereor enim ne multi sint quibus illud obiiciatur, quod trementi Babylonis regi diuinitus nunciatum est: appensus es in statera, & inuentus es minus habens.
Dan. 5.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tuba canebant forsitan conuocandi homines gratia, vt omnes irent quasi ad spectaculum. Ante se vero tuba canit, qui ante alios vult laudari, vt appareat maior illis: *Receperunt mercedem suam.* à Deo cordis inspectore receperũt fallaciæ suæ supplicium. De quibus dicitur, Recedite à me operarij dolosi. Nomẽ quidem meum habuistis, sed opera mea non fecistis.
Psal. 6. Luc. 13. Glos. ord. super Matt.

Tuba est omnis actus vel sermo per quem operis iactantia demonstratur; puta qui quando videt aliquem præsentem facit eleemosynam, extra autem non facit, hoc tuba est, quia per hoc eius iactantia prædicatur. Chrysosto. in non abso. ho. 13. to. 2.

O vanitas, ac miseria infinita! propter volatilem, vilem, fallacem, & momentaneam hominum laudẽ, diuino, ætorno, & cælesti honore priuari. Dionys. Carthu. super Matth.

Bene tuba, qua talis eleemosyna hostilis est, non ciuilis, non misericordiæ dedita, sed clamori: sed seditionis vernula, non alumna pitatis. *Vt honorificentur.* Vt probentur misericordiam vendere, non donare. Chrysolo. sermo. 9.

Noli tuba canere. Abraham de nocte consurgens, nec vel vxori communicauit sacramentum Dei, vel filio, donec ventum est ad cacumen montis, qui vocatur, Dominus videbit: quo testimonio nil manifestius, &c. Treius super Euang. lib. 3, cap. 6. Gene. 22.

Nullum subterfugium hoc in loco relictum est Lutheranis, quo confusionem euadant, audiẽtes dominum eleemosynam, orationem, & ieiunium approbantem. Soarezius super Matt.

Cum facis eleemosynam. Quemadmodum quando per corpus non distribuit cor atque cõmunicat spiritus vitales, quod solemus nominare carẽtiam pulsus, intelligimus hominem esse iam mortuum, vel saltem morti valde vicinum: sic quoque cum prætermittit homo facere eleemosynam, & similia bona opera adimplere, cognoscimus talem esse perditum, aut esse valde propinquum vt pereat, aut omnino intereat.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Sinistra vitia, dextera virtutes: quod ergo agit virtus, nesciat elatio. Sinistra item est delectatio laudis, dextera intentio implendi præcepta Dei. Glos. ord. super Mat.

Si inquit possibile est teipsum quoque ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio. Et si fieri queat, nec manus quibus id peragitur, conscíæ sint. Non vt opinantur quidam ab iniustis tantum hominibus misericordiæ opus voluit abscondi: cunctos enim iussit omnino celari. Chrysost. super Matth. ho. 19. tom. 2.

Iam dudum significauimus hæc omnia ad animã dici, non ad carnem, quod hic sermo manifeste declarat. Alioqui quantum ad corpus quomodo potest fieri vt nesciat sinistra quid dextra faciat, cum ambæ manus in adiutorium sibi inuicem sint creatæ, vt altera alteri administret, nec cito inueniatur opus q vna manus sine altera possit implere? Nesciat ergo carnis voluntas, quod facit voluntas animæ. Sicut enim diabolus qui suggerit malum fieri, ipse manifestat malum, vt puta ipse suggerit adulterium facere, ipse manifestat adulterium: ipse suggerit homicidiũ, & ipse publicat homicidium. Sic Deus qui dat bonũ fieri, ipse etiam publicat omne bonum in manifesto, ideest in seculo illo futuro: quia hic merces iniustitiæ manifesta non potest esse. Chrysost. in non abso. ho. 13. tom. 2.

Vides quam moralem iudicem? tibi consulit quomodo opus tuum suscipiat. Nesciat, inquit, sinistra tua quid faciat dextera tua: non de corpore loquitur, sed vt etiam vnanimis tuus, & frater tuus, quod facis nesciat; ne dum hic mercedem quæris iactantiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suũ, & necessitatibus singulorum occulte subuenit, quãque laudat os pauperis, & non labia sua. Ambro. lib. 1. Officio, cap. 30.

Per sinistram autem manum eos qui in proximo sunt ac familiares intelligit: nihil enim manu tua vicinius

cinius ac familiarius est. Neque hi inquit dexterę tuæ eleemosynam agnoscant. Vel per hyperbolem est sermo per quam manifestatur plurimum oportere latere. Oecumenius super Matt.

Quam vero in paupere sit verecunda paupertas, & quod largitatis tuæ quærat secretum, aperit ipse cum dicit. Te autem faciente eleemosinam, &c. Putas quam vult nescire alterum, qui teipsum qui facis vult aliqua tui parte latere? Ita porro secretum prudens quidem Imperator olim in militaribus conciliis seruari voExẽplũ. luit, cum dixit ipsum se tunicam combusturum, si conciliorum suorum consciа esset.

Quid est, nesciat sinistra tua quid faciat dextera, nisi quod propterea non vacet ipsa? Multi enim sunt qui peccata sua eleemosinis redimunt, & propter beneficia quæ impendunt, aspera alia sustinere refugiunt. Si ergo quia eleemosynam dextera facit, sinistra vacat ab abstinentia, nouit & bene attendit sinistra quid facit dextera tua. Galfridus super hũc locũ.

Qua ratione intelligatur illud, nesciat sinistra, &c. vide D. Basi. li. Regula. breuio. interro. 197. to. 2.

Exẽplũ. Arcesilaus cum Appellem Chium ægrotantem cognouisset, reuisit hominem, & decem drachmas afferens, & assidens proxime: ac ne cubas quidem optime inquit, simulque moues illius ceruical, clam pecuniam subiecit. Quam simulatque reperisset anicula quæ inseruiebat ægrotanti, & admiras quid esset, Appelli retulisset, ridens ille, Arcesilai inquit hoc furtum est. Furtum vocans, eleemosynam furtim & ignorante sinistra collatam. Iste quidem nil audierat de Euangelio, gentilis enim erat: & tamen exposuit nobis quid sit tuba canere. Simile quid leges in vita sancti Nicolai. Gutierius Treius super Euange. lib. 3. c. 6.

Gene. 34. Iudic. 16. 3. Reg. 3. Gala. 3. Ac si apertius dicat: homo Christianus totus versetur interius, & nunquam cum dina versetur exterius, nec cum Samsone vxorem quęrat alienigenam, aut cum Salomone Ægyptiam ducat vxorẽ. Quorsum enim operis nostri hæres erit honor, qui est filius ancillæ, cum Christo qui est filius liberæ? Palacios super Matt.

Quid desideras? nonne esse aliquos operum spectatores tuorum? Ecce igitur habes non angelos, atque archangelos tantum, sed etiam Deum ipsum. Quod si habere etiam homines spectatores concupiscis, ne hac quidem, quam præcipue cupis, mercede priuaberis. Sed cum opportunum tamen tempus aduenerit: quando certe cum maximo tibi hoc cumulo præstabitur quod requiris. Nam modo quidem si te ostentaueris, decem vel viginti, aut cẽtum tantummodo hominibus ostentare te poteris. Si vero nunc latere curaueris, tunc ipse te prædicabit Deus, toto prorsus orbe præsente. Itaque si opera tua maxime ab hominibus videri cupis, nũc illa occulta diligenter, vt eadem tunc omnes ad maiorem tuum videant honorem: Deo scilicet ea faciente manifesta, & ea referente, corámque omnibus prædicante. Chrysost. super Matth. ho. 19. to. 2.

Si præmium ab eo expectas qui conscientiæ inspector est, sufficiat tibi ad promerendum Deum ipsa conscientia. Aug. de tempo. sermo. 59. to. 10.

Multa latina exemplaria sic habent, Et pater tuus qui videt in abscoso, reddet tibi palam. Sed quia in græcis, quæ priora sunt, non inuenimus Palam, non putauimus hinc aliquid differendum. August. de sermo. domini in monte lib. 2. to. 4.

Consequenter addidit quod Deum habeas conspectorem ac testem, qui more patris gaudet videns bona filiorum opera. Oecumenius super Mat.

Ruth. 2. Ille sanctus vir Booz videns pauperem mulierem Ruth spicas à messoribus relictas colligentem, dixit messoribus: De vestris manipulis proiicite de industria, &c. Eodem plane modo deberent & diuites facere, multa de mensis suis de industria pauperibus relinquentes. Abdiæ prophetæ tanta fuit pietas, vt se maximo ære alieno adstringeret, quo prophetas egestatis tẽpore sustentaret. Quo tamen ære eius 4. Reg. 4. vxor postea liberata fuit, aucto Elisei opera oleo.

Non potuit vllis verbis boni operis secretũ magis commendari. Putas ait Chrysologus quam vult nescire alterum, qui teipsum qui facis vult aliqua tui parte latere? Ita porro secretum prudens quidem Imperator olim in militaribus conciliis seruari vo- Exẽplũ. luit, cum dixit ipsum se tunicam combusturum, si conciliorum suorum consciа esset.

Quid est, nesciat sinistra tua quid faciat dextera, nisi quod propterea non vacet ipsa? Multi enim sunt qui peccata sua eleemosinis redimunt, & propter beneficia quæ impendunt, aspera alia sustinere refugiunt. Si ergo quia eleemosynam dextera facit, sinistra vacat ab abstinentia, nouit & bene attendit sinistra quid facit dextera tua. Galfridus super hũc locũ.

Qua ratione intelligatur illud, nesciat sinistra, &c. vide D. Basi. li. Regula. breuio. interro. 197. to. 2.

Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Duplex est oratio, quæ dam publica, quæ fit à ministris Ecclesiæ, & ista non debet fieri in occulto, quæ à tota communitate offertur, & ideo populus in hac conformare se debet ministris Ecclesiæ, ipsum Deũ deprecando, secundum modum congruum & sibi possibilem. Alia est oratio priuata, & talis magis debet fieri in secreto, ad euitationem vanæ gloriæ, quæ facile insurgit. Glos. Lyræ super Matt.

Sicut thymiama bene confectum delectat hominem adorantẽ, sic oratio iusti suauis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem eius? mox vt de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis, & offerunt ante Deum. Sicut dixit archangelus ad Tobiã; Tobię 12. ego sum qui orationem tuam obtuli ante Deum. Vis Danie. 3. scire virtutem ipsius? Oratio trium puerorum fecit vt ignis ardens non adureret eos, sed delectaret: vt flamma quidem videretur in specie, vmbraculum autem esset in opere suo. Quanto ergo gloriosa est, tanto caute seruanda est, ne propter homines facta vilescat. Chrysostom. in non abso. homilia. 13. tomo 2.

Die hypocrita, quid vis vt videaris orans? Nonne quia laudabilis res est orare? vt quid ergo non vis esse laudabilis, qui vis vt laueris? O insania vanitatis! esse nolunt, quod desiderant apparere. Chrysost. vbi supra.

In angulis platearum. In plateis vt viderentur, in angulis, vt non velle videri viderentur: vt ita dupliciter laudarentur, & quia orant, & quia abscondite orant. Gorranus super Matth.

Sumit exemplum ab hypocritarum consuetudine eo adductum, vt ostentationis & hypocrisis studium in orando in oculis Christianorum positum, Exẽplũ. detestabile reddat. Hunc quidem morem seruabant Lacedemonij, vt seruos temulentos pueris ostenderent, quo magis hi detestarentur & abominarentur ebrietatem, cum viderent tam deforme spectaculũ: vnde & persuaderẽt sibi sobrietatem. Christus itaque vt fugiamus hypocriseos turpitudinem, proponit illam in hypocritis, Scribis & Phariſæis spectandam, & detestandam. *Receperunt mercedem suam.* Vt vano operi vana respondeat merces, & hic vere dicatur quod communi paręmia fertur: par pari reddere. Clau. Guill. super Mat.

Quare non dixit, cum oras singulariter, sicut superius, cum facis eleemosynam? Respondeo, pluraliter dicit cum oratis: quia omnium est orare, & ad hoc non exigitur res temporalis, nisi cordis intẽtio,

sed eleemosynam dare, non est omnium. D. Tho. super Matt.

Tu autem cum oraueris, intra in cubiculū tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Cubiculum est cordis secretum: ostium carnalis sensus, per quem hæc exteriora improbe se ingerunt, & turbæ plantasmatum orantibus obstrepunt. Parum est ergo cubiculum intrare, si importunis cogitationibus ostium patet, sed resistendum est carnali sensui, vt oratio spiritualis ex intimis cordis dirigatur ad Deum. Glos. Ordi. super Matth.

Intra in cubiculum tuum vt nemo sit ibi nisi tu qui oras, & ille quem oras: & ne quis tecum sit alter præter eum quem necessarium habes. Testis enim orantem grauat, non adiuuat. Chrysosto. in non absolu. homilia 13. to. 2.

Intra in cubiculum tuum, non intra parietes: sed in cubiculum cordis, & ibi discute conscientiam tuam: ibi vide actus tuos. Considera quid egisti in cogitationibus, quid in factis, quid in dictis, quid in cupiditatibus, quid in suggestionibus, quid in illusionibus, &c. Considera ista intra cubiculum tuum:
Psal.37. profer non nescienti, sed scienti: non lingua tantum, sed gemitibus, & dic Deo tuo: Ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Chrysosto. ex variis in Matth. locis hom. 11. to. 2.

Altaria olim duo erant, id est, interius, & exterius: altare autem orationis illud puto significare, quod
1. Cor. 14. dicit Aposto. Orabo spiritu, orabo & mente. Cum enim corde orauero, ad altare interius ingredior. Et hoc puto etiam esse quod Dominus in Euang. dicit: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, &c. Qui ergo ita orat, vt dixi, ingreditur ad altare incensi, quod est interius. Cum autem quis clara voce, & verbis cum sono prolatis, quasi vt ædificet audientes, orationem fundit ad Deum, hic spiritu orat: & offerre videtur hostiam in altari quod foris est, & holocaustomatis populi constitutum. Origenes in c. 17. Nume. ho. 10. to. 1.

Locus secretus & quietus plurimum confert ad orationis puritatem atque feruorem: quia tunc homo securior est, nec à sensibilibus toties inquietatur. Vnde imaginatio eius quietior est, & intellectus stabilior: voluntas quoque tanto ardentius fertur in Deum, stabiliusque in eo permanet fixa, quanto amplius à multis abstrahitur. Dionysius Carthu. super Matth.

Clauso cubiculi ostio iubemur quoque orare, & in omni loco precem fundere docemur. Nan sanctorum oratio inter feras, carceres, flammas, & de profundo, ac bestiæ ventre suscepta est. Ergo non occulta domus sed cordis nostri cubiculum ingredi, & clauso mentis nostræ secreto orare ad Deum, non multiloquio, sed conscientia admonemur. Hila. Cano. 5. super Matth.

Videbitur forsan alicui exigua gratia hæc quam dominus Christianis concessit, vt in cubilibus suis orare Deum possent. At mihi videtur hæc gratia ex summis gratiis vna: quòd enim Deus dignetur se tractari, adorari, & ad colloquium nostrum venire, etiam in domibus nostris, etiā in cubilibus nostris, etiā secretissimis locis, licet valde abiectissimis: hoc vero infinitæ dignationis est. Cæterum nota quam in promptu & velut ad manum orationem nostram Deus voluerit esse, dum ad eam exercendam cubicula nostra designauerit: pigritaris adire templum si remotius est: pudet Ecclesiam ingredi si vestem habemus abiectam. Vt igitur omnis non orandi occasio cesset, prope est verbum in ore tuo, & in domo tua: intra in cubiculum tuum. Vbi simul etiam grauissimam orationis necessitatē indicauit dominus: si enim necessaria non esset, aut si multum differri posset, non nisi in templo eam fieri permisisset. Demum nota quod non dixit dominus, intra in cubiculum, claude ostium, flecte genua, aut in faciem tuā procide. Sciebat equidem dominus quod moles corporis nostri nimis diu super genua consistere nequit. Dictum enim est, corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Et ipse volebat nimis diu conuersari nobiscum: ideoque non exegit vt flecteremus genua: Palacios super Matt.

Significanter dicit cubiculum: quia tunc anima Sapien. 9.
debet ab exterioribus quiescere cum orat: & tunc est tempus conuenientius, & locus secretior. Per diem enim mille te circundederunt causæ, & non permiserunt te esse secretum orationi. Sed quando ad lectum perueneris, die animæ tuæ. Anima quomodo expēdimus diem: quid boni vel mali fecimus? Rogabisque tandem Deum, & sic animæ tuæ soporari permittes. D. Tho. super Mat.

Reddet tibi. Non ait donabit tibi, sed reddet: debitorem tibi se quippe constituit, teque magno pro hoc etiam honore donauit. Et quia ipse inuisibilis est, vult orationem quoque tuam à nullo omnino sentiri. Chrysosto. super Matt. ho. 19. to. 2.

Quod cubiculum sit hoc, lege D. Basil. lib. Regula. breuio. interro. 277. to. 2.

Super Eposto, & Euange. duas texuit conciones D. Anto. initio primæ par. Theolo.

Lege eundem 1. par. histo. tit. 5. cap. 1. §. 7.

Sabbatho post Cineres.

VM sero esset factum, erat nauis im medio mari, & Iesus solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis. Marci 6. Mat. 14. Vide etiam Ioannis 6. Discipuli iterum procellis & fluctibus vexantur, & tempestate non minori quam prius exagitantur? nisi quia tunc in nauigio secum dominus erat, nunc vero absentia domini desolati, hyemis acerbitate iactantur. Paulatim enim ad maiora ipsos ita inducebat, vt excelso cuncta petferre animo discerent: iccirco præsens quidem erat in primo periculo, sed dormiebat, vt non longe salutem abesse crederent. Nunc vero firmiorem illorum animum faciens, cum à naui absit, tempestate ipsos per totam noctem laborare permittit: vt hyemis & temporis terrore per culsi, magis ipsum desiderarent: & firmam eius atque perpetuam memoriam retinerent. Propterea nec confestim periclitantibus succurrit, sed quarta vigilia in mari ambulans, venit ad ipsos: erudiēs nos non à se cito solutionem calamitatum quærendam, sed magno animo aduersa perferenda. Cęterū quando iam confestim se liberatum iri crediderunt, tunc maior eis timor calamitatum erat. Hoc enim obserua, vt quando vrgentia mala expulsurus sit, tunc grauiora & terribiliora sæpe inducat: quod etiam nunc accidit. Ad hyemis porro terrorem non minor à vsu terror accedit: propterea nec tenebras omnino dissoluit, nec se statim manifestauit: vt quod dixit, periculorum frequentia fortiores redderentur. Hoc enim in Iob factum fuisse videmus: nam cum tentationi finem allaturus esset, tunc molestiora permisit: non dico de liberorū morte, non de verbis vxoris, sed de seruorum atque amicorum opprobriis. Sicut militer quando de peregrinationis afflictione Iacob liberabat, maior turbatio accidit: socer enim eum persecutus, mortem minabatur: & paulo post frater
Iob. 32.
Gene. 31.

successit, qui maiorem illi timorem incussit. Nam
Gene. 33. quoniam ferre iusti homines non possent, si longo tempore atque acerrime tentarentur: cum pericula euasuri sunt, tunc vt maiora mereantur, maiora inferri permittit certamina. Id etiam in Abraham factum non ignoramus: vltima enim atque terribilis illa tentatio fuit, qua immolatione filij angebatur.
Gene. 22. Sic igitur quæ intollerabilia sunt tollerari poterunt, si iuxta tentationum finem illata, velociter dissoluātur. Hoc quidem nunc etiam factum videmus: nec enim prius se Christus reuelauit, quam magnitudine terroris superati vna omnes voce clamitarēt. Qua ex relatior quidem atque gratior præsentia eius illis apparuit: cum enim clamassent, ait eis: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. His verbis timor omnis solutus, fiduciæ ac certæ spei locum reliquit. Nā cum visu ipsum nō cognouissent, partim propter noctis tenebras, partim etiam quia nunquam auditum fuit super aquas hominē ambulasse: voce seipsum manifestauit, &c. Chrysosto. super Mat. ho. 51.

Tota nocte periclitantur: quia cum se homo cōsiderat, nil inuenit nisi tenebras angustiarum, & æstus hostium. Sed tamen quarta vigilia dominus venit, id est, iam diluculo, cum mentem ad præsidiū Dei erigit, & tunc quasi inter tenebras ortum luciferi videt, qui diem nuntiat. Glossa Ordin. super Matth. 14.

Discipuli Christi laborabant remigando, quia erat illis ventus cōtrarius. Vide igitur obsecro quod si sancti infelici & contrario vento remigant, ita tu si in portum illius cælestis patriæ peruenire cupis, contrariis & aduersis calamitatibus ab inimicis illatis, nauigare debeas. Porro contrarium maledictionis est benedictio, & quòd aduersatur odio amor est. Si inimicus malus est, tu esto bonus. Si te odit, eum ama: & si tibi maledixerit, bona de illo prædica. Hoc
1. Cor. 4. quidem aduersante vento beatissimus Paulus nauigabat, dicens: maledicimur, & benedicimus, &c. Sic
Gene. 45. sanctissimus Ioseph, quem fratres vendiderant, cum tamen descenderent in Ægyptum, cum fletu magno
Lucæ. 23. occurrit, & osculatus est eos, dicens: Nolite timere. Denique ipse Christus in nauicula crucis vento cōtrario nauigans inimicorum & carnificum, pro eis orauit.

Isti laborabant in remigando, & non poterant exuperare & euincere procellam impetumque ventorum: ita tu non poteris exuperare atque euincere vitia ipsa, nisi manus diuina, & potentia, atque præsidium, tibi accurrerit, vt istis accurrit. Quare quasi contra Philisthæum pugnans ipsum, nempe contra dæmonem, eges ope auxilioque diuino: quia dæmon est exercitatissimus Philistæus in pugnando. Contra quem non sufficiunt profecto Saulis arma, nempe confidentia humanarum virium: quin potius opus est aliquo, qui norit tum leones, tum vrsos superare, ac dilaniare, quasi alter Dauid fidens in diuino auxilio. Quem ignorans Saul, dicebat ad
1. Reg. 17. eum: Non potes resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es: hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Petrus quidem vt patet Matthæi 14. minus adhuc in his aduersis exercitatus, sese in mare præcipitabat: quod faciunt qui in pericula sese inconsiderate & incaute coniiciunt, minus adhuc exercitati in virtute. Cæterum Dauid
Exéplū. expertus in seipso sæpissime fuerat, an ad hoc certamen sufficeret. Et nihilominus deposuit arma Saulis non confidens omnino in eis, hoc est in suis viribus non confidens, quāmuis sciret eas esse infractas: quin potius cōfidens in domino duntaxat, dicebat:
1. Reg. 17. Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ergo aūt venio ad te in nomine domini exercituū. Cōsule hac de re D. Bernardū in sermo. de Dauid & Goliath.

Quod mundus sit mare quoddam, quod sine naufragio tranari, hoc est sine sancta cruce non possit, Consule D. Augustī. tracta. 2. super Ioan. to. 9.

Erat enim ventus contrarius. Hic offertur ansa ad differendum de magnis contradictionibus & repugnātiis quas mundus obiicit Deo seruire volentibus, & virtuti incumbentibus. Contra quas omnes vir bonus virili debet animo, fortique obniti, atque conarī: nullas aduersarias vires pertimescendo: & dubio procul à cælo auxilium habebit. Ad hoc autem persequendum, accipe hæc paucula.

Videbis Senecam lib. 9. Epistō. ad Luci. Epist. 67. à media vsque ad finem ipsius, & Epist. 69. loquitur etiam mirabiliter hac de re.

Consule præterea Lauren. Iusti lib. de humilitate c. 10. vbi agit quod Christi militibus sit indita pugnandi quædam necessitas, & perseuerātibus victoriæ palma reseruata, prope finem operum eius.

Quemadmodum post tempestatem in qua discipuli fuerunt, tranquillitas subsecuta fuit: sic post tēptationem nostram, & post luctam diuturnam, subsequeretur pax & lætitia. Consule D. Leonem papam in Dialogo inter tristitiam & gaudium spirituale, parum post medium operum eius.

Quia discipuli fuerant in toto periculo positi, factum est vt Iesus in nauim ingrederetur ad illos: sic plane ex tribulationibus & calamitatibus nostris multa nobis prouenient bona: super quo lege D.
Aug. ad fratres in eremo sermo. 10. inter medium ac finem tom. 10.

Sæpe nobis tot contradictiones, tentationes, laborumque procellæ, propter nostra errata continguntur, quia scilicet sensualitatem rationi subiicere ignoramus, siue potius contemnimus. In typum autem huius rei, nempe carnem spiritui subiectam esse oportere, dixit angelus Agar ancillæ: reuertere ad dominam tuam, & illi esse subiecta Genes. 16. vide hac de re D. Antoni. 4. par. Theolo. tit. 13. c. 3.

Quantumcunque grauis existat oppressio tua, ne desinas confidere in domino, eumque deuotissime inuocare: ex maioribus siquidem periculis atque laboribus ille nos solet extrahere, cum suæ placitum est maiestati, iuxta illud Psal. 33. multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos dominus. Vide D. Basi. in Psal. 33.

Periander Philosophus in calamitatib⁹ patienter, ac caute tollerandis, nos singulari illa sententia instruxit, Infortunium tuum celato, ne voluptate afficias inimicos. Theopompus, quanquam citra Dei culpam mala accidant, non tamen sine illo calamitatem immitti arbitreris. Musonius, vince ratione præsentem calamitatem.

Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem super mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt: omnes enim eum viderunt, & conturbati sunt. Stationes & vigiliæ militares in terna horarum spatia diuiduntur: quando ergo dicit quarta vigilia noctis veniſſe ad eos dominum, ostendit tota nocte periclitatos fuisse, & extremo noctis, atque præterea in consummatione mundi dominum auxilium præbiturum. Hiero. lib. 2. super Mat. 14.

Venit ad eos, &c. Marcus ait, volens præterire eos, pro quibus tamen liberandis venit: quod fit, vt ad horam turbati, sed mox liberati, amplius stupeāt, & gratias agant, quod idem sæpe fit in passionibus sanctorum. *At illi vt viderunt eum, &c.* Quia sæpe fit vt cū aliqua subito diutinæ tribulationis oritur sedatio, non statim credatur vera liberatio, ideoque permanente priori formidine intensa, ad liberationem dirigitur

dirigitur oratio. Glo. Ordinaria super Mat. 14.

Et volebat præterire eos. Eo modo sicut post resurrectionem suam ambulans cum duobus discipulis suis euntibus in Emaus, finxit se longius ire, vt habetur Lucæ vltimo. Nec tamen fuit ibi aliqua duplicitas, seu falsitas; secundum quod dicit beatus Grego. Hoc enim fecit vt sic ostenderet se eis exteri⁹, qualis apud eos erat in mentibus eorum. Interius enim erant dubij in fide resurrectionis Christi, & tardi ad credendum, vt ibidem dicitur. Et propter hoc dubium erant aliquantulum elongati à veritate, ideo apparuit eis in peregrini effigie, & finxit se longius ire. Quia tales apparitiones fiunt communiter secundum dispositionem interiorem ipsorum quibus fiunt. Eodem modo dicitur hic quod volebat præterire eos, quia erant paruæ fidei, secundum quod dicitur in textu, quia putabant phantasma esse: & tamen iam viderant tanta miracula eum fecisse, quod credere debebant ipsum super aquas posse ambulare. Nicolaus Lyranus super Marcum.

Euangelium hodiernum dicit quod cum discipuli se in tanta perturbatione positos conspicerent, exclamauerunt: sic ipsi præstare debemus cum nos vehementer afflictos, magnisque laboribus tam spiritualibus quam corporalibus cernemus oppressos. Hoc enim etiam modo fecisse constat regem illum Iosaphat 2. Paralipomenon 20. & ei Deus auxilium præbuit, lege locum citatum.

Deus opem fert illis qui in magnis perturbationibus constituti, atque procellis, exclamant ad eum. Considera enim quam opportune & glorioſe succurrit sacerdotibus templi petentibus de cælo præsidium, aduersus immane sacrilegium quod Heliodorus templo domini inferre constituerant 2. Macha. 3.

Auxiliatur Deus statim iis qui inuocant ipsum magnis calamitatibus atque miseriis oppressi, vel saltem remedium differt quousque maiori homo periculo vrgeatur: ita enim hodie discipulis in mari periclitantibus per totam noctem non tulit auxilium, vsque ad quartam vigiliam noctis. In mentem reuoca quæso in quod fuerit discrimen adductus Abraham, cum pulcherrimam Saram vxorem suam sibi tulerat Pharao, vt legitur Genes. 12. Et iterum Rex Abimelech, vt scribitur Genes. 20. ex quibus omnibus illum magno cum honore & gloria Deus eduxit.

Deus perfacile inuenit remedia ad suos è periculis eruendos, quando res adeò perturbatæ atque inclinatæ sunt, vt humanum remedium non supersit. Quis quæso crediderit Hebræos habituros esse salutem, quando ex vna parte iam iam exercitus Pharaonis instabat, & ex alia mare rubrum opponebatur, & aditum eis quo aufugere possent intercludebat? Ibi tamen remedium opportunum omnipotens facillime inuenit, quo Hebræos magno cum triumpho & gloria liberauit, vt patet Exo. 14.

Quis vnquam cogitaret superesse remedium regi Ezechiæ, tam numeroso atque potenti exercitu potentissimi atque arrogantissimi Sennacherib obsesso. Verum simulatque manum suam retrahit Omnipotes, mira facilitate remedium dedit, exercitu omnino dissipato atque contrito. 4. Reg. 18. & 2. Para. 32.

Quis sibi persuaderet vrbem Bethuliam tanto in periculo atque discrimine positam, liberari posse ab exercitu copiosissimo superbi principis Holofernis? facili tamen negotio salutem & libertatem vrbis Deus inuenit, magno cum dedecore superbi ducis, & vitæ eius iactura, ac tyranni Nabuchodonosor qui eum miserat, extremis incommodis, vt patet Iudith 13.

Deus suos ex magnis periculis ac laboribus clementer educit, si ad ipsum toto corde humiliter cõfugiant. Vide enim quanto se in periculo constitutum conspexit Hieremias, quando ipsum sacerdotes occidere parabãt, Hiere. 26. Et quando ad principum petitionem iniquam est missus in locum horrendum & teterrimum, Hierem. 38. Ex quibus omnibus piissimus Deus eum facile liberauit, vt dictis locis patet: leges huiusmodi historias omnes atque applicabis quas voles tuo instituto, & consules cap. 40. etiam eiusdem Hieremiæ.

De hac porro materia, nempe quod Deus opem ferat ad se confugientibus ac clamantibus, & quod remedium etiam sæpe referuet ad aliud tempus vrgentius, consule D. Hierony. in prolo. super Abacuc prophetam tomo 6.

De eadem materia plurima alia loca reperiuntur in sacris literis, ex quibus fere innumeris, præter superiora, aliqua, producam in medium, quę per Concordantias non facile poterunt inueniri.

Esa. 23. D. & erit post septuaginta annos. & Esa. 30. D. plorans nequaquam plorabis. & 38. B. audiui orationem tuam.

Tum Hiere. 15. C. Tu scis domine recordare mei. & Threno. 3. G. appropinquasti in die quando vocaui te.

Præterea Danielis 3. E. angelus autem domini. & c. 13. E. mundus ego sum, &c.

Osee 6. A. percutiet & sanabit nos.

Ionæ 2. A. & præparauit dominus piscẽ grandem.

Nahum 1. B. bonus dominus, cõfortamini in die ritbulationis.

Iob 38. qui præparabat coruo escam suam.

Prouer. 3. Dominus enim erit in latere tuo.

Ecclesiastici 36. A. B. C. immitte timorem tuum.

Gene. 8. A. Recordatus est autem. & 16. B. Cumque inuenisset eam angelus. & 30. D. Recordatus quoque dominus Rachelis.

Tum 1. Reg. 14. G. Viuit dominus si cecderit capillus.

Item 2. Paralipo. 16. C. Nonne Æthiopes.

Porro 2. Macha. 10. F. apparuerunt aduersariis de cælo quinque viri.

Præterea Acto. 5. D. Ite & stantes loquimini in templo. Tum 21. F. cessauerunt percutere Paulum. 23. D. Quod cum audisset filius sororis Pauli.

Matthæi 1. E. Ecce angelus, &c.

Psalm. 9. per totum.

De timore atque pauore quẽ discipuli habuere, consule D. Greg. Nazian. Oratio. 15. quam scribit ad eos qui timore afficiuntur.

Tribulatio discipulos clamare coëgit: nõ est enim sulphureus puluis qui tanta vi atque velocitate globum emittat, faciatque eum in alta tẽdere, atque calamitas velocissimo cursu exclamationem & orationem sursum emittit & impellit.

Narrat Pomponius Mela de quodam fonte existente in Cirenaica prouincia, eum per noctem feruescere, per diem autem ex radiis solis frigere: sic plane nos calamitatis nocte affecti, diuino calore feruescimus, in prosperis autem quæ per diem designantur, frigescimus.

Sicut magni pisces non nutriuntur in aquis fluuiorum dulcibus, sed in maris vndis salsis & amaris: pari ratione viri illustres virtute & preclari, educantur in amaritudine lachrymarum, & calamitatum.

Quemadmodum lucra rerũ temporalium magna, permagnis quoque tum rei familiaris dispendiis, tũ vitæ periculis subiiciuntur: sic eximia & singularia animæ lucra, & augmentum insigne suppellectilis virtutum, obnoxia sunt tribulationibus, & magnis calamitatib.

calamitatibus. Vide D. Chrysost. super Genes. hom. 63. tomo 1.

Circa timorem quem hodie discipuli habuerũt: agere poteris quòd negligentia nascitur ex cõfidentia, & ex timore procedit cura & solicitudo. Quod satis apertum est in nauigantibus tranquillum mare & æquor: qui quidem quia tranquillitate afficiuntur, omnes sine timore & solicitudine versantur in ipsa naui. Cæterũ vbi primum tempestas oboritur, & per cõsequens timor excitatur: omnes simul præparantur, & cuncta recte disponũt. Vide Xenophontem lib. 3. de factis & dictis Socratis.

Quemadmodum in eodem igne aurum purificatur, & paleæ comburuntur, & vna eademque trituratiõe triticum expurgatur, & paleæ comminuũtur, & per eundem motum pretiosum vnguentum suauem diffundit odorem, & cœnum immundum emittit fœtorem suum: sic eadem prorsus calamitate boni splendent, & indicantur, impij autem fiunt deteriores & nequiores.

Sicut stella per noctem ostendit claritatem suam, quæ per diem sole lucente absconditur & offuscatur: sic in quibusdam virtus prosperis succedentibus, non enitet: vbi vero tempestas atra ingruerit, manifestatur, & ostenditur.

Et circa quartam vigiliam noctis. Differt Deus aliquando auxilium, vt fortiores efficiamur ad pericula: quæ dispensatorie discipulis hic inducta sunt, ne facilem aut velocem quærerent liberatorem, & vt rectius agnoscerent eum, qui eos de tanto discrimine liberarat. Lege Euthymium super Mat. 14.

Sereno vultu & patienti valde feramus procellas, nempe labores præsentis seculi, Deum qui nobis auxilium ac salutem conferat inuocantes: quia aduersa mundi signum sunt saltis æternæ. Lege Glos. incognit. super Psalm. 129. in illa verba, Sustinuit anima mea in verbo eius.

Quod Deum in nostris necessitatibus inuocare debemus, exemplum nobis præbet Hiere. cap. 4. dicens, ventrẽ meum doleo: &c. vbi animam appellat ventrem. Et Ezechie. 18. dicitur, si conuersus ad Deum ingemueris, tunc saluus eris. Multa quidem ad hoc institutum inuenies apud D. Grego. Nazian. Oratio. 15.

Contristari in laboribus quos nobis immittit æternus & clementissimus pater, minime debemus: quin potius tristitia nobis esse debet ex culpis contra Deum commissis, non tamen adeò vt in desperationem præcipitemur. Consule D. Leonem Papam in dialogo inter tristitiam & gaudiũ spirituale, non longè à medio operum.

Philosopus quidam Gerontius nos solatur egregia illa sententia in aduersis, dicens: Aduersa laborãs fortuna, ne futuram desperes felicitatem. Eusebius, cum molestum aliquid ingruit, quære nũquid aliud præsenti molestia grauius vsquam appareat: quod si apparuerit, gaudeto præsente tanquam minore malo. Polyenus, nunquam de teipso infortunatus desperes, nunquam in re quapiam dicas, perdidi hoc, sed reddidi: puer non obiit, sed redditus est: ager ereptus, redditus est.

Et statim locutus est cum eis, & dixit illis: Confidite, ego sum: nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant, non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. Non mirum si domino ascendente in nauim, cessat ventus, quia in quocunque corde per gratiam sui amoris adest, mox vniuersa vitiorum, aduersantis mundi, & malignorum spirituum bella quiescunt. Glossa Ordinaria super Marcum.

Et ascendit ad illos in nauim. Non certe agricolæ contemptim semen spargunt, sed antequam serant, terram subigunt, & mouent: deinde frumenta mandant. Sic Deus vt verba sua fructum faciant in cordibus hominum, tribulationibus & laboribus antea nos premit, vt fructui ferendo paratiores reddamur. Lætemur igitur quoties tribulationibus conflictamur: paratur namque terra in qua seminatum verbum Dei fructum reddat centulum. Vnde D. Iacobus, omne gaudium ait existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Vt enim segetem in agro pluuias, niues, glacies, pruinas, & tempestates, ferre necessarium est, antequam matureſcat, & fructum ferat: ita hominem fidelem intus & extrinsecus multa pati mala oportet, quibus exhaustis tempore suo fructificet. Vnde idem Iacobus, ecce agricola patienter expectat fructus terræ. Sic etiam Paulus de Abrahamo ait, quod longaminiter ferens, adeptus est repromissionem. Iacobi 1. Iacobi 5. Heb. 6.

Cum in area triticum mundatur, cum aliquantulum sit ponderosum, ad mundantis pedes cadit, paleæ autem in rapido vento feruntur: ita nimirum in tentatione qua boni & mali examinantur, boni ad Dei pedes proiiciuntur, mali vero tanquam leuis palea vndique spãguntur. Recti namque & iusti qui tentatione tanquam igne approbantur, ad Deũ magis accedunt: mali autem recedunt, & semouentur. Christus cum in horto ad patrem feruentissima oratione oraret, ad Dei pedes cecidit positis genibus. Sic Iob in sua tribulatione. Sic Susanna Danie. 13. sic etiam ad pedes ventilantis corruit Ezechias rex sanctus, Esa. 37. Sic Dauid orans dominum, cum dixit, Ego sum qui peccaui. Sic etiam Iosaphat rex, cum dixit: cum ignoremus quid agere debeamus, &c. 2. Para. 20. Sic porro Dauid, dicens: Ad dominũ cum tribularer clamaui, Psalm. 119. & Ionas de ventre piscis, Ionæ 2. Mali vero sicut paleæ spãguntur, ac longissime proiiciuntur, & à Deo elongantur. Sic enim Saul cum deberet in sua tribulatione Deum inuocare, longius recessit à Deo, & Pythonissam consuluit. Sic Asa rex Iuda cum ægrotaret dolore pedum, non quæsiuit dominum, sed magis in medica arte confisus est. Quare accuramus ad dominum in nostris tribulationibus, & ipse nos eripiet. Lucæ 22. Iob 2. 2. Reg. 24. 1. Re. 28. 1. Para. 10.

Confidite, ego sum. Exulẽ Iacob à parentib⁹ suis charissimis, Deus solatus est, ostensa scala cælesti. Defatigatus porro & solicitus maxime populus Israel ad promissam terram contendebat, à Deo tamen in itinere tam ærumnoso manna cælesti recreatus est. Gene. 28. Exo. 16.

Et plus magis intra se stupebant. Si velis differere de timore, eiusque causa, atque effectu, videbis Vincen. Belluacen. specu. mora. lib. 1. par. 1. dist. 26. 27. 28. & 29. & par. 3. dist. 82. si vis etiam videre placita poëtarum hac de re, vide eundem Specu. Doctrina. lib. 4. cap. 113.

Prævaluerunt in hac tempestate tandem discipuli Dei auxilio muniti: sic bonus prevalebit aduersus tentationes, de quo argumento lege quod D. Antoni. 4. par. Theolo. tit. 13. c. 3.

Et cum transfretassent, peruenerunt in terram Genezareth, & applicuerunt. Cumque egressi essent de mari, continuo cognouerunt eum: & percurrentes omnem regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre vbi audiebant eum esse. Super illa verba, & cum transfretassent, &c. Poteris tractare quantum conducibilis sit ac necessaria constantia ipsa ac perseuerantia contra aduersitates, & ventos contrarios, vt tandem ei terram cælestem transfretemus. Ad quod legito quæ sequuntur.

De fortitudine & constantia librum habet Philo, qui inscribitur eo nomine: est autem inter mediũ ac finem

ac finem eius operum.

De fortitudine ac constantia contra aduersa, consule D. Ambro. 1. lib. officio. à c. 35. vsque ad 41.

De virtute constantiæ vide D. August. ad fratres in eremo sermo 13. non procul à fine tomo. 10.

Vide præterea Vincen. Bell. Specu. Mora. libr. 1. parte 3. dist. 80. & 83.

Super illa verba, cumque egressi essent de mari, continuo cognouerunt eum: quibis agere quàtum valeat ad Deum cognoscendum pax & tranquillas mentis ac cordis: ad quod accipito subiecta.

De quiete ac tranquillitate dialogum habet D. Leo Papa, qui non est longe à medio operum eius.

Quantum conducat quies ad noscendum Deum, vide D. Ambro. lib. 3. Officio. c. 1.

Quam cõducibilis sit interior animi quies & trãquillitas iuxta Philosophos, lege Vincen. Belluacen. lib. 5. Specu. Doctri. c. 41. & 42.

Et quocunque introibat in vicos, vel in villas aut ciuitates, in planteis ponebant infirmos, & deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant. De episto. & Euange. Duas condidit conciones D. Antoni. initio primæ partis Theolo.

Vide eundem primæ par. histo. tit. 5. c. 1. §. 11.

Vide D. August. tracta. 25. super Ioan. explicantem c. 6. to. 9.

Consule D. Chrysost. super Ioann. hom. 42. explicantem ca. 6. vbi nonnulla inuenies consona Euangelio, to. 3.

De ambulatione Petri super mare, quod adduci hic etiam potest, si voles: vide D. Aug. de verbis Domini sermo. 13. to. 10.

Super illa verba, & quotquot tangebant eum salui fiebant, agere poteris de summa illa clementia diuina. Vt enim copiosissimus fons quamuis multi ad eum bibendi causa minus accedant, non desinit tamẽ propterea aut cessat à perenni suo fluxu: ita Deus non cessat clementer omnes ad se vocare, quamuis aliqui recusent ad eum accedere.

Quemadmodum egregius pictor quo magis color aliquis appareat, adponit & obiicit alium colorem quo illustretur: ita plane vt magis nobis manifestetur misericordia diuina, necessum est vt ad eam accedant miseri & afflicti, vt eis opem ferendo illustris nobis magis magisque fiat.

De pietate ac clementia secundum Philosopos, consule Vincen. Bellua. Speculi Doctri. libro 4. capitulo 41.

Vide præterea eundem Specu. Mora. lib. 5. capitulo 1. & 2.

Descendit Christus de monte, vbi orauerat: & postmodum ait Euangelium quod ambulabat per mare tempestuosum, & quod solo eius imperio cessauit omnis tempestas vbi ingressus est in nauim: exiens porro ex naui sanabat omnes infirmos, solo fimbriæ attactu. In quo intelligimus, quòd qui se oratione munit tranat hoc mundi mare sine naufragio, & sedat turbulentos appetitus, ac tandem suo exemplo curat multos à vitiis. Vide quæso quantum valeat oratio.

Dominica prima quadragesimæ.

DVCTVS est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo: & cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Matthæi 4. Marci 1. Luc. 4. Hic est ordo rectæ conuersationis, vt post acceptam Spiritus sancti gratiam, contra diabolum acrius accingamur. Neque vero indignum fuit Christum tentari, qui venerat occidi, vt tentationes superando nobis potestatem daret superandi tentationes, sicut sua morte tulit nostram mortalitatem. Porro tribus modis fit tentatio, suggestione, delectatione, & consensu: & Christus quidem sola suggestione tentatus fuit. Glo. Ordi. super Matthæ.

Idcirco accepisti arma, non vt otieris, sed vt pugnes: vt fortior, & ipso prorsus ferro valentior tentationum exercitatione reddaris. Neque certe superueniret tibi, nec aduersum te diabolus irrueret, nisi in maiore re positum honore conspiceret. Hinc enim aduersus Adamum insurrexit ab initio, quia multa eum dignitate vidit conspicuum. Tum & cõtra sanctum Iob nequitiæ suæ arma commouit, quia vtique videbat illum à Deo miris laudibus coronatum. *In desertum.* Tunc quippe aliquos maxime diabolus aggreditur, cum solos viderit, atque ab aliis segregatos. Sic enim mulierem initio aggressus est, quia solam illam, atque à viro inuenit separatam. D. Chrysost. super Matthæ. ho. 13. to. 2.

Baptismus signaculum quoddam fidei est. Nunquid igitur miles post militiam signatur, vt sedeat iam & requiescat, & non magis ante militiam, vt militet & laboret? Cæterum cum videris peruersum aliquem Christianum nunquam tristari, aut periclitari, & hæreticum nunquam tentationum persecutionem pati: noli scãdalum pati, nec dicas: Quomodo hæretici persecutiones nunquam patiuntur, sed semper fideles? Quomodo mali homines nunquam periclitantur, sed semper boni? Scito enim quoniam qui filij Dei sunt, hi tantummodo in tentationis baptizantur igne. Veniat tibi in mentem quod te docuit Apost. Paulus dicens: Quod omnes volẽtes pie viuere in Christo, persecutionem patientur: mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Chrysost. in non abso. ho. 5. to. 2.

Quasi pedagogum habuit caro Christi Spiritum sanctum. Sed quare Christus ductus est? vt nobis figuram daret, quia sicut caro eius non ducitur concupiscẽtiis, sed ducitur spiritu: sic & nos debeamus. Vnde Paulus: si autem spiritu Dei ducimini, non iam estis in carne. Et quicunque spiritu Dei ducuntur, non sunt sub lege. Ducitur ergo spiritu caro Christi, ducamus & nos. Chrysosto. hom. de Spiritu sancto to. 3. Gala. 5. Roma. 8.

Intelligamus hinc, quod nos post Baptismum non solum ad bona agenda, sed etiam ad mala tolleranda, accingere debeamus. Glos. interli. super Ma. 1.

Multi laquei quacunque progredimur nobis intenduntur: laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum, tẽduntur à diabolo. Laquei in philosophis, laquei in cupiditatibus: oculus enim meretricis laqueus est peccatoris. Laqueus in pecunia, laqueus in religiõe, laqueus in studio castitatis. Exiguis enim momentis mens inclinatur humana, & huc atque illuc pro versutia suadentis frequenter impellitur. Quomodo igitur hos laqueos deuitabimus? vt possimus & nos dicere, Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Aduerte ergo quod non dicit, ego contriui laqueum, non enim ausus est hoc dicere Dauid: sed subiecit: Adiutorium nostrum in nomine domini: vt ostenderet vnde laqueum solueremus. Vt prophetaret quod venturus esset in hãc vitam qui contereret laqueum fraude diaboli præparatum. Cæterum non potuit melius cõteri laqueus, nisi prædam aliquã diabolo demõstraret: vt dum ille festinaret ad prædam, suis laqueis ligaretur. Quę autẽ potuit esse præda, nisi corpus? &c. D. Ambro, super Luc. 4. lib. 4. Psal. 123.

Quare

Quare ductus est in desertum vt tentaretur, cum posset etiam alibi tentari? primo quidem propter exemplum quod dare intendebat prædicantibus. Prædicator enim debet interdum se ostendere populo, scilicet quia prædicare debet: debet etiam interdum se abstrahere à populo. Primo propter auctoritatem verbi Dei, quia si prædicator fuerit familiaris populo, contemnetur verbum eius, cum familiaritas nimia generaliter contemptum pariat. Secundo vt per conuersationem non contrahat mores populi: communitas enim imperfecta est, perfectio autem, imo aliqua vera bonitas, apud paucissimos est. Est autem naturale quod quis contrahat mores illorum cum quibus assidue cõuersatur. Tertio quia si prædicator assidue aut multum conuersetur cum populo, necesse est quod mores sui & populi sint similes: quia inter dissimiles impossibilis est grata & iucunda communicatio. Ideo dicitur 8. Ethico. quod inter amicos oportet esse similitudinem & æqualitatem. Tunc ergo vt iucunde communicet prædicator cum populo in assidua & magna communicatione, necesse est quod aut prædicator descendat ad mores populi, aut populus ascendat ad mores prædicatoris. Difficile est autem quod imperfecti ascendant ad altos mores, quales debent esse prædicatoris: descendere autem cuilibet facile est, etiam perfectissimo, cum nulla sit in descendendo difficultas. Iuit porro in desertum, vt maiorem opportunitatem diabolus inueniret ad tentandum eum in deserto, quam inuenisset in vrbibus. Ista est causa quare solitudo omnimoda non est nisi pro viris perfectis: minores autem non possunt eam sustinere, & incidunt in multa pericula. Sic rectè dicit Aristo. 1. Politi. quod homines agentes vitam solitariam aut sunt dij, aut bestiæ. Et ista cauentes patres antiqui, non permittebant alicui tenere vitam eremiticam omnino solitariam: nisi prius virtus eius in cœnobiis probata existeret. Primum enim damnum solitarij est facilitas succumbendi tentationi. Ecclesiastes 4. væ soli. secundum incommodum est tristitia, quia vita solitaria est naturaliter tristis: cum etiam homo sit animal politicum naturaliter, vt patet 1. & 3. Politi. est quodammodo contra naturam eius solitarium viuere. Hæc, & plura alia in hanc sententiam, habet Abulensis super Mat. q. 4.

Quadraginta diebus tentatur Iesus, & quæ fuerint tentamenta omnia nescimus: quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia maiora erant quam vt literis crederentur. Et si sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent quæ fecit & docuit Iesus: sic 40. dierum tentationes, quibus tentatus est dominus à diabolo, mundus ferre non poterat, si scriptura docuisset. Sufficit nobis hoc tantum scire, quod quadraginta diebus in deserto fuerit, & tentabatur à diabolo. Origenes in Luc. 4. ho. 29. to. 2.

Secundum Origenem toto tempore 40. dierum illorum tentabatur: veruntamen verbum hoc Origenis pie accipi debet. Præsertim cum beatissimi Euangelistæ, Matthæus & Lucas, tres tentationes quas ibi passus est Christus, commemorent. Basilius quoque sentire videtur quod completis 40. diebus ieiunij sit tentatus: ait namque, Christus per quadragenam intentatus mansit, nouerat enim diabolus quod ieiunabat, nec famescebat: ideoque non audebat accedere. Et istud Euangelicæ veritati magis consonum reor: quia in Matthæ. habetur, cum ieiunasset quadraginta diebus &c. Et accedens tentator dixit. Vnde apparet quod consummato ieiunio, & visa fame ipsius, tentator aggressus sit eum. Hinc aliqui expositores affirmant quod esuries fuit diabolo tentandi occasio. In omni tentatione Christum fiducialiter inuocemus, vt virtute & merito suæ tentationis nos roboret: superareq; faciat. Quia & Apostо. loquitur ad Heb. debuit Christus per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum: in quo enim passus est ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari. Nunquam tamen securi ac improuidi simus, sed timorati semper & circumspecti: quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est, Nisi in timore Dei tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua. Diony. Cartu. super Luc. 4. Heb. 2.

Mandabatur olim vt pontifex hircum acciperet, & super eum peccata populi imponeret, peccatisque hircum onustum in desertum abigeret. Certe Christus est super quem dominus posuit iniquitates omnium nostrum, & ideo vt personam nostri gerentem Spiritus sanctus in desertum eum expulit. Porro Christus tentatus est per omnes quadraginta dies, id quod expresse videtur ex Marco colligi, dicente, Erat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto, & tentabatur à Satana. Cui textui nisi violenter responderi non potest. Adde quod hæc sententia non displicuit Remigio, Bedæ, Thomæ, & Caietano: ex quibus habetur quod sicut Antonius Abbas passus est innumeras à dæmonibus afflictiones, visiones, & terriculamenta: ita & Christus passus est. Lege D. Thom. 3. par. q. 41. art. 3. ad. 2. & ibi Caietanum. Cui sententiæ iterum Paulus suffragatur, cum dicit Christum tentatum per omnia. Si tentatus est per omnia, nullum igitur tentationis genus non est expertus ab hoste, sine peccato tamen. Demum qui omnibus tentatis futurus erat exemplum, auxilium, & meritum, omnes fere tentationes experiri debuit. Palacios super Matthæ. Levit. 16. Maci. 4. Heb. 4.

Lachrymæ nostræ acceptabile sacrificium sunt altissimo, quæ profundius & acceptius inueniuntur in locis solitariis, mæroribus aptis. Legitur quidem in libro Genesis quod Ana filius Sebeon cum pasceret asinas sui patris in solitudine, inuenit aquas calidas. Ana ille est qui bestiales motus & sui corporis sensus in solitudine pascit, eos auertendo ab amænis sensualitatis: & qui ita suos effrænatos motus comprimit & continet in deserto pœnitentiæ, is inuenit aquas calidas, lachrymas scilicet Deo acceptas, in corde igne charitatis decoctas. Dirigatur ergo ad dominum Iesum incolam deserti factum, oculus interior, & multo intuitu ipsum absentem tanquam præsentem sedulo contemplemur. Porro stultitia est sapientibus mundi, derisio delicatis, incredulis fabula, quod Christus fuerit in deserto. Quid enim est videre iuuenem delicatum immaculatum esse cum bestiis in deserto? quid item faciebat rex regum, & dominus dominantium, factus incola in deserto, humana consolatione priuatus, squalida facie, inedia & ieiunio cruciatus: qui carebat lectulo, nec puluinar supponebatur diuino capiti, sedile non erat ei, nec operiebatur nocturno tempore pannis? sed vbi mundi reges? vbi quos ambit multitudo populorum? vbi delicati? veniant, & contemplentur omnium regem ab animalibus sociatum. Quid faciebat ais? temerarium est definire quod cælici notarij non scripserunt: Sed incunctanter credamus, quod in omnibus agebat & curabat salutem nostram. Simon de Casia lib. 4. cap. 4. Figura.

Ridicule tentat dæmon cum per se tentat, & minus grauiter quam cum per alios. Grauius enim & molestius tulit beatus Iob vxoris & amicorum tentationes, quam dæmonis. Et Tobias etiam cognatorum, & vxoris suæ. Videtur siquidem dæmon cum per ipsos homines tentat, pugnare quasi ex Iob 2.

equis fortiſſimis, & deſuper tela proiicere: cum vero tentat per ſe, pedeſter certat. Soarez ſuper Matthæ. tracta. 4.

Dæmon ſolitariis inſidiatur, vtpote quibus velut ſubacto mundo & carne, contra ſolos dæmones pugna reſtat. Caietanus ſuper Matthæ.

Moyſes & Elias ieiunauerunt non ex virtute, vt
Exo. 24. Chriſtus: ſed Moyſes ſuſtentabatur eloquio Dei,
3.Reg.19. Elias autem fortitudine cibi. Nec dicuntur illi duo eſuriiſſe, ſed Chriſtus vt homo eſuriit, vt celaretur Deus; ſignificabatur etiam deſiderium noſtræ ſalutis. In pugna Chriſti prius agitur contra gulam,
Gene.3. ieiunando: per quam victus eſt primus homo. Gula
Rom. 7. libidines inflammat, concupiſcentiam carnis nutrit, quæ repugnat legi mentis. Hæc niſi prius refrænetur, fruſtra contra alia laboratur. Poſtea igitur Chriſtus eſurit: latet poteſtas, patet infirmitas. Gloſ. ordina. ſuper Matthæ.

O incomparabilis domini patientia, & admirandæ humilitatis exemplum! Tentari à diabolo dominus patitur, qui tentantem ſe in deſerto iamdu-
Num.21. dum mortifero ſerpentum morſu percuſſit. Ieiunans etiam pro nobis eſuriit in deſerto, qui iamdudum eſurientem populum ſuum in ſolitudine per 40. annos cibo cæleſti refecit. Chryſoſto. ex variis
Exod.16. in Matthæ. locis ho. 5. to. 2.

Si quæratur quid faciebat Chriſtus in his 40. diebus: dicendum quod vacabat orationi. Ceſſat tamen homo ab oratione, quia humana infirmitas nõ poteſt attentionem illam in Deum tollerare, niſi ad paucum tempus. Chriſtus tamen cum eſſet Deus, poterat ſemper manere ſine cibo, & ſemper attentus circa eandem rem. Sicut patet Lucæ 6. vbi dicitur: Exiit in montem ſolus orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Abulenſis ſuper Matthæ. q. 8.

De ieiunio Quadrageſimali quid ſcripſerint Eccleſiæ luminaria, non pigeat audire ſi recenſeam. Dicit namque Hiero. contra Montanum 1. par. epiſ. 4. Nos vnam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum annis ſingulis ieiunamus. Et Ambro. ſerm. 25. & in Quadrageſi. ſermo. 3. ſic habet: Non enim fratres leue peccatum eſt fidelibus indictam Quadrageſimam à domino non ieiunare, & ieiunia cõſecrata ventris voracitate diſſoluere. Si ergo vis Chriſtianus eſſe, debes quod Chriſtus fecit facere: ille pecatum nõ habebat, & Quadrageſimam ieiunauit. Tu non vis Quadrageſimam ieiunare, qui peccas? Auguſ. vero feria 4. poſt Domi. 2. Quadra. ſanctam inquit Quadrageſimam abſtinendo dominus conſecrauit, totam non obſeruare ſacrilegium eſt: ex parte autem violare, peccatum. Et Ignacius epiſ. 4. Quadrageſimam nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conuerſationis. Ab, ſit autem vt quod tam priſcum eſt, quod tanta autoritate conſtitutum, tanto ardore complexum, & denique quod propheticum, quod Apoſtolicum, quod diuinum eſt, ad vnius Epicurei ſuaſum aboleatur. Plurima tandem Tertullianus de ieiunio aduerſus Pſychicos memoria digna protulit. Gagnæus ſuper Matthæ.

In Deutero. ita dominus præcipiebat: iudices
Deut.25. Iſrael ſi eum qui peccauerit dignum inuenerint plagis, facient eum verberari, ita dumtaxat vt quadragenarium numerum non excedant. Verum vt Iudæi miſericordes ſe oſtenderent, hunc numerum non attingebant: ideo Paulus Corinthiis ſuis ſcribens, dicebat, A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi. Igitur ſicut pro peccatis quadraginta plagæ debebantur, ita 40. diebus Chriſtus ieiunauit, vt ſatisfaceret pro peccatis noſtris debitis plagis.

Lud.Gra. Vt aqua eorum locorum per quæ decurrit ſapo-

rem refert: ſic etiam quando ieiunium hoc per autorem vitæ tranſiuit, nouam ab eo dignitatem & gloriam traxit. Vt iam hoc tempore ieiunare non ſolum abſtinentiæ munus ſit, ſed etiam inſigne quoddam diuinæ ſimilitudinis decus & ornamentum. Monſtro enim ſimile eſt, ſi capite ieiunante, membra ſint ebria. Si illo propter nos inediam ſuſtinente, nos cõtra deliciis ſoluamur. Nemo vero famem cauſetur, laboremque ieiunij: ne dum minorem vitare laborẽ nititur incidat in maiorem. Scriptum eſt enim: Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix, Iob. 6. Itaque ſi non vis ieiunare & ſitire exiguo hoc numero dierum, ieiunabis & ſities cum epulone diuite in æternum. Fugis modo leuem, ſalutiferumque pœnæ cruciatum: cruciaberis perpetuo, & id quidem ſine fructu. Apud Chaldæos quidem Chriſtianos qui inter Sarracenos & Turcas diuerſantur, apud Malauaras etiam qui in India orientali inter nudos Barbaros & idolorum cultores vitam agunt, ſicut certa relatione didicimus, adeo ſtricte Quadrageſimalis abſtinentia cuſtoditur: vt toto hoc tempore tam minores quam maiores non modo ab ouis & carnibus, ſed etiam à piſcibus omnis generis, & vino abſtineant, ſoliſque leguminibus ſemel tantum in die, idque ad veſperam reſciantur. Quod eo laborioſius eſt, quo regio illa æquinoctiali lineæ propinquior, implacabili calore feruet. Cæterum ſi carnem veſtram aliquando fames & inedia cruciauerit, conſiderate quæſo quoties propter eius indulgentiam Dei præcepta conculcaſtis: intelligetiſque non magnum eſſe ſi propter Deum placandum illam inedia macceretis, ad quam oblectandam toties maieſtatem domini violaſtis. Vt ſi caro vos læta traxit ad culpam, eadem afflicta reducat ad veniam. Si enim corpora quæ calido humore ægrotant, frigore curantur, quæ vero repletione ciborum, inedia ſanantur: quid mirum ſi quæ voluptate deliquimus, doloris amaritudine ſanemus? Tobias ſtercore hirundinis excæcatus, Tobi. 11.
felle piſcis curatus eſt: ſic nos animæ lucem, ſordidæ carnis voluptatibus amiſſam, amaritudine pœnitentiæ recuperare debemus.

Simile.

Simile.

Simile.

Hoc in loco illud primum adnotari ſolet, dominum poſt ſacrum Baptiſma, & cæleſte patris teſtimonium, à dæmone tentatum fuiſſe, vt hinc diſcamus omnem dæmonis rabiem ac furorem aduerſus eos maxime ſæuire, qui Dei filij nominentur & ſint. Eius enim eſt illa Holofernis vox: Ego nunquam nocui viro, qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor regi. Itaque repugnantibus maxime aduerſatur, obſequentes verò deſerit: cur enim impugnet non repugnantes? Eſca enim eius nõ vulgaris & vilis, ſed electa ea eſt. Vnde tũc potiſſimum beatum Iob euerte-
Iob 1. re tentauit, cum illum à domino commendari vidit.
Simile. Quemadmodum enim piratæ his potiſſimum nauibus inſidiãtur, quas auro & pretioſis mercibus onuſtas eſſe intelligũt: ita dæmõ his potiſſimum laqueos tendit, quos ſpiritualib. diuitiis abũdare cognoſcit.

Simile. In vitis patrum quidam ex ſenioribus aiebat ita ciborum multitudine flammas vitiorum accendi, quemadmodum lignorum magna ſtrues in ignem iniecta ingentem flammã excitat. Ioannes Climachus idem, ſub alia tamen ſimilitudine profiterur. Sicut inquit ſtercoris copia multitudinem vermium gignit: ita ciborum multitudo lapſum & malum cogitationum, atque ſomniorum operatur multitudinem. Et alibi dictum eſt, eos qui pudicitiæ ſtudent, & ſe cibis ingurgitarent: his eſſe ſimiles qui ardentem ignem iniecto oleo extinguere niterentur.
Simile. Cæterum quemadmodum aquilæ & ciconiæ pullos ſuos ſubiectis alis ſuſtinentes, ad volandum inſtruunt,

ſtruunt, & inuitant: ita dux noſter exemplo ſuo nos certare cum communi hoſte edocet.

Ieiunium fratres ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum. Hoc Adam ſeruauit in paradiſo, quem inde detraxit gula. Hoc in arca cuſtodiuit Noë, mundum ebrietas cum demerſit. Per hoc Loth ſodomiticum extinxit incendium, qui per ebrietatem inceſti eſt aduſtus incẽdio. Hoc Moſen diuini feruoris fecit lumine perducere, quando
4 Reg.2. commeſſatio & ebrietas Iſraeliticum populum ſimulachri tenebrauit erroribus. Hoc Eliam peruexit ad cælum, quando Achab impium ebrietas ad infer-
Marc. 6. na deiecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit eſſe maiorem, quando temulentia Herodem principem imperio mulierũ reddidit homicidam. Petrus Chryſologus ſermo 12.

Ecce tempus quo miles procedit ad campum, recurrit ad Dei ieiunia Chriſtianus. Ecce tempus quo carnis otia, quo mentis ignauia, quo ventris cura, & tota eſt familiaris obſequij deponenda torpedo. Ecce tempus, quo in armorum cæleſtium meditatione, animæ & corporis exercendæ ſunt vires. Ecce tempus quo reſidente Chriſto, aſtãtibus angelis, noſtra luctaminis exercenda eſt fortitudo. Nunc eſt tempus quo gula cum ieiunio, abſtinentia cum crapula, cum luxuria caſtitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate, miſericordia cum auaritia, humilitas cum ſuperbia, ſanctitas cum reatu, Chriſto remunerante conſligit. Si quis ergo ſpectante Deo, cæleſti reſonante iam tuba, angelico inſiſtente concurſu, cubiculi irretitus illecebris, eneruatus mollitie plumarum, reſolutus in totum iugalibus blandimentis, ad exercitium virtutis venire neglexerit: perdet luctaminis præmium, virtutis gloriã, certaminis palmam, iuſtitiæ coronam: deſertoris etiam crimine multabitur in futurũ. Petrus Chryſologus ſermo. 13.

Autor operis imperfecti initio ho. 5. ſcribit Ieſum ductum eſſe in deſertum à Spiritu ſancto, non quaſi minorem maioris præcepto, ſed quaſi maiorem minoris hortatu. Quod Arrianorum eſt dogma: ibidem paulo poſt videtur fauere hæreticis Lutheranis, affirmantibus peccatum originale non recedere à baptizatis, niſi in morte. ait enim: Quale autem peccatum in morte remittatur, ſcit qui intelligit pro quali peccato introducta eſt mors. Nam ſi propter peccatum moritur homo, ſine dubio ſoluitur propter quod moritur. Vide Sixtum Senen. in ſua biblio. ſan. lib. 6. annota 16.

Quod Chriſtus ieiunaturus deſertum petiuit, nobis exemplum præbuit vt bona opera noſtra in ſecreto & abſcondito faciamus, quandoquidem ibi dominus, qui illorum redditurus eſt præmium, ea contemplatur & videt. Lege D. Cypria. in tracta. de ieiunio & tentationibus Chriſti, inter medium ac finem operum eius.

Quod hoſtis antiquus omnibus in locis tentet & aggrediatur nos, tum quod in deſerto etiam ac ſolitudine de inani gloria nos tentet, quamuis nemo nos videat: ſuggerens nobis intus ac producens noſtri quandam confidentiam & æſtimationem propriam. Lege D. Hierony. epiſ. ad Ruſticum monachum de viuendi forma to. 1.

Magnum rigorem quo diuinus ille Hieronymus comprimebat atque frænabat affectus ſuos ſiue carnem, inuenies deſcriptum mire epiſto. quadam quam miſit ad Euſtochium virginem de cuſtodia virginitatis to. 1.

Simile. Quemadmodum vernecina quamuis optima, niſi priùs ſale fuerint conſperſa, facile corrumpuntur:

ſic anima licet perfecta niſi tentationibus quaſi ſaliatur, quam citiſſime fere diffluet, corrumpetur, & diſſoluetur.

Et accedens tentator dixit ei: Si filius dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Cum audiſſet vocem de cælo ve- Matth.3.
nientem atque dicentem: Hic eſt filius meus dile- Ioann.1.
ctus: audiſſet etiam Ioannem teſtimonium illi tam
insigne perhibentem; ac deinde ipſum eſurientem videret: magno teneri cæpit ambiguo. Nam neque hominem illum eſſe nudum credere poterat, propter ea quæ diuina vox de eo protulerat, nec rurſus iſtud percipere, quod filius eſſet Dei quem eſurientem videbat. Itaque maxima rerum concluſus anguſtia, voces emittit ancipites. Nec dixit, quandoquidem eſuris; ſed ſi filius Dei es, videlicet exiſtimans poſſe ſe illi aliquid per laudum blandimenta ſuſſurari. Idcirco non commemorauit eſuriem, magnitudinem quippe tantæ diſpenſationis ignorans, iſtud ei erubeſcendum putabat: propter quod dolo-
ſa illi adulatione palpando, ſolius mentionem facit dignitatis. Chryſoſto. ſuper Matthæ. ho. 13. to. 2.

O cæcitas diaboli manifeſta! quomodo ſuſpicatus eſt eum non eſſe filium Dei, quem poſt 40. dies eſurientem ſenſit, & per 40. dies nõ eſurientem non intellexit! Nam ſicut eſurire hominis eſt, ita per 40. dies non eſurire hominis non eſt. Non cogitauit quoniam qui vere non eſurit voluntarie eſurire poteſt. Fortis quidem ad ea quæ infirma ſint deſcendere poteſt, infirmus autem ad ea quæ fortiora ſunt aſcendere non poteſt. Sic ergo magis ex eo quod per tot dies nõ eſurierat intelligere debuerat quia Deus eſt: nam Deus quæ hominis ſunt agere poteſt, homo autem quæ ſunt Dei agere non poteſt. Forſitan tu dices, Moſes & Elias 40. dies ieiunarunt, & homines erant. Sed illi ieiunantes eſuriebant, & ſuſtinebant: iſte autem 40. diebus non eſuriit. Eſurire enim & non manducare patientiæ eſt humanæ: non eſurire autem diuinæ naturæ. Chryſoſto. in non abſo. ho. 5. to. 2.

Quid ſibi vult talis ſermonis exorſus? ſi filius Dei es &c. niſi quia cognouerat Dei filium eſſe venturum, ſed veniſſe per hanc infirmitatem corporis non putabat. D. Ambro. lib. 4. ſuper Lucam 4.

Hoſtis noſter adhuc in hac vita nos poſitos quanto magis ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit. Contra nos porro eo vehementius incitatur, quo ex corde noſtro quaſi ex iure propriæ habitationis expelli-
tur. D. Grego. lib. 24. Mora. cap. 12.

Diabolus per antonomaſiam tentator appellatur, quamuis vnuſquiſque tentetur & à concupiſcentia ſua, vt dicitur Iaco. 1. *Si filius Dei es.* Quaſi di- Iaco. 1.
cat, ô bellum Dei filium! ô egregiam patris erga te
curam! Ne fruſtulum quidem panis mittit, ſed in hoc deſerto inter cruentas beſtias patitur ille te fame perire. Si filius Dei eſſes, nõ videreris derelictus: Pſal.36.
quoniam ſcriptum eſt, Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Eliæ coruus panem; 3. Reg.17.
& Danieli in lacu Abacuc miniſterio angeli pran- Dani.14.
dium ſuppeditauit: porro ſi tantus es vt ſis filius Dei: conuerte hos in panes lapides. Teſtare aperto facto te eſſe Dei filium. Simili plane arte ſatanas dominum in Cruce pendentem per ſuos adorſus, tentauit, atque dixit. Si filius Dei es, deſcende de Cru- Matt.27.
ce. Claudius Guillau. ſuper Matth.

Sed quare eum aggreditur primo de peccato gu- Simile.
læ? Ad hoc dicendum, quod vidit eum magis diſponi propter eſuriem. Sicut milites explorant infirmiorem caſtri partem, & ex illa primo inuadunt, ſecundum illud Gene. 42. vt videatis infirmiora

terræ veniſtis. Gorranus ſuper Luc. 4.

Innoc. 3. Attende diligenter aſtutiam tentatoris: tentat enim ex diuerſis cauſis, in diuerſis locis, diuerſis modis, de Gula, de Iactantia, de Auaritia, in deſerto, in templo, in monte: ſuggerendo, argumentando, & promittendo: vt quem ex vna cauſa non poterat, ex alia cauſa ſeduceret. Quem in vno loco non poterat, in alio loco deciperet. Quem non poterat vno modo, falleret alio. Tentauit ergo non qualiſcunque tentator, ſed ipſe diabolus: qui ſuper omnes tentatores malignos probatur aſtutus, & ex ſubtilitate naturæ, & ex antiquitate temporis, & ex aſſiduitate fallendi. Idem ipſe qui tentauit in paradiſo, tentauit in eremo. Non ſit ergo monachus ſecurus in claſtro; non ſit eremita ſecurus in ſolitudine. Tentauit etiam non poſt conuiuium, ſed poſt ieiunium: non poſt peccatum, ſed poſt Baptiſmum: quia magis inſiſtit, fatagit, & laborat, vt ſeducat magnum, quam paruum, iuſtum, quam impium, ſapientem, Iob 7. quam fatuum. Vere tentatio eſt vita hominis ſuper terram: Dæmon, & homo, mundus, & caro: dæmon cum vitiis, homo cum beſtiis, mundus cum Roma. 7. elementis, caro cum ſenſibus. Propterea plorat & clamat Apoſtol. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et Dauid, educ de carPſal. 141. cere animam meam.

Corpore aëro, habituque ſumpto commodiſſimo, non iuuenis, ne leuis videretur, nec ſenis, ne delirus: ſed mediæ ætatis virum domino ſe obiicit, vultu pallido, oculis concauis, fingenſque ſe auidiſſimum humanæ ſalutis, dominum ſalutauit, multa ſeruatori propoſuit longo ſermone vſus: & hoc eſt quod dicunt Euangeliſtæ tentabatur à Satana. Soarez ſuper Matthæ.

Sicut rex non contra ſubditos, ſed contra rebelSimile. les nationes bellum mouet: ita diabolus validius eos quos à ſua ſeruitute recedere viderit, & ad leue Exod. 5. Chriſti iugum feſtinare, impugnat. Quod in exemplo Iſraelitarum didicimus: quia tunc à Pharaone durius afflicti leguntur, quãdo per Moyſen & Aaron ad terram promiſſionis ſunt vocati. Haymon ſermo. in Domi. 1. Quadrage.

Lapides in panem vertit, qui dura verba patienter implet. Threno. 3. ſaturabitur opprobriis. Lapides etiam in panes vertit, qui lapides domorum mutat in elemoſynas. Hugo Cardi. ſuper Matthæ.

Dic vt lapides. Quaſi dicat, Diu laborauiſti, multum ieiunaſti, iam perfeciſti pœnitentiam: neceſſe eſt aliquando recreari. Sic nititur Diabolus ſub quadam ſpecie diſcretionis, vel neceſſitatis, ingerere vitium voluptatis. Hugo Cardi. ſuper Luc. 4.

Non ait, dic vt lapides iſti carnes fiant, aut piſces: ne forte in cibis variis deprehẽdatur facilius aſtutia tentatoris. Innocen. 3. in ſermo. in Domi. 1. Quadra.

Quare tui occiſor eris? Facile tibi natura quam condidiſti obtemperabit. Ego quoque in te credens, diſcipulus, & tui præco exiſtã. Soarezius ſuper Mat.

Nec certe dæmonum inſultus ieiunãtes nimium impetere audet: nam cuſtodes vitæ noſtræ angeli libentius perſeuerant apud eos qui animam habent per ieiunium pũrgatam. Angeli porro ſunt qui per ſingulas Eccleſias ieiunantes deſcribunt. Vide ergo ne propter paruam eduliorũ voluptatem, damnum incurras, vt ſcilicet ab angelo in eo numero non ſcribaris. Lege Baſilii ſer. de ieiunio.

Callidus cum ſit inimicus, ſolet in angelum lu2. Cor. 11. cis transfigurari, & habitum mutare: quemadmodum vxor Ieroboam, quæ mutatis veſtibus voluit 3. Reg. 14. decipere prophetam Ahian. Opus eſt ergo prudenSimile. ter aduertere, vt non fallaris: venator namque ſolum eſcam oſtendit, laqueum autem cooperit, ſic dæmon ſub virtutis vmbra tentat, quemadmodum æmuli Daniel. 6. Danielis ſub obſeruatione legis & prætextu zeli & religionis. Diuerſæ plane Dæmonis artes & inſidiæ; nam vnam partem ſolet aggredi, aliam autem ferire, vt ſi alteram partem cooperias, aliam partem relinquas quam poſſit infringere. ſolet enim contingere vt tentatione carnis dæmon te inuaſerit, tu vero victor cum extiteris, victoriam laudas teque magnificas, & ſic inani gloria ac ſuperbia fuiſti victus. Fingit etiam ſe abire, & à te diſcedere, *vt te incautum* inueniat: Si ergo tentatio te reliquerit, ne tunc dormias, quia maiori impetu te vult inuadere.

Tentatio nil mali intulit malis etiam ſi cum illa cadant, ſed potius multum vtilitatis. Dic mihi, quale maius piaculum eſt, in peccatum incidere cum tentatione, an ſine illa? Clarum eſt multo grauius eſſe ſine tentatione peccare, quam cum illa. Nam maior imbecillitas eſt cadere me non impulſo, quam vi illata. Cum igitur Deus recte noſſet malos caſuros etiam nulla facta vi, nec tentatione illata, atque ita maiorem futuram illorũ culpam, & per conſequens pœnam; vt aliquam portionem pœnæ illis adimeret, permiſit dominus vt tentarentur. Do- Matth. 7. mus quidem ſuper arenã fundata etiamſi pluuiæ & venti in eam non irruerent, paucis tamen tranſactis Simile. diebus ruinam minaretur, & tandem caderet: ita nimirum malus etiamſi à dæmone non tentetur, tamen ob imbecillitatem ſuam caſurus eſt. Cæterum & qui facile labitur dæmonis tentatione, paucis ab hinc diebus ſua voluntate cadet, nemine impellente.

Cum dæmon in Chriſto vidiſſet alia hominis ſigna, alia vero Dei: ita perplexus & confuſus manſit, vt neſciret in quam ſe inclinaret partem. Chriſtus enim ſic ſuam deitatem abſcondit, vt à dæmone cognoſci non potuerit. Vnde ſponſa in Canti. de Canti. 4. ſponſo ſuo Chriſto ait: En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Cum aliquis eſt in feneſtra per cancellos Simile. & rimulas aſpiciens, partim videtur, & partim non videtur, ita vt etiam ſi videatis ibi aliquem eſſe, non tamen poſſit percipi quiſnam ille ſit: ita ergo verbum diuinum proſpiciens erat per cancellos humanitatis, vt etiamſi ſigna aliqua ſui ipſius oſtendebat, & aliqui cognouerunt illum, valde tamen incluſus erat, quamuis per cancellos humanitatis ſplendorem ſuæ diuinitatis emittebat, miracula ſtupenda faciens, quibus ſeipſum cognoſci dabat. Vnde tentator Satanas cum videret Chriſtum eſſe hominem, & ex altera parte deitatis & diuinitatis radios emittere, decreuit hoc negotium clarum efficere, cum iam defatigatus eſſet tanto tempore illum perſequendo, ſiue obſeruando.

Ne credas quod ſtatim vt illum vidit dæmon, hac quæſtione fuit aggreſſus. Nam Euangeliſtæ breuitatis cauſa ſolum concluſiones rerum ſcribunt: prius enim illum ſalutauit amicis verbis, & poſtea dixit ei: Etiamſi me non agnoſcas, multi tamen aguntur Vide 47. iam dies quibus ad me tui fama & notitia peruenit, ſtutiam volat enim per vniuerſum orbem, & nunc præcipue inimici. cum tanto atque tam mirabili ieiunio. Miror equidem valde tuæ vitæ aſperitatem, ſic adeo vt credam te non eſſe niſi filium Dei & Meſſiam quem Iudæi expectamus. Si tu ergo is es quem ego ſuſpicor, nullo opportuniori tempore poſſes venire, nam mundus ita perditus eſt, vt ego propter tot tantaque ſcelera quæ ſunt in Hieruſalem, ab ea fugere, & aliquibus diebus in deſertum recedere voluerim. Cum autem tu poſſis tuæ vitæ ſanctimonia & exemplo tot atque tantas animas perditas lucrari, videtur mihi melius & magis acceptũ Deo eſſe obſequium;

ſi in Hieruſalem tendas, & pœnitentiam prædices, quam hic in deſerto abſcondaris. Cæterum cum ita macilentus ſis, & adeo fame opptimatis; hic vero nemo adſit qui cibum tibi poſſit miniſtrare: ſiquidem filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.

Genes. 32. Laban Iacob diſcedentem ſecutus eſt, vt quaqua poſſet ratione vim reduceret, quem continere non poterat. Moſes etiam dixit domino: ex quo locutus Exo. 5. ſum Pharaoni, afflixit populum tuum. Antequam ſermo Dei audiatur, non eſt tentatio; ſed vbi audieris Deum, & ei adhæſeris, ſurgit ſtatim tentatio. Dæmon enim eos perſequitur, quos ſuſpicatur ſi ſe deſerant, Deo adhæſuros. Mirum ergo nemini videri debet quod illico à conuerſione fidelibus inſurgant diabolicæ tentationes: nam hic hoſtium more bellum non mouet contra illos quos ſibi amicos nouit, ſed eos dumtaxat expugnare contendit, à quibus ſe deſerendum timet.

Simile. Sicut in grege Iacob accidit vt eo colore agni tingerentur, quem matres eorum concipientes oculis hauſerant: ſic euenit miſeris mortalibus, qui incautius varia cogitantes, pauci maculam peccati euadunt. Nam in ea miſerrime labuntur vitia, quibus frequentius à dæmone ſolicitati, non reſtiterunt. Hoſtis namque generis humani qui optime vniuſcuiuſque ingenium & mores nouit, ea ſe gerit arte, vt iracundis iræ, libidinoſis veneris, ſuperbis arrogantiæ, ſemper cogitationes obiiciat: quibus mille fucatis pietatis coloribus intellectum & voluntatem ſeducit.

Simile. Quemadmodum venator qui feram ſponte in retia incurrentem tacitus obſeruat, nulla vtitur vociferatione, ſi vero diuerſam abire viam videt, ſeſe illi in via opponit, terroribuſque, & minis in laqueos redire compellit: ſic diabolus quos ſponte videt perire, non moleſtat, illos vero qui tutiorem elegerunt viam, omnibus modis ab incæpto deterrere conatur.

Matth. 2. Vix dum Chriſtus dominus natus erat, cum diaboli ſatelles & miniſter Herodes illum ad necem parricidali odio quærebat. Hoc quidem ſpiritualiter etiam quotidie in Eccleſia fit, cum in alicuius fidelis pectore naſcitur Chriſtus: illum enim dæmon tanquam alter Herodes priuſquam adoleſcat extinguere, & à pio virtutis inſtituto auocare conatur.

Apoc. 12. Cuius rei imaginem Ioannes in Apoca. mira ratione deſcribit, ait enim: Signum magnum apparuit in cælo, nempe mulier mirabili pulchritudine habituque fulgens ſole amicta &c. Cum vero ea vehementer cruciaretur vt pareret, aſtitiſſe illi draconem ait magnum & rufum, qui vaſto ac hianti ore parturientis fœtum præſtolabatur, vt mox eum deuoPigura. raret. Hæc mulier Eccleſia Chriſti ſponſa eſt, quæ toto mundo altior atque ſuperior, omnia quæ infra orbem lunæ continentur, pedibus ſubigit atque conculcat, ſolaque cæleſtia & ſublimia meditatur. Hæc igitur ſemine verbi Dei fœcundata, ſpirituales quotidie filios non ſine dolore ac labore parit. Sed adeſt tamen draco magnus ac rufus ſanctorum ſanguinem ſitiens, qui naſcentem ſobolem, hoc eſt ſpiritualem filium, in ipſo ſtatim initio extinguere conatur: qui dum tener & lactens eſt, facilius patet iniuriis inimicorum. Hinc D. Chryſologus ait: ſemper diabolus primordia boni pulſat, tentat rudimenta virtutum, ſancta in ipſo ortu feſtinat extingere, ſciẽs Simile. quod ea fundata ſubuertere non poſſit: noua autem ædificia minimo negotio diruuntur. Et planta quæ recens adhuc & nouella eſt, leui impulſu è terra exciitur: Lucerna quoque recens extincta, & adhuc extinctæ lucis fumum retinẽs, leui flatu accenditur.

Lud. Gra. Anima aduertite quæſo quo nomine ſanctus Euangeliſta dæmonem appellet, tentatorem enim vocat: eo modo quo nos dicimus pictorem, ſcriptorem, aut aliud ſimile artificis nomen. Ex quo plane intelligeSimile. re licet, quod quemadmodum huiuſmodi artifices perpetuo inſtant operibus ſuis, vt pote qui eorum vſu victitant: ita hic noſter hoſtis & tentandi artifex, non alio fungitur officio, non aliud captat lucrum, non alteri curæ aut negotio intẽtus eſt, ſed huic vni operi dies noctesque peruigil incumbit. Cæterũ illi Diſſimile quidem opifices ſacris feſtiſque diebus operis ſui laborem intermittũt: hic vero nullũ tempus, nullamque tentandi occaſionẽ prætermittit, ſed potius maxime ſacrorum dierũ otio in noſtram abutitur perniciem. Quid enim non audeat, qui ipſum quoque angelorum dominũ, quem cæleſti teſtimonio filium Dei audierat, tentare auſus eſt? Qua nos ergo confidentia, vermiculos, & veluti locuſtas, aggredietur, qui illum inuadere non dubitauit? Vide de hoc Leonem papam in ſerm. circuit enim atq; luſtrat omnes Simile. animi noſtri affectus incredibili vigilantia, nõ aliter atque callidiſſimus hoſtis explorat arcis muros, vt ea potiſſimum parte oppugnationem aggrediatur, qua ſenſerit infirmiora eſſe præſidia. Et ſicut qui è Simile. ſilice per frequentem æris collifionem igne eruere volunt, diligẽter attendunt qua parte ſilex commodior ſit ad æris ictus percipiendos, vt facilius ſcintillam excutiant qua fomentis ignem concipiant: ita callidus tentator explorato hominis ingenio atque natura, tẽtationis ſuæ ferro actius pulſat, vt ita tandem praui conſenſus excuſſa ſcintilla, peccati flammam omnia deuorantem incendat. Hinc D. Grego. ait: prius complexionem vniuſcuiuſque aduerſarius noſter perſpicit, & tunc tentationis laqueos opponit. Hac quidem ratione gentilium ſcriptores memorant parricidam illum Catilinam magnam ad ſe iuuenum manum Romæ attraxiſſe, atque ad teterrimum coniurationis facinus inſtigaſſe: quod ſcilicet vnicuique illorum abunde ea omnia vitiorum irritamenta ſuppeditaret, ad quæ propenſum quenque illorum intelligebat. Itaque aliis ſcortæ, aliis equos, aliis canes ad venandum, præbebat, prout vniuſcuiuſque mores & ingenium ferebant. Sic igitur Simile. *communis hoſtis affectus noſtros ad malum incenſos*, inflammare magis non ceſſat. De eo namque Iob 41. ſcriptum eſt, halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.

Si filius Dei es, dic vt lapides &c. Vere inter omnia fi- Ludou. liorum Dei opera hoc vel maxime proprium eſt, ex Gra. lapidibus panes facere. Cum ergo te quiſquam conuiciis & maledictis inceſſit, quo alio niſi lapidibus te petit, quibus virtutem & conſtantiam tuam tentare ac labefactare conatur? Cæterum ſi tu patienter feras, ſi conuicium non conuicio, ſed beneficio rependas: tunc iam ex lapidibus panes facies.

Sicut Pharao Iſraelitici populi hoſtis, eundem Lud. Gra. permittebat Deo ſacrificare, hac tamen lege ne longius abiret, nec paruulos ſuos aut greges ſecum ferSimile. ret, quo horum amore allectus Ægyptum protinus regredereturi: ita dæmon his quos in aliquo ſcelere adſtrictos tenet, bona quædam opera facere permittit, vt minus ſibi homines hac occaſione proſpiciãt, & ſecurius in ſcelere dormiant. Videmus porro pueSimile. ros auibus quas ceperunt fila longa pedibus nectere, quæ cum manibus firmiter apprehenſa teneant, ſinunt aues abire, ita ſolet dæmon. Illud etiam diligentiſſime curat hoſtis, vt omnem nobis ſpiritualium armorum apparatum eripiat: cuius rei expreſſam nobis imaginem Philiſthæi in lib. Regum exhi- 1. Reg. 13. buerunt. Qui diligentiſſime cauerant ne eſſet faber ferrarius in Iſrael: quod & ante Philiſthæos Madianitæ quoque ſimili conſilio curauerant. Vnde poſt

victoriam aduersus illos diuinitus partã, ſancta illa
Iudicũ.5. Prophetiſſa cecinit, clypeus & haſta ſi apparuerunt in quadraginta millibus Iſrael. Hoc igitur idem ſpirituales hoſtes noſtri diligentiſſime prouiderit, vt videlicet omnia nobis ſpiritualium armorum præſidia ſubtrahant. Arma vero militiæ noſtræ ieiunia ſunt, eleemoſynæ, ſolitudo, ſanctarum ſcripturarum lectio, occaſionum peccandi fuga, ſacramentorum frequentior vſus, & orationis ſtudium, quo auxilium de cælo contra hoſtes petimus.

Simile. Quemadmodum lepores, cæteraque infirma animantia, à venatoribus agitata, ad latibula ſua confugiunt: ita nos, vbicunque calamitas vel tentatio aliqua ingruerit, ad hoc latibulum confugiamus, id eſt ad Chriſtum, & in eo abſcondamur, pios enim dominus abſcondit in abſcõdito faciei ſuæ. Ad ſpon
Canti. 2. ſam quidem Deus pater in Canti. ait, columba mea in foraminibus petræ, id eſt in vulneribus Chriſti.

Ceſſat inquit Greg. ſæpe dæmon à tentatione, vt in ſecura corda facilius irrumpat. Lycurgus quidem Lacædemoniis legem tulit, ne tertio cum eodem hoſte confligerent: ne illum aſſiduitate bellandi armis inſtruerent, & eum pugnare docerent. Quod eius præceptum cum Ageſilaus rex neglexiſſet, & Thebanos crebrius bellis prouocaſſet, acerrimos aduerſus Lacædemonios hoſtes erexit, atque armauit. Cuius conſilij non immemor antiquus hoſtis, ſæpius viros ſanctos longa pace quam bellandi aſſiduitate deiecit. Ex hac enim pace & otio falſa quæ-
Simile. dam ſecuritas & deſidia oritur. Quemadmodum enim ferrum ſi non vtaris eo rubigine obducitur, & ſplendorem ſuum amittit: ſic animus noſter languore atque deſidia ſoluitur, & eneruatur. Rectiſſime enim dictum eſt, arcum frangit intentio, animum remiſſio.

Hoc autem quod diabolus in perniciem noſtram facit, pia dominus diſpenſatione, vt Gulielmus Pariſienſis ait, fieri nõ permittit. Sunt enim quidam natura ipſa adeo elato & ſublimi corde, vt niſi his quotidie imbecillitatis ſuæ argumentis admonerentur,
Simile. in elationis barathrum inciderent. Cæterum quemadmodum Rhetores dictitant ſummam artis eſſe ne ars eſſe videatur: ita ſummus dæmonis aſtus eſt, ne aſtus eius agnoſcatur. Intelligit enim verum eſſe
Prou. 1. quod Salomon ait: fruſtra iaci rete ante oculos pennatorum. Quare typice apud Eſa. de ipſo tentatore
Eſa. 5. legimus: Non eſt deficiens, nec laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, nec ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamẽti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. Iam vero hoſtis huius vires & potentiam quis pro magIob 41. nitudine rei amplificare queat? Eam in libro Iob explicari videmus, vbi inter cætera dicitur: Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum,
Iob 40. & deridebit vibrantem haſtam. Et cap. quadrageſimo dicitur, Eece abſorbebit fluuium, & nõ mirabitur, & habet fiduciã quod Iordanis influat in os eius.
Ezech.4. Tum apud Ezechi. legitur: ſuper omnẽ munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

Lapides eſurienti offert: humanitas talis eſt ſemper inimici: ſic paſcit mortis autor: ſic inimicus vitæ. Diabole fallit te prouiſio tua: poteſt famem vertere in ſaturitatem, qui poteſt in panem lapides immutare. Quid illi conſilium tuum, cui ſua ſuffi-
cit virtus? Petrus Chryſolo. ſermo. 11.

Si filius Dei es, dic vt lapides &c. Audiſtis quid de ieiuniis ipſe ſentiat & iudicet inimicus? Videtis quia iam non hominem, ſed Dei filium credit, quem liberum à ventris conſpexerat ſeruitute? ſenſit, ſen-
Luc. 3. ſit diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri.

Ioannem viderat vrbium delicias ſqualentis eremi habitatione mutaſſe, molliciem carnis veſtis aſperitate calcaſſe; agreſti cibo mundi totam frænaſſe luxuriam: & tamen non ei dixit, ſi filius Dei es. At vbi dominum vidit iugiter ieiunantem, proclamat, ſi filius Dei es. Petrus Chryſologus ſermo. 1.

Qui reſpondens dixit: ſcriptum eſt. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quaſi dicat, perſuaſio tua tentatio eſt, quia agis de cibo corporis, & non de cibo mentis. Gloſ. ordi. ſuper Matth.

Penſate quanta eſt patientia Dei, & quanta impatientia noſtra: nos ſi iniuriis aut aliqua læſione prouocemur, furore permoti aut quantum poſſumus noſmetipſos vlciſcimur, aut quod non poſſumus facere minamur. Ecce aduerſitatem diaboli dominus pertulit & nil ei niſi manſuetudinis verba reſpondit. Portat quem punire potuerat, vt hoc in laudem eius altius creſceret, ſi hoſtem ſuum non extinguendo, ſed interim patiendo ſuperaret. Grego. ho. 16. ſuper Euange.

Perpulchrum eſt collationem facere illius primi hominis, & ſecundi; in eo quod ille poſitus fuit in loco amænitatis, & ſatietatis, & excepto vno ligno adpoſitæ ſunt ei omnes deliciæ paradiſi: & tamen in illa tali ac tanta ſatietate, de gula in vno tentatus, tam facile ſuccubuit. Hic autem expulſus eſt in lo- Geng. 3.
cum horroris, & vaſtę ſolitudinis, & 40. dierum ieiunium impoſitum eſt ei, quo peracto eſuriit: & tamen in illa eſurie de neceſſario pane tentatus, tentationi non ſuccubuit. Ruper. Abbas ſuper Matthæ.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei. Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, quia angelis ſuis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. In Palæſthina deſuper plana erant tecta, & ibi erat ſedes doctorum, vnde populo loquerentur. Vbi multos cepit vana gloria, honore magiſterij inflatos. In eo igitur loco Chriſtum tentat, in quo multos deceperat. Gloſ. ordi. ſuper Mat.

Forſitan diabolus quantum ad ſe ſic eum aſſumebat, vt ab omnibus videretur, ipſe autẽ neſciente diabolo inuiſibiliter ſic agebat, vt à nemine videretur. Sicut ſcriptum eſt de eo: ipſe autem tranLucæ 4.
ſiit per medium eorum, & abiit. Si enim Abacuc à Dani. 14.
nullo eſt viſus, quando ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babyloniam: quanto eſt credibilius de Chriſto non fuiſſe viſum, cum volens à diabolo aſſumeretur? D. Chryſoſto. in non abſo. ho. 5. to. 2.

Pinnaculum ſummitas eſt templi, quod in ſuperioribus æquale erat, ſicut mos eſt in Ægypto, & Palæſthina domus ædificare. Beda lib. 1. ſuper Matthæ. 4. to. 5.

Multos diabolus eleuat in altum, vt grauius trahat ad caſum: ſicut cornix nucem eleuat, vt eam ab Simile.
alto deiiciendo frangat. Iob 30. eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me. Gorranus ſuper Matthæ.

Ideo ducit eum in alium locum, vt ipſa loci mutatio iuuet ad decipiendum Chriſtum. Quod bene figuratum fuit Nume. 24. vbi dicitur quod Balaac ducebat Balaam de loco ad locum, vt malediceret filiis Iſrael. Gorra. ſuper Luc. 4.

Moyſes populo præcepit, dicens: cum ædificaueris domum nouam, facies per circuitum murum Deut. 22.
tecti &c. ita domus Ochoziæ regis ædificata fuiſſe 4. Reg. 1.
creditur, de quo ſcriptum eſt, quia cecidit per cancellos domus ſuæ, & mortuus eſt. Super omne ergo templum pinnaculum altius erat, de quo præcipita

cipitatus legitur Iacobus frater domini. Haymon in domi. 1. Quadra.

In talibus pinnaculis conſueuerunt ſtare Doctores & Prædicatores, ſecundum illud Matthæ. 10. Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Diuus Bonauentura ſuper Lucam 4.

Si filius Dei es. In omnibus tentationibus hoc agit, vt intelligat ſi filius Dei ſit. Sed Chriſtus ſic reſponſum temperat, vt ambiguum relinquat. *Mitte te.* Hæc vox conuenit illi, qui omnes præcipitare ſatagit: in quo infirmus oſtenditur, quod nulli nocere poſſit, niſi prius ille ſe deorſum miſerit. Gloſ. ordi. ſuper Matthæ.

Sicut concupiſcentia vanæ gloriæ ipſe ruit de cælo, nam cum eſſet Angelus, volens ſe oſtendere Deum, perdidit & illud quod erat, dum voluit apparere quod non erat: ſicut putauit, & Chriſtum concupiſcentia vanæ gloriæ ferri. Nam ſicut difficile aliquem ſuſpicatur malum, qui ipſe eſt bonus: ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe eſt malus. Vide rurſum ſuperbiam inimici, & quomodo ipſa inuitatio eius iniurioſa eſt. Nunquid non poterat dicere, deſcende per aërem ambulans? Sed quid? Mitte te deorſum. Nec timuit cogitans ne forte ſi inuentus fuerit filius Dei, inueniat illi feciſſe iniuriam. Sed nil dubitat dicere, nec facere, qui nil ſibi reliquit quod ſperet. Dicit autem, Mitte te: quia diabolus ad malum hortari poteſt, cogere non poteſt. Chryſoſto. in non abſo. ho. 5. to. 2.

Vere diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare cõtendit. Quid enim tam proprium diabolo, quam ſuadere vt vnuſquiſque ſe mittat deorſum? ſimul etiam infirmitatem ſuam diabolus cum malitia deſignat, quia nemini poteſt nocere diabolus, niſi ipſe ſe miſerit. Ambro. ſuper Luc 4. lib. 4.

Nunquid proprius tentaſſet de vana gloria, ſi dixiſſet, ſi filius Dei es, aſcende in cælum? ſed ita affligitur diabolus in exaltatione hominis, vt nec tentando aſcenſum velit perſuadere cæleſtem. Hugo. Cardina. ſuper Matthæ.

Diabolus hoc ſuggerebat, vt deſcendendo corporaliter, faceret eum ſuperbire ſpiritualiter: vt ſimul eſſet aſcenſus vanus, & deſcenſus verus. D. Bonauen. ſuper Luc. 4.

Scriptum eſt enim. Quod bene dicitur de corpore, diabolus male interpretatur de capite. Quod ſi hoc dicit de Chriſto: cur non & hoc quod ibi contra
Pſal. 90. ſe dicitur? Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Sed de auxilio eorum quaſi ad infirmum loquitur, de ſua conculcatione tacet. Gloſ. Ordina. ſuper Matthæ. ex mente Bedæ.

O diabole! quomodo filius Dei angelorum manibus portatur legiſti, & quia ſuper aſpidem & baſiliſcum calcat, non legiſti? ſed exemplum illud quidem profert quaſi ſuperbus, hoc autem tacet quaſi aſtutus. Nam & vere filius Dei angelorum manibus non portatur, ſed ipſe magis angelos portat: nec vere & ſi portatur manibus angelorum, ideo portatur vt non offendat ad lapidem pedem ſuum quaſi infirmus: ſed propter honorem poteſtatis, quaſi dominus. Scriptum eſt enim: qui ſedes ſuper Cheru-
Pſal. 79. bim &c. Chryſoſto. in non abſo. ho. 5. to. 2.

Diſce hinc quoque quia Satanas transfigurat ſe velut in angelũ lucis, & de ſcripturis ipſis ſæpe diuinis laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, & ſic euiſcerat fidem. Ergo non te capiat hæreticus, quia poteſt de ſcripturis aliqua exempla proferre. Ambro. ſuper Luc. 4. lib. 4.

Vnde tibi diabole hoc ſcire quod iſta ſcripta ſunt? Nunquid legiſti prophetas, vel diuina eloquia agnouiſti? licet tu taceas, ego pro te reſpondebo. Legiſti, non vt ipſe ex lectione ſanctorum fieres melior, ſed vt ſimplicitate eos qui amici ſunt literæ interficeres. Scis quia ſi de aliis voluminibus loqui volueris, non decipies, neque habere poterunt autoritatem aſſertiones tuæ. Sic legit ſcripturas Marchion, vt diabolus, ſic Baſilides, ſic Valentinus. Si quando teſtimonium de ſcriptura audieris, vide ne ſtatim loquenti acquieſcas: ſed conſidera illum quis ſit, ac cuius ſententiæ, & voluntatis, ne forte ſimulet ſanctum ſe eſſe, quod non eſt, & ne venenis ſit infectus hereſeos, & ne ſub ouis pelle lupus latitet, & ne forte loquatur in eo diabolus de ſcripturis. Quomodo autem diabolus per occaſionem temporum de ſcripturis loquitur, ſic è contrario Paulus pro vtilitate eorum qui audiunt, non ſolum de ſcripturis, ſed etiam de ſecularibus libris aſſumit teſtimonium. Ait enim ad Tit. 1. Cretenſes ſemper mendaces, male beſtiæ, ventres pigri. Et rurſum de alio poẽta Acto. 17. Ipſius enim & genus ſumus. Nec non & de alio, corrumpunt bonos mores colloquia praua 1. Corint. 15. Quare diabole ſiles, ſuper aſpidem & baſiliſcum &c. niſi quod tu es baſiliſcus, tu es omnium ſerpentium regulus, nocentiora habens venena quam cæteri? ſed licet tu taceas; nos qui ſcripturas rectius legimus ſcimus habere nos poteſtatem conculcandi te, & datam nobis hanc ditionem non ſolum in veteri teſtamento, ſicut nunc cantatur in
pſalmo, ſed etiam in nouo, Saluatore dicente: Ecce Lucæ 10.
do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & nihil vobis nocebunt. Porro vt ſcias quomodo cõculcetur leo, & conteratur draco: Pauli Heb. 10.
epiſtolam lege, in qua aſſerit conculcari peccatores filio Dei. Sicut ergo qui peccator eſt conculcatur filio Dei, ſic è contrario qui iuſtus eſt, concul- Simile.
cat leonem & draconem &c. Origenes ſuper Luc. 4. ho. 31.

His principibus tantis Deus mandauit de te ô Chriſtiane! prouidiſſimus eſt deus, & quòd eſt digniſſimum omni veneratione, non vni angelo dumtaxat mandauit de te, ſed angelis ſuis. ô admirabilem Dei dignationem! ô ſingularem angelorum obedientiam! ô hominum ſummum pretium, cum ipſi tamen ſint vniuerſa vanitas! ſed quid mirum ſi Deus mandauit angelis de te; ſiquidem & filio ſuo mandauit de nobis, non ſolum vt cuſtodiret nos, ſed etiam vt moreretur pro nobis? Palacios ſuper Mat.

Mitte te deorſum. Dixerat Chriſtus, quod non in ſolo pane viuit homo: contra hoc arguit diabolus ſic: Ita neceſſarius eſt panis vt homo ſuſtentetur, ac ſcala ad deſcendum ab hoc pinnaculo: ſi igitur tu dicis quod ſine pane poteſt Deus teipſum ſuſtentare, etiam dices ſine ſcala poſſe te infra deſcendere. Si igitur in Deo confidis, vt exiſtimes te poſſe ſine pane alere & ſuſtentare, confide etiam quod ſine ſcala poteris deſcendere, cum non ſit maior ratio de vno quam de alio. Si autem ad id quod tu dicis, non in ſolo pane hominem viuere, locum ſcripturæ in
Deute. 8. adducis, etiam locus ſcripturæ dicit quod Angelis ſuis mandauit de te. Cum igitur ambo hæc Pſal. 90.
pariter poſſibilia deo ſint, & ambo ſua loca ſcripturæ habeant, crediſque quod ſine pane poſſis te alere, crede etiam te ſine ſcala poſſe deſcendere, atque ita, Mitte te deorſum.

Quemadmodum aucupes variis eſcis vtuntur Simile.
pro varia auium natura, quas illaqueare cupiunt: ita callidus hoſtis diuerſis malorum irritamentis ad illaqueandas animas pro variis hominum ingeniis vti ſolet. Cuius rei typũ exhibuiſſe videtur peruerſi illi reges & Perſarũ principes, qui cum variis ratio-

Dan. 6. nibus Danielem in inuidiam apud regem vocare niterentur, nilque illis ex sententia cederet: his verbis secum egerunt: Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.

Lyra. Gra. Poteras miser alio argumenti genere dignitatem filij Dei explorare, quam tantopere nosse cupiebas, vt vel cæcos illuminaret, vel leprosos mundaret, vel mortuos ad vitam reuocaret. Sed truculentus humani generis hostis non signa humano generi salutaria, sed perniciosa requirit.

Diabolus mali autor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus: ille laqueos tendit, lapsum parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit vnitatem, sapit malum satis, bonum nil, violat diuina, humana tentat. Hinc vsque ad Christum tetendisse laqueos tentator temerarius sic refertur, Et accedens tentator &c. Petrus Chrysologus. sermo. 11.

Si agere volueris quo pacto dæmon tentet de superbia interiori per exteriorem humilitatem, vide D. August. lib. 2. de sermo. Domini in monte cap. 19. in medio eius tomo. 5.

Ait illi Iesus rursum, scriptum est, Non tentabis dominum Deum tuum. Notandum quod vtilia testimonia

Deute. 6. & 8. dominus aduersus diabolum ex Deutero. libro assumpsit. Huius porro victoriæ typum quondam Dauid tenuit, quando singulari certamine cum Philisthæo pugnauit, arma regalia deposuit, & quinque limpidissimos lapides de torrente assumpsit, è quibus vnum in fundam misit, & Philisthæum in frontem percussit, atque in terram prostrauit. Sic enim

1. Reg. 17. Simile. dominus ad cõuincendam diaboli versutiam quinque libros Moysi assumpsit, quorum vno Philisthæum in fronte percussit, quia ex Deutero. libro tria testimonia aduersus trinam tentationem opposuit. Haymon in 1. Domi. Quadragesi.

Non debet quis tentare dominum quando habet ex humana ratione quid faciat. Vnde quamuis

Matt. 10. omnia posset, ait tamen suis: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: & ipse etiam fugit, abiit, & latuit. Postquam autem deficit humana ratio, commendet se homo Deo, non tentando, sed deuote confitendo. Glos. ordinaria. super Matthæ.

Tentationes non sentiunt impij Hiere. 44. D. ex eo autem tempore quo cessauimus.

Tentationibus viriliter resistendum Danie. 13. C. sed melius est mihi.

Tentator astutus & callidus est dæmõ Iob 1. & 2.

Tentationes moderatæ & finitæ permittuntur à Deo Sapi. 11. C. non enim impossibilis erat.

Tentationibus resistendum viriliter & perseueranter Gen. 39. C. & mulier molesta erat.

Tentationes sunt vtiles Exod. 23. D. non eiiciamus eos.

Tentationes Deuter. 7. D. Non poteris eas delere pariter: quem locum attente considera, & prudenter applica.

Tentationes vtiles Iudicum 2. D. ego non delebo gentes.

Quod sit Dei institutum cum nos tentari permittit Iudicum 3. A. hæ sunt gentes.

Tentationes veniunt bonis & iustis Tobiæ 2. B. ex nido hirundinum.

Tentationes quantumcunque deterreant si eis resistatur superantur Tobiæ 6. A. B. apprehende branchiam eius.

Tentationes bonis quoque succedunt. 1. Macha. 2. F. Abraham.

Sernis Dei accidunt etiam tentationes Apoca. 2. C. ecce missus est diabolus.

Tentationes in vita præsenti deesse non possunt Apoca. 12. C. væ terræ & mari. Et iratus est draco.

Absque tentationibus esse nequimus iuxta illud Apoca. 16. A. Ite & effundite septem.

Tentationes vtiles 2. Cor. 12. B. C. ne magnitudo reuelationum.

Quare in præsenti seculo sine tentationibus viuere non possimus, ad Gala. 5. cap. C. caro enim concupiscit aduersus spiritum.

Quemadmodum canis alligatus, aut leo existens intra leonearium, tibi nocere nequit, quantumcunque iracatur, & sæuiat, nisi tu ad eum accesseris: sic dæmon quamuis teipsum tentando desæuiat maximè, tibi nocere non potest, nisi tu illi adhæreas per consensum. Simile.

Quemadmodum homines labori dediti, & in laboribus educati, fortiores existunt, & sani magis quam qui in deliciis sunt nutriti. Sic meliorem animæ dispositionem habent tentationibus exercitati, quam alij. Simile.

Sicut arbor non semper eadem parte concutitur ventis, sic enim nimis intorta & impulsa necessario frangeretur, sed omnibus partibus quatitur, & ita fit procera & recta consurgit: quia quod ex vno vento incuruatur, ab alio erigitur. Pariter oportet vt nos non perpetuo idem ventus vel tristitiæ, vel lætitiæ concutiat, atque violenter impugnet, ne altero quidem difluamus, & altero desperemus: sed necesse est vt iam hoc, iam illo vicissim concutiamur, vt sic quod ex vno dissipatur, ex altero reparetur, ac corrigatur. Similis.

Vt pater familias habens duos filios, vnum quidem fortem, sanum atque robustum, alterum vero debilem, delicatum, morbisque obnoxium: fortem quidem mittit ad fundum suum, vt laborem & pondus rei familiaris sustineat & portet, debilem vero domi relinquit matris deliciis nutriendum, quia illum amplius non posse cõsiderat. Verum cum tempus accedit condendi testamenti, filium qui amplius laborauit tertia & quinta parte illi assignata præ altero ditiorem constituit. Sic etiam Deus omnium pater amicis suis fortibus atq; robustis committit maiora & grauiora pondera ac labores, hoc est permittit vt grauioribus tẽtationibus impugnentur, & debilibus atque ignauis non permittit vt tam graues tẽtationes incũbant. Cæterũ illi tandem qui amplius laborauit, præmium cumulatius elargietur. Similitu.

Sicut paries gypso contectus, dealbatus, & expolitus, non cognoscitur sit ne lapideus, an terreus, nisi mallei ictibus effodiatur & tundatur: sic homo exteriorì cultu religionis ornatus, & fama bonitatis ac sanctitatis extrinsecus illustratus, recte dignosci non potest, nisi tangatur & contundatur malleo tentationum. Hoc enim modo quæ intrinsecus lateant foris apparent. Similitu. dine.

Sicut peritus expertusque piscator studet apponere hamo eam escam quam pisces magis appetere cognoscit, & si forte pisces non inescantur, diligentius ac sæpius inspicit sit ne aliquis defectus in hamo, aut in escæ positione: ita quoque dæmon illis rebus hominem tentare procurat, quibus illum nouerit magis affici. Quod si hoc modo non capitur, curat hamum nouis dissimulationibus, ac dolis, modis variis occultare. Similitu.

Quod in tentationibus bono animo sustinendis magnus accrescat fructus, tum ex ipso suscepto labore ad illis resistendum, tum etiam quod aliis optimum præbetur exemplum tentationes ipsas superando, lege D. Grego. lib. 3. Mora. cap. 1.

Quod

Quod foris tentari nos Deus permittit & intus vires ad tentationes superandas accumulat, vide eundem lib. 9. Mora. cap. 38.

Quot modos ac dolos ad tentãdum hostis noster antiquus inueniat, vide eundem lib. 23. Mora. cap. 1.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. & dixit illi: hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Non est sic intelligendum quod ex illo loco possent oinnia regna & omnes ciuitates determinate videri: sed ostendendo diuersas partes orbis, dixit ei: Tale regnum est in tali situ, & tale in tali, enarrando in breuibus magnitudinem & gloriam illorum regnorum & ideo ostensio fuit magis ad auditum, quam ad visum. Glos. Lyrana super Matth.

Neque vero miteris si diabolus Christo loquens sæpe huc illucque vertatur. Nàm vt præliantes so-

Simile. lent cum acceperint lethales plagas, multo vndique sanguine perfluentes, tenebrasque patientes moribunda circumferre membra: ita hic quoque prima ac secunda sauciatus plaga, & vertigine correptus, in alia atque alia verba deuoluitur. Chrysosto. super Matthæ. ho. 13. tomo. 2.

Bene in momento temporis ostendit illi omnia regna mundi, vt dicit Lucas. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor seculi abiit, antequam venerit. Quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint secula? Ambro. lib. 4. super Luc. 4.

Multi ducuntur in altum prælationis, & inde deiiciuntur, qui in valle religionis fuerant securi. In montibus enim Gelboe ceciderunt fortes Israel 2. Regu. 1. *In momento temporis*, cuncta præterierunt in momento Ecclesiastici 10. hodie est rex, cras morietur. Et Iob 20. gaudium hypocritæ ad instar puncti. Gorranus super Luc. 4.

Gloriam ostendit mundi, quæ cum mundo peritura est 1. Ioan. 2. transit mundus, & concupiscentia eius. 1. Cor. 7. præterit figura mundi huius. Antonius Broicus super Euange. par. 1. arti. 16.

Honor seculi abit antequam venerit: vnde Esa. 40. ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Sapi. 11. tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum. Esa. 40. omnis caro fœnum. Et 1. Machab. 2. gloria viri peccatoris stercus & vermis est. Et Osee 4. gloriam eorum in ignominiam commutabo. Diuus Bonauen. super Luc. 4.

Sceleratus iste cognoscens eum omnibus vitiis fortiorem, pecuniarum cupiditatem postremo loco posuit: extremum vero hoc reseruans, quasi quod omnibus valentius esse iudicaret. Hic quippe mos deceptionis eius est, vt quæ magis ad supplantan-

Iob 2. dum idonea esse credit, hęc adhibeat extrema. Quod certe etiam in sancti Iob tentatione seruauit. Nil enim sic diabolo subiici hominem facit vt inhiare opibus, atque habendi pecuniam amore superari. Nec modo desunt quidẽ qui dicant: hæc tibi omnia dabimus, si procidens adoraueris nos. Qui quidem homines sunt natura, sed per voluntatem diaboli facti sunt instrumenta. Diabolus quidem multa sæpissime pollicetur, non vt det, sed potius vt accipiat. Promittit plurima de rapinis, vt auferat regnum atque iustitiam: & quasi quosdam laqueos tendens, thesauros pollicetur in terra, vt etiam nos tum istis thesauris, tum cælestibus spoliet. Vult nos in hoc seculo ditari, ne diuites simus in futuro: & si non poterit per diuitias ab illa nos excludere beatitudine, alia ad nos via, id est paupertatis, accedit.

Quod sanctum quoque Iob impugnando faciebat: quia enim vidit nil ei nocuisse diuitias, retia ex pau- Iob 1. pertate contexuit, inde saltem credens eum posse laqueari. Quo quid obsecro queat esse vecordius? nam qui potuit modeste ferre diuitias, multo magis poterat etiam fortiter ferre pauperiem. Et qui præsentes opes absque cupiditate possederat, facile non requirebat absentes. Itaque beatus ille nõ opulentia sed inopia factus est illustrior: siquidem diuitias malignus spiritus auferre potuit, charitatem vero qua erga Deum ille feruebat, non modo auferre non potuit, sed fecit etiam feruentiorem, & quem cunctorum possessione nudauerat, maioribus postea fecit vestiri atque ornari bonis. Et idcirco in magna rerum versabatur angustia, cum quanto plures quantoque maiores admoueret plagas, tanto eum potentiorem videret effectum. Itaque cum omnia peregisset, maximoque tentationum strepitu exploraisset, nil tamen explicare potuisset: ad antiqua illa arma cucurrit ad fœminam scilicet. Verum nec Iob 2. sic quidem valuit obtinere: vidit enim dolosum eius escam vir ille mirabilis, & loquentem ex diabolo coniugem, maxima repente prudentia in silentium coarctauit, quod nos quoque facere conuenit &c. Chrysosto. super Matthæ. ho. 13. to. 2.

Tu ne illa feciſti miser? Quomodo dabis quæ ille creauit, aut quomodo hæc abs te sperãda? Quomodo tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius posita sunt ditione? In malum insidiatis, suadibilem sibilum animaduertite draconis. Ferunt enim illum Simile. in arena laritantem, etiam aues volantes flatu attrahere venenato. Quam venenatus hic flatus fuit? hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. De ba- Simile. siliſco quid dicimus? monstruosius animal cæteris: solo visu hominẽ inficere, & interficere perhibetur. Et ni fallor vana gloria talis est. Videte inquit Chri- Matt. 6. stus ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: ac si dicat, cauete oculos Basiliſci. D. Bernar. in Psalm. Qui habitat, sermo. 14.

Hic nititur sibi diabolus diuinum cultum vsurpare, qui & ab initio se volebat similem Deo facere. Esa. 14. ero similis altissimo. Diabolus quidem habet apud se multa retia Esa. 24. & erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam, & qui se expliꝯcuerit de fouea, tenebitur laqueo. Hugo Cardi. super Matthæ.

Diabolus dicit ad dominum: ideo veniſti vt aduersum me dimices, & tollas de imperio meo quos nunc subiectos habeo. Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando molestiam: vnum est quod precor, procidens adora me, & accipe regnum omne quod teneo. Orige. in luc. 4. ho. 30.

Ecce quomodo superbia diaboli ascẽdit semper: antequam enim peccasset, sufficiebat ei si similis esset altissimo. Esa. 14. modo non sufficit ei nisi etiam adoretur ab altissimo. Nec sufficit ei simplex inclinatio, sed suggeritur totius corporis prostratio, si cadens adoraueris me. Gorranus super Luc. 4.

Occultiore arte tentationem hanc intulit ad exPlorandum si filius Dei esset. Considerans enim tentator priores conatus à suggestione; si filius Dei es, fuisse vanos: cogitauit occulte idem explorare tentando de supremo crimine, vt scilicet se adoraret: vt vel sic prouocaret Iesum ad increpandum tentatorem, & dicendum: Ego à te debeo adorari, & tu tam insanis, vt petas adorari à me? & sic exploraret ipsum esse filium Dei. Sed fefellit eum opinio sua. Caietanus super Mat.

Diabolus arte magica & incantationibus fecit vt in montis illius spatio omnes ciuitates mundi opulentissimæ apparerent; omne porro aurũ, argentum,

& quid

& quidquid mundus amat.

Hinc videre licet quanto noſtri odio diabolus teneatur, quandoquidem omnia regna mundi, ſi id quidem efficere poſſet, libenter traderet, vt nos in lethale aliquod peccatum precipitaret. A cuius odio quantum nobis timendum ſit, declarat Angelus ille, qui in Apoca. clamat? Væ terræ & mari quia deſcendit diabolus ad vos, habẽs iram magnam ſciens quia modicum tempus habet. Quo fit vt quemadmodum accipitres in Aquilonari regione nati, in qua certo anni tempore breuiſſima diei & lucis portio eſt, qualis Noruegia eſſe perhibetur, ſtimulante fame perniciſſimo volatu prædam inuadunt: ita diabolus nocendi auidiſſimus, tanto vehementius in nos inuehitur, quanto breuius ei ſpatium ad nocendum datur.

Apoc. 12.

Simile.

Tunc dixit ei Ieſus: vade ſatana. Sciptum eſt enim: dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Hic increpauit eum, & non ſupra: ad oſtendendum quod proprias iniurias debet homo portare, ſed Dei iniuriam nullo modo debet tollerare. Gloſ. Lyrana ſuper Matthæ.

Diabolus quantum ad ſe nunquam ceſſaret tentans, nec enim habet alium actum: non manducat, non bibit, non dormit, non aliquod aliud opus operatur, niſi vt tentet, vt fallat. hic eſt cibus illius, hic honor, hoc gaudium: propterea infatigabilis eſt in malo. Sed tamen potentia Dei repellit eum: & ſi permittit pauliſper tentare propter fidem probandam, tamen repellit eum propter infirmam naturam. Chryſoſto. in non abſo. ho. 5. tomo 2.

O ſpecioſiſſime forma præ filiis hominum! Te ſolum regnare decet, regnumque obtinere Iudæorum, pariter & gentium: quibus vniuerſaliter in Adam, & particulariter in ſemetipſis tentatis, omnes victi ſunt, præter te vnum. Sicut ſcriptum eſt: omnes declinauerunt ſimul, inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Rupertus Abbas lib. de Trinitate & operibus eius in volu. 4. Euange. cap. 15, to. 1.

Pſal. 31.

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Angeli conſequenter apparent, vt tu diſcas quod te quoque poſt partam de diabolo victoriam angeli repente ſuſcipient plaudentes tibi, teque comitantes. Sic enim & Lazarum poſt fornacem paupertatis, ac famis, totiuſque anguſtiæ, ſuſcipientes angeli, ad requiem pertulerunt. Chryſoſto. ſuper Mat. ho. 13. to. 2.

Lucæ 2.

Eratque cum beſtiis, & angeli miniſtrabant illi, vt inquit Marcus: nos quoque ſi in eremo ſanctæ conuerſationis beſtiales hominum mores impolluta mente tolleramus, miniſterium angelorum merebimur, à quibus corpore abſoluti in cælum transferemur. Gloſ. ordina. ſuper Marcum 1.

Sic nos ille antiquus hoſtis aliquando tentare intermittit, vt quaſi inſecuros repente rediens facilius irrumpat. Gloſ. interli. ſuper Luc. 4.

Nemo poteſt niſi vicerit coronari: nemo autem poteſt vincere, niſi ante certauerit: ipſius quoque coronæ maior eſt fructus, vbi labor maior eſt. Et ideo tentationem nunquam timere debemus, eſt enim cauſa victoriæ, materiaque triumphorum. Diues quidem ille qui tentationem non ſenſit in hoc ſeculo, in pœnis eſt apud inferos: pauper ille Lazarus paupertate morboque affectus, vitæ iſtius labore miſerabili, coronam gloriæ quæſiuit æternæ. Denique quos diligit dominus, ſæpe caſtigat. Iob erat probatus à Deo, ſed licet probatus erat, victor tamen non erat: & ideo tentandus offertur, vt glorioſior redderetur: & ſic quando tentaris, cognoſce quia paratur corona. Tolle enim martyrum certamina, tuliſti coronas. Nonne tentatio Ioſeph, virtutis eſt conſecratio? nonne iniuria carceris, corona eſt caſtitatis? Quomdo regni in Ægypto conſortium potuiſſet adipiſci, niſi venditus fuiſſet à fratribus? Ambro. lib. 4. ſuper Luc. 4.

Iob 7.

Poſt hæc angeli miniſtri qui vident faciem patris noſtri in cælis, ſemper mittuntur nobis, vt reſponſa, & ſolatia cordibus vigilantibus dent, dicentes: Exaudita eſt oratio tua. Hierony. ſuper Marcũ to. 9.

Matt. 18.

Oremus fratres, & filij, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt qui tentatoris ſuperauit aſtutias, ipſe nos liberet ab inſidiis tentatoris: nec nos permittat in tentationem induci. Sed ſi quando forte tentatio nos apprehendat humana, non permittat vſque ad cõſenſum tentari. Innoc. 3. ſermo. in Domi. 1. Quadr.

Matt. &.

Sicut cõſuetudo erat apud antiquos quod quando aliqui victoriam habebant, venerabantur: ita hic celebratur triumphus Chriſti ab angelis: & in hoc ſignificatur, quod homines qui vincunt diabolum, merentur miniſterium angelorum. D. Tho. ſuper Mat.

Simile.

Mirabilia plane in hanc domini. adnotat Grego. Nyſenus, explicans beatitudinem illam, quæ dicit: Beati qui eſuriunt &c. initio ſuorum operum.

Quam callide diabolus perſecutus fuerit Chriſtum, & quotidie ipſius paſtores impugnet Eccleſiæ, lege Lauren. Iuſti. lib. de Inſtitutio. & regimine prælatorum cap. 16. eſt autem inter medium ac finem operum eius.

Quendam edidit tractatum D. Cypria. qui inter medium & finem operum ipſius exiſtit cuius titulus eſt, de ieiunio & tentationibus Chriſti, & incipit, Anno trigeſimo &c.

Quod vita hominis ſuper terram cognoſcatur eſſe militia, vide D. Lauren. Iuſtinia. lib. de humili. cap. 20. in fine operum.

Duodecim condidit ſermones D. Leo papa de Quadrageſima. Primus tractat nobis ieiunandum eſſe exemplo Chriſti, & quod ieiunio obtinetur aduerſus inuiſibiles hoſtes victoria, atque qui modus ſeruandus in ipſo ieiunio ſit edocet. Eos poteris legere, & tum huic dici, tum aliis plurimum prodeſſe poterunt: exiſtũt autem prope principiũ operũ eius.

Qua ratione Deus athletas ſuos in variis certaminum generibus exercitet, & experiatur, vide D. Ambro. lib. de Apologia Dauid cap. 3. eſt autem in medio to. 5.

Quot generibus ſpiritualium inimicorum & quot tentationum laqueis, ſit hæc vita referta, D. Lauren. Iuſti. lib. de perfectio. gradibus cap. 4. in fine operum conſulito.

De ieiunio domini in deſerto, conſule D. Ambr. in ſermo. 35, 36. 37. 38. & 40. to. 3.

De Chriſti tentationibus vide Orige. ſuper Luc. ho. 19. 20. & 21. to. 3.

Quod dæmon valde perſequitur & tentant homines, conſule eundem lib. 3. Periarchon cap. 2. & 4. in fine, prope medium to. 4.

Si vis inuenire cõciones de ieiunio, tum ad hanc Dominicam, tum etiam ad præſens tempus vtiles, vide D. Auguſt. de tempo. ſer. 63. & 65. prope medium to. 10.

Porro ſeptem de hoc ſanctiſſimo tempore conciones condidit D. Bernar. in principio fere ſuorum operum: agunt autem de ieiunio, oratione, & eleemoſyna.

Super Epiſto. & Euange. confecit duos ſermo. D. Antoni. initio primæ par. Theolo.

Si vis agere de tentationibus variis, de diuerſis tentãdi modis, & occaſionibus, deque remediis cõtra tentationes, & de earum vtilitate, cõſule Vincen. Bell. ſpe

Bell. ſpecu. Mora. lib. 3. par. 1. diſt. 6. 7. 8. & 9.

De hac etiam materia lege D. Anto. 1. par. hiſto. titu. 5. cap. 2. 5. 18.

De ieiunio & tentationibus domini cõſule Vincen. Bell. ſpecu. hiſto. lib. 7. cap. 9.

Duas condidit conciones ſuper hanc domini. D. Tho. prope finem to. 16.

Vide præterea D. Tho. in hoc Euange. 3. par. q. 41. per totam.

In illud, Tunc reliquit eum diabolus, lege D. Tho. 1. par. q. 114. art. 5. per totum.

Circa illud, Ecce angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei, ſi cupis agere quod angeli manifeſtarunt duas naturas in Chriſto, diuinam quidem hodie miniſtrantes illi, & humanam in oratione in horto, confortantes eum. Lege D. Grego. lib. 1. ſuper Ezechie. homilia 8.

Si velis agere qua ratione conſolationes angelicæ inueniuntur, ac gaudia, vide D. Bernard. in pſal. Qui habitat ſer. 4. & ſuper Canti. ſermo. 18. in fine ſermonis.

Commendat ieiunium Quadrageſimæ D. Hiero. in Epiſ. ad Lætam de inſtitutione filiæ, & lib. 1. aduerſus Iouinianum, & in Eſa. cap. 54. & ad Marcellam aduerſus Montanum aſſerit ab Apoſtolis inſtituum fuiſſe.

De ieiuno ſanctæ Quadrageſimæ conſule D. Auguſt. ſcribentem ad Caſulanum epiſ. 86. & ad Ianuarium epiſ. 118. & 119.

De materia ieiunij huius ſancti temporis lege D. Chryſoſt. ad populum ho. 3. & 16. tomo 5.

Vide D. Baſi. in concione de ieiunio, & in ea quam habuit in ebrioſos.

Conſule Origenem præterea in Leuiti. homil. 10.

Lege Irenæum apud Euſebium lib. 5. Eccleſiaſticæ hiſto. cap. 24.

Theleſphorum etiam papam qui vicinus temporibus Apoſtolorum fuit in epiſt. ad vniuerſos.

Ignacium inſuper lege epiſto. 4. ad Philippenſes.

Vide Theophilum Alexandrinum lib. Paſchali 1. & 3.

Conſule Epiphanium hereſi octuageſima.

Vide Leonem papam in concione de Pentecoſte, quæ incipit, Pleniſſime &c.

Zozomæum lege hiſtoriæ Tripartitæ cap. 10.

Vide præterea Canonem 68. Apoſto. probatum etiam à Trulla Synodo Cano. 9. & 20.

Conſule Conci. Nycænum cap. 5. & Conci Agathenſe, & Aurelia. & Lardicen. In his enim omnibus locis commendatur ieiunium ſanctæ Quadrageſimæ laudibus eximiis.

Si velis diſſerere dæmonem in his Chriſti tentationibus eandem artem ac modum, quo in protoparentibus noſtris tentandis eſt vſus, callide obſeruaſſe, verum illi nõ vt prius feliciter ceſſiſſe, conſulito D. Auguſt. lib. 3. de Mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 6. tomo 3.

Si vis agere quod Chriſtus dominus ſemper dæmones in ſui cognitione perplexos relinquebat, lege eundem de Ciuitate Dei lib. 9. cap. 21. to. 5.

Per multa etiam huc ſpectantia reperies in commentariis Ludouici Viuis ſuper lib. 9. de Ciui. Dei D. Auguſt. cap. 21. to. 5.

Quod Chriſtus dominus quo à nobis timorem famis remoueret, ieiunauit quadraginta diebus, & eſſe tentatus voluit ne nos in tentationibus deficeremus, conſule D. Auguſtin. in Pſalm. 90. concio. 2. tomo 8. libro de ſalutaribus Documentis capit. 54. tomo 4.

Si cupis diſputare cur Chriſtus dæmonem ſuperare manſuetudine voluerit, & non maieſtate atque potentia, vide D. Auguſt. lib. 13. de Trini. to. 3.

Quam callidus & verſutus ſit dæmon ad tentandum, lege D. Bernar. lib. de interio. domo cap. 47. non procul à fine operum, & incipit, diabolus &c.

Quod dæmones grauiſſimas tentationes inferre conentur his qui ſeſe ad Deum conuertere volunt, eidemque ſeruire, & quo pacto ab illis liberari debeant, lege Lauren. Iuſti. lib. de diſciplina & perfectione Monaſ. Conuerſatio. qui eſt fere initio operum eius cap. 3. 8. 11. 12. & 13.

De diuerſis diaboli tentationibus vide Ioan. Gerſonem 3. p. fol. 365. & 4. par. fol. 76. & 80.

Qua ratione ſuperandæ ſint tentationes, & quomodo de hoſte triumphus reportandus ſit, conſule Lauren. Iuſti. lib. de Caſto connubio verbi & animæ cap. 6. 7. & 8. eſt autem prope principium operum.

Quo pacto tentationes & pugnas ſpirituales exercere debeat ſeruus Dei, lege eundem lib. de Triumphali Chriſti agone cap. 7. parum ante medium operum.

Quanta ſit opus fortitudine & robore ad ſuſtinendas tentationes, eiſque reſiſtendum, lege eundem de interiori conflictu cap. 12. in medio operum.

Quænam ſit cauſa pugnæ carnis aduerſus ſpiritum, & contrà, atque de carnis tentationibus, lege eundem lib. de vita ſolitaria cap. 5. non longe à medio operum.

Quare iuſti tentari permittantur, & quomodo contra vitia ſingula pugnent, eundem vide lib. de vita ſolita. cap. 12.

Quod ſolerter ſtudeant mortales diaboli vitare laqueos, quorum hic mundus eſt plenus, lege Lauren. Iuſti. de cõtemptu mundi cap. 18. circa medium operum.

Quod tota hominis vita tentatio ſit atque militia, mirabiliter pertractatur ab eodem Laurẽtio lib. de Inſtitutione & regimine prælatorum cap. 14.

Quod dæmon ſubtiliſſima arte tentet, vide eundem eodem libro cap. 16.

Quod tota hominis vita contentio ſit atque pugna in præſenti ſeculo, vide eundem de humili. cap. 20. prope finem operum.

Duas texuit homi. D. Chryſoſto. alteram inſcripſit de militia ſpirituali, alteram de militia Chriſtiana, ſunt autem inter principium ac medium to. 5.

Quo pacto vincendæ ſint tentationes, conſule D. Auguſt. in ſermo. qui incipit, De lectione recentiſſima, eſt autem prope principium to. 10.

Longe etiam lateque patentes habes hac de re campos, per quos poſſis excurrere, apud D. Antoni. 4. par. Theolo. titu. 13. cap. 3.

Cur Deus permiſerit primum hominem tentari, cum apertiſſime ſciret illum eſſe caſurum, & alia huiuſmodi, lege apud Vincen. Bell. ſpecu. Natu. lib. 30. cap. 66. 67. & 68.

De tentationibus carnis, & dæmonum, conſule eundem ſpecu. hiſto. lib. 15. cap. 90. 91. 96. 97. & 98.

Magnæ vtilitates & fructus qui ex ipſis tentationibus promanant, leguntur apud D. Grego. lib. 23. Mora. cap. 16. 17. 18. 19.

Dæmon eos quos quiete & tranquille poſſidet, non tentat, ſed bonos, & eos qui ſibi eripiuntur è faucibus, curat tentationibus reuocare, vide eundem lib. 24. Mora. cap. 7.

Permittit Deus vt tentemur, ſed tamen non ſinit vt limites quos vires noſtræ ſuſtinere non poſſint, ipſæ tentationes excedant, conſule D. Chryſoſto. ſuper Gene. ho. 26. tomo 1.

Sicut expertus pirata quo nauem magis onuſtam mercibus intelligit nauigare, eo diligentius illam

oppu

oppugnare nititur, vt ipsam expoliet: pari modo antiquus hostis quo hominem virtutibus ditiorem tendere in cælum conspicit, eo robustius ipsum persequitur, & maioribus atque subtilioribus machinis affligit, & oppugnat, vt omnibus eum spoliet: vide D. Chrysosto. super Genes. ho. 31. to. 1.

Dæmon mira arte tentat: primum enim beatum Iob temporalibus priuauit bonis, deinde filios eius interfecit. Si enim contrario ordine tentasset, ablatis è medio filiis, non adeo grauiter bonorum amissio temporalium sentiretur: qui enim filiis orbatur, non æstimat multum temporalia bona, cum quibus illa relinquat non habeat. Vide de hoc copiose apud Chrysosto. de patientia Iob ho. 1. tom. 1. Iob 1.

Quemadmodum medicus clemens cum infirmum potionem refugere & timere videt, quod austera, amara, insulsaque sit, ipse prægustat, vt sic timorem deponat infirmus: ita Christus videns nos timidos esse atque ignauos, nec audentes resistere dæmonis tentationibus, vult hodie & ipse tentari, atque coram nobis infirmis ipsas tentationes prægustare, quo nobis & timorem adimat, & animum addat, ad similia viriliter subeunda. Hæc D. August. qui etiam differit hoc loco solitudinem ad dæmonem deuincendum existere commodiorem. Et quod cum in paradiso hostis inuenerit mulierem, quæ fragilitatem atque debilitatem significat, facile vicit, hic vero cum tantum virum, qui fortitudinem designat, inuenerit, superatus est. Vide D. August. de tempore sermo. 77. to. 10. Simile. Simile.

Sicut si aliquis quantumcumque tibi familiaris & intimus, summopere persuadeat teque roget, vt ferrum candens & ignitum manu apprehendas, illico proiecturus idipsum, nunquã ei credes: sic etiam quascumque tibi promittat hostis voluptates ac delicias, & suggerat te protinus à tali vitio recessurum esse, non credas, nec illius suggestionibus dolosis præbeas assensum, vel vnico temporis momento: quia licet breuissimo tempore consentias, conscientia tamen prorsus exusta ac dissipata manebit.

Si magnus ille Philosophus Democritus, cuius eximias laudes & encomia in suis Tusculanis quæs. Tullius ille prosequitur, & Plinius lib. 24. & Solinus in suo Polhistore, sibi oculos eruit, ne carnis concupiscentia tentaretur, vt asserit etiam Tertullianus cap. vltimo sui Apologetici, cum tamen ille gentilis ac barbarus esset. Quantam quæso adhibere debet diligentiam vir Christianus, ad præscindendas omnes omnino occasiones peccandi, & diuinam maiestatem offendendi?

Scriptores antiqui quendam confinxere serpentem nomine Hydram, multis capitibus constantem, & eius quidem naturæ, vt vno illorum capite abscisso, pro eo multa capita nascerentur: neque poterant illa omnia prorsus abscindi, nisi abscissiones illico comburerentur. Et sic finxere præclarum illum Herculem igne mortem intulisse serpenti: ex quo facto consecutus est memoriam sempiternam. D. quidem Basili. dicit similia capita horribilia esse tentationes, & ignem quo comburenda sunt, esse diuinum amorem. Si enim hoc igne diuino radices illorum non exurantur, statim aliunde pullulabunt, renascenturque eædem tentationes.

Si vis agere quod nobis maxima vigilantia ac circunspectione viuendum sit contra tentationes sæuientis inimici, qui nos vndique circundat & tentat, & partem debiliorem qua adoriatur diligenter explorat: consule D. Cypria. epist. 12. quam inscribit de zelo & liuore.

Sicut miles non est, sed solo tantum nomine, qui nunquam prælium aut conflictum ingressus est; sic etiam solo nomine Christianus censetur, qui non dum tentationes atque labores expertus fuerit. Lege eundem epist. 63. ad Tyberitanos. Simile.

Quod ex vltimis tentationibus certum non sit vtra earum secunda fuerit, vel tertia, vide D. Aug. lib. 2. de consen. Euang. cap. 16. circa medium eius to. 4.

Feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ.

CVM venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Matthei 25. Lucæ 21. Criminosas personas iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se constituit vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam calliculam, vnde tribus digitis mortem hominum scribat aut vitam: hinc inde officiales ordinate constituunt, in medio secretario ponuntur genera horrenda pœnarum, quæ non solum pati, sed & videre, tormentum est. Stant iuxta parati tortores, crudeliores aspectu quam manibus. Tota iudicij facies cuiusdam schematis terrore vestitur. Et cum ad medium productæ fuerint criminosæ personæ, ante interrogationem iudicis ipsius, iudicij terribili discutiuntur aspectu. Similiter & dominus se ad iudicium venturum promittit, similiter cum terrore, non cum simili terrore. Nam & bona & mala similiter ordinata sunt in terra sicut in cælo, non tamen similia. Ergo videntes in terra pœnas, & glorias, non similes putare debemus in cælo: sed cum sint talia super terram, multo maiora suspicari debemus in cælo. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum cæleste iudicium à terreno. Istius enim iudicij splendor schemate, illius autem iudicij maiestas in veritate, testante prophetа: Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit: Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Manifeste inquit, non iam celatus in corpore, sicut antea, vt vix eum etiam boni cognoscerent: sed manifestus in gloria, vt etiam mali eum confitentur inuiti: vt qui contempserunt eum in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt quam dulcis est misericordia eius, sentiant quam grauis est ira ipsius. D. Chrysosto. in non absol. homil. 54. Simile. Psal. 49.

Cum venerit &c. Quasi sibi velit hoc modo. Cum bona conscientia præstabit totius vniuersi regimini, cum satius erit fuisse pauperculum, despectum, & deiectum, quam maximum prælatum, diuitem, potentem in hoc mundo; cum deliciæ, voluptates, honores, humanæ amicitiæ, peribunt: cum mundus succensus & consummatus fuerit, cum tu denique cum Deo solus sedebis ad rationem.

Tunc sedebit. Quid dicent superbi, cum videbunt iudicem illum, qui portans in humeris suis crucem, crucifigi voluit? Quid ambitiosi, videntes iudicem qui fugit cum voluerunt eum facere regem? Quid gulosi dicent, coram felle & aceto potato? Quid denique omnes mundi amatores, coram mundi & deliciarum contemptore dicturi sunt? Ioann. 6. Matt. 27.

Peccatores publicos dedecore affici maxime conuenit: quia peccatum cum malum sit, non solum obligat ad pœnam, sed etiam ad confusionem & pudorem. Ideo leges præcipiunt vt lattones publice puniantur. Virtus autem non solum præmio, sed etiam digna honoris est, cum vitium nõ solum supplicium, sed etiam confusionem & dedecus meretur. Et sic oportet bonos non solum in morte præmio donari, sed etiam iustum est vt coram omnibus honore afficiantur. Vnde Paulus, illuminabit inquit abscon

abscondita tenebrarum, & manifestabit consila cordium 1. ad Cor. 4. Et dominus per prophetã Nahum minatur, dicens: Reuelabo pudenda tua in facie tua Inuocabit etiam Deus cõtra peccatores cælũ & terram, iuxta illud Deute. inuocabo contra eos, &c.

Iudicium postremum horrendum 2. Petri 3. C. Cæli magno impetu transient.

Iudicium finale propinquum nobis est 1. Ioan. 2. C. Filioli nouissima hora est.

Vltimum iudicium Mat. 3. C. Cuius ventilabrũ. Iudicium finale Mat. 13. D. vsque ad messem. F. messis vero. G. exibunt angeli.

Quomodo erit finale iudicium Matt. 16. D. Tunc reddet vnicuique.

Extremum iudicium Marci 13. B. C. Exurget enim gens.

Iudicium finale Lucæ 3. D. Cuius ventilabrum.

Quo pacto celebrabitur extremum iudicium Lucæ 13. E. Manducauimus coram te.

Iudicium illud hortendum, acceleratum ae festinum Lucæ 17. F. Sicut fulgur.

Finale iudicium Lucę 18. B. Deus autem non faciet vindictam?

Vniuersale iudicium Psal. 2. Tũc loquetur ad eos.

Vltimum iudicium horrendum Psal. 17. Commota est & contremuit terra.

Vltimum iudicium Psal. 28. Vox domini super aquas.

Iudicium finale tremendum Psalm. 48. Cur timebo in die mala? Item frater non redimet.

Quomodo erit illud iudicium Psalm. 49. Deus Deorum dominus.

Signa præcedentia illud extremum iudicium Psal. 59. Dedisti metuentibus te significationem.

De maximo illo rigore iudicij finalis, quod à bonis etiam summopere formidetur, consule D. Grego. lib. 5. Mora. c. 4. & 5. & lib. 8. c. 13.

Quod impij proiicientur in infernum coniuncti & coadunati in manipulos quosdam & fasciculos, consule eundem lib. 4. Dialo. c. 35.

Multæ sunt rationes propter quas diem illũ horrẽdum maxime timere debeamus, de quo vide eundem hom. 12. super Euange.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem: sicut pastor segregat oues ab hædis. Et statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Quia omnibus gentibus cognitionis suæ gratiam condonabit, iudicans iuste in vtroque, vt nec boni sine doctrina veritatis, bonitatis suæ fructus amittant: nec mali propter excusationem ignorantiæ, malitiæ suæ pœnas effugiant. Nam sicut in nocte rerum facies non apparet, sed gemma quasi lapis videtur, & lapis quasi gemma existimatur: sic & ante Aduentum Christi, humanorum cordium differentia non apparebat, sed & mali quasi boni sustentabantur, & boni quasi mali contemnebantur. At vbi illuminatio Euangelij ad omnes gentes prædicata peruenit, tunc manifestata est qualitas omnium voluntatum, tunc omnes gentes inexcusabiles factæ sunt. Et ideo tunc iuste ad iudicium congregabuntur omnes, quia qui mandatum præmittit, tacite iudicium futurum esse denuntiat. D. Chrysosto. in non absol. hom. 54.

Sicut in tempore hyemis inter virides & aridas arbores discretio non est, cum autem venerit tempus illud beatum vernale, discernuntur; ita tunc vnusquisque secundum fidem suam, & secundum opera sua manifestabitur, impiis quidem nulla proferentibus folia, nullum ostẽdentibus fructum: sancti autem & foliis vestientur vitæ æternæ, & fructibus ornabuntur gloriæ. Et hoc modo segregabũtur à domino cælesti pastore. Et pastor quidem corporalis segregat secundum naturas corporum, Christus autem secundum genera animorũ segregat homines. Oues sunt homines iusti, propter mansuetudinem, quia ipsi neminem lædunt: propter patientiam, quia cum ab aliis læsi fuerint, sustinent. Et sicut oues quando ligantur, aut tacent, aut in simplicitate balant, sic & sancti cum læduntur, aut tacent, aut certe in benignitate probati, preces transmittũt ad Deum. Et sicut ouis ad mortẽ ducitur, & non clamat: vita eius tollitur, & mansuetudo eius non immutatur: sic & sancti maledicuntur, non repercutiũt: bona eorum diripiuntur, & illi non contradicunt: dolorem sentiunt, & clamorem non emittunt. Et quid opus est clamoribus, cum ille qui nocet, non miseretur, etiam si clamaueris? Ille autem qui misericors est, miseretur, etiã si non clamaueris audit, & videt. Hædos autem homines peccatores dicit: quia in capris naturaliter hæc insunt vitia: libido præ cæteris animalibus, superbia, rixa. Semper enim se percutientes incedunt, & modo humero pulsante, interdum cornu percutiunt. Item inuidi sibi alterutro inuident: sicut significat Salomon de inuidis, dicens: sicut capra, sic aspicit ruinam proximi sui. Item iactantes sunt & gloriantes: sicut idem significat Salomon, dicens: Tria sunt quæ secutiter ambulant, leo inter iumenta, gallus inter gallinas, & hircus præcedens capras. Item capræ multum trahuntur concupiscentia gulę. Propter gulam nãque suam per saxa & præcipitia ambulant, & super præcipitia se suspendunt. Item clamoribus super omnia garrulæ. In omnibus his vitiis peccatores abũdant, & ideo hædis sunt assimilati. Adhuc quæro, quare non eorum similes introduxit ætates, dicens, ita separabit eos, sicut oues ab hircis: aut ita, sicut agnos ab hædis? Sed videte quomodo voleris ostendere sanctos perfectos in omnibus ponendos ad dexterã, & impios omnino infructuosos ad sinistiam: ideo sanctos oues, impios autem, hædos vocauit. Quomodo agni etsi natura mansueti sunt, tamen non sunt omnino fructiferi propter ætatem, fructum enim adhuc non habẽt lactis & lanæ. Itẽ captæ etsi malignæ sunt ex natura, tamen ex aliqua parte fructiferæ sunt per ætatem, lactis enim abundantiores exhibent fructus. Hædi autem & mali sunt ex natura, & omnino infructuosi sunt ex ætate. *Et statuet oues ad dexteram suam, hædos ad sinistram.* Quando aliquis ante conspectum regis aut iudicis introducitur, ex ipso loco vbi stare iubetur, intelligit si propter bonum introductus est, aut propter malum. Si enim propter bonum, statim vocatur in proximo: si propter malum, longe stare iubetur: sic & Deus iustos quidem ad dexteram cõstituet, & peccatores ad sinistrã, vt vnusquisque meritorum suorum conditionem ex ipsi' loci qualitate cognoscat, & ante iudicij sententiam, pœnam confusionis excipiat. Merito iustos ad dexteram collocat, quia nunquam cognouerunt sinistram: merito impios ad sinistram, quia nunquã cognoscere voluerunt dexteram partem. Vias enim quæ à dextris sunt nouit dominus, peruersæ autem sunt quæ à sinistris sunt. Ecce enim si tu consistas in publico pariter cum amico, & veniens aliquis illum salutet, & te contemnat, aut separans illum à te, cum illo loquatur, aut familiariter cum illo iocetur: nonne tu relictus solus, stas aporiatus in publico, & grauiorem existimas illam cõfusionem, quam mortem? Et quomodo putas impios confundendos in die iudicij, quando ante conspectum angelorum segregatis iustis fuerint derelicti? Nonne etsi nil vltrius paterentur, illa sola verecundia sufficeret illis ad pœnam? Chrysosto. in non absolu. ho. 54.

Quando Pharisæi mulierem adulteram conspe-
Ioan. 8. ctui Christi obiecerunt, tacebat Christus, sed vide
quod scribebat. Tu ergo peccator aduerte, quod
quamuis taceat hic Deus, scribit nihilominus: dissi-
Exo.17. mulat, sed tamen vitã & processum cumulat. Quan-
do filij Israel profecti sunt ex Ægypto per desertum
in terrã promissionis, exiuit obuiam ipse Amalech
4.Reg.17. animo dimicandi contra Dei populum. Post qua-
dringentos autem annos dixit Sauli Deus per pro-
phetam Samuelem: Recensui quæcũque fecit Ama-
lech Israeli, quomodo restitit ei in via quando ascẽ-
debat de Ægypto: nunc ergo vade, & percute Ama-
lech, & demolire vniuersa eius. Bene existimabant
Amalechitæ Deum iam esse oblitum peccatorum
eorum, sicut tu forte existimas Deum non sumptu-
rum supplicium de tuis iniquitatibus: sed tamen ali-
ter eis euenit.

Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: in carcere eram, & venistis ad me. Quare non dicet illis ante qui sunt ad sinistram? Quia paratior est semper Deus ad benefaciendum, quam ad malefaciendum. Nam bona bonis secũdum propositum suum præstat, quia bonus est: malis autem mala contra propositum suum facit inuitus, quia iudex est. Quidquid autẽ homo contra naturam suam agit, pigrius agit. Si enim Christus delectaretur in pœna peccatorum, nunquam seipsum pro peccatoribus tradidisset. *Venite benedicti, &c.* quia dedistis quę semper habere non poteratis, recipite quæ in perpetuum possideatis. Merito centuplum super cælum, qui vnum seminastis in terra. Chrysosto. in non absolũ. ho. 54.

Esuriui enim, &c. Hodie si amicus tuus, aut colonus, aliquod tibi offerat mun⁹, verbi gratia aliquod vestimentum, tu autem despiciens illud eo ipso vidente, des illud vni ex circunstantibus tibi seruis, nonne munus vilescere facis, & confundis grauiter offerentem? Si autem susciпiés munus illius, vestieris te statim, & processeris cum ipso vestimẽto, magnificas nimis, & nimis lætificas offerentem. Putas quanto gaudio extolluntur sancti, quando in conspectu omnium angelorum, quod fecerunt hominibus, ipse dominus fateatur se accepisse? Iam tale videtur opus eorum, non quale datum est, sed qualis persona illius qui accepit. D. Chrysosto. in non abso. ho. 54.

Venite benedicti patris mei. Quibus bonis hoc nomen compensari potest, vt benedictus sis, & à patre ipso benedictus? Vnde autem tanto dignati sunt honore? Quænam est causa huius? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. O quantæ gloriæ, quantæ beatitudinis hæc verba sunt! nec dicit accipite, sed hæreditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis à principio debebãtur. Nam antequam nati fuis, quia sciebam vos huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere. Quibus vero pro rebus hęc sibi retribuuntur? pro tecto, pro veste, pro aqua frigida, pro visitatione, quia in carcerem ingressi vinctum consolati sunt. Vbique enim vsum atque patrocinium indigentium inquirit, imo autẽ neque id semper. Non enim visitatione, ac consolatione solummodo qui dicti sunt indigent, sed alter eorum ex carceribus solui, alter ægrotationem euadere peroptat: verum ipse adeo mitis est, vt quæ possumus flagitet, imo vero his etiam minora. Voluntati enim nostræ commisit, vt possimus maiora facientes, maiorem acquirere laudem. Sed istis quidẽ, venite benedicti; illis autem, ite dicet maledicti, non quidem à patre, non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt. In ignem æternum, non vobis, sed diabolo, & angelis eius præparatum. Ita quando de regno quidem dicebat, præparatum vobis ante mũdi constitutionem subiecit. De igne vero non sic, sed diabolo ait esse præparatum. Nam ego regnum vobis, ignem autem non vobis, sed diabolo & angelis eius præparaui, in quem quoniam vos sponte iniecistis, vobis ipsis id reputate. D. Chrysost. super Mat. ho. 80.

Esuriui enim, &c. Illud dedistis, quod vt daretis vobis Deus concessit: & nihilominus ita illud vult exoluere, vt seipsum det in præmium. Cæterum vide quæso, quod forte isti quibus loquitur erant casti & continentes: & nihilominus Christus non dicit, venite quia vixistis caste, vel non vsurpastis aliena. Neque dixit malis, quia furati estis, mentiti estis, aut adulterium commisistis: quamuis quidem ex omnibus reddenda sit ratio. Dicit ergo id, vt nobis maxime commendet elemosynæ virtutem, & vt intelligamus quam criminosum sit immisericordem esse. Quasi dicat, nõ obtinetis cæleste regnum, quia peccata vestra non redemistis eleemosynis. Et malis dicit, Multa quidem peccata commisistis, sed quod vobis est maxime incõmodum, illud est, quod eleemosynis non redemistis peccata: Vnde huc spectat quod dicit beatus Iacobus. Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam. Augu. sermo. 1. domi. in Septuage. to. 1.

Circa illa verba, venite benedicti, vide D. Tho. 1. 2. q. 4. ar. 7. ad 1. & in 4. senten. dist. 49. q. 1. ar. 2. quæstiun. 5. per totam, & contra gen. lib. 4. c. 50. in fine.

Circa illa verba, Esuriui, &c. vide D. Tho. 2. 2. q. 32. art. 2. per totum, & in 4. senten, dist. 15. q. 2. art. 3. q. 1. per totam.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Si vis hic disserere de misericordiæ operibus, quandoquidem tantopere in Euangelio hodierno commendantur, lege D. Gregorium homi. 39. super Euange. in fine eiusdem.

Hospes eram, & collegistis me. Quemadmo dum fere fit vt immittendo rete ad pisces expiscandos educantur etiam gemmæ, vel alia pretiosa nimis: ita qui rete immittit ad homines excipiẽdos, hoc est vt clarius dicam, qui hospites benigno hospitio excipere consueuit etiam, angelos sæpe excipit. Quod Abraham & Loth cõtigisse testatur 18. cap. Gene. & 19. Quare felicius nobis succedet pauperes excipiendo, cũ Christũ ipsum vt hic idem testatur, recipiamus.

Ex superiori textu satis constat opera esse necessaria, contra peruersos Lutheranos. Vt enim quando secũdo vento ac plenis sinibus fertur cymba aliqua vel nauis, videtur nil præstare magister ipse nauis, & qui vela moderatur, quin videtur potius ventus ipse omnia præstare, sed re tamen vera multum potest illorum industria, vt manifesto intelligeretur si cessarent ab opera: ita plane quamuis vir iustus nauiget diuina maxime afflante aura, non propterea dicendum est nil omnino necessaria esse eius opera, si enim is cessaret ab studiosis suis actionibus, naufragium procul dubio incurreret miserabile ac infelicissimum.

Quemadmodum auis ambobus volare solet aliis, non vnica tantum suffulta & innixa: ita plane nos soli fidei innixi, negligendo omnino opera bona, ad cælestem euolare patriam nulla ratione possumus.

Quemadmodum annullus ex stanno, vel auricalco, pretiosissimo quodam adamantino exornatus lapide, dicitur esse annullus maximi pretij, non propter se, sed propter lapidem quo decoratur: ad eundem modum bona nostra opera & eleemosynæ factæ

factæ in gratia & amicitia Dei, sunt quidem dignæ vita æterna.

Bonorum operum præstantiam & necessitatem etiam Philosophi visi sunt intellexisse. Nam Xenophon dixit, beneficiorum potius quam trophęorum multitudinem, post te relinquito. Menander, iusta faciens, Deum auxiliatorem consequeris.

Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te, sitientem, & dedimus tibi potum? Quomodo autem te vidimus hospitem, & collegimus te, aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? O humilitas, quorum nec post mortem deficiet! Homo enim malus etiam falsis laudibus delectatur, vir autem bonus, etiam debitam sibi laudem fugit. Ecce super errorem personæ veniens aliquis, pro altero alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodã, quamuis in conscientia sua cognoscat se nil tale fecisse, tamen tacet, & congaudet, audiens quæ non sunt sua: si vero bono alicui gratias agit, quamuis bonus ille intelligat verum esse quod de se dicitur, tamen refugit, & repellit audire, etiam ea quæ sibi debentur. Sic & sancti debitam sibi laudem tunc repellentes, dicunt: Quando te vidimus esurientem? D. Chrysost. in non abso. ho. 54.

Quare id dicis domine? Quare dicis te famelicum fuisse? Cum præsertim de te dicatur: Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Cur dicis te sitiuisse? præsertim cum apud te sit fons vitæ. Cur dicis te fuisse nudum? Qui operis cęlum nubibus, & paras terrę pluuiam. Cur dicis te fuisse in carcere & vinctum? Si tu in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, &c. Cæterum id facis ad honorem iustorum, & vt manifestes quæ tibi seruitia exhibuerunt.

Et respondens rex, dicet illis: amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. O bonitas Christi! Esto, quandiu in corpore contemptibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, vt propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret: quid autem dicemus, quod in illa gloria constituetus adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos seruos illos vocaret? Detrahit sibi quòd habet, vt illis præstet quod non habent. Ecce si homo ex humili generatur, aut Deo præstante ad aliquem ascenderit dignitatẽ, erubescit generationẽ suam audire. Si quis dixerit eum illius esse filium, dedignatur seipsum confiteri quod est, vt appareat quod nõ est. Et Christus adhuc gloriabitur fratres suos dicendo, sedens in maiestate. Et merito: quia viuens in iudicio gloriæ, non mutauit voluntatem priorem. D. Chrisosto. in non abso. ho. 54.

Vides quoniam si tribuis pauperi, Christo fęneraris? Quod si contrahis à paupere manum tuam, quomodo, & qua fiducia in illa die & tu à domino misericordiam postulabis? Nonne arguet te, dicens, vidisti me nudum & non operuisti, & esurientem & non pauisti, sitientem, & non potasti? Quid tu ad hæc respõdebis, & quam veniam deprecaberis? Nõne cõscientia tua reum te faciet, & obmutescere? Tu quidem phasianos, & attagenas, & turtures, & omnia cæli volatilia deuoras, & quod pauperi repleat ventrem non largiris? Tu quidem veste serica, leporina, & caprina, & diuerso vestimento vteris, & pauperi nudo nec lineum vestimentum largiris? Tu habebis in domo tua laquearia deaurata, parietes pretiosos vestitos marmore, columnas purpureas, & capita earum deaurata: & pauperem nec prospicere quidem permittis? Sed cum irreuocabilis finis aduenerit, perges ad inferos nudus bonis operibus, remanente domo cum omni ornatu suo, in testimoniũ auaritiæ tuæ. Vnusquisque enim prætereuntium dicet. Hæc domus illius fuit raptoris, prędonis, & auari, quantas viduas afflixit, quantos orphanos denudauit, quantos miseros fecit, vt hanc domum possideret! Nolo mihi dicas, quia diues sum, consul sum: vel præfectus, aut comes, seu senator. De dignitatibus nunc non disputo, quæ à Deo ad benefaciendũ omnibus conceduntur: sed de illis dico, qui inflati superbia dignitatum, putant se immortales cum ipsa dignitate futuros, & non considerant cõditionem suam, quia de terra sunt & in puluerem redigentur, & pro parua lætitia præsenti, perpetua sustinebunt tormenta. Attendis pauperem, & despicis: nec recogitas quoniam homo est sicut & tu. Homo est chara possessio Dei, homo cuius causa formatum est cælum, extẽsum mare, fundata est terra super aquas: propter quem sol oritur, & incumbit, luna crescit, astra micantia surgunt. Propter quem diuersa animalia, quadrupedia, volatilia, & natantia: propter quem terra producit herbam, & dat cibaria in tempore suo omni animæ. Propter quem montes, & colles, valles, & campi: propter quem fontes, & flumina, stagna, & paludes: propter quem tempora, & menses, & anni, propter quem angeli, & archangeli, principatus, & potestates, sedes, & dominationes, cherubim, & seraphim. Et quid multa loquar? propter quem vnigenitus filius Dei sanguinem suum fudit, & genus redemit humanum: & vt pauperes non despicerentur, formam serui suscepit: & quia pauperes, & rusticanos, & piscatores elegit dominus, quos etiam beatos appellat. Nam facilius esse dicit camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum, &c. D. Chrysost. ex variis in Mat. locis ho. 27.

Libera nobis erat intelligentia quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiẽs potaretur, hospes induceretur in tectum, nudus vestiretur, infirmus visitaretur, clausus carcere haberet solatium colloquentis. Sed ex hoc quod sequitur, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: non mihi videtur dixisse generaliter de pauperib⁹, sed de his qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum, dixerat: Fratres mei, & mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem patris mei. Hier. supra Mat. lib. 4. c. 25.

Si velis tractare quam cumulate Deus persoluat quod pro eo fit, consule Origę. lib. 2. Periarchon cap. 12. prope finẽ to. 4. vbi tractat de repromissionibus.

De eleemosyna librum habet Innocen. 3. qui eo nomine inscribitur, sex autem capitibus continetur, & incipit, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, inter initium ac medium operum.

Hæc porro illustri similitudine poterit commendari maxime eleemosyna. Duo erant regna vicina quidem & propinqua, adeo, vt solo flumine diuiderentur. Verum tanta latitudine erat atque altitudine flumen illud, vt vix posset superponi pons aliquis, nec tamen quis poterat aliter transire. Alterum porro ex his regnum erat ditissimũ, & feracissimum: alterũ vero pauperrimum, & sterile valde. Propter indigentiam ergo qua premebatur, maxime exoptabat cõmercium aliquod habere cũ regno illo ditissimo. Hic iam accessit potentissimus quidam rex, atque thesauros suos omnes expendit in ponte exædificãdo, quem admirabilem erexit & architectatus est, infinito quodam sumptu. Tuncque facultatem fecit omnibus, vt transirent, ea tamen lege, vt quisque ex transeuntibus, seruis suis nummum portigeret. Ad hoc autem pretium exigendum, constituit, vicarios quosdam. Sunt quidẽ fratres hæc duo regna cæ-

lū sine cælestis patria, & terrena hæc habitatio: fluuius porro ingens peccatum est, & ante ipsum Christum nullus poterat transire ex vno regno ad aliud, propter obstaculum tanti fluminis. Esa. 59. peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrū. Erexit ergo Christus pontem infinito sumptu, nempe totius sanguinis profusione: postmodumque non quod egeret sibi solutione aliqua propter pontem exædificatū, sed dūtaxat propter seruos suos aperire voluit vltimam hanc suam voluntatem, nempe vt qui transire commode vellēt, seruos suos commendatos haberent, & alta mente repositos nempe pauperes: nihil deficiendo ac præscribendo equidem pretij certi, sed cuiusque opibus & facultatibus id relinquendo.

Tunc dicet & his qui à sinistris eius erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Quasi qui non sufferat præsentiam eorum vel aspicere, sic dicit, discedite à me. Nam sicut carnales seculi carnalem speciositatem videndo delectantur: si qua autem dissipata vel deformia videamus, quasi vulneratur aspectus noster: sic & Deus qui in sanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aspiciens, quasi grauatus non suffert. Tanquam si dicat eis: quasi putredo & spurcitia estis, nec tandiu vos sustineo, quandiu statis in iudicio meo. Sed vt quid superius dicit, Venite benedicti patris mei: & hic non dicit, discedite à me maledicti patris mei: Quia benedictio quidem ex deo est, maledictio autem ex diabolo est, sicut ostenditur in illa parabola patrisfamilias: qui seminauit bonum semen in agro suo, homo autem malus seminauit zizania. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ex isto loco sciendum est, quod non tantum pro eo quod peccauerunt homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo quod bene non faciunt. Si autem pro eo quod bene non faciunt sic condemnantur, putas quales pœnas exoluent pro eo quod peccant? Et digne. Deus enim ideo hominem fecit, vt benefaciat, & ad gloriam Dei pertineat: non ideo tantum vt non peccet. Nam si non faciat bonum, nec est causa quare creatus est. Sine dubio enim etsi creatus non fuisset, peccatum non fieret super terram. Nam qui intelligit mysterium diuinæ dispensationis, quare factus est homo, cognoscet quia merito quasi peccans condemnetur qui iustitiam non facit. Ideo Deus creauit hominem corruptibilem & infirmum, quasi ad certamen contra diabolum, vt qui gloriabatur esse se similem Deo, per corruptibilem naturam euacuatus & victus, ostendatur non solum non esse quasi Deus, sed omni fragilitate fragilior. D. Chrisostom. hom. 54. in non abso.

Canem plerumque famescere videntes, frangimur, & belluarum inedia nonnunquam flectimur: tu vero domino famescente non moueris? Qua ratione poterunt hæc excusari? Nam si istud solummodo esset, nonne ita tibi sufficeret, vt retributum esse videretur? Non dico vt vocem illam à sedente in patris solio, orbe terrarum præsente, audias, & regnum consequare: sed ipsum operari, nonne sibi ad retributionem sufficit? Nunc autem ad hoc coram vniuersis ineffabilis corona gloriæ præconio te manifestat, & coronat, patronumque ac hospitem profitetur; nec veretur hæc dicens, vt fulgentem acquiras coronam. His igitur rationibus & isti non iniuria puniuntur, & illi etiamsi mille talia fecerint, per gratiam tamen coronantur. Gratiæ namque omnino illa benignitas est, vt pro rebus minimis & vilissimis cælestē regnum, & tantus honor tribuatur. Chrysosto. super. Mat. homilia 80.

Domine dicent mali, quandoquidem meriti sumus æternam condemnationem propter culpas nostras: permitte quæso, vt eas pœnas & mala ante te tolleremus. Respondebit iudex, non est ea voluntas mea, sed discedite à me. Rursus dicent mali, saltem benedicito nobis ante discessum. Quibus respondebit & dominus, non erit ea benedictio, sed maledictio. Ite ergo maledicti: Mitte nos saltem ad moderatum aliquod & leue supplicium. Pœna vestra inquit Christus, erit ignis; propterea ite in ignem. Porro instabunt iniusti, dicentes: quia in ignem nos mittis, & meriti sumus, at certe sit temporarium hoc supplicium, & aliquando finiendum. Respondebit iudex, fore ignem istum perpetuo duraturum, dicens, Ite in ignem æternum. Dicent tandem mali: quia ita libitum est tibi, saltem soli simus cum patiemur, & dæmonibus nequaquam sociemur. Non ita erit dicet Christus, quin potius erunt vobis socij ipsi dæmones, quibus paratus est & ignis, & angelis eorum. Quē putas tunc forte fletum? inquit Aug. Quantam mæstitiam? quem eiulatum? Dilexistis dicet iudex, mortem, & perditionem: secuti estis dæmonem, & suasus eius: propterea nunc eum etiam sectamini. Odistis lucem, possidetē ergo tenebras. Dilexistis delectationes, possidete ergo tormenta. Ibitis nunc ad locum, in quo licet affligamini, nunquam tamen moriemini: nec qui vos affligent fatigabuntur, sed infatigabiles semper erunt. Ita ardebitis, vt vos nunquam ignis omnino consumat: ita mortui eritis, vt semper viuatis ad perpetuam mortem. Vide Augustinum de Vanitate seculi capitulo 3. tomo 9.

Humiliter vos obsecro fratres inquit Aug. ne indigne feratis si sæpissime vobis ante oculos obiecero horribilem illum iudicij diē. Melius est enim hic paruam amaritudinē sustinere, quam habere falsum gaudium, & postmodū sustinere sine fine suppliciū. Medici quæ delectabilia videntur prohibent, vt tandem sanitatem inducant, auferentes suaues cibos & propinantes amaras potiones: ita plane vobiscum ego me gero, vt fruamini tandem diuino illo conspectu. Et ita constitui vos excitare memoria & recordatione æterni iudicij, & præmio illo æterno inuitare. Solet enim fieri, vt dum maiora timentur, minora celerius cauentur. Et quemadmodum theriaca sumitur ad repellendum venenum: ita ad tanta incommoda præcauenda, iudicium ipsum prædicatur extremum. August. de tempo. sermo. 67. in feria 2. post pri. domi. Quadrag. to. 10.

Augustinus lib. de fide ad Petrum ca. 6. & Hiero. epis. ad Damasum to. 3. dicunt ita: Deus est qui exordium non habet, quidquid autem exordium habet non est æternum, solus Deus ergo est æternus: cur igitur dicitur ignis æternus? Adhoc respōdet S. Tho. 1. par. q. 10. ar. 3. in corpo. æternitas vere & proprie in solo Deo est, quia æternitas immutabilitatem cōsequitur: solus autem Deus est immutabilis: secundum tamen quod aliqua ab ipso immutabilitatem participant, secundum hoc aliqua eius æternitatem participant. Quædam ergo quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur à Deo, quod nunquam esse desinunt & secundum hoc dicitur Ecclesiastes primo de terra, quod in æternum stat. Et vbi supra ad 2. idem D. Tho. dicit quod ignis inferni dicitur æternus propter interminabilitatem tantum; est tamen in pœnis eorum transmutatio, secundum illud Iob 24. ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium. Vnde in inferno non est vera æternitas, sed magis tempus,

tempus, secundum illud Psal. Erit tempus eorum in secula.

Vide punitiones quas in sacra scriptura legimus Deum mundo intulisse, & reperies apicem quēdam esse respectu earum quas in vltimo die inferet, intelligesque quam sint extremæ metuendæ. Angeli primum peccauerunt, & de cælo statim eiecti sunt. Porro Adam de paradiso terrenali expulsus. Noe temporibus destruxit Deus mundū diluuij aquis. Misit ignē de cælo super Sodomam, & Gomorrhā, & alias ciuitates. Interemit primogenita Ægyptiorū: puniuit Pharaonem tot plagis, & postea in mari submersus periit simul cum suo exercitu. Deleuit memoriā Amalech de superficie terræ: interfecit Og regē Basan, & oēs principes Chanaā, cum cæteris qui terrā promissionis obtinebant. Cōbussit Aaró filios, fecit blasphemum lapidibus obrui: cooperuit lepra Mariam sororem Aaron. Crepuit terra, & deglutiuit Dathan, & Abiron, cum omni substantia eorū: ignis etiam succēdit ducentos quinquaginta viros. Moysen & Aaron vetuit ne terram promissionis ingrederentur, & de sexcentis millibus virorum qui è terra Ægypti egressi sunt, duo tantum viri terram promissionis digni habiti sunt intrare. Serpentes igniti multos enecarunt: Acham quia vestem in Hiericó furatus est, iussus est lapidari. Heli subito obiit, Saul fuit reprobatus, & expulsus: Dauid cum Dei amicus esset, fuit punitus mirum in modum. Oza occidit, quia arcam tetigit: propheta qui contra Dei voluntatem comedit, à leone fuit dilaceratus. Centum octoginta quinque milia Assyriorum quadam nocte angelus domini interfecit: duo & quadraginta occisi sunt pueri ab vrsis, qui prophetam Eliseum irridebāt. Giezi factus est leprosus propter simoniā: Ozias etiā, quia vti voluit sacerdotali officio, cum suum non esset. Dei populus ductus est in captiuitatem viribus Nabuzardā. Goliath. occisus per manum pastoris. Holofernes iugulatus per mulierem, Antiochus doloribus plenus misere mortuus est. Nicanor interfectus, & in frusta comminutus. Ananias & Saphira repentina morte pœnam dederunt: Herodes à vermibus fuit consumptus. Inquit tandē Euangelista, quod fecit Christus quasi flagellū, quia flagella quę Deus hominibus in hac vita infert, non vere flagella sunt, sed quasi flagella: attamē in iudicij die nō facit Christus quasi flagellum, sed verum flagellum, sempiternumque. Didacus Stella. super Luc.

In ignem æternum. Suppliciū huius vitæ si ad supplium diei iudicij cōparetur, & referatur, habet se sicut taurorū tentatio & probatio cū in arenam ducendi sunt, quos duobus fustibus cædi tantum permittitur: quando tamen in arenam descenderunt, non solum fustibus, sed hastis etiam, & gladiis percuti, & traiici, integrum est, vsque ad crurium sectionem.

Absalon quidem iudicabat melius esse sibi mori, quam faciem regis non videre: sic plane damnati omnia mala magis vellent sustinere, quam à diuina visione frustrari.

Quare domus tuæ ignis extinguitur? Quia scilicet desunt combustibilia applicanda, quę si non deessent, nec ignis finiretur. Ligna in inferno ardentia, & quæ animam torquent, est mala cuiusque voluntas, & desiderium peccandi: hoc autem nunquam extinguitur, quia deest facti dolor & pœnitentia, ibi enim nemo respiscere potest: nam quotquot sunt semper Deum odio prosequuntur. Et cum nunquam ista ligna prauæ voluntatis desint, sic nec deest pœna, Lege August. epis. 49. q. 4. & lib. 21. de Ciui. Dei cap. 28. & 29. in Enchiri. cap. 112. cum itaque semper in ipsis culpa duret, iustum est vt etiam pœna permaneat. Et certe tales peccatores sunt veluti hi qui charrarum ludo vacare solent ad multam vsque noctem, qui cum iam ludo parcere volūt, non propter desiderij defectum parcunt. sed potius lucernæ quæ illos illuminabat. Si enim ad crastinum diem duraret, & lusores etiam in ludo persisterent. Peccatores enim nisi naturæ concederent, peccandi desiderium eorum nunquā hic extingueretur. Et cum Deus noster pœnas secundum desideria sicut & secundum opera mēsuret, sequitur desiderio æterno male operandi deberi æternam pœnam de rigore iustitiæ.

Circa illa verba, Discedite à me maledicti, legito Esa. c. vltimo, nempe vltimam illam sententiam: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & consule D. Tho. in eum locum, & alios.

Si differere voles, & amplificare quod hodie Christus non dicit, Ite maledicti, quia rapuistis, oppressistis, &c. sed quia esuriui, & non dedistis mihi manducare: ex quo colligitur quanto grauius suppliciū erit homicidarum, raptorum, adulterorum, &c. consule D. Grego. 3. par. pasto. admoni. 21.

Si vis pertractare quanta erit pœna raptorum, cum tanta infligatur his qui sua aliis non distribuerunt: lege D. Greg. lib. 15. Mora. c. 12.

Explanans D. Greg. illa verba sancti Iob. cap. 21. erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla quam turbo dispergit: differit quāta facilitate proiicientur impij in ignem inferni, lib. 16. Mora. c. 30.

Consule eundem D. Greg. lib. 17. Mora. cap. 21. & lib. 25. c. 6.

Consule præterea D. Chrysost. ad popu. ho. 48. & 49. to. 5.

Philosophus quidam Bion contra auaritiam, & auaros homines, qui possunt reprehendi vbi dicitur, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c. sententiam illam singularem protulit, dicens: Auaritiam omnis improbitatis metropolim fugito. Chilo dixit, damnum potius, quam turpe lucrum deligito: nam id semel tantum dolori est, hoc vero perpetuo. Isocrates, absurdum est reconditas in domibus opes asseruare, & cogitationem in propatulo positam circumferre. Alcamenes, lucrum vile omnino negligito. Democritus, mediocritatem sectare, auaritiam fuge.

Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? O inconuertibilis inobedienria peccatorum! Quis non intelligat hoc, quia omne malum facimus, non quia homines corruptibiles sumus, sed quia malum propositum possidemus? Ecce enim tunc hominum peccatorum corruptibilitas carnis mortua erit, & adhuc malitia viuet. Nunquid non audierant dominum supra dicentem ad iustos, quādiu vni minimorum istorum feciſtis, mihi feciſtis? Et vtique intelligere debuerant, quomodo qui hominibus non fecit, nec Christo fecit. Sed audientes, adhuc contradicūt, intelligentes fingunt se non intelligere: in iudicio stant, & adhuc peccare non cessant. D. Chrysosto. in non absolut. homilia 54.

Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Quod iudex hoc in die impiis ostendet vulnerum cicatrices, & illis reuocabit in mentem omnia beneficia quæ in ipsos in præsenti seculo contulerat: & de aliis id genus, lege D. August. in lib. de Vanitate seculi c. 3. to. 9.

Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. De die iudicij & pœnis inferni vide D. Aug. ad fratres in eremo sermo. 63. circa finem to. 10.

Vide Origenem præterea ho. 9. in diuersos to. 3.

De pœnis inferni patebunt tibi multa apud Vincen.Belluacen.ſpecu.Mora.lib.2.par.3.diſtinct. 1. 2. 3.& 4.

De die extremi iudicij & ſeculi conſummatione reperies multa apud D. Auguſt. in epiſt. 78. 79. 80. tomo 2.

Duos ſuper Epiſto. & Euange. ſermones condidit D.Anto.initio pri.par.Theolo.

De finali iudicio & extremo, & de Antichriſto, qui illud præcedet,inſpice Vincen.Belluacen.ſpecu. Mora.lib.2.par.2.diſt.1.2.3.4.& 5.

Ampliſſimam inuenies etiam de ſeculi conſummatione materiam, de extremo iudicio, de ſignis præcedentibus, & de Antichriſto, apud eundem in tracta. de his differente: qui adiectus eſt fini vltimi tomi. vbi etiam tractat de pœnis malorum, & gloria ſanctorum,deque dotibus gloriæ, & aliis huiuſmodi.

Super illud, Iuſti autem in vitam æternam, vide D. Thom.1. par. q. 10. arti. 3. in corpo.& 1. 2. q. 3. art.2.ad 1.& 2.2.q.18.art.2.ad 2.& 2.ſenten.diſtinct. 38.art.2.ad 3.& in 4.ſenten.diſt.49.q.1.art.2.q.3. per totam.& contra gentes li.3.c.61. per totum.& opuſ. 2.c.151.& 164.& 172.& 173.

Conſule Origenem in Lucam homilia 26. qui aliqua habet huc ſpectantia.

De extremo & rigoroſo iudicio conſule D. Bernardum in lib.Meditatio.cap.2.& incipit,ſecundum exteriorem hominem,non longe à fine operum.

Quod Chriſtus ad iudicium veniet in forma humana,vt mitis appareat electis,vide eundem ſermo. 73.ſuper Canti.

De inferno,& eius extremis cruciatibus atq; tormentis, vide Diuum Anſelmum in lib. de Imagine mundi c.21.in fine operum.

De inferno,tormentiſque eius,vide D. Antoni.1. par.hiſto.tit.17.c.4.

De Timore quem de inferno debemus habere, conſule eundem ſpecu. hiſto.lib.10.c.71.

Finale iudicium magnæ anguſtiæ & calamitatis exiſtet Amos 5.E.væ deſiderantibus diem domini.

Præfiguratum eſt quam ſit horribile futurũ Dei finale iudicium Michææ 1.A.B.Audite populi.

Terribile extremum iudicium Eſa. 9.D. in ira Domini exercituum conturbata eſt terra.

Finale iudicium horrendum Nahum 1.A.B. Dominus in tempeſtate & turbine.

Finale iudicium tremendum Sophoni. 1. per totum.

Extremum iudicium Zacha. 9.D.& dominus Deus in tuba canet.

Iudicium extremum præfiguratum atque depictum Zacha.14.B.C.Et veniet dominus Deus meus. Item,& tabeſcet caro vniuſcuiuſque. Et rurſum, in die illa erit tumultus domini magnus.

Quinam teſtes erunt in iudicio illo Mala. 3. B. & accedam ad vos in iudicio,& ero teſtis.

Iudicium extremum Prouer. 11. A. Non proderunt diuitiæ in die vltionis.

De vniuerſali iudicio Eccleſiaſtes 12.D. Cuncta quæ fiunt adducet Deus.

Qualis erit vniuſcuiuſque retributio & merces in illo tremendo iudicio Sapien. 3. B. impij autem ſecundum quæ cogitauerunt.

Vniuerſale iudicium terribile Sapien. 5.D. accipiet armaturam zelus illius.

Extremum iudicium erit ſine vlla prorſus appellatione Sapiẽ.12.B.Quis enim dicet tibi,quid feciſti?

Extremum iudicium Eccleſiaſtici 16.A.In Synagoga peccantium exardebit ignis,&c.

Vltimum iudicium Acto. 1. A. Non eſt veſtrum noſſe tempora.& B.Sic veniet.

Finale iudicium quomodo erit Apo.1.B.Eccev eniet cum nubibus.

Vltimum iudicium rectum erit Apoc.2.F.G, Dabo vnicuique.

Extremum iudicium horrendum Apoca. 9. B. In diebus illis quærent homines mortem.

Huc etiam accommodare poteris illud Apo. 16. D. Et terræmotus factus eſt magnus.

Finale iudicium terribile Apoca. 18. F. Hoc impetu mittetur Babylon.

In extremo iudicio non tantum damnabuntur qui opera miſericordiæ non exercuerint, & miſericordes non fuerint: ſed & cæteri etiam peccatores Apo.21.B.Timidis autem & incredulis.

Finale iudicium 1.Cor.15.G.Canet enim tuba.

Extremum iudicium occultum 1. ad Theſſa.5.A. Dies domini ſicut fur.

Iudicium finale nobis propinquum eſt Iaco.5.C. Aduentus domini appropinquauit. Ecce iudex ante ianuam.

Extremum illud iudicium ſecretum erit 2. Petri 3.C.Aduenient autem dies domini ſicut fur.

De tota hac materia vide denique ſupra domi. 1. Aduen.& domi. 4. poſt octa. Epipha. aliqua dicuntur etiam de igne inferni, ſuper illa verba, Alligate ea in faſciculos.

Feria tertia poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.

CVM intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas dicens: Quis eſt hic? populi autem dicebant: hic eſt Ieſus propheta à Nazareth Galileæ. Matthæi 21. Sacerdotes ſancti eſſe debent coram Deo, vt etiam ex parte eorum ſacrificia acceptentur à Deo:& coram hominibus, vt honorentur, & æſtimentur, eorumque dicta accipiantur: & non ſolum caſte, ſed caute viuere debent.Quod exemplo Chriſti conſtat in Euangelio, de quo mira dicebantur inter illos. Hic eſt Ieſus propheta,&c.Lege Galfridum ſuper hunc locum.

Quod ſacerdotes ſint magna veneratione colendi,vide D. Cypria. ad Cornelium contra hæreticos epiſt.18.& ad Pomponium epiſt.58.

Merito commouebantur videntes rem mirabilem: homo enim laudabatur quaſi Deus, ſed Deus laudabatur in homine.Dicebant enim, Oſanna filio Dauid.Puto autem quod nec ipſi qui laudabãt ſciebant quid laudabant: ſed ſpiritus ſubito ingreſſus in eos, neſciente animo verba veritatis fundebat. Hoc porro proprium erat boni filij, vt veniens, ad domum curreret patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum: vt tu imitator Chriſti factus, cum aliquam ingreſſus fueris ciuitatem, primum ante omnem actum ad Eccleſiam curras. Hoc erat boni medici, vt ingreſſus ad infirmam ciuitatem ſaluandam, primum ad originem paſſionis intenderet. Nam ſicut de templo omne bonum egreditur, ſic & de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus quãdo primo ingreditur ad infimum, ſtatim de ſtomacho eius interrogat, & eum componeru primum feſtinat: quia ſi ſtomachus ſanus fuerit, totum corpus validum eſt: ſi autem diſſipatus fuerit,totũ corpus infirmum eſt. Ita ſi ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret:ſi autem corruptum fuerit,tota omnium fides marcida eſt.Cor autem & ſtomachus ſacerdotes intelliguntur, quia in rebus ſpiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et ſicut cor ſapientiæ locus eſt, ita ſacerdotes ſunt receptacula ſapientiæ ſpiritualis, Eſaia dicente:

dicente: de regibus quidem, omne caput in dolore. De ſacerdotio autẽ, omne cor in triſtitia.Sicut enim ſtomachus accipiens cibum,coquit eum in ipſo, & per totum corpus diſpergit: ſic & ſacerdotes accipiunt ſcientiam ſermonis per ſcripturas ex Deo, & excoquentes eam in ſe,ideſt tractantes & meditãtes apud ſe, vniuerſo populo ſubminiſtrant.Et ſicut ſtomacho ſubminiſtrante, vnum quodque membrum ſuſcipit nutrimentum, & conuertit ipſum in ſe, ſecundum ſuam naturam: vt puta quod ſuſcipit iecur, totum fit ſanguis, quod autem ſuſcepit fel, bilis efficitur totum, quod vero aſcendit in pulmonẽ,phlegmata fiunt, quod autem in mamillas, totum efficitur lac.Sic ſacerdotibus in Eccleſia loquentibus, verbum omnes ſuſcipiunt: vnuſquiſque autem conuertit illud ſecundum proprium cor, ita vt vnum idipſum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruerſis ſuſcitet iracundiam quaſi bilem, in aliis autem operetur dilectionem dulciſſimam quaſi lac, in aliis autem odia,quaſi phlegma nociuum & expuendum. Videte ergo ſacerdotes quomodo vos cõponatis in verbo, & opere.Quoniam ſicut in corpore ſi aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino lãguet & ſtomachus ſi autem ſtomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma.Sic ſi aliquis Chriſtianorum peccauerit, non omnino peccant & ſacerdotes: ſi autem & ſacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnuſquiſque Chriſtianorum pro ſuo peccato reddet rationem: ſacerdotes autem non ſolum pro ſuis, ſed & pro omnium peccatis reddituri ſunt rationem.Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, & intellexit ſtudioſus agricola quia læſuram in radicibus haberet.Nam vere quẽadmodum cum videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cum aliquem videris populum indiſciplinatum, & irreligioſum, ſine dubio cognoſces, quia ſacerdotium eius non eſt ſanum.D.Chryſoſt. in non abſo.ho.38.

Et intrauit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vẽdentes & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Adeò creuit rerũ terrenarum amor & cupiditas, vt multi Chriſtianorum ita de his caducis ſint ſoliciti, vt videantur nullam aliam vitam expectare.Propter quid obſecro defatigaris? Certe propter nihil. Videbis enim in fluuio piſces huc & illuc diſcurrentes, & inter ſe certantes: & id omne ſolum faciunt propter aliquem vermiculum,vel micam panis.Et hoc non vident piſces, ſed illi qui in litore ſunt eos irridentes.O quantæ admirationis eſt, videre ſtrepitum, voces,& contentiones, quas homines nectunt ſola cibi & victus cauſa! qui vero in litore quieti ſedent, illos irridentes & ſubſannant.Nam hi quibus dominus hoc contulit beneficium, vt dederit illis lucem ad intelligendum has mundi vanitates,maxime illos demirantur. Vnde Salomon, vidi omnia quæ ſub cælo geruntur, & ecce vniuerſa vanitas.Si Chriſtus dixiſſet,laborate & ſoliciti eſtote de rebus humanis & temporalibus, & de cæleſtibus ſecuri ſitis me vobis illas daturum, non miraret ſi homines tam anxia eorum inuaderet cura: ſed multo aliter & diuerſimode inquit: Quærite bona cæleſtia, nam terrena vobis ego donabo, & mihi hæc cura eſt impoſita,dicens:Nimia eſt porro aliquibus cura in prouidendis neceſſariis in venturos annos: præcipiebat autem dominus in Leuiti. vt eodem die in quo oblatio offerebatur, in ipſo etiã comederetur.Etiam præcepit, vt de agno Paſchali in venturum diem ſeruaretur. Et manna ſi ſeruabatur in craſtinum diem, corrumpebatur. Vt igitur Chriſtus nos doceret quam vana ſit hæc ſolicitudo harũ rerum caducarum nimia,eiiciebat omnes vendentes de templo.Didacus ſtella ſuper Lucam.

Vſurarius vendit tempus,quod dominus tam diuitibus quam pauperibus voluit eſſe commune.Merito ergo temporis indigentia punitur, vt ait Dauid Pſal.54.Viri impij non dimidiabunt dies ſuos. Et licet diu viuat,curis tamen ſeculi in morte occupatus, temporis indigentia punietur, non habens locum pœnitentiæ. De eo namque Eccleſiaſticus dicit, in tempore redditionis poſtulabit tempus. Cæterum cum commodare ſit pecuniam ad eius commodum dare, vult tamen impius pauperi pecuniam dare, & commodum apud ſe retinere.Præterea vſurarius vult vt ea pariant, quæ nunquam peperunt, & vt ea generent, quæ nunquam generauerunt: nam vult vt nummi ſui ſingulis mẽſibus alios nummos pariant. Quod quidem contra naturam eſt.Si mutuaueris,inquit dominus, pecuniam tuam populo meo pauperi, &c. Vbi non dicit populo tuo,ſed meo. Vt ſcias vſuram non à paupere,ſed à Deo exigi.Cõſidera peruerſe quid dominus à te petat pro vſu ſolis,& lunæ! quid etiam pro cæteris bonis, quæ tibi donauit! pudebitque te ab eo vſuram expectare, qui tibi cuncta gratis, & ſine vſura largitur.

Inter omnia remedia quæ conducunt ad depellendam à nobis auaritiam, illud fere potiſſimum eſt, nempe mortis memoria ac recordatio. Vnde Eccleſiaſtes 11. ſi annis multis vixerit homo,& in his omnibus lętatus fuerit,meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.Vera quidem eſt ſententia D. Hierony.ad Paulinum cap.8.facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe moriturum.

De ſecunda eiectione vendentium & ementium de templo,vide Vincen.Bell.ſpecu.hiſt.lib.7.cap.33.

Super illa verba, Et eiiciebat omnes vendentes, &c.Vide D. Tho. 3.p. q.44.ar.3. ad 1.&opuſ.73.cap. 13.in fine.

Quod vendere columbas ſignificet vendere gratiam ſpiritus ſancti dum res ſpirituales venduntur ab aliquo,vide D.Grego.lib.4.epiſt.ex Regiſtro indictione 13.cap.95.99.& 107.& libro 7.cap.10. & lib. 9.capit.40.

Si placet tibi differere quam ab omni lucri temporalis cupiditate alieni eſſe debeãt cõcionatores, in communicandis his quæ à Deo gratis acceperunt; adducere poteris exemplum illud de propheta à Ieroboam, propter illa quæ illi dixerat, atque præſtiterat,vt patet 3.Reg.13.Poteris etiã adferre illud Eliſei prophetæ, qui cum rex Syriæ Benadad quadraginta camelos muneribus regiis miſiſſet onuſtos, vt diceret an ab infirmitate ſanandus eſſet, necne, & poſtquam viro deferenti munera declarauit quid futurum eſſet tum de rege Syrię, tum de ipſo munerum delatore futuro rege poſt illum, nil prorſus accipere voluit,lege 4.Reg.8.

Quod magna nobis eſſe debet cura & ſolicitudo nequid nobis iniuſtis modis & viis illicitis acquiramus, quando experientia docẽte cognoſcimus,Male parta facillime dilabi ac diſſipari,lege D.Gregor.lib. 19.epiſt.cap.57.

Quot quantiſque pœnis coẽrceantur vſurarij ſacerdotes in Conci.Nicæ.vide cap.18.

Vſurarij res plane abominabiles ſunt, de quo vide notabile exemplum 2.Eſdræ 5. A.& factus eſt clamor.

De vſuris & aliis iniuſtis contractibus, lege Ezechiel.22. F. Principes eius in medio illius quaſi lupi.

Quemadmodũ in corporis coadunatione & quaſi

Repub. membra sibi vicissim fauẽt, & prosunt: oculi enim illuminant pedes, pedes vero portant oculos quo spectare desiderant: manus item extrahunt à pede infixam spinam, & ita in cæteris: & id quidem sit sine vlla prorsus mercede & vsura, quin eo tãtum id faciunt hæc membra, vt hæc quasi Respub. conseruetur, & perseueret incolumis. Ad eundem certe modum debent homines sibi inuicẽ auxiliari, & fauere, seque defendere, & mutuo iuuare in his omnibus quæ commode fieri possunt: sublatis omnino è medio tot tantisque lucrandi peruersis negotiis, cõtractuumque malorum laqueis, & labyrinthis.

De vsura permulta inuenies apud D. Anto. 2. par. Theolo. tit. 1. cap. 6. 7. 8. 9. & 10.

De vsuris quoque copiosè disserit Vincen. Bellu. specu. Mora. lib. 3. par. 7. dist. 11.

De vsura, fraude, rapina, secundum Philosophorum placita, lege eundem specu. Doctri. lib. 4. ca. 149. & cap. 150.

Autor. De materia porro vsurarum inuenies multa per indices in autoribus tum scholasticis, tum positiuis, & Conciliis Generalibus.

Cupiditas & auaritia mouebant hos homines vt sic irreuerenter versarentur in templo, ac prophanarent illud. Quare contra illa disputare poteris, & leges Senecam lib. 10. epist. ad Luci. epist. 74. in medio eius.

De magnis laboribus quos sustinet auarus, & solicitudinibus quibus vexatur, lege eundem lib. 21. epist. ad Luci. epist 116. prope eius finem.

Permulta quidem, eademque præclara, aduersus cupiditatem & auaritiam hominum inexplebilem, reperies etiam apud eundem in lib. ad Albinam matrem de consolatione cap. 13.

Res plane mirabilis est, quod permulti boues atque cameli in eodem prato pascantur, & multi elephanti in vno campo, & innumeræ bestiæ in eodem monte, ac nemore sustententur, eisque omnibus abundans sit pastus, quo animalia illa exaturentur: & tamen cupidus vnus dumtaxat, & auarus homo, vt ait Seneca, non impleatur vnquam & satietur, vrbibus longe patentibus, prouinciis, regnis, & toto mari. Omnia enim hæc saltem desiderio complectitur modosque inuestigat omnes, per quos suus insatiabilis appetitus possit impleri & satiari. Vide eundem lib. 8. epist. ad Luci. epist. 61. in medio.

Quemadmodũ canis esuriens, si ipsius dominus edens aliquid de mensa proiiciat, quam citissime illud deglutit, statimque oculos coniiciat perattente in dominum, & multis porro corporis motibus, ac caudæ frequenti adulatione significat famem, quasique admonet vt sibi aliquid mittatur, & quamuis sæpe proiiciatur, adhuc vt sibi plus detur expectat, vt magis magisque bulimia excitari videatur. Eadem plane ratione se habet auarus, semper enim oculos in ipsam fortunam coniectos habet, vorans, ac deglutiens: magisque esuriens, & vt plura sibi largiatur anhelans: sic adeò, vt quo plura recipiat, eo amplius in eo habendi fames inexplebilis augeatur, & excrescat. Lege Senecã lib. 10. epist. ad Luci. epist. 73. prope finem.

De magnis incommodis ac damnis quæ ex auaritia sequuntur, consule Xenophontem lib. 2. de factis & dictis Socratis.

Sicut infernus seu barathrum quamuis plura in trudantur in ipsum, nunquam expletur, sed ore semper aperto & hianti est ad alia quasi sine termino recipienda: sic auari sacculus quantumcunque mittantur in eum multa, semper tamen patet ad alias aliasq; pecunias recipiendas.

Vas inferiori parte confractum, siue rimulas dum cens, quæcumque per os infundas, effundit per imã partem, & ita nunquam impletur: sic auarorum animi sunt vasa plenissima rimis & foraminibus, quæ quantacunque lucra non possunt explere, nec vllis vnquam contenta lucris existunt: sicut acute comparant Plato, Architas, Tarentinus.

Quemadmodum quantacunque quadrata infundas in vas orbiculare, nunquam poterunt omnes illius sinus impleri & anguli: Sic in cor auari, cuius cupiditas illud effecit rotũdum & orbiculare, quæcunque ingrediuntur, triangulata & quadrata reduntur, & ita permulti sinus & anguli cupiditatis in eo relinquuntur vacui.

Diuitis marsupium est plane cisternæ persimile ex qua multis partibus aqua concepta effunditur; nã quamuis magnis aliquando alluuionibus impleatur, postmodum tamen ita depletur, & exinanitur, vt maiorem copiam desideret. Pariter enim auarus etsi quandoque aliquo maximo lucro plenus esse videatur, & aliquantulum contentus appareat: cæterum simulatque ad se reuertitur, nouis quibusdam plura lucrandi & acquirendi curis vrgetur, & grauibus solicitudinibus concitatur.

Res sane est exploratissima, quemadmodum omnes testantur qui in India aliquando fuerunt, & præsertim in Perũ prouincia commorati sunt, vbi aurifodinæ repertæ: nempe has nunquam fuisse inuentas nisi in terris sterilibus, & cuicunque agriculturæ prorsus ineptis & infructuosis. Cor similiter auari auri fodina quædam est, & in qua aurum gignitur, ac proinde sterile est & sine fructu diuinæ dilectionis ac charitatis, & absque misericordia: terra omni prorsus virtute & bonitate sterilis, & quæ tantum producit cupiditatem, auaritiam, solicitudinem prauam, crudelitatem, inuidiam, & alia huius furfuris.

Quemadmodum quo proximiores existunt homines lineæ æquinoctiali, sunt magis fusco & nigro colore præditi, vt constat in ipsis Æthiopibus: quo vero separatiores ab illa commorãtur, albiores, pulchrioresque existunt, vt patet in Anglis, atque Germanis. Sic quo quis ad ignem auaritiæ & cupiditatis propius accedit, eo magis atram, turpiorem, ac truculentiorem conscientiam habet, & quanto magis distat ab illa, candidiorem, & pulchriorem possidet.

Radix & origo inimicitiæ Cain aduersus fratrem suum Abel, extitit cupiditas & auaritia. Mirum sane negotium! quod cum mundus tam longe lateque pateret, essentque tunc tẽporis tam pauci homines, ipsi Cain totus orbis videretur angustus, & fratrem suum nimium occupare iudicaret. Gene. 4.

Qui se ingerit auaris, & cupidis, sese intromittit plane in flammas quasdam voraces. Quod significãs Christus dominus, noluit se medium interponere inter duos illos fratres, quorum vnus de altero querebatur quod nollet paternã diuidere hæreditatem, vt patet Lucæ 12.

Attende quam sitim congregandi diuitias habebant domini illius puellæ pythonem habentis: quãdoquidem quod D. Paulus dæmonem ejecisset ab ea, illi Paulum & Sylam propterea magnis vehementer affici incommodis procurarunt, vt scribitur Acto. 16.

Vide quam maxima fuit oborta seditio, totiusque vrbis tumultus, ob auaritiam Demetrij argentarij, eiusque sequacium: qui cum animaduerterent ex Pauli prædicatione cessaturum maximum quæstum suum, quem in conficiendis Dianæ idolis faciebant: ipse, & alij aduersus Apostolum, eiusque socios, totam vrbem concitarunt, vt videre est Acto. 19.

Templi

Templi ministri esse non debent rerũ mundanarum cupidi, nec gratia nimij ornatus templi. Vnde sanctus Moses cum sciret plus populum quam necessarium esset offerre ad opus tabernaculi explendum: iussit publice præconis voce publicari, ne quis vltra offerret aliquid, vt legitur Exo. 36.

Quam miseri sunt qui pecuniis obtinent Ecclesiasticas dignitates! sicut fecit Menelaus promissa maxima pecunia, vt legitur 2. Machab. 4.

Contemplare quo miseriæ redactus est Acham ob cupiditatem & auaritiam, cum ipse lapidatus sit, & omnia sua combusta, vt dicitur Iosue 7.

Admonens Iudas Machabæus suos duces & milites, dicebat: Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est. Significauit siquidem quam proximam ille mortem habeat animæ, & corporis, qui auarus est & cupidus. lege 1. Macha. 4.

Attende in quantum fuerit discrimen adductus exercitus Machabæorum, propter militum cupiditatem & auaritiam: qui quædam de illicitis sub tunicis abscondisse inuenti sunt, cum mortuos ipsos tradere sepulturæ vellent. Vbi obserua malam illorum necem, quæ ex tali peccato prouenit: vt patet 2. Machab. 12.

Pecunia vendidit Dalida Samsonem, qui eam tãtopere deperibat, vt videre est Iudicum 16.

Venditio & emptio illarum rerum templo dicatarum, typum gerebat multorum quæ modo perperam fiunt, consule D. Hila. Cano. 21. super Mat.

Ingreditur Christus dominus in templum magna cum libertate, non secus ac paterfamilias libere intrat ad suam familiam: in quo quidẽ patefecit suam virtutem super omnia. Lege Euthymium super Mat. in explanatione huius loci.

Glosa incognita exponens locum illum Psal. 54. Non defecit de plateis eius vsura & dolus: agit de quodam speciali modo vsuræ, quo innumeri obnoxiuntur homines. Puta si quis mihi quandam infert iniuriam: cupio & desidero alia grauiori vindictam sumere: nec tantum volumus vindicare nos simplici & pari verbo, sed quæque grauiora verba profundimus. Item quia aliquis mendacem esse dicit alium, hic alapam incutit: & pro alapa incutitur vel quæritur nex, &c. Aduerte quæso hoc malum diligenter, & valde dissuade in pulpito. Lege Glos. incog. Psal. 54. versiculo 886.

Quam corruptus ac perditus sit mundus ex atra auaritia, & cæca Esa. 2. F. omnes diligunt munera, & Esa. 2. D. & idola penitus.

Auari adorant argentum & aurum veluti deos Esa. 44. C. ante truncum ligni.

Auari quo fine consumantur Hiere. 17. B. perdix fouit.

Auaritia est insatiabilis ac crudelis, Michææ 2. A. & concupierunt agros.

De auaritia vide etiam Mich. 3. A. B. C.

De damno quod infert auaritia Abacuc. 2. B. C. vsquequo & aggrauat.

Auari in quem infelicem redigantur exitum Ecclesiastici 14. A. vero cupido & tenaci.

Quod fuerit hoc hodiernum factum miraculum quoddam maximum: consule Origenem super Ioan. Nam nuper hæc opera edita sunt in lucem in excussis Parisiis 1555. fol. 124. vbi dicit quod Iudeos à templo eiecisse maius fuit miraculum quam cum aquam in vinum conuertit. Nam illic inanimata subsistebat materia, hic vero tot millium hominum domantur ingenia. Quod etiam persimile est illi rei quę habetur Ioan. 18. vbi solo verbo Christi omnes abierũt retrorsum. Ex quibus patet, quod Christus quando voluit, virtute diuina animos hominum immutauit. Vide etiam D. Thom. 3. p. q. 44. artic. 3. ad 1.

Dominus eiecit hos de templo ratione loci, qui tantum spiritualibus erat deputatus: & ideo contra reuerentiam loco debitam faciebant suas mercationes, & apparebat in talibus turpitudo suæ cupiditatis. Vel dicendum quod de templo sunt tales eiiciendi, quia non licet ministris templi, id est viris Ecclesiasticis, talia exercere mercimonia. D. Thom. opusc. 73. cap. 13. in fine. Hic etiã tractat aliqua de emptionibus huiusmodi & venditionibus.

Vide præterea eundem 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 1. in fine, & 3. p. q. 83. ar. 3. sed contra.

Supra mensuram dignitatis Christi videbatur, secundum quod videbatur filius esse fabri, vt tanta fiducia vteretur & potestate eiiciens nundinas de templo, cum nec princeps alicuius gentis hoc posset explicare quod fecis Iesus. Vide Origen. homil. 15. super Matth.

Mihi credite, quia sicut experimento multorum didicimus, in damno expenditur quicquid cum iniustitia congregatur. Si vultis igitur nil iniuste perdere, summopere studete de iniustitia nil habere. Grego. lib. epist. 19. epist. 57.

In Concilio Nicæno vbi fuerunt 318. episcopi. ca. 18. promulgarunt, quod clericus vsurarius deiiceretue à clero, & alienus ab Ecclesiastico haberetur gradu.

Eiiciebat omnes vendentes & ementes. Hoc primum sciendum, quod iuxta mandata legis augustissimo in toto orbe templo domini, & de cunctis pene regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè festis diebus, taurorum, arietum, hircorum: pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus. Accidebat plerumque, vt qui de longe venerant, non haberent victimas. Excogitauerunt igitur sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, & vt venderent non habentibus & vt ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venieniium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus: & non solum hostias non habebant, sed ne vnde emerent quidem aues, & vilia munuscula. Posuerũt itaque & numularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum vt nemo vsuras aceiperet, & prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nil haberet, & interdum sortem perderent: eęcogitauerunt & aliam technam, vt pro numulariis colybistas facerent. Cuius vẽrbi proprietatem Latina lingua nũ exprimit. Colyba dicuntur apud eos quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula: verbi gratia frixi ciceris, vuarumque passarum, & poma diuersi generis. Igitur quia vsuras accipere non poterãt Colybistæ qui pecuniam fœnerati erant, pro vsuris accipiebant varias species: vt quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis coemuntur: quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vsuram & superabundantiam non accipietis. Ezec. 22. Iste iusmodi dominus cernens in domo patris negotiationem seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, iuxta quod scriptum est in sexagesimo octauo Psalmo, zelus domus tuæ comedit me: fecit sibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem eiecit de templo, dicens: Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum, &c. D. Hieron. super Mat. lib. 3.

Et eiiciebat vendentes & ementes. Autor operis imperfe. ho. 38. existimat omnes mercatores de Ecclesia abiiciendos, & præsertim eos qui res emunt non vt

in his

in his opificium exerceant, sed vt eas charius vendant: loquitur autem hoc modo: Nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, proiiciatur de Ecclesia. Et infra: Ego ostendam tibi qui non est negotiator, vt qui secundum regulam istam non fuerint, intelligas omnes negotiatores esse: id est quicunque rem comparat non vt ipsam rem integram & immaculatam vendat, sed vt opus faciat ex ea, ille nõ est negotiator. Quia qui materiam operandi sibi comparat vnde faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum: id est qui rem vendit, cuius æstimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio. Vt puta faber comparat ferrum, & facit ferramentum: sed ferramentum illud non tantum habet fieri quantum valet, sed secũdum opus ferramẽti appretiatur. Qui autem comparat rem vt illam ipsam integram & immutatam dando lucretur: ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur. D. Thom. 2.2.q.77. adnotans hũc locum tanquam Chrysostomi, ait eum non intelligendum esse de omni mercatorum genere, sed de his tantum qui vltimum totius negotij finem in lucro constituunt. Potest enim & ipsum quoque lucrum licite à mercatoribus appeti, non vt vltimus finis, sed ob alium necessarium & honestum finem. Et ad hunc quoque sensum, inquit, esse referendum quod Cassiodorus protulit aduersus negotiatores, in expositione Psalm 70. Sixtus Senen. lib. 6. annot. 95.

Cassiodori explanationem in illum versiculum Psalm. 70. Quoniam non cognoui literaturam, &c. D. Thom. 2.2.q.77. argumentando profert, veluti prima fronte blandientem errori eorum qui asserunt negotiatores charius vendentes quam ementes, esse prorsus de Ecclesia abiiciendos. Citat autem autoris verba ad id alludentia, in hunc modum. Quoniam non cognouit literaturam, vel negotiationem secũdum aliam literam: quid inquit aliud est negotiatio, nisi vilius comparare, & charius distrahere? Et subdit: Negotiatores tales dñs eiecitde tẽplo: sed nullus eiicitur de tẽplo nisi ꝓpter aliquod peccatũ, ergo talis negotiatio est peccatum. Cæterũ si verba ipsa, vt apud Cassiodorũ sunt, diligenter inspecta fuerint, suã interpretationẽ secum adferunt, quãdoquidẽ sententiam suam satis aperte interpretatur ipse autor, sic loquens: Quoniam cognoui negotiationes, pars ista versas nisi bene requiratur, recipere cognoscitur quæstionem. Nam si omnis negotiator omnino damnandus est, nec illi hanc pœnam refugiunt qui artes reliquas exercere noscuntur: Quid enim est aliud negotiatio, nisi quæ possunt vilius comparari, charius velle distrahere? Deinde in vitas patrum Paphnutium illum sanctissimum virum per reuelationem negotiatori legimus comparatum. Et inuenimus hodieque in Ecclesia Dei tractantes quidem mercimonia, sed summa fide pollentes: actus enim pessimus, non res honesta damnatur. Sicut & diuitem legimus non introire in regnum cælorum, cum tamen Iob, Abraham, Isaac, Iacob, patriarchæ, facultatibus quoque fuerint affluentes. Negotiatores ergo illi abominabiles æstimãtur, qui iustitiam domini minime considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus periuriis onerãdo quam pretiis. Tales dominus eiecit de templo, dicens: Nolite facere domum patris mei domũ negotiationis, & speluncam latronum, &c. Sixtus Senen. lib. 5. annota. 187.

Propter auaritiam qua excæcati erant isti, tales emptiones & venditiones adinuenerunt, non intelligentes mediusfidius quod etiam Philosophi ipsi intellexerunt, nempe fugiendam esse auaritiæ pestẽ. Nam Cleobulus philosophus dixit, aliena ne concupiscas. M. Cato, à re aliena manum abstine. Phocylides, contentus rebus propriis, aliena relinque. Xenocrates, in alienas ædes nec pedes, nec oculos inferto. Plutarchus, in alieno choro pedem ne imponito.

Et dicit eis: scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Super hæc verba consule D. Thom. in 3. Reg. 8. & 1.2.q. 102.ar.4.ad 1. & 3.p.q.83.ar.3.per totum. & in 4.senten.dist.13. quæst.1.arti.2. quæstiun.5.per totam.

Quia eiiciuntur vendẽtes & ementes de templo, si placet tibi agere de virture & moderatione sacerdotum, & ministrorum templi, vide Malach. 1.B. ad vos ô sacerdotes.

De malis sacerdotibus qui acquisita de templo concubinis impudicisque mulieribus dispendunt, lege Baruch 6.C.D. hostias illorum vendunt.

Quales vult Deus esse ministros templi & sacerdotes Mala. 2. per totum.

De temperãtia ac moderatione quam debent habere sacerdotes, lege Esa. 28.B. verum hi quoque.

Sacerdotes seu ministri templi impij & ignorantes, digni profecto videntur qui de templis eiiciantur, quoniam multum Ecclesiæ nocent. Hiere. 2.B. sacerdotes non dixerunt, vbi est dominus.

Sacerdos malus horrendum quidpiam est. Hiere. 5.G. stupor & mirabilia facta sunt in terra.

Quando malitia seu iniquitas reperitur in sacerdote, fit grauior, Ezechi. 8.F. & ecce in ostio templi domini.

Multa alia loca de sacerdotibus adferri poterant, sed ea fere per Concordantias inuenies in dictione sacerdos, & similibus: & quæcunque dices de his, moderate, circumspecte, & vrbane tracta, propter tantam dignitatem. Autor.

Cæterum quod Ecclesiæ ministri negotia secularia respuere omnino debeant, vt perfectius sese diuino cultui consecrent, penitusque tradant: vide Primasium, & Theodoretum, super 2. Timoth. 2. in illa verba: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

Aduerte ad quid sit templum, vt inquit dominus, nempe quod sit domus orationis & domus Dei. Vnde vel cæco est clarum, & barbato persuasum, quanta templum ipsum veneratione colendum sit: quam iustum sit vt templa cum dignitate extruantur, & exornentur, donisque quam plurimis decorentur. Ad ꝙ lege Aggæ. 1. A. nunquid tempus vobis.

Cum templum sit domus orationis, accedamus ad ipsum & auxilium atque fauorem in nostris necessitatibus imploremus: ad quod lege 2. Paralipomenon 6.

Domus mea domus orationis vocabitur. Quid ad hoc dicent audaces illi homines, qui sine vlla reuerentia, ex tẽplis cultui Dei & orationi sacratis, porticus faciunt, ac domos negationis, suis inambulationibus & spatiis non minus inconsiderate factis, quam si in publicis nundinis, & mercatu aliquo versarentur? Hi plane interturbant officia diuina, impediunt sanctam prædicationem, officiunt pœnitentibus ipsis, qui ad sua deflenda, & confitenda peccata illuc accedunt. Ad hos cohibendos nec sufficit reuerentia debita sanctissimo altaris Sacramento, nec sufficit videre quanta incommoda multis inferant suo peruerso exemplo: nec præterea horum effrenatam audaciam compescere possunt præcepta & censuræ ab illustriss. ac Reuerendiss. Episcopis illatæ. Nec denique cætera mala eos continere possunt: quæ adeò notæ sunt, vt à nobis sigillatim commemorati minus necesse sit. Quorum singula per se sufficentissima esse

Merito sane hic fachitur in eos autor, qui ex tẽplo domo orationis, faciunt porticũ locũ negotiationis ac de ambulationis.

Argumẽtatur à minori ad maiꝰ.

esse deberent, vt à tanta irreuerentia sese omnino abstinerent. Age iam ô homo quisquis es qui hoc in vsu habes, vbi nam talem ciuilitatis modum didicisti, vt ante cunctipotentem Deum, in cuius conspectu cælestes omnes Chori contremiscunt: ita irreuerenter & indecenter te habeas, tum inambulando, tum confabulando? Præsertim cum omnibus manifestum sit, esse neminem quantumuis grauissimum, qui ante terrenum aliquem regem audeat non dicã spatia facere, sed nec locum quidem ipsum vllo modo ac sedem suam commutare. Neque solum recusant tunc omnes & refugiunt inamhulationes, ac cõfabulationes: sed tiam nec interroganti vel verbum respondere audent, nisi quam modeste, qnam breuiter, quam decenter. Quæ igitur tandem ratio suadet, quæ lex tum humana, tum diuina permittit: vt tantum valeat autoritas terreni regis ad frænandos tuos motus omnes, atque etiam nutus: & non valeas apud diuinum conspectum, & in sacra aula Dei ac templo, tibi persuadere optimam compositionẽ, conuenientemque reuerentiam? Iam vero tanta obseruantia Salomonis templum colebratur, vt quamuis adhuc exędificatum extructumque non esset: tamen diligentissime caueretur, ne in eo malleus sentiretur, aut securis, nec denique strepitus & sonus aliarum rerum, vel ipsi operi necessariarum: vt constat 3. Reg. 6. Tu vero tibi persuadebis licitum esse in diuino templo constructo iam ac sacrato, sanctitatisque & maiestatis vndique pleno, inambulare, strepitus excitare, contractus negotiari, resque alias per agere, quæ non solum pro loco illo necessariæ non sint, sed etiam ex diametro pugnent cum tanta maiestate & sanctitate? Age porro si felices & beati sunt qui verbum Dei audiunt & custodiunt, quemadmodum Christus ipse testatus est Lucæ 11. Quidnam dicemus de iis qui non solum id audire renuunt, sed etiam multos alios quo minus audiant impediũt, nisi quod infelices omnino sunt futuri? Cæterum ne tibi videar fortasse ex meo tantum sensu diuini eloquij pondus suadere, commemorabo quid hac de re senserit August. in lib. cui titulus est, de corpore domini: & habetur 1.q.1.cap. Interrogo vos. Ait enim: Interrogo vos fratres, vel sorores, dicite mihi, quid plus videtur vobis, corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis vere respondere, hoc dicere debetis: quod non sit minus Dei verbum, quam Christi corpus. Et ideo quanta solicitudine obseruamuss quando à nobis Christi corpus ministratur, vt nil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta solicitudine obseruemus ne verbum domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minus reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit. Leges etiam super hunc locum doctissimum Ioan. de Turre Cremata. Vide quæso an hoc satis sit ad tibi persuadendam summam attentionem ac reuerẽtiam in sanctissimo templo vbi verbum Dei prædicatur, an nondum etiam. Quod si dicis te id iam probe callere quod conçionator ipse profert, & quod non eges huiusmodi cõcione: timeo quidem, vt ait Chrysosto. ho. 6. super Gene, & anxius sum, ne hoc tibi ad maiorem accusationem accedat: cum scriptum sit Lucæ 12. Qui scit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit multis. Quemadmodum enim quo maior est eruditio tua & autoritas, tanto plus mereris, si tuo optimo exemplo cæteris præluxeris in diuinis officiis attente & reuerenter audiendis: ita medius fidius tanto vehementius plectẽris, ac seuerius, si cõtrà te gesseris, & habueris. Sed iam quisquis es qui hoc in vsu & consuetudine habes, collige tandem

Aliqua incõmoda ex innumeris obiter colligit.

obsecro, iterumque ac sæpe perattente considera quantum mali & nocumenti permultis inferas. Quis enim concionator non refrigescet in pulpito, videns perturbationem istam tuam, tantumque strepitum? Quis sacerdos non derurbabitur de sua illa attentione, quam collocat in sacris ipsis peragendis? Ecquis tandem cæterorum astantium, & considentium, non maximè commouebitur? Cum ergo nil aliud ex tali ambulandi in templo, & negotiandi vsu, vel abusu potius, quam tibi peccatum atque ignominiam, cæterisque damnum inferas: noli quæso expectare vt Christus ipse accedens, flagello te de domo sua expellat. Fieri enim poterit vt propter hoc vitium tum hîc calamitate aliqua te percutiat, tum illic in extremo iudicio immanibus ac crudelissimis tortoribus tradat in perpetuum sine vlla veniæ spe flagellãdum ac seuerissimè cruciandum.

Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia que fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: osanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Reprehendunt isti Christum, quod non increpet & castiget pueros talia dicentes: Vnde quã ipsi habent culpam, reiiciunt in Christum, & pueros. Hæc est malitiæ natura, vt non solum crimen ingerat vbi non sit: sed etiam culpam quam sustinet, aliis iniiciat. Hoc præfiguratum videtur in hera & domina ipsius Ioseph, quæ impudentiam suam ac libidinem effrænatam transtulit in sanctissimum Ioseph. Circa quod etiam dicit beatus Chrysosto. Non videtur mihi fere tam mirabilis res illos esse pueros in igne absque læsione, atque sanctum Ioseph versari in tan ta mulieris flamma, & impudentia, & non ardere. Nam certe quemadmodum pueri illi diuina virtute illæsi exiuerunt ab eo igne: ita Ioseph Dei benignitate euasit illæsus à tam voracissimo incendio. Non enim potuisset ita resistere, nisi Deum habuisset auxiliatorem. Cæterum voluit impudenticula sese vindicare, inurendo ignominiam & maculam insonti Ioseph. Atque ita se gerunt nunc principes sacerdotum & scribæ cum Christo. Chrysos. super Genesim ho. 62. to. 1.

Carere certe debet vitio, qui in alterum paratus est dicere. Nec potest quis oculo suo puluere obducto iudicare de alterius macula: nec potest sordes eluere ex cuiusquam facie, lutosa manus. Hi quidem homines, si modo homines appellandi sunt, & non belluæ forma humana vestitæ, vitiorũ omnium sentinæ cum sint, quærunt eluere sordes vel culpas, quę nullo modo erant in pueris.

Solent peruersi homines cum sese victos norunt, quærere calumnias & reprehensiones aliorum: nec possunt omnino sustinere confusionem suam. Non ita mehercule iusti homines: vnde Prouerb. 9. Doce iustum, & festinabit accipere. Impij contra, vt patet ex eodem cõtextu, vbi dicitur: Qui erudit derisorem, ipse sibi facit iniuriam. Quare impij omnem fugientes emendationem, nequiores magis magisque euadunt: quæruntque potius eos calumniaris à quibus reprehenduntur, non inuenientes omnino iustas accusationes. D. Greg. lib. 10. Mora. cap. 3.

Iesus autem dixit eis: vtique: nunquam legistis quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique docebat eos de regno Dei. Non est plane melius aliquod remedium contra inuidos & malitiosos homines, quam eos derelinquere, & discedere. Scribitur quidem Gene. 26. quod habitatores illius regionis vbi erat Isaac, dicebant ei vt discederet: cuius rei causam afferebant, ꝙ esset factus potentior illis. Vnde sanctus Isaac concessit illinc, atque abiit, acsi illud Apost. Roman. 12. legisset, date locum iræ. Et illud Matth. 10. Quando

perse

perſequentur vos in vna ciuitate,fugite in aliam. Ita porro Dauid ſe geſſit cum Saule, quem ſæpe poterat interficere.Hoc item præſtitit Abraham commutans bona ſua omnia perſæpe ex vno loco ad alium,quod ei inuiderent: vnde demigrabat aliò,vt videtur inſinuare D.Chryſoſt.ne in illis creſceret inuidia. Vide de hac re Chryſoſto. hom. 31. & 32.ſuper Geneſim tom. 1.

Philoſophus quidam Theobulus ſapienter dixit: Declina inuidiam vulgi, & inſidias odio te proſequentium caue.

Extra ciuitatem. Hoc quoq; intelligendũ eſt, quod tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus ſit, vt in vrbe maxima nullum hoſpitem, nullamque inuenerit manſionem: ſed in agro paruulo apud Lazarũ ſororeſque eius habitaret: eorum quippe vicus Bethania eſt,Hiero.lib.3.ſuper Mat.21.

Super hunc locum tractare poteris cõtra eos qui ſolicite curant exſtrui ſumptuoſa nimis ædificia:cum Autor. Chriſtus locum haberet nullum quem ipſe habitaret & ita ad alienas pergebat domos.Ad hoc autem conſule ſequentia.

Ædificia pphana vel ſumptuoſa nimis exhauriunt facile cuiuſquevel maximum patrimonium,Eſa.2.B. opus manuum ſuarum adorauerunt.

Ædificia ſuperflua reprehenduntur, Eſa.5.B. væ qui coniungitis domum ad domum.

Ædificia prophana,Hiere.22.C.D. væ qui ædificat domum ſuam.

Ædificia ſuperflua ac vana Ezechie.27.A. finitimi tui qui te ædificauerunt.

Ædificia prophana Aggæi 1.A. nunquid tempus obis eſt vt habitetis.

Ædificia periculoſa,Prouer.17.C. qui altam facit domum ſuam.

Super epiſ.denique & Euang. Duas texuit cõciones D.Anto.initio 2.Par.Theo.

Feria quarta poſt primam Dominicam. Quadrageſimæ.

ACCESSERVNT *ad Ieſum Scribæ & Phariſæi, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre.Matthæi 12.Mar.3.Luc.8.& 11.* Poterit ne quicquam non dico impium magis, ſed ſtolidius iſtis inueniri? qui etiam poſt tot tantaque ſigna, quaſi nullum ſignum eſſet factum, dicere audent: volumus à te ſignum videre. Cuius igitur rei gratia ita ſtulte loquuntur? profecto vt rurſus carpant.Nam quoniam non ſemel, ſed bis atque ſæpius inuerecundorum linguam argumentis compeſcuit: opera rurſus quærunt, ac ideo quaſi admirans Euangeliſta ſcribit, Tunc reſponderunt ei quidam Scribarum & Phariſæorum ſignum petentes. Tunc iſtud quando ſignificat? quando ſcilicet flexos iam eſſe oporteret,quando admirari atque obſtupeſcere, quando ſaltem confuſi decedere debebant.Tunc in malignitate atque pertinacia ſua pertinaciter perſeuerant.Tu vero ipſa etiam verba conſidera,quomodo adulatione ac deriſione plena ſunt.Putarũt enim aſſentatiuncula ipſum allicere:qui modo adulantur, modo conuiciantur,modo dæmoniacum,modo magiſtrum appellant. quæ quamquam inter ſe oppoſita reperiantur, à malo tamen animo atque mente procedunt. Quapropter valde ipſos carpere voluit, &c. D.Chryſoſt.ſuper Mat.ho.44.

Dixit dominus Matth.12.omne peccatum remittetur, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur: q audientes quidam Iudæi, non quidem timentes, ſed timere ſe fingẽtes,neque veritatem de Chriſto quærentes, ſed malitiam ſuam ſub colore ignorantiæ abſcondere cupientes: interrogauerunt eum:Magiſter, volumus à te,&c.id eſt, quia blaſphemia irremediabile peccatum eſt: ſed & ſi blaſphemamus,ideo blaſphemamus quia te filium Dei ignoramus: ideo opera tua diabolo applicamus,quia ſpiritum ſanctum in te eſſe neſcimus: Si ergo tu es filius Dei, oſtende nobis ſignũ, & adorabimus te,& iam non blaſphemabimus. Vt autem ſcias quod volumus à te diſcere veritatem: ecce etiam magiſtrum te appellamus. Cũ multa ſigna vidiſſent, tanquam ſi nullum vidiſſent, ita ſignum petebant.Vere enim nullum viderunt,nõ ſpirituali affectu.Similis eſt natura infidelitatis terræ arenoſæ, quæ quamuis pluuiam ſuſceperit, tamen quia nullos in ſe tenet humores, ſemper adhuc aret. Talis eſt conditio febrium, quantumuis biberint febricitantes, calore totum conſumente quod biberint, ſemper adhuc ſitiunt. Sic & maligni homines quicquid boni viderint, aut audierint, infidelitate totum conſumente quod vident & audiunt, ſemper vacui ſunt, tãquam qui nihil viderint, aut audierint. Ecce ſi quis exponat tibi res quas nõ libenter audis, ſi tota die audieris, nil eorum retines quæ audiſti: aut ambulans in via,ſi mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quamuis omnes videas tranſeuntes,tamen neminem vides.Sic & Iudæi frequenter ſigna videntes, ipſi quidem adhuc ſignum petebant: quia hoc videbant quod videre nolebant.Nam ſicut ſemper diſcere,ſignum eſt nil poſſe proficere: ſic ſignum ſemper petere, teſtimonium eſt nunquam velle credere.Chryſoſt.in non abſo.ho.30.

In morem Eliæ ignem de ſublimi venire cupiebant, vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere: quaſi non poſſint & illa calumniari, & dicere, ex occultis & variis aëris paſſionibus accidiſſe. Nam qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, vtilitate ſentis: quid feceris de his quæ de cælo venerint? Vtique reſpõdebis & magos in Ægyto multa ſigna feciſſe.Beda lib.4.ſuper Luc.11.

Admirabundus Euangeliſta dicit,Tunc:quaſi diceret: Mirabile viſu, audituque! cum obedire illos oporteret propter ſigna præcedentia: tunc ſignum petunt, non pœnitentes ſed tentantes. Ioan.6. dicitur:Quod ergo ſignum tu facis, vt videamus,& credamus tibi? Quid operaris? Teſtimonium habebat Moſes quod à Deo eſſet miſſus,ex tonitruis,igne,fumo, vocibus, & buccina cæleſti in monte Sina. Tu aliquid tale exhibe,vt credamus tibi: quæ hactenus feciſti, ſolum terrena ſunt, & curandis corporibus accommoda.Clau.Guillau.ſuper Matth.

O ſi nunquam hæc vox, volumus, à nobis prodiret! ô ſi nunquam voluntas noſtra,noſtra eſſet! ô ſi ſolum vellemus quod Deus vellet! Hæc noſtra voluntas, eſt quæ nos in infernũ præcipitat. Qui enim non ſe abnegarit, non ibit in cælum. Quis ferat ſeruum coram domino dicere, volo?Si igitur nos ſerui ſumus, & ſerui inutiles; ſi pretio empti, abſit vt qui uis ſibi velit, quiuis ſibi viuat, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt.Palacios ſuper Mat.

Poſtquam multa miracula viderant, Magiſter dicunt tentãdo.Eccleſiaſtici 22.cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam. Pſal.27, loquuntur pacem in ore ſuo, mala autem in cordibus eorum.Et 1.Cor.1.Iudæi ſigna petunt.Ioan.3.ſi terrena dixi vobis,& non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia credetis?D.Tho.ſuper Mat.

Quanta eſt ſuperbia Scribarum & Phariſæorum, tanta eſt ſtultitia & infidelitas eorum,Non rogant, non poſtulant, ſed inflato ſtomacho, & erecta ceruice, dicunt:Volumus,&c.Euſebius Feria quarta poſt primam

primam Dominic.Quadrag.

Volumus à te ſignum videre. Quomodo nec veſtis vna variis corporibus aptari poteſt, ita nec idem opus quamlibet rectum ſit ab omnibus ex æquo probari ſolet.Nec enim minor animorum quam corporum varietas eſt: quæ natura ita diſtinxit, vt vix duo corpora, vel duos hominum vultus inter ſe omnino ſimiles, in tanta hominum multitudine reperire liceat.Si ergo tanta iudiciorum & ingeniorum varietas eſt: quis ea quæ facit quamuis rectiſſima faciat, ab omnibus probari poſſe præſumat: cum is præſertim qui eſt vera ac ſumma ſapientia patris,hoc affectus hic minime videatur?

Autor. Super illa verba,volumus à te ſignum videre,quę manifeſte patet à cordibus tumentibus atque elatis exire,diſſerere poteris de arrogantia & ſuperbia.

Super eadem verba tractare potes de peccatore qui vt conuertatur expectat ſigna euidentia à Deo: vel flagella, contra quem potes iſta diſſerere.

Quid tandẽ expectas ſceleſte, vt cõuertaris?Quod nam expectas ſignum? num expectas vt infelicem aliquem incurras caſum, vt filij Heli? qui nolentes emendari hortationibus patris, crudeliſſime occubuerunt, vt patet 1.Regum 2.

Autor. Sed quid expectas? num vt tanquam miſerabilis ille Saul contentus non fuit admonitionibus filij ſui Ionathæ, qui ei diſſuadebat necem Dauid,nec etiam contentus fuit humanitate illa ipſius Dauid, quouſque tandem infeliciſſime occubuit, regno amiſſo, & honore ipſo, atque præterea multorum vita, itẽ honore tãdem ſuæ reipub. & animæ iactura,cuius quidem oſſibus, armis, & inſignibus ad eius ignominiã Philiſthæi muros ipſos decorabant, & templa ſuorum idolorum.Ita plane tu qui neque admonitiones Ionathæ nempe prædicatorum & confeſſorum, nec humanitatem Dauid, nempe ipſius Dei clementiam qui te expectat præſtolaturque ſemper ad pœnitentiam,nec denique quicquam reuereris, nec tibi pœnitentiam perſuades, tandem miſerabiliter intereas?

Quod tandem ſignum expectas?num vt pereas vt Nabal ille qui noluit vnquam inflecti & acquieſcere ſetmonibus humaniſſimis ipſius Dauid, nec quamuis moneretur à paſtoribus quod perhumane tractarentur à Dauide & eius militibus in deſertis locis, vbi defendebãt vniuerſum pecus? Quid inquam expectas niſi repentinam quandam mortem, & miſere collocari in inferno?

Dic quæſo, quid tandem expectas aſſecla & imitator Pharaonis, quem tot ſigna non mouerunt,tantaque Dei liberalitas & expectatio ad pœnitentiam? num præſtolaris vt iram effundat in te Deus, & ſine indulgentia vlla te ſubmergat in mari Peccatorum tuorum,deſcendaſque ad ſupplicia illa ſempiterna?

Ecquid præſtolaris?num ipſum Cain imitari vis qui ſigna & hortationes Dei vilipendebat & deridebat, & cum tanta ignominia occubuit tanquam fera quædam beſtia:hoc ſolum ſignum credo expectabat vt in infernum ipſum deſcenderet,vbi ſuppliciis afficiendus erat ſempiternis.

Num tandem expectas vt imitator Iudæorũ fias, quibus Deus tot ſigna dederat,& quos patienter expectauerat diu multumque, contempſerunt tamen, tempus ipſum pœnitentiæ conceſſum adeò peruerſe contempſerunt vt etiam in ipſum Chriſtum manus iniecerint ſacrilegas,vnde deinceps in tantas calamitates inciderunt, & præſertim in mentis cecitatem maximam, vt ita tandem in infernum deſcenderent cæci?

Philoſophus ille Phocylides dixit contra adulatores, quales ſunt iſti dicentes,Magiſter,&c. Ne populo fidas, variorum eſt bellua morum: non magis quam ignis poterit, aut vnda teneri.

Qui reſpondens,ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ.Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus noctibus. Cum illi aſpere atque contumelioſe interrogant, manſuete ac leniter reſpondet: cum vero aſſentantur, tunc non mediocri vtitur acrimonia, omni ſe perturbatione ſuperiorem oſtendens. Sicuti enim tunc nulla ira concitatur, eodem nunc modo adulationibus non delinitur.D.Chryſoſto.ſuper Matt.ho.44.tom.2.

Eſa.dicit, Quomodo facta eſt merettix ciuitas fidelis? Anima quidẽ hominis fidelis eſt ſponſa Chriſti: quæ autem infidelis eſt, meretrix eſt.In Oſee dicitur,ſponſabo te in fide.Sicut meretrix vxor virum ſuum ſe fingit amare, vere autem amat adulterum,& in facie vnius quidem eſt in corde autem alterius.Sic & Iudæi videbantur eſſe Dei cultores, erant autem diaboli amatores. Ideo malam & adulteram generationem eos appellat.Sed quid,ſignum vultis videre?vbinam eratis quando dęmones clamabant,Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? vbi eratis quando cæci ſecus viam ſedentes, clamabant: Ieſu fili Dauid miſerere nobis? D. Chryſoſtomus in non.abſol.ho.30. tomo 2.

Notandum quod Chriſtus vocauit iſtos generationem adulteram metaphorice: quia ſicut adulterini fœtus ſunt ignobiles, & nullum honorem habẽt. Sapien.4.ita Chriſtus innuebat quod iſti erant mali & indigni honore.Et dicebat eos generationẽ adulteram, vt tolleret ab eis ſuperbiam: quia de progenie ſua gloriabantur. Et dicit hoc quia filius debet imitari patrem, iſti autem erant filij Abrahæ,ſed non imitabantur eum: & ſic apparebat quod eſſent filij eius, ſed quaſi ex adulterio geniti.Ioã.8. ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.Abulenſis ſuper Matt. quæſt.31.

Diſcipulis ſignum dedit diuinitatis,prius transfiguratus in monte, & poſtea ipſis vidẽtibus ſubleuatus in cælum: ſed incredulis de inferiori humanitatis paſſione.Gloſ.Ordi.ſuper Luc.11.

Mille vobis beneficia contuli, & nil vnquam vos mihi conciliauit, neque effecit vt omnipotentiam meam velitis cognoſcere.Sed cognoſcetis tunc à cõtrariis cum vrbem veſtram proſtratam videbitis, quando mœnia eius deiecta, quando templum ſubuerſum,quando libertate priſcaque viuendi diſciplina priuati, errantes ac profuſi per vniuerſum orbem diſpergemini.Hæc igitur omnia quæ poſt paſſionem meam euenient, in ſignum vobis maximum erunt. Chryſoſt.ſuper Matt.ho.44.to 2.

Adhuc celeberrime per ſcripturas ſanctas etiam in prophetæ Ionæ laboribus & ærumnis, Chriſti paſſio ac reſurrectio præſignatur.Ionas iram domini prædicaturus, ad magnam Niniuitarum deſtinatur vrbem, dicturus: Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubuertetur.Et Chriſtus ad mundi mittitur ciuitatem, vt diem ſalutis & præfinitum iudicij tempus enuntiet.Ionas nauem expetit, Chriſtus Eccleſiam. Ionas fluctibus agitatur, Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi Ionas perditum detur, nauis periculum non ſedatur:Sic non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſaluetur. Nautæ dimiſſuri Ionam, tamen verentur, & dicunt: Domine, ne des ſuper nos ſanguinem innocẽtem. Nõne vobis videtur nautarum imprecatio Pilati eſſe confeſſio?qui tradit Chriſtum, & tamen lauat manus ſuas,& dicit: Mundus ego ſum à ſanguine iuſti huius.D.Hiero.ſerm.de Reſurrect.domini to.4.

Miſſus Ionas ad ciuitatem Niniue vt eius finem

prædicaret; missus etiam est Christus à Patre vt finẽ mundi omnibus demonstraret. Fugit Ionas à facie domini, fuga Ionæ velox transitus Christi. De quo
Psal. 8. dicit propheta: Exultauit vt gygas ad currendam viã. Ascendit nauem propheta fugiens, lignum Christus ascendit per mare huius seculi transiens. Irruit tempestas magna in mari, perturbatio maris perfidia Iudæorum. Data est sors vt propheta fugitiuus in mare mitteretur: sors data est super Christi vestimenta, vt vnitas omni mundo prædicaretur. Proiectus est è naui in mare Ionas, mors Christi in cordibus gentiũ collocata est. Susceptus est à bestia propheta, custodiendus, non comedendus. Audi hic ipsius vocem
Psal. 15. Christi per sanctum Dauid: Non derelinques animã meam apud inferos: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus orauit Ionas; in inferno Christus descendens vinctos educit. Tertio die propheta litori incolumis est redditus; die tertio Christus de sepulchro surgens est exaltatus. Ad prædicationem Ionæ prophetæ per pœnitentiam saluata est ciuitas: per Christi prædicationem sancta Hierusalem redempta est. D. Augustꝰ. de symbolo ad Cathecumenos libro quarto cap. 6. tom. 9.

Iuxta historiam Ionæ dicendum est quomodo & ad quid fuerit signum Niniuitis: nimirum ad interitum Niniuitarum, nisi pœnitentiam egissent: ita & Christus vaticinatur de deuastatione & abiectione Iudæorum, quæ facta est 40. annis post Resurrectionem ipsius. Clau. Guil. super Mat.

Tribus diebus, &c. More antiquorum, qui diem cum nocte præcedente computabant: partem ergo dici qua sepultus est, cum præterita nocte, pro nocte & die accipe, hoc est pro toto die per synechdochem. Sabbathi noctem & diem integre: noctem dominicæ cum eadem illucescente, accipiendo etiam partem ꝓ toto: & ita habes tres dies, & tres noctes. Glos. Ordi. super Matthæ. vide etiam D. Hiero. lib. 2. super Mat. & in Commenta. Ionæ cap. 2.

Liquido, ne verba eius illuderent, non dixit quia resurget: id autem occultius tetigit vt præscientiã eius non ignorarent, quæ ipsos adeò non fugit, vt ad Pilatum postea assererent: Quia ille seductor dixit, post tres dies se resurrecturum. D. Chrysosto. ho. 44. super Matth. to. 2.

Id est, post quã mortuus fuerit & surrexerit, videbitis vera esse omnia de quibus nunc dubitatis: quia tunc apparuit Iesum esse Deum, & Messiam, & cœpit totus mundus credere in eum. Ioan. 8. Cum exaltaueritis filium hominis, &c. Abulensis super Matthæ. quæst. 32.

Si parascheuen cum præterita nocte numeraueris, & sabbathum cum sua nocte, & noctem Dominicæ cum subsequente die, tres dies inuenies. Beda super Matth. lib. 2. to. 5.

Sicut Ionas ex naui in aluum demergitur ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum; & sicut ille pro his qui tempestate periclitabantur, ita Christus pro his qui in hoc seculo fluctuant. Et sicut primo iussum est vt prędicaretur Niniuitis à Iona, sed non ad eos peruenit ꝓphetia Ionæ nisi postea quam eum cetus euomit; ita prophetia præmissa est ad gentes, sed nisi post Resurrectionem Christi non peruenit ad gentes. D. Augustꝰ. lib. epist. epistꝰ. 49. de sex quæstio. contra Paganos q. 6. tom. 2. per totam.

Sextæ feriæ diei partem, qua sepultus est, cũ præterita nocte, pro nocte & die accipias, hoc est pro toto die; Sabbathi noctem & diem: & noctem dominicæ cum eodem die illuscente, accipiendo partem pro toto, ita habes triduum, & tres noctes. D. Aug. lib. 1. Quæstio. Euange. cap. 6. to. 4. & lib. 4. de Trinitate cap. 6. tomo. 3.

Missus est Ionas Niniuem prædicatum pœnitentiam, abiit in mare, & absorptus est à cẽto: cum autem post tres dies exoneretur in terram, abiit in Niniuitas absoluturus suam legationem, & prædicauit Niniuen post 40. dies subuertẽdam esse. Sic & Christus tertio die resurgens à morte, discipulis suis apparuit 40. diebus, vt respublica Iudæorum staret adhuc incolumis 40. annis, intra quos diuulgaretur signum Ionæ, hoc est Euangelium de morte & resurrectione Christi, & qui vellent resipiscerent. Post hos autem annos Iudæi ita deuasterentur, vt non solum dispergerentur in omnes fines terræ: verum etiam abiicerẽtur, ne vltra essent populus Dei. Iudaicę ergo genti Euangelica prędicatione, & diuina longanimitate, concessi sunt 40. anni, iustum pœnitentiæ spatium: & quoniam intra hos non sunt conuersi ad regem Christum, ideo gladio Romanorum funditus sunt excisi. Claudius Guillau. super Mat.

Ionam triduo illæsum vixisse in ventre ceti nemo mirabitur, qui meminerit qualiter vnusquisque nostrum mensibus nouem degat intra materna viscera. Prætermitto autem illud quod dicit Plinius lib. 9. ca. 3. reperiri in Indico mari balenas longitudinis 4. ingerum. idem dicit lib. 32. cap. 1. Iuba in his voluminibus quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium de Arabia, tradit enim cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, in flumen Arabię intrasse. Id si verum est, cetus vnus nõ Ionam vnum, sed mille capere facile potuit. Treius super Euang. lib. 5. cap. 10.

Vix persuaderi possum per cor terræ hoc loco intelligi sepulchrum, vbi Christus iacuit: imo forsan hic est locus vnde probatur, infernum patrum purgantium, & damnatorum, esse in corde terræ, id est in medio terræ. Hoc quidẽ tibi poteris legere, nõ enim suadeo vt prædices, cum oppositum adeò receptum sit. Palacios super Matth.

Ecce prophetæ fuga ipsius domini vertitur in figuram, & quod celebratur ferale naufragium, hoc sacramentum Dominicæ Resurrectionis existit. Nam quemadmodum Ionas typum per omnia tenuerit & impleuerit Saluatoris, historiæ, quæ de ipso scripta est, textus ostendit. Fugit, inquit, Ionas à facie Dei: nónne dominus vt hominis faciẽ præse ferret & formam, faciem formamque propriæ deitatis aufugit? Apostolo sic dicente: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Formam susceptꝰ serui dominus, vt lateret mundum, vt diabolum præueniret, in hominem se fugit ipsum, &c. Petrus Chrysolo. sermo. 37.

Si viperam vel colubrum in sinu haberes, nonne sine mora abs te proiiceres? Cur ergo peccata, quæ omni genere viperarum detestabiliora sunt, in sinu retines, & abs te non proiicis invno instanti: sed cum illis potius dormis? Infelix ille Pharao cum domum, mensam, & lectum, ranis plena haberet, & moneretur per Mosen: Constituę mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ abs te: respõdit cras, cum dicturus fuisset quod statim, siquidem tali plaga affligebatur. Petrus vt pœnitentiam ageret, locum & societatem peccati deseruit, hoc est palatium Pontificis; vt per hoc nobis innuat quod nulla est vera pœnitentia, vbi peccandi occasio non tollatur. Pœnitentiam nullo modo differas, indies enim minus aptus eris ad surgendum à culpa. Multis non secus euenire solet, ac viatori offendenti riuum qui ex vno saltu transiri poterat; sed tendit inferius, æstimans quod facilius transibit. At vbi inferius tendit, latiorem inuenit riuum. Sic peccator initio posset ex vno saltu peccatum dimittere, at vbi procrastinat, difficultates augentur, & quanto magis tempus differt, tanto minus est aptus ad pœnitendum.

Super illa verba, & signum non dabitur ei, &c. vide D. Tho. 3. par. quæst. 43. ar. 1. ad 1.

Attende quam obediens fuit Deo cetus circa Ionam, & ita agere poteris quo pacto bruta animalia facile Deo obediant, & non homo. De quo consule D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 10. ad 3. & 1. senten. dist. 3. q. 1. ar. 3. ad 3. & in 4. senten. dist. 15. q. 4. art. 6. quæstiũ. 3. ad 1. & de veri. quæst. 24. ar. 2. ad 8. & de poten. q. 1. ar. 6. ad 4.

Generatio mala & adultera. Hoc dicit quia multum ipsi se iactabant quod descenderent de Abrahã. Quid enim prodest fluuio exire à fonte clarissimo ac dulci, si ipse postmodum transit per salsas regiones, atque turbidas? Quid prodest alicui iactare genus
Autor. suum, si ipse sua nequitia tanto splendori tenebras offundit? Quid gloriatur gracculus aut cornicula operiri plumis pauonis, & aliatum auium, præsertim cum si quæque eam auem denudarit, tollẽs propria, relinquatur solis suis vestita atris plumis? Si gloriaris de maiorum factis, cum ipse obscurus sis: plane si singuli accedant, & sua insignia ex te auferant, relinquẽris omni omnino priuatus ornamento. Consule hac de re Hectorem Pintum explicantem 16. cap. Ezechie.

Tribus diebus, &c. Sicut Augustꝰ. dicit 1. de Consen. Euangelistꝰ. cap. 13. to. 4. quidam modum locutionis scripturæ nescientes, noctem voluerunt annumerare tres illas horas à sexta vsque ad nonam, quibus sol obscuratus est, & diem, tres horas alias quibus iterũ terris est redditus, idest, à nona vsque ad occasum. Sed intelligendum est quod est mos scripturæ vti parte pro toto, & sic primus dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus & sepultus. Secũdus autem dies est integer, nox autem sequens cum die illucescente, pertinet ad tertium diem. Vide D. Thomam 3. parte, quæst. 51. art. 4. ad 1.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce pluſquã Ionas hic. Est sensus, Ionas paucis diebus, & sine signis, prædicauit gẽti incredulæ, & profecit: ego autẽ longo tempore, & populo Dei, & compluribus signis, in vanum prædico. Glo. Ordi. super Matth.

Barbari auditis tantum vnius hominis in naufragio seruati verbis, quæ eos in magnam desperationẽ adferendo, consilij inopes facere poterant, ita vt etiam contemnerent quæ dicebantur: non solum non desperexerunt prophetæ verba, sed & in trium dierum angustia deprehensi, tam diligentem & studiosam fecere pœnitentiam, vt & sententiam domini reuocarent. Niniuitæ in triduum coarctati, ad pœnitentiam accelerauerunt: isti autẽ de quibus nunc sermo tempus longissimum ad pœnitentiam acceperant, neque aliquid inde lucri fecerunt. Proinde dominus videns in multam illos incidisse malitiam, celerem illis inducit correctionem, aboletque & è medio tollit peccandi furorem. Propter hoc dicitur Gene. 7. Noe autem erat annorum sexcentorum, & diluuium aquæ factum est super terram. Iam didicimus quod quando indignatio & prædictio domini facta est, Noe fuit annorum quingentorum; quando autem indictum est diluuium, sexcentorum: ita intercesserunt anni inter prædictionem & diluuium cẽtum, & in iis annis nec tantillum quidem profecerunt, licet tãtopere docerentur à Noe arcam fabricante. Et quoniam vidit quotidie incurabiliter illos peccare, & non solum nil ex tanta longanimitate sua proficere, sed increscere vlcera: propterea succidit tempus, ne maiori scilicet pœnę se obnoxios facerent, &c. Chrysostꝰ. super Gene. ho. 25. to. 1.

Obserua propter quæ Iudæi præ Niniuitis reprehensibiles, & condemnabiles fiunt. Niniuitæ gentes extra œconomiam Dei, Ionas ignotus ad eos venit, Ionæ aduentus à nullo prædictus, Ionas nullum edidit miraculum, Ionas neminem beneficiis sibi conciliauit, Ionas nil magni promittebat, Ionas tantum comminabatur exitium, Ionas solum triduo prædicauit. Iudæorum populus in fœdere Dei, Christus oraculis prophetarum promissus, Christus miraculis & doctrina clarus, Christus multos gratuitis beneficiis adiuuit. Cæterum quod Christus concionatur & vaticinatur Iudæis: hoc idẽ etiam concionatur nobis Christianis. Nam si perrexerimus verbum Dei contemnere, & in impœnitentia vitam perducere, abiiciet quidem nos Deus etiam in hoc seculo, in omnia genera afflictionum. Si enim non pepercit naturalibus ramis, vt Paulus ait, quomodo parcet nobis alienis? Claudi. Guillau. super Matth.

Ego quidem arbitror Ionam euomitum suam Niniuitis prædicasse eiectionem in mare, & euomitionem è ceto, quam forte testabatur eorum assertionꝰ qui hominem in mare iactauerant: idque forsan Niniuem adeò commouit. Cæterum, inquit Christus, si opera non fecissem quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent, &c. Palacios super Matt.

Pœnitentiam egerunt. Regina illa Esther cum Deum obsecrare voluit, deposuit vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta susceptꝰ, & pro vnguentis variis, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suũ humiliauit ieiuniis, omniaque loca in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit, & deprecabatur dominum Deum Israël. Sed tu cum ad deprecandum Deum venis, & ad agẽdum cum illo, perpolite & nimis ornate te induis. Iudith quoque induta est cilicio ad agendum cum Deo, & posuit cinerem super caput suum & se humi prosternens, ad dominum clamabat. Sic profecto Deus est inuocandus. Sic beata Magdalena fecit. Sic fecerunt Niniuitæ. Cum Deus Israelitico populo esset iratus, quia vitulum adorauerãt, iussit Mosi vt ex parte sua populo ita nuntiaret: Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te: iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi. Deposuerunt ornatum, & tetendit Moses tabernaculũ, & vocauit illud tabernaculum fœderis, hoc est pacis, reconciliationis, & amicitiæ inter Deum & populum. In festo expiationis cum peccata purgabantur, præcipiebat Deus quod sacerdos vestiretur, non serico, aut pretiosa veste, sed stola linea. Oportet igitur vt tu tam in veste, quam incessu, humilieris coram domino, vt tui misereatur: sicut Daniel dicebat domino: In spiritu humilitatis, & in animo contrito, suscipiamur à te domine. Dauid etiam Psal. 50. Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies. Ideo etiam dominus præcepit loquens de festo expiationis peccatorum: affligentes animas vestras in eo, omnis anima quę afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.

Deus vt ait Apostꝰ. operatur in nobis velle & perficere: tamen liberum arbitrium cooperatur gratiæ. Sic Deus operatur opera bona in nobis, vt nos etiã operemur ea. Et quemadmodum nauis expansis velis, ac felici vento portum contingit, aliquid tamen nauclerus videtur agere, cum vela expansa detineat vt vento impellantur, nam si ea contraxerit, nauis nõ agetur. Sic homo qui gratia & spiritu Dei agitur,

quãuis parum agere existimetur, nihilominus agit: quoniam pandit diuinæ gratiæ arbitrii libertatem, & spiritus sancti flatibus vela bonæ voluntatis expandit: & ita arbitrium cooperatur gratiæ, ideóque opus est vt nos simus operarii, & non otiosi. Cæterũ si senex iam decrepitus à rege peteret vt in suum famulum vellet illum accipere: nonne talis irridendus esset? Sic sunt sine dubio qui pœnitentiam in senectutem protendunt. Porro Niniuitæ incerti erant an veniam essent impetraturi, non enim audierant à Ioanne, pœnitentiam agite, &c. Non viderant Petrum lachrymis consecutum fuisse veniam. Nec Mariam Magdalenam. Sed de venia incerti, pœnituerunt tamen, dicebant enim: Quis scit, si cõuertatur & ignoscat Deus? Vbi est notandum, quod omnia illa quæ illis impedimento esse poterant, reliquerunt. Nam nutrices infantes suos non lactabant, rex non sedebat in solio ad iudicandum, & artes machanicæ cessauerunt, nullique rei intenti erant omnes nisi pœnitentiæ. At nos pœnitentiã accipimus, tanquã rem accessoriã, & accidentariã. Ionas semel Niniuitis prædicauit, & statim se ad Deum cõuertẽtes nos quotidie audimus prædicatores clamãtes, dormimus tamen obturatis auribus. Ionas etiam potius videbatur prædicare & annũtiare desperationem, quam pœnitentiam: nihilominus pœnitentiam egerunt: nos vero ad misericordiam & clementiam vocamur, sed nil tamen minus curamus. Lege Chryso. ho. 11. super epist. 2. ad Corin. tractantem illud, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

In vita præsenti negotiatus es, cum in futura nec mereri quidem possis. Quod appositissimo exemplo ostenditur. Nonnulla reperies oppida, & loca, eaque vilia & infima, in quibus ex beneplacito regio mercatus & nundinæ à certo in certum tempus celebrantur, concesso priuilegio & libertate de solutione vectigalis. Multi tam emptores quam venditores vndique ad cõmercium (vt gaudeant priuilegio) libentissime conueniunt. His durantibus, quidquid de mercaturis & suppellectilibus volueris, facile inuenies. Finitis autem nundinis, & finito priuilegio, nil prorsus simili pretio in oppido parui momenti inuenies. Quæ rogo causa est? nunquid pecunia minoris est valoris, quam antea? Non sane, sed eiusdem. Ergo non ex eo, sed ex defectu mercium atque mercatus id prouenit: quia mercatu confecto, sterilitas & inopia oppidi subsecuta est. Sic sane anima nostra sicut sterilis est vicus, sed ea est Dei bonitas & misericordia, quod nobis à primo vsu rationis ad mortis vsque tempus, & vltimum instans vitæ nostræ, priuilegium emendi, vendẽdi, & negotiandi ad futuram gloriam comparandam concessit. Quapropter post hũc vitæ cursum nihil mereberis, quia mercatus tempus præteriit.

O humanæ malitiæ peruersitatem! ô summam antiqui serpentis calliditatem! qui sic rerum naturam inuertit, sic aduersus innocentiam, & pœnitentiam pugnat: vt quibus nos armis illam tueri contendimus, ipse euertere nitatur. Quam enim nos domini misericordiam producimus, vt à peccatis resiliamus, eadem ipse vtitur vt in peccato securius dormiamus. Si enim ab improbis quæras cur tandiu in peccato obstinato animo perseuerent, protinus ad diuinam bonitatem & misericordiam confugient, ab illaque se animos ad peccandum sumere fatebuntur. Quid magis indignum, & execrandum? Nunquid fons (vt Iacobus Apostolus ait) de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? nunquid vnde vita manat, inde mors manare potest? quomodo ergo bonitas & misericordia Dei, quæ nos à peccatis auocat, eadem in peccatorum perpetratione cõfirmabit? Cum Eliseus propheta puerum suum ad hospitæ filium à morte excitandum, cum baculo suo præmisisset: tanta celeritate ad hoc opus eum voluit proficisci, vt ne salutandi quidem aut resalutandi obuios quosque facultatem permiserit. Nec ego conuenientius hoc in loco aliquid intelligi posse arbitror, quã quod hoc argumento propheta quo ardore, quaque celeritate mortuæ in peccatis animæ subueniendum esset, voluerit demonstrare. Ad vitam enim mortuo reddendam, nil tanta celeritate opus erat, quando nec mors mortem aliam parit. Si ergo negotium hoc tantam exigit celeritatem: quomodo tu vel in posterum, vel potius ad extremam horam, illud differre paras? Nauis cum per rimulas aquam bibit, in portu non in freto sarcienda est. Murus quoque disruptus, in pace reficiendus est: arma etiam ante pugnam, nõ in pugna præparanda. Vnde merito Alexãdrum magnum memorant submouisse ab exercitu quendam militem, qui quo tempore prodire cœperat in certamen, gladium & arma cætera parabat.

Nec illud vel mysterio, vel exemplo vacat: quod nautæ instante mortis & naufragij periculo, & deos suos inuocabant, & opes in mare proiiciebãt, rebus videlicet suis minime parcentes vt vitæ parcerent. Quod certe in illis impendentis mortis metus, hoc in multis improbis etiam hominibus (instante hora mortis) diuini iudicij & gehennæ timor facit. Tunc supplices ad Deum preces fundunt, tunc vota pro salute nuncupant, tunc Ecclesiæ Sacramenta petunt, tunc denique vasa sua in mare mittunt, hoc est, tunc opes suas pauperibus, sacerdotibusque testamento distribui præcipiunt. Hæc hospitalibus, illa monasteriis, alia templorum fabricis, alia captiuis redimendis decernentes. Tunc quidẽ in Deum liberales sunt, qui in vita semper steriles & auari exstiterunt. Hæc quidem omnia probo, & vehemẽter probo: Sed multo tamen magis probarem, si hæc ipsa dum incolumes sunt, spontanea voluntate, non vrgente necessitate facerent. Hoc enim Deo longe gratius est. Non est magnum dare Deo, quod tecum ferre non possis. Vehementer autem me mouet, quod nautæ illi cum sæuientem tempestatem viderunt, à Deo illam immitti propter nauigãtium scelera crediderunt: ideoque sorte criminis autoritatem indagare decreuerunt, vt digno de illo supplicio sumpto, infensum sibi numen placerent. At nos qui quotidianis pene malorum vndis atque procellis iactamur, quos assidue tot clades, tot morbi, tot fames, & atrocissimę pestes vexant: quos ex altera quidem parte immanissimus Christiani nominis hostis, Turcarum princeps, tot cladibus affligit, ex altera vero parte hæreticorum furor infinitis propemodum & nouis quotidie erroribus vexat (quorum alter corporibus, alter animis pestem exitiumque affert) neque oculos in cælum tollimus, neq; scelera nostra vel agnoscimus, vel emendamus, neque hanc tãtam Ecclesiæ ruinam ab irato & infenso numine immitti credimus. Vt appareat dominum hoc quoque tempore pertinaciam nostram illis Esaiæ verbis castigare posse: Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Esa.1.

Super illa verba, quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ, agere poteris de pœnitentia. De qua materia consules D. Bernar. qui agit qualiter homo per veram pœnitentiam potest euadere iudiciũ Dei, super Cantica sermo. 55.

Quæ sit vera pœnitentia, vide eundem libro de interiori domo, capitulo quinquagesimo secũdo, nõ procul à fine operum.

De triplici spirituali animarum medicamento, vide Lauren. Iustin. lib. de Triumphali Christi agone, cap. 9. circa medium operum.

Decem

Decem porro homi. contexuit D. Chrysost. quas inscripsit de pœnitentia, circa princi. to. 5. postea vero sequuntur duo etiam sermones, alter inscriptus de pœnitentia, alter vero de pœnitentia & confessione.

Quod Deus dimittat peccata omnia pœnitentibus, disserit D. Ambro. aduersus quosdam hæreticos qui id negabãt, in duobus libris de pœnitentia to. 3.

Confecit Origenes quandam lamentationem super se & ignorantiis suis, atque lamentatur maxime peccata sua, in quodam ttacta. prope finem to. 4. qui inscribitur, Threni seu lamentationes: incipit autẽ sic: In afflictione & dolore animi incipio.

Ad differendum de pœnitentia inuenies etiã non lõge à fine to. 4. D. August. librum inscriptum de vera & falsa pœnitentia. & circa finem to. 9. inuenies librum quem inscribit de pœnitentiæ medicina. Item alterum inscriptum de vtilitate pœnitentiæ.

Item de pœnitentia, compunctione, & lachrymis, vide D. August. ad fratres in eremo sermo. 11. circa finem to. 10. & vide sermo. 45. & 66.

De pœnitẽtiæ effectibus, ac de eo ꝙ nos ad pœnitentiam agendam mouere debet, déque eius qualitate, & partibus, vide Vincen. Bellua. specu. Moral. lib. 3. par. 10. dist. 1. 2. & 3.

Si nosse cupis quid antiqui Philosophi senserint, consule eundem specu. doctri. lib. 5. cap. 22. & 23.

De pœnitentia vide eundem specu. histo. lib. 15. cap. 87.

Quod res sit iusta & necessaria nos agere pœnitẽtiam, lege Petrum Chrysolo. ser. 167.

Autor. Multa porro inuenies hac de re per Concordantias, & Indices tum doctorum, tum Canonum sacrorumque Conciliorum.

Quod agere pœnitentam debemus, & rasarcire damna vitæ negligenter actæ, lege Senecam, qui ait: Faciamus quod in itinere fieri solet: qui enim tardius exierunt, velocitate compensant moram. lib. 3. naturalium q. ad Luci.

De aquila dicit D. Hiero. exponens cap. 40. Esa. & 1. cap. Michææ, quod cum sentit se iam multum senuisse, adeò vt in sublime volare non possit, nec solem intueri: quærit limpidum fontem, in quo ter immersa, recuperat amissa omnia. Sic nos si forte in peccatis ac vitiis inueterati inuenimur, ita vt intueri solem iustitiæ Christum redemptorem nostrum, non possimus, nec virtutis culmen ascendere: accedamus ad fontem lachrymarum & pœnitentiæ, vbi renouabitur noster interior homo, & præparabitur. Psal. 102.

Si haberes annullũ, & in eo esset lapis pretiosus, valoriſque inæstimabilis, & casu eum perderes: nonne facile pro eo dares annullum? Vita quidem nostra annullus est, & petiosus lapis est Christus: si ergo pedideris Christum, libenter expendere debes vitam tuam, nedum bona temporalia. Nam quamuis annullum perdas, si retines margaritam, relinqueris diues maximè. Quod si sine ipsa margarita remãseris, pauper existes, & in inferno demersus. Cęterum hanc margaritam si amiseris, pœnitentia comite inuenies.

Quemadmodum ferro quod vulnus inflixerit extracto, non statim vulnus relinquitur sanum: sic nobis persuadere nequaquam debemus, quod quotiescumque peccatum fuerit cõfessario detectum, & culpa remissa, remittatur etiam pœna, & sit vulnus ita omnino sanatum, quod amplius non egeamus medicina & pœnitentia.

Sicut per sitim aut famem solent plurima munitissima loca expugnari, & capi, estque præcipuum militiæ strategema capere in primis turrim aquariã, & præoccupare fontes, & itinera, quibus introduci alimenta possunt: ita quoque optima est diligentia & necessaria ad expugnationem nostrarum passionum, atque earundem dominium assequẽdum, cum aduersus nos frequenter insurgant, alimenta detrahere. Caro enim, sanguis, & sensualitas, sunt hostes animæ: vnde ipsis detrahamus oportet nutrimẽtum corporale, vt ea rationi facile subiiciamus, ac dominemur eisdem.

Sicut commissuræ eleganter factæ atque suffultæ, vel intextæ auro aut serico, efficiunt sæpe vestem etiam pulchriorem quam si tota esset integra & sine commissuris: sic quoque nõnunquam talis esse potest commissura seu reparatio rupturæ conscientiæ, ea inquam esse potest pœnitentia, tantique doloris ac lachrymarum ex vere contrito corde manantium, vt talibus commissuris atque iũcturis spiritualibus, reddatur etiam pulchrior anima, & honoratior, ac maiori æstimatione digna, quam antea cum vestis omnino integra erat, & peccatum ipsum patratum non fuerat.

Quemadmodum positus argenteus nummus minus conspicuus in vase quodam, à nobis etiam fortasse nimium separatus, si modo in vas aquam infundas, conspicitur, cum sine aqua eodem loco positus non cõspiceretur: ita imago animæ nostræ, morumq; nostrorum nobis occulta est interpositis vitiis: verũ tamen tanta lachrymarum abundantia esse potest, vt ita demũ videamus, quod aliter videri nõ poterat.

Si rex prælium initurus, omni armorum genere esset armatus, atque similiter instructi omnes cũ eo magnates essent, & tu illi gratias acturus, ac præstiturus obsequium debitum, accederes sericis indutus, cum chirotecis suauem odorem exhalantibus: nũ esses vultu sereno exceptus? Minime id quidem. Sic erit qui vidẽs Christum & sanctos eius in laboribus ac contumeliis positos, studet ac curat vitam traducere deliciis voluptateque confertam.

Pœnitentia nobis commendatur, Esa. 1. E. lauamini, mundi estote.

Pœnitentia ac peccati dolor quantum valeat Esa. 30. C. si reuertamini & quiescatis.

Pœnitentia ac dolor vitæ negligenter actæ causa est vt Deus non attendat, sed deleat ac dimittat nostra peccata Esa. 38. D. tu autem eruisti animam meã.

Inuitat nos Deus ad pœnitentiam, Esa. 46. D. audite me duro corde.

Pœnitentiam agamus in tempore, antequam adĩtus nobis intetcludatur ad eam Esa. 55. B. C. Quærite dominum dum inueniri potest.

Pœnitentiam agamus, & Deus nos ad suam gratiam suscipiet Iere. 3. A. vulgo dicitur.

Pœnitentiam agamus, sin minus delebimur Iere. 4. A. circuncidimini domino. Et postmodum, laua à malitia cor tuum Hierusalem.

Quid dicere Deo debeat pœnitens Iere. 14. A. B. si iniquitates nostrę &c. Tibi peccauimus &c. & D. cognouimus domine impietates nostras.

Pœniteamus, ad Deum conuertendo nos ipsos Iere. 25. B. reuertimini vnusquisque à via sua.

Quo pacto sit à nobis agenda pœnitentia Baruch. 2. C. D. auertatur ira tua.

Pœnitentia quomodo agenda Dani. 9. A. B. peccauimus, iniquitatem fecimus.

Quomodo recipit Deus pœnitentiam Danie. 10. C. noli metuere Daniel.

Pœnitentia est maxime necessaria Michęæ 7. B. itam domini portabo quoniam peccaui ei.

Pœniteat nos, quandoquidem & isti pœnitentiã agebant Iob 3. D. antequam comedam suspiro.

Pœnitentia est res maxime necessaria Iob. 11. C. si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris.

Agamus pœnitentiam, & Deus nobis facile indulgebit, Iob 22. D. si reuersus fueris ad oĩpotentem.

Pœnitentia mundat animam, Prouer. 25. Auferru biginem de argento.

Non differamus pœnitentiam, Ecclesiastes 9. C. quodcunque facere potest manus tua.

Expectat nos Deus vt pœnitentiam agamus, Sap. 12. B. non quia impotens eras.

Pœnitentiam agamus Sapi. 15. A. si peccauerimus rui sumus.

Non obliuiscamur pœnitentiæ Ecclesiastici 5. B. de propitiatu peccatorum.

Pœnitentia quantum possit Ecclesiasti. 20. B. est qui multa redimat modico pretio.

Quamuis aliquando non pateat pœnitentiæ fructus, est nihilominus fœcundissima, Gene. 29. E. videns autem dominus.

Pœnitentia difficilis quidem est, & radice amara, sed tamen eius fructus sunt suauissimi, Nume. 13. D. venimus in terram.

Tametsi pœnitentia appareat aspera, irrigatur tamen à Deo ac refocillatur, Deute. 11. B. terra enim ad quam.

Pœnitentia constat ex tribus, quibus completis intratur in terram promissionis, Iosue 1. D. post diem tertiam transibitis Iordanem.

Pœnitentia habet 3. partes, Iosue 2. C. ibique latitate tribus diebus.

Pœnitentia nos ducit ad Deum, Ruth. 3. A. lauare igitur & vngere.

Pœnitentia sit rationabilis 1. Reg. 17. E. cœpit tentare.

Pœnitentia quantum sit necessaria, 2. Reg. 12. C. peccaui.

Pœnitentia cum humilitate quantum valeat & impetret apud Deum 3. Reg. 21. G. scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam.

Multum oportet vt agamus pœnitentiam, 2. Para. 6. G. peccauimus, inique fecimus.

Pœnitentia coacta ac ficta quam sit inutilis 2. Machab. 9. C. à quo non esset misericordiam consecuturus.

Graue damnum est pœnitentiam differre, Roma. 2. A. an diuitias bonitatis eius.

Pœnitentiam agamus, à domino veniam cõsecuturos nos esse sperantes, 1. Ioan. 2. A. si quis peccauerit.

Quod pœnientiam agere debemus cum maxima veniæ cõsequendæ spe. Hiere. 28. B. cum quęsieritis.

Quam necessaria sit pœnitentia ad Colos. 1. D. adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.

Pœnitentia est necessaria, Matth. 7. B. intrate per angustam portam.

Deus nos ad pœnitentiam agendam præstolatur, Lucæ 13. B. arborem fici.

Quo pacto sit agenda pœnitentia inuenies mirè descriptum & cumulate Psal. 6. &. 50.

Autor. Si plura de pœnitentia volueris, leges Concordantias in subsequẽtibus dictionibus, pœnitere, pœnitens, pœnitentia, contritus, contritio, conuertere, conuersus.

Si velis agere de more ipsius Dei ac consuetudine expectãdi homines ad pœnitentiam, & de hortationibus & admonitionibus factis hominibus ante diluuium, & Niniuitis: & alia videre huc spectantia, vide D. Chrysost. ho. 24. & 25. super Gene. to. 1. & super 2. ad Cor. 2. hom. 4. to. 4. & vbi explicat verba illa Psalm. 7. Deus iustus, fortis, & patiens: nunquid irascitur, &c. to. 1.

Si velis agere quãta maiore adstringimur nos obligatione quam Niniuitæ ad pœnitentiam agendam de peccatis, inuenies accommodata quædam apud Chrysost. de pœniten. ho. 1. circa finem to. 5.

Viri Niniuitæ. Quasi diceret, barbari sine prophetis, doctrina, & miraculis, sola hominis prædicatione, tantam pœnitentiam egerunt, vt indignationem à se auerterent: ideo isti talem generationem cõdemnabunt, quæ cum habuerit tot magistros, totque exempla ac prophetas, noluit conuerti. Autor.

Tribus diebus, &c. D. Hieron. super Ionam ita habet: Quemadmodum si quis proficisceretur hora nona ex aliquo loco, & peruenire quo tendit alio die hora tertia, quamuis diceretur is impendisse duos dies in itinere, certe non diceremus id esse falsum, quam uis dies non essent perfecti: ita hic locus potest explicari. Si quis meliorem habet interpretationẽ, ea libẽter amplectatur. D. Hiero. super Ioan. 2. to. 6.

Videbantur vtique Nitiuitę minus aliquid habere vnde sibi persuaderent Dei misericordiam, imo videbantur potius aliter debere intelligere, iuxta ipsum Ionam, cum non dixerit, Nisi feceritis pœnitentiam, plectemini, sed tantum dixit: Adhuc 40. dies, &c. Quare si barbari homines hoc penetrarunt. & sibi persuaserunt, nempe sibi agendam esse pœnitentiam, quamuis certi non essent de remedio: an nõ magis nobis debemus persuadere pœnitentiam, qui tam multis monemur ideo peccata nobis fore condonanda? Chrysost. epis. 5. ad Theodorum to. 5.

Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic. Ideſt regina Saba, de qua habetur 3. Reg. 10. Et dicitur hic regina Austri, quia regnum eius est in Australi parte respectu Hierusalem. Per reginam Austri simplices significantur, sapientiam Christi deuote quærentes, quorum salus secundum sententiam Saluatoris præponitur saluti eorum qui sunt multum literati, de sua tantum scientia præsumentes. Glos. Lyræ super Matthæum.

Per reginam Austri significatur rationalis anima, quæ si bene regat vires inferiores secundum dictamen rectum, dicitur regina. & hæc regina venit ad verum Salomonem Iesum Christum per deuotionẽ, afferens ei aurum sapiẽtiæ, gemmas virtutum, & aromata bonæ famæ, istis vtẽdo ad honorem diuinum. Glos. Lyræ super Luc. 11.

Hæc cum esset gentilis, & mulier, tantam longitudinem itineris conficere propter infirmitatem sexus non est impedita. Concupiscentia enim sapientiæ, infirmitati dabat virtutem. Ipsi autem viri & sacerdotes, quorum proptium esse debuerat amare sapientiam, ante oculos suos & in medio gremio sapientiam positam, contempserunt. Illa ad hominem currit, isti à Deo recesserunt: illa vt semel nuda verba audiret, isti quotidie diuinitatis opera videntes blasphemabant. Illa famam tantummodo de Salomone audiens concupiuit: isti autem veritatem de Christo videntes, abierunt. Illi multa munera obtulit, vt audiret eum: isti autem nec præmia regni cælorum accipere volunt vt credant. Quid esset illa factura, si audisset mortuos resurgere, cæcosque videre? Quomodo cucurrisset, si etiam claudos currere vidisset? Non dixit illa, cui commendabo gubernationem regalium necessitatum, ne forte dum vado, & redeo, tanto spatio aliqua contra imperium meum aduersa nascantur? Cæterum hæc verba non solum tunc, sed ad omnes Christianos inobedientes similiter nũc dicit: quia à peccatis non recedunt domino illis quotidie prædicante, Agite pœnitentiam, appropinquabit regnũ cælorũ. Regina Austri surget in iudicio cũ Christianis istis, & condemnabit eos: quia ab vltimis partibus terrę venit audire sapien

sapientiam Salomonis, & isti de domibus suis, vel plateis, in quibus sedent nil agentes: nolunt venire, & audire sapientiam Christi in scripturis. Et quid dico de domibus suis nolunt venire? Multi & de Ecclesia ipsa in qua loquitur Christus, exeunt, & solum relinquunt dicentem. D. Chrysost. in non absolho. 30. to. 2.

Scriptura lib. Reg. refert quomodo Regina Saba gente sua, & imperij dignitate relicta, per tot difficultates itinetis venerit in Iudæam, volens audire Sapientiam Salomonis: quodque multa munera ei obtulerit, sed plura receperit. Beda ho. in feria 4. post domi. 1. Quadra. to. 7.

Signo Ionæ adiungit dominus aduentum Reginæ Saba, vt si virile Niniuitarum opus nos ad virtutem non stimulat: stimulet reginæ facinus. Fœmina erat illa. & regina: atque ideo diues, & delicata. Palacios super Matthæ.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Possunt hæc ad vnumquemque baptizatum referri, qui post acceptam gratiam negligit operari bona, sed potius originalibus peccata actualia adiicit. Diabolus exit ab homine cum in baptismo pompis illius homo abrenuntiat, quem deserens ambulat per loca inaquosa: quia corda sanctorum ab omni mollicie fluxarum cogitationum, & humore omni semper libidinis, immunia, callidus tentator explorat, quærens requiem, & non inuenit. Quia qui in prauis cogitationibus & actibus pascitur: in mentibus fidelium omnia sua tentamenta cessare perpendit. Glos. Ordi. super Luc. 11.

Quia in bonis requiem habere non potest, ad malos redit: tentare namque bonos diabolus potest, requiem autem habere in eis non potest. Quoniam nunc eorum orationibus, nunc eorum fletibus, nũc eleemosynis, aliisque similibus, solicitatur, mouetur, & pellitur. Eusebius in feria 4. Post primam Domi. Quad.

Reuertar in domum meam. Reuertar ad illius conscientiam vnde in Baptismo eiectus fueram, & pristinam possessionem consueto domino mihi subiiciam. Glos. Ordi. super Luc. 11.

Mentiris superbe: non est domus illa tua, Dei est, emit eam ille sanguine suo. Ecclesiæ illa anima est, cuius filia est: & sui est quisque arbitrij. Posuit enim Deus quemque in manu arbitrij sui. Cur ergo mentiris, dicens esse tuam? At nonnihil est cur domum suam dicit: habet enim in ea fomitem sibi fauentem, habet legem carnis repugnantem legi mentis, & captiuitatem in lege diaboli. Si hostis noster in nobis habet, qui arcẽ ei se daturos quasi promittunt: quid miraris si domum dicat suam? Adde paucos esse à quibus exierit diabolus, quin aliquid pessimi in eis seminis relinquat: aliquid scilicet virij prioris, & propensionis iniquę. Hac ratione domum sibi audet vendicare, quam suo insigniuit charactere. Palacios super Mat.

Inuenit eam vacantem. Id est torpentem ab operibus bonis, & simulatione virtutum per hypocrisim ornatam. Beda super Matthæ. lib. 2. tomo. 5.

Hoc charissimi de Christiano etiã baptizato intelligendum est: per gratiam enim baptismi vacuatur quisquam omnibus malis, postea vero cum Dei adiutorio laborare debet, vt impleatur omnibus bonis. Nam si aliquem liberum à malis, vacuumque à bonis inuenerit inimicus, adducit secum alios spiritus nequiores se, & erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Et ideo vnde expulsa est luxuria, introducatur castitas: vnde eradicata est auaritia, plantetur eleemosyna &c. D. Augustin. de tempore sermo. 84. tomo. 10.

Domus vacans est vbi non fit ignis charitatis. Hæc ruinosa fit, & habitaculum murium, canum, & immunditiarum, sicut legitur de templo 1. Macha. 4. Item 2. Reg. 11. de Dauid otioso. Ezechi. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & otium ipsius. Hugo Cardin. super Matth.

Putamus sat esse si peccata semel confiteamur, deinde viuimus otiosi, & in vtramque aurem dormimus. At præsentissimum periculum est nobis ex otio: otium enim aperit portas hosti intrare cupienti. Ideo Paulus admonet vt simus solicitudine non pigri, spiritu feruentes, domino seruientes, orationi instantes. Et alibi, vestram salutem cum timore & tremore operamini. Et domini verbum est: prima opera fac, id est, non otiosa, & ordinis infimi, sed primi. Sed quid, malum ne est animam ornare, & scopis mundare? An non Dauid dicit, Exercitabar, & scopabam spiritum meum? An non reginam, quæ à dextris regis sedere debet, ornari oportet varietate? bonum quidem est ornatam esse animam, & scopis tersam: sed malum est ornatam & mundatam solum esse, nisi se mundet semper, & ornet. Nõ sat est quod præteritum est, nisi & præsentia adhibeas. Mundabis te igitur quotidie, dolens, quotidiana crimina: ornabis te quotidie, & quotidie dona augere contendes. Palacios super Mat.

Sæpe fit vt eorum maxime diabolus! interne corda possideat, ac omnibus vitiis impleat: qui externe vel maxime ornati videntur. Id quod vel maxime in Pharisæis vides. Quid magis ornatum & mundum si externe eos inspicias? vide autem qui sub hac specie sanctitatis latuerit. Ferus super Matt.

Vacantem quidem, quia non inuenit ibi charitatem, nec fidem rectam, nec humilitatem, nec patientiam, nec iustitiam, nec misericordiam, nec cætera quibus sanctorum animæ muniuntur. Qualem igitur eam inuenit: talem eam inuenit qualem inuenire desiderat. Inuenit eam malis scopis mundatam, & malis ornamentis ornatam. Malæ scopæ, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt. Luxuria porro, & fornicatio, voluptas, superbia auaritia, discordia, omnisque immunditia, ornamenta diaboli sunt. His autem ornamentis inuenit eam ornatam. Eusebius feria 4. post 1. Dom. Quadra.

Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Septem vitia septem virtutibus spiritualibus contraria. *Nequiores.* Quia non modo habent vitia, sed & bona simulant: tango nequiores, quanto callidiores. Glo. Ordi. super Mat.

Solet septenarius numerus in sacro eloquio pro vniuersitate accipi: quia omne seculi tempus per septem dies voluitur. Per septem igitur alios nequiores spiritus, vniuersitas omnium vitiorum designatur. Beda in Feria 4. Post primam Dominic. Quadra. tomo. 7.

Quamuis dæmones ab inuicem sint discordes, & visio vnius alteri sit horrori, nec dilectionis sit mutua visio inter eos, nec amabilis conuersatio: ad perditionem tamen nostram, & ad tentandum, inferendumque mala, prout dominus ipse permiserit, sunt vsquequaque concordes, & aduersus nos acies concorditer dirigunt. Et dum perstrepuerit ipsorum terrimæ buccinæ sonitus, & eorum pallida tuba tristem dederit sonum, sine discordia omnes parantur ad bellum: omnes obedientes ad tenebrosum impe-

rium, impetuosa voluntate perficientes prout possunt ipsum edictum. Qui si non tantum nocent quãtum cupiunt, à diuina potestate per se aut per cælicos angelos coercentur: vocati autem adinuicem se consociant, vt acrius lædant. Assumpsit igitur vnus malus septem alios nequiores: quia sicut in cælestibus hierarchiis atque ordinibus ante casum fuerunt nobiliores, aut excelsiores, ita post casum ipsum in se ipsis facti sunt nequiores. Simon de Cassia super Euange. lib. 8. cap. 29.

Hæc non ad illos solum, verum etiam ad nos ipsos dicta esse credamus. Nam si diuina luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, rursus ad eandem malignitatem reuertimur: grauior punitio nos profecto expectabit: ideo Christus quoque paraliticũ admonebat, dicens: Sanus iam factus es, noli ergo amplius peccare, ne quid peius tibi eueniat. Sed quid peius inquies illi accidere poterat, qui triginta & octo annos ægrotus iacuit? Multa profecto peiora & grauiora diuturno illo morbo possent excogitari. Magna enim suppliciorum atque punitionum copia apud Deum est: quamuis per ineffabilẽ misericordiam eius iusta ipsius ira clementer mitigetur. Quod & ad Hierusalem per Ezechie. dicit: Vidi enim te ait pollutam sanguine, & ablui atque vnxi: & factum est tibi nomen in pulchritudine tua, & fornicata es cum finitimis tuis. Ideo nunc grauiora illi peccanti minatur. D. Chrysost. super Matth. ho. 44. tom. 2.

Nimis longum est & pene infinitum omnia testimonia scripturarum velle colligere quibus apparet non solum non esse mitiorem causam eorum, qui scientes, quam qui nescientes vitam nequissimam ducunt: verum etiam hoc ipso esse grauiorem 1. Timo. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorãs feci. Caueamus ergo diligenter non facere vllo tempore homines male securos, dicẽtes eis quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternam esse venturos. Sed potius sanam doctrinã semper Dei magistri in vtroque teneamus, & sancto baptismo consona sit vita Christiana. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum, idem etiam dixit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, &c. D. Augustinus libro de fide & operibus cap. 25. & 26. tom. 4.

Ioan. 3.

Mat. 5.

Melius est, id est, minus malum, vt dicitur 2. Petri 2. viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum conuerti. Hugo Cardi. super Mat.

Sicut in morbo corporis periculosius laborat qui semel liberatus, suo vitio in morbum incidit: sic vere periculosius est relabi in peccatum post acceptã gloriam quam primo in peccatis esse vel fuisse. *Peiora prioribus.* Quia iam cum peccato ipso coniuncta est ingratitudo. Item peiora, quia grauior vltio sequetur. Peiora demum, quia semper magis excęcatur talis, ita quod iam sine vllo timore peccat. O cæcitas nostra! brutũ animal si semel ceciderit cautius graditur, nec faciliter reduci potest ad eum locum vbi semel cecidit: nos autem omnibus bestiis miserabiliores, ne periculum quidem videmus. Ferus super Matthæ.

Super illa verba, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus, tractare poteris quam mala sit atque damnosa reincidentia in peccatum, & leges D. August. in sermo. 281. de tempo. to. 10.

Mirabile ac stupendum est considerare nostram cæcitatem dum in ipsa peccata relabimur, præsertim cum animalia bruta & rationis expertia vt decipula capiantur, & laqueis in quos semel inciderũt, necessarium sit vt loca mutentur, & fiat mutatio in laqueorũ positu: nos vero in eosdem prorsus laqueos reincidamus, & eisdem omnino vinculis adstringamur, eodem in loco etiam. Vide D. Hiero. in epist. ad Furiam de viduitate seruanda to. 1.

De graui damno quod præstat in idem peccatum relapsus, consule D. Grego. in explana. Psalm. 4. Pœnitentialis.

Quam grauia sequantur incommoda ex lapsu in idem peccatum, mirabiliter tractat D. Grego. dicens, in flagellis positos flagellis digna committere, contra ferientem est spiritualiter superbire: & ferientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iuste cessare, & Deum iniuste à sua velle vltione cessare. Vide D. Grego. lib. 8. epist. c. 41.

Non simus veluti canes reuertentes ad vomitũ, in relapsu peccati, nec similes existamus vilibus animalibus, quæ in eodem cæno reuoluuntur. Prouer. 26. & 2. Petri 2. Vide D. Chrysosto. super Gene. ho. 6. to. 1. prope principium homi.

Et erunt nouissima, &c. Non est intelligendum quod peccata quæ semel Deus dimisit reuiuiscant seu quod iterum Deus aliqua puniat, tametsi postmodũ quis peccarit: sed intelligendum est quod peccata quæ post alia dimissa committuntur, sunt grauiora, quam si antea nulla commisissent. Tanto enim magis aggrauatur peccatum, quanto sæpius Deus in peccatorem vsus est misericordia. Vide D. Th. 3. par. q. 88. art. 1. 2. 3. & 4.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dicit autem ei quidam: ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te. De beata virgine notandum, quod tanquam pia mater filium quærebat patuulum, quia eius absentiam non sustinebat, Lucæ 2. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Quærebat adultum, quia eius præsentia satiari nõ poterat, vt hic. Quærebat magnum factum, scilicet cruxifixum: quia iam eius præsentiam amittebat. Ioan. 19. Stabat iuxta crucem mater Iesu. Sed inuenit eum in primo in medio doctorum interrogantem: nunc in medio populorum prædicantem: vltimo in medio latronum patiẽtem. Primo in templo, secundo in domo, tertio in patibulo. Gorra. super Matth.

Videns diabolus quia persuadebat populis Christus esse se filium Dei, dicens, Ecce plusquam Ionas hic, Ecce plusquam Salomon hic: timuit ne si Dei filius cognoscatur ille qui putabatur homo, ipse derelinqueretur ab omnibus. Ideoque venit aliquis quasi à diabolo euocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur, dicens. Ecce mater tua, &c. ac si dicat: Quid gloriaris Iesu, de cælo dicens te descendisse, qui habes radices in terra! Ecce mater tua, & fratres tui. D. Chryso. in non absoluto, homilia trigesima, tomo secundo.

Isti erant cognati ex parte matris, scilicet filij sororum Mariæ, & potissime illius Mariæ quæ vocatur Maria Iacobi Marci 16. & Lucæ 24. mater Iacobi, siue Maria Cleophe. Isti autem fratres erant, Iacobus, Ioseph, & Simõ. Potest autem dici quod quidam fecerunt hoc vt ponerent Christum in perplexitate: vt si propter cognatos cessaret à prædicatione, accusaretur quasi præponens carnalia spiritualibus: si vero non cessaret, videretur matrem contemnere, permittens eam & fratres manere foris expectantes. Tales enim sæpe propositiones ei faciebãt, vt eum quasi perplexum tenerent. Sic dicit Hiero. lib. 2. super Matth. to. 9. Abulensis super Matthæ. q. 37. & 38.

Nemini nisi filio, virginis amor inhæserat, nec erat humanis amoribus apta, quam spiritus sanctus amoribus diuinis aptauerat. Solita solum erat diligere, quem diuinę conceperat atque genuerat. Alio non vinculabatur amore, vnici sui dilectione contenta, præter quem amare nesciebat, priuari nolens ad modicum, quin requireret filium, semper alloquiis insatiata manens. Miser est animus hominum ineptis amoribus deditus: in his vero qui Christi charitate nectuntur, neque blandiméta, neque tormenta, dulces nexus soluere potuerũt. Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Virgo ab aliis actionib. vacãs, iura honestissimę dilectionis exequitur, requirens iuste dilectum, non tantum quia suus filius erat ex carne, quã quia Dei erat ex deitate. Nõ verebatur Christifera & Christicola virgo Christũ expectare præ foribus, & inter multitudinem disciplinabilem exhibere formã: vna super cęteros æquanimiter ipsum auditura Christum, cum cæteris assistebat, & inter auditores humiles ipsa in humilitate procliuior erat: nec ausa in filium vt eum autoritate materna deposceret, sed profunde subdita silenter stabat ad verbum, cedens doctrinæ publicæ pro publica vtilitate, potius quam vellet sibi filiũ reducere in priuatam, nec violauit diuinam doctrinam, quam ipsa toto hausto pectoris dulcisone capiebat. Nec ipsa dixit quod ille ludæus protulit quod ei loqui vellet, sed Christum increpare satagens ludæus dicit quod ex paupercula natus esset ille alta docens &c. Simon de Cassia lib. 2. c. 26. & 27.

Chrysostomus homilia 45. in Matthæ. hunc exponens locum, Ecce mater tua & fratres tui, &c. videtur tribuere Mariæ virgini nonnihil ambitionis, & inanis gloriæ, his verbis: Ex facto matris nonnihil importunitatis accessit: considera tam matris quam fratrum importunitatem. Nam cum debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, aut saltem expectare foris sermonis finem, ac demum accedere: ambitione quadam ac ostentatione commoti, foris eum in præsentia omnium euocauerunt, vt videretur facile, ac magna cum potestate, Christo imperare. Vnde patet inani quadam gloria illos commotos fuisse, nil adhuc magni de ipso cogitantes: & cætera quæ sequuntur. Et rursum ho. in Mat. 46. laudans discipulorum Christi prudentiam, qui temporis opportunitatem expectarunt ad interrogandum magistrum, inquit: Sic matrẽ quoque ac fratres fecisse decuisset, non autem palam ostentationis causa foras euocasse. Idem enarrans miraculum aquæ in vinum conuersæ homi. in Ioan. 20. clarius etiam ascribit ei affectum aliquem superbiæ, inquiẽs: Optabat enim hoc, id est, miraculum fieri, vt ipse hominum gratiam sibi conciliaret, & ipsa clarior filij gratia efficeretur. Et fortasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius, cum dixerunt: Ostende teipsum mundo cupientes eius miraculis sibi famam comparare. Ac paulo post idem agens (siquidem non adhuc debitam de ipso opinionem habebat) sed more matrum, Maria iure omnia se filio præcepturam censebat, cum tanquam dominum colere ac reuereri fas esset. Animaduertit hunc locũ apud Græcos Euthymius in Commentariis, nec ausus est improbare. Apud Latinos vero Thomas in tertio summę Theologicę volumine q. 27. vbi Chrysostomum ciuiliter excusans, ait eum ex impetu dicendi, sicut oratoribus & concionatoribus interdum vsu venit, excessisse: possęque etiam inquit eius verba sic exponi, vt intelligamus Christum cohibuisse in matre affectum, nõ qui ei reuera inesset, sed quem alij forsitan existimare potuissent eidem inesse. Quam excusationem libentissime suscipimus, ne Deiparam virginem insigni illo suo integritatis priuilegio fraudemus, quod ei Tridentinæ Synodi canon subiectus attribuit. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere: atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse iustificatum, aut contrà, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodũ de beata virgine tenet Ecclesia, anathema sit. Sixtus Senen. lib. 6. biblio. sanct. annota. 58. & consule Annota. 103. & 151. lib. 5. & Annota. 138. 139. 140. & 185. li. 6. Vide ergo concionator, quam cautè legendi sint doctores.

Matt. 13.

Ioan. 2.

Ioan. 7.

At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei: quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Non recusat obsequia matris: sed præfert ministeria patris: fratres non contemnit, sed opus spirituale præfert cognationi, vt & nos carni spiritum præferamus, Mat. 10. qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Glo. Ord. super Matth.

Christus non dixit ista verba aspera propter matrem, & fratres, sed propter vocantem qui vel malo animo, vel imprudenter eum vocauerat. Vnde non dicitur quod ipse dixit: quæ est mater mea? Sed dicitur, Respondens dicenti, ait: Quæ est mater mea? Abulensis super Mat. q. 37.

Is vere honorat aliquem, qui & externe reuerentiam exhibet, & interne magna de ipso sentit. Vtrumque parentibus debes: qualescunque enim sunt, tamen parentes tui sunt, & ob id eis præcepto diuino debes honorem. Verum & illud quoque obseruandum, quod ante illud præceptum tria præcedunt præcepta erga Deũ: ex quo clare innuitur, quod ante omnia & omnibus Deus sit præferendus. Maledictus omnis amor, qui me ad hoc impedire nititur: non es pater meus, aut mater, qui consulis vt supremum patrem offendam. In huius rei figuram Christus iuuenem cupiẽtem sepelire patrem, prohibuit. Verum graue est affectus huiusmodi reprimere: & ob id Christus promissionem adiecit, qui inquit reliquerit domum, vel fratres, &c. centuplum accipiet. Ferus super Mat.

Hi sunt mater mea, qui me credentium cordibus generant: hi sunt fratres mei, qui faciunt opera patris mei. Glo. Ordin. super Matt.

In tantum est mihi aliquis propinquus, in quantum est spiritualibus actibus intentus. Glo. Lyrę super Matth.

Vocantur fratres Christi omnes qui faciunt voluntatem Dei: quia fratribus competit esse cohæredes eiusdem hæreditatis, qui autem faciũt voluntatẽ Dei, sunt cohæredes Christi. Roma. 8. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Matthæ. 28. Ite, & dicite fratribus meis. Abulen. super Matthæ. quæst. 38.

Magna profecto dignitas est Christianorum credentium, & verbo Dei adhærentiũ: efficiuntur enim frater, mater, & soror Christi. Ioan. 1. dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt, &c. Clau. Guill. super Matth.

O admirandam virtutem, quæ ad se accedentes ad tantum extollit honorem, vt ipsos Christi faciat esse cognatos! Euthymius super Matth.

Super Epist. & Euange. duas habet conciones D. Anto. initio pri. par. Theolo.

Feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ secundum vsum Romanum.

EGRESSVS *Iesu seceſſit in partes Tyri, & Sidonis: & ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamauit, dicēs ei: Miſerere mei domine Fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur. Mat. 15. Marci 7.* Relictis calumniatoribus, intrat fines Tyri & Sidonis, vbi filiam Chananææ liberat, & per fidem gentilis fœminæ perfidiam Scribarum arguit. Gloſ. Ordi. ſuper Mat.

Iſtæ duæ vrbes ſunt in terra Phœnices, & ideo mulier iſta quæ hic vocatur Chananæa, vocatur Syrophœniſſa Marci 7. id eſt, de terra Phœnices: & ſunt in terra quæ data eſt in ſorte Iudæis. Data enim fuit eis tota terra Chanaā, & eam ſorte diuiſerunt. Vnde Tyrus & Sidon ſunt in ſorte tribus Aſer, vel iuxta illam. Vide Ioſue 19. Sunt autem iſtæ duæ vrbes in littore maris, maxime Tyrus: nam eſt in corde maris, vt dicitur Ezechie. 27. & hoc quia tota circundatur mari, niſi ex vna parte, qua eſt acceſſus per terram. Diſtat porro Sidon à Tyro per vndecim leucas, vel quaſi: vt patet in lib. de ſitu terræ ſanctæ, vt tradit Marinus Venetus. Erat autem olim Tyrus ciuitas famoſiſſima, regni metropolis: de qua erat Hitam rex Tyri, qui erat amicus Dauid: miſitque ei ligna ad ædificandum. Eſt porro tam Tyrus quam Sidon ad radices libani, ex parte occidentali montis Libani, vbi Libanus maxime appropinquat ad mare: & ideo Tyrij & Sidonij cædebant omnia ligna de monte Libani, quæ poſita fuerunt in templo domini. Vide 3. Reg. 5. & 2. Paralipo. 2. Et ita Tyrij & Sidonij erant boni cæſores lignorum. Sic dicit Salomon ad Hiram Regem Tyri: non eſt in populo meo qui ſciat ligna cædere ſicut Sidonij. Fuit Tyrus ſemper vrbs glorioſior quam Sidon, & potiſſime propter magnum conuentum mercatorum. In ea quippe erant celebres ac frequentes nundinę, concurrētibus illuc per mare gentibus multis. De huius laudibus ponuntur multa Ezechie. 27. Et de hac vrbe fuit Dido regina, quæ Carthaginem magnam in Libia condidit: quæ vrbs ſeptuaginta annis ante vrbem Romam condita eſt. Vnde habitatores Carthaginis dicuntur & Tyrij. Vrbs antiqua fuit, inquit Virgilius, Tyrij tenuere Coloni. Cæterum fuit euerſa per Alexandrum hæc ciuitas, quia reſtitit ei propter Darium regem Perſarum: ſed & poſtea habitata eſt. Sidon erat olim longa ciuitas, poſita in littore maris: poſtea vero penitus diſſipata eſt, &c. Abulen. ſuper Matthæ. 15. q. 24.

Filia eſt anima vel cōſcientia cuiuſlibet intra Eccleſiam diabolo mancipata, pro qua mater Eccleſia rogat, vel ipſe homo pro fœdata conſcientia. Gloſ. Ordi. ſuper Mat.

Marcus dicit quod venit ad Ieſum intra domum, & hoc eſt verum primo: ſed quia eam nō exaudiuit, ſecuta eſt eum in itinere, clamans: audiueratque Chriſtum promiſſum Iudæis deſcendere de genere Dauid. Glo. Lyræ ſuper Matt.

Cum acceſſiſſet hæc mulier, nil aliud niſi Miſerere mei exclamabat, & ingens ſpectaculum clamore ſuo concitauit: erat enim certe miſerabilis quædam res mulierem aſpicere tam magno dolore coactam exclamare. Mulierem inquam, & matrem, & pro filia quæ male vexabatur. Miſerabilis res erat exclamantem præ dolore aſpicere. Non domū ſuam vt regulus ille adducere conatur, nec anſa fuit ad magiſtri ac domini conſpectum dæmoniacam filiā adducere, nec dicit, Miſerere filiæ meæ, ſed miſerere mei. Nam illa inſenſata iacet, ego veto illa ſum quam ſenſus morbi non fugit, quæ ſentiens, atque intelligēs, inſanio prope, ac mille vexor ærumnis. D. Chriſoſt. ſuper Matt. ho. 53. to. 2.

Noua res & miranda! Iudæi fugiunt, & mulier ſequitur. O præclara confeſſio! Euangeliſta fit mulier, deitatem eius, & diſpenſationem annuntians: confitetur enim & dominationem, & incarnationē eius. *Miſerere mei.* Non inquit, habeo conſcientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam: ſed ad miſericordiam confugio, ad tranquillum portū peccantium: ad miſericordiam confugio vbi ceſſat iudicium. Quia ibi ſpero me remedium inuenturam tantarum calamitatum. Ad miſericordiam confugio, vbi ineffabilis ſolus eſt. Dic mihi mulier, quemadmodum auſa es cum ſis peccatrix, & iniqua accedere ad eum? Ego inquit noui quid agam, propterea, inquit, deſcendit, propterea carnē aſſumpſit, & homo factus eſt: vt ego ei audeam loqui. Surſum in cęlis Cherubim eū tremunt, & Seraphim metuunt, & deorſum meretrix loquitur cum eo. Propterea veniſti, propterea carnem aſſumpſiſti, propterea factus es quod ego ſum, miſerere mei. Quid faciam miſera, aut quò pergam? Diſcedere peregre non audeo, nec illam ſolam domi relinquere: in domo ſedere non poſſum, quia intrinſecus eſt inimicus: fluctus in portu ſunt, in tranquillitate tempeſtas eſt, & quo nomine eam vocem inuenire non poſſum. Mortuā ne appellem? aī mouetut. Viuam appellem?, ſed neſcit quid faciat. Si mortua eſſet filia mea, non talia pateretur: tradidiſſemque corpus in ſinum terræ, & tempore euoluto obliuionem malorum haberem, dolorque conquieſceret. Sed nunc corpus eius eſt ſine ſenſu viuum: cerno oculos tranſuerſos, aſpectū ſanguineum, manus intortas, crinem diſſolutū, contortum collum, ora ſpumantia: inimicum incedentē & non apparentem: tortorem clauſum, & flagella reſonantia: neminem interrogantem, & illam cum clamore loquentem, Miſerere ergo mei. Conſidera obſecro mulieris Philoſophiam, inſpice animam generoſam: non perrexit ad diuinos, nō vocauit magos, non alligaturas quæſiuit, nō impoſtatrices mulieres adduxit, illas quæ ſolent dæmones prouocare, & incantationibus ſuis vulnus augere. Reliquit illa omnia, dimiſit diaboli falſitates, omnia purgamenta contempſit, & venit ad ſalutarem animarum noſtrarum portum. D. Chryſoſt. ex variis in Mat. locis ho. 17. to. 2.

Inde nouit vocare filium Dauid, quia egreſſa iam fuerat de finibus ſuis: & errorem Tyriorum ac Sidoniorum fidei commutatione dimiſerat. Nehemiæ 9. In tempore tribulationis clamauerunt ad te, & tu de cælo exaudiſti eos. Hiero. lib. 2. ſuper Matthæum tomo 9.

Eſt vexatio curioſa in diuitiis acquirendis, laborioſa in voluptatibus explendis, fruſtatoria in honoribus ambiendis, conſolatoria in tribulationibus amplectendis, delicioſa in peccatis puniendis. Hugo Cardi. ſuper Matth.

Stude Chananæam imitari: at inquies, filiam male poſſeſſam non habeo. Habes tamen animam immūdo ſpiritu occupatam. *Miſerere mei, &c.* Breue admodum verbum, magnum vero confeſſionis pelagus. Tu clama vt hæc, Miſerere mei, quamuis extra gratiam ſis. Hieremias quidem in luto erat, ſed Deum attraxit. Daniel in leonum lacu Deum placauit. Tres pueri in camino Deum promeruere. Latro non fuit cruce prohibitus, Iob in ſtercore Deum ad miſericordiam prouocauit. D. Baſilius de exhortatione ad baptiſmum homi. 13.

Qui Chriſtum in maieſtate ſua ſolum contemplantur, facile deterrentur: ideo apprehendendus filius Dauid. In hac porro inuocatione præſcribitur nobis

nobis forma quædam orandi. In primis enim apprehendēdus Chriſtus Deus & homo, qui huc propter nos, & vt nos in regnum ſuum euehat, venit. Secundo meminiſſe oportet promiſſionis de ipſo factę nobis, vnde in Pſalm. cantatur, propter Dauid ſeruum tuum, Non auertas faciem Chriſti tui, id eſt, promiſſum Dauidi filium da, in quo placaris. Tertio apprehendendus eſt Chriſtus à promiſſione, qua promiſit exauditionem. Ioan. 14. Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. *Miſerere mei.* Non intrat ſeruus cum domino ſuo in iudicium: ſciens quod in conſpectu eius non iuſtificabitur omnis viuens. Sed ad miſericordiam veluti ad anchoram ſuæ ſalutis confugit. Clau. Guill. ſuper Mat.

Syncera fide & prompta voluntate clamat ad dominum, quia ſperat ſuis clamoribus ſe poſſe exaudiri. Vnde illud, clamauerunt ad dominū, & ipſe exaudiuit nos. Et rurſum, ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Impij autem clamant aliquando ad dominum, nec tamen exaudiūtur. Quod monſtrat illud Pſalmographi, Clamabunt ad dominum, nec exaudiet eos. Quia non clamāt vt oportet, nec clamādo à priſtinis vitiis deſiſtunt. Arboreus ſuper Marcum 7.

A finibus illis egreſſa. Migrandum eſt de ædibus tuis, vt venias ad dominum, hoc eſt non ſufficit à peccatis egredi, niſi & occaſiones derelinquas peccatorū. Eccleſiaſtici 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiā. *Miſerere mei.* Sibi miſereri poſtulat, quia charitas malum alienum ex fraterna compaſſione ſuum reputat. 2. Cor. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Miſericordiam poſtulat, non meritum allegat. Eſa. 64. omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ. Porro male anima vexatur, quando vexatio non ſentitur. Hiere. 5. percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti & renuerunt accipere diſciplinam: induruerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Peius, cum morbus deſperatur, Epheſi. 4. Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitię. Peſſime, cum medicus contemnitur Luæ 4. vtique dicetis mihi, medice cura teipſum. Antonius Broicus ſuper Euange. par. 1. art. 62.

Vnus eſt ſane finis ſanctorum, nempe Chriſtus: malorum vero multi ſunt fines. Alius enim colit idola, alius ventrem, alius aurum. Hos autem fines prætergreditur anima, quando vnum quærit Chriſtum. Si igitur Chriſtiane, Chriſtum apprehendere libet: egredere & tu ab omnibus finibus. Si enim vel in vno offenderis, factus es omnium reus. Ideo enim Nazaræus iubetur abſtinere à vino, & omni quod inebriare poteſt. Palacios ſuper Matth.

A finibus illis egreſſa. Tolle omne quod tibi olim occaſio fuit ruinæ, & ita diuina adiuuante gratia ſanabitur anima tua. In quod enim chaos non decidit, qui conſuetudini peccatorum minime obuiat! Vide horrendum exemplum de Salomone 3. Reg. 11. Soarez. ſuper Mat.

Dominus non ſolum ex bonis bona, verum ex malis etiam bona producit. Petrus quippe, qui ſe fortem & magnanimum aſſeuerabat, poſtquam peccauit & pœnitentiam commiſſi criminis egit, ita prudens & cautus permanſit: vt rogatus à Chriſto plus ne cæteris illum diligeret, ſanctiſſimo humilitatis documento Chriſto reſponderet: Tu ſcis domine, quia amo te. Vnde & hanc mulierem labores & mala humiliarunt, atque effecerunt vt tam altam ederet confeſſionem,

Dauidis peccatum grauiter puniuit dominus magna graſſante peſte, peccatum autē Auguſti Cæſaris reliquit impunitum, cum maius eſſet peccato Dauidis. Namque Dauid ſolum iuſſit numerari populum, Cæſar autem auaritiæ igni incenſus, tributa ab omnibus exigebat. Et hinc colliges veriſſimum & indubitatum illud eſſe, quos diligit Deus, corrigit. At cum iniquis diſſimulat, quorum punitionem in inferos reſeruat: vt in diuite illo epulone, & Lazaro mendico apparet. Sic ille Machabęus Antiocho regi tyranno dixit: nos propter nos ipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum: tu autem ne existimes impune futurum quod contra Deum facis. Hiere. 44. dicitur, dolore & flagello caſtigaberis Hieruſalem, vti ne abſcedat anima mea abs te. Qui arcum flectit, nec totas prope vires exhaurit: certe is parum aut nihil nocumenti iniicere curat: ſi acrius & fortius arcum intenderit, ſignum eſt vulnus futurum mortiferum, & incurabile. Ita ſane dominus dū in punitione demoratur, & animaduerſionem differt, tāto peius & deterius erit malis. Et certe boues dum aratro & labori cuſtodiuntur, fortibus funibus alligantur: atqui iugulo & morti ſunt tradendi, pro arbitrio ſuo in campis & floribus paſcunt. Vide de hoc Auguſt. in Pſal. 72. ſuper illa verba, zelaui pacem peccatorum videns. Vnde propter bonum huius mulieris, permiſit Deus vt ei ſuccederent tot labores.

Dominus cum noſtra ſcelera ad id perueniunt vt diuinam indignationem penitus mereantur, concedit nobis omnia ſecundum palatum, quouſque ſolus infernus perpetuū habitaculum nos maneat. O bone & ſancte Deus! quid eſt quod non coniicis oculos in filium tuum, quem proprio ſanguine redemiſti? ſinite illum inquit dominus, quia nec filius meus eſt, nec hæreditatis meæ particeps. Arboribus enim bonis & fructuoſis omnia virgulta eas ſuffocantia abſcinduntur, ne ſint impedimento quo minus ad ſperati fructus maturitatem perueniant. At arbores infructiferæ iſto beneficio carent, nec concutiuntur: ſed potius detruncatæ & abſciſſæ in ignē mittuntur. Atque ideo voluit huic mulieri Deus calamitates inferre.

A finibus illis egreſſa. Væ illis qui cum ſecuris impoſita ſit ad arborem, & caput eorum ſit canum, non vident tamen quam cito tranſeat dies & hora pœnitentiæ. Mirum eſt te tam pigrum & inertem eſſe, cum mors ad oſtium ſit. Attende obſecro & vide quod iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Reſpondeas oro, quando ſecuris arborem ſciderit, in quam partem arbor cadet? equidem ad eam partem, in qua antea procliuior erat. Nam ſi magna aliqua arbor in ſiniſtram partem omnem ſuam molem & ramos incuruat, ſi hæc talis ſcindatur, dubio procul in ſiniſtram manum cadet. Si igitur omnia deſideria tua, affectiones & cogitatus, in res mundanas coniicis, & omnes curæ & ſolicitudines tuæ non niſi honoribus, diuitiis, & voluptatibus ſtudent, dū hæc tibi durat vita: qui fieri poteſt, vt cum mors venerit in dextram Dei, ac feliciſſimam beatorum ſortem cades? Quo circa maxime curandum tibi eſt, vt talis viuas qualis cupis in morte reperiri: & vt egrediaris tandem à finibus vitiorum.

A finibus illis ingreſſa. Multi vitia deteſtātur, at poſt planctum ad eadem reuertuntur: duritie cordis, quæ ex inueterata conſuetudine proceſſit, attracti. Mutantur namque mali tanquam arborum frondes, & quaſi oſtium in cardine mouētur: quos vt incōſtantes & inſtabiles Eſa. pilæ rotundæ aſſimilat. Quod etiam intelligens Dauid, dicebat: Deus meus, pone illos vt rotam, id eſt, inſtabiles & agitatos. Et Eccleſiaſticus ait, præcordia fatui quaſi rota carri. Hoc autem ex peccato prouenit, iuxta illud: peccatum peccauit Hieruſalem, ideo inſtabilis facta eſt. Non ergo

ita tu

ita tu gerere debes, sed à finibus vitiorum egredi,& perseuerare in virtute.

Quibus mos semper fuit peccandi: more ac consuetudine timorem omnem amiserunt & facilius in peccata incidunt,cum ducantur à mala consuetudine. Accidit enim his vt puero nato in carcere, qui quoniam lucem ignorat, in tenebris ludit, & gaudet. Sed mater quæ lucem & libertatem aliquando nouit,plorat, & tristatur, seque captiuam dolet. Sic eis peccatoribus contingit, qui nutriti sunt in peccatis. Attende igitur vt malum semen radicitus euellas,neque intus radices relinquas, ne statim peccatorum herba resiliat & adoleat.

Vt sol iste oculis carnis expositus, omnia terrarũ spatia flammis radiantibus lustrat, atque ita lustrat, vt si te ab illo vel clausis ianuis abscondere velis, ipse sibi aditum faciat, & radiis suis tenebras tuas discutiat:ita plane sol iustitiæ Christus dominus, ad meridiem,& ad aquilonem,hoc est ad fideles, & infideles, sine vlla personarum acceptione, lucis suæ radios explicat. Nullus enim adeò ab illo remotus est, qui non frequenter etiam tantæ lucis vim fœda tenebrarum opera detegentis, intra se agnoscat.

2. Reg.9. *Fili Dauid.* Sanctus ac pius Dauid interrogabat seruos suos,an de domo Saulis aliquis esset relictus, cum quo misericordia domini vteretur. Vbi aduerte quod misericordiã quã in domũ Saulis volebat exercere Dauid, vocauit misericordiam domini. Nam nostra in hoc à diuina videtur distare, quod nostra ad nostros tantũ se extendat, misericordia vero domini ad amicos, & ad inimicos. Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Cæterum si tu ô naturæ artifex sapientissime etiã brutis animalibus talẽ instinctũ indidisti, vt vel ceruꝰ, qui natura separatissimus est ab humano commercio, quoties grauius à canibus premitur,ad hominem confugere soleat statim, malens ab eo occidi, in quo nouit esse clementiam:quanto potiori iure homo ratione præditus, ad te tutissimum & clementissimum asylum confugiet?Profecto vt mercatores qui in emporium difficile incidunt, in quo nummorum penuria nil vendere possunt, solent quouis pretio quæ adduxere distrahere: sic tu ô fili Dauid in emporium huius seculi gratiam & misericordiam adduxisti, quæ deficientibus meritis,publicanis & peccatoribus erogasti.Quare si tam paruo pretio tua emuntur, Miserere mei.Memento fili Dauid naturæ arboris,in qua rami radicum virtutem sequũtur,& in se referunt.Si enim te filium Dauid dicis, oportet pari ratiõe patri tuo in clementia assimileris.Discant ex hoc loco nobiles maiorum suorum virtutem sequi: bene enim

Iuuenalis. poëta cecinit: Nobilitas sola est, atque vnica, virtus.

Miserere mei fili Dauid. Multi orant,qui si illico non exaudiantur, protinus ab oratiõe desistunt. Hoc fecit Saul, qui cum dominum per sacerdotem consuluisset,isque responsum distulisset,sacerdoti ait:Cõtrahe manum tuam, hoc est ab orando & consulendo dominum desiste. Alij item cum non statim exaudiuntur, ad prohibita sese præsidia conferunt. Quod idem quoque Saul fecit. Quis sit autem modus orandi, hoc est qua fide, humilitate, patientia, perseuerantia,orandum sit,hodierna lectione Euangelica ostenditur.

Quemadmodum sol non solum in ea quæ videntur,sed in abdita quoque terræ viscera illabitur, vbi & argentum,& aurum,cæteraque metalla nutrit, & procreat: sic verus iustitiæ sol Christus in gentilis huius fœminæ viscera, quæ à Deo prius longissime aberant, lucis suæ radios effudit, quibus hanc adeò mirabilem fidem in eius mẽte procreauit. Hac igitur fide instructa mulier, clamauit ad dominum, dicens, Miserere mei.

Filia mea, &c. Multis pœnis solet Deus hic peccatores punire, vt ad se reuertantur. Postquam Moses plura flagella & pœnas cõminatus est populo Israelitico,subdidit dicẽs: Et cũ venerint super te omnia hæc & redieris ad cor tuum, &c. sicut enim vuæ ad torcular deferuntur,vt vinum exprimatur:ita homo ad calamitatem ducitur, vt mœrore oppressus, virtutis liquotem producat. Et sicut mater volens ablactare filium parnulum,mamillis apponit amaritudinem,vt ea percepta, lac deseratur: sic Deus voluptatibus mundi multa miscet amara,dura,& aspera, vt deserantur.

Venit in partes Tyri,&c. Venit ad peccatores, sed nõ ad peccata:venit ad auaros,non autem in auaritiam: venit ad cupidos,sed non ad cupiditatem, &c. Vide Isaac super hunc locum.

Afflicta & desolata anima debet clamare vehementer ad dominum, dicens cum Chananæa: Non hoc peto domine propter merita mea, sed pro tua misericordia. Fateor enim quia indigna & peccatrix sum,sed catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.Vide D.August. lib. de scala paradisi cap.4.to.9.

Homines ad suam cognitionẽ Deus per medios labores & calamitates curat attrahere.Nabuchodonosor quidem rex Babylonis somniarat se esse procerissimam, fortissimam, ac latissimam arborem: cuius ramorum extensio ad terminos totius extendebatur orbis:in cuius ramis omnes volucres cæli nidificabant,& sub eiusdem vmbra manebant omnes bestiæ terræ,habebatque alias cogitationes elatas,quæ omnia ex corde superbo maxime noscebantur. Hæc sane vniuersa cohibuit Deus atque fræuauit immissa illi grauissima calamitate, per quam venit tandem in cognitionem suæ miseriæ & abiectionis, atque in notitiam magnitudinis Dei, excellentiæ,ac maiestatis, vt describitur Danic.4.

Regulus certe omnino salutis suæ oblitus, sua dignitate ac gubernatione contentus & lætus erat domi suæ: veruntamen grauissimus filij sui morbus effecit vt de omni humano remedio desperans, confugeret ad Christum, & tandem occasione prædicti morbi, crederet ipse, & tota eius domus, vt patet Ioan.4.

Cõtenta quidem dormiebat hæc mulier Chananæa in suæ idololatriæ cæcitate, atque Dei, eiusque legis ignoratione: sed tamen Deus summè misericors quo resipisceret: misit in domum illius lictorẽ quendam sæuum, qui filiam ipsius crudeliter atrociterque torqueret. Quæ quidem calamitas illi extitit occasio quærendi Christum, atque virili animo hodiernum negotium persequendi, ex quo eximium honorem, laudem mirabilem, ac gloriam consecuta est.

Quemadmodum pannus coccineus antequam hoc nomen obtineat,magna quasi tormenta perfert, in primis enim cum fuit lana, calefacta ea & cocta est, deinde frequenter carminata, præterea in fila deducta,& in ipsa tela fortiter compressa,insuper de pertica pendens,à lanificis duris carduis cõcussa, in aquæ feruentis ahenum immissa, donec tandem in talem colorem coccineum permutaretur, & tanta quidem distantia ab eo quod prius erat, nimirum immunda lana, transiret ad id quod per huiusmodi cruciatus efficitur, nempe ad perfectum coccineum pannum.Sic sibi persuadeat peccator, ad cõsequendum reuera iusti nomen,per quod sit amicus ac charus Deo, necessarium esse prius labores magnos & calamitates

calamitates patienter sustinere,propter magnam distantiam quæ inter iustũ atque impium inuenitur.

Sane hæc mulier Chananæa nunquam in tantam Christi gratiam peruenisset, nisi huiusmodi flagella & calamitates interfuissent. Hoc quidem poteris dilatare etiam hoc simili, nempe quod multa pariatur candidum linteum antequam tali nomine iure gaudere possit, idque propter eandem causam: quia videlicet maxima distãtia reperitur ab eo quòd antea erat, nempe herba, ad id quod modo est. Ex his facile colligere potes quantum valeant calamitates atque labores,quandoquidem ex tanta miseria & abiectione nos pertrahunt in tantum honorem ac gloriam. Alias quoque similitudines huiusmodi tu facile poteris inuenire.

De hac materia, nempe quantum calamitates & labores valeant,vt homines in Dei cognitionem, & dilectionem veniant: multa inuenies per tabulam nostram ad calcem reiectam.

Super illa verba, à finibus illis egressa, D. Hiero. lib.2. super Mat. to. 9. & alij permulti doctores, adnotant per hoc nobis insinuari hanc mulierem deseruisse prauos suos mores gentilitatis,& cæcitatem inhabitantium Tyrum atque Sidonem; propter quod impetrauit à Christo quæcunque voluit. Vbi offertur occasio differendi quomodo prius oporteat deseramus deprauatos mores, antequam ad Deum orandum pro specialibus donis assequendis accedamus. Ad quod contemplator subiecta.

Quam mala sit atque pestilens consuetudo peccandi, & quantum nobis afferat impedimenti ad Dei gratiam & amicitiam impetrandam, lege D. Bernar.in tractatu de gradibus humilitatis, in diuisione quæ incipit, At postquam Dei iudicio, inter medium ac finem operum.

Quam praua atque damnosa sit consuetudo peccandi, consule Vincẽtium Belluacensem specu.Mora. libro 3. par. 3. distinctione 7.

Possumus plane consuetudinem prauam quantumuis antiqua & inueterata iamdiu existat, vincere & superare. Vnde dicit Seneca, nil est quod non expugnet pertinax opera & intenta ac diligens cura. Curuatæ trabes summa opera in id finguntur,quod vsus noster exigit:quãto facilius animus accipiet formam flexibilis,& omni humore obsequentior?Vide Senecã lib.10.epist.ad Luci.epist.51.à medio in finem.

Commodum magnum & vberrimum fructum qui ex prauorum expulsione morum nobis abunde procedit, docet Seneca dicens in hunc modum. Quam grande præmium nos expectat, si occupationes malas & mala tenacissima rumpimus! Et id satis comprobatur hic in muliere Chananæa. Lege Senecam lib.10,epist.ad Luci, epist.76.in fine.

Sinimus in peruersis moribus animum nostrum libere sectari vestigia plebis errantis, & prauas in consuetudines trahi,& implicari. Contra quòd Seneca sic loquitur: Quã multa ante parabamus quia alij parauerũt; quia apud plerosque sunt.Inter causas malorum nostrorum est, q̃ viuimus ad exempla, nec ratione componimur,sed consuetudine abducimur.Quod si pauci facerent, nollemus imitari;cum plures facere cœperunt, quasi honestius sit quia frequentius, sequimur, & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus est. Seneca lib.22, epistola. ad Luci. epistola.124. parum ante medium.

Vitam plane traducimus non cõsiderantes quod viuimus sequentes consuetudinem vulgi perditi:aduersum quod insurgit Seneca in hunc modum. Nil ergo magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quo itur, nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: quorum exempla multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Ne ergo à vulgo regamur,nec dicamus:hæc pars maior esse videtur, ideo enim peior est. Argumentum pessimi turba est. Quæramus quid optime factum sit, non quid vsitatissimum:& quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti,probatum sit, Legito eundem libro de vita ad Galionem cap.1,& 2,

Non intelligas hanc mulierem Chananæam placuisse domino tantum,quod egressa fuerit à locis in quibus perperam viuebatur, sed etiam quia à se remouit, vt dixi, antiquam consuetũdinem deprauatam.Parum enim prodest locum deserere, si nobiscum vitia ipsa deferimus.Ad hanc considerationem spectare videtur doctrina quædam eiusdem Senecæ,sic dicentis; Nullam tibi opem feret iste discursus; peregrinaris cum affectibus tuis, & malæ te tuæ sequuntur. Medicina ægro, non regio quærenda est. Simile. Fregit aliquis crus,aut extorsit articulum,non vehiculum, nauemque cõscendit,sed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, quid ergo animum tot locis fractum & extortum,credis locorũ mutatione posse sanari? Maius est istud malum quam vt gestatione curetur. Nullum enim mihi crede iter est, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat. Fugam tibi non prodesse mitaris? tecum sunt quæ fugis. Si vis peregrinationes habere iucundas; tuum comitem sana. Lege eundem,qui tibi multa suppeditabit lib,18,epist,ad Luci,epist.105,post medium.

Praua consuetudo ac vetus difficile emendatur & præscinditur Hiere,13,D.Si mutare potest Æthiops.

Difficile & arduum est consuetudinem diutinam immutare Prouer, 22, A. Adolescens iuxta.

Consuetudo praua semel introducta difficulter euellitur Exo.16, A. Vtinam mortui essemus.

Quo supplicio dignus sit qui malam & inueteratam consuetudinem deserere renuit Exo. 21, A. si dixerit seruus diligo dominum.

Peruersa consuetudo quam prompte & facile inclinat ad vsitata Nume.11.B. recordamur piscium.

Consuetudo deprauata & inueterata magna cum difficultate curatur.Iudicum 2. C. sed nec eos audire voluerunt.

Quantum noceat mala consuetudo Prouerbiorum 29. C. Qui delicate à puericia.

Consuetudo diutina circa idem quantum potest 1.Regum 17.E. Non enim habebat consuetudinem.

Vt incolæ illius prouinciæ & regionis vbi fluuius Nilus ex alto labitur, cuius strepitus & sonus horribilis ita est vt per multas leucas audiatur, ex longo tamen & antiquo vsu ac consuetudine commorandi & inhabitandi prope decursum illum,obsurdescentes, non audiunt quasi, siue percipiunt acerrimum illum sonum. Sic qui inueniuntur alicui vitio dediti, & assuefacti iam peruersæ consuetudini, vix suam miseriam persentiunt. Simile.

Res sane stupenda est,quantum peruersa consuetudo idololatriæ grassata fuerat in populo Iudaico, quamque profundis & altis erat defixa radicibus, cum tot tantisque calamitatibus affligerentur,& toties captiuitatibus & vastationibus torquerentur, & nunquam emendarentur. Iudicum 2.3. &c.

Præclarum nobis exemplum aduersus peruersam & antiquam consuetudinem rex Iosias reliquit, destruens & demoliens idola vanissima prædecessorum suorum, & excitans diuinum cultum, vt satis copiose proponitur 4.Reg.23. 4.Reg.23

Quemadmodum cum homo rem edit acerbam & fructum nondum maturum, contrahitur quidam Simile.

dentium stupor, & manet in ore quædam acerbitas, quæ edere cum suauitate non sinit cibos vtiles ac salubres: sic etiam cum quis in aliquo vitio exercetur, producitur in animo spiritualis quidam stupor, quo fit vt homo sine magna difficultate virtutis tandem opera non exerceat. Cæterum sicut ad tollendum dentium stuporem remedium videtur intrepide edere ac festinanter, & sine metu aliquo, & sic statim dissoluitur stupor: ita etiam cum ex consuetudine & frequẽtatione vitiorum tibi esse molestas virtutes inspexeris, stude diligenter in earum exercitatione versari virili ac constanti animo, absque formidine, & cum multa patientia, quia post aliquos in virtute progressus, inuenies in ea maximam delectationem, & amittes profecto stuporem acerbum factum in anima ex tam acerbis ac asperis fructibus qualia sunt ipsa vitia.

Simile. Sicut quem tu habes equum, quo credis in prælio te esse vsurum, videndo illum concitari, terreri, refugereque à sonitu tympani & fistulæ, accuras & moreris illum reducere, & iuxta tympanistem ipsum retinere fortiter, dicisque vt sonitum edat accelera-
Simile. tum ad arma capienda, tum cruribus ipsum vrges, calcaria addis, cohibes fræno, quousque tandem timorem ipse equus omnem amittat. Et quemadmodum mulam qua vti vis ad deambulandum per vrbem, transire frequenter facis vias in quibus exercentur ea quorum audito sonitu ipsa terretur ac refugit, donec timorẽ prorsus deponat, ne aliter dum obambulas aliquo audito sono perterrita, te inopinantem deiiciat, & solo raptet. Sic diligentissime laborare debes aduersus deprauatos mores, contendens & connitens ne tandem in barathrum ipsum atque infernum te deiiciant.

Super illa verba, Miserere mei fili Dauid, inuenies multa apud S. doctores in explanatione Psalm. 50. super versum primum: & potissimum consule D. Chrys. in expositione huius psal. to. 1. & D. Gre. in interpre. psal. septem pœnitentialium, & Innocen. 3. in explanatione in psal. pœnitentiales quæ extat parum ante medium operum. Hi enim tibi præclara suppeditabunt. Quibus etiam addes D. August. super psalm. to. 8. & D. item Hiero. to. 8.

Qui non respondit ei verbum. Nõ propter indignationem, sed vt ex perseuerãtia in prece ostẽderetur fides eius. & deuotio discipulis. Glo. Lyræ super Matth.

Si ad primam petitionem Ecclesiæ dominus salutem animæ differt dare, nõ est desperandũ, vel à petendo cessandum: sed magis precibus insistendum & ad Deum & ad sanctos, donec hi orent pro Ecclesia, & tunc perficietur oratio. Glo. or. su. Mat.

O noua rerum materies! rogat mulier, obsecrat, & deprecatur, deflet casum suum: auget Tragædiã, enarrat passionem: & amator hominũ nõ respõdet. Sermo tacet, fons clausus est, medicus medicamenta renuit. Quid hoc nouum, & admirabile? Alios prouocas ad sequẽdũ & hanc miserabilẽ insequentẽ abigis? Sed cur non respondet? quia illius fidem amplius prouocabat, & animum perseuerantia exercebat, & discipulorum miserationes exercitabat. D. Chrysost. ex variis in Matt. locis homi. 17. tomo 2.

Non propter superbiam Pharisaicam, nec propter Scribarum supercilium: sed ne ipse sententiæ suæ videretur contrarius, per quam iusserat, In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Nolebat enim occasionẽ calumniatoribus dare: perfectamque salutem gentium passionis & resurrectionis tempori reseruabat. Hiero. lib. 2. super Mat. to. 9.

Lucæ 11. Quomodo ergo verum erit quod scriptum est, si vos cum mali sitis nostis bona dare filiis, quanto magis pater vester dabit spiritum bonum petentibus se? Legimus quidem de Tito imperatore, qui Exẽplũ. deliciæ Romani populi vocatus est, ad hunc modum. In cæteris vero desideriis id obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Et quod magis mireris, legimus de Galieno quamuis nequissimo, quòd nil vnquam petenti denegaret. Quid dicam de Exẽplum Artaxerxe? qui agricolæ concauas manus aqua plenas offerenti, phialam auream aureis plenam dari iussit. Et esse tot ac tãtos patronos pro muliere paupercula intercedentes, quam vnico poterat verbo ditare, & non respondere ei Christum verbum? Cæterum nolebat calumniatoribus mordendi ansam dare. Treius super Euange. lib. 6. cap. 3.

Iesus audita mulieris oratione, neque verbum vllum respondit, veluti dissimulans quod audisset. Volẽs mulieris gentilis fidem & deuotionem, quam in corde contuebatur, exercitare, & declarare, per patientiam, atque perseuerantiam. Quo etiam modo non raro cum electis suis agit, vt orantium preces licet salutaria postulantes, non statim tamen exaudiat: sed velut dissimulando differat, vt patientiam exerceat electorum suorum, & deuotionis accendat desiderium. Crescunt namque dilata desideria, si vere desideria sunt. Titelmannus super Mat.

Quis siue Iudæus siue gentilis à domino salutem Lud. Gra. petiit, quam non protinus imperraret? quomodo nunc gentilem mulierem à se clamantem excludit? Huius rei cum multæ fuerint causæ, tamen illa præcipua esse videtur, quam ex Dionysio lib. de cælesti Hierarch. colligere licet. Is enim Deum ait paterna cura atque prouidentia se omnibus apte pro illorum captu insinuare. Itaque infirmos blande ac leniter tractare paterna pietate solet: ne magnitudine laboris fatigati debilitentur, fortioribus autem fortiora certamina subministrat, vt vincant. Hoc quidem modo se dominus cum discipulis suis diuersis temporibus gessit. Eos quippe ante spiritus sancti aduentum neque grande aliquid moliri, nec etiam ieiuniis & laboribus immodicis opprimi voluit. Vbi vero virtute ex alto roborati sunt: tunc eos variis calamitatum & persecutionũ procellis agitari passus est. Quod ipse his verbis declarauit: Non pos- Matt. 9. sunt inquit filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus: venient autem dies cum ablatus ab eis fuerit sponsus, & tunc ieiunabunt. Hoc igitur exemplo intelligimus Deum vires hominum perspectas habere, & pro magnitudine virium labores illis & onera aptare. Infirmis enim leuia certamina, fortioribus vero fortiora reseruat. Cum igitur dominus mulierem hanc mirabili intus fide ac patiẽtia roborasset, intelligeretque parem illi, imo & superiorem, tantæ probationi virtutẽ esse: noluit eam tanta gloria, tantaque meriti materia fraudare. Quod fecisset, si eius fidei, patiẽtiæ, & humilitati, hanc perseuerandi occasionẽ celeri remedio subtraxisset. Ex quo intelligimus fratres eos quibus omnia blande leniterque fluunt, aut leuibus tantum laboribus iactantur, inter infirmos Dei seruos, qui adhuc paruuli in Xpo sunt, esse numerandos: eos vero quibus exercendæ virtutis gratia graues casus & magna certamina à domino exhibentur, inter fortes & adultos, imo inter veteranos milites esse computandos.

Grauissimus plane labor est pauperem negotium Autor. gerere cum homine diuite parum clemente. Quoties enim frequentat illius domum misellus! Accedit iam mane, iam vesperi, & nunquam conueniendi diuitem inuenitur aut locus, aut vlla temporis opportunitas. Semper enim habet excusationem ad pauperem dimittendum. Iam dicunt illum adhuc cubare, iam vero esse occupatum in vestiendo: modo eum

eum preces fundere, módo ire velle ad sacrum. Nũc velle mensæ accumbere, nunc expositum esse ad solem. Rursus grauissimis negotiis præpediri, aut ludere animi gratia. Tandem iam cõcedere cubitum siue dormire. Quibus quidem procrastinationibus & excusationibus, miser ille semper vagatur, frustraturque defessus. Quocirca nolle pauperem cum huiusmodi diuitibus negotium gerere, quamtunuis fere de vitæ discrimine agatur, nõ est mirandum: præsertim cum nunquam se exhibere conspectui pau- 10 perum soleant, nisi oleant eos aliquid muneris adferre. Cæterum apud Deum qui adeo facilis & humanus est, vt apud eum mulier idololatra negotium gerat & impetret, quis non animabitur negotiari, vt ab ipso præmia consequatur æterna? Hic quidem tibi ampla patefit feneſtra ad hæc vtiliter videnda & dilatanda.

Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Si quis animam habet vitiorum sorde pollutã, filiã procul dubio habet ma- 20 le à dæmonio vexatam. Quare necesse est vt reatum suum agnoscẽs, mox ad preces sanctorum cõfugiat, qui domino dicãt: Dimitte eũ, quia clamat post nos. Dimitte reatum, dona gratiã, qua nostrum intimo affectu quærit supplex suffragium. Rom. 15. obsecro vos per misericordiam Dei: & per charitatem sancti spiritus, vt adiuuetis me in orationib. vestris Gal. 6. alter alterius onera portate. Vnde & amicis Iob dicebat dominus, Iob autem seruus meus orabit pro Iob 42. vobis. Antonius Broicus super Euangelia parte 1. 30 artic. 62.

Non simus fratres de numero illorum qui malis Christianis & falsis fratribus non solum non compatiuntur, sed etiam eos execrantur: & non solum eorum conuersionem non rogant, sed etiam timent, & quasi peccatores nunquam fuerint, peccatores inuenire veniam nolunt. Et quare hoc? quia viscera charitatis non habent, nec attendunt quoniam iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit mi- Iaco. 2. sericordiam. Si Deus non venit vocare iustos, sed 40 peccatores: nos exemplo eius peccatores ad conuer- Matt. 9. sionem vocemus. Scientes quoniam qui conuerti Iaco. 5. fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum, nõ solum alienorum, sed etiam propriorum. Rhadulphus Ardentis in Dominic. 2. Quadrage.

Nimis admiranda est Dei benignitas in suos seruos fideles. Videmus enim quod propter Dauid seruum suum, non abstulit Deus regnum à Salomone iam eius gratia destituto. Non solum igitur seruos 50 suos dominus propter propria opera præmio afficit, sed etiam erga filios nequam benignus est propter fideles patres. Soarezius super Matthæum.

Simile. Vt per cælestes orbes Deus terrena ista fœcundat: ita per angelos & felices animas, res nostras sæpe Genc. 20. nobis dispensat. Abraham quidem pro rege Abimelech Deum deprecatus, veniam illi obtinuit. Moses Exo. 32. populo veniam impetrauit de vitulo conflato. Et in Iob 5. lib. Iob legimus, voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Centurio qui 60 Lucæ 7. puerum habebat paralyticum, seniores Iudæorum Acto. 7. misit ad Christum, vt pro salute pueri deprecarentur. Et Stephanus pro inimicis orat dominum. Apo- Lucæ 4. stoli pro socru Simonis intercedunt. Atque ita hodie discipuli etiam intercedunt pro Chananæa.

Autor. Hic vt vides, agere poteris quòd ad negotium nostrum tractandum cum Deo, opus est nobis intercessoribus, nempe sanctis amicisque Dei.

Intercessores ac mediatores boni quantum valeant 2. Reg. 14. A. Lugere te simula. 70

Quod faciles ac proni esse debemus ad interpellandum pro egenis & afflictis, & quanto feruore ac cura præstare id nos deceat, lege epist. ad Phile. quæ de hac re tractat mire, & interpretes.

Quandoque non audit nec admittit Deus orationes & preces suorum amicorum quãtumcunque intimorum pro impiis intercedentium, quia horum iniquitates ac scelera nimis inundauerunt, nullamque emendandæ vitæ fecerunt determinationem. Vt constat Hiere. 11. C. Tu ergo noli orare pro populo hoc. & cap. 15. A. Si steterint Moyses & Samuel coram me. & Ezechie. 14. E. F. tres viri isti si fuerint in ea.

Aliquando porro non vult audire postulata complendo, vt vehementius inflammetur affectus & desiderium postulantis, & magis mereatur perseuerans: quemadmodum hodierno die huic mulieri Chananææ fecit. Itaque semper perseuerare petendo debemus, & dicere cum Hieremia, Recordare Thren. 5. domine &c. vel cum hac muliere, Miserere mei.

Quod Deus vult vt amicos ipsius intercessores ac patronos interponamus in nostris miseriis ac necessitatibus, Gene. 20. orabit pro te quia propheta est, & viues.

Aptissime ex consequenti ages hic etiam de oratione, & quam necessaria sit: ad quod hæc accipe. Auctor.

Quendam de 4. modis orandi sermonem texuit D. Bernar. qui incipit, Quatuor mihi videntur orandi modi, ante medium operum.

Quomodo sit orandum, & attente petendum à Deo, lege eundem super Cantic. ser. 7. qui incipit, ipse mihi laborem suscito.

Perorare ac recitare diuinum officium attente debemus, lege eundem lib. suarum deuotissimarum Meditationum circa finem operum cap. 6. & incipit, Cum ad orandum. & cap. 8. & incipit, Miserere mei Deus.

Vide Lauren. Iusti. lib. de ligno vitæ tractatu de virtute orationis initio operum.

Quomodo esse debeat oratio, ac de repugnantiis quæ in ea offeruntur interdum, & quis hac in re seruandus sit modus, lege eundem lib. de disciplina & perfectione Monasticæ conuersa. cap. 18. in principio operum fere.

Duos quoque libellos de orãdo Deum inscriptos, habet D. Chrysost. fere inter initiũ ac medium to. 5.

Quendam porro lib. composuit Grego, Nyssenus, cuius titulus est de Oratione, vbi etiam proponit orationem dominicam, initio operum.

Quomodo quis assequi possit ne inter orandum mente distrahatur, consule D. Basi. lib. Regu. breuio. interrog. 201. & 202. to. 2.

Oratio debet maxime æstimari, D. Basi. lib. constitu. Monasti. cap. 1. in fine operum.

Quomodo sit orandum lege August. lib. epistо. epist. 121. to. 2.

Oratio quantum sit necessaria, simul cum quodam notabili exemplo, vide eundem ad fratres in eremo sermo. 69. prope finem tomi 10.

Quid nos ad orationem mouere debeat, & de eius modo, integritate, effectu, vide Vincen. Bell. specu. Mora. lib. 3. par. 10. dist. 31. vsque ad 36.

Quid senserint Philosophi lege eundem specu. Doctrina. lib. 4. cap. 36. & 37.

Ipse autem respondens, ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Quasi dicat, prius oportet me sacramentum mei aduentus complere in Iudæis, & sic adducere alias oues. Glos. Ordi. super Mat.

Non quod & ad gentes non sit missus, sed quod primum missus sit ad Israel, vt illis non recipientibus Euangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio. D. Hiero. lib. 2. super Mat. to. 9.

Sed oues contagione iam rabidæ, & ipsis bestiis præ feritate sæuiores, laniare voluerunt pastorem suum. Petrus Chrysolog. sermo. 100.

Lege D. Tho. super hæc verba 3. p. q. 42. art. 1. per totum.

At illa venit, & adorauit eum, dicens. Domine adiuua me. Designauit per hoc in ipso esse potestatem faciendi quod petebatur, & quod non egeret alio. Vnde non dixit, domine ora pro me, sed adiuua me. Sic Deo loqui solemus, dicentes: Domine ad adiuuandum me festina. Abulensis super Matthæum 15. quæst. 37.

Est mercatura quædam, vt inquit Homerus, inter Deos & homines: vt illi nobis bona honestaque dent, & nos eis sacrificium atque preces. Sacrificium porro Deo, spiritus contribulatus, cor contritum &c. Treius super Euange. lib. 6. cap. 3. Psal. 50.

Domine qui omnia potes, adiuua & exaudi me. Non possum equidem oratione composita mulier rustica ac barbara coram te multa proloqui: neque opus est, neque tu id desideras. Ecce igitur breui verbo cordis mei tibi pando affectum. Domine adiuua me. Titelmannus super Matth.

Quid igitur mulier posteaquam hoc audiuit, num tacuit, ac destitit? Non certe id quidem, sed potius magis instabat. At nos inconstantes, non ita facimus: quin potius cum quod volumus non assequimur, statim desistimus, cum propterea magis instare oporteret. Cæterum quem nó perplexum reddidisset illa responsio? sufficiens quidem videbatur Christi silentium vt ea in desperationem coniiceretur: responsio igitur multo magis id profecto. Cum enim vidisset patronos etiam ipsos repulsam passos fuisse, audiretque rem fieri non posse, hærere plane poterat. Attamen non desperauit mulier: sed cum videret patronos suos nil efficere; pulchra quadam inuerecundia inuerecunda fuit. Antea siquidem in conspectum venire non audebat, sed clamabat post eos: postmodum ergo cum consentaneum videbatur vt rebus desperatis longius abiret, accedit propius, atque adorat, dicens: Domine adiuua me. D. Chrysost. super Matt. ho. 53. to. 2.

O domine! num ideo homo factus es, vt vnum tantum saluares populum? num propter Iudæos solos venisti? Quid est quod dicitur Psalm. 2. postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam? Et Esa. ait, in ipsum gentes sperabunt. Iacob item Patriarcha dicit: Ipse erit expectatio gentium. Et Mala. ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificia munda offeruntur nomini meo. Psalm. 46. Omnes gentes plaudite manibus. Matt. 28. euntes docete omnes gentes. Cur ergo cum venerit hæc miserabilis mulier pro filiæ suæ infirmitate obsecrans, & casus suos deplorans, dicis, Non sum missus &c. Tu cum accessisset Centurio rogans pro famulo, dixisti: Ego veniam, & curabo eum. Latroni etiam respondisti, Hodie mecum eris in paradiso. Paralytico dixisti, surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Lazaro quatriduano mortuo ac iam fætenti, Lazare veni foras. Tu denique leprosos mundas, mortuos resuscitas, paralyticos curas, cæcos illuminas, latrones saluas, meretrices castificas: & huic miseræ nil respondes, sed potius eam reiicis, atque eius patronos non admittis? Quorsum putatis? vt perseuerantiam eius laudabilem omnes admirarentur, audirentque eam dicentem. Domine adiuua me. Chrysosto. ex variis in Matt. locis homi. 17. to. 2.

Genes. 49. Mala. 1.

Matt. 8. Lucæ 23. Marci 2. Ioann. 11.

Qui respondens, ait. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Mira conuersio! nam Israel quondam filius, nos canes: sed pro diuersitate fidei, ordo nominum mutatur. De illis enim dicitur Psalmo 21. Circundederunt me canes multi. De nobis autem, Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili. Ioan. 10. Glossa Ordinaria super Marc. 7.

Quando responsum dat, magis quam prius silentio exulcerat. Neque iam ad alios causam traducit, nec se non esse missum affirmat: sed potius quanto illa feruentius orat, tanto ipse vehementius retrudit. Nec iam Iudæos oues, sed filios etiam, ipsam vero canem appellat. Quid igitur mulier facit? Quid? ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem connectit. Chrysost. super Mat. ho. 53. tom 2.

At illa dixit, etiam domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Non ignoro quin necessaria hæc alimenta filiis seruanda sint, veruntamen cur ego vetor etiam si canis sim? Nam si nefas est quicquam accipere, nec micæ quidem sumendæ sunt. Sin vero licet quodammodo participare canibus, non omnino ipsa prohibeor, sed potius hac ratione participare debeo. Tu interim non fidem solum illius, verumetiam & humilitatem mecum admirare. Nam cum ipse Iudæos filios appellasset: adeo procul aberat ne liuore alienæ laudis contaminaretur, vt maius etiam adiecerit, atque dominos eos nuncupauerit. Vides prudentiam mulieris? Vides quomodo nec contradixit, nec de aliorum laudibus doluit, nec quia contemni videbatur moleste tulit? Vides magnitudinem animi atque constantiam? Non est bonum ipse dicebat: atque illa vtique domine respondebat. Filios ipse Iudæos vocauit, atque illa dominos. In conditione canum illam locabat, & confestim ipsam conditionem canum atque statum vltro illa subiunxit. D. Chrysost. super Matthæum homi. 53. tomo 2.

Chananæa fuit pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis; prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat. Ambro. lib. 5. super Luc. cap. 7.

Tu domine dicis quod non est bonum dare panem filiorum canibus, at certe bonum est aliquid de illo dare saltem micas cadentes. Ita tu potes mihi dare nunc miraculosam curationem filiæ meæ, de his curationibus quæ iam superabundant Iudæis: inter quos fecisti plurimas, & quotidie facis. Putauit mulier verbum Christi esse in suum fauorem, nam in numero canum constituebat eam, at canes non sunt prorsus alieni, sed sunt de familia domini: & panis eis aliquando datur, ideo mulier dixit quod saltem in numero canum daretur sibi panis: idest non de pane integro, & super mensam, sed de micis cadentibus sub mensam. Abulensis super Matthæum 15.

Scio me filiorum panem non mereri, nec integros posse capere cibos, nec sedere ad mensam cum patre. Sed contenta sum de reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem. Hieronym. super Matthæum libro 2. tomo 9.

Forte hæc mulier intus illustrata per spiritum, nouerat quod per Christum cui loquebatur, ad gentes esset transferenda filiatio Iudæorum. Vnde & fidei feruore & desiderio rei impatiens, instat, & sacramentum ante tempus reuelat, dicens. Etiam domine, nam & catelli &c. Isaac de duobus egressibus saluatoris.

Vocas me canem; canis quidem sum, & digna pro meis vitiis tali nomine: nec inuideo tuis felicissimis filiis suam gloriam, suasque exquisitas opes, nec censeo me esse dignam vt cum tuis filiis in eadem mensa discumbam. At licet sim canis, à te tamen non recedam: sed vt canis sequar te, vt mihi porrigas

porrigas miculas quæ cadunt de mensa. Mihi quidem abunde sufficiet vna tuæ immensæ misericordiæ micula. Arboreus super Marcum 7.

Ruth 2. Ego sum illa Ruth quæ sequor vestigia messorum tuorum, & greges ouium tuarum: vacua veni, vacuam à facie tanti pastoris me abire, non expedit tibi, qui audis inuocantes coruos. Num vnam tantum habes benedictionem? & mihi obsecro vt benedicas. Cumque eiulatu inquit magno fleret, volens noleris, In pinguedine inquit terræ, & rore cæli, erit benedictio tua. Habes igitur hic ipsum Esau, qui propter improbitatem suam accepit, quod aliàs non erat accepturus. Treius super Euangelia, libro 6. capit. 3. Psal. 146. Gene. 27.

Peccatores cum simus, canes nominamur: & immunditia quidem pleni sumus, propter quod & indigni qui accipiamus panem Dei, hoc est communicemus immaculatis mysteriis. Quod si per humilitatem nosmetipsos agnouerimus, & confessi fuerimus nos esse canes: enarrauerimusque peccata nostra, tunc sanabitur filia nostra. Theophylactus super Marcum 7.

Hanc quidem humilitatem habebat in corde, qui despectus ab aliis, dicebat. Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Et sapiens ait. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Haymon in Domi. 2. Quadrage. 2. Reg. 6. Eccles. 3.

Simile. Catelli inquit mulier baculo percussi, non ideo dominorum suorum domum & mensam deserunt: sed hac via excluſi, alia rursus ingredi nituntur, & supplices se ante percussorum conspectum exhibent. Itaque domine baculo verborum tuorum velut canis à te percussa, ad te iterum redeo, & mensæ tuæ me supplicem offero, vel micas tantum à te receptura, quæ canibus non negantur. Hac igitur tanta humilitate & fide, misericordiarum pater superatus, & se iam vltra continere non valens, in hanc vocem prorupit, ô mulier magna est fides tua.

Tunc respondens Iesus, ait illi. O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Ideo certe eam repellebat, vt ad hanc exclamationem consequentia rerum conuenirent, & vt fulgente corona mulierem ornaret, D. Chrysosto. super Matthæ. ho. 53. to. 2.

Audiant hæc qui inconstanter orant, & fastidiose precantur. Ne recedas vnquam quousque accipias: finis postulantis & deprecantis, acceptio est. Tunc cessa, quando acceperis: imo magis nec tunc cesses, sed perseuera agens gratias pro eo quod accepisti, vt perseueret tibi quod acceperis. Nónulli porro introeuntes Ecclesiam in mille versus extendunt orationem suam, quasi apud dominum multitudine sermonum opus sit, tanquam apud ignorátem quid postules. Is certe antequam tu cogites, omnia nouit. Sed quid, tu non audis orationem tuam, & vis vt dominus eam audiat? Flexi inquis genua: curuasti quidem genua: sed mens tua foris vagabatur. Corpus tuum intus, sed sensus foris, os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat, possessionum reditus supputabat, descriptiones domorum videbat, amicorum verba voluebat, mulierum speciem considerabat. Diabolus enim astutus scit quod in tempore orationis grandia postulemus, & sæpius impetremus: atque ita impedire festinat improuidas mentes. Tu igitur Chananæam imitare. Chrysosto. ex variis in Mat. locis ho. 17. to. 2.

Quæritur cum in muliere ista nunc apparuerint virtutes multæ, quare Christus solam fidem laudans commemorat? Dicendum quod verum est quod multæ virtutes in ea apparuerũt: Nam fuit prudentia, quia in omnibus prudenter respondit, vt ait Theophilus. Secundo apparuit perseuerantia. Tertio in ea fuit patientia, nam iniuriis non fuit commota. Quarto apparuit humilitas: se enim humiliauit procidens in terram coram Christo, eum adorando, vt patet Matt. 15. & Marci 7. Quinto apparuit fides: nam credidit Iesum esse Messiam. Dicendum tamen quod licet illæ virtutes apparuerint in muliere, Christus tamen nó commemorauit nisi fidem primo quia ipsa sola erat ad propositum. Nam dicitur, quomodo ista mulier obtinuit à Christo quod petebat: & tamen ad obtinendum miracula fieri, nulla virtus sufficit nisi fides. Per fidem obtinemus quidquid petimus, ita vt nil sit nobis impossibile, Marci 9. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Secũda ratio, quia ista erat virtus quam Christus introducere nitebatur prędicandó, scilicet quod crederetur in eum: quia fides est fundamentum, & sine illa impossibile est placere Deo: & ita sine fide vel nullæ virtutes sunt, vel saltem inutiles sunt ad placendum Deo. Vnde directe tota prædicatio, & scripturarum, & gestorum atque dictorum Christi, fuit propter fidem introducendam, ac conseruandam, Ioan. 20. Multa alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc: & hæc scripta sunt vt credatis quia Iesus est filius Dei, vt credentes vitam habeatis. Abule. super Mat. 15. q. 43. Quæstio. Respon. Heb. 11.

Quia ille cordis inspector mutatam vidit quam laudauit, ideo non ait, ô canis magna est fides tua, sed ô mulier magna est fides tua. Mutauit vocabulum, quia mutatum vidit affectum. D. Augustl. lib. de fide & operibus cap. 16. to. 4.

Merito quæ se canem confessa est, in hominem commutatur: & iuste conuertuntur in canes, qui se filios esse noluerunt. Merito adoptatur in filiam, leuatur ad mensam, & honoratur, quæ se sub mensa laudabili & prouida humilitate deiecit. Hinc est quod propter iustitiam suam dominus nec Iudæis dare potuit, nec gentibus denegare. Chrysolo. sermo. 100.

Quo Christus videbatur huic mulieri asperior foris in verbis ac gestibus: eo fuit ei benignior intus per operationem occultam, per inspirationem, & illustrationem internam. Alioqui quomodo mulier ista tantam fidem humilitatem, patientiam, atque prudentiam habuisset? Dionysi. Carthusianus. super Matt. tomo 7.

Acsi diceret, fides quidem tua maiora quam petis posset impetrare, verumtamen fiat vt vis. Chrysost. super Mat. ho. 53. to. 2.

Vide quantum obtinuit pro instantia suæ orationis. Lucæ 11. & ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis etsi non surrexerit eo quod amicus sit, propter improbitatem tamen eius surget. Hugo Cardi. super Mat. to. 5.

Quo diutius mulier orando perseuerauit, hoc maiorem est gratiam consecuta: nõ enim salutem solam filiæ quam quærebat inuenit sed laudem etiam & commẽdationem domini, æternamque in Ecclesia memoriam adepta est. Cæterũ vt & fidei & humilitatis vim & potentiam pernoscatis, Marci verba hoc in loco referẽda sunt. Qui vbi mulier hãc humilitatis vocem protulisset: respondisse dominũ ait: propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Huic igitur voci, quæ fidei & humilitatis plena fuit, diuinæ misericordiæ viscera antea quodammodo clausa, patuerunt: vt hac ratione intelligatis quantum ad misericordiam domini impetrandam, imo ad eius vim & potentiam (si dici posset) superandam, virtus humilitatis valeat. Marci 7.

Fiat tibi sicut vis. Contemplare quæso vel auiculas Simile.

ipſas,& vide quanta auiditate ouis ſuis incubent, & illa natiuo calore foueant, vitamque ipſis inſpirent: quod ſi hoc pullis ſuis præſtant aues,quanto quæſo maiori ſtudio infinita illa bonitas hominibus, quos ad imaginem ſuam condidit, ſeſe accommodabit, vt illos & ſeruet, & muneribus ſuis ornet?

De Chananæa & filia eius ſanata, vide Hugo. de S. Victore lib.2. Allego. in Matth. to.1. cap.32.

Vide Ioan. Gerſo. 4. par. fol. 77.

Vide etiam ſuper hoc Euange. Origenem in diuerſos ho. 7. to. 3.

De Epiſt.& Euang.duos habet ſermo. D.Antoni. initio 1. par. Theolo.

Duos etiam condidit D. Thomas, alterum de Epiſt.alterum de Euange.prope finem to. 16.

Vide denique D. Anto. 1. par.Theolo. tit.5. cap. 1, §. 15.

Feria quinta poſt primam Dominicam Quadrageſi. ſecundum vſum fratrum Prædicatorum.

DIcebat *Ieſus ad eos qui crediderunt ei Iudæos: ſi vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis,& cognoſcetis veritatem,& veritas liberabit vos Ioan.8.* Cum conſtructum fuerit fundamentum, & iacta ædificij prima exordia, laborat artifex induſtrius reliquum opus abſoluere, neque abſiſtit à labore, priuſquam extremam rei manum impoſuerit.Cognouit quidem dominus iacta in nonnullorum cordibus ex verbis ſuis veræ fidei fundamenta: idcirco ad conſummationem ſpiritualis ædificij, ſola perſeuerantia conſequendam, hac exhortatione annititur, inquiens. Si manſeritis in ſermone meo,vere diſcipuli mei eritis. Parum eſt inquit ſermonem meum auribus hauſiſſe, & ad tempus ſeruaſſe, neque vllus ex eo proue- Ioan.6. nire poteſt fructus. Nempe multi verba mea audierunt, & conuerſi ſunt retro, dicentes: Durus eſt hic ſermo,& quis poteſt eum audire? Quid prodeſt obſecro durum ſubiiſſe certamen, ſiquis animo fracto tandem hoſti manus dat victas? Quid nauem deduxiſſe in pelagus, & ſalum ſulcaſſe profundum, ſi tandem antequam portum contingat,nauis procellis & fluctibus acta fatiſcat? Quid inchoaſſe domus ſtructuram, ſiquis non conſummauerit? Non inci- Matt.10. pientibus,ſed perſeuerantibus vſque in finem, ſalus Gene.19. æterna promittitur. Memores eſtote vxoris Loth, quæ conuerſa retro,in ſtatuam ſalis eſt mutata. Nemo itidem mittens manum ad aratrum,& aſpiciens Luce 9. retro,aptus eſt regno Dei. Itaque nolite vobis blandiri,quod ſermonem meũ audieritis,aut receperitis, initium id ſalutis eſt: ſed niſi manſeritis in ſermone meo,nequaquam id vobis profuturum eſt.Si autem ad finem vſque in eo perſtiteritis, vere diſcipuli mei eritis, & non ſolo nomine. Nonnulli enim ſe meos dicunt eſſe diſcipulos, & tamen à diſcipulatu meo longe ſunt alieni: nomen tenent, rem non habent. Sed ne quis exiſtimet parui eſſe momenti ad diſcipulatum domini aſciſci: quis inde fructus ſequatur audiamus. Duplex enim hic exprimitur, primũ co- Ioan.4. gnoſcetis veritatem,me ſcilicet qui ſum veritas.Ego enim ſum via, veritas, & vita. Deinde quod ex hoc ſequitur emolumentum eſt, quod veritas cognita liberabit vos, ideſt liberos vos reddet à ſeruitute peccati, ac amore mundi: reſtituetque in libertatem iuſtitiæ. D. Cyrillus ſuper Ioan.lib.6. cap.1.

Quemadmodum quercus altius demiſſis radici- Simile. bus,nullius venti viribus ſternitur: ita animam diuino confixam timore, nullus tentationum ventus Pſal.118. euellet.Idcirco inquit propheta, confige timore tuo carnes meas. Ita & tu configere quaſi clauo quodam,& adhæreas Deo. Vt enim hi difficulter,ita aliter affecti facile decipiuntur,& in labem procidunt, ſicut contigit Iudæis: licet enim audierint, crediderintque, rurſus ad deteriora prolapſi ſunt D. Chryſoſto.homilia 53. ſuper Ioan. tomo 3.

Sicut cadente pluuia lapides foris madeſcunt, Simile. intus vero ſuam ſiccitatem cum duritia ſeruant: ita multi fallaces homines extrinſecus miti placidoque apparent vultu, ora dum ſacris interſunt concionibus nonnunquam lachrymis rigant,at mens immota manet in obſtinatione ſua.

Ignis paruus quouis afflatu extinguitur, at ma- Simile, gnus eo magis accenditur: capit enim vires à contrario. Sic amor exiguus quolibet obſtaculo frigeſcit, ingens vero in dies creſcit. Ne deficiamus vnquam à virtutis via ob improborum calumniam. Offerebat enim Abraham ſacrificiũ Deo, & quam- Gene. 15. uis deſcendebant volucres, & impediebant, ipſe tamen abigebat eas, & perſeuerauit ad ſolis vſque occaſum. Paulus item cum contradicebatur Damaſci, Acto.9. multo magis confortabatur.Et dominus dixit Moſi: Exo.14. loquere filiis Iſrael vt proficiſcantur,& quamuis videant Ægyptios ſuper ſe armatos,proficiſcantur nihilominus ad terram promiſſam.

Super illa verba,veritas liberabit vos, vide Lauren.Iuſt.lib.de inſtitutio.& regi.prælatorum cap.10. vbi agitur quod per meritum reconciliationis factæ per Chriſtum,de exilio reuocamur ad patriam,inter medium ac finem operum.

De vera libertate ac ſeruitute lege D. Ambro.lib. 2.epiſt. epiſt.7. ad Simplicianum initio tomi. 3.

Super illa verba, ſi vos manſeritis &c. agere poteris de perſeuerantia, ad quod conſule D. Lauren. Iuſt. lib. de ligno vitæ in tracta. de virtute perſeuerantiæ initio operum.

Perſeuera in bono opere incæpto quantumcunque oboriatur grauis repugnantia, eam enim vinces inuocato Dei ſanctorumque eius auxilio, vide D. Hierony.in tracta.quodam exiſtente inter medium & finem to.1.qui inſcribitur ad Theodoſium.

De perſeuerantia vide D. Aug. ad fratres in eremo.ſermo.8.circa finem to. 10.& ſermo.34.

De perſeuerantia vide Vincen.Bell. ſpecu. Mora. lib.1. pa. 3. diſ. 9.

De perſeuerantia iuxta Philoſophos lege eundem ſpecu. doctri.lib.4. cap.85. 86. 87. & ſpecu. hiſto.lib. 15. cap.89. & 90.

Quod perſiſtere in via recta atque bono propoſito, res eſt mirabilis & laudabilis, at facile variare propoſita, indicium eſt exiguæ virtutis & firmitatis,lege Senecam lib.3. epiſt.ad Luci.epiſt.20.prope initium.

Quemadmodum firmiſſimum robur licet à ven- Simile. tis concutiatur ingenti quadam vi, omnem vim atque impulſum ſuſtinet,reſiſtitque maxime, ſemperque rectum perſeuerat, & quamuis nonnullæ ſibi frondes defluant, ipſum nihilominus firmum permanet, ac quaſi manet immobile: ſic plane vir ſtudioſus quibuſcunque contradictionibus etiam obſtantibus,ſemper perſeuerat in felici cæpto,& quam uis aliqua decidant eius folia,hoc eſt fiat iactura rerum temporalium & diuitiarum, nunquam tamen retrocedit, neque vlla vnquam poſſunt eum retrahere à perſeuerantia.

Sicut parum prodeſt cibus,ſi cum primum accipitur, euomitur, atque emittitur: Sic parum prodeſt verbum Dei animæ, ſi protinus obliuione deleatur, & pereat. Et vt cibus minus concoctus non tantum non proficit, verum etiam nocet & officit ſtomacho: ita ſermo Dei cognitus, non tamen executioni mandatus,& actione exercitatus,magis nocet ſcien

cet ſcienti. Quare audiendum eſt verbum Dei, retinendum, meditandum, & opere complendum.

Simile. Remiſſi & inconſtantes ſimiles ſunt riuulis & torrentibus qui ex fontibus temporaneis ac debilibus naſcuntur, qui tantum hyemali tempore quo imbres abundant fluunt,aſt incipiente æſtate,penitus extinguntur: tales enim illi ſunt, qui virtutem ſuam tantum tempore proſperitatis oſtendunt, cæterum ſi reflaueſit fortuna, & aliqua aduerſa contigerint, retrocedunt, & abiecta virtute, ſterilitatem bonorum operum præſeferunt, atque probitatem quam antea oſtendebant, debilibus defixam fuiſſe radicibus, aperte declarant.

Simile. Quemadmodum qui arborem proceram præſcindit, licet videat non primo ictu,vel ſecundo,aut ſæpe etiam repetito, illam deiici,non propterea ceſſat ab opera,vel dimittit eam ferire: ſic tu quamuis primis conatibus quos adhibes ad expugnandum aliquod vitium, aut applicas ad obtinendam virtutem, finem tuum non conſequaris,non eſt quod deficias,& cadas animo,ſed potius pergere magis,magiſque debes,ita enim tandẽ perficies quod moliris.

Similitu. Sicut palma, vt affirmat Plinius lib. 16. Natura. hiſto.& Ariſto.in ſuis problematibus,& Theophraſtus, item Aulus Gellius lib. 3. Plutarchus in ſuis Sympoſiacis, eam habet proprietatem, vt lignum ex ea præſciſſum, appoſitumque in aliquo ædificio, ſi pondus illi ſuperpoſitum nimium ſit, incuruetur ſurſum verſus,cum tamẽ reliqua ligna ſi graui pondere premantur,deorſum incuruẽtur, in quo manifeſtari videtur quod magno robore reſiſtat oneri impoſito: Sic vir fortis ac cõſtans quo grauiores ingruerint calamitates & contradictiones in bono, eo amplius fortiori animo debet viriliter perſeuerare, omnem euincens,atque exuperans difficultatem.

Similitu. Quemadmodum quercus, olea, & ſimiles arbores,quamuis virgis concuſſæ ſingulis annis, fructus nihilominus exhibere ſuos nunquam ommittunt: ſic bonus ac fortis Dei ſeruus licet ipſum multi perſequantur, affligant, & opprimant, atque ab aliis impetatur occulte murmurationibus,& ab aliis publice lædatur, cæpta tamen honeſta nunquam deſerit,ſed ſemper fructum bonorũ operum producit.

Similitu. Sicut parietem veterem & minus firmum leuis quidam impulſus demolitur, at eum qui fortiſſimus eſt,vt deiicias,multis machinis opus eſt & malleis, quibus pluribus ictibus concutiatur: ſic homo debilis in virtute & bonitate, facile deſiſtit ab incæpto bono opere,& vel minimæ repugnantiæ ſuccumbit,at vir fortis,& virtute ſtrenuus, non frangitur tentationibus,neque aduerſitatibus deprimitur, nec proſperitatibus extollitur, nec denique omnes inferorum machinæ ſufficiunt, vt ipſe à bonis operibus deſiſtat,& aliqua vnquam ratione retrocedat.

Simile. Vt fulmen quamcunque arborem ſolet ferire atque exurere præter laurum, ſi Plinio credimus lib. 2.Natu.hiſt.cap.55.ſic contradictiones & aduerſitates quoſlibet homines à bonis operibus implendis facile impediunt, & omnes bonorum operum ramos pullulantes cõfringunt,his tamen exceptis qui egregie ad virtutem animati ſunt atque accenſi.

Similitu. Sicut aurum in aquam immiſſum, non amittit valorem ſuum, & in ignem coniectum, purificatur: ſic animum virilem ac ſtrenuum neque proſperitatum aqua debilitat,aut mollefacit,nec aduerſitatum ignis conterit, contra omnia enim annititur, & omnium turbinum impetum euincit.

Simile. Sicut figura orbicularis quacunque ex parte eam reuoluas, eãdem prorſus exiſtit forma ac poſitione: ita animoſum pectus conſtanſque viri iuſti,quacunque ipſum parte ac conditione iactet hic mundus, & quibuſuis reuolutionibus circumagat, ſemper eodem ſe habet modo, vbiquẽ conſtans, vbique firmum, vbique in bonis operibus perſeueráns.

Quemadmodum canis fidelis exiſtit domino ſuo, Simile. cibumque præbenti, ac ſequitur ipſum quocunque itinere inſiſtat, quantumcunque difficile ſit & aſperum,per aquam, per æſtum, ſitim, famem, alioſque labores,nunquamque eundem deſerit: ſic fidelis ac optimus Chriſticola ſequi Chriſtũ dominum ſemper debet,quocunque velit ipſum itinere deducere, ſiue iucundo, ſiue aduerſo & laborioſo, neque vlla vnquam ratione recedere ab eo debet.

Sane ſi impugnaremus aliquod caſtrum ſeu mu- Similitu. nitiſſimam arcem, & ex ipſa nobis mitteretur auxilium, & omnia neceſſaria ad expugnandam & capiendam eam, non quidem nos deterreret eiuſdem munitio, neque deſperaremus, aut deficeremus ab eius impugnatione, quin potius maximo animi robore perſiſteremus, cum magna illius capiendæ fiducia. Cur ergo deficiemus ac retrocedemus in expugnatione ſiue acquiſitione regni cælorum,quamuis nobis inacceſſibile quaſi videatur,cum nos fides ipſa doceat,nobis in virtute pro virili perſeuerantibus,de eodem cælo ſupremo ſubminiſtrandum fore fauorem, & omnia denique quæ ad eiuſdem acquiſitionem neceſſaria cenſebuntur?

Quemadmodum ſapiens architectus iactis firmis Simile. & optimis alicuius ædificij fundamentis, non quieſcit adhuc,ſed videns optima principia,animatur,ac parat vltra procedere, donec tandem relinquat ædificium conſummatum,& omnino perfectum: ita vir forti animo, pectoreque Achilleo, non debet eſſe operis fundamento contentus, ſed ex bono initio operis, animari debet quouſque tandẽ perfectũ opus & omnibus ſuis numeris abſolutum eſſe intelligat.

Si manſeritis in ſermone meo. Quaſi ſibi velit, non propter hoc quod creditis ſuperficie tenus,eritis diſcipuli mei, niſi manſeritis. Vide D. Tom. ſuper Ioan. Lectio. 4.

Nullam habebimus excuſationem quo minus Diſſimil. perſeueremus in ſpirituali ædificio. Multi enim vlterius non procedunt in ædificiis temporalibus, quod eis non ſuppetant quæ neceſſaria ſunt: at in ædificiis ſpiritualibus nil deeſt quo minus continuemus & perſeueremus. Vnde ſi minus pergimus, nobis id imputare debemus. Non creſcunt ſæpe arbores,& ſegetes, quod calamitate afficiantur: verbum vero Dei natum in anima, perpetuo irrigatur ſuperne, vt creſcat, niſi tu obſtaculum opponas. Quare cum tota res in manu noſtra ſit, pergamus, & perſeueremus in virtute.

Aduerte quod non dicit, ſi me audieritis, aut ad me acceſſeritis, vel ſimile quid: ſed ſi manſeritis. Et certe aut perſeuerare laborioſum eſt,aut non: quod ſi laborioſum eſt, debemus nobis præmium tantum ante oculos proponere: ſin minus, plane grauiſſimam incurrimus reprehenſionem ſi non perſeueramus. Cæterum quid aliud eſt dicere, ſi manſeritis, Matth. niſi ſi in petra ædificaueritis? ædificium quidem ſupra firmam petram, nullis ventis, aut imbribus diruitur. Quid aliud porro eſt perſeuerare, niſi non labi, & ceſpitare in ipſis tentationibus, ſiue ſuccumbere? vnde præmium ſequetur, quod noſcamus veritatem ipſam, & ipſa liberet nos. Vide D. Auguſt.de verbis domini ſermo.48.to. 10.

Philoſophus ille Menander egregia ſententia nos ad perſeuerantiam hortatur,dicens: Cum quid ſanctum agis, bonam ſpem tibi propone: certus quod conatum iuſtum Deus adiuuat, Phocylides, vitam age bonam, ad vitæ vſque terminum.

Reſponderũt ei, ſemen Abrahæ ſumus,& nemini ſeruiui-

inus vnquam, quomodo tu dicis, liberi eritis? In turba eorum qui crediderant, ad quos præcedens habitus est sermo, nonnulli erant qui nondum crediderunt, neque fidei dono illuminati sunt: qui hanc cauillationem verbis Domini obiecerunt. Neque enim existimandum est, eos qui in Christum crediderant, vsque adeo ad calumniandum eius verba, & falso redarguendum, animatos fuisse. Magistri enim verbis reuerentia à discipulis solet exhiberi, non calumnia. Quia igitur dominus eos qui in suo permanserint sermone promisit per veritatem liberādos, futurosque liberos: illis offensi verbis Iudæi, qui dumtaxat ad reprehendenda Christi verba intenti erant, intelligebant significari se aliqua prius seruitute pressos, à qua essent per veritatem liberandi. Id autem indigno ferētes animo, de generis sui nobilitate gloriantur, quod ex Abrahā patriarcha duxerint originem iactantes, & quod nemini seruiuerint vnquam vane attestantur: de seruitute corporali verba domini solum intelligentes. De qua tamē quod se asseuerant, falsum esse liquido constat. Ioseph enim vnus ex patribus eorū & progenitoribus, seruiuit in Ægypto: quemadmodum Psalmus dicit de eo, in seruum venundatus est Ioseph. Et ipsi quoque in Ægypto duram seruierunt seruitutem sub iugo Pharaonis, luto, latere, & paleis. Propterea dominus sæpius eis commemorans beneficium liberationis eorum ex Ægypto, adducit quod eripuerit ipsos de domo seruitutis, & fornace ferrea Ægypti. Quid? nonne in Babylonica captiuitate sub Nabuchodonosor, duram pertulerunt seruitutis cōditionem? Nonne tandem Romanorum imperio subiecti, eis tributa pendebant? Quid ergo gloriantur se nunquam seruisse cuiquam? sed vsque adeo præceps est & vehemens contradicendi studium, vt quid verum sit necne nequaquam attendat. Cæterum dominus de corporali seruitute cum eis contendere recusat: alteram autem longe duriorem affert seruitutem, qua clanculum innuit eos grauiter esse oppressos, vtpote seruitutem peccati. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati. Aquo enim quis superatus est, huius & seruus est. Trahitur quis cupiditate sua ad congerendam pecuniam, ad rapienda aliena, ad furtum, nonne auaritiæ seruus est? alius crapulæ ebrietatique deditus, ad obscœnas corporis voluptates præceps rapitur: quis hunc gulæ, & libidinis seruum negauerit? denique alius ad honores aspirat, dominatum concupiscit, principatum affectat: hic superbiæ durissimo iugo sua colla subigit. Verum hæc seruitus eo deterior est quam corporalis subiectio, quod corporalem vt duram & acerbam detestantur omnes & auersantur: quam quantum aspera sit cognoscunt, & pro viribus refugiunt. Peccati vero seruitus, neque satis cognoscitur, neque displicet. Applaudimus ei, & colludimus sponte nostra, atque in dies augemus eam. Habet enim assēclam sibi & sociam blandam voluptatem: cuius fuco & mendacio inescat animos hominum, & libertatis præsefert speciem. Præterea serui hominū inhumanos & immites plerumque fugiunt dominos, & corripiendo fugam, à dura liberantur seruitute. Seruus vero peccati, quo fugiat non habet. Sequitur enim illum semper vindex conscientia, & grauissimis, qui ex peccatorum recordatione surgunt, stimulis torquere non cessat, neque placidam ei quietem concedit. Præterea corporalis seruitus plerumque citra culpam eius qui in conditionem trahitur seruilem, inducitur, eo ipso quidem renitente, ac inuito. Quid enim peccauerat Ioseph, vt in seruum à fratribus venundaretur? Quid item admiserunt, Daniel, & socij eius, in captiuitatem Babylonicam adacti? Seruitus vero peccati sponte nostra semper contrahitur, cum peccatum omne sit voluntarium, & eius assuefactio spontanea: & culpæ rationem habet assidue annexam, quoniam ex ipsa & frequenti eius perpetratione potissimum nascitur. Rursum humana seruitus qua in alterius ditionem amissa libertatis conditione quispiam redigitur, saltem ipsa finitur morte, quantumuis in præsentis vitæ incolatu fuerit diuturna, immitis, & aspera. Peccati autem seruitus nequaquam in ipsa terminatur morte, sed hic inchoata, perpetuo durat post mortem, sine vlla consequendæ libertatis spe. Qui enim peccati iugum à se non excusserit cum præsentem agit vitam, haudquaquam illud abiicere poterit post hanc vitam: quod tunc nec pœnitentiæ, nec veniæ locus vllus relinquatur iis, qui hic obdurata fronte, animoque obstinato, grauibus peccatis se obstrinxerunt. D. Cyrillus lib. 6. super Ioan. cap. 2.

Gene. 39. Psal. 104. Exod. 1. Deut. 4. 4. Reg. 25 Lucæ 2. 2. Petri. 2. Gene. 37. Danie. 1.

Atqui si indignandum fuisset, tolerabilius potuissent, cum dixit, cognoscetis veritatem, dicendoque: Nunquid eam nescimus? lex ergo & cognitio nostra falsa est. Sed de secularibus indignantur, & mundi verentur seruitutem. Sunt & hac ætate, sunt inquam qui in rebus non proprijs & mundi seruitute erubescunt, peccati seruitium nil verentur: & optarent huic potius obnoxij frequenter appellari, quam illi semel. Tales illi erant, qui aliud seruitium ignorabant, dicentes: Seruos appellas, qui ex semine Abrahæ sunt? qui generosi, qui serui minime sunt appellandi? Nunquam seruiuimus. Huiusmodi Iudæorum iactationes; semen Abrahæ sumus; Israelitæ sumus. Nunquam propria merita memorant, ideo in eos clamat Ioannes. Nolite putare & dicere, patrem habemus quidem Abraham. Sed quare non reprehendit eos Christus, siquidem sæpe seruierant & Ægyptiis, & Babyloniis, & aliis multis? Quoniam nolebat cum his agere nisi ad salutem tantum & beneficium, ad quod tantum properabat. Potuisset namque in medium eorū quadraginta, inde septuaginta, inde sub iudicibus, nunc viginti, nunc duorum, nunc septem annorum afferre seruitutem: & præterea quod nunquam serui esse desierint. Sed eos non hominum seruos ostendere voluit, sed peccati: quæ seruitus est grauissima, à qua solus Deus liberare potest. D. Chrysosto. ho. 53. in Ioan. to. 3.

Matth. 3. Gen. 39. Danie. 1. Exod. 1. Deut. 4. Lucæ 1. Matth. 1.

O pellis inflata! non est ista magnitudo, sed tumor. Et hoc ipsum secundum huius temporis libertatem, quomodo verum dixistis, nemini seruiuimus vnquam? Ioseph non est venundatus? Prophetæ sancti in captiuitatem non sunt ducti? Deinde nonne ipse ille est populus, qui in Ægypto lateres faciebat, & regibus duris non saltem in auro & argento, sed in luto seruiebat? Si nemini seruistis vnquam ô ingrati, quid est quod assidue vobis imputat Deus, quod vos de domo seruitutis liberauit? An forte patres vestri seruierunt, vos autem qui loquimini nemini vnquam seruistis? Quomodo ergo soluebatis iam tributa Romanis? D. Augustus. super Ioan. tracta 41. to. 9.

Matth. 1.

Apud Deum plus valet animus quam genus: plus haberi solet in oculis Dei pastor & pauper agricola probi, quam Rex vel Papa si improbi sint. In Euangelio Matthæi tres reges tolluntur de medio, nempe Ochozias Ioas, & Amazias, in Christi genealogia: quia se miscuerant cum sanguine impiissimæ Iezabelis, vt testatur Hiero. lib. 1. in Mat. 1.

Super illa verba, semen Abrahæ sumus &c, Vide Lauren. Iusti. lib. de contemptu mundi cap. 19. vbi agit quod nullus illo miserabilior est, qui cum sit seruus, liberum se esse arbitratur, circa medium operum.

Super

Super illud, semen Abrahæ sumus, tractari poterit de generibus seu familiis, hoc est contra insolentiam & arrogātiam quorundam, qui se iactāt de his.

Super eadem verba, semen Abrahæ sumus &c. Vide Sixtum Senen. Biblio. sanc. lib. 6. anno. 203.

Cum dicunt illa verba, nemini seruiuimus vnquam, omnino se plane ostendunt inscios, & mendaces: inscios quidem quia ipsi intelligunt de seruitute carnali, & Christus loquitur de spirituali. Mendaces, quia maiores eorum seruierant sæpissime multis nationibus, & ipsi reuera serui erant populi Romani. D. Thom. lect. 4. super Ioan. 8.

Respondit eis Iesus: amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si ergo filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Non enim potest qui seruituti peccati subiacet, seipsum pro arbitratu suo ab eo iugo eripere; etsi sponte sua se coniecerit in miseram illam conditionem, ab alio tamen liberetur oportet, vtpote à vero filio Dei. Nulla tentetur alia libertatem recuperandi via: quia per illum solum vera conceditur libertas à peccatis, vt hic peccatum non dominetur, neque regnet in nostro mortali corpore, & in futuro seculo vt omnino peccatum locum non habeat. D. Cyrillus super Ioan. lib. 6. cap. 2.

Gene. 31. Exo. 33. Simile. Eccles. 9. Iacob. 2. Simile. Simile. Gene. 19. Simile.

O miserabilis seruitus! plerumque homines cum dominos malos patiuntur, venales se petunt: non quærentes dominum non habere, sed saltem mutare, seruus peccati quid faciat? Quem interpellet? Apud quem se venalem petat? Deinde seruus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: seruus peccati quo fugiet? secum se trahit quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo cat, sequitur se: imo non recedit à se, peccatum enim quod facit, intus est. D. Augustus. super Ioann. tracta. 41. tomo. 9.

Simile. Simile. Simile. 2. Reg. 11. Psal. 37. Exo. 32. Simile.

Acrius hominem iustum peccatorum onus discruciat, & seuerius affligit, quam sceleratissimum peccatorem, qui humeris portat grauissimam peccatorum sarcinam. Nullum quidem elementum in sua sphæra est graue. Si profundum pelagus ingrediatur quis ad natandum, non ille sentiet aquarum pondus, etiam si infinitam aquarum copiam desuper habeat: extra fluuium vero si se vtriculo aquæ oneret, aquæ grauitatem sustinere non poterit, quia tunc est aqua extra suam sphæram. Si vas in puteum ad hauriendam aquam miseris, leue nimis erit, ita vt puerulus illud extrahat, etiamsi in profundo putei sit: verum dum ad summitatem aquæ ascēdit, dumque à suo exit elemento, robustiores vires ad illud extrahendum sunt necessariæ. Similiter ille qui alium manducauit, eius odorem non sentit: verum ille qui foris est, fætorem statim olfaciendo agnoscit. Considera peccator quod turpissimum peccati alium deuoraſti, nec est qui tuæ famæ detestandum odorem patiatur, nisi tu: quoniam illo spurcissimo odore non grauaris. Nec mirum est, nam obduxisti iam in peccando callum, sicque peccati fætorem, & illius graue pondus non sentis, quia praua hæc consuetudo in naturam conuersa est. Dauid quando illa adulterij & homicidij scelera perpetrauit, onus peccatorum quæ humeris portabat nō sentiebat: tamen postquam conuersus pœnitentiam egit, statim dixit: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Sic Moyses qui sanctus erat, sensit onus peccatorū populi, cum dixit Deo: Dimitte illis hanc noxam &c.

Si tu in domo tua in capite mensæ Æthiopissam accumbere faceres immundam & inhonestam, ipsaque tanquam domina sederet: vxori vero præcipe-

Roma. 3. Heb. 5. Heb. 10.

res, quæ illustris & princeps est, vt mensæ ministraret: nonne grauem iniuriam ipsi inferres? Hoc igitur modo peccator cum Deo agit, quandoquidem suos appetitus & libidinem pluris habet, quam Deum, & creaturam ipsam eius conditori anteponit. Propter quod moleste ferens hæc omnia, domum & hospitium Deus deserit: quemadmodum fecit Iacob qui domum Laban deseruit. Vnde & in Exodo legitur dominum dixisse. Non ascendam cum populo isto duræ ceruicis. Et quemadmodum discessu regis, omnes qui sunt in curia abeunt: ita cum Deus discedit ab anima, omnia bona opera quæ peccator in statu gratiæ est operatus, amittit. Bene enim dominus dixit per Ezechi. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecit non recordabuntur. Et sapiens, si offenderit in vno, multa bona perdet. Remota enim radice charitatis exqua procedunt merita, remouentur fructus meritorum. Et sicut mors corporis hominem exuit quocumque bono corporali: ita peccatum hominem priuat omnibus bonis spiritualibus. Si homo aliquis ab Indis ad nos veniret, & statim cum portum attigerit, omne aurum & argentum quæ tantis laboribus sibi comparauit, ludo exponat, & vnica tantum sponsione totius substantiæ iacturam fecerit: nonne hunc amentem, insanum, & omni prorsus carentem intellectu diceres? Quæ igitur obsecro maior insania esse potest, quam breui quadam voluptate ad triduum peritura, omnis lucri, ac tantorum meritorum quæ tot laboribus comparasti, iacturam facere? Vxor quidem Loth in salem conuersa est per peccatum: ita etiam peccator sterilis fit, & manet vt terra sale consita, cum nullum fructum possit producere vitæ æternæ meritorium.

Theophylactus in commentariis interpretans illud, omnis qui facit peccatum seruus est peccati, ait. Sed peccati grauior seruitus est, à qua solus Deus liberare potest: remittere enim peccata solius est Dei. Ideo dicit: Omnis qui facit peccatum seruus est peccati & vos igitur serui estis, quia peccatores. In super quia verisimile erat illos dicere, Quamuis tali seruitute simus obnoxij, habemus tamen sacerdotes qui purgabunt nos à peccatis; dicit, quod & illi serui sunt. Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei: & sacerdotes vestri quoniam & ipsi serui sunt, non habent potestatem aliis dimittendi peccata: quod & ipse Paulus manifestius dicit: Opus habet sacerdos pro se ipso offerre, sicut pro populo; quia & ipse infirmitati obnoxius est. Citatur passim à Lutheranis hic locus, & in Collectaneis Bodij recensetur inter eos qui ab iisdem hæreticis obiiciuntur aduersus autoritatem quam habent sacerdotes remittendi peccata. Atqui Theophylacti verba palam arguunt eum non loqui de sacerdotibus Euangelicis, sed de Mosaicis: de quibus etiam Paulus dixit, non potuisse eos peccata dimittere. Nostri vero sacerdotes nobiliorem sortiti dignitatem, ius habēt soluendi atque ligandi: vereque etiā peccata remittunt, non tanquam præcipui autores huiusmodi remissionis (solus enim Deus qui solus creator est iustificantis gratiæ hoc modo delicta condonat) sed tanquam ministri & dispensatores diuinę indulgentiæ. Sixtus Senen. lib. 6. Biblio. sanc. annota. 202.

D. Ambro. lib. de Cain & Abel inquit quod remittuntur peccata per Dei verbum, & remittuntur etiam per officium sacerdotis sacrumque ministerium. Quæ sane verba idcirco Ambro. protulit, vt ostenderet non solum Deum, sed etiam sacerdotes peccata remittere. Sicut etiam apertius idipsum explicauit lib. 1. de pœnitētia cap. 2. inquiens. Qui spiritum sanctū accipit, & soluendi peccati potestatem

accipit

Ioann.20 accipit & ligandi. Sic enim ſcriptum eſt, Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt. Ergo qui ſoluere non poteſt peccatum, non habet ſpiritum ſanctum. Munus ſpiritus ſancti eſt officium ſacerdotis, ius autem ſpiritus ſancti in ligandiſque criminibus. Vide Six. Senen. Bibli. ſanc. lib. 5. annota. 62.

Cõc. Tri. Seſſion. 14. cap. 6. can. 10.

Super illa verba, omnis qui facit peccatũ ſeruus eſt peccati, cõſule D. Thom. de veri. q. 24. arti. 1. ad. 7.

Super illa, ſi vos filius liberauit &c. lege eundem 3. p. q. 27. arti. 3. in co. & q. 49. art. 2. ad 2. & de veri. q. 24. arti. 11. ad. 1. & quodli. 6. q. 3. art. 1.

Super illa verba, qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, agere poteris quam culpabiles ſint impij, qui ſponte ſua ſe ſeruos efficiunt peccati; & cum poſſint libertate gaudere, atque liberi eſſe à duriſſima huius tyranni ſeruitute, nolunt tamen. Præſertim cum nullus reperiatur in orbe ſeruus, cuiuſuis vel clemẽtiſſimi domini, qui libertatem, ſi eam poſſet habere, non quærat. Nos vero mille vitiis ſponte ſubiicimur, atque ſeruimus rebus maxime infimis, vt auro, argento, & aliis huius ſeculi miſeriis, & vitiis. De hoc argumento multa ſuppeditabit tibi Seneca lib. 14. epiſ. ad Luci. epiſ. 95. circa finem.

Simile.

Simile. Quemadmodum inſipientes ac barbari Æthiopes decipiuntur, cum captiui ducuntur, oblatis rebus infimis, & nullius fere momenti, vt crotalis, pileis oſtrei coloris, ſpeculis, aliiſque id genus puerilibus ornamentis: ſic quoque nos à dæmone vincimur, atque eiuſdem miſerrimæ ſeruituti ſubiicimur, huius ſeculi minimis deliciis voluptatibuſque miſerrimis capti, quæ nobis proponuntur à ſingulis vitiis. Auaritia enim pecuniam promittit, Luxuria multas ac varias voluptates &c. De hac re vide etiã Senecam lib. 9. epiſ. epiſt. 70. prope finem.

Hanc plane infelicem ſeruitutem nobis inſinuat Apoſt. ſcribens ad Roma. cap. 6. Non, inquit, regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Ex quo aperte colligitur, peccatum non eſſe in anima ſicut eſt habitator in domo ſua: ſed vt eſt dominus ac rex in ſuo regno: quod poteris amplificare.

Autor. Non eſt in toto orbe ſeruitus adeo crudelis ac tyrannica quæ tantum hominem premat, ac conſtringat: quandoquidem voluntatem obtinere non valet, tollereque intus libertatem: tantum in exterioribus dominatur. Id perſpicuum fit & exploratum in illis pueris ſeu adoleſcentibus qui in Babylonia captiui tenebantur: quorum voluntates ad ſtatuam auream adorandam tyrannus ac ferox ille rex flectere, vel per fornacem ignis horrendam vlla ratione nequiuit. Impij ergo ſeruitus, quandoquidem ſe dæmoni ſubiicit, adeo magna eſt, tantumque ipſi dominatur iniquitas: vt interiorem & exteriorem hominem comprehendat, & miſerrimum ſeruum dominus ipſe crudelis ſubiectum, proſtratum, & conſtrictum teneat, in tantum, vt ſolus Deus eum ab illa miſerrima ſeruitute liberare queat. Hoc poteris dilatare & ampliare.

Diſſimil. Danie. 3

Quomodo ſint fugienda vitia, quandoquidem eo miſeriæ & ſeruitutis intrudimur per ipſa, conſule Vincen. Bell, ſpecu. doctri. lib. 4. cap. 106. vbi reperies quanta ſit cura adhibenda diligenſque ſtudium ad vitia extirpanda, etiam ſecundum multorum philoſophorum ſententiam. Lege quoque eundem lib. 5. cap. 25.

Autor. Non eſt dominus adeo ſolicitus de ſeruitute ac labore ſui ſerui, quin ipſum aliquantiſper ceſſare ac quieſcere, vel ſaltem reſpirare permittat: aut quia

Diſſimil. eum ſemper habere præſentem, vt ad laborandum excitet, non queat: vel quia timeat ne laboris aſſiduitate, afflictioneque corporis continuata, deficiat, & moriatur. Itaque etſi ne illum tantopere premat affligatque labore, non moueat humana clementia; mouet tamen ipſum pretium ſerui, ne aliter amittat vtrumque, & ita tantum laborem moderando, conſeruat ſeruum; & aliqua ex parte eius miſeriam ſubleuat. Sed tamen hæ omnes cauſæ ac rationes ceſſant in ſeruitute diaboli: quoniã cum ipſe miſerabilis ſeruus dominum ſuum in mente habeat, eum ſemper habet præſentem, & ſic miſer vel momento non ceſſat. Si vero dicatur quod ipſum dominus eius aliquo ſubleuat labore, timens ne nimia vitiorum exercitatione moriatur: id quidem aperte falſum eſt, præſertim cum tunc omnium maximum accreſcat lucrum crudeliſſimo domino, cum ſeruus è vita ſublatus fuerit huiuſmodi exercitatione.

Nullus porro dominus reperitur ſeruo ſuo tantopere ſæuus, quin quandoque in eius tractatione temperetur, conſiderans illum quoque hominem eſſe, conceptum ac natum in vtero ſimiliter matris, ſuſtentatum eodem modo, & quod ambos idem tegit cælum, eademque terra ſuſtentat, ab eiſdem ambo influentiis gubernantur, ambo eiſdem elementis vtuntur, eodem ſole & mundo, & denique mortem ambo ſine diſcrimine expectant & quod ipſe qui eſt dominus, poterit tunc eſſe ſeruus. Cæterum cum hæ omnes conſiderationes locum in dæmonis ſeruitute non habeant: hinc fit vt miſerrimus ſeruus tam inhumane tractetur, ac crudeliter affligatur.

Autor. Diſſimil.

Quanta ſit in miſeria conſtitutus ſeruus peccati Eſa. 1. B. à planta pedis vſque ad verticem. C. derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea.

Quam ſit magna miſeria & infelicitas ſeruire peccato Eſa. 29. E. væ qui profundi eſtis corde.

Quot quantiſque priuetur bonis ſeruus diaboli Hiere. 5. F. iniquitates noſtræ declinauerunt.

Quam crudelis ac dura ſit ſeruitus qua impius ſubiicitur dæmoni Ezechi. 33. C. iuſtitia iuſti non liberabit eum.

Quot quantiſque minarum aſperitatibus ſerui peccati ſint obnoxij Oſee 14. A. pereat Samaria.

Quanta ſolicitudine ac cura debeat homo cauere ne tam miſerabilem ſeruiat ſeruitutem Eccleſiaſtici 21. A. quaſi à facie colubri.

Seruus peccati amittit veram libertatem Ioſue 24. E. non poteritis ſeruire domino.

Quam ſit miſera ſeruitus peccati 2. Parali. 12. C. vt ſciant diſtantiam.

Seruus Satanæ quam ſit expoſitus ad cadendum in peccata Matthæ. 17. C. ſæpe cadit in ignem.

Seruus peccati magno debito tenetur adſtrictus Matth. 18. D. decem millia talenta: & ita ſolus Deus poteſt illum liberare.

Serui dæmonis quo pacto tractentur & affligantur Lucæ 8. D. & veſtimento non induebatur.

Scio quia filij Abrahæ eſtis, ſed quæritis me interſicere, quia ſermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem meum, loquor: & vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum facitis. Scio inquit & admitto quod filij eſtis Abrahæ ſecundum carnem, ſed non eſtis ſecundum imitationem. Agnoſco in vobis carnis originem, ſed non Abrahæ fidem, neque opera: quia quæritis me interficere, Inde degeneres eſtis, & à patris veſtri bonitate exorbitantes. Id certe nunquam moliremini, ſi filij Abrahæ ſecundum fidem eſſetis. Ipſe autem ſtirpis originem parui facio, ſi illi non reſpondet animi bonitas, & proauorum recta imitatio. D. Cyrillus ſuper Ioan. lib. 6. cap. 3.

Super illa verba, ego quod vidi apud patrem &c. vide D. Thom. 1. p. q. 42. art. 6. ad 2. & contra gentes lib. 4. cap. 8.

Reſponde

Reſponderunt, & dixerunt ei: pater noſter Abraham eſt. Iudæi quod eis dominus vltro conceſſit & tribuit, iterum atque iterum replicant: & Abraham ſuum eſſe patrem, illius genere intumentes. rurſum inculcant: quo dominum prouocent vt aliquid diceret contra gloriam aut nomen Abrahæ, & inde poſſent in eum vindicare, tanquam inimicum & aduerſatium Abrahæ. Verum dominus inſidias eorum ac molitiones non ignorans, Abraham quidem vt merito commendandum, laudat, ipſos vero vt degeneres & à moribus Abrahæ alienos, condemnat. D. Cyrillus ſuper Ioan. lib. 6. cap. 4.

Dicit eis Ieſus, ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite: nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus ſum vobis, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit: vos facitis opera patris veſtri. Magnopere nobis formidandum eſt, ne ſimile quiddam nobis obiiciatur quod à domino Iudæis hic obiectum legimus. Gloriamini Chriſti eſſe filij, opera Chriſti facite. Et quoniam opera Chriſti non facitis, vt res ipſa linguis tacentibus loquitur, conuincimini non veri eſſe Chriſti filij per morum imitationem, ſed degeneres & adulterini, generatioque praua & adultera. Enimuero ad ambiendos mundi honores, toto rapimur animo, atque adſpiramus ad congerendas opes, inſatiabili cupiditate ferimur ad voluptates, præſentiſque vitæ delicias perfruendas, inſanimus, & agimur præcipites. Hoc autem Chriſtus non fecit, qui delatam ſibi miro fauore regiam dignitatem, fugiendo declinauit: qui pauper ſemper vixit, non habens vbi caput reclinaret: qui denique acerbiſſimos in corpore ſuo pro nobis dolores pertulit. Quo circa in nobis id locum habere videtur quod ſcribit Paulus ad Titum: Confitentur inquit ſe noſſe Deum, factis autem negant. Confitemur ſiquidem ore, & exteriore cultu atque habitu, nos Chriſtum noſcere, eius nomẽ ſumus in Baptiſmo profeſſi, & præclara ipſius denominatione inſigniti, appellamur Chriſtiani: factis autem Chriſtum negamus, quoniam quæ vetuit cõmittimus, & quæ præcepit omnino negligimus. Nonne igitur cum horrore ingentique pauore debemus extimeſcere, ne demũ nobis iuſte improperet, quod hoc loco deinceps Iudeis exprobrauit? vos ex patre diabolo eſtis, & opera patris veſtri vultis implere. Ex patre ſiquidem diabolo ſumus, ſi malitiam eius & peruerſitatẽ noſtris operibus imitamur, facti exinde morum cognatione Satanæ filij D. Cyrillus ſuper Ioann. lib. 6. cap. 4.

Ioann. 8. Ludan. Era.

Quapropter tu qui nobilis es, & te ex illuſtri ſanguine ortum magnificas: tuorum maiorum ſtudioſa facta, & ſequi, & imitari cures. Nobilitas namque cenſus quidam perpetuus eſt virtuti debitus, quem ex nobilibus progeniti per vniuerſum tempus ſuæ vitæ exoluere tenentur. Nam qui ab hac vera nobilitate deuiant, monſtra quædam naturæ ſunt à propriis parentibus degenerantia.

Dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non ſumus nati, vnum patrem habemus Deum. Sæpius Iudæi Abrahæ ſtirpe ſe exortos gloriati, & ſemper à domino confutati ſunt: atque quod veri non eſſent Abrahæ filij conuicti. Ex quo tandem intelligere cœperunt dominum non de carnis origine, ſed vitæ ſimilitudine morumque imitatione dicere, ac verba facere. Quaſi enim hoc pacto adinuicem loquebantur: Quoties nominauerimus Abraham dicturus eſt nobis, Quare illum non imitamini, de cuius genere gloriamini? Dicamus Deum patrem noſtrum, & videamus quid nobis reſpondeat. Propterea dicunt, Nos ex fornicatione non ſumus nati, vnum patrem habemus Deum. Legerant vtique in ſcripturis, fornicationem ſpiritualem appellari idololatriam, per quam miſera anima dæmonibus quaſi proſtitura ſubiicitur. Nempe Ezechiel propheta nefandas idololatriæ ſuperſtitiones, quibus erat contaminata Hieruſalem, commemorans, inquit: Et habes fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti &c. Idem quoque propheta alio loco. Duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ ſunt in Ægypto. Itaque nunc ſe iactant quod ex iis qui idololatriæ dediti fuerint, non deſcenderunt. Sed vana & friuola eſt eorum iactantia. Nam & patres eorum in deſerto adorauerunt vitulum conflatilem, & cum à iudicibus regerentur, ſæpius abierunt poſt deos alienos, & traditi ſunt in manus perſequentium. Denique cum regum principatu gubernarentur, frequenter admodum prolapſi ſunt in cultum idolorum; & tandem Babyloniacam perpeſſi captiuitatem, in ſcelerũ ſuorum pœnam. Si non fuit vnquam in progenitoribus eorum iſta fornicationis abominatio: quare igitur Ieremias propheta, imo dominus per Ieremiam, Iudæam de fornicatione increpat, atque vt ab illa deſiſtat clementiſſime commonet? dicens: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit dominus, & ego ſuſcipiam te. Itaque hoc verbo occulte ſe gentibus præferũt idola colentibus, & pluris ſe ſe faciunt, quòd vnius Dei cultum obſeruant, idcircoque ſubiiciunt, vnum patrem habemus Deum. D. Cyrillus ſuper Ioan. lib. 6. cap. 5.

Ioann. 6.

Lucæ. 9.

Dixit eis Ieſus. Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me: ego enim ex Deo proceſſi, & veni. Neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit. Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum. Tumidam eorum iactantiam reprehendit dominus, oſtenditque ne Deum quidem eſſe patrem eorum ratione cultus & venerationis eorum in ipſum. Si inquit Deus eſſet pater veſter ob ſingularẽ veſtram in eum reuerẽtiam, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo proceſſi, & veni: proceſſi quidem generatione æterna & ineffabili ſecundum diuinitatem, qua Deus ex Deo, omnipotens de omnipotẽte, æternus de æterno genitus ſum. Veni autem ſecundum aſſumptam humanitatem in hunc mundum. Non enim à meipſo veni: ſed ille me miſit, quæ miſſio vtique incarnatio, vt & in aliis locis, intelligenda eſt. Itaque procedere ex patre diuinitatis eſt, venire vero humanitatis. Acri deinde interrogatione incredulitatem eorum exprobrat. Quare inquit loquelam meam non cognoſcitis? Verba quidem mea auribus corporis hauritis, non tamen menti veſtræ infixa inſident: neque ſatis intelliguntur, quia neque ea vera eſſe creditis, neque opere ſtudetis complere. Et tanti mali cauſa eſt, quia non poteſtis audire ſermonem meum. Vſque adeo cor veſtrum liuore & inuidia intabuit, & in me graui odio exarſit, vt non poſſitis benignis auribus recipere ſermonẽ meum, neque æquo animo illum ferre. Meminiſſe debetis Eſaiam prophetam de vobis & veſtri ſimilibus dixiſſe, Quod auribus grauiter audierunt. Id in vobis completum cernitur, qui à recta doctrina aurem auertitis, & non poteſtis audire ſermonem meum, quia non vultis ei credere, neque fidem præſtare. D. Cyrillus ſuper Ioan. lib. 6. cap. 5.

Ezec. 16. Ezec. 23. Exod. 32. Eſa. 6.

Ego enim ex Deo proceſſi &c. Vide D. Tho. 1. pa. q. 27. per totam. & in 1. ſenten. diſ. 13. per totam. & contra gen. lib. 4. cap. 11. & de poten. q. 10. per totam.

Sciendum eſt quod omnis amicitia in coniunctione fundatur. Vnde & fratres ſe diligunt in quantum ex eiſdem parentibus principium ſumunt. Dicit ergo dominus; vos dicitis quod filij Dei eſtis: ſed ſi hoc eſſet, diligeretis me quia à Deo proceſſi, & veni. Qui ergo non me diligit, nõ eſt filius Dei. *Proceſſi*

in

inquam à Deo, vt vnigenitus ab æterno, de substantia patris. Psal. 109. ante luciferum genui te. Et Ioan. 1. In principio erat verbum. *Veni* autem, vt verbum caro factum: & missus à Deo per incarnationem. Ioan. 13. exiui à patre, vt verbum ab æterno; & veni in mundum, vt caro factum in tempore. *Neque enim à me ipso veni.* Id est secundum Hilarium, ego veni non à me ipso existens, sed quasi ab alio missus, scilicet à patre, vnde subdit. *Sed ille me misit.* Galat. 4. misit deus filium suum natum ex muliere &c. S. Thom. super Ioann. 8. lectio. 5.

Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Quod occultis insinuationibus & velato sermone prius dixerat dominus de patre Iudæorum; nunc tandem remota omni verborum circuitione, flexu, & ambage, aperte depromit, de quo eorum patre locutus fuerit paucis explicans, & diabolum eorum patrem esse declarans. Nempe consuetudinis est scripturæ sacræ, ex imitatione vel similitudine filios appellare, iuxtà
Ezec. 16. quam Ezechiel propheta loquitur ad Iudæam: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Quia enim Iudæi imitati fuerant impietates Amorrhæorum & Cethæorum; inde parentes eos habuisse dicuntur, de quibus per scelerum propaginem nascerentur, & cum quibus pro simili scelere damnarentur. Itaque *omnis homo inquantum à Deo creatus est, bonus est*, inquantum vero per liberum arbitrium peccando se subijcit diabolo, patrem habet diabolum, & filius illius est per operum imitationem. D. Cyrillus super Ioan. lib. 6. cap. 6.

Super illa verba, vos ex patre diabolo estis, consule D. Thom. 1. par. q. 114. arti. 3. ad 2. & de malo q. 3. art. 5. in corpo.

Super illa verba, ille homicida erat ab initio, vide eundem 1. par. quæst. 65. attic. 5. ad. 1.

In illa, & in veritate non stetit &c. vide eundem D. Thom. 1. par. q. 64. art. 2. ad 5. & 2. 2. q. 96. art. 1. in corpo.

Super illud, ille homicida erat ab initio &c. differere poteris de mendacio, atque mendacibus: quod dæmonem imitentur, qui mendacij extitit primus inuentor. De hac autem materia multa inuenies apud August. lib. de mendacio per totum tom. 4.

Contra mendacium & mendaces consule D. Leonem Papam in dialogo inter veritatem ac mendacium circa medium operum.

Composuit duos libros alios D. August. quos de mendacio inscripsit initio tomi quarti.

De mendacio lege Vincen. Bell. Specu. Mora. lib. 3. par. 7. dist. 7.

Quid philosophi senserint, lege eundem Specu. Doctrin. lib. 4. cap. 165. & 166. & eodem lib. cap. 95. & 96. agit quod nunquam siue in magnis siue in minimis, licitum est mentiri.

Adeo malitiosum est mendacium, vt in nullo casu, aut cuiusuis necessitatis intuitu, mentiri sit licitum; quamuis aliquando liceat occultare veritatem,
1 Reg. 16. sicut prudentissime fecit Samuel, postquam Deum consuluerat. Nam cum iret vncturus Dauid in regem, rogatus à senioribus Israel ad quid veniret: respondit, ad immolandum domino veni. Quod licet verum esset, non tamen id erat præcipuum institutum ipsius: sed Dauid in regem vngere. Nihilominus tamen his verbis prudenter alterum occultauit, quod tunc temporis manifestare non licebat, nec expediebat: & hoc modo veritatem obtexit nullum proferendo mendacium; vt legitur 1. Regum. 16. Hæc debes dilatare, quia in hac materia sunt multa quæ reprehensione egeant.

Homines tam facile ac velociter verba effundunt, absque vllo timore mentiendi, vt si quid accidat noui, & à multis successiue narretur, cum ad tertium enarratorem deuenit, fere nullum omnino vestigium cum archetypo suo habere videatur. Quando enim Absalon interfecit fratrem suum Amnon in conuiuio, ita nuntium gradatim ac successiue percrebuit, vt cum ad patrem peruenit, dictum fuerit omnes filios regis occisos fuisse per Absalon, cum tantum vnicus esset occisus, nullo aliorum vel leuiter percusso: vt constat 2. Reg. 13.

Mentiri vel seruandæ vitæ causa non est licitum Hiere. 38. G. prostraui ego preces meas.

Lege de mendacio D. August. explanantem Psal. 5. in illa verba, perdes omnes qui loquuntur mendacium ro. 8.

Mentiri turpe est Ecclesiastici. 5. C. omnis peccator probatur in duplici lingua. Item deforme est mentiri, ibidem D. in lingua tua ne capiaris.

Nonnulli mentiuntur intendentes hoc modo parare amicitias, sed tamen solent interdum ex hoc vitam amittere 2. Regu. 1. G. stansque super eum, occidi illum.

Mentiri quantum noceat 4. Reg. 5. F. modo venerunt ad me.

De hac etiam materia multa inuenies per Concordantias in *dictionibus*, Mentiri, mentiens, mentitus, mendax, mendacium, mendaciter; & per Indices doctorum ipsorum. Autor.

Homicida est dæmon non gladio, sed persuasione: vnde & tu non debes putare quod non sis homicida quamuis sanguinem non educas, si persuades fratri tuo peccata. Beda super Ioan. 2.

In laudem & encomium veritatis dixit Isocrates, per omnem ætatem tantam veritatis præteferto reuerentiam, vt plus habeatur fidei tuæ affirmationi, quam aliorum deierationi. Tum contra mendacium dixit Phocylides, mendacium ne dixeris: sed omnia vera loquaris. Idem etiam dixit: Noli aliam occultare in corde sententiam, & aliam proferre.

Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius. Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Vide D. Thomam de malo q. 16. art. 4. ad 23.

Quia mendax est & pater eius. Vide eundem de malo q. 16. art. 7. ad 2.

Duos de epist. & Euange. sermo. composuit D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Eundem consule 1. pa. histo. tit. 5. cap. 3. §. 11.

Feria sexta post primam Dominicam Quadragesimæ.

ERAT *dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam: est autem Hierosolymis probatica Piscina quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. Ioannis. 5.* Viri tenebantur ibi esse in illo festo quia ter in anno tenebantur masculi apparere coram domino, scilicet paschate, Pentechoste, & festo tabernaculorum. Glos. Lyræ super Ioann,

Frequenter in solẽnitatibus ciuitatem petit, tum vt videatur ipse quoque cum reliquis festos dies celebrare, tum vt simplicem ad se multitudinem alliciat; maxime enim huiusmodi diebus melius dispositæ esse consueuerat. D. Chrysosto. super Ioan. ho. 35. to. 3.

Istud solenne festum erat Pentechoste, in memoriam legis in monte Sinai ab Angelo datæ, Exo. 23. Ioannes Maio. super Ioan.

Vt plu

Vt plures per signa & doctrinam alliceret maximeque turbam simplicem, ascendit Hierosolimam. Tunc enim solebant conuenire rustici, & opifices vrbani: qui aliis diebus in operibus suis erant occupati. Theophylac. super Ioann.

Piscina illa & aqua illa populum mihi videtur significare Iudæorũ. Significari enim nomine aqua-
Apoc. 17. rum populum, aperte nobis indicat Apocalypsis Ioannis: cui cum ostenderentur aquæ multæ, & interrogasset quid essent, responsum accepit populos esse. Aqua ergo illa, id est, populus ille, quinque libris Moysi tanquam quinque porticibus claudebatur. Sed illi libri prodebant languidos, non sanabant. Lex enim peccatores conuincebat non soluebat: & litera sine gratia reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat. Nam hoc dicit Apost. Si enim
Gala. 3. lex data esset quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia. Quare ergo data est lex? sequitur & dicit. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quid euidentius? nonne verba hæc exposuerunt nobis & quinque porticus & languentium multitudinem? quinque porticus lex est. Quare quinque porticus non sanabant languentes? quia si data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Quare ergo continebant quos non sanabant? quia conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio quidem ipsa ex fide Iesu Christi daretur credentibus. D. August. super Ioann. tracta. 17. tom. 9. & in Psalm. 83. tomo. 8. Vide etiam D. Ansel. super epist. ad Gala. 3. super illa verba, si enim data esset lex, &c.

In ea piscina aquæ pluuiales colligebantur, & ibi lauabantur hostiæ primo, & postea in lateribus in atrio sacerdotum existentibus. Quinque autem porticus erant, vt per plura loca possent lauantes hostias descendere ad aquam. Glos. Lyræ super Ioan.

Non solum illos qui sub lege Moysi fuerunt, sed & cunctos qui ante legem & ab initio mundi electi per fidem Deo complacuerunt, Christus Dei filius saluare venit. Bene autem quinque porticus erant, & in omnibus languentes iacebant expectantes aquæ motum: quia videlicet ante aduẽtum Christi, à quo sexta mundi ætas incipit, quinque ætates fuerunt: quarum in nulla defuisse credendum est fideles ac iustos viros, qui circa eandem spem repositi, salutarem nostri redemptoris expectarent aduentum. Quorum omnium vnam eandemque fidem recte significabat ille vnus qui prior descendebat in piscinam & sanabatur. Nam vnus dominus, vna fides, &c.
Ephe. 4. Rupertus Abbas super Ioannem lib. 5.

Mens nostra velut quædam piscina cogitationũ, ac velut aquarum collectio, quinque habet porticus, scilicet quinque corporis sensus, in quibus iacet, cum tamen sit hora surgendi, multitudo languẽtium, cæcorum qui nesciunt bona agere: claudorum qui nequeunt: aridorum qui nolunt. Hi expectant aquæ motum, qui mouetur omnibus, sed quibusdam sero mouebitur. Mouetur porro per angelum domini, cum diuinitus cogitatio nostra timore concutitur: & qui primus immergitur sanatur: nam qui perfecte in hac vita compungitur, salũs erit. Non similiter autem merebitur qui postea venerit, quia post mortem etsi pœnitentia erit, sed iam fructuosa non erit. Galfridus super hunc locum.

Piscina pœnitẽtia est, in qua est effusio lachrymarum pro amissione supernorum. De hac pluuia dicitur Iere. 5. non dixerunt in corde suo metuamus dominũ Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam in tempore suo. Hæc pluuia tantum descendit in valles, id est, in humiles. 2. Reg. 1. Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniant super vos. Hæc piscina pœnitentiæ habet quinque porticus, in quibus pœnitens requiescit: quia quinque sunt considerationes quæ debent facere hominem in pœnitẽtia permanere. Prima est consideratio reatus peccati, quo se obligauit ad pœnam. Secunda est consideratio infallibilis iudicij Eccles. 2. si pœnitentiã non egerimus, incidimus in manũ domini. Heb. 10. horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Tertia est opportunitas loci, quia post non erit locus pœnitentiæ. Eccles. 9. Quodcunque potest manus tua facere, instãter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas. Quarta est consideratio incertitudinis dici extremi. Eccles. 9. nescit homo finem suum, sed sicut pisces hamo comprehẽduntur, sic homines in tempore malo. Quinta est consideratio incertitudinis status sui, quia nescit homo vtrum fecit Deo placitum. Gorranus super Ioannem.

Quinque porticus sunt quinque vulnera redemptoris, ex cuius passionis merito omnes morbi sanantur animarum. Apoca. 1. Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Antonius Broicus super Euange. par. 2. art. 9.

Illa piscina figura erat sacri Baptismi: sicut enim illa morbos sanabat, ita & ista. Sed illa quidem corporales, hæc vero spirituales: illa statuto tempore, hæc autem semper: illa descendente angelo, hæc vero adueniente spiritu sancto. Nam maiora sunt noua veteribus. Oecumenius super Ioan.

Si placet agere de baptismo, & de angelo mouente piscinam, vide D. Ambro. lib. de mysteriis initiandis c. 4. in fine to. 1.

In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum, Angelus autem domini secundum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Iacebat multitudo magna languentium, peruersi difficile corriguntur Eccle. 1. & stultorum infinitus est numerus. Mat. 7. lata est via quæ ducit ad perditionem, & multi incedunt per eam. D. Tho. super Ioann. 5. lect. prima.

Bonus aquæ motus disputatio & exagitatio scripturæ sacræ. Bene enim mouetur, cum prudẽti ventilatione ad spiritualem promouetur intellectum. Bene mouetur, cũ eius discussiõe auditor promouetur. Sed tamen non est passim omnibus hæc permittenda licentia: nec aquæ motus sanabat, nisi cum angelus descendens tempore suo mouisset eam. Gillebertus super hunc locum.

Multitudo languentium in his iacet. Roma. 3. omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Item, sed non est in aliquo alio salus: Nec enim datũ est aliud nomen sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri Acto. 4. Antonius Broicus par. 2. super euange. art. 9.

Motus aquæ passionẽ Christi insinuat per quam saluati sunt credentes, quasi descendentes in aquam piscinę, qui hactenus iacuerant ægroti in porticibus legis. Haymon feria 6. post primam dominicam Quadragesimæ.

Non angelus aquam mouet baptismi, sed ange- Chrisost.
lorum dominus totum perficit. Et licet vniuersus accedat mundus, non consumitur gratia, neque virtus deficit, sed eadem semper manet. Vt enim solares radij singulis diebus illuminant, neque ex multa sui communicatione vis eorum minuitur: sic, imo longe minus spiritus operatio ob accipiẽtium multitudinem remittitur. D. Chrysost. super Ioann. ho. 45. to. 3.

Quid hic angelus, nisi descensione sancti spiritus nuntiabat, quæ nostris futura temporibus, aquas sacerdotibus inuocata precibus, consecraret? Ille ergo Angelus sancti spiritus erat nuntius, eo quod per gratiam spiritualem medicina nostris esset animi ac mentis languoribus deferenda. Ambro. lib. 1. de Spiritu sancto c. 7.

Die pētechostes angeli de cælo descendentes piscinæ illius aquam mouebant, & huius motionis sonus adesse ipsos ad sanctificandum aquam significabat. Cyrillus super Ioan. lib. 2. c. 125.

Quid est hoc, nisi quia venit vnus Christus ad populum Iudæorum & faciendo magna, docēdoque vtilia turbauit peccatores, turbauit aquam præsentia sua, & excitauit ad passionem suam? D. August. super Ioan. tracta. 17. to. 9.

Piscina est sensualitas nostra, quinque porticus sunt quinque corporis sensus: in his multitudo languētium iacet, quia dum per quinque corporis sensus corruptionē peccati contrahimus, quasi in quinque porticibus languidi iacemus. Sed angelus domini secūdum tempus mouet aquam: quia dum diuina inspiratio peccatorem intus tangit, illico terrore iudicij carnalis conscientia cōturbatur. *Et quicunque post motum aquæ.* Quia diuina gratia peccator prēuentus, si vere se ad pœnitentiam humiliat, & seipsum districte puniendo diiudicat, de quolibet delicto veniam promeretur. Hugo de sancto Victore super hunc locum.

Dicens quod statuto tempore descendebat, docuit quod non semper fiebat miraculum, sed certis temporibus, hominibus quidem ægrotis. Verū frequenter vt opinor in anno, propter hoc siquidem in porticibus decumbebat multitudo magna languentium. Oecumenius super Ioan.

Mouet Angelus magni consilij aquam, scilicet gratiæ, cum corda hominum commouet, & inuitat ad gratiam: nam certe quoddam inuitatorium erat ille motus, vt descenderetur in aquam. Mouetur quidem gratia cum ad se indigentes inuitat. Non enim homines ante mouentur ad illam, nisi prius gratia ad homines moueatur. Præuenit enim gratia omnem motum cordis ad illam. Hinc Saluator ait, sine me nihil potestis facere. Et Apost. non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Et alibi, gratia Dei sum id quod sum. Si ergo mouetur aqua, descēdatur ad eam, sequatur sanatio, recedatur à porticibus, & non vltra quiescatur in sensibus: brutale enim est in sensibus quiescere. Simon de Cassia de miraculis domini lib. 5. c. 27.

Ioan. 15. 2. Cor. 3. 1. Cor. 15.

Cum vellet Deus appropinquantis baptismatis fidem nos edocere, non solum pollutiones, sed etiam morbos per aquam expulit. Propiores enim veritati imagines, vt in baptismate, & in passione, & in aliis illustriores fuerunt, quam vetustiores. Nam sicut regij familiares hastatis honoratiores sunt: ita & propiores figuræ illustriores sunt. Et quemadmodum huius aquæ natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed dumtaxat cum ab angelo mouebatur: ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cum spiritus gratiam accipit omnia abluit peccata. D. Chrysosto. super Ioannem ho. 35. tomo 3.

Illis angelus descendebat, tibi Spiritus sanctus: illis creatura mouebatur, tibi Christus operatur: ipse inquam dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nunc omnes sananturque certe vnus solus populus Christianus. D. Ambro lib. de his qui mysteriis initiantur c. 4.

In piscina pœnitentiæ sanatur primus, quia post mortem infructuosa est pœnitentia. Ecclesiast. 17. ante mortem confitere: à morte quasi nil perit confessio. Sapientiæ. 5. hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c. Et sequitur: talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, quoniam spes impij tāquam lanugo est quæ à vento tollitur. Eccles. 17. confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deū, & gloriaberis in miserationibus eius. Antonius Broicus super Euang. par. 2. art. 9.

Erat autem ibi quidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua: hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet: dicit ei, vis sanus fieri? Admirabilis profecto paralitici tolerantia! octo & triginta annos vt sanaretur, nunquā discedēs expectauit. Pudeat ergo nos, pudeat dilectissimi: & incredibilē secordiam nostram deploremus. Octo & triginta annos hic expectauerat, expectabatque: nempe negligentia sua non sanabatur, sed præuentus ab aliis, neque propterea desperauit. Nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes, non exaudimur, iam tepescimus. Hominibus porro quam diligentissimum exhibemus ministerium, in militia, & in aliis difficultatibus seruientes, & tandem frequenter omnem spem amittimus: Dominum autem nostrum, vnde sine dubio merces sequitur longe laboribus amplior, debito studio & diligentia persequi non patimur. Qui etsi nihil acceptuti essemus, ipsius tamen rei frequens consuetudo, nonne innumera nobis bona adferret? Sed laboriosa est assidua oratio. Et quid non est laboriosum, quod à virtute proficiscatur? Hoc ipsum etiam inquiet quispiam, me maxime ambiguum reddit: quod voluptas malitiam, & labor virtutem consequatur. Causam quidem huius rei tibi aperiam. Dederat nobis Deus à principio liberam omni cura ac laboribus vitam: quo tamen munere turpiter abusi sumus, & inertiæ dediti, paradisum amisimus: iccircoque laboriosam nobis vitam instituit, quasi se humano generi excusans, & dicens: Dedi vobis à principio delicias, sed facti estis indulgentia deteriores: ideo eas vobis in labores commutaui. Qui cum neque vos continerent, lex & præcepta succedere, tanquam repagula & frænum equo indomito, quibus insultus aduersus rationem compescerentur. ita enim equorum domitores assolent. Vita igitur laboriosa instituta est, quoniā quies & otium vitam ac mores corrumpere cōsueuit. Natura enim humana desidiam non patitur, sed ab ea facillime ad malitiam declinat. D. Chrysosto. super Ioan. ho. 35. to. 3.

Numerus iste quomodo magis ad languorē pertineat quam ad sanitatem, paulo diligentius exponendum est. Quadragenarius quidem numerus sacratus, nobis maxime commendatur. Nam & Moses quadraginta diebus ieiunauit, & Elias totidem: & ipse etiam dominus ac saluator noster. Per Moisen autem significatur lex, per Eliam prophetæ, per dominum vero significatur Euangelium. Siue ergo in lege, in prophetis, siue in Euangelio: quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur. Sed iam quare numerus ille trigesimus octauus languoris est potius quam sanitatis? Certe ad plenitudinem legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus: charitatis porro præcepta duo sunt à domino commendata, & in his duobus præceptis tota lex pendet ac prophetæ. Merito etiam illa vidua facultates suas omnes, hoc est duo minuta, misit in dona Dei. Merito item pro languido illo à latronibus sauciato, stabularius duos nummos accepit, vnde sanaretur. Binario ergo isto numero cum aliquid boni significatur, maxime bipartita charitas

Exo. 24. 3. Reg. 19. Matth. 4. Matt. 22. Marc 12. Lucæ 10.

charitas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, & lex non impletur nisi gemino præcepto charitatis: quid miraris quia languebat, qui à quadraginta duo minus habebat? D. August. super Ioan. tracta. 17. to. 9.

Satis pulchre introducitur homo qui curari non poterat piscina, curandus tamē à Christo: quia quod lex sanare non poterat, Christus perfecte sanat, secundum illud Roma. 8. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Ecclesiastici 36. Innoua signa. D. Thomas super Ioan. 5. lec. 1.

Aggrauat hominum culpas temporis longæuitas in peccato, & dominus per Hiere. populum arguit de longæuitate temporis in peccatis. Nunquid ait obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris. Nemo porro Dei obliuiscitur, nisi amore proprio delectatus: & contra Dei legem ad creata visibilia, & ad mundi gloriam, delectatione se ligans. Simon de Cassia de miraculis Saluatoris li. 5. capitulo 27.

Magnum misericordiæ Christi est argumentum, non expectare semper laborantium preces: sed sua misericordia prœuenire. Prœcurrit enim hic vt vides: venit ad iacentem, misericordia flectitur etiam antequam ei supplicetur. D. Cyrillus super Ioan. lib. 2. cap 124.

Non solum oculo corporis eum vidit, sed potius oculo miserationis, qualiter videri petebat Dauid, dicens: Respice in me, & miserere mei. *Vis sanus fieri?* Vt excitet desiderium infirmi, & ostendat patientiam eius, qui tot annis expectauit etipi ab ægritudine. Psalm. 26. viriliter age, & confortetur cor tuum. Notandum porro quod dominus à cæcis fidem quærit, Matthæ. 9. creditis quod possum hoc facere vobis? Sed in isto nil tale fecit: quia illi quidem audierant aliqua de miraculis Iesu, iste autem nondum. D. Tho. super Ioan. 5. lec. 1.

Psal. 24.

Specialiter hunc vnū affatur, accurat: quia miserabilior fuit, & iam pro peccatis suis longissima infirmitate fuerat castigatus: ideo dominus qui vulnerauit, medetur, & qui percussit, denuo sanat. Scriptū est enim in Tobia, cum iratus fueris, misericordiam facies. Longanimiter ergo & patienter est sustinenda castigatio Dei, omnisque molestia, atque aduersitas, iuxta quod scriptum est in Iudith: non vlciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hęc ipsa supplicia minora esse flagella domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus. *Vis sanus fieri?* Omni peccatori hoc dicit Christus quotidie per admonitionem scripturæ. Cum enim dominus ait per Ezechi. nolo mortem peccatoris. & per Zacha. conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Et per Ioelem, omnis quicunque inuocauerit nomen domini, sanus erit. Quid aliud loquitur nisi vis sanus fieri? Tanquam dicat, ego sum medicus animarum, fac quod in te est, acquiesce monitis meis, & sanabo te. Dionysius Carthusianus super Ioan.

Tobię 5. Iudith 8.

Si diues infirmatur, à multis inuisitur: pauper vero solus ipse in cubili iacet, soluſque suam indigentiam patitur, soram qui rex erat, statim cum ægrotauit, venit ad eum visitandum rex Ochozias. Etiam ad Ezechiam statim vt in ægritudinem incidit, Merodach rex Babyloniæ nuntios misit, & munera. Ægyptius vero ille qui mancipium erat & pauper, solus relinquitur cum ægrotaret.

4. Reg. 9. 4. Reg. 20. 3. Reg. 30.

Vis sanus fieri? Turpissime errabant multi antiqui, putantes ad felicitatem hominis pertinere non longo morbo hic teneri. Vnde D. Hiero. lib. 2. contra Iouini. & Chrysost. sermo. 1. de pœnitentia tomo. 3. aiunt quod Massagetæ & Derbitæ misertimos eos putabant qui ægrotatione moriuntur. Vnde parentes suos, cognatos & propinquos, cum ad senectam peruenieb ant, iugulabant.

Et cognouisset quia iam multum tempus. Itaque miseriæ magnitudo misericordiæ parentem ad miserandum allexit, vt paulo post dominus indicauit; atque ita quam misericordiam non merebatur ex iustitia, obtinuit ex longa miseria. Ex quo intelligimus eam esse diuinæ misericordiæ magnitudinem, vt frequentissime sola miseriarum magnitudine ad miserandū moueatur. Quid enim merebantur filij Israel, cum fere omnes idolis in Ægypto seruirent: quando dominus calamitatis eorum magnitudine permotus, Moysi dixit, vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitum eorum audiui? quid promerebatur Ioachas rex Israel, qui & ipse cum populo suo relicto Deo simulacra colebat? quem vsque adeo dominus miseratus est, vt scriptura dicat, Vidit Deus angustiam Israelis, quia attriuerat eos rex Syriæ, & dedit dominus saluatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ. Qui tamen nec hoc tanto beneficio donati, à peccatis Ieroboam recesserunt. Videtis ergo quanta sit illa misericordia, quæ cum iustissimam puniendi causam habeat, magis tamen magnitudine calamitatis ad miserandum, quam criminis indignitate ad vlciscendum commouetur. Sic ergo huic paralytico accidit: cuius sola miseria, cum merita deessent, misericordiam domini prouocauit.

Exod. 3. 4. Reg. 13.

Commendatio visitationis infirmorum maxime quadrat institutio hodierni Euangelij, de qua materia consule Vincen. Bell. Specu. Mora. lib. 3. par. 10. dist. 24.

Infirmitates reuelantur visitatione amicorum, consule Senecam lib. 11. epist. ad Luci. epist. 79. circa initium.

Quod Deus prouidet ne morbi doloris acuti multum temporis durent, vide eundem eadem epist. inter initium ac medium.

De rebus quæ sunt considerandæ atque animo voluendæ ad patientiam habendam in ipsis infirmitatibus, consule eundem vbi supra circa medium eiusdem epist.

De vultu sereno & patienti quo sunt recipiendæ infirmitates, quandoquidem nobis ex ipsis tantum boni promanat, lege D. Grego. lib. 3. Mora. c. 3.

Ægritudines contingunt seruis Dei, consule D. Chrisost. ad popu. ho. 1. explanantem verba illa 1. ad Timo. 5. vino modico vtere propter stonachum.

Quod sæpe morbi ex conscientia mala procedāt, vt aperte fit liquidum in hoc paralitico, inspice D. Chrysost. ad popu. homi. 46. tomo. 5.

De cura infirmorum habenda, atque quod illis compati ac condolere debemus, lege D. August. ad fratres in eremo. ser 44. to. 10.

Quod infirmi curandi sunt diligenti ac pia solicitudine, atque omni clementia supportandi & refocillandi, ad imitationem antiquorum patrum in eremo commorantium: qui sani existentes vitā maxima cum austeritate traducebant, at ægrotantes maxima se inuicem suauitate & refocillatione curabant. deliciisque sanctis, vide D. Hier. ad Eustochium de custodia virginitatis to. 1.

Quod multæ infirmitates ex intemperantia siue ex cibis nimis curiose conditis, sępe proueniant: huiusmodi siquidem excitāt appetitum propter intri-

turas ac condimenta, quæ stomachus non bene & sine sui detrimento recipiens, indigestiones patitur seu stomachi cruditates, ac ventriculi oppletiones, aliaque grauissima: multa inuenies apud D. Hier. li. 2. aduersus Iouini. prope principi. libri to. 2. in cuius quidem rei confirmationem ipse diuinus doctor adducit Hippocratem in suis Aphorismis.

Quod sæpe corporeæ infirmitates existunt causa salutis spiritualis, vide D. Hiero. in epist. ad amicum ægrotum, quæ incipit, Quamquam, to. 4. Erasmus affirmat non esse D. Hiero. sed quidquid sit ipsa plane referta est eruditione, & digna lectione.

Ad tractandum etiam de infirmis, & ægritudinibus, consule Cócordantias in dictionibus infirmus, infirmitas, ægrotare, ægrotus, & similibus.

Quemadmodum si quis certo cognosceret me in quadam nauigatione deuenturum esse in potestatem Turcarum, atque subinde miserrimam seruitutem portaturum, cum omnium bonorum meorum amissione: vel sciret me quandam ingressurum viã, in latronem manus debere incidere, qui homines imprimis spoliatos ac nudos, postea crudeliter interimunt: & is ista considerans, ac præcauere desideransque, coniectum in vincula me detineret, quousque tales essent occasiones & ansæ prorsus ablatæ, discriminaque illa præteriissent: certe talem iudicare non possem iuste crudelem, sed clementem ac misericordem, imo toto vitæ curriculo me illi maxime deuinctum esse debere constat. Quandoquidem mihi tantum boni contulit, me à tanto damno ac vitæ discrimine liberando. Sic nos considerare debemus quod si Deus videret, nos in sanitate sibi perfectius seruituros, quam morbis affectos, non est vlla ratione credendum eam nobis auferendam esse per eum. Quare cum potius ipse, cui omnia ante secula patent, præuiderit nos per sanitatem se offensuros magis grauibusque peccatis, atque proinde vêturos esse in manus piratarũ, tartareorum, sua benignitate atq; clementia prouidit, vt carcere infirmitatis alicuius adstricti teneremur, quemadmodũ & Hugo de sancto Victore dicit lib. 2. de anima, ne in tot damna atque scelera prolaberemur. His & similibus considerationibus, infirmorum onus aliquo modo leuabis.

Sicut non potest perfecte delectari diuitiis, qui aliquando non extitit egenus siue pauper: neque cognoscit quantum sit bonum prospero ac secundo vento nauigare, qui nunquam vllam grauem pertulit tempestatem & procellam: neque quanti sit valoris ipsa libertas agnoscit perfecte, quem nũquam vlla seruitus pressit. Ita etiam scire nequit quanti sit pretij prospera valetudo & sanitas, nisi qui grauem pertulerit infirmitatem & morbum. Itaque nõnunquam nobis Deus mittit infirmitates, vt istis afflicti facile agnoscamus quantum bonum sit ipsa valetudo prospera, & quam grati esse Deo debeamus pro ea.

Si ad maximam esses redactus pauperiem atque huc illuc vagareris incertus, quærens quo pacto domui tuæ necessaria subministrares, & filias tuas nuptui traderes, ac denique familiæ tori prouideres, & nullam ad id posses vnquam commoditatem inuenire, sed vehementer afflictus & defatigatus tandem quærendo, rapereris à quodam homine, qui te in domum suam violenter intrusum, catenis, & aliis vinculis obstringeret, atque vt contunderes spartum teipsum cogeret, aut vt aliud laboriosum officium exerceres: teque hoc etiam tempore fame ac siti frequenter affligeret: post duos tamen menses tibi ille homo duo millia ducatorum siue aureorum donãs, liberum demitteret in domum tuam redire. Nonne præcedentem laborẽ atque molestiam feliciter euenisse diceres, atque tibi huiusmodi illatam violentiã fuisse gauderes? quando quidem tanta cum lætitia ac gaudio domum reuerteris tuam? Deum immortalem! quot homines sunt qui habent conscientiam suam omnino destructam atque vastatam, suæ salutis, & tui prorsus oblitam, sine vllo penitus timore: ac si illis nulla futura sit mors, nec iudicium: nullus infernus, aut gloria. Quorum conscientia & anima cum sit virtutis fame & sterilitate consumpta, in ea peccatis maxime deformata ac pene deleta est diuinæ Trinitatis imago. Tu tamen clementissime Deus rapis illos & proiicis in lectulum, grauium morborum vinculis obstrictos: vbi inedia, siti, amarisque potionibus diu torquẽtur, ac doloribus cruciantur. Cæterum præcipuum institutum tuum nõ est morbum inducere: sed potius quæris tua misericordia ita vniuscuiusque decumbentis cor tangi, vt cum primum ab ipsa infirmitate conualescat, euadatque de manibus tuis, adeo mutatus, conuersus, atque spiritualibus locupletatus diuitiis existat, vt interiorẽ cordis domũ ingressus, se quã ditissimũ inueniat, perbeatũque reputet quod in talẽ inciderit morbũ, quandoquidem ex ipso tantopere ditatus euasit.

Percurrere etiam poteris doctorum indices de hac infirmitatis & firmorum materia, reperiesque quamplurima.

Circa patientiam, & fortem animum huius paralitici, poteris hæc applicare. Qui multam pecuniam insumpsit in domo condenda, & quia male fundata est, tota ruinam minatur: aut sepem magno sumptu posuit in flumine, & impetu aquæ vastatur: non est mirum quod ad reædificanda illa diffidat, ac desperet. Fieri enim poterit vt pecunia eum deficiat. At vero ad perseuerandum semper in virtute, & reparandum lapsum nostrum, quãdoquidem omnia necessaria diuinitus suppeditantur, non debemus vnquam desperare. Quare denuo vrge, & insta: atque tanquam optimus miles apprehende arma, tanquam eques fortissimus hastam vibra: tanquam prouidus nauta apprehende gubernacula, non retrocedas vnquam, quia pusillanimorum est, neque desistas ab studiosis laudabilibusque incæptis.

Respondit ei languidus, domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Vides hominem languore confectum? vides humilitatem? non maledixit, vt nonnullos in afflictionibus audiuimus: non est execratus diem suum: non se irrideri arbitratus est, rogatus an vellet sanus fieri. Sed perquam manisuete & humiliter, domine inquit hominem non habeo. D. Chrysost. super Ioan. ho. 36. to. 3.

Paraliticus ille expectabat hominẽ Quẽ? nisi illũ dominum Iesum natum ex virgine, cuius aduentu iam non vmbra sanaret singulos, sed veritas vniuersos? Iste est ergo qui expectabatur vt descenderet: de quo dixit Deus pater ad Ioannem Baptistam: Super quem videris spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum: hic est qui babtizat in Spiritu sancto. De quo testificatus est Ioannes, dicens: quia vidi spiritum descendentem de cælo quasi columbam, & manentem super eum. D. Ambro. lib. de his qui misteriis initiantur c. 4. Ioan. 1.

Vere necessarius erat illi homo ad salutem, sed homo ille qui & Deus est. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: venit ergo homo qui erat necessarius. D. August. super Ioan. tracta. 17. to. 9. 1. Tim. 2.

Poterat quidem dicere cum Iob, Ecce non est auxilium mihi in me. Per hoc autem significat quod non erat aliquis homo purus qui humanum genus salutare

Roma. 5. saluare posset: quia omnes peccauerunt & egerunt
Psal. 11. gratia Dei, quousque veniret Christus Deus & homo, per quem sanaretur. Saluum me fac Deus dicebat propheta, quoniam defecit sanctus. Heb. 7. neminem ad perfectum adduxit lex. D. Thom. super Ioan. 5. lec. 1.

Suspicabatur paralyticus quod hoc propter a ipsum interrogabat, vt arguerẽt quòd præ segnitie frustraretur sanitate: aut quod in hoc prodesse sibi vellet, vt eum in piscinam immitteret. Ideo etiã respondet quod ob id salutem nõ cõsequeretur, quia hominem non haberet. Dicens autẽ, dum venio ego, alius ante me descendit: fidem ostendit perseuerantiam, qua tot annis frustratus, adhuc tamen perseuerabat, & non desperabat. Nos autem breui aliquo tempore orantes, si non assequimur quod optamus, statim recedimus, pigrioresque reddimur. At laboriosum est inquies continue orare. Et quæ virtus non est laboriosa? verum si laborem habet, ita & lucrum affert. Oecumenius super Ioannem,

Quod vero iste hominem non habuit, veritas facti est, quod homo diuturne peccator hominẽ non habet iuuantem ad gratiam, & sanitatem à sua ægritudine consequendam. Et quamuis ad hoc plurimũ valeant orationes sanctorum, ipsis tamen omnino se priuat peccator indeficiens: Simon de Casia de miraculis domini lib. 5. c. 27.

Discamus modeste respõdere aduersariis nostris, eo quod potius vincuntur rationibus quam contumeliis & conuiciis. Multi quidem nunc animo obstinato & superbo, cum non habent quid possint respõdere obiectionibus, statim contumeliis & conuiciis aduersarios afficiunt. Sic enim Iudæi sæpe Christo respondebant, & conuicti ratione, vocabant
Ioan. 8. illum dæmoniacum & Samaritanum, & lapides sumebant aduersus eum.

Respondit ei languidus. Si quæras qualis nostra vita sit, audi Eucherium eam ita describentem. Quid inquit tam infidum, tam varium, tam calamitosum, quam vitæ istius cursus est? quæ plena laboris, plena solicitudinis, plena curarum est. Hinc Aristo. quid esset homo rogatus, imbecillitatis inquit exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina, reliquum vero pituita & bilis. Sylenus vero senex à Mida rege captus, rogatus quid esset homini optimum: diu silentium tenuit, tandem adactus dicere, optimum esse ait nunquam nasci, proximum quam ocyssime aboleri: atque hoc pretio dimissus est. Quid vero illud Senecæ? nemo vitam inquit accipere, si daretur scientibus. His igitur clarissimorum philosophorum sententiis satis apparet qualis hæc vita sit, quamque plus in ea fellis, quam dulcedinis inueniatur. Nil porro est vt ait idẽ Eucherius, magnũ re, quod paruum est tempore: nec longis dilatatur gaudiis, quicquid arcto fine concluditur. Vis autem scire quam arcto? prophetam audi eam mensurantem: pro eo enim quod nos legimus, Ecce
Roma. 3. mensurabiles posuisti dies meos; alij verterunt, Ecce mensura pugillorum terminasti dies meos, & æuum meum tanquam nihilum ante te. Quid ergo arctius quam quod pugillo concluditur? Huius porro vitæ nescio quid magis mirari debeas, an arctissimã breuitatem, an summam fragilitatem, an quotidianas quas patimur miserias!

Super illa verba, Domine hominem non habeo, &c. adnotant multi doctores huius infirmi summã patientiam in tanto morbo; & ita de patientia differere poteris, attendesque primum quãti Deus eam faciat, quandoquidem Moses & Samuel, qui patientia maximè splenduerunt, per ipsam charissimi Deo exciterunt. Hiere. enim 15. dicitur, si steterint Moyses & Samuel, &c. quasi dicat, si propter aliquem id facere deberem, esset quidem propter hos.

Patientia sane cognoscitur maxime in infirmitatibus & calamitatibus, non ita in prospera valetudine atque fortuna Iob 6. A. nunquid rugiet onager cum habuerit herbam?

Patientia in infirmitatibus Iob 27. A. viuit Deus qui abstulit iudicium meum.

Patientia in laboribus Eccles. 2. A. Omne quod tibi applicatum fuerit.

Exemplum patientiæ in calamitatibus 2. Reg. 16. B. egredere, egredere.

Exemplum patientiæ in infirmitatibus atque laboribus Tobiæ 2. C. Non est contristatus.

Patientia in contumeliis, data responsione ad illas in mansuetudine Acto. 2. Viri Iudæi.

Sustineamus libenter infirmitates atque labores propter Deum nostrum, quando quidẽ ipse propter nos nostramque salutem tãta sustinuit Esa. 50. Corpus meum dedi percutientibus.

Labores quoscumque feramus patienter atque benigne propter Deum, ipse enim eos clementer respiciet Esa. 60. C. Pro eo quod fuisti derelicta.

Pati & sustinere labores propter Deum, est maxime honorificum Acto. 5. G. Ibant gaudentes.

Multos quidem labores sustinent & varias pãtiuntur iniurias boni propter Deum 1. Corin. 4. C. Tanquam purgamenta huius mundi.

Pati labores ac contumelias propter Deum est perbeatum 1. Cor. 6. B. Quare non magis iniuriam accipitis?

Assuescamus pati labores propter Deum Philip. 4. C. Scio & humiliari.

Pari propter Deum 2. Timo. 2. B. Laboro vsque ad vincula.

Pati propter Deum labores heroicum est 1. Petri 2. D. quæ enim est gratia.

Noli aduersus teipsum sæuire quod Deus te aduersitatibus corripit & castigat ob tua peccata, quẽadmodum crudeliter fecit rex Moab: qui cum se defendere non posset, neque alias debacchari furore aduersus illos qui eum obsidione premebant, filium primogenitum sacrificauit in muro, vt habetur 4. Regum 3.

Permittit Deus vt sui serui fideles afficiantur ærumnis, ac laboribus affligantur, imo & occidantur persæpe: sic enim permisit occidi summum sacerdotem Oniam, qui tam excellens erat templi columna 2. Macha. 4.

Quemadmodum frigida aqua immissa in ollam feruentem & iam superfluentem, mitigatur feruor, reprimitur & quiescit: sic homo iracundus, qui dira verba ac furore plenissima profert, miti responsione placatur, & temperatur.

De patientia præterea consule D. Bernard. sermo. 34. super Canti.

De patientia etiam vide Lauren. Iust. lib. de ligno vitæ in tractatu de virtute patientiæ initio operum.

De patientia in calamitatibus lege D. Chrysosto. ho. de Dauid & Saule prope finem to. 1.

Quinque idem confecit homilias quas inscripsit de patientia Iob in fine to. 1.

Martyr egregius doctorque grauissimus Cyprianus edidit tractatum de bono patientiæ, cuius initium est, de bono patientiæ locuturus, *initio operũ*. Deinde extat eiusdem alius tractatus, cuius inscriptio est ad Cornelium Papam de cõfessione, in quo eum exhortatur vt constanter & firmiter cum omni patientia perseueret, & incipit, cognouimus, &c.

Condidit quendam dialogum inter patientiã &

detractionem D. Leo Papa, qui est circa medium operum.

Commendat multum patientiam in laboribus D. Ambro. lib. 1. offi. c. 6. initio operum.

Quendam porro de patientia inscriptum librum edidit D. Aug. circa finem to. 4.

De patientia vide Vincen. Bell. specu. mora. lib. 1. par. 3. dist. 86. 87. 88.

Quid senserint Philosophi de patientia inuenies specu. Doctri. lib. 4. c. 79. vsque ad 84.

Si requiris exempla patientiæ quorundam Philosophorum, eundem lege spec. Doctri. lib. 4. c. 93.

Patientia quam sit necessaria principibus atque prælatis iuxta Philosophos, consule eundem specu. Doctrina. lib. 5. c. 3.

Vide quantam habuit patientiam Isaac quando pater eum volebat sacrificare Genes. 22.

Quam patienter sustinuerit iniurias illatas à fratribus atque molestias ille Ioseph vide Genes. 37.

Patienter ac mansuete sustinuit Moyses murmurationes Mariæ & Aaron Nume. 12.

Cum multa patientia ferebat Dauid persecutionem filij sui 2. Reg. 15.

Perpende quam patienter tulit Miphiboseth sententiam Dauid quamuis iniustam 2. Regum 19.

Attende quanta cum patientia sustinebat murmurationes populi Moyses Nume. 17.

Vide patientiam trium puerorum cum proiiciebant eos in illam Babylonicam fornacem quia statuam adorare nolebant Danie. 3.

Contuere quam patienter & fortiter tormenta sustinebat Eleazarus ille mirandus senex, ne legem Dei transgrederetur 2. Mach. 6.

Contuere quanta patientia & tolerantia septem illi Machabæi cum matre sua mirabili & omni laudum genere commendanda, tormenta diroſque cruciatus pro defensione legis domini pertulerunt 2. Macha. 7.

Noluit rex Saul vt eos qui contra se grauiter murmurabant interficerent, sed multa patientia dissimulat 1. Reg. 11.

Perpende quanta patientia pepercit Eliseus illis qui ad ipsum comprehendendū accesserāt 4. Reg. 6.

Multum potest patientia, & in sermone dulcedo, vide enim quo pacto placatus fuerit Dauid in verbis mansuetis Abigail 1. Regum 25.

Quo pacto placati sint animi concitati virorum Ephraim verbis pacificis ac mansuetis Gedeonis Iudicum 8.

Quanto satius fuisset Roboam respondere ad populum verbis suauibus ac patientibus 3. Reg. 12.

Hominem non habeo. Propter peccatum perdidit homo libertatem, & propter peccatum amisit homo cæterarum creaturarū obedientiam: illæ enim omnes rebelles fuere omnino cum primum homo peccauit, præter eas quæ vitæ erant necessariæ. In quo maxime eluxit diuina clementia: vt oues ad induendum hominem, & boues ad arandum, & similes reseruaret. Vide de hoc apud D. Chrysost. Ho. 9. super Gene. to. 1.

Magnos quidem labores & infirmitates infert peccatum, non tamen propterea diffidere debes. Vide enim & attende quod Deus te semper alloquitur, & quærit voluntatem tuam semper vt paralytici voluntatem. Quod si hominem non habes, Deum habes Opti. Max. & si minus habes qui te mittat in piscinam, habes qui te curet sine piscina. Nec poteris quidem causari quod dum tu pergis, alius prior descendat. Deus enim de tua salute liberalius prouidit, quam vt debeas expectare aquæ motum. Vide D. Chrysost. ad popu. ho. 40. to. 4.

Dicit ei Iesus, surge, tolle grabatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat: erat autem sabbathum in die illo. Diliges proximum infirma eius tollerando, qui te infirmum patienter tulit; & non solum lætare de tua erectione, sed etiam de proximorum solicitus esto salute. Ambula diligendo Deum, festinásque ad visionem eius: nec fratrem deseras, nec propter fratrem ab illo quærendo cesses. Glo. Ord. super Ioan.

Vt lectum auferat iubet, vt miraculum crederetur, & nemo falsum ac simulatum opinaretur: nisi enim firmis & robustis membris eum ferre non potuisset. Seruat hunc morem sæpenumero Christus, vt maiorem in modum silētium impudentibus imponat. Siquidem & in quinque panum miraculo, ne quid suspicionis oriretur, non tantum miraculum fecit: sed volnit etiam vt multæ fragmentorum reliquiæ superessent. Et mūdato leproso, vade ait, ostende te sacerdoti. Idem in nuptiis fecit: non enim vinū simpliciter ostendit, sed ferri architriclino imperauit. Et cum puellam suscitauit, date inquit ei manducare. D. Chrysost. super Ioan. ho. 36. to. 3.

Per grabatum voluptas corporis designatur: & iubetur vtique vt hoc sanus portet vbi infirmus iacuerat; quia nimirum omnis, qui vitiis delectatur, infirmus iacet in voluptatib. carnis, sed sanatus hoc portat, vbi infirmus iacuerat. Qui diuino adiutorio ereptus à vitijs, eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cuius prius desideriis requiescebat. Quid porro est dicere, surge, nisi mala quæ perpetrasti derelinque: Quid est dicere, ambula, nisi bene operare? Quod vtrumque propheta breuiter cōprehendit, dicens: declina à malo, & fac bonum. D. Grego. lib. 23. Mora. c. 23. & lib. 1. super Ezechie. hom. 12. Psal. 33.

Tria dixit: surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Sed surge non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis: sano autem duo imperauit, tolle grabatum tuum, & ambula. Quæ sunt quidem illa duo præcepta, Deum ex toto corde, & proximum tanquam teipsum diligere. Cum dixit tolle grabatum tuum, mihi dixisse videtur, dilige proximum tuum. Sed quare in tollendo grabato dilectio proximi commēdatur? quia mutuo alter alterum portare debemus. Non irascamur ergo proximo, si tātopere commendatur nobis. Ipse porro dominus & saluator noster lapis angularis dictus est, & petra vnde aqua profluxit. Quid ergo mirum si petra Christus, lignum proximū? Quid igitur in grabato rogo te, nisi quia ille languidus grabato portabatur, sanatus autem grabatum portat? Quid dictum est ab Apostolo? inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Lex Christi charitas est, nec charitas impletur nisi inuicem onera nostra portemus sufferentes inuicem in dilectione. Cū tu esses languidus, portabat te proximus tuus: sanus factus es, porta proximū tuū: inuicē onera porta, & sic adimplebis ō homo quod tibi deerat. Tolle ergo grabatum tuum: sed tamen cum tuleris, noli remanere: ambula diligendo magis proximum, & curam habendo de proximo tuo. Iter enim agis: quo iter agis, nisi ad dominum Deum tuum? porta ergo eum cum quo ambulas, vt ad eum peruenias cum quo manere desideras D. Aug. super Ioan. tracta. 17. to. 9. Ephe. 2. 1. Cor. 2. Gala. 6. Ephe. 4.

Hæc tria in iustificatione dominus præcipit: primo quod surgat peccator, recedēdo à peccato. Ephe. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Secundo præcipitur tollere grabatum, satisfaciendo de commissis: per grabatum enim in quo homo requiescit, significatur peccatum. Tollit ergo homo grabatum suum, quando fert onus pœnitentiæ pro peccato sibi

sibi impositū. Michæe 7. iram domini portabo, quando peccaui ei. Tertio vt ambulet, proficiendo in bono; secundum illud, ibunt de virtute in virtutem. D. Tho. super Ioan. 5. lect. 1. Psal. 83.

Peccator interiori sanitate respirans, ambulet: sed in lege domini, & in præceptis altissimi: & petat suæ directionis viam liberatus à malo. Nam Dauid Psal. 142. ait, notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Fiet enim protinus, errabundus, nisi viam veritatis inuenerit: quoniam non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos: ambulatur securius, inceditur cautius, cū electa fuerit via veritatis. Vnde Psal. 118. Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. Item viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. Alia est enim via quæ ducit ad perditionem. Prouer. 14. est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Simon de Cassia lib. 5. de miraculis domini cap. 27.

Noli, inquit, iam vlterius hominem quærere qui te mittat in piscinam: surge tantūmodo, erige mentem, contemplare cælum: quæ sursum sunt quære, non quæ super terram. Namque lectus animę corpus est, quod si vitiosum fuerit, tota infirma ac languida erit anima. Vnde scriptum est, corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Item ne sis otiosus, sed ambula: otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat. Eusebius in feria 6. post domin. 1. Quadrag. Coloss. 3.

Ecce angelus magni consilij latens in carne, turbata aqua Iudæorum, sanum fecit vnum. Glos. Ordi. super Ioan.

Diuina virtus infinita est, & operatur in instanti: sanitas autem quæ virtute naturæ restituitur, in tempore, & nō in instanti, acquiritur. Glos. Lyræ super Ioannem.

Tu autem paralytici fidem considera, qui audiens dicentem Iesum, Tolle grabatum tuum, & ambula, non risit, non admiratus est, inquiens, Angelus descendit, & turbata aqua vnum dumtaxat in bonam restituit valetudinem, tu homo solo verbo angelum superare confidis? nimium tibi arrogas, & ridiculus es. D. Chrysosto. super Ioan. ho. 36. to. 3.

Tot iacebant, & vnus curatus est, cum posset vno verbo omnes erigere: quid ergo intelligendum est, nisi quia potestas illa & benignitas illa magis agebat quid animæ in factis eius pro salute sempiterna intelligerent, quam quid pro temporali salute corpora mererentur? Corporum enim salus quæ vera expectatur à Domino erit in fine in resurrectione mortuorum: tunc quod viuet non morietur: tunc quod sanabitur non ægrotabit: tunc quod satiabitur non esuriet neque sitiet. Nunc vero in illis factis domini & saluatoris nostri, & cæcorum aperti oculi morte clausi sunt: & paralyticorum mēbra constricta morte dissoluta sunt: & quicquid sanatum est temporaliter in membris mortalibus, in fine defecit: anima vero quę credidit, ad vitam æternam transitum fecit. D. Augustī. super Ioan. tract. 17. to. 9.

Non est mirum si statim verbo eius sanus factus est, quia ipse est verbum per quod cælum & terra facta sunt. Vnde Psal. 148. Ipse dixit, & facta sunt. Et alibi, verbo domini cæli firmati sunt: *Et ambulabat.* Exo. 24. omnia quæcunque præcepit dominus faciemus, & erimus obedientes. D. Thom. super Ioan. 5. lect. 1.

Ipsi competit in die sabbathi operari, qui quæ ad sabbathum pertinent perficere potest, à quibus lex impotens quiescebat: quæ lex facere non potuit, Christus fecit, ipsum enim populum sanctificauit per passionem, vt dicitur ad Hebr. 10. Tho. super Ioan. 5. lect. 1.

Christus neminem fere eorū quos curauit voluit habere discipulum, quamuis aliqui id rogauerunt, vt fuit ille à quo legionem dæmonum expulerat; nec voluit videri suum cōmodum quærere, sed nostram vtilitatem. *Tolle grabatum tuum.* Hoc medicorum ars præstare non potest, vt homo omnium membrorum ope destitutus, in pristinum vitæ statum ad iubentis vocem restituatur, & ita sanus euadat, vt lectum possit adferre. Porro dicit Christus huic paralytico primum surge, secundo vero tolle grabatum. Primum delectabile erat & iucundum, posterius vero laboriosum ac molestum: priori mandato, obediuit, etiā & secundo. Nam quemadmodum hic obtemperauit, in prosperis, ita etiam in laboriosis fecit. At tu Deo non vis obedire nisi in his quæ palato tuo satisfaciunt. Samson vtiq; ille fortissimus in omnibus Deo obediuit. Nam cū præciperet illi dominus vt tolleret portas Gazæ, & in montem eas ferret, iussis obediuit. Præcipit etiam vt mandibula asini mille viros interficeret, & huic etiam mandato libenter obediuit. Eodem præterea modo quemadmodum in his honorificis rebus Deo obtemperauit, ita in laboriosis obediuit. Nam cum iuberet illi dominus vt columnas templi conuelleret, & vt ibi cum Philisthæis illis interiret, vbi quidem de sua salute & discrimine vitæ agebat, nihilominus tamen id mandatum spontaneus impleuit. Vide de hoc August. lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 26. D. etiam Paulus hanc diuinam regulam nolens præterire, quemadmodum in honorificis obsequium præstitit, ita etiam in ignominiosis ab ea non discessit. Nam cum illi diceret Agabus quod in Hierusalem ligandus esset manibus & pedibus; illis qui dolentes flebant, dixit: Quid facitis flentes, &c. Sic præterea sanctissimus Iob dicebat: Si bona suscepimus, &c. Cæterum Israelitici in prosperitate & felicitate dum mortuos viderant Ægyptios, laudabant dominum, & cantabant: at in tribulatione cum egebant victu, aduersus dominum & aduersus Moseu murmurabant. Quare merito Paulus Corinthios admonet tam in prosperis quam in aduersis benefacere.

Super illud, surge, tolle grabatum tuum, & ambula: differere poteris vt supra attigimus, quod alij aliorum inuicē onera ac defectus portare debemus, & sustinere, & videbis D. Basil. lib. regula. breuiorum interro. 177. & 178.

Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: sabbat hum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula. Isti falsum dicebant: quia opera corporalia quæ sunt ad Dei honorem, bene possunt fieri in die sabbathi, sicut sacerdotes in templo corporaliter operabantur, templum ornando, hostias immolando, lauando, & consimilia faciendo, vt dicitur Matth. 12. Portatio autem huius grabati erat ad magnificentiā diuini miraculi. Sicut & modo illi qui miraculose de carceribus vel huiusmodi liberantur, portant compedes ad loca sancta, ad manifestationem suæ miraculosæ liberationis. Glos. Lyrana super Ioan.

Quid istis insanius? qui cum admirari tantā Christi vim potius debuissent, non modo id non faciunt, verumetiam increpant atque reprehendunt, & transgressionis crimine hominem accusant: qui vix post longa tandem tempora morbum effugit atque euasit. Cyrillus super Ioan. lib. 2. cap. 127.

Iudæi frequenter Christo de curatione in die sabbathi calumniam inferentes, confutati à Christo per hoc quod ipsi etiam iumenta de puteo in die sabbathi eruebant & saluabant, vt habetur Lucæ 14. Et ideo de curatione tanquam de re vtili ac necessaria nil calumniantur, sed calumniantur ipsum curatum.

Iudæis enim videbatur specialiter prohita portatio onerum in die sabbathi: nam Hiere. 17. dicitur, ne porteris onera in die sabbathi, & ideo calumniati sunt portationem grabati in die sabbathi. Sed hoc mandatum prophetæ mysticum est? nam per onera non portanda intendebat eos inducere vt in die sabbathi requiescerét ab oneribus peccatorum, Psal.37. de quibus regius vates, iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me. D.Tho. super Ioan. 5. lect.2.

Quasi dicat, ille qui me diuina virtute sanauit, eadem virtute & autoritate mihi præcepit: & per consequens teneor sibi obedire, nec sum transgressor. Glos. Lyræ super Ioan.

Prudenter quidem se excusat: nunquam adeo bene probatur doctrina venire diuinitus, sicut per ostẽsionem miraculorum, quæ non nisi diuinitus fieri possunt, Marci vltimo, illi autem profecti prædicauerunt vbique, domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Et ideo iste autorem suæ sanitatis calumniantibus obiiciebat: quasi diceret, vos dicitis prohibitum esse ne onus portetur in sabbatho, & hoc autoritate diuina: sed mihi eadem autoritate est impositum vt tollam grabatum. Nam ille qui me sanum fecit, & per sanitatem restitutam se diuinam habere virtutem ostendit: mihi dixit, Tolle grabatum tuum: & ideo mandatis eius qui tantæ est virtutis, & qui mihi tale beneficium contulit, merito teneor obedire. Psalm.118. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. D.Tho. super Ioan. 5. lect.2.

Interrogauerunt ergo eum: quis est ille homo qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Videamus iam quantum mali afferat inuidia, & quo pacto mentis oculos contra propriam salutem perstringat. Nam quemadmodum insani aduersus seipsos gladios frequenter impellunt: ita & inuidi solam inuidiosi miseriam disquirentes, in propria læduntur salute. Hi feris etiam sunt sæuiores. Illæ enim fame impulsæ, aut à nobis prius irritatæ, nos appetunt: hi beneficos nonnunquam inimicorum loco habent. Feris inquam sæuiores, dæmonibus pares, & fortasse iniquiores. Quamobrem miser proximi tui commodis perturbaris? dolendum quidem est cum malis afficimur, non cum proximi felicitatem intuemur. Et cæteri quidem excusationem habere videntur, vt scortator voluptatis stimulos in excusationem adfert: fur paupertatem: homicida furorem. friuolas quidem nec admittendas, qualescunque tamen excusationes. Tu vero quã adferes quæso? nullam profecto: nisi animi prauitatem atque malitiam. Nã si inimicos amare iubemur: quã nam pœnam ex amici odio nos daturos arbitramur? Et si amicos diligendo nil gentilem superamus: si nil de nobis male meritos persequimur, quam veniam merebimur? Audi Paulum: etsi inquit tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habeam, nil mihi prodest. Quod autem inuidia charitatem prorsus tollat, perspicuum est. Inuidia enim cædis mater est: huius siquidem suasu Cain fratrem interemit suum. Inuidia Esau Iacob persequebatur. Per inuidiam fratres Ioseph, ipsum vendiderunt. D.Chryso. super Ioan. ho.36. to.3.

In turba positus non agnouit Iesum, sed post in templo: in quo docemur vt quisquis vult ad visionem Dei peruenire, fugiat turbam suarum affectionum, & nequam hominum, & adeat templum internæ orationis. Glos. Ordi. super Ioan.

Difficile est in turba videre Christum: solitudo quædam necessaria est menti nostræ: quadam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat: noli Iesum quærere in turba, non est enim tanquam vnus de turba. August. super Ioan. tract.17. to.9.

Si veri conditoris nostri gratiam cognoscere: si eius amore confirmari: si ad eius visionem peruenire desideramus: fugiamus solicite turbam, non solum turbantium nos cogitationum, affectuumque prauorum: verum etiam hominum nequam, qui nostræ synceritatis possint impedire propositum, vel mala videlicet exemplo suo monstrando, vel bona nostra opera deridendo, aut etiam prohibẽdo. Confugiamus seduli ad domum orationis, vbi secreta libertate dominum inuocantes, & de perceptis ab eo beneficiis gratias agamus, & de percipiendis humili deuotione precemur. Imo etiam ipsi templum Dei sanctum, in quo deuenire & mãsionem facere dignetur, existere curemus: audientes ab Apostolo, quia corpora vestra templum est spiritus sancti qui in vobis est. Beda super Ioan. 5. to. 5.

Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Declinauit à turba dans exemplum aliquando fugiendi volentes calumniari, & nolens se iactare de operatione miraculi. Glos. Lyræ super Ioan.

Non absque dispensatione in multitudine hominum occultatur, vt ira Iudæorum aliquantulum deferuesceret: non quia ipse timeret ne quid irati possent aduersus eum, antequam vellet ipse: sed vt exẽplo eius declinandum esse ab iratis discamus. D.Cyryllus super Ioan. lib.2. cap.129.

Vt daret nobis exemplum occultandi opera nostra bona, & non quærendi in eis hominum fauorem, secũdum illud Matt.6. attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Item vt declinemus oculos inuidorum ab omnibus operibus nostris ac fugiamus, ne eorum inuidia crescat. Ecclesi.7. ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. Christus quidem non de facili inuenitur in hominum multitudine, & in turbine curarũ temporalium, sed in spirituali secreto. Osee 2. ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Nam verba sapientum audiuntur in silentio, vt dicitur Eccles.9. Et vt tandem insinuet quod Christus debebat declinare à Iudæis ad gentes Esa.53. abscondi faciem meam parumper. D.Thom. super Ioan. 5. lect.2.

Inuentus est ille postea in templo, non in turba: quia si gratiã saluatoris cognoscere volumus, oportet vt cõuenticula fugiamus, & templum efficiamur. Glossa Ordi. super Ioan.

Homo sua virtute Christum inuenire non potest, nisi se ei Christus præsentet. Vnde Dauid, quære seruum tuum domine. Psal.10. Et Sapien.6. præoccupat eos qui se concupiscunt. Locus porro vbi Christus inuenitur, est venerabilis. Vnde propheta, dominus in templo sancto suo. Mater etiam eius in templo eum inuenit Lucæ 2. & hoc quia in his quæ patris sui sunt oportebat eum esse. Intelligimus ergo quod curatus iste non ad vanitatem, sed ad religionis studium conuersus, templum frequentans, in templo Christum agnoscit: quia si ad conditoris cognitionem venire volumus, fugienda est turba prauorum affectuum, & declinanda sunt etiam malorum conuenticula: fugiendumque est ad templum cordis nostri, quod Deus inuisere & inhabitare dignatur. D.Tho. super Ioan. 5. lect.2.

Res profecto grauis est peccatum, grauis inquam res, & animi pernicies, ita vt nonnunquam vi & exuperantia sua corpora quoque inficiat. Cæterum cum grauiter ægrotante anima nullo dolore afficiantur, paruo autem corporis morbo summa diligentia medicinam

perquiramus: ideo Deus ob animi peccatũ corpus flagellat, vt deterioris partis supplicio, melior ad quærendum remedium conuertatur. Ita Paulus Corinthium illum fornicatorem corrigit, interitu carnis & sectione corporis animi morbum coercens: tanquam etiam optimus medicus qui cum hydropisim potionibus & leuioribus medicinis sanare non possit, extrinsecus ferro & igne vtitur. Hanc artem Christus in paralytico exercuit, quod significãs dixit: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius, &c. Quid hic admonemur? primum quod ex peccatis morbi generantur: deinde quod verum est apud gehennam maximum & perpetuum esse supplicium. Vbi nunc sunt qui dicunt, breui spatio hominem interfeci: breui adulterium commisi: ob admissum breui tempore peccatum, perpetuas pœnas daturus sum? Ecce hic non tot annis peccauit, quot pœnas dedit: breui quidem peccatum patratur, at morbi tormenta diuturna sunt. Non enim tempore peccata, sed peccantium animis iudicantur. Et qua gratia inquies non omnes puniuntur? Etenim multos videmus, & quidem scelestissimos, bona corporis valetudine, & prospera fortuna lasciuientes. Sed nolimus propterea eos admirari, sed deplorare potius: quod enim in hac vita tales quidem homines nihil aduersi patiuntur, maioris in futura supplicij est argumentum. Hoc & Paulus his verbis significauit, dum iudicamur, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Hic enim correctio est, illic supplicium. Hæc porro in ore nobis sint verba: hisque alter alterum admoneamus. Ecce sanus factus es, iam noli peccare. Quod si in peccatis persistendo, nullam pœnam dederis, sed à suppliciis liber fueris: illud Apostoli memineris, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Caue ergo ne secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizes tibi iram in die iræ. Chrysostomus super Ioannem homi. 37. tomo 3.

Hic docemur non solum in futurũ iudicium peccatoribus supplicia reseruari, verumetiam multis ac variis modis in hac vita plerũque ipsos puniri. Quod ita fieri, etiam Paulus testatur, dicens: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. D.Cyrillus super Ioannem libro secundo cap.130.

Beatus Petrus Apostolus manfestissime docet, eũ qui post agnitam viam iustitiæ peccauerit, deterius aliquid manere, cum dicit: Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt his posteriora deteriora prioribus. Contingit enim his illud veri prouerbij, canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota, in volutabro luti. Hoc & beatus Paulus Apostolus testatur, hominem scilicet post baptismi sanctificationem pristino errore peccantem, non sine ingenti pœnitentia conseruari, dicens: Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti spiritus sancti, gustauerũt nihilominus bonum Dei verbum, & prolapsi sunt: renouati rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. D. Aug. lib. de vita Christiana cap.13. to.9.

Non ita sentiendum est, quasi omnis qui infirmatur, ob peccata infirmetur. Sæpe enim infirmatur homo, ne extollatur in donis Dei, sicut de Paulo legitur. Sæpe etiam vt probetur tribulatur, sicut beatus Iob. Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit. Quibusdam porro infirmitas pro gloria Dei datur, vt de cæco nato, & de Lazaro legitur: Nouit denique dominus pro quo quem iubeat infirmari, sæpe occulto hominibus iudicio, sed nunquam iniusto. Discamus nos flagellis piissimis nostri redemptoris humiliter substerni, arbitrantes nos minus pati quam mereamur, semper illius sententiæ memores: beatus homo qui corripitur à domino. Beda super Ioan. 5. to. 5.

Semper oportet in memoria tenere beneficium, secundum illud Esa.63. miserationum domini recordabor, Ecclesi.21. Fili, peccasti? ne adiicias iterum.

Ecce sanus, &c. Per hoc etiam se esse Deum ostendit, peccata & occulta cordium manifestans. Prouer. 15. infernus & perditio coram illo: quãto magis corda filiorum hominum? *Ne deterius.* Hiere. 2. frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Postquam homo ad peccatum semel redierit, facilius peccat, secundum illud Matth. 12. fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Hiere. 2. à seculo cõfregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam. *Nuntiauit Iudæis.* Vt manifestaret Christi virtutem ad sanandum. Vnde illud, venite, & narrabo quanta fecit dominus animæ meæ. Et ex hoc patet quod nõ ex malitia manifestasset eum, quia illi interrogauerunt quis iusserat grabatum tollere: ipse autem annunciauit eis, quod Iesus fecerit eum sanum. D.Tho. super Ioan. 5. lect.2.

Noli abuti patientia medici, iuxta cor tuum impœnitens & lapideum: noli tempore concesso ad pœnitentiam ac promerendam veniam, abuti in superbia. Noli imitari duritiam Pharaonis, ne deterius tibi aliquid contingat. Vide quoniam horrendum est incidere in manus eius, à quo iam septuagies septies sanatus es, ne audias illud: insanabilis facta est plaga tua. Treius super Euang. lib.4. ca.18.

Cum iam & miraculi rumor defecisset, & tumor Iudæorum: occurrit Christus ei qui sanus factus fuerat, volens animam quoque illius meliorem reddere. Reperit autem eum non in otio & segnitie, sed in templo orantem, ac Deo gratias agentem: & admonet illũ ne deinceps peccet, ostendens quod propter peccata ægrotabat. Minatur etiam grauius puniendum si peccauerit: docens eos qui post pœnam peccari rursus delinquunt, atrocius puniendos tanquam insensatos ac contemptores, siue in præsenti vita, siue in futura, siue in vtraque. Quod si peccatorum huius supplicium durauit hic triginta & octo annos: quidnam poterit quispiam dicere de futuro supplicio? vtique quod æternum erit ac fine carens. Porro quod illi minatur, nobis etiam minatur, nosque admonet quod si nondum ægrotauimus, timeamus ne morbo corripiamur, & ita demum corrigamur. Si autem morbo oppressi fuimus, ne deterius ægrotemus: sed deinceps cautius viuamus. Item si nondum morbo detenti fuimus, Apostolicum oraculum apud nos meditemur: bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat. Oecumenius super Ioan.

De probatica piscina vide Hugo. de S. Victore lib. 1. Allego. in Ioan. to.1. cap.6.

Super illa verba, ecce sanus factus es, vide eundem in Annota. in D.Ioan. Euange. to.1. fol.241.

Ne deterius. Hic quæret aliquis, quid deterius paralytico quem triginta & octo annorum morbus accidere potuit? In hac vita certe vix aliquid cogitari grauius potest: sed superest tamen alia vita, in qua gehennæ ignis persistentibus in instituta semel iniquitate, paratus est: quod quidem malum infinitis partibus grauius esse constat.

De Episto. & Euang. duos habet sermo. D. Anton. initio 1. par. Theo.

Eundem vide 1. par. hist. titu.5. cap.1. §.9.

Noli amplius peccare. Qui assidui sunt in peccando, Autor. timere

timere certe magis debent si Deus hic eos non punit quam si puniret. Tãto enim magis crescit pœna, quo magis dilatatur supplicium. Multa quidem peccata nunc committuntur, propter quæ olim Deus immisit diluuium, cum tamen nunc nõn immittat. Multi peccant Sodomorum peccata, & tamen Deus ad eos exurendos ignem non immittit. Multi item Pharaonem imitantur, & tamen in mari non merguntur. Quare hos manet supplicium sempiternum. Multi præstant quod Israelitæ commiserunt, & tamen non afficiuntur serpentum morsibus; manet eos tamen vermis immortalis, & ignis qui nunquam extinguetur. Quamuis ergo videamus nos hic minus puniri, non propterea arbitremur impunitos fore: omnia enim simul scelera exoluemus. Cæterum multa eueniunt sæpe propter vetera peccata & prope oblita, hic etiam nobis mala. Recordate enim fratrum Ioseph, qui, cum euenerunt eis calamitates illæ, dixerunt: Merito hæc patimur quia peccauimus, &c. Ita ergo meminisse debes, quando forte ingruerint calamitates aliquæ, vt dicas: Hæc mihi eueniunt, quod olim non audierim Dei præcepta. Et certe quamuis Deus distulit pœnam flagitij Achab contra Naboth, non tamen propterea omnisit illud punire. Vide D. Chrysost. in non abso. ho. 28, to. 2.

Ecce sanus factus es, &c. Non debes peccare post veniam; caue enim ne secundo percutiaris, aut inficiaris postquam semel mundus factus es. Attende grauiorem esse culpam post veniam, quemadmodum grauius est vlcus quod incidit in aliud curatum. Indignũ se curatione videtur ille exhibere, qui sua culpa, postquam semel curatus est, iterum in causa est vt saucietur. Solent enim medici maxime succensere, si postquam maximam adhibuerunt diligentiam ad sanandum infirmum, vident iterum ob suam culpã eum in simile quidpiam reincidere. Considera porro quam facinorosus sit seruus, qui dominum offendit postquam semel eum manumisit: præsertim cum per legem reincidar in eandem seruitutem. Aduerte maxime idem aggrauari delictum, quod quis committit in eum à quo beneficia multa accepit. Quamobrem, quia tam sæpe à Deo veniam tuorum scelerũ impetrasti, noli iam amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vide D. Chrysost. in sermo. de lapsu primi hominis to. 1.

Grauius quidem est peccatum post veniam, quia iterum in seruitutem reincidimus, cum essemus redempti tanto pretio 1. Corinth. 6. non estis vestri: empti enim estis pretio magno. Cum ergo dicit Christus, ecce sanus factus es: nobis persuadet quãtam curam adhibere debemus, ne iterum peccemus: & persuadet quia sani sumus, ne nobis polliceamur omnino securitatem, quia grauior esse poterit reincidentia, sed ambulemus in bono. Quod si tantopere Deus, iterum labi in peccatum reprehendit: quid erit de illo qui sæpissime labitur? Vide D. Chrysosto. ho. de eruditione disciplinæ to. 5.

Sabbatho post primam Dominicam Quadragesimæ.

ASSVMPSIT Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Matth. 17. Marci 9. Luca 9. Dominus discipulos suos prænuntiata sua passione induxerat eos ad suæ passionis sequelam: oportet autem ad hoc q̃ aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter præcognoscat. Sicut sagittator nõ recte iacet sagittã, nisi prius signũ pspexerit, in quod iaciendũ est. Ioan. 14. Vnde & Thomas dixit, Dñe, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viã scire? & hoc præcipue necessariũ est, quando via est difficilis, & aspera, & iter laboriosum: finis vero iucundus. Christus autẽ per suã passionem ad hoc peruenit, vt gloriã obtineret non solum animæ, quam habuit à principio suæ conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud Lucæ vltimo: Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ad quam etiam perducit eos, qui vestigia suæ passionis sequũtur. Secundum illud Acto. 14. per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Et ideo conueniens fuit vt discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet, quod est ipsum transfigurari. Cui suos configurabit, secũdum illud ad Philippen. 3. reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Vnde Beda dicit super Matthæum, pia prouisione factum est, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortius aduersa tolerarent. D. Tho. 3. parte, quæstione quadragesima quinta, arti. 1. in corpore.

In montem excelsum. Cupidi quidem sumus ascensionis; exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim creaturæ sumus, & magni cuiusdã animi; ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait: Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, frigidus est mons ille: non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinẽ præsumis potentiæ. Quanti tamen vsque hodie fœda sequuntur, infeliciáque vestigia, imo vero quam pauci euadunt, quibus nõ dominandi libido dominetur! Hinc est quod beneficivocantur, qui potestatem habent: hinc quod laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur, inuident omnes. Quem sequimini, miseri homines, quẽ sequimini? An non videtis Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem? Nonne iste est mons, qui in quem ascendit angelus, & diabolus factus est? vel illud aduertite: quod post casum suum inuidia cruciante, male solicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere ei, in quo nimirum prõ inani ascensu tam immane præcipitium cognosceretur expertus. Sed non defuit versuto hosti quid ageret. Similem ei montem alterum demonstrauit. Eritis Gene. 3. inquit, sicut dij, scientes bonum, & malum. Pernicioſa etiam hæc ascensio, imo magis descensio est, Lucæ 10. de Hierusalem in Iericho. Pessimus mons inflans scientia, in quem tamen vsque hodie videas tanta concupiscentia plurimos repere filiorum Adam, ac si non nouerint quantum pater eorum in illius montis ascensu descenderit: imo quam grauiter ceciderit: quantum tota deiecta sit, & conquassata posteritas. Nondum sanata sunt vulnera, quæ tibi in ascẽsu montis illius inflicta sunt, licet adhuc in patre lateres: & nunc iterum in propria persona conaris ascendere, vt sit error nouissimus peior priore? Quæ- Psalm. 4. nam miseris tam dira libido? filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium? An ignoratis quoniam infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia? & stultos mundi elegit Deus, vt confundat sapientes? Non nos terror comminantis Dei reuocat, perdituri sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobaturi? non patris exemplum? non denique sensus ipse noster, & duræ experientia necessitatis, cui sumus addicti per insipientem scientiæ appetitum? Ecce vobis, fratres, montem demonstrauimus alium, non in quem ascẽdatis, sed quem fugiatis, D. Bernar. sermo. 4. in die Ascensionis.

Ascendit in montẽ, & transfiguratus est, vt ostenderet quod sicut fundamẽtum corporalis fabricæ est in imo,

in imo, ita spiritualis in summo. Magist. senten. super 1. Cor. 3.

Quamobrem hos accipit? quia excellentiores cæteris videlicet erant: & Petrus quidem quia valde Christum diligeret, idcirco præstabat. Ioannes vero qui nimium diligebatur, ac Iacobus à respõso, quod dedit cum fratre interrogatus, dicens: possumus hũc bibere calicem. Ab operibus etiam ipsis, quia perfecit quod dixerat, & quod sic acer atque grauis Iudæis erat, vt magnum munus eis obtulisse, cum eum Acto. 12. interfecerit, Herodes visus sit. Cur autem non illico, sed post sex dies hoc fecit? ne cæteri scilicet discipuli seu homines mouerentur. Qua de re nec eos nominauit, quos accepturus erat? Ne audientes alij ardore sequendi vexarentur: desiderassent enim exemplum futuræ gloriæ videre, doluissent etiam forsan tanquam neglecti. Nam etsi corporale magis illud ostendebatur, summa tamen erat cupiditate desiderandum. Cur autem id prædixit? vt ipsa prædictione dociliores ac pariores ad spectaculum faceret: & dierum numero, atque mora maiori desiderio concitati, vigilanti animo & attenta mente accederent. Cuius autem rei gratia Mosen & Eliam produxit? Multas quidem dicere quis causas posset: & primum quoniam turbæ alij Eliam, alij Hieremiam, alij priscorum prophetarũ vnum opinabantur: idcirco Mosen, & Eliam, cæterorum prophetarum vertices produxit, vt quam magnum sit inter seruos, & dominũ discrimen, oculis cernerent: vtque recte laudatum crederent Petrum, qui filium Dei eum confessus est. Deinde quoniam assidue tanquam transgressorem legis Iudæi accusabant, & blasphemare putabant, quasi gloriam patris nihil ad eum pertinentem vendicaret. Dicebant enim, hic non est à Deo, quia sabbathum non seruat. Et rursum, de bono opere nõ lapidamus te: sed, cum sis homo, Deum te facis. Vt ergo ipsa re monstretur, quia ex inuidia hæc criminabantur, & quia neutri horum criminum subiiceretur: nec legis præuaricator esset, nec alienam gloriã sibi acquireret, æqualem se patri faciendo, eos produxit in medium, quorum alteruter in alterutra istarum rerum perfulsit. Mosi enim legem dedit: quare non fuisset passus Moses conculcari legem, vt Iudæi credebant: nec præuaricatorem eius, & legum latori hostẽ, lator ipse vnquã coluisset. Elias autem pro gloria Dei zelauit: quare non astitisset ei, qui se æqualem patri dicebat, si non esset: nec paruisset illi qui sibi quod nõ habebat vendicaret. Ad hæc omnia illud etiam possumus dicere: vt tam mortis quam vitæ habere potestatem liquido ac vere crederetur, vtque supernorum & infernorum dominus ostenderetur: idcirco Mosen iam Mortuum, & Eliam qui nondum id passus est, in medium produxit. Quartã vero causam (quarta enim est prioribus connumerata) Euangelista quoque ipse tetigit. Quænam igitur illa est? vt crucis gloriam ostendat, & tam Petrum quam reliquos, qui passionem formidabant, consolaretur, & ad sublimius erigeret. Non enim tacebant inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Hierusalem: de cruce videlicet ac passione, sic enim ipsam semper appellabant. Accedit ad ad hæc omnia virtus quoque virorum singularis, atque præclara: quam maxime à discipulis flagitabat. Nam quoniam dixit, siquis vult post me venire, tollat crucem suã, & sequatur me: hac de causa eos qui centies pro Dei præceptorum custodia, & populi qui sibi creditus fuerat, mortem suscepissent, in medium producit. D. Chrysostomus super Matthæum, hom. 57. to. 2.

Et post dies sex assumpsit Iesus. Hilarius Canone in Mat. 17. hunc 6. dierũ numerũ Allegorice dilucidãs, indicat vniuersalem resurrectionem ac totius seculi renouationem futuram exactis sex millibus annis à mundi creatione, sic inquiens. Cũ post sex dies gloriæ dominicæ habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus euolutis regni cælestis honor præfiguratur. Ambrosius præsentem Euangelij locum explicans, improbat hanc opinionem. Idcirco caute te gere in autoribus legendis. Sixtus Senensis Biblio. sanct. lib. 6. annotatione 73. & lib. 5. Annotatione 190.

Quæritur quomodo post dies sex assumpserit eos, & duxerit in montem excelsum seorsum, cum Lucas Euangelista octonarium numerum ponat? Sed facilis responsio est: quia hic medij ponuntur dies, ibi primus additur, & extremus. Non enim dicitur, post dies assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannẽ: sed die octauo. D. Hiero. super Matt. 17. lib. 3.

Ducere in montana discipulos, pars regni est. Ducuntur autem seorsum, quia multi vocati, pauci vero electi. *Et transfiguratus est ante eos.* Qualis futurus est tẽpore iudicandi, talis apparuit Apostolis. Quod autem dicit, transfiguratus est ante eos: nemo putet pristinam eum formam & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus vel spirituale vel aëreum: sed quomodo transformatus sit, Euangelista demonstrat, dicẽs: Et resplenduit, &c. D. Hiero. super Mat. 17. lib. 3.

Non expediebat quod Iudas videret hanc Trãsfigurationem, iuxta illud Esaiæ: tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Si Iudas hanc gloriam vidisset, forte secretum vt oportebat non seruasset: & hoc etiam ei maius supplicium & pœnam attulisset, cum se damnatum videret, & gloriam meminisset quam vidit cum Christus transfiguratus est in monte. Et sic Christus misericorditer cum eo egit, celando gloriam, qua frui non debebat. Si autem alios vndecim secum in montem duxisset, relicto solo Iuda in conualle, fuisset scandalum notabile Iudæ.

Quemadmodum mercatores quas merces distrahere cupiunt, aliqua saltem ex parte emptorum oculis spectandas proponunt: & si res patitur etiã prægustandas, vt earum aspectu, pariter & gustu, illecti, pretium quod exigitur tradere non morentur: ita cęlorum dominus, qui regnum suum æternamque felicitatem venalem habet, eam prius electis suis in hac vita aliqua saltem ex parte prægustandam offert, vt ea inescati, laboris pretium quod pro ea exigitur reddere non detrectent. Hoc enim consilio dominus has hodie discipulis delicias apparauit, vt earum ineffabilis suauitas, eos ad mundi contemptum incitaret.

Saluator humani generis Iesus Christus condens eandem fidem, quæ & impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitam: ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, vt idem Christus & vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur. Nam vnum horum sine altero non proderat ad salutem: & æqualis erat periculi dominum Iesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum vtrumque esset pariter confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera diuinitas. Ad confirmãdum ergo huius fidei saluberrimam cognitionem, interrogauerat discipulos suos dominus inter varias aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent. Vbi Petrus Apostolus per reuelationem summi patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis filium Dei viui, & confessus est gloriam deitatis. Vt ergo istam felicis constantiæ fortitudinem toto Apostoli corde conciperent, & nil de suscipiendæ crucis asperitate trepi

trepidarent: vt de supplicio Christi non erubescerent, nec pudendam sibi eam patientiam crederent, quæ sic subitura erat sæuitiam passionis, vt nō amitteret gloriam potestaris: assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & fratrem eius Ioannem, & conscenso cū eis seorsum monte præcelso, claritatem suæ gloriæ demonstrauit. Quia licet intellexissent in eo maiestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Leo Papa in homilia de Transfiguratione Domini circa medium operum.

Videntur mihi hi qui ducuntur à Iesu super montem excelsum, & digni habentur videre Transfigurationem eius secrete: quia non in vanum post sex dies ducuntur. Quoniam enim in sex diebus perfecti numeri totus factus est visibilis mundus: ideo arbitror eum qui transcendit omnes mundi res, considerans iam non quæ videntur (temporalia enim sunt) sed quæ non videntur, quoniam sunt æterna: posse ascendere super montem excelsum, Christo se præcedente; illum posse & gloriam aspicere verbi Dei. Si ergo quis nostrum cupit Christo se assumente ascendere super montem excelsum, & videre secrete Transfigurationem ipsius: transcēdat opera sex dierum, non aspiciens quæ videntur, neque diligens mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Origen. ho. 3. super Matth.

Quia fidelis est dominus in promisso, ideo quod promisit adimpleuit. Promiserat enim Apostolis dicens, Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo, idest in ea claritate in qua peracto iudicio apparebit in regno. Sed ecce promissum impleuit, quia post sex dies assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ducit eos in montem excelsum, seorsum, & transfiguratus est ante eos. Innocē. 3. sermone in sabbatho post primam Dominicam Quadragesimæ.

Num. 13. *Transfiguratus est.* Quemadmodum qui ad explorandam promissam à Deo Chananæorum terrā missi sunt, ex fructibus eius terræ insignis magnitudinis botrum, quem duo homines ligno impositum circumferebant: & similes alios fructus adduxerunt, vt eo indicio magnam eius fertilitatem Iudæi agnoscerent? ita dominus hanc cælestis gloriæ portionem, quæ de fulgentissimæ suæ humanitatis aspectu processit, discipulis hodie proposuit, vt hoc argumento qualis esset illius immēsæ & increatę pulchritudinis conspectus demonstraret.

Quamuis multa & maxima de futura gloria mens humana concipiat, nunquam tamen minimam eius partem poterit attingere. Quocirca illud nobis in eius æstimatione eueniet quod hic euenire solet, qui picturam alicuius singularis artificis manu incœptā, plene absolutam putant & admirantur, ea nil perfectius esse putantes: pictor tamen artis suæ gnarus intelligit quantum perfectio illa quam ignari homines mirantur, ab ea distet quam post finem operis habitura sit pictura. Ad hūc enim modum persuasum nobis esse debet, quicquid de illa felicitate & gloria cogitamus, aut dicimus, longe minus quam pro eius dignitate esse. vnde recte quidam cælum à celando dictum esse dixerunt, quoniam quæ in ipso opes atque deliciæ continentur, mortalium mentibus prorsus incognitæ sunt. Quid enim humana mens optare potest, quod ibi multis accessionibus auctum non inueniat? Quæ enim sigillatim & per temporū momenta discimus: illic sola beatifica diuinæ essentiæ
Exod. 16. visione pleniſſime intelligemus. Sex quidem diebus manna filij Israel in deserto non sine labore edebant, quando illud passim fusi per agros colligebant: feria vero sexta cibos duplices, in præsentē atque sequentem diem prouidebāt, vt in sabbatho sine vllo labore, quæsito iam cibo reficerentur. Hoc ipsum spiritualiter electis omnibus continget: sex enim huius vitæ diebus comedūt mana absconditum: at in sabbatho illo vbi requies æterna celebratur, vbi sancti omnes requiescunt à laboribus suis, vbi non iam laborandi, sed quiescendi tempus est, ibi tunc non cibos sibi labore parabunt, sed partis iam & longo labore quæsitis, sine labore fruentur.

In montem excelsum. Quod vt euadamus hostis insidias, eiusque laqueos fugiamus, nullum sit opportunius medium quam ascendere in mōtem domini, & quomodo sit ascendendum, consule D. Chrysosto. epist. 5. ad Theodorum ante medium epistolæ, quæ est valde prolixa, to. 5.

Concordiam Euāgelista. cum vnus dicat sex dies, alter vero ponat octo; reperies apud D. Aug. lib. 3. de doctri. Christia. cap. 35. to. 3. & lib. 2 de consen. Euāg. cap. 56. to. 4.

Rationale diuinorum officiorum reddit rationem cur hodie sabbatho, & die dominico subsequente, secundum vsum Romanum recitetur Euangelium Transfigurationis: & dicit ita lib. 6. cap. 38. Per sabbathum mentis venitur ad sabbathum quidem æternitatis, & ideo recitatur Euangelium de Transfiguratione Domini, in qua apparuerūt Moyses & Elias, quorum exemplo animatur Ecclesia ad ieiunium. Mihi etiam offertur alia ratio, quæ talis est: Gloria & beatitudo hominibus cōferenda, cuius vestigium & vmbra hodierno die demonstrata est, non tantum ab æterno patre confertur, aut à filio solum, vel à spiritu sancto solum, vel à tribus personis simul. In cuius rei confirmationem in Christi baptismo pater quidem ostensus est in voce de cælo demissa, filius in suamet persona: & spiritus sanctus in forma columbæ, vt constat Mat. 3. Pari etiam ratione ad ostendendum gloriam illam supernam à tribus simul personis diuinis conferri, pater hodierno die demōstratur in voce delapsa: filius in suamet persona: & spiritus sanctus in nube lucida: iustum quippe est vt qui tribus obsequimur personis, à tribus quoq; præmium consequamur æternum, gloriaque coronam. Cæterum quoniam res imperfecta videtur esse, si bis tantum in anno præsens Euangelium recitaretur, cū gloriam ipsam à tribus personis assequamur: voluit Ecclesia vt præter eam repræsentationem huius diuini mysterij, quæ in mense Augusto celebratur, & eam quæ hodierno die, etiam tertio proponatur & recitetur, nempe die subsequente dominico, secundum vsum vt diximus Romanū. Si quis meliora habet, libenter accipiantur.

Eligit Christus hos tres discipulos vt viderent eū suscitantem filiam Archisynagogi, vt constat Marci 5. & Lucæ 8. Et eosdem assumpsit segregatos ab aliis, vt eum intuerentur transfiguratum in tanta gloria ac maiestate: quoniam etiam eosdem tanquam testes segregare decreuerat, cum postea in magna positus agonia oraret patrem in horto, ne videntes tunc afflictionem maximam sui magistri ac redemptoris, à fide deficerent, atque virtuti illius diffiderent, quē antea tot mirabilia feciſſe vidissent. Quare hodie in monte Thabor his tribus discipulis arma dedit, quibus in horto multum egerunt.

Si recte hic considerasti, ad videndum gloriam Transfigurationis discipuli laborauerunt, cum ad montis Thabor culmen ascenderint, Moyses etiam & Elias per varios labores peruenerūt eo perfectionis, vt essent tantopere Deo familiares & intimi, & hodie etiam tanta familiaritate cum eo colloquerentur, vt adnotat D. Chrysosto. & manifeste constat, ex Autor.

iis quæ

Exo. 7. 8. &c. 3 Re. 18. & 19. iis quæ alter à Pharaone, & populo perpessus est, & alter à rege Achab, & aliis ex quo colligitur hodie disputari ac tractari non incommode posse de laboribus propter Deum tolerandis, & quantum commodi nobis labores expediant, quamque vtiles sint: quandoquidem & nos Deo maxime familiares efficiunt, & subinde nos ducunt ad gloriam sempiternā.

Si ergo vis agere quod sæpe labores nobis apparent maiores quam sint, & quod quādoque nos grauius cruciant si eos sola cogitatione reuoluimus, quā si patiamur eosdem, vide Senecā lib. 2. epist. ad Luci. epist. 13. fere per totam.

Labores & calamitates à tyrannis illatæ, quamuis sint magnæ, plus fere terrent, quam crucient. Nam licet in his sit abscissio pedum, aut manuū, aliorumue consciſſio membrorum aut denique vitæ ablatio: sublatis quidem horum à nostra imaginatione & cogitatione terroribus, solum remanent dolores: quibus interdum multi in morbis acutis & grauibus maiores solent sustinere. Et in partu mulieres, & viri articulari morbo, aut alio grauiori laborantes maximos sustinent. Non ergo restat nobis nisi mors quam etiam vt videmus multi quandoque contemnunt pro quibusdam temporariis obtinendis. Quocirca omnes labores qui nobis euenire possunt, vultu sereno atque virili animo perferamus. Consule de hoc argumento Senec. lib. 3. epist. ad Luci. epist. 24. circa medium.

Multi Ethnici homines labores ingentes virili animo pertulerunt, vt crucem quidam Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Quamobrem ait Seneca & nos aliquid sustinere non formidemus. Vide Senec. lib. 16. epist. ad Luci. epi. 99. circa medium. Quare tu notare poteris: si hic Ethnicus tantum hortatur & animat aliorum Ethnicorū exēplis ad labores sustinendos, cum tamen tales labores, ingentes quidē, miserrimis præmiis seu verius suppliciis cōpensentur: quanto nos cohortari nos ipsos vehementius & animare deberemus exēplis propositis tot tantorūque sanctorum, ad præmia vera ac sempiterna promissa, exiguis plane laboribus consequenda? Hoc poteris amplificare.

Si tibi labores acciderint, forti animo eos sustine, quia consuetudo & vsus efficient eos leuiores: quandoquidem experientia docente cognouimus, quia nemo duraret si rerum aduersarum eandem vim assiduitas semper imprimeret, quam primus ictus imprimit. Vide Senecam libr. de tranquillitate vitæ ad Serenum cap. 10.

Sicut corporalis laboris exercitatio callum obducit in manibus, & ita non adeò grauiter tandem laborem sentiunt: sic assiduitas patiendi labores, ærūnas, & calamitates veluti callum in corde obducit, vt non sic molestе sentiantur vt prius. Nam vt asserit idem Seneca, cum semel animum virtus indurauit, vndique inuulnerabilem præstat. Vide Senecam lib. de consol. ad Albinam matrem cap. 13.

Quod felicitas & vera consolatio obtinentur mediis laboribus ac calamitatibus, diffuse disseritur à D. Augusto. ad Probam viduam lib. Epistо. epistо. 121. cap. 1. & 2. to. 2.

Multum hominem māsuefacere labores possunt & domare. Non est certe credendum in arca Noë alia animalia fuisse introducta, quæ vorarentur à leonibus: aut aues alias, quibus aquilæ sustentarētur. Sed omnia communi cibo & pastu sustentabantur. Necessitas enim, labores, atque discrimina, faciebant æquales omnes illas bestias, easque mansuefaciebāt, & contemperabant. Lege hac de re D. Aug. lib. quæst. super Gene. q. 10. to. 4. vide ergo quantū labores possint ac valeant in hominibus.

Nunc in præsenti seculo bonos impij contemnūt atque despiciunt, tum ob illorum labores, tum propter spem in futuram vitam relatam: credentes nunquam præmij bonorum terminum esse venturum, & dicūt illis. Vester quidem labor certus est, at præmia multum differuntur incerta. Veruntamen tempus aduenit cum dicent tales impij illud Sapi. 5. hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c. Vide D. Augusti. in Psal. 30. concione 3. to. 8. vbi hoc diffuse tractat: quod tu poteris perutiliter accommodare tuo instituto.

Non omnes quidem norunt laboribus fructuose vti. sicut enim si essent duo vasa, alterum suaui liquore plenū, alterum vero putrefactione refertum, vno eodemque instrumento mota ambo, produceret certe alterum suauem odorem, alterum vero fœtorem teterrimum: sic etiam boni & mali se habent vt talia vasa, nam statim impij laborum instrumento cōmoti denudant & detegunt suam ipsorum maximā impatientiam, boni vero semper demonstrāt suam virtutem atque patientiam. Alij de Deo grauiter cōqueruntur, alij autem Deum miris laudibus efferūt, eiq; gratias agunt. Hoc sane descriptum est illis Apoc. vet bis cap. 22. vbi habetur sic. Qui in sordibus est, sordescat adhuc: iustior autem iustiora faciat, seu iustificetur adhuc. cōsule D. Aug. de temp. ser. 111. to. 10. Apo. 22

Quod in vita præsenti solatia quærere nō debeamus, sed de ipsis laboribus gaudere, quādo tot tantaque bona colliguntur ex illis, vide eundem de tempore ser. 173. vbi id diffuse disseritur to. 10.

Quod boni laboribus emendantur, & impij deteriores fiunt: lege eundem de his differentem fuse de tempore ser. 222. & 224. to. 10.

Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt eis Moyses & Elias cum eo loquentes. Claritas illa quam Christus in Transfigutatione assumpsit, fuit claritas gloriæ quātum ad essentiam, non tamen quantum ad modum essendi: claritas enim corporis glorioſi deriuatur ab animæ claritate, sicut Augusti. dicit in epist. ad Dioscorum: & similiter claritatis corporis Christi in Transfiguratione deriuata est à diuinitate ipsius, vt Damascenus dicit, & gloria animæ eius. Quod enim à principio conceptionis Christi gloria animæ non redundarit ad corpus, ex quadam dispensatione diuina factum est: vt in corpore passibili nostræ redēptionis expleret mysteria. Non tamen per hoc adempta est Christo potestas deriuandi gloriam animæ ad corpus. Et hoc quidem fecit quantum ad gloriæ claritatem in Transfiguratione: aliter tamen quam in corpore glorificato. Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, sicut qualitas quædam permanens; corpus afficiens. Vnde fulgere corporaliter, non est miraculosum in corpore glorioſo. Sed ad corpus Christi in Transfiguratione deriuata est claritas à diuinitate & anima eius, non per modum qualitatis immanentis & afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cū aër illuminatur à sole. Vnde ille fulgor tunc in corpore Christi apparens, miraculosus fuit: sicut & hoc ipsum quod ambulauit super vndas maris. Vnde Diony. dicit in epist. 4. ad Caium: super hominem operabatur Christus ea quæ sunt hominis, & hoc mōstrat virgo supernaturaliter concipiens, & aqua instabilis materialium & terrenorum pedum sustinens grauitatem. Vnde non est dicēdum sicut Hugo de S. Victo. dicit, quod Christus assumpsit quatuor dotes: claritatis in transfiguratione, agilitatis ambulando super mare, subtilitatis egrediendo de clauso vtero virginis, & impassibilitatis in cœna quando dedit corpus suum ad edēdum sine hoc quod diuideretur:

quia dos nominat quandam qualitatẽ immanentem corpori glorioſo. Sed miraculoſe habuit ea quæ pertinent ad dotes: & eſt ſimile quantum ad animam de
2.Cor.12 viſione qua Paulus vidit Deum in raptu. D.Tho.3.p. q.45.ar.2.in corpore.

Et apparuerunt illis Moyſes & Elias. Chriſtus transfigurari voluit vt gloriam ſuam hominibus oſtẽderet, & ad eam deſiderandam homines prouocaret, ſicut ſupra dictum eſt. Ad gloriam autem æternæ beatitudinis adducuntur homines per Chriſtum, non ſolum qui poſt eum fuerunt, ſed etiam qui eum præceſſerunt. Vnde eo ad paſſionem properante, tam turbæ quæ præcedebant, quam quæ ſequebantur, ei clamabant, Oſanna, vt dicitur Matth. 21. quaſi ſalutem ab eo petentes. Et ideo conueniens fuit vt de præcedentibus ipſum teſtes adeſſent, ſcilicet Moyſes & Elias, & de ſequentibus ipſum, ſcilicet Petrus, & Iacobus, & Ioannes: vt in ore duorum vel trium teMatt.18. ſtium ſtaret hoc verbum. D.Tho.3. p. q. 45.art.3. in corpore.

Nil Apoſtolis & maxime his tribus qui ſub nube vnà cum domino fuerunt beatius inuenitur. Verum ſi voluerimus nos quoque Chriſtum, non vt illi tunc in monte videbimus, ſed multo certe fulgentiorem. Nam tũc diſcipulis parcens tantum ſplendorem adaperuit, quantum illi percipere poterant: in extremo autem die in ipſa gloria atque maieſtate patris non cum Moſe & Elia ſolis, ſed cum innumero angelorum, archangelorum, aliarumque poteſtatum exercitu, veniet: nulla nube caput eius contegente, verum etiam mirum in modum cælo compreſſo. Et quemadmodum cum publice ſentẽtiam iudices prolaturi ſunt, velamina ſtatores contrahunt, vt ab omnibus videantur: ſic in ſolio ſuo dicentem vniuerſi conſpicient, & vniuerſum genus hominum iudicio aderit: quos ipſe non per alium, ſed per ſeipſum alloquetur. Et aliis quidem dicet: venite benedicti patris mei, eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Aliis, euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Contra vero aliis, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Aliis, male ſerue, ac deſes. Et hos quidem biparito ſcindens tradet tortoribus, hos vero manib & pedibus vinctos in tenebras iubebit immitti exteriores. Ita poſt ſecurim fornax ſuccedet: & qui à ſagena proiiciuntur, ibi mirabiliter inſident. Tunc quaſi ſol iuſti, imo vero multo magis quam ſol reſplendebunt. Non enim id dictum eſt quoniam tantus ſplendor eorum futurus eſt: verum quia nil ſole fulgentius videmus, ab eo quod nobis notiſſimum eſt, futurum deſignare ſanctorum ſplendorem voluit. Hac enim de cauſa & in monte ſicut ſol effulſiſſe ſcribitur. Nam maiorem fuiſſe illam lucem quã ſit hæc ſolaris, inde patet, quia diſcipuli cum ferre non poſſent, ceciderunt. Sic igitur iuſti ſolem fulgore ſuperabunt, peccatores autem extrema ſupplicia patientur. Non erit tunc opus chirographis, non argumentis, non teſtibus, omnia enim hæc in ipſo iudice ſunt. Ipſe teſtis, ipſe argumentorum radix, ipſe iudex: & omnia clara, omnia nuda ſunt apud oculos eius: non diues, non pauper, non robuſtus, non imbecillis, non ſapiens, non inſipiens, non ſeruus, non liber aliquis ibi videbitur: ſed his laruis contritis, operum ſolummodo erit ſcrutatio. Nam ſi quando de tyrãnide aut de cæde quiſpiam cauſam dicit, quicunque fuerit, ſiue præfectus, ſiue conſul, ſiue quauis alia dignitatis excellens præſtantia, nil penitus valet, ſed condemnatur, ad pœnam atripitur: multo magis id tunc in omnibus pariter fieri videRom.13. bitis. Quod ne fiat, deponamus obſecro ſordidos peccatorum amictus, & arma lucis diligenter induamus, & gloria Dei amiciet nos. D. Chryſo. ſuper Mat. ho.57.to.2.

Non eſt intelligendum quaſi anima Moyſi ſuum corpus reſumpſerit, ſed quod anima eius apparuit per aliquod corpus aſſumptum: ſicut angeli apparent. Elias autem apparuit in propio corpore, non quidem de cælo empyreo allato, ſed de aliquo eminenti loco, in quo fuerat in curru igneo raptus. vide D.Tho.3,p.q.45.ar.3.ad 2.& Six. Senen. ſuæ biblio. libro 6.annot,74.& 145.

Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria cõmutatur. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Certe transformatus eſt dominus in eam gloriam, qua venturus eſt poſtea in regno ſuo. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit. Eſto corpus ſpirituale fuerit, num & veſtimenta mutata ſunt: quæ in tantum fuere candida (vt alius Euangeliſta dixerit) qualia fullo ſuper terram non poteſt facere. Quod autem facit fullo tactui ſubiacet, & non ſpirituale eſt & aëreum, quod illudat oculis, & tantum in phantaſmate conſpiciatur. D.Hieronymus ſuper Matthęum 17. lib.3.

Scribis & Phariſæis tentantibus ſe, & de cælo ſigna petentibus, dare noluit, ſed prauam poſtulationem confutauit reſponſione prudenti. Hic vero vt Apoſtolorum augeat fidem, dat ſignum de cælo, Elia inde deſcendente quo conſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente: quod & Achaz per Eſaiam præcipitur, vt petat ſibi ſignum de exceſſo, aut de inferno. Nam quod dictum eſt, apparuit illis Moyſes & Elias Lucæ.9. cum eo loquentes, & in alio refertur euangelio, nuntiaſſe ei quæ Hieroſolymis paſſurus eſſet: lex oſtenditur & prophetæ, qui & paſſionem domini, & reſurrectionem crebris vocibus nuntiarunt. D.Hiero. ſuper Matth.17.lib.3.

Tanta ſunt gaudia illius patriæ cæleſtis, vt ſi vniuerſæ mundi voluptates quæ fuerunt, & quæ futuræ ſunt, cum illis conferantur, nil omnino erunt. Omnis quidem mundi iucunditas ſi cum illa cęleſti conferatur, mœror & luctus eſt: omnis ſuauitas dolor: omnis dulcedo amaritudo: omne pulchrum & decorum fœdum. Tanta & tam magna eſt dulcedo futuræ gloriæ, vt dicat Auguſt. in ſermo. de beatitudine cæleſti, quod ſi vnica tantum gutta cæleſtis beatitudinis in damnatorum pœnis defluęret, tanta dulcedine repleret gehennam, vt nullum dolorem aut tormentum damnati paterentur: & tanta ex diuina viſione oritur delectatio, vt beati mallent eſſe in inferno & cõſpicere vultum Dei quam priuati hac viſione eſſe in cælis.

Veſtimenta Chriſti ſunt vniuerſi fideles, de quibus ad ipſum dicitur per prophetam: His omnibus velut veſtimento veſtieris. Et ad quos dicit Apoſto. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, Et ideo non ſolum facies Chriſti reſplenduit ſicut ſol, ſed etiam veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix. Quemadmodum, inquit, Apoſtolus ſaluatorem expectamus dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. *Et ecce apparuerunt eis Moyſes & Elias.* Quia mirum erat & mirabile quod monſtrabat vt firmius crederetur, voluit illud multiplici teſtimonio comprobare. De cælo ſcilicet, & de terra: de paradiſo, & de inferno: à Deo, & homine: à viuis, & mortuis: per præteritos, & præſentes: per legem, & prophetas. Quoniam apparuerunt eis Moyſes, & Elias cum ipſo loquentes. Diſcipuli autem in monte fuerunt teſtes veritatis in terra: Moyſes de inferno, quia nondum Chriſtus eduxerat vinZacha.9. ctos ſuos de lacu, in quo non erat aqua, Elias de paradiſo

paradiſo, in quo cum Enoch vſque ad tribulationem vltimam futuram per Antichriſtum creditur permãſurus. Innocen.3.ſermone in ſabbatho poſt primam dominicam Quadrag.

Quemadmodum ſol nubem radiis atque fulgori ſuo obiectam, inſtar ipſius ſolis ſplendidiſſimã atque lucidiſſimam reddit: ita anima glorioſa vbi corpori ſuo coniuncta fuerit, ipſum quoque mirabili ſpecie fulgidum atque ſplendidum efficiet.

Ad hoc præcipue hoc myſterium celebratum eſt, vt Apoſtoli, qui crucem domini ignominiam putabant, & in ea ſcandalum paſſuri erant, hoc diuino teſtimonio confirmati, nil de eius dignitate dubitarẽt, quem tot tantiſque teſtimoniis ibidem honoratum vidiſſent. Æquum enim erat vt cum Apoſtoli dominum in paſſione ſeductorem atque blaſphemum apMat.26. lari audirent; vt qui ſe Dei filium faceret: cæleſtis huius vocis recordarentur, quæ illum verum Dei filium teſtabatur. Cum etiam illius vultum deformatum, ſputis illitum, & ſanguine cruentatum cernerent: meminiſſent illum ipſum eſſe, cuius ipſi vultũ ſole ſplendidiorem & pulchriorem paulò ante vidiſſent.

Et apparuerunt Moyſes & Elias. Nec ſola Chriſti gloria diſcipulorum oculos oblectauit, ſed etiam Eliæ atque Moyſi: qui ſimul cum domino viſi ſunt in maEſther 4. ieſtate, hoc eſt mirabili gloria & claritate perfuſi. Sicut enim non licebat ſacco indutum ante regis Aſſueti conſpectum aliquem apparere: ita non decuit ante faciem regis æterni ſeruos eius niſi ſplendido atque fulgenti habitu conſpici.

Cum eo loquentes. Dicebant exceſſum eius quem completurus erat in Hieruſalem, vt dicitur Lucæ 9. Quid igitur? hæccine ſunt ſublimia obſecro illa & læta colloquia, quæ huic tantæ ſolemnitati conueniebant? hæc ſermonis materia inter tot gaudia miſcenda erat? hæc plane: non enim hæc iudicio Petri qui terrena ſapit, ſed iudicio Chriſti qui terrena cõtemnit, examinanda ſunt. In cuius conſpectu nil dignius aut ſublimius, quam propter Dei gloriam acerbiſſima ſupplicia atque dedecora perpeti. Ex quo plane intelligimus materiam ſermonis, nil ab huius feſti dignitate abhorruiſſe. Quid quæſo iucundius captiuo, quam de redẽptione ſua, quid gratius exuli, quã de reditu in patriam, agere? Cum ergo & Moſes & Elias cæleſti patria tamdiu exularent, quam tantopere deſiderabant: quæ illis loquẽdi materia dulcior aut iucundior, quã de morte ſummi illius ſacerdotis diſſerere, per quã exulibus reditus in patriam concedebatur? domino vero ſaluatori quæ materia loquendi Lucæ 12. gratior, quam de ſalute & redemptione mundi tractare? Cuius tam magno deſiderio tenebatur, vt diceret: baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?

Quomodo erat hic ſplendor in veſtibus Chriſti, & cur illi ſancti viri apparuerunt, lege D.Aug.de mirabilibus ſacræ ſcripturæ lib.3.ca.10.to.3.

Quid in hoc diuino ſenatu cæleſtique congregatione tractabatur, & alia huiuſmodi, lege apud D. Auguſt. oratione de quinque hæreſibus cap.7.

Valde neceſſaria eſt tolerãtia atque patientia, qua hi duo illuſtres viri hodie cum Chriſto comparantes ob pacis conſeruationem maxime ſplenduerũt. Nam quemadmodum in domo ex lapidibus conſtructa, quia lapides alij alios ſuſtinent & veluti portant, hac media lapidum mutua ſuſtentatione perſiſtit ac conſeruatur ædificium: ſic etiam inter nos & fratres noſtros, amicos & denique proximos, conſeruabitur bona ſocietas, Chriſtiana fraternitas, & amicitia vera, ſi patientia inter labores atque moleſtias occurrentes, media interceſſerit.

Patiens homo laborumque tolerator exiſtit intẽr ipſos affligentes veluti lilium inter ſpinas. Et obſerua, quod licet ſpinæ pungant & feriant, quia ſunt maxime acutæ: tamen cuſpides habent adeo teneras, vt ſi obiiciatur reſiſtentia vel parua, frangantur tandem & minime pungant: ita enim videmus meſſores cum quibuſdam digitalibus coriaceis cum ſpinis ac carduis per totam diem ſine vlla læſione contendere, imo & ſæpe ſine digitalibus. Tales ſunt la- Applicatio. bores qui nobis occurrunt: nam ſi in ipſo primo cõgreſſu nos firmos offendunt, eorũ cuſpides confringuntur, & nobis nihil moleſtiæ inferunt, & idcirco operę pretium eſt vt ſtatim reſiſtamus. Cæterum ani maduertas etiam oportet, quod quãuis in te virtutẽ ac fortitudinẽ eſſe non ſentias ad moleſtias tui proximi omnino ſuſtinendas, ſaltem nullo modo id foris oſtendas, nec præbeas tuæ paſſionis indicium, vel impatientiæ aliquod veſtigiũ. Nam ſi ſic paſſionem iræ compreſſeris frequenter, ſenſim ſuperabis atque deuinces tandem interiorem difficultatem exteriore reſiſtentia. Iſti ſiquidem exteriores patientiæ actus, te in poſſeſſione tranquillitatis & pacis interioris proculdubio collocabunt.

Maxima porro iuuat ad patientiam habendam in laboribus atque moleſtiis quæ nobis tam frequẽter occurrunt, conſiderare quod Deus id omne videat, ac permittat, & cuncta nobis aduerſa illo diſponente contingãt: cum nec paſſer de nidulo, nec folium de arbore cadat ſine eius permiſſione, neque ſine eiuſdem voluntate moueant. Volens quidẽ D. Petrus reſiſtere & impedire Iudæos ne Chriſtum dominum cõprehenderent, cũ inciperet aduerſus omnes ſatelIoan.18. lites diſtricto gladio ſolus ipſe prorumpere, iamque cuiuſdam miniſtri abſcidiſſet auriculã: iuſſus eſt ab ipſo domino gladium vaginæ reſtituere, atque patiẽter tolerare, his verbis. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? quaſi diceret: ſi hi labores, ô Petre, ab alio quàm à patre mitterẽtur, recte id quidem feciſſes, & iure optimo obſtitiſſes: cæterum res à patre prouenientes, non bona eſſe non poteſt, & maximum adferre fructum.

Virtuti patientiæ in laboribus optime quadrat illud Policrati dictum relatum à D. Anton. in ſuis par. Theolog. quod homo quidam affectus iniuria dixit inferenti illam. Nimirum dicito quidquid voles: ego enim imperaui auribus meis ne audiant, linguæ ne loquatur, ſed taceat: cordi denique ne commoueatur.

Si vis videre multa de laboribus huius mũdi, deq; patientia qua ſuſtinendi ſunt, lege D. Cypria. epiſt. 9. quæ eſt de mortalitate: quæ ſola ſufficiens eſt ad cõcionem vnam.

De patientia quæ in laboribus habenda eſt, vide eundem epiſto. 56. quam ſcribit Rogatiano & cæteris confeſſoribus in carcere conſtitutis conſolatoriam.

Quod ad imitationem patientiæ diuinæ tot idolatrias, hæreſes, & peccata patientiſſime ſuſtinẽtis, & nos patientes in laboribus eſſe debeamus, reperies apud eundem de bono patientiæ epiſt. 111.

Si eos Ethnicos qui patiẽter & alacri animo tulerunt labores ac calamitates falſo putatas illatas à falſis diis propter ipſorum delicta, ſic autores Ethnici ferunt fuiſſe compenſatos ac muneribus honeſtatos ampliſſimis: vt Iuſtinus hiſtoriographus lib.25. ſcribit de Seleuco, quem dicit fuiſſe punitum claſſis ſubuerſione quod patrẽ ſuum occidiſſet, atque deos fuiſſe placatos, & muneribus maximis ac nouis honoraſſe Seleucum ipſum, quod illatum ſupplicium patienter & alacri vultu pertuliſſet. Quomodo tu ad ſimilia præſtanda non aſſurgis & animaris, qui

certam ſpem præmij veri à vero Deo tuo reddẽdi indubitanter habes?

Magna quidem obtineri non poſſunt ſine vi tute tolerantiæ & patientiæ: fere enim præclara ac pretioſa muris difficultatum fortiſſimis circundantur. Fluuius quidam nomine Ganges, qui à diuina ſcriptura vocatur Phyſon, talis eſt: vt D. Hierony. aſſerat in eo eſſe quamplurimos lapides pretioſos ſmaragdos, carbunculos, & per ripas eius montes aureos adiacere, verumtamen ad ipſum fluuium accedere difficillimum eſt, propter innumeros tigres, atque leones, & alia monſtra ferociſſima in ipſo itinere occurrẽtia. In quo plane nobis ſignificatur ad Dei gloriam aſſequendam & contuendam, quæ tam locupletiſſima eſt, opus eſſe nobis patientia maxima laborum ac tolerantia, qua leonibus ferocibus, tigribuſque feris, & aliis beſtiis immanibus & monſtruoſis inimicorum, quæ tranſitum nobis impedire niruntur, virili animo reſiſtamus. Vires autem indubie Deus ipſe piiſſimus præſtabit, quibus cuncta ſuperemus. Lege D. Hiero. epiſt. ad Ruſticum monachum de viuendi forma, in eius potiſſimum initio, quamuis tota etiam epiſtola inſtituto huic conuenire fere videatur.

Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum, domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Quoniam audiuit Petrus iturum ad Hieroſolymã vt pateretur, propitius quidem eſto tibi ſemel increpatus, non amplius hoc audet dicere: ſed quoniam adhuc pauore tenebatur, idem aliis verbis occultius ſuggerit. Nam cum montem & ſolitudinem viderit, tutum ſe à loco putauit fore: quare volebat ibi ſe perpetuo manere, quocirca & tabernaculorũ recordatus eſt. Cogitabat enim ſi non aſcenderet in Hieroſolymam, non moriturum Chriſtum, quia ibi audiuit ſcribas eum aggreſſuros. Hæc cum dicere non auderet aperte, occultius adſtruit, dicens: Bonum eſt nos hic eſſe, vbi Moſes & Elias quoque adſunt. Elias qui de cælo fecit ignem deſcendere, Moſes qui ingreſſus in caliginem cum Deo collocutus eſt: præterea nullus ſciet hic nos eſſe. Vides quanto Chriſti ardore incendebatur? Non enim quærere debes quam prudenter hortabatur, ſed quam feruẽs charitate Chriſti, quamque inflammatus eſſet. Nam quod non pro ſe tantum quantum pro Chriſto timeret, quando mortem & inſidias Chriſtus prædicabat: ipſum audias dicentem, Animam meam pro te ponam, etſi oportuerit me tecum mori, non te negabo. Vnde factum eſt vt in medio periculo conſtitutus, tam ingenti caterua circumfuſus, non modo non fugerit, verum etiam gladio arrepto ſacerdotis ſerui aurem abſciderit. Non itaque pro ſe, ſed pro magiſtro expaueſcebat. Deinde quoniam bonum eſt nos hic eſſe enuntiauit, timens ne iterum increparetur, emendauit ſeipſum dicẽs ſi vis, faciamus hic tria tabernacula. D. Chryſo. ſuper Matt. ho. 57. to. 2.

Qui ad montana conſcenderat, non vult ad terrena deſcendere, ſed ſemper in ſublimibus perſeuerare.

Lucæ 9. *Si vis faciamus.* Erras Petre, ſicut & alius Euangeliſta teſtatur: neſcis quid dicas. Noli tria tabernacula quærere, cum vnum ſit tabernaculum Euangelij, in quo lex & prophetæ recapitulanda ſunt. Si autem quæris tria tabernacula, nequaquam ſeruos cum domino conferas: ſed fac tria tabernacula, imo vnum, patri, & filio, & ſpiritui ſancto: vt quorum eſt vna diuinitas, vnum ſit & in pectore tuo tabernaculum. D. Hiero. ſuper Matth. 17. lib. 3.

Ideo non obliuiſcimur terrenorum, quia non amamus cælestia. Nam vt Anſelmus ait, quo amplius quiſque vitæ cælestis dulcedinem deguſtat, eo amplius faſtidit omnia quæ placebant in infimis. Merito Petrus viſa Domini maieſtate repente cunctorum quæ nouerat terrenorum obliuiſcitur, & ſolis his quæ videbat cupit adhærere, ibique cum Ieſu optat habitare. Cum Elias propheta Dei gloriam & maieſtatem coram ſe prætereuntem vidit, pallio ſuo oculos texit: nam mox vt quis Dei fruitur deliciis, omnibus terrenis oculos claudit, ideo propheta dicebat: Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? 3. Reg. 19. Pſal. 72.

Tu vero Petre vbinam eris? vbinam erunt Iacobus & Ioannes ſocij & comites tui? Quod ſi inquis quod eritis cũ Chriſto: quæro nunc vbi erit frater tuus Andreas? cur eius non recordaris? Quantum malum inuehat proſpera fortuna aduertite. D. Andreas adduxit Petrum in veram Dei cognitionem, vt D. Ioannes in ſuo ſcribit euangelio, & Andreas introduxit Petrũ in palatium, eumq; coram rege ſtatuit: nunc vero cũ ſe Petrus regi acceptum vidit, & in dignitate ac honore conſtitutum, iam penitus obliuiſcitur eius, qui eum in tantã euexit amplitudinem, & gratiam regis. Quotidianũ eſt certe hoc malum. Ioſeph quidẽ pincernæ Pharaonis dixit, memento mei dum bene tibi fuerit. Nam probe norat Ioſeph ſecundã & proſperã fortunam homines in obliuionẽ aliorum inducere: ac proinde dixit vt tempore proſpero eius memoriã cordi infixã haberet. Ideo etiam dominus in Deut. 6. cum promitteret vrbes quas Iſrael non ædificauit, dixit: Caue tibi ne obliuiſcaris domini Dei tui. Summe debet in hoc laborare ſeruus Dei, vt cum ditior fuerit, tunc plus Dei ſui qui omnia contulit recordetur. Olim quidem Daniel 2. præpoſitus à rege Nabuchodonoſor, recordatus eſt ſociorum, vt etiam ipſi eſſent principes ſuper prouincias. Gen. 40.

Bonum eſt nos hic eſſe. Quemadmodum qui ex abiecta humilique fortuna ad regni ſolium euectus eſſet, vilem ſupellectilem quam antea pretioſam charamque habebat, præ regij apparatus ſplendore & magnificẽtia pro nihilo haberet, ſeque ipſum rideret quod olim res adeo viles tãti faceret: ita qui nunquã in vita ſua cælestium deliciarum dulcedinem ſingularem deguſtauit, nec niſi porcorum ſiliquas, hoc eſt carnales voluptates agnouit, eas ſolum magnas & amore ſuo dignas arbitratur: at ſi is forte à ſpiritu ſancto in benedictionibus dulcedinis prequentus, & torrente diuinæ voluptatis potatus fuerit, opulentiſſima etiam mundi bona ita contemnit, vt ne cogitatione quidem & aſpectu ſuo digna putet.

Errabat Petrus quia finem ſuum ponere volebat in hoc mundo, cum Paulus dicat quod non habemus hic ciuitatem permanentem. De veteris Teſtamenti ſanctis, inquit, idem Paulus quod faſſi ſunt ſe peregrinos eſſe in terra, & tanquam viatores degebant in ſpeluncis. Attende obſecro ne vitam degas in hoc ſeculo acſi eſſes habitator. Cain quidem incœpit ædificare ciuitatem in terra, & amiſit ciuitatem in cælo. Errabat porro Petrus quia ſuum proprium quærebat ſolatium, non vero populi. Tales nunc ſunt multi prælati, qui ſeipſos, & ſuos paſcunt, non autem oues Chriſti. Vnde Ezechiel 34. plorans dicebat, væ paſtoribus Iſrael. Heb. 13.

Si Petrus videns glorificatam humanitatem tanto afficitur gaudio, vt nunquam velit ab eius intuitu ſeparari: quid de illis putandum eſt qui diuinitatem glorificantem aſpiciunt, quanto cum gaudio illi deſiderent inhærere? Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Innocen. 3. ſabbatho poſt Dominic. pri. Quadrag. 1. Cor. 2.

Quemadmodũ qui in profundiſſimo aliquo ſomno velut ebrius iacet, nil audit, nil videt, & ſi ab aliquo

aliquo importunis vocibus excitetur, grauiter indignatur, nec animum aduertit ad ea quæ illi dicuntur, ne ab illa ſoporis voluptate abducatur: ita plane Petrus adeo huius admirandæ voluptatis ſopore compreſſus erat, vt nil aliud niſi ea frui, ſeque totum illi tradere deſideraret.

Quid diceret Petrus, ſi millia millium, & decies centena millia beatarum mẽtium ante Dei thronum aſſiſtentia cerneret? Equidem in hoc monte nihil aliud quam de paſſione Domini, de cruce, de clauis, flagellis, & opprobriis, ſermonem haberi audiuit, loquebantur enim vates ſancti exceſſum Domini quem completurus erat in Hieruſalem. Quid ergo ſentiret Petrus, ſi fauſtiſſimas illas voces audiuiſſet, quas Euangeliſta Ioannes in Apocalypſi ſe audiuiſſe teſtatur? benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro, &c. Et quidem hanc ipſam Domini Saluatoris faciem in terreno monte vidit, qui ſpinas & tribulos proferebat: nec dum enim Petrus montem illum pinguem & coagulatum in quo beneplacitum eſt Deo habitare, viderat, nec cæleſtes illas ſedes & magnifica palatia. Nondum flumen illud ſplendidum, tanquam Cryſtallum: non vitæ arborem iuxta ripas eius plantatam, & ſalutarem fructum ſingulis menſibus afferentem: non ciuitatem illam quæ tota aurum mundum eſt, ſimile vitro mundo: non denique duodecim illas portas ex ſingulis margaritis factas aſpexerat. Lucæ 9. Pſal. 67.

Quod res valde ſublimis atque mirabilis eſt ſanctorum gloria, quandoquidem D. Petrus quoddam eius veſtigium contemplatus tantopere delectatus fuit. lege D. Aug. lib. Sililoquiorum cap. 22. to. 9.

Aptiſſime vt vides hodierno die differere poteris de beatitudine illa ſuperna, & quomodo eam amare atque deſiderare debeamus: ad quod conſule D. Bernard. in lib. ſuarum deuotiſſimarum meditationum cap. 4. circa finem, incipit autem, Præmium eſt videre Deum.

Qualis ac quanta erit gloria quam beati cũ Chriſto poſſidebunt poſt omnium reſurrectionem, lege D. Lauren. Iuſti. lib. de diſciplina monaſt. Cõuer. prope principium operum, cap. 24.

Quod diligenda ſit ac quærenda beatitudo cæleſtis conſule D. Auguſt. ad fratres in eremo ſermo. 74. prope finem to. 10.

De quadam viſione ac reuelatione cuiuſdam viri deuoti ac pij circa gloriam beatorum, lege D. Anto. 2. par. hiſt. titu. 17. cap. 4. §. 1.

De gloria ac beatitudine cæleſti, vide Vincen. Bel. Specu. Mora. lib. 2. par. 4. diſt. 1. 2. 3. & 4.

De beatitudine ac felicitate æterna quomodo fuit à philoſophis licet gentiles eſſent deſiderata, eundem vide Specu. Doctri. lib. 5. cap. 133.

De beatitudine iuxta poëtas, conſule eundem eodem lib. cap. 134.

Si cupis inuenire permulta tum deuota tum pulchra deſuper cæleſti beatitudine, conſule D. Aug. in lib. Meditationũ cap. 26. in quodam hymno qui inſcribitur de gloria paradiſi, cuius initium eſt, Ad perennis vitæ fontem, to. 9.

Sancti doctores exaggerant ſeu efferunt gloriam illam ſempiternam, dicentes quod vehementius delectabit, implebitque diuinis gaudiis atq; voluptatibus inexplicabilibus multo magis quam flammæ atque tormenta tartareæ regionis ſentientur. De quo vide D. Chryſoſt. ad popu. ho. 47. to. 5. prope initium homil. ibi quoque differitur quanta diligẽtia ſit quærenda.

Gloria ac beatitudo æterna quomodo erit. Eſa. 60. D. non erit tibi amplius ſol.

Quam excellens erit in gloria illa ſempiterna Eſa. 64. B. oculus non vidit Deus abſque te.

Quo pacto beati erũt in ſuperna beatitudine, Eſa. 65. C. ecce ſerui mei comedent.

Gloria paradiſi ſempiterna quomodo erit Apoc. 21. E. F. G. & fundamentum primum.

Quo pacto erit gloria cæleſtis, Apocal. 22. A. fluuium aquæ viuæ. & B. &. nox vltra.

Gloria ac beatitudo ſuperna qualis ac quanta erit quando tanto ſplendore circundabit ac veſtiet ciues illos beatos Mat. 13. F. fulgebunt ſicut ſol.

Gloria atque cæleſtis beatitudo quã dabit dominus ſequentibus ſe, atque eius in hoc ſeculo mandata ſeruantibus, præfigurata & adumbrata fuit in illo celebri conuiuio quod inclytus ille Ioſeph fratribus ſuis parauit, ac fecit. In quo licet omnes eundem cibum haberent, non tamen omnes æqualem ſortiti ſunt ſedem: quoniam Ioſeph illos omnes iuxta cuiuſque primogenituram ſedere fecit. Sic in illa cæleſti patria fiet: quanquam enim omnes eadẽ prorſus fruentur eſſentia, non tamen omnes æqualiter participabunt illam, ſed vnuſquiſque plus minuſue prout opera eius bona in hoc ſeculo viciniorẽ deo eum eſſe fecerunt. Figura ex Gen. 34.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Quia imprudenter interrogauerat, propterea reſponſionem domini nõ meretur: ſed pater reſpondet pro filio, vt verbum domini cõpleretur: Ego teſtimonium non dico pro me, ſed pater dicit teſtimonium. D. Hiero. ſuper Mat. 17. lib. 3.

Nonne euidenter auditum eſt, hic eſt filius meus? Cui ex me & mecum eſſe ſine tempore eſt: quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt filius dilectus, quem à me non ſeparat deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt filius meus, non adoptiuus, ſed proprius non aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt filius meus, per quẽ omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil: qui omnia quæ facio ſimiliter facit, & quicquid operor, inſeparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In patre enim eſt filius, & in filio pater: nec vnquam vnitas noſtra diuiditur: & cum alius ego ſim qui genui, alius ille quem genui, nec aliud tamen de illo vobis cogitare fas eſt, quam de me ſentire poſſibile eſt. Hic eſt filius meus, qui eãm quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec vſurpatione præſumpſit. D. Leo Papa homil. de Transfiguratione domini. Ioan. 1. Ioan. 5.

Ipſum audite. Non audiatis Moſen, quia tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat. Non audiatis mũdum, qui docet diuitias & honores appetere: ipſum audite qui præcepit contemptum diuiſtiatum, dicens: Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, &c. Non audiatis mundum qui præcipit dignitates & honores optandos, ipſum audite qui ait: Niſi quis humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, &c. Non audiatis mundum qui dicit vobis vt vindictam appetatis, ſed ipſum audite qui ait: diligite inimicos veſtros. Sinite falſas priſcorum expoſitiones, qui aiunt, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, & audite illum qui ait: Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Ipſum audite denique, quia Deus eſt, & doctrina eius non eſt huius ſeculi, ſed ex cælo. Heb. 7.

Ipſum audite. In his verbis reſoluit totam legem Euangelicam, eámque in Chriſti ore conſtituit, qui eius eſt filius vnigenitus, Oſtenderat Deus Chri-

ſtum per fulgorem corporis eius magnæ eſſe autoritatis, ideo reſtabat quod obediretur ei. Sic fecit Deus cum Moſe: nam non voluit per ſe dare populo omnia præcepta legis, ſed pauca; cætera vero per Moſen. Vt autem populus crederet Moſi, voluit eum facere magnæ autoritatis, & ad hoc locutus eſt cum eo audiente populo vniuerſo; & extunc crediderunt quicquid Moſes diceret: Ita Chriſtus coram diſcipulis accepit autoritatem magnam, & poſtea dictum eſt, Ipſum audite. Ac ſi diceret, iam non eſt opus quod ego loquar vobis, dando præcepta: ſed quicquid iſte dixerit tenete auribus cordis & corporis, ei obediendo. Si ergo grauiter peccauerunt qui Moſen ſeruum Dei nõ audierunt, quam enormiter peccabunt, qui vnigenito Dei filio non obtemperabunt? Certe ſi illum miſericorditer nunc vocantem non audieris, audies poſtea in iudicio venientem, & pœnas de te ſumentem.

Ac ſi diceret manifeſtius: ego qui dixeram, pœnitet me feciſſe hominem, ecce nunc dico, hic eſt filius Genes. 6. meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hic ergo, non alius, filius eſt, non ſeruus meus, nõ alienus, dilectus, non maledictus, in quo mihi complacui, non diſplicui, & ideo ipſum audite, non contradicite. Innocen. 3. Sabbatho poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

Super illa verba, ecce vox de nube, vide D. Thom. 3. par. q. 39. art. 8. ad 2.

Hic eſt filius meus dilectus. Tibi ô Petre videris meũ amare plus filiũ, ſed illud tibi ſit certum, mihi multo magis eum eſſe dilectum: quoniam filius eſt meus valde dilectus, in quo mihi bene complacui. Noli iam Petre reſiſtere illi in negotio paſſionis, ſed ipſum audito: conſule Euthymium in Matth. 17.

Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valde. Triplicem ob cauſam pauore terrẽtur, vel quia ſe errare cognouerant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei patris vocem loquentis audierant: quia humana fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet, ac toto animo & corpore contremiſcens, ad terram cadit. Quãto quis ampliora quæſierit, tanto magis ad inferiora collabitur, ſi ignorauerit menſuram ſuam. D. Hiero. ſuper Matth. 17. lib. 5.

Dic mihi nunc & tu, diſcipuli Chriſti tam iuſti & perfecti tantum timuerunt videntes Chriſtum in nube cum maieſtate, & audientes vocem patris tam glorioſam & tam dulciter reſonantem, nec de pœnis comminantem: quanto magis timebunt & terrore Mat. 25. concutientur reprobi in die iudicij? quandoquidem audient illam horrendam & tremendam vocem, dicentem: ite maledicti. Quid inquam facient, cum videbunt Chriſtum venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate?

Boni cadunt in faciem, mali vero retrorſum. De bonis enim cadentibus dicitur, Ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt: De malis vero legitur, abierũt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iſti cadunt in faciem per humiliationem: illi cadunt retrorſum per auerſionem. Innocen. 3. Sabbatho poſt Dominic. primam Quadrag.

Lndo. Gra. Rogo vos fratres, ſi tantum timoris incuſſit amabilis hæc vox Dei monentis, quid faciet terror iudicantis? ſi tantum terret cum hortatur ad ſeruandam legem, quid faciet cum rationem exiget neglectæ legis?

Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Quia illi iacebant, & ſurgere non poterant, ipſe clementer accedit, & tangit eos, vt tactu timorem fuget, & debilitata membra ſolidentur. *Surgite.* Quos manu ſanauerat, ſanat imperio, *Nolite timere.* Primum timor expellitur, vt poſtea doctrina tribuatur. D. Hiero. ſuper Mat. 17. lib. 3.

O felix tactus! tetigit Ezechielem 2. & Danielẽ 9. & ad tactum eius confortati ſunt. Tetigit Saulum, qui magno impetu & furore ad deſtruendam Eccleſiam properabat, & dixit: Domine, quid me vis facere? Tu ergo roga eum, vt tangat te, & excitet à ſopore peccati.

Quia per ſe ſurgere non valebant: ſine me, inquit, nil poteſtis facere. Innocen. 3. Sabbatho poſt Domi. primam Quadrag.

Leuantes autem oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Ieſum. Rationabiliter poſtquam ſurrexerunt non viderunt niſi ſolum Ieſum, ne ſi Moyſes & Elias perſeueraſſent cum domino, patris vox videretur incerta cui potiſſimum daret teſtimonium. Vident ergo Ieſum ſtantem ablata nube, & Moyſen & Eliam euanuiſſe: quia poſtquam legis & prophetarum vmbra diſceſſerit, quæ velamento ſuo Apoſtolos texerat, vtrumque in Euangelio reperitur. D. Hierony. ſuper Mat. 17. lib. 3. to. 9.

Et deſcendentibus illis de monte: præcepit Ieſus, dicens: nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Explanat hoc Euangelium D. Anſelmus lib. enarrationum Euang. prope finem to. 1.

De epiſt. & Euang. cõdidit duos ſermones D. Antoni. initio 1. par. Theolog.

Vide eundem 1. par. hiſto. titu. 5. cap. 5. §. 3.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ ſecundum vſum Romanum, vide Sabbatho præcedenti, de Tranſfiguratione Domini. Autor.

Dominica ſecunda Quadrag. ſecundum vſum fratrum Prædicatorum, vide Feria 5. præcedenti de Chananea.

Feria ſecunda poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ.

DIXIT Ieſus turbis Iudæorum, ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini: quo ego vado, vos non poteſtis venire. Ioannis 8. Solicitus de ægroto curando medicus, omnem tentat viam inſtaurandæ ſanitatis ei quem exitiali & lethifero morbo nouit ægrotare. Et vbi perſpicit leuiora blandioraque remedia non prodeſſe, ſtudet acriora adhibere medicamina, ſectionem, cauterium, vſtulationẽ, quibus noxius expellatur morbus. Hoc non minus obſeruaſſe cernitur dominus noſter, optimus humanæ infirmitatis medicus: vt duritiem cordis Iudæorum & impietatem ſanaret. Adhibuit admiranda ſigna quibus ad fidem adducerentur, adhibuit & ſalutarem cum ſuauitate doctrinam. Quæ omnia vbi nihil eis conducere conſpicit, aut ſalutem adferre: nunc aſperam eis comminationem infert, & æternam interminatur mortem, vt hac ſaltem ratione ad ſaniorem reuocentur mentem. Vado, inquit, ad eum qui me miſit, & ad cæleſtẽ reuertor gloriam, cum deuicta morte immortalis vitæ dignitatem aſſumpſero. Quod etſi adhuc futurũ erat, more tamen ſuo ad deſignandam rei certitudinem, id vt præſens enuntiat. Poſtquam autem per reditum ad patrem à vobis abiero, quæretis me, non credendi deſiderio, ſed perſequendi ſtudio: & quem amplius in proprio corpore perſequi vt prius non poteritis, in membris acerrime infeſtabitis, & pro viribus excruciabitis. Sed horrendus vos manet ex hac perſequendi fœuitia exitus: nam in peccato veſtro moriemini, & perpetuis addicti pœnis, æternæ vitæ exortes, ſemper ſecundam mortem acerbiſſime feretis. Itaque quo ego vado, vos non poteſtis venire: ad vitã enim

Applicatio ſimilitudinis

Ioan. 8.

Apoc. 21.

enim properõ ſempiternam, vos autem ad æternæ mortis horrorem, quia oblatam vitam veſtra peruicacia reiicitis. Ego ad gloriam vado patris, vos autem ad cõfuſionem perpetuam ſponte veſtra ruitis. Ipſe ad cæleſtem tranſeo requiem, ad quam peruenire non poteſtis, quia viam qua illucitur tenere contemnitis. Cum igitur me nunc ſequi renuatis ad virtutis laborem: non poteritis me etiam ſequi ad præmium. Non ob negatam bene agendi facultatem, ſed ob propriam animi veſtri malignitatem, viam ſalutis amplecti recuſantem. Quod ſi durum eſt eterna carere vita, ſi triſte interitum perferre perpetuum, ſi graue interminum perpeti ſupplicium, reſipiſcite dum datur hora, à prauis ſtudiis veſtris: abiicite pondera peccatorum veſtrorum, ne in illis Pſal. 113. moriamini. Quia non mortui laudabunt dominum, neque omnes qui deſcẽdunt in infernum. Ecce quibus eos minis exterret, quæ mala ipſis imminentia prædicit: vt vel illorum horrore ipſos à malo reuocet. D. Cyrillus ſuper Ioan. lib. 5. c. 22.

Quo ego vado. Scilicet ſponte per paſſionem meã, ſcilicet ad patrem & ad ſuam gloriam, *Vos non poteſtis venire.* Quia non vultis. Si enim voluiſſent, & non potuiſſent, non rationabiliter diceretur eis, in peccato veſtro moriemini. Sed notandum quod aliqui impediuntur ne poſſint ire quo Chriſtus vadit, dupliciter: vno modo ratione contrarietatis, & ſic impediuntur peccatores: & de hoc loquitur hic, & ideo ſimpliciter perſeuerantibus in peccato dicit. *Quo ego vado vos non poteſtis venire.* Pſal. 100. non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam. Eſa. 35. via ſancta vocabitur, & pollutus non tranſibit, &c. Pſal. 14. Quis habitabit in tabernaculo tuo? Innocens manibus, &c. Alio modo ratione imperfectionis ſeu indiſpoſitionis. Et hoc modo impediuntur iuſti quandiu ſunt in corpore. 2. cor. 5. Quandiu ſumus in in corpore, peregrinamur à domino. Et talibus non dicit dominus ſimpliciter, Quo ego vado non poteſtis venire. Sed addidit determinationem temporis infra 13. Quo ego vado, non potes me modo ſequi. D. Tho. ſuper Ioan. 8. lec. 4.

Origenes ſuper Ioan. tomo. 18. dum exponeret hunc locum, Quo ego vado vos non poteſtis venire, obiter loquens de blaſphemia in ſpiritum ſanctum, dixit quod licet peccatum illud non remittatur neque in hoc ſeculo neque in futuro, tamen in ſeculis quæ futurum ſeculum ſequentur, aliquando remitterur. Habet hoc ipſum à catholicis reprobatum dogma compluribus in locis, præcipue vero in primo Periarchon volumine. Sixtus Senen. Biblio. ſanc. lib. 6. anno. 199.

In peccato veſtro moriemini. In hanc miſeriam deuenit anima peccando, vt adeo in peccatis indureſcat, ne vnquam ſeſe ab illis eruere poſſit, niſi ſpecialiter Iob 41. Eccleſi. 3. diuino ſubleuetur preſidio. Vnde Iob de obſtinato peccatore ait: cor eius indurabitur quaſi lapis. Cor durum inquit ſcriptura, male habebit in nouiſſimo. Sicut enim in illa quæ dura natura ſunt, grauia etiam ſint eſt neceſſe: ſic ille qui cor durum & lapideum habet, proculdubio ima inferni petet loca. De Exod. 7. Pharaone ait Deus, Indurabo cor Pharaonis: & ideo Exod. 15. de illo eiuſque obſtinatis militibus dicitur in Exodo, deſcenderunt in infernum quaſi lapis. Hoc modo quibuſdam Iudæis obſtinatis dixit Stephanus, ô Act. 7. dura ceruice, & incircunciſi corde, vos ſemper ſpiritu ſancto reſtitiſtis. Nihilominus tamen ea eſt diuina clemẽtia, vt hæc etiam obſtinatiſſima corda mille modis nitatur mollire. Quemadmodum namque qui aliquid mollefacere vult, illud prius preſſum manibus huc illuc verſat, ſi achuc reſiſtit, adhibet vnctionem, poſt vnctionem ſi opus eſt etiã aquam: ſic Deus erga humana ſe gerit corda, primum enim illa quaſi manibus ſuis contrectans benigna paſſionis ſuæ multorumque beneficiorum memoria mulcet. Secundo illa inungit diuinis auxiliis & inſpirationibus, quibus facilius peccati vigorem deponãt. Tertio bonorum temporalium aquis irrigat, vt gratias autori agendo, in memoriam veniant delicti ſui. Quarto ignibus tribulationum & infirmitatum vexat. Denique ictibus mortem minantibus afficit, vt vel ſaltem tunc reſipiſcant, & conuertantur. At vero ſi nil iſtorum poteſt perditam reuocare voluntatem, nulla mora eſt quin huiuſmodi miſerrimi peccatores, quorum corda marmorea vllis non potuerunt molleſcere viribus, in infernum coniiciantur. Quemadmodum enim vulnera tabe confecta & corrupta, ſenſus ſtupore chirurgi ferrum nequaquam ſentiunt: ſic iſti peccandi conſuetudine obdurati, medicabile Dei ferrum non ſentiunt, hoc eſt diuinas vocationes non exaudiunt. Non ſic ſe habebat Da- Pſal. 21. uid, qui dicebat, factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens. Vnde dominus vt audiri poſſet, per Ezechielem ait: auferam cor lapideum, & dabo vobis Ezec. 36. cor carneum.

Dicebant ergo Iudæi: nunquid interficiet ſemetipſum, quia dicit, quo ego vado vos non poteſtis venire? Ex fonte dulci manans aqua ſuam refert originem, & dulcis eſt: ex fonte vero amaro & turbido, non poteſt vnda ſuauis profluere, ſed amaricata & horrida guſtu. Atqui animus hominis vt fons eſt, quæ intra ſe concipit iugiter ſcaturiens: qui ſi benevolus fuerit & ſyncero affectus amore, talia etiam ſenſa & cogitata exprometſin vero maleuolentiæ veneno labefactus, aut inuidię tabe fuerit corruptus, nihil rectum, nihil amicum, nihil denique beniguum meditabitur, ſed obliqua ſiniſtraque cogitatione quæcunque audita interpretabitur. Id nunc Iudæi factitare cõſpiciuntur, qui verba domini nequaquam intelligentes, protinus in abſurdam & horrendam auditu exeunt cogitationem, verbiſque eam expromunt, ſciſcitantes nunquid ſeipſum eſſet interfecturus, quia dixerit quo iturus eſſet alios peruenire non poſſe. Sed vnde hæc tanta exoritur intelligendi abſurditas? Profecto ex ſola animi eorum nequitia, qui quoniã virulentus eſt, & horrore odij contaminatus: quicquid intra ſe receperat, conſimili tabe commaculat: quemadmodum vas illitum veneno, quicquid impoſitum ſibi receperit, reddit venenatũ & mortiferum. Cæterum neque veriſimilitudinem habet hæc improba eorum inquiſitio: non enim ſi ſeipſum interfecturus eſſet, colligere recte potuiſſent eam ob rem quo ipſe iturus eſſet alios peruenire non poſſe. Nam & ipſi ſeipſos interficere potuiſſent, ſibique vltro mortem conſciſcere: & hac via veniſſent quidem quo Chriſtum abiiſſe autumaſſent. Hanc autẽ (quoniam cogitare pius horreſcit animus) De Chriſto impietatem, ipſe manſuete ferens, oſtendit eis cum admiranda benignitate, quonam pacto ſua fuerant verba accipienda, ſimul & ſuæ naturæ eminẽtiam ſupra cæteros homines declarat. D. Cyril. ſuper Ioan. lib. 5. c. 23.

Et dicebat eis: vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum, vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Dixit ergo vobis quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non crediderit is quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Vos inquit de deorſum eſtis, & creaturarum ſortiti conditionem, quæ Deo creatori ſubiectę ſunt, & longo infra ipſum ſubſident atque ſubſiſtunt interuallo: ego vero de ſuperius ſum & diuinam habens naturam, quę rebus creatis omnibus in immenſum ſupereminet. Altero deinde diſcrimine ſe ab eis diſſentire atque diſtare demonſtrat, quia ſcilicet de mundo ſunt, ipſe

vero non erat de mundo. De mundo erant scribæ & pharisæi, si affectum vt debes attendas: nam toto animo rebus huius mundi inhiabant. Primatum & honores ardentissime ambiebant, eligentes primas
Matt.23. cathedras in Sinagogis,& primos discubitus in mẽsa, suaque opera omnia facientes vt viderentur ab hominibus. Opes itidem & pecuniam nimia cupiditate prosequebantur,deuorantes domos viduarũ, & pecunię quæstum in ipso quoque vestibulo tem-
Mat. 21. pli aucupantes. Christus vero hoc modo non erat de mundo,quia affectum animi fluxis huius mundi caducisque rebus non habuit implicatum aut intẽ-
Ioan. 8. tum.Non enim propriam quærebat gloriam,sed solius patris.sic etiam omnes abiecit opes, vt non haberet vbi caput reclinaret. Rursum quod modo cõ-
Mat 8. minatus fuerat,iterum eorum auribus inculcat: ipsos scilicet in suo peccato morituros, & ad mortem vsque in sua iniquitate perseueraturos, absque fructu pœnitentiæ. Vt quod prima exhortatione eorũ mentibus non inhæserat aut fuerat infixum saltem secunda aut tertia affigeretur. Ita enim faciunt qui duræ ceræ annittuntur imprimere formam sigilli: si primo conamine frustra tentarunt efformare illius effigiem, superaddunt secundum aut tertium conatum, & improbo tandem labore assequuntur quod expetunt, nisi vsque adeo dura sit & primitiuæ formæ reluctans materia, vt omnino illius effigiationẽ non admittat.Qualis reuera erat Iudęorum animus, qui lapidis instar omnem refugiebat emollitionem, & ne terribili quidem hac interminatione inflectebatur ad pœnitentiam. Idcirco tertio idipsum repetit,vt medicus de ægroti salute desperans, & imminentem sæpius ei prædicẽs interitum,nisi ea quæ reparandæ sanitati apprime necessaria sunt obseruet.Sed nunc viam aperit qua tantum possint euadere discrimen scilicet mori in suo peccato: vtpote si credere voluerint quia ipse est: quam quidem fidem si amplecti neglexerint, de salute eorum actum esse declarat.D.Cyrillus super Ioan.lib.5.c.23.

Ideo terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis:quid est terram manducatis? Terrenis pascimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum corda non habetis. *Ego non sum de hoc mundo* Quomodo enim erat de mundo,per quem factus est mundus?Omnes de mundo post mundũ, quia prius mundus,& sic homo de mundo. Prius autem Chri-
Ioan.1. stus,deinde mundus:quomodo ante mũdum Christus,& ante Christum nihil? Quia in principio erat verbum, omnia per ipsum facta sunt D. Aug. super
D.Tho. Ioan.tract.38.to.9.

Hæc est causa quare non potestis venire quo ego vado, qũia cum sitis deorsum quantum in vobis est non potestis nisi cadere:& ideo quod dixi quia moriemini in peccatis vestris, verum est nisi mihi adhæreatis: & ideo vt nõ totaliter excludat spẽ salutis, remedium ponit, dicens, si enim non credideritis, &c.quasi dicat:nati estis in originali peccato, à quo non potestis absolui nisi per fidem meam, quia, si nõn credideritis quia ego sum,moriemini,&c.& dixit, Ego sum,nõ autẽ quid sim, vt rememoret quod
Exo.3. dictum est Moysi Exo.3. Ego sum qui sum. Nam ipsum esse est proprium Dei.In qualibet enim alia natura à diuina differt esse & quod est, cum quælibet natura creata participet suum esse ab eo quod est ens per essentiam,scilicet ipso Deo,qui est ipsum suum esse ita quod suum esse sit sua essentia. Vnde ipse solus denominatur ab eo, & ideo dicit nisi credideritis quia ego sum, id est, quia sum vere Deus qui habet esse per essentiam: moriemini in peccato vestro. Dicit enim quia ego sum, vt ostendat suam æternitatem. In omnibus enim quæ incipiunt est mutabilitas quædam & aliqua potentia ad non esse, vnde est inuenire in eis quoddam præteritum & futurum & ideo non est ibi verum esse per se. Sed in Deo nulla est potentia ad non esse,nec esse incœpit, & ideo est ipsum esse,quod proprie per tempus præsens designatur.D.Tho.super Ioan.8.lec.4.

Super illa verba,ego non sum de hoc mundo, lege D.Tho.22.q.188.arr.2.ad 3.

Causa quare isti tam peruersa & absurda iudicia proferunt, & tam male de veritate sentiunt, atque vilipendunt tam horribiles comminationes, insinuatur à Christo dicente, vos de mundo hoc estis. Vnde colligitur illos adeo deditos esse mundanis rebus & prorsus immersos,vt appetitum & gustum omnino corruptum ad res supernas haberent. Nos quoque tales fumus, qui ita defixi manemus & intricati secularibus, adeoque terreni, imo in terram conuersi sumus,vt nil nisi terra & quæ terrena sunt, nostris cordibus imprimatur, & concipiatur: & nil in nostris animis nascatur & pullulet, quod totum mundanum non sit. Et certe si agricolis peritis credimus, sicut insitiones ipsæ non coniunguntur neque vniuntur nisi diligenter aduertatur vt nucleus cum nucleo, & os cum osse inseratur: secus enim os cum nucleo, aut nucleus cum osse non conseruntur. Sic amigdalus non conseritur pyro, neque persica præcox coniungi potest arbori mali, vel citrei:quia tunc consitio fit nuclei cum osse,sed tamen facile conseruntur malus medica cum citrea, quia seruatur in semine eadem proportio. Sic etiam contingit in nobis, qui cum simus de mundo, si quis nobis supernа conatur inserere: perinde est ac si quis vellet inserere & coniungere ossa cum nucleis. Præterea sicut in Dei amicis & seruis, quorum conuersatio vt dicit Apostolus in cęlis est,nullus imprimere potest res mundanas: ita contrario modo in malis nemo quid cæleste imprimere potest, quia sunt diuersæ insitionis.Et quemadmodum in pectore serui Dei vel vnicũ verbum statim adhæret, pullulat,dilatatur & crescit: sic in animo impij res mũdanæ maxime pullulant, & vigent, quia sunt eiusdem plane insitionis.Hic poteris commorari,& tuo ingenio latius hæc expolire. Phil.p.3.

Vos de mundo hoc estis. Hominem esse de mundo, delictum non videtur, quandoquidem in mundo tum concepti,tum nati sumus,& educati. De mũdo quidem erant sancti Apostoli, vt ipsemet Christus affirmat,ego elegi vos de mundo. Verum aliud quidem est esse de mundo,& aliud esse mundanũ:aliud est viuere in mundo, aliud vero secundum mundanas leges vitam traducere. Esse de mundo est exire aliquantulum infectos & maculatos in hunc mundum, nempe peccato originali,& aliis siniſtris affectibus & prauis inclinationibus. Cæterum esse mũdanos est nos prorsus immittere in cœlũ atque sentinam peccatorum, & inclinationes vitiorum siniſtras executioni mandare. Nobis siquidem sic videtur,vt quoniam egressi sumus paululum infecti cœno,inficiamur omnino.Sunt quidem homines adeo præcipites, & iracundi,vt si forte de capite pileus elabatur in terram, & tantillum infectus videatur, statim iracundia flagrantes, & furore correpti, in cœnum etiam profundum eum iniiciant,quo omnino inficiatur & conspurcetur: quod plane stultum esse nemo nescit, quia citius mũdaretur à parua quã à magna labe.Maior igitur,& omnium maxima dementia nostra est, qui quod nati simus infecti cœno peccati originalis, quod iam in baptismo deletum est, & quod simus prauis quibusdam inclinationibus & igniculis ad peccandum proni, quæ etiam in eodem baptismo debilitantur: nihilominus tamen Ioan.15. Gene. 8.

velimus

velimus nos commaculare & fœdare omnium vitiorum teterrima sentina & luto, atque adeo mundanos reddere,vt nil in nobis nisi immũditia & peccatum inueniatur.Si ergo quiuis,nisi iam vt dixi furore correptus videri velit, quamuis calceus leuiter inficiatur, non eum propterea in tenacissimum lutum reiicit, neque si pallium aqua aspergatur & irroretur, propterea in fluuium immergit, neque si quid sanguinis leuiusċula incisuræducatur ex digito,propterea magnũ vlcus infert,aut denique quod nummulus de crumena exiluerit, ideo omnem pecuniam profundit: cur inquam in his tam prudens, in peccando adeo inops mentis est, vt in vitiorum omnium densissimum cœnum sese immittat, quod leuiter tantum infectus videatur? Iudicant quidem tales homines quoniã de mundo sunt, oportere eos etiam esse mundanos, cumque maculam contraxerimus hæreditate paterna, congruum esse penitus maculari:& hac in re locum habere communem illam regulam,frustra est potentia quæ non reducitur
Gene.8. ad actum. Vnde cum in nobis sit inclinatio atque propensio siue potentia ad malum, æquum nobis apparet vt ea reducatur in actum, & ipso consensu compleatur. Et ex consequenti putamus nobis dici illud Apocalip. Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est,sordescat adhuc.O cæcitatem perniciosissimam, qui pluris faciamus calceum, quo pes tegitur: quam immortalem animam, qua corpus informatur!quippe qui calceum tergẽdum statim curemus:animam vero in vitiorum cordibus voluta-
Ioan.3. ri patiamur.Ah quanto præstabilius foret, vt quamuis de mundo per naturam non possimus non esse, curaremus grauiter non esse mundani, per gratiam Dei:quandoquidem hæc si volumus præstare potest vt mundani non simus, atque vt tam vilem mundi cognationem amittamus, & diuinam facile consequamur,diuinæ facti cõsortes nature, vt nobis tan-
a.Petri.1. dem iure dici possit quod Christus dominus di-
Ioan.15. xit discipulis suis, vos de hoc mundo non estis:non autem quod hodie infelicibus Iudæis dicit,vos de mundo hoc estis. Hæc fusius tuipse poteris dilatare:est enim doctrina hæc concioni maxime accommodata.

Vos de mundo hoc estis. Dicere quidem Christũ malos & impios esse de mundo, est significare eos sua sponte periculis & laqueis seculi intricari,& sua negligentia incidere in laqueos toto mundo dispersos. Iustum quidem esse & maxime rationi consonum, vt quando de tot tantisque laqueis Deus te potenter eripuit,à quibus eximere teipsum solus non poteras,illius tamen adiutus gratia facile potes ab aliis etiam quamplurimis liberare teipsum, tibi prudenter prospiceres ac præcaueres. De quam periculoso putas laqueo atque discrimine te clementissimus Deus liberauit, in vtero matris inclusum, teipsum per tot menses sustentando, & conseruando in loco adeo angusto, & tenebroso? à qua obscuritate,si ibi obiisses tuum diem,incidisses plane in caliginem illam horrendam lymbi,ac sempiternam. De quanto item periculo & laqueo quem tibi etiam dæmõ instruxerat in ipso ab vtero matris egressu, te clementer eripuit, conseruando in tam horribili atque periculoso tantæ angustiæ loco per quem transisti? in quo si occidisses, & nequaquã ad recipiendam aquã salutarem baptismi peruenisses,gratia,& gloria,quæ quidem per baptismum confertur, omnino priuatus miserrime permansisses.Quando tu præterea illud tantum beneficium compensabis, quod te de innumeris aliis laqueis atque periculis, quibus in ipsa infantia ac pueritia subiectus eras liberarit, & defenderit:atque ex illis omnibus ereptum, perduxerit in statum discretionis, subleuauerit̃que in sui ipsius cognitione, communicarit tibi suam gratiam atque virtutem,quibus bonum illud cæleste in vita præsenti posses acquirere? Sane tanti beneficij, & aliorum memoriam, nulla prorsus obliuio delere debet: sed eam potius huiusmodi cognitionibus ac considerationibus conseruare perpetuo debes. Væ misero mihi, si tunc è vita excessissem! Væ animæ meæ,si tanto tamque sempiterno bono tunc priuata fuisset! Quocirca quando clementissimus Deus te à tanta miseria vindicauit, à quia te ipse liberare non poteras,& modo eius gratia adiutus potes etiam facile ab iis quæ occurrunt calamitatibus eripi, & mundi laqueos omnes effugere: ne committas vnquam vt tibi merito obiici possit quod sis de mundo,hoc est totus mundanus, & mundi rebus omnino immersus: quemadmodum hoc loco Christus peruersis Iudæis obiecit, dicens, vos de mundo hoc estis.

Vos de mundo hoc estis. Si homini mundano in tanta malorum multitudine constituto, collocutus fueris iustitiæ verbũ & verbũ perdis, & ille non tẽperatur in cõcupiscentia mundialiũ rerum. Ecce si ostendis leoni viridem herbam, aut campum bene florẽtem, non excitat eum in concupiscentia: quia non habet hoc in natura,vt herbas manducet.Et contra si ostẽdas boui carnẽs,non concupiscit:quia non est bouis natura vt carnem manducet.Sic & homini mundiali si de bono cælesti loquaris,non excitatur in concupiscentia boni: sed quemadmodum si pluuia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, ab intus autem siccus est,quia non descendit humor in eum: sic & tali homini quãdo loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures eius carnales, in cor autem eius nil descendit. Vide D. Chrysost.in non absq.ho.31.

Si enim non crediderit is quia ego sum,moriemini in peccato vestro. Quando medicus incolumitatis infirmi perstudiosus atque solicitus,intelligit infirmum fieri deteriorem, & morbum magis magisque augeri, ac præualere,quia ipse infirmus præscripto & dispositioni medici obtemperare nolit: nam non tantum pharmaca ipsa respuit & contemnit, sed etiam in edendo & bibendo,vel etiam in quiescendo multos committit errores:solet ille tunc morte indubie futura languentem deterrere, dicens ei. Certo scito te tuis istis inordinationibus quam citissime vitam in mortem esse commutaturum, quoniam ex tui pulsus dispositiõe,vrinę indiciis,& plurimis aliis signis, id mihi quidem sit exploratum atque euidens. Atque ita meam ab omni crimine libero animam, cõscientiamque reddo securam, dicens iterum, quod nisi præscriptis meis obedieris,futurum plane sit vt breui à vita ipsa excedas. Ita Christus redemptor noster tum istis Iudæis, tum etiam vnicuique nostrum quotidie minatur, quod si pergimus contemnere eius mandata,si eius sanctissimam legem despicimus, si consilia respuimus, si pharmaca salutaria hoc est sacramenta negligimus, desperatam plane esse salutem nostram intelligamus,in peccatis enim nostris moriemur.

Magna quidem in hodierno Euangelio nobis exhibetur occasio & ansa differendi de duritia cordis & obstinatione in vitiis, quãdoquidem isti adeo obdurati erant,vt opus esset multis ac magnis æternæ mortis comminationibus ad eos emolliendos. Ad hoc autem institutum persequendum, consule quæ sequuntur.

De obduratione cordis, & quomodo mollefiat, vide Laurem. Iustin.in quodam sermo. cuius inscriptio est, sermo exhortatorius ad conuersionem, & emollienda

emollienda obdurata corda, & post medium operum.

Quemadmodum dura silex, & immane quoddam saxum, quantacunque superfusa aqua nunquã mollescit, sed semper in sua duritie consistit, & sicut sabulum aqua potius constringitur & obdurescit, quam molle fiat:ita obstinatorum animi, quantumcũque eos cohorteris ad ea quę honesta sunt & cum virtute coniuncta, nunquam tamen emolliuntur, & inflectuntur.

Bonorum exhortationes mollefacere non sufficiunt animos semel obstinatos & obduratos: vnde præclara documenta ipsius Heli nunquam filiorum animos immutare potuerunt, nec etiam Samuelis hortatus profuerunt vnquam filiis suis, vt constat 1. Regum 2.& 8. Hæc poteris fusius dilatare.

Præterea suauia & dulcia verba Ionathæ filij, & singularia Dauidis beneficia, nunquam profecerunt vt Saulis cor obduratum mollesceret, vt constat 1. Reg. 19.& 26.

Porro non suffecere pacifica verba atque omni humanitate plenissima nuntiorum ipsius Dauid, vt cor adamantinum ipsius Nabal flecteretur vnquã, vt legitur 1. Regum. 25. Neque vllis vnquam potuit verbis Abner efficere vt Asael mitigaretur, quemadmodum legitur 2. Reg. 2.

Nuntij quidem Ezechiæ discurrentes per terram Iuda & Israel, instruebant omnes, & hortabantur ad cultum diuinum:illorum tamen tanta erat obstinatio cordis atque durities, vt vix vnquam proficerent, vt constat 2. Parali. 30. Recordare etiam quam parum profuere admonitiones & signa exhibita Pharaoni ab ipso Moyse & Aaron, vt legitur Exodi. 5.6.&c. Et denique recordare nunquam blandis illis & suauibus verbis, atque motionibus clementissimi Dei, fratricidam Cain commotum fuisse, & ad pœnitentiam adductum. Gene. 4.

Quemadmodum salsum mare quamuis permulti aquæ dulcis fluuij ingrediantur in ipsum nunquam tamen suam perdit & commutat amaritudinem: sic quoque cor durum & obstinatum, quantumuis dulciter & diuine in aurem quis influat, nunquam tamen immutatur, & melius redditur.

Est quædam gemma si physicis credimus, quæ tantæ est frigiditatis, vt si eam vel in ignem immiseris, non tantum non comburatur, sed etiam nil vnquam caloris concipiat, quin potius in sua frigiditate perpetuo persistat. Pari quidem ratione obstinati homines in diuino cultu adeo frigent & algent, vt nullis omnino sermonibus, exhortationibusque diuinis, charitatis ignem concipiant, neque magis cælestis doctrina in eis, quam ignis in gemma illa operetur.

Sicut in cisterna turbida, fœtida & limosa, quæcunque infunditur aqua vel limpidissima, turbulenta redditur & corrupta:ita plane quæcunque infundas salutaria consilia in pectus fœtidum obstinati hominis, frustra profecto ea insummũtur, & omnis impensus labor in eo immutando, superuacaneus est prorsus & superfluus.

Impij & obdurati homines cum reprehenduntur persimiles mihi esse videntur calci ipsi nondum cõminutæ, & satis maceratæ, in quam si aquam inieceris, cum cætera frigida reddantur, ipsa tamen inceditur magis & inflammatur:ita enim isti hortationibus Christianis diuinisque admonitionibus, quibus concupiscentiæ ardor in aliis refrigeratur & extinguitur, flammæque vitiorum mitigantur, nunquam proficiunt, sed potius semper deteriores euadunt.

Quemadmodum fax accensa tandiu perseuerat & viget, quandiu superest & subministratur cera ipsi mixo adhærens:ita plane obstinatio ac pertinacia in impio tandiu durat ac permanet, quandiu in membris superest halitus & vita.

Vos de mundo hoc estis. Posteris conscriptum reliquere naturales philosophi, quod si aspis aliquem icerit, & comburatur, ac in cinerem redigatur, cinis ille morsui impositus, curat inflictum vlcus:ita tu si te mundus ipse sauciarit, & infecerit, tibi ante oculos propones finem rerum mundanarum, nempe cinerem & puluerem, atque ita facile tanto vulneri medeberis.

Ferunt esse gemmas quasdam in conchis marinis, quæ tametsi in mari ipso procreentur, maxime tamen ab eius natura distent ac differant:mare siquidem cæruleum est: ipsæ vero candidissimæ, mare salsum est, ipsæ vero delectabiles, mare maximis calamitatibus nos afficit, & tristitia, ipsæ vero corda exhilarant & recreant. Quod eo fit, quia quamuis in mari & salo gignantur, ipsi tamen cœlestes influxus prædominatur, atque ita maiore affinitate coniunguntur cum sole & astris, quam cum ipso freto in quo sunt genitæ. Tales sunt serui Dei, qui quamuis in mundi geniti sint ærumnoso salo, nullam tamen cum eo affinitatem & coniunctionem contrahunt, Philip.3. sed tota eorum conuersatio in cælis est.

Quicunque animam suam his rebus mundanis ac caducis omnino immersam habent nilque prærerea pretiosum ducunt, similes mihi videntur Chamæleonibus, & talpis, quæ animalia aëre & terra pascuntur:omnia enim quæcunque isti cogitãt & sapiunt, sunt mere terrestria, & vanitatis plenissima.

Quemadmodum lux lichnorum sole ipso accedente obscuratur: ita profecto si conferas res terrenas & mundanas cum cælestibus, inuenies planissime exiguas omnino esse, nulliusque lucis, sed plenas obscuritate, & tenebris cimmeriis.

Dicebant ergo ei, tu quis es? O dementiam, post tantum temporis, tot miracula, tantamque doctrinam, quis sit interrogant! D. Chrysosto. ho. 52. super Ioan. tomo 2.

Dixit eis Iesus, principium qui & loquor vobis: multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui misit me verax est, & ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo, & non cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum. Sum inquit principium omnium rerum, ex quo omnia suum sumpse- Ioan.1. runt exordium, & per quod omnia constant. Prin- Heb.1. cipium per quod facta sunt omnia, per quod Deus creauit secula, in quo Deus creauit cœlum & terrã. Necesse est autem rerum omnium autorem Deum Gene.1. esse, quare nuncupatione principij se Deum esse perspicue designauit. Cum autẽ subnectit, qui & loquor vobis, se hominem pro nobis factum insinuat, qui præsens verba quæ à patre accepit hominibus nuntiauit, patrisque voluntatem explicauit. Verum quia nec his verbis erant credituri, sed in sua permansuri infidelitate: prædicit eis graue iudicium ob peccatorum suorum multitudinem futurum. Multa inquit sunt quæ de vobis discutere & examinare debeo, non quidem hoc tempore, sed cum cuique homini iuxta opera sua fiet retributio. Cũ enim acce- Psal.74. pero tempus ego iustitias iudicabo, & statuam id potissimum contra faciem vestram, quod in me credere propterea vestra respuitis. D. Cyrillus super Ioan. lib. 5. cap. 24.

Dicitur etiam & pater principium: & vno quidẽ modo nomen principij commune est patri & filio, in quantum scilicet sunt vnum principium Spiritus sancti per communem spirationem. Et tres personæ simul sunt principium creaturæ per creationẽ. Alio modo est proprium patris, in quantum scilicet pater est prin-

cipium filij per æternã generationem. Non tamẽ plura dicimus principia, sicut nec plures Deos. Psal. 109. Tecum principium in die virtutis tuæ, &c. Hic autem dicit dominus se principium respectu totius creataræ: nam quod est per essentiam tale, est principium & causa eorum quæ sunt per participationem: ipse per essentiam vt dictum est, est esse suum. Sed quia Christus non solum habet in se diuinam naturam, sed etiam humanam: ideo subdit, Qui & loquor vobis. D. Tho. super Ioan. 8. lect. 4.

Super illa verba, quæ audiui ab eo hæc loquor, consule D. Thom. 1. p. q. 42. art. 6. ad 2. & contra gen. lib. 4. c. 8.

Super illa, principium qui & loquor vobis, vide eundem 1. p. quæst. 1. art. 7. in corp. & contra gen. lib. 2. cap. 4.

Dixit ergo eis Iesus. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor, & qui me misit mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Videbat dominus, cui omnia antequam eueniant cognita sunt, nonnullos in turba Iudæorum quam alloquebatur, esse qui visis hora mortis eius Lucæ 23. signis, essent in eum credituri. De quibus Lucas inquit, & omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Aliquos etiam post reditum eius in cælum ad Apostolorum prædicationem cõuertendos, de quibus meminit in Actis Apostolorum Lucas, quod his auditis quæ à Petro dicta sunt, compuncti sunt corde, dicentes. Quid faciemus viri fratres? Ideo futuram eorum conuersionem prænuntiat, simul & suæ mortis genus explicat, quod in cruce pro mundi salute moriturus sit. Cum inquit morte me affeceritis, tunc cognoscetis meam diuinitatem, & in me credetis. Quod si crudeles manus Christo inferẽtes, veniæ locum & pœnitentiæ erant habituri: quis quantiscumque pressus sceleribus, de misericordia Dei desperauerit, aut ad eum reuerti vt remissionem peccatorum accipiat, trepidus recusauerit? D. Cyrillus super Ioann. lib. 5. c. 25.

Explicat hoc Euangelium Origenes super Ioann. tom. 18.

De epis. & Euange. habet Duas conciones D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem prima part. histo. titul. 5. capitulo 3. §. 10.

Super illa verba, Cum exaltaueritis, &c. vide D. Tho. 3. p. q. 46. art. 4. in corpo.

Super illa verba, qui misit me mecum est, &c. lege eundem 1. p. q. 31. per totam. & 1. sen. dist. 2. in fine, & dist. 21. per totam, & dist. 24. q. 2. per totam. & de poten. q. 9. art. 8. & 9. per totum.

Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Mirum plane negotium, atque magna consideratione dignum, quod Christus affirmet hos homines in excellentiæ ipsius cognitionem & notitiã esse venturos, & eo præsertim tempore, quo erat in summa obiectione futurus, nimirũ quando in Crucem leuandus erat: quem tamen tot tamque præclaris sermonibus atque miraculis minime cognouissent. Verumtamen si diligenter inspicias, quo tempore suam magis ostendit infirmitatem, inuenies suam amplius etiam ostendisse virtutem. Nam cum primum per suam natiuitatem hunc ingressus est mundum, cælestes nuntij & angeli magnificentissi- Lucæ. 2. me eius gloriam ac diuinitatem declarauerunt. Et absconditus in præsepio, manifestatur à pastoribus, Matt. 2. indicatur ab stella, inuenitur à Magis, & adoratur. Lucæ 2. Præsentato insuper eo in templo secundum aliorũ infantium morem, ibi eius magnitudo patefacta est ac publicata à sancto Simeõe, Annaque prophetissa. Depositis vestimentis Iordanem ingressus ad Ioan- Matth. 3. nis baptismum accipiendum, cum Ioannes ipse iam baptizaret eundem (ex quo multi colligere poterant eum purum hominem esse ac peccatorem) non tantum ostenditur non esse peccator, verum etiam esse filius Dei viui patenter ostensus est tum à spiritu sancto super eum in forma columbæ descendente, tum etiam ab æterno patre in voce de cœlo delapsa, quæ aperte audita fuit ipsum Dei filium esse contestans. Cum autem exaltatus in crucem fuit Christus dominus, ibi omnipotentiam suam æternus pater ostendit, declarans filij sui magnitudinem Matt. 17. atque sublimitatem, tum magno quodam ob filij sui mortem terræ motu subsecuto, tum sole obscurato, & velo templi à summo vsque deorsum scisso, petris conscissis, & denique multis mortuorum sepulchris apertis, atque plurimis mortuis resurgentibus. Illic Lucæ 23. ergo tunc eum cognouerunt, quia reuertebantur percutientes pectora sua: & hoc est quod hodierno Euangelio insinuat & insignat dominus, dicẽs, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.

Feria tertia post Dominicam secundam Quadragesimæ.

LOCVTVS *est Iesus ad turbas & ad discipulos suos, dicens: super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Matthæi 23.* Tu vero considera vnde initium sumat, & vnde crimina eorum amplificet. Dicunt enim inquit, & non faciunt. Criminandi namque omnes sunt inquit qui legem transgrediuntur: sed maxime omnium qui doctoris fungitur autoritate, dupliciter enim atque tripliciter iure condemnatur. Primum quia transgreditur, deinde cum in corrigendis aliis ipse claudicat, propter dignitatem quam gerit maiore dignus supplicio est. Tertio quia cum ceu doctor præsideat, nequitia sua facile cæteros corrũpit. His autem reprehensionem adiũgit, quoniam austeros se nimium gerunt aduersus reos, cum ait, alligant enim onera, &c. D. Chrysosto. super Matthæ. homi. 73. to. 2.

Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa: qui male sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens, siquidem bene vixeris & bene docueris, omnium iudex es: si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator es. Nam bene viuẽdo & bene docendo populum instruis quomodo debeat viuere: bene autem docendo & male viuẽdo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. Ad populum autem quid? Omnia quæcumque dixerint vobis seruate, &c. Id est vos qui sedetis in Ecclesia quasi iudices sacerdotum, & nõ auditores: aliena discutientes, & propria non considerantes, ex vobis ipsis iudicate de sacerdotibus. Sicut vos omnes auditis, & non omnes facitis quod auditis: sic & sacerdotes omnes docent, sed non omnes faciunt quod docẽt. Nam in hominibus dignitas quidem diuersa est, omnium autem natura vna est. Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene docuerint, nostrum. Accipite ergo quod vestrum est, & nolite discutere quod alienum est. Frequenter enim & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit. Nunquid propter terrã vilem,

vilem, pretiosum aurum contemnitur? Non, sed sicut aurum eligitur, & terra relinquitur: sic & vos doctrinã accipite, & mores relinquite. Nam vt apibus herbæ necessarię non sunt, sed flores herbarum. Flores enim illæ colligunt, herbas vero relinquunt. Sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite, vt quasi inutilis herba aresçat. Fidem prædicant, & infideliter agunt, Pacé aliis dant, & sibi non habent: veritatem laudant, & mendacia diligunt: auaritiam castigant, & auaritiam exercent. Quia ergo scire bonum & malum in natura positum est, facere autem in voluntate; ideo bene dicere omnium est, bene autem facere paucorum. D. Chrysosto. in non abso. homi. 43. tomo 2.

Quæcumque dixerint vobis. Quasi dicat, quia mista sunt acta & verba reproborum, sic vtendi sunt, vt in eis sumatur quod viuificat, & vitetur quod necat. D. Grego. super 1. Reg. lib. 6. c, 2. initio capitis.

Quid mansuetius, quid benignius domino? Tentatur à Pharisæis, consringuntur insidiæ eorum: & secundum Psalmistam sagittæ paruulorũ factæ sunt plagę eorum: & nihilominus propter sacerdotij & nominis dignitatem, hortatur populos vt subiiciantur eis, non opera, sed doctrinam considerantes. D. Hiero. super Mat. 23. lib. 4. to. 9.

Omnia ergo quæcumque dixerint, &c. Naaman non est dedignatus consilium seruorum accipere, & audire eos: & ideo meruit curari, vt constat 4. Reg. 5.

Dicunt enim, & non faciunt. Multi sunt sicut magistri cœmentariorum, qui nil faciunt nisi imperare, cum ipsi nunquam manus admoueant labori: qui digni videntur præclaro illo Lacedęmoniorũ facto. Hi enim cum Demosthenem quendam nefarium hominem optimæ & salutaris sententiæ autorẽ fuisse cognoscerent, illam quidem approbarunt, sed quendam de senatu virum probum & integrum elegerunt, cui vt eundem proferret sermonem demandarunt.

Voluisset quidem Christus inuenire in scribis & Phatisæis virtutes aliquas quas laudaret, & ex consequenti commendaret etiam eorum doctrinam, vt omni veneratione coleretur & susciperetur ab omnibus, ipsique haberentur in pretio. Verum quia nullã omnino virtutẽ reperit in eis ab omni opere bono prorsus alienis: id laudandum assumpsit quod præstantius inuenit, nempe prædicationem, vt videlicet omnem adhiberent fidem his quæ ad prædicationem spectarent, & in memoriam reuocarent ipsum Moysen omni obseruantia dignissimum, cui isti succedebant: Vnde dicit, super cathedram Moysi, &c.

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, &c. Super hunc locum pertractari solet quod accipere & seruare ea præclara ac salutaria consilia & documenta debemus, quæ prælati ipsi & superiores nobis tradunt: quamuis nobis constet eos contraria operari. Ad hoc autem illustrandum, ac persequendum, subiiciam aliquot similia.

Si quis iuxta biuium aliquod araret, vbi duo diuersa itinera diuiduntur: & tu ignorans vtro illorũ itinerum *esset tendendum* quo pergis, ab illo sciscitareris quæ tandem via ineunda esset, illeque te veram edoceret viam, non discedens omnino à loco in quo erat: nunquid iure posses conqueri, quod tibi viam indicans non esset te comitatus, sed arans perseueraueris? Aut forte renuetes pergere per talem viam, quòd ille per eandem non incedat, sed in eodem loco semper consistat? Minime id quidem: esset enim perabsurdum, & hominis dementis, nolle illius optimo vti consilio. Ita plane insani hominis est atque deliri, vti nolle salutaribus consiliis & documentis quę nobis suggeruntur: quamuis exploratum nobis sit illum qui ea præbet, in peccatis voluptati contempto virtutis itinere quod suasit.

Si potionibus eges & pharmacis, ad quæ comparanda mittis ad pharmacopolium puerum: qui refert quod pharmacopola cum medicinam parabat, lautissimis quibusdam cibis vescebatur, vt perdicibus, aut maris deliciis: num propterea salutarẽ medicinam sine erroris nota respueres, & propinatam à te repelleres? Sic plane grauissime errat, qui salutifera præcepta, tradita etiam ab iis qui ea non implẽt, despicatur propterea, reiicit, atque contemnit.

Quemadmodum cum sententiam aliquam vtilem & præclaram alicuius autoris ad nostros vsus deriuamus, non solemus exquirere num autor ille saluus sit & beatitudine fruatur, neque an præclare & laudabiliter vixerit: sed dumtaxat eam accommodamus sententiam instituto nostro. Non enim quærimus in placitis philosophicis num Plato & Socrates sempiterna felicitate fruantur: neque in legibus ipsis, num earum latores sanctissime vixerint: neque in præscriptis medicis, an Galenus & Hippocrates optimi fuerint, & veram Dei cognitionem habuerint. Sed tantum horum præceptis si recta & salutaria nobis videantur, ad nostram vtilitatem commodumque vtimur. Ita plane facere debemus cum superiores ipsi nobis aliquid imperant & præcipiunt, non omnino curantes an ipsi faciant quod præcipiunt.

Quemadmodum decerpis & legis rosam ipsam dimissa omni spina: & nucis nucleum edis reiecto putamine: persico vesceris esse ipso derelicto: quod pulchrum est eligis, turpi ac deformi contempto: dulcedinem gustas, amaritudine intacta. Sic quoque si quis tibi prædicat, si quis te admonet, atque hortatur, elige quod suadet bonum, & fugito quod operatur malum.

Quemadmodum extremæ dementiæ est nolle accipere auream virgam, siue pomum quod offertur, præsertim si virgearis indigeasque extreme: quod causeris illud esse aurum ex abiecta sterilique terra erutum. Item ridiculum est recusare pannum quo eges maxime ad te induendum, propterea quod videas eum educi & euolui ex vetere quadam & cófracta tela, qua obuoluebatur. Tum respuere lectissimum frumentum, quod suppeditetur tibi de horreis quibusdam sordidis atque dirutis. Ita profecto inopis mentis est, & stulti hominis, vti nolle salutari consilio atque frugifero, quod eius autor illud sibi nesciat assumere.

Quemadmodum fatuus ille esset iudicandus, & Oreste dementior, qui delassatus ex longo itinere, nocte iam humida cœlo præcipitante, hospitium ipsum quo necessario indiget, intrare nollet, nisi prius indicem tabellam quæ foris est ingredi videret. Item qui securam viam tenere nollet quã signũ monstrat, nisi ipsum signum præcederet atque præcurreret. Tum præterea qui templũ nõ vellet omnino ingredi, quod cymbalum à quo vocatur non ingrediatur. Non aliter mediusfidius delirat ille atque pererrat, qui sancta præcepta ac cõsilia despicit & contemnit, quod ij à quibus monetur minus ea custodiant & obseruent.

Dicunt enim, & non faciunt. Multi sunt qui præcipiunt, imperant, imponunt grauia, difficilia, austeritatisque plenissima: & eo solum consilio ac mente, vt aliis persuadeant quia præcipiunt tam grauia, se grauiora etiam præstare. Hi quidem persimiles mihi esse videntur Atlantibus præseferentibus in ædificiis speciem connitentium & laborantium ne corruat ædificium & decidat, cum tamen nil

nil agant. Ita enim videntur hominibus magna quæ dam præstare tam seueris imperiis aliorum humeris impositis, tantisque præceptis, cum tamen nil agant.

Nullus est homo adeo negligens & sui oblitus, qui onus aliquod iumento suo imponat, quin prætentarit & prius experimento cognouerit an illud onus iumentum commode & sine sui detrimento portare possit: sunt tamen plerique prælati qui suis subditis imponunt talia onera, quæ nec digito quidem ipsi attigerunt.

Multi quidem sunt qui suis consiliis atque sermonibus prosunt aliis multum, quamuis ipsi quæ dicunt non operentur: sed multo amplius certe prodessent, si quæ aliis consulunt ac prædicant, ipsi prius re præstarent. Hoc enim est de quo discipulum suum Timotheum Apostolus admonebat, dicens: Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, dilectione, in fide, in castitate &c. Vide D. August. lib. 4. de doctri. Christi. cap. 27. to. 3.

Omnis qui male viuit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in se est oues suas occidit, vide D. August. lib. de pastoribus cap. 4. to. 9.

Nulla ratione sequamur vel imitemur vitam peruersam negligentis pastoris, neque nobis suadeamus vt quando ille talia operatur nobis quoque eadem perpetrare sit licitum. Attendamus inquit August. quia Christus non dixit, facite tuta conscientia quod ipsi operabuntur, quoniam ipsi rationem mihi reddent, atque mala requiram ab ipsis, vos autem salui eritis ab his quæ ad ipsorum imitationem flagitia patrabitis, cum nulla vobis sit culpa sequentibus pastoris vestri vestigia. Sed dixit expresse, secundum vero opera eorum nolite facere. Deinceps videmus comminatum fuisse Christum tum cæco, tum cæciducatum sequenti: non enim ait, cadet cæcus in foueam & non qui sequetur eum: sed quid? ambo in foueam cadunt. Vide D. August. lib. de pastoribus cap. 10. to. 9. Matt. 15.

Jam nulla nobis reliqua est excusatio ait D. August. vt dicamus, domine ego vidi ministros Ecclesiæ & prædicatores atque prælatos talia facere, & propterea eorum ego vestigia sum sectatus: quoniam præsto adest responsio ex hodierno Euangelio desumpta, quæ sic habet. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite, secundum vero opera eorum nolite facere. Lege D. August. de verbis Domini sermo. 49. to. 10.

Exponens D. Grego. illa verba cap. 5. Iob, Cuius messem famelicus comedet, dicit in hunc modum. Hic qui habens messem non comedit, sed alius qui famelicus est edit, est stultus & negligens sacerdos, doctor, & prædicator: qui doctrinam, eruditionem, & bona consilia habet; sed est dissolutus, & ex his quæ nouit ac docet sibi non prodest, & ita fame cruciatur, cum tamen domi eius multa redundent. Commendat, ponderat, & exaggerat lingua, quod pedibus pessundat, & calcat. Vnde Christus admonet famelicos, hoc est studiosos & auidos proficiendi in virtute, iuxta illud Matth. 5. beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: vt ad talium messes accedant, & inde sibi emolumentum referant, dicens? omnia ergo quæcunque dixerint vobis &c. Vide D. Grego. 6. Mora. cap. 4.

Sapienter dixit Diogenes Philosophus: de quibus alios reprehendis, teipsum imprimis increpa. Cleobulus, libros ad tuam primum vtilitatem euolue. Cato, patere legem, quam ipse tuleris.

Quo pacto Deus puniat tum eos qui malum præbent exemplum, tum eos qui vestigia illorum sequuntur: vide Numero. 25. vbi legitur quod filij Israel positis in Setim castris, ibi morabantur, & accessere filiæ Moab, atque ad idolorum sacrificia eos inuitarunt: qui accesserunt ad eas impudicè, & idola adorauerunt. Atque adeo iste ignis exarsit, vt quidam perfricta fronte ante Mosi, & omnium conspectum non dubitarit ad Madianitidem ingredi: quod cum vidisset Phinees, pugione arrepto ambos perfodit. Quare propter hæc scelera non tantum præcepit Deus vt duces & principes suspenderentur, vetum etiam omnes qui in tale flagitiũ prolapsi sunt, interempti fuerunt: & occisi sunt viginti quatuor millia hominum. Cæterum & qui hostili ac malo animo hos deceperunt, nõ abierunt impuniti. Nam à quinque regibus qui erant inter ipsos, vsque ad minimum infantem, omnes gladio perierunt, & simul omnes fœminæ ac mulieres quæ virum cognouerant interfectæ sunt: vrbes incendio conflagratæ, agri vastati, & denique de ipsis amplissima spolia Israelitæ retulerunt, vt constat Nume. 31. Num. 31.

Quod præclara quæque debeamus exempla imitari, non autem prauos mores & vitiosos consectari, vide Vincen. Belluacen. Specu. doctri. lib. 5. cap. 57.

Multum in Republ. nocet ait Seneca, malum exemplum. Nemo enim fere ita cadit, quin alium etiam secum trahat: nemo sibi tantum errat, quin alieni erroris causa etiam & auctor sit: præcipitatque nos traditus per manus error, & alienis perimus exemplis. Vide Senecam lib. de vita beata ad Gallionem cap. 1.

Si vis etiam differere quantum referat bonum exemplum, de eius vi & efficacia, & quod maiores fiant progressus per exempla quam docendo tantum verbis: consule eundem lib. 1 epist. ad Luci. epist. 6. in fine, & lib. 3. epist. 20. initio.

Scio à præceptis inquit Seneca omnes incipere qui monere aliquem volunt, & in exempla desinere; sed tamen nonnunquam hunc immutare ordinem maxime expedit: aliter enim cum vno, aliter cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit, quibusdam vero nomina clara opponenda sunt, & autoritas. lib. ad Martiam de consolatione cap. 2.

Quanto magis exempla moueant quam verba, lege eundem lib. 7. epist. ad Luci. epist. 53. circa medium.

Malum exemplum quantum noceat Esa. 3. B. ruit Hierusalem quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra dominum.

Prauum exemplum quam pernicioſum sit Esa. 5. E. væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.

Malum exemplum quantum destruat Iere. 3. A. in viis sedebas.

Peruersum exemplum superiorum valde nocet Joel. 1. D. quid ingemuit animal? mugierunt greges armenti?

Malum exemplum quid faciat Ecclesiastes 10. B. Qui fodit foueam.

Prauum exemplum quantum possit. 1. Reg. 31. B. quod cum vidisset armiger eius.

Prauum exemplum multum officit & præbentibus illud & imitantibus 3. Regum. 15. F. fecit quod malum est.

Malum exemplum quomodo puniat Deus 3. Regu. 16. A. pro eo quod exaltaui te.

Malum exemplum quantum corrumpat 4. Reg. 16. B. C. cumque vidisset altare Damasci.

Nemini malum præbeamus exemplum. 2. Cori. 6. A. nemini dantes vllam offensionem.

Prauum exemplum non sequamur 3. Ioan. 1. D.

noli imitari malum.

Bonum exemplum quantum profit Esa. 26. B. cum feceris iudicia tua.

Exempla multum mouent Iere. 26. E. F. Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis.

Bonum exemplum quid faciat Dani. 13. C. erubuerunt serui vehementer.

Bonum exemplum multum potest 4. Regum 12. A. fecitque Ioas rectum.

Bonum exemplum quantum valeat 1. Parali. 29. A. ego autem totis viribus. B. & siquis sponte offert.

Bonum exemplum quantum prosit 2. Para. 24. A. fecitque quod bonum est.

Bonum exemplum multum potest 2. Esdræ 5. B. nos vt scitis redemimus.

Bonum præbere debemus exemplum. 1. Cor. 4. B. Spectaculum facti sumus. & D. imitatores mei estote.

Omnibus bonum præbeamus exemplum 1. Cor. 6. C. & 10. G. omnia mihi licent &c.

Hominibus bonum tenemur præbere exemplum 2. Corint. 8. D. prouidemus bona non solum coram Deo.

Bonum exemplum dare tenemur 1. Ad Thessalo. 5. D. ab omni specie mali abstinete vos.

Bonum exemplum præbeamus 1. Petri. 2. C. conuersationem vestram.

Bonum nobis exemplum commendatur in illis verbis Mat. 5. B. sic luceat lux vestra.

Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Duplicem hic nequitiam eorum ostendit, tum quia sine venia exquisitissime multitudinem viuere volunt, tum quia nimium sibiipsis indulgentes, magnam assumunt licentiam: quorum opposita in optimo principe requiruntur, vt scilicet aduersus seipsum nulla vtatur venia, sed se verum in se iudicem exhibeat, erga subiectos autem mitior, & ad dandam pronior veniam sit, quorum opposita isti faciebant. Tales quippe omnes sunt qui verbis Philosophiam terminant, austeri nimium, & non ignoscentes, ceu inexperti eius doctrinæ, quæ opere ad exemplum discipulis traditur: quæ nequitia cũ parua non sit, superiora crimina in maius extollit. Tu autem expende quomodo id etiam auget: non enim dixit, non possunt, sed nolunt: nec portare aut ferre, sed digito mouere: hoc est nec prope accedere, nec tangere volunt, sed diligentes ac robusti in prohibitis sunt. D. Chrysosto. super Mat. homi. 73. to. 2.

Vbi pater familias est largus, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, vt quid sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & videant
Simile. grandia facientem. Talis est autem sacerdos qui sibi indulget, & ab aliis grauia exigit; quemadmodum malus descriptor tributi in ciuitate, qui se releuat, & onerat impotentes. D. Chrysosto. in non abso. ho. 43. to. 2.

Lucæ 10. *Digito autem suo nolunt ea mouere.* Operarios vocat Christus prædicatores verbi Dei, vt scias quod non solum ore, sed vita prædicare debes. Illi qui ædificabant
Nehe. 4. Hierusalem, vna manu tenebant gladium, altera vero operabantur. Dominus præterea dixit
Esa. 58. Esaiæ. quasi tuba exalta vocem tuam. Cur enim non
Simile. dixit quasi leo, aut quasi tonitru, vel simile? Quia tuba ponitur in ore, & manibus tenetur: sic prædicatio ore fit, & manibus sustentatur, hoc est bonis operibus. Cane ne de te dici possit quod dixit olim
Gene. 27. Isaac: vox quidem vox Iacob, manus autem Esau. In Exod. 30. præcepit dominus Moysi vt faceret labium æneum cum basi sua. Vbi aduerte quam apposite dicatur labium & æneum: quia prædicatio resonans est, & simul iubet quod sit cum basi hoc est cum vita sancta: sine qua labium ipsum labitur, & cadit. Cum facimus quæ prædicamus, labium æneum sumus simul cum basi quæ sustentat doctrinam. In Ecclesiastico habetur, vnus ædificans & Eccl. 34.
vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Et quod Matt. 22.
Christo hoc maxime displiceat, patet: quia Christus maledixit ficulneam quia non habebat fructus, sed tantum folia. Ecquis præterea credat dicenti Similę.
viam esse latronibus plenam, & neminem posse trasire absque expoliatione & interitu, si qui hæc monet, statim hanc viam ingrediatur & persequatur? Thre. 4.
Ideo Hiere. ait, non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis.

Prius nutrix cibum accipit, eumque in substantiam conuertit, quam infanti suum lactet: igniſque Simile.
prius in propinquum quam in distans agit: ita prædicator prius sibi doctrinã accipere debet, priusque eum amor & domus Dei zelus debet accendere & inflammare, quam populum. Non præterea in verbis Rhetoricis, aut orationis candore cõfidat. Dauid 1. Reg. 17.
namque non aureis armis, non lorica & scuto splendentibus, gigantem deuicit: sed funda & lapide in nomine domini confisus. Vnde & Paulus, non veni 1. Cor. 2.
inquit ad vos in sublimitate sermonis, sed in spiritu Dei. Cæterum multi aquam doctrinæ pedibus suis conculcant, scilicet malo exemplo, sicut dicit dominus. Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, re- Ezec. 34.
liquam pedibus vestris turbastis, & oues meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. Limpidam quidem aquam bibunt, cum rectam doctrinam hauriunt: sed eam corrumpunt pedibus, ideſt male viuendo. Hæresiarcha ille Martinus Lutherus cum ad Imperatorem Carolum quintum veniret, in plaustro deaurato venit, famulis stipatus, maximo comitatu, Lyram, & diuersorum instrumentorum genera secum ferens. At Christus aliter prædicauit Euangelium.

Alligant onera grauia &c. Id faciunt confessarij qui graues nimis imponunt, & intolerabiles pœnitentias pœnitentibus. Quod plane inquit Glos. Ordi. videtur esse contra illud Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Non est æquum vt quando dominus est adeo misericors & liberalis, seruus ipse sit durus, parcus, & auarus. Vide Glo. Ordi. su. Matt. 23.

Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. His verbis inanis glorię cupiditatem eis obiicit, qua perierunt. Ita superiora crudelitatis erant, atque desidiæ: hæc vero furoris, qui gloriæ inanis cupidine illos exagitabat. D. Chrysosto. super Matthæ. ho. 73. tomo 2.

Dilatant enim Phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cenis, & primas cathedras in synagogis. & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Tu autem considera ibi maxime illos inanis fomenta gloriæ quæsiuisse, vbi iubebantur humiliores esse; in synagogis videlicet, quo ad docendos alios veniebant. In conuiuiis enim aliquid huiusmodi committere, non ita graue videtur: quamuis non in Ecclesia solum, sed vbique doctorem cæteris præstare oporteat. Nam quemadmodum ho- Simile.
mo vbicumque fuerit cæteris animantibus præstat, ita doctorem decet siue loquatur, siue sileat, siue in conuiuiis, siue alibi sit, cæteris hominibus excellere: adeo vt in incessu, & aspectu, & habitu, omnibusque simpliciter, aliis præstantior esse videatur. D. Chrysost. super Mat. homil. 73. tomo 2.

Puto

Puto quod illorum tunc Scribarum & Pharisæorum exemplo, & nũc multi aliqua nomina Hebraica angelorum confingunt, & scribunt, & alligant sibi: quæ non intelligentibus linguam Hebraicam, quasi metuenda videntur. Sic ergo & isti vani sunt, sicut illi fuerunt: quoniam personę illorum de mundo recesserunt, non mores. De hominibus itaque nostri temporis exponentes, de illis videmur exponere. D. Chrysost. in non. abso. homil. 43. to. 2.

Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorũ vitia transierunt! Dominus cum dedisset mandata legis per Mosen, ad extremum intulit, ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus. præcepta mea sint in manu tua, id est, opere compleantur: sint ante oculos tuos, id est, die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi male interpretantes, scribebant in membranis decalogum Mosi, id est, decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, vt semper ante oculos mouerentur: quod vsque hodie Indi, & Persæ, & Babylonij faciunt: & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis iudicatur. Iusserat quoque aliud Moyses, vt in quatuor angulis palliorum hyacintinas fimbrias facerent, ad dignoscendum populum Israelis: vt quomodo in corporibus circuncisio signum Iudaicæ gentis daret, ita & vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, vt videlicet ambulãtes, & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia domini, & ministeria seruitutis eius. D. Hiero. super Matt. 23. lib. 4. to. 9.

Dilatant enim Phylacteria, &c. Hieronymus lib. 4. in Matt. damnare videtur consuetudinem eorum qui diuina verba & res sacras collo suspensa gerunt, sic inquiens. Non intelligebant Pharisæi quod hæc in corde portanda sint, non in corpore, alioquin & armaria, & arcæ, habent libros, & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in paruulis Euangeliis, & in Crucis ligno, & istiusmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, vsque hodie factitant, culicem liquantes, & camelum glutientes. Autor operis imperfecti homi. 43. in expositione eiusdem sententiæ, Hieronymo videtur astipulari, his verbis. Multi Scribarum & Pharisæorum exemplo aliqua nomina Hebraica angelorum confingunt & scribunt, & alligant sibi: quæ non intelligentibus linguam Hebraicam quasi metuenda videntur, quidam vero partem Euangelij scriptam. Dic facerdos insipiens, nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab hominibus? Cui ergo in auribus posita Euangelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt circa collum suspensa saluare? Deinde vbi est virtus Euangelij? in figuris literarum, aut in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu; ergo melius in corde posita prosunt: quam circa collum suspensa. Animaduertit hunc locum D. Thom. in 2. 2. quæst. 96. ar. 4. inquiens his verbis non damnari eos qui pietatis & religionis gratia diuinas scripturas, sanctorum reliquias, aliasque sacras res gerunt: sed eos qui magis ad scripturæ characteres inspiciunt, quam ad scripture intelligentiam: & eos potissimum qui vel superstitione vana adducti, vel ambitione inflati, hæc deferunt. Illi igitur qui huiusmodi res ac verba portant ex Dei fiducia & sanctorum reuerentia, nullo modo accusandi sunt. Nam & beatam Cæciliam legimus eodicem Euangelicum semper in sinu gestasse, & Constantinum Augustum Christi clauum diademate circuntulisse, & Apostolum Barnabam curasse ægros Euangelici scripti attactu. Sixtus Senen. Biblio sanct. libr. 6. Annota. 103.

Pharisæis erat in consuetudine, vt ait Origenes, scribere Dei præcepta in longis ac pendentibus membranis: & membranas alias imponebant in capite instar mitræ, alias vero pendentes affigebant brachiis, & huiusmodi appellabant Phylacteria. Porro cum in lege legissent Nume. 15. vt defertet fimbrias, ipsi eas sibi satis longas ac dilatatas constituebant, non solum per quatuor angulos palliorum, vt lex præcipiebat, sed etiam variis additis. Serui Dei adferre quidem secum debent Dei legem, sed tamẽ ita vt eam opere compleant, & in ea meditentur semper, iuxta illud Psalm. 1. Sed in lege eius meditabitur die ac nocte. Quod cum Pharisæi non facerent, iccirco Christus hic eos increpat, dicens: dilatant enim Phylacteria sua, &c. vide Orige. super Matth. homi. 24.

Non esse quidem à ratione alienum, sed ei maxime consonum, vt qui tõto animo desiderat Dei legem implere, quamuis non vt Iudæi faciebant exterius pungentes spinas, portaret, haberet tamen ad carnem cinctum aliquid asperum & durum: vt illa carnis castigatione rediret crebro & facile in memoriam lex Dei, & custodia mandatorum ipsius. Et quia fieri posset vt ex assiduo vsu minus nos illud pũgeret & excitaret: nõ inutile esset sæpe illum mutare, & cõuenientia quęque atque huic rei apta frequenter diligere: vt ita & caro ipsa refrænaretur ac mortificaretur, atque subinde lex Dei & mandatorũ custodia menti facilius repręsentaretur. Quod si hoc consilium paulo asperius videbitur, meminisse debes laborem eum breui finiendum, cum vita nostra & perbreuis sit & incerta: præmium vero maximum illud quidem futurum esse.

Si velis agere contra ambitiosos & arrogantes super illa verba, amant primos recubitus in cœnis, &c. habes multa apud D. Grego. 3. par. Pastora admoni. 20. tom. 2. & lib. 5. Mora. cap. 2. & libr. 23. c. 5. & 7.

Tum Apud D. Chrys. multa inuenies super Ioan. ho. 41. to. 3. & ad popu. ho. 47. to. 5.

Aristophanes contra arrogantiam dixit, Arrogantiam maxime fuge. Pittacus, quæ facturus es, ea ne arroganter prædixeris: frustratus enim ridebere. Thales, quod facturus eris: dicere sustuleris. Euripides, animi elationem remitte. Chilo Lacedemonius, quæ fieri non possunt, ne arroganter tentes.

Vos autem nolite vocari rabbi: vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Nec magister nec pater vocandus est alius nisi Deus pater & dominus noster Iesus Christus. Pater, quia ex ipso sunt omnia magister quia per ipsum omnia: vel quoniam per dispensationem carnis eius omnes reconciliati sumus Deo. Quæritur quare aduersum hoc præceptum, doctorem gentium Apostolus se esse dixerit? Aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palesthina & Ægypti monasteriis, se inuicem patres vocẽt? Quod sic soluitur: aliud esse natura patrem vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non autorem nostrę ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per naturam Deus, & vnus filius, non præiudicat cæteris ne per adoptionem Dei vocentur, & filij, ita vnus & pater & magister, non præiudicat aliis vt abusiue appellentur patres & magisti. D. Hierony. super Matt. 23. lib. 4. to. 9.

Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia ma-

giſter veſter vnus eſt Chriſtus. Non vocetis inquit patrem: non vt neminem patrem vocent, ſed ne ignorent quem principaliter patrem vocare oporteat. Nam quemadmodum nemo principaliter magiſter eſt: ſic nec pater, præter illum qui tam magiſtrorum quam patrum omnino cauſa eſt. D. Chryſoſto. ſuper Matt. ho. 73. to. 2.

Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter. Qui autem ſe exaltauerit, humiliabitur, & qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Super Epiſtolam & Euange. duos compoſuit ſermones D. Anto. initio 1. par. Theologa.

Feria quarta poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ.

ASCENDENS *Ieſus Hieroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecreto, & ait illis. Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte Matthei 20. Lucæ 18. Mar. 10.* Omnis gloria Dei, & omnis ſalus hominũ, in Chriſti morte poſita eſt. Nulla enim eſt res quæ amplius ad ſalutem hominum pertineat, quam mors ipſius: nec eſt aliquid aliud propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam propter mortem ipſius. Ideo cum turba plurima fidelium eum ſequeretur in via, duodecim Apoſtolos ſolos tulit in ſecreto, & illis tantummodo mortis ſuæ annunciauit myſterium: qui ſemper pretioſior theſaurus in melioribus vaſis includitur. Multi quidem viri erant cum eo: ſed propter modicitatem fidei ſuæ infirmi. Multæ mulieres erſi in fide fortes, infirmæ tamen in ſexu. ſi audiſſent quia ideo Chriſtus aſcendebat Hieroſolymam, vt interficeretur: & viri forſitan turbarentur propter infirmitatẽ fidei, & mulieres propter molliriem ſuæ naturæ: nam proprie animus mulieris mollis eſt, & in tali negotio citius excitatur in lachrymas. *Ecce* Conteſtantis eſt ſermo, vt memoriam præſcientiæ huius in cordibus ſuis recondant. Quare illis prædicit paſſionis ſuæ myſterium? quia omnis aduerſitas quæ ſubito euenit hominibus extra ſpem, nimium grauis eſt: quam vero ante cognoſcimus, & præparamus nos contra eam, cum ſuperuenerit expectantibus nobis, & leuior inuenitur quam eſſet futura ſi repentina veniſſet. Ideo ergo nuntiat illis de ſua morte futura, vt cum dies illa paſſionis aduenerit, non illos turbet cognoſcentes quia omnino erant ventura. Si enim toties præmoniti Apoſtoli de monte eius futura, tamen quando comprehenſus eſt, ſcandalizati ſunt omnes, & reliquerunt eum: quanto magis ſcandalizandi fuerant, ſi præmoniti non fuiſſent D. Chryſoſto. in non abſo. ho. 35. to. 2.

Proſperum iter nobis faciat Deus ſalutarium noſtrorum, & nos quoque aſcẽdimus Hieroſolymam: ideo enim in monaſterium deſcendimus, vt Hieruſalem aſcendamus. Sic nempe, ſic alites, vt in aëra ſe ſuſpendant, profundius omni corpore ſolo vbi reſident ſe imprimunt. Hominum quoque & ferarum eadem eſt ars naturę, ſiue natura artis, aut potius ars naturalis: vt in ſublime ſalire cupientes, humiliter terrę quaſi toto corpore inſidentes incumbunt. Arduum eſt quo aſcendere molimur arcẽtum quo attẽtamus penetrare; ideo expeditos non eſſe conuenit, & ſubtiles. In altum enim repere onuſtum, & per anguſta inflatum introire, difficile eſt. Porro non inflare hominem diuitias, nec onerare curas, nec crapulam grauare, diuini eſt miraculi, non humanę virtutis. Iſaac ho. 1.

Iam iam ſua imminente paſſione dominus Hieroſolymam aſcendit, tantoque feruore gradiebatur, vt diſcipulos omnes præcederet: vim amoris, & patris obedientiam in hoc ſuo proceſſu oſtendens. Tanto enim deſiderio redimendi nos accendebatur, tantoque feruore à tyrannide diaboli mundum eripiendi æſtuabat: vt omnes diſcipulos ambulando præcederet. Voca nomen eius: accelera, ſpolia detrahe, &c. Iſa. 8. & Pſal. 18. Exultauit vt gigas ad currendam viam. Quanto feruore nobis currendum ſit ad perferendas paſſiones pro Chriſto, hic edocemur: quantamque ſolicitudinem in iuuandis fratribus adhibere debeamus erudimur. In ſui aduentus primordio legimus cum feſtinatione matrem virginem in montana abiiſſe, ad Ioannem ſanctificãdum. Non dubitandum eſt quin ille tunc faceret matrem ad vnum ſanctificandum feſtinare, qui nunc pro omnibus paſſurus, diſcipulos ambulando præcedebat. Soarezius ſuper Marcum 10.

Secreto. Hic locus applicari poteſt contra eos, qui dicunt paſſim omnibus vulgari lingua tradendam eſſe ſacram ſcripturam. Gagnæus ſuper Mat.

Duodecim diſcipulos. Nondum Iudas malum conceperat, & ideo dominus eum à ſocietate repulit. D. Tho. ſuper Mat.

Oportet dilectiſſimi vt in ſingulis nobis filius hominis crucifigatur. Quis eſt iſte filius hominis? vetus ſcilicet homo, veteris hominis. filius. Ego enim cum ſim perſonaliter homo vnus ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens, tamen duos, & duorum filios in me video: veterem, & nouum, terrenum, & cæleſtem: hominis filium, & Dei filiũ. Nam quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Itaque ad pacis viſionem properantibus (hoc enim eſt Hieruſalem) tradendus eſt filius hominis: homo exterior ab interiore, & non ſine aliqua ſeductione, gentibus alienis, id eſt diſcipulis, & diſtrictionibus regularibus, abſtinentiæ, & vigiliis, cineri, & cilicio, paupertati, & ſilentio, laboribus, & alieno imperio, vt ab his affligatur, & cruci affigatur, donec funditus à proprio ſenſu, & veteris vitæ conſuetudine, moriatur. Iſaac homilia prima.

Quia omnis altus locus expoſitus eſt mille periculis, ideo Hieroſolyma, quæ locus excelſus eſt, mortem & pericula continet. Mortui ibi ſunt prophetæ, morietur & ibi prophetarum dominus. Cur igitur, prælate, locum cupis excelſum? Palacios ſuper Matt.

Tradetur principibus. Traditus eſt Chriſtus à tribus: à Deo, à Iuda, & à Iudæis. De prima traditione dicit Apoſt. proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. De ſecunda ſcribitur in Matthæo, quærebat Iudas opportunitatem vt eum traderet. De tertia tandem legitur in Ioanne, Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Prima fuit ex gratia, quia dilexit nos: ſecunda ex auaritia quia conſtituerunt ei triginta argenteos: tertia ex inuidia, ſciebat enim Pilatus quod ex inuidia tradidiſſent eum. Deus ergo tradidit illum ex dono, Iudas pro munere, Iudæus in ſacrificiũ. Ad hoc porro deſignandum ſacerdos facit tres cruces ſuper oblatam & calicem, dum dicit; hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Commemorans illam traditionem quam Deus fecit ex dono, Iudas pro munere, Iudæus in ſacrificium illibatum: ſinguli tamen ad mortem, mortem autem Crucis. Innocen. 3. de myſte. Miſſæ lib. 3. c. 13.

Et filius hominis tradetur principibus, &c. Pontifices ne dignitatis locum, quem in ea Repub. obtinebant, amitterent; in morte eius cõiurarunt. Illorum enim verba ſunt, ſi dimittimus eum ſic, omnes credent eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Hoc ergo metu impulſi, tam immane facinus animo conceperunt. Quemadmodum & Aaron ne ſummi põtificatus officio pelleretur, vt Cardinalis Caieta. hoc in loco adnotauit, aureum vitulum fabricatus eſt: quem perfecta multitudo adorauit. Ea enim ambitionis vis eſt, vt nullum quamlibet atrox & horrendum facinus pertimeſcat, quo ſummum inter alios dignitatis gradum adipiſcatur, vel vt iam adeptum non amittat. Noſtra fere ætate regis Tunicij filius regnãdi libidine incenſus, ſeniorem patrem (cuius ſpectare celerem mortem potuiſſet) candentis ferri lamina ante ſenis oculos poſita, vtroque lumine orbauit, vt paternum regnum ſolus ante diem obtineret tantum potuit regnãdi libido! Sed hoc recens exemplum, illud vero vt vetuſtiſſimum, ita maxime mirandum, quod vt antiquitatum annales memorãt, Hirena Auguſta hæredi filio oculos quoque eruit, vt tyrannide eius imperium occuparet. Quæ cum ita ſint: quid mirum ſi principes ſacerdotum morti dominum traderent, ne ſacerdotij principatum & honorem amitterent?

Super Epiſt. & Euange. duas habet conciones D. Antoni. initio primæ par. Theo.

Duas item D. Tho. prope finem to. 16.

Chriſtum dominum toties tamque variis modis explicare diſcipulis ſuis labores atque torměta, quæ erat in vrbe Hieroſolymitana paſſurus, atque prædicere turbationes ipſorum diſcipulorum: nil aliud erat, quã efficere vt eſſent parati & veluti præexercitati diſcipuli quando labores ingruerent, ne inopinantes & impræmeditati comprehenderentur. Et quemadmodum peritus natator qui alterum docet natare, frequenter eum dimittit mergi, & quaſi ad imum tendere, frequenterque educit, atque ſurſum ſubleuat, donec tandem timorem omnem deponat, & ſolus ſine cortice, quod aiunt, natare commode poſſit: ita Chriſtus dominus ſæpe permittebat vt turbarentur atque exercerentur diſcipuli crebra laborum memoria & commemoratione, vt ita tandem cum ad eos ventum eſſet, miram conſtantiam ac fortitudinem animi exhiberent.

Solent inſculptores ipſi & ſtatuarij antequam ligneæ imagini extremam adhibeant manum, eam exponere ſoli, vẽto, & aliis huiuſmodi cæli iniuriis, vt ſi forte lignum alicubi fundatur, aut rimulas ducat, ſiue quoduis aliud vitium minetur, commode illud poſſit glutine aut arte reparari: vbi enim expolita & perfecte inſculpta iam imago ipſa eſt, nullam videtur admittere reparationem. Eadem quoque ratione pictores cum magnam aliquam tabulam magnique pretij depingere parant, poſtquam eam gypſo & quodam quaſi glutine incruſtarũt, cum ex humiditate lignum ſoleat pati quaſdam mutationes, eam item exponunt ſoli & vento, vt hoc modo vitium quod poſtea factura erat, nunc faciat, & reparetur. Ita Chriſtus diſcipulorum ſuorum animos viuis omnium virtutum coloribus depingere parabat, atque propterea dum in ſua adhuc officia & ſchola verſabantur, vbi reparari ſemper poterant, eos varia & crebra laborum commemoratione & vſu exercebat, vt tandem intrepide & impauide im mediis laborum & calamitatum fluctibus verſarentur.

Cõſueuerunt gladiatores periti quandoque cum ſuis diſcipulis digladiãtes, ita ſe gerere, vt interdum leuiter quidem eos percutiant, parcendo eis & indulgendo, interdum vero grauiter, iam paulo grauius, quo tandem ſciant commode ſeſe defendere: atque petitiones omnes aduerſariorum declinare, peritiſſimique euadant in ea arte. Ita plane dominus & redemptor noſter diſcipulos ſuos exercebat, vt nunc eos leuiter, iam grauiter afficeret & excitaret: nunc miraculis & ſignis delectaret, interponens aliqua gaudia curis. Iã ignominiis afficiẽdos dicebat, iam eiiciendos eſſe de vrbibus: nonnunquam paſtore eorum percuſſo eſſe diſpergendos, nonnunquã mundum ipſum eò cæcitatis eſſe venturum, vt qui grauioribus eos ſuppliciis affligeret, magis ſe Deo obſequium præſtare exiſtimaret: aliquando denique prædicabat, vt in hodierno Euangelio, quod aſcenderent Hieroſolymam, & quod filius hominis traderetur, & flagellaretur, &c. Ex quo facile colligere poterant quales futurę eſſent oues, paſtore ipſo tantopere affligẽto. Mat. 10. Matt. 26. Ioan. 16.

Super illa verba, Aſcendens Ieſus, vbi agi poteſt quod ſemper aſcendere debeamus de virtute in virtutem, intexere potes ſentẽtiam illam Agapeti Philoſophi: ſemper aſſiduus eſto in virtute, & quemadmodum qui ſcalas conſcendere cœperunt, non prius deſiſtunt ab aſcenſu, quam ſupremum attigerint gradum: ſic & tu in bonis ſemper altius aſcendendo affectus ſis.

Et tradent gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget. Hoc in die nobis Ieſus exemplum oſtendit vt in inſtituendo proximo magis ei tradamus quæ neceſſaria ſunt, quam quæ iucunda: ac ſalutaria, magis quam ſuauia. Nam & hoc ipſum etiam periti medici faciunt, qui ægrotis præſcribunt medicamina ſaluberrima quidem, ſed à quibus omnino abhorret ægrotorum animus. Nouerat quidem dominus turbari diſcipulos mentione mortis ſuæ, ſed nihilominus meminit eius, vt audirent, & meminiſſent ipſum & ſcientem & volentem paſſurum, cum hora à patre præfixa adeſſet. Hoffmeiſterus ſuper Marcum 10.

Et tertia die reſurget. Vbi triſtitia dixiſſet, addidit etiam quod conſolationem adferat, vt cum illa viderint, etiam hoc expectent. Oecumenius ſuper Mat.

Oſee 6. viuificabit nos poſt duos dies, & in tertia die ſuſcitabit nos, id eſt, ſuſcitandos oſtendet per reſurrectionem. Hugo Cardi. ſuper Luc. 18.

Super illa verba, tradent eum gentibus, vide D. Tho. 3. p. q. 47. per totam.

Super illa, & tertia die reſurget, vide eundem 3. p. q. 51. art. 4. per totum. & in 3. ſenten. diſt. 21. q. 2. art. 2. per totum. & in 4. ſenten. diſt. 43. q. 3. art. 3. q. 1. ad 1.

Ad illudendum & flagellandum. Hic vides aperte explicari & aperiri maximam Chriſti humilitatem, & patientiam: ad quod inſtitutum poteris applicare ſingulare illud exemplum Dauid quod adfert beatus Grego. in hunc modum. Vt enim pauca de multis loquar, quatenus ſtudioſus lector multa in paucis intelligat, cum verborum contumeliis & iniuriis quis premitur, cum virtutem patientiæ ſeruare non ſufficit: Dauid factum ad memoriam reducat, quem cum tot Semei conuiciis vrgeret, & armati proceres vlciſci contenderent, ait. Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite eum vt maledicat: dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid. Et quis eſt qui audeat dicere quare ſic fecerit? Et paulo poſt, dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum domini, ſi forte reſpiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Quibus profecto verbis indicat quia pro perpetrato Berſabeæ ſcelere, exurgentem contra ſe filium fugiens, reduxit ad animam malum quod perpetrauit, & æquanimiter pertulit quod audiuit, & contumelioſa verba non tam conuicia, quam adiutoria credidit, quibus ſe purgari, ſibique miſereri poſſe iudicauit. Tum enim illata conuicia bene toleramus, cum in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur quod iniuria per- 2. Reg. 26. 2. Reg. 16.

cutimur, dum in actione noſtra conſpicimus quia peius eſt quod meremur. Sicque fit vt contumeliis gratia magis quam ira debeatur: quarum interuentu Deo iudice pœna grauior declinari poſſe confidit-
tur. D. Grego. lib. 30. Mora. c. 17.

Super illa verba, Et tertia die reſurget vide Six. Senen. Biblio ſanct. lib. 6. Annotatione 92.

Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Iacobus & Ioannes filij Zebedæi & mater eorum audientes Chriſtum poſt mortem tertia die reſurrecturum, crediderunt ipſum immediate poſt reſurrectionẽ regnaturum in Hieruſalem temporaliter: & ideo cupientes ei eſſe collaterales præ cæteris, quia eius erant cognati germani, informauerunt matrem ſuam de petitione ſequenti: & hoc eſt quod dicitur hic. *Tunc*, id eſt, audita reſurrectione Chriſti futura. D. Hiero. lib. 3. ſuper Mat. to. 9.

Non turbetur quiſquam ſi adeo imperfectos dicimus Apoſtolos fuiſſe: nondum enim myſterium Crucis conſummatum, nondum gratia ſpiritus in corda ipſorum infuſa. Quare ſi ſtudia virtutis ipſorum diſcere cupis, quales poſt datam gratiam ſpiritus fuerint, conſidera: & videbis omnem ab illis turbationem animi fuiſſe ſuperatam. Hac enim de cauſa eorum modo imperfectio reuelatur, vt aperte percipere poſſis quales ſubito per gratiam effecti fuerint. D. Chryſoſt. ſuper Mat. ho. 66. to. 2.

Acceſſit. Putabant eum futurum regem in mundo: ſic faciunt multi. Exo. quidem 3. quãdiu fuit Moſes in Ægypto in vtilitate, nunquã Iethro & cognati eius venerunt ad eum: ſed quando eſt magnificatus ſubmerſo Pharaone & hoſtibus. Prouer. 19. fratres hominis pauperis oderunt illum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo. Item paulo ſuperius, diuitiæ addunt amicos plutimos: à paupere autem & ſi quos habuit ſeparantur. Iudicum 11. dixit Iephte fratribus ſuis, nõne eieciſtis me de domo patris mei, & odiſtis, & nunc veniſtis ad me? Hugo Cardinalis, ſuper Marcum 10.

Super illa verba, Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, vide Six. Senen. Biblio. ſanct. lib. 6. Annota. 91. & lib. 5. Annota. 61.

Quj dixit ei, quid vis? Petitio enim illa non erat admittenda: & qui hoc concedit, fatue concedit. Legitur quidem de Herode quod iſtud conceſſit filiæ Herodiadis, & non reuocauit. Salomon autem matri conceſſit, ſed quia ſapiens fuit, incautum promiſſum reuocauit. Ideo Chriſtus ſapientior his (ecce pluſquam Salomon hic) noluit cõcedere niſi exprimeretur prius quod petebat: vnde dixit, quid vis? D. Tho. ſuper Mat.

3. Reg 2.

Mat. 12.

Ait illi, dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuã, & vnus ad ſiniſtram, in regno tuo. Quam multa ſunt quæ hoc in loco philoſophari poſſumus! Apparet enim his ac ſimilibus diſcipulorum lapſibus, quid natura, quid gratia, in diſcipulorũ animis effecerit. Quemadmodum enim filios Iſrael dominus ſtatim poſt egreſſum ab Ægypto in tantam ſtupiditatem & cæcitatem ruere permiſit, vt fabricatum ante ſe vitulum non ſolum vt Deum colerent, ſed etiam magnificentiſſima illa opera quæ dominus in Ægypto patrauerat, illi accepta ferrent, quo liquido appareret beneficia rudiſſimo illi populo exhibita, non illorum meritis, ſed diuinæ gratiæ tribuenda eſſe: ita nunc dominus & hunc & ſimiles diſcipulorum lapſus permiſit, partim vt quam infirma inſtrumenta is ad mundi conuerſionem elegiſſet inſinuaret (quo eius gloria eſſet illuſtrior) partim vt diuinæ gloriæ vim & potentiam oſtenderet, quæ horum hominum ruditatem & infirmitatem ſpiritu ſancto è cœlis miſſo in admirabilem virtutem ſubito permutauerit. Sicut enim ex ignorantiſſimis ſapientiſſimos, ex infantiſſimis eloquentiſſimos: ita ex imperfectis, & infirmis, perfectiſſimos, & fortiſſimos in momento reddidit. Quo factum eſt, vt præteritæ vitæ recordatio omnem illis gloriandi occaſionem adimeret, futuræ vero, in vno Deo gloriandum eſſe apertiſſime demonſtraret.

Exod. 32.

Animaduertite rurſum quæ ſibi ſomnia diſcipulorum ſimplicitas propoſuerat. Paucis ante diebus & tertia piſcandi officium, quo vitam ſuſtentabant: deſeruerant: & iam principatus & primas ſedes in temporali regno ambiebant. Et quidem à Chriſto domino nunquam diſcedentes, quidquid in eo videbant, quidquid audiebant, quidquid bonus magiſter repetitis idẽtidem vocibus inculcabat, ad humilitatem inuitabat, humilitatemque ſemper eorũ animis infigebat. Schola enim Chriſti ſchola humilitatis erat, Chriſtique magiſterium, clariſſimum virtutis huius magiſterium erat. Et hi tamen qui in hac ſchola tandiu verſati, & in gloria cõſtituti, & ad gloriam prædeſtinati, & filij Dei effecti erãt, nihilominus hanc mundani honoris cupiditatem in animo conditam geſtabant. Nec vero cupiditatis huius germen duorum tãtummodo diſcipulorum qui affines Chriſto erant animos occuparat, ſed cæterorũ etiam: qui propterea indignati ſunt aduerſus hos, quod ipſi ante alios eam ſibi dignitatem præripere vellent, quam hi ſimili cupiditate vel ſibi cupiebãt, vel certe aliis inuidebant. Eſt & aliud quod in hac petitione adnotare merito debeamus. Hic enim diſcipulorum lapſus & infirmitas vehementer eos arguit qui adeo ſeueri & rigidi in omnes pios homines exiſtunt, vt leuiſſimis eorum delictis grauiter commoueantur indignum eſſe iudicãtes eos qui ſeſe diuino obſequio manciparunt vel effuſius aliquando redire, vel liberius loqui, vel aliqua perturbatione commoueri, vel alia ſimili labe reſpergi. Siccine labuntur inquiunt, qui mundo mortui eſſe videntur? Sic rident? Sic loquuntur: ſic etiam ira commouẽtur? Quid igitur? an putas tu eos iam hominem prorſus exuiſſe? Tam cito credis naturæ morbum, qui nobiſcum natus eſt, iura ſua amiſiſſe? Tam cito credis cæleſtem gratiam, quæ nobiſcum non nata, ſed aliunde applicita eſt, totum hominem perfecte imbuiſſe, nihilque in eo vetuſtatis priſtinæ reliquiſſe? Id vero ne Apoſtolis quidem contigit, niſi vbi ſpiritus plenitudinem acceperunt. At nobiſcum bene agitur, ſi quæ nobis gratia data eſt lethalia crimina pellat. Gratia enim & lethale peccatum quemadmodum mors & vita ſibi inuicem aduerſantur, mutuoque ſe perimunt, vbi ergo gratia eſt, ibi mortiferum crimen non eſt, cætera vero quæ non perinde gratiæ aduerſantur, cum ea ſimul habitare poſſunt. Sicut enim vita quæ mortem excludit omnia tamen morborum genera admittit, gratia lethale quidem peccatum ab anima pellet, quod mortẽ inferat, cætera vero peccata velut quoſdam animæ morbos nõ prorſus extinguit. An non vides hic Chriſti diſcipulos alios quidem primas ſedes affectantes, alios vero hanc gloriam aliis inuidentes, & aduerſus eos indignantes? Si igitur illi qui reuera diuinam gratiam & ſpiritum adoptionis acceperant, quoſque ipſa Dei ſapientia tot verbis, tot exemplis, & miraculis, tandiu ad iuſtitiam erudierat, his infirmitatibus obnoxij erant: cur ideo miraris ſi in piis hominibus ſimiles lapſus inueniantur?

Roma. 8.

Dic vt ſedeant hi duo filij mei, &c. Hæc ſuauiſſima eſca primos illos generis humani parẽtes, antiquus olim ſerpens allicere curauit. Cum vero nos paternæ cupiditatis hæredes eſſe intelligat, eadem etiam

Gene. 3.

arte deludere, eodemque venenato cibo ineſcare conatur. Scit namque callidus ille hoſtis nullum animal tanta auiditate dulcem eſcam, quanta cor hominis laudem & gloriam concupiſcere. Et animalia quidem cum famem expleuerint, cibum faſtidiunt: cor autem hominis vix vnquam honoribus expletur? vix vnquam laude ſatiatur, ſed quo magis honoribus excellit, eo acrius ad illos augendos & amplificandos incitatur.

Super illa verba, dic vt ſedeant hi duo filij mei, conſule D. Thom. 3. par. quæſtiun. 58. ar. 4. ad 4.

Super eadem verba agere poteris de ambitione & arrogantia: ad quod ſubiicio quæ ſequũtur, plura etiam inferius ſubiecturus.

Deteſtatur ambitionem & arrogantiam diuinus ille Bernardus in tractatu de gradibus humilitatis, inter medium ac finem operum, in notatione quæ incipit, Credit quod audit.

Arrogantia, ambitio, dominandique libido, vnde ſumpſerint exordium, Lauren. Iuſtin. lib. de inſtitut. & regimine prælatorum, cap. 1.

Ambitio appetituſque imperandi & præferendi ſe aliis cum tamen ſufficientia merita non adſint, eſt execranda ſpecies furti, idem doctor eodem lib. cap. 12. inter medium ac finem operum.

Ambitionem & arrogantiam quanta ſolicitudine & ſtudio ſeruus Dei à ſe debeat expellere, vide eundem lib. de humilitate cap. 9. circa finem operum.

Ambitio omni animi contentione fugienda eſt, lege D. Baſil. lib. regula. breuio. interrogatio. 299. tomo 2.

Quid de ambitione ſenſerint Philoſophi atque Poëtę, lege Vincẽ. Belluacen. Specu. doctri. lib. 4. cap. 125. & 126.

Præſumptio & arrogantia vehementer reiicitur à D. Bernard. in tractatu de gradibus humilitatis, in diuiſione quæ incipit, Qui enim alios ſe præcellere putat.

De præſumptione conſule Vincen. Bellua. Specu. Mora. lib. 3. par. 3. diſtin. 25.

Quid de præſumptione ſenſerint Philoſophi, lege eundem Specu. doctri. lib. 4. cap. 134. inſuper de præſumptuoſis & arrogantibus, lege eundem Spec. hiſt. lib. 17. cap. 7. & 8.

Contra immoderatos appetitus, hoc eſt vt eos frænemus, & arrogantiam atque ambitionem comprimamus, poteris applicare ſequentem doctrinam. D. Greg. ſuper illa verba, Iob 2. Qui teſta ſaniem radebat. Quid per teſtam, niſi vigor diſtrictionis? quid per ſanié, niſi fluxus illicitæ cogitationis accipitur? percuſſi ergo teſta ſaniem radimus, cum poſt pollutionem cogitationis illicitæ, noſmetipſos aſpere diiudicando mundamus. Poteſt etiã teſta fragilitas mortalitatis intelligi. Teſta ergo ſaniem mũdare eſt mortalitatis curſum fragilitatemque penſare, & putredinem miſerę delectationis abſtergere. Nam dum quiſque conſiderat quam citius cato ad puluerem redeat, feſtine ſuperat hoc quod ſe de carne intus turpiter impugnat. Cum ergo ex tentatione praua mẽti cogitatio influit, quaſi ex vulnere ſanies decurrit. Sed citius ſanies tergitur, ſi in conſideratione noſtra fragilitas quaſi in manu teſta teneatur. Neque enim paruipendẽda ſunt quæ quamuis vſque ad effectum non perꝛtrahant, tamen illicite in mente verſantur. Hinc eſt quod quaſi à vulneribus redemptor ſaniem radere venerat, cum dicebat. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quod ſi quis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Sanies itaque tergitur, cum culpa non ſolum ab opere ſed etiam à cogitatione reſecatur. D. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 22.

Item ſequentem poteris accõmodare doctrinam eiuſdem beati Gregorij ad idem inſtitutum, ſuper illa verba, ſedens in ſterquilinio. In ſterquilinio quippe ſedere eſt de ſe vilia quæpiam & abiecta ſentire. In ſterquilinio quippe ſedere eſt, ad ea quæ illicite geſſimus mentis oculos pœnitendo reducere, vt cum ante nos peccatorum ſtercora cernimus, omne quod in animo de elatione ſurgit, inclinemus. In ſterquilinio ſedet qui infirmitatem ſuam ſolicitus reſpicit, & ſeſe de bonis quæ per gratiam perceperit non extollit. An non in ſterquilinio apud ſe Abraham ſederat, qui dicebat, loquar ad dominum meum cum ſim cinis & puluis? Aperte enim cernim⁹ in quo ſe apud ſe loco poſuerat, qui puluerem ſe ac cinerem etiam cum Deo loqueretur æſtimabat. Si igitur ita ſe deſpicit qui vſq; ad honorem diuinæ collocutionis aſcendit, ſollicita intentione penſandum eſt qua pœna illi feriendi ſunt qui & ad ſumma non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur. Nam ſunt nonnulli qui cum parua agunt, de ſemetipſis magna ſentiunt, in altum mentem ſubleuant, & præire ſe cæteros virtutum meritis putant. Hi nimirum apud ſe introrſus humilitatis ſterquilinium deſerunt, & elationis faſtigia aſcendunt: illum videlicet imitãtes, qui ſe primus apud ſe extulit, ſed eleuando proſtrauit: illum imitantes, qui accepta conditionis dignitate contentus non fuit, dicens: In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum. Vnde & ei male cõiuncta Babylonia, id eſt confuſa multitudo peccantium, dicit: ſedeo regina, & vidua non ſum. Quiſquis ergo introrſus intumeſcit, in altum ſe apud ſemetipſum ponit: ſed eo ſe grauius in infimis deprimit, quod de ſe infima veraciter ſentire contemnit. Sunt vero nonnulli qui nihil quidem virtutis ſtudẽt agere, ſed tamen cum alios peccare conſpiciunt, iuſtos ſe in eorum comparatione ſuſpiciunt, & iuſtos ſe in eorum comparatione ſuſpicantur. Neque enim corda omniũm vna vel ſimilis culpa transfigit. Hunc namque ſuperbia illaqueat, hũc autem auaritia cruciat, illum vero luxuria inflammat. Et plerumque cõtingit vt is quem ſuperbia deprimit, aiium reſpiciat qualiter ira ſuccendat: & quia ſe non citius ira inſtigat, meliorem ſe iracundo iam reputat: atque apud ſemetipſum quaſi de iuſtitia extollitur, quia penſare vitium negligit quo grauius tenetur. Plerũque contingit vt is quem auaritia ſauciat, alium in luxuriæ voragine merſum cernat: & quia ſe à pollutione carnali alienum reſpicit, quibus ipſe ſordibus ſpiritalis vitij intrinſecus polluitur non attendit: dumque in alio penſat malum quod ipſe non habet, in ſe negligit conſiderare quod habet. Sicque fit vt dum ad alienа diiudicanda mens ducitur, proprij iudicij lumine priuetur, & eo durius contra aliena ſuperbiat, quo ſua negligentius ignorat. D. Gregori. lib. 3. Morali. cap. 23.

Gene. 18.

Eſa. 14. & 47.

Reſpondens autem Ieſus, dixit: neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, poſſumus. Si intelligeretis, ita petere debebatis. Quoniam in hoc mundo periculoſiſſimo viuimus quaſi in pelago vbi ſemper eſt tempeſtas, aut ſi interdum non fuerit, tamen ſemper timor eſt tempeſtatis: ſic enim & in hoc mundo viuentibus nunquam deeſt tentatio, aut ſi tentatio interdum non adfuerit, tamen timor tẽtationis ſemper adeſt, ideo da nobis auxilium gratiæ tuæ, vt non vincamur à malo, ſed ipſi omne malum vincamus. D. Chryſoſt. in non abſol. hom. 35. tomo 2.

Petitis brauium, cum nondum cucurreritis: petitis quidem coronam, cum nondum pugnaueritis. Quærebant aliis honoratiores eſſe: quo quid inuti-

Ferus.

lius,imo quid pernicioſius? Quid hic faceret pius pater? lapidem daret? ſcorpionem daret? ſed hoc contra naturam eius erat. Ideo reſpondit, Neſcitis quid petatis: quibus nimirũ verbis oſtendit paratum ſe præſtare ſi quid conducibile poſtulaſſent. Ferus ſu. Matt.

Acſi diceret, ſi ſcirent homines quid ſit in prælatione periculi, quidq; requirat Deus, & Paulus ab eo qui prælatus futurus eſt; quid demũ debeat prælatus ouibus ſuis, nemo prælatus eſſe vellet. Nam ſi placet calix aureus, potio placet amara? Palacios ſuper Matth.

Quidquid petierimus, in diuinæ voluntatis ſinũ proiiciamus, nihil abſolute volentes, præter id quod domino fuerit placitum: cum parum nobis conſtet quid craſtino futurum ſit. Roma. 8. Quid oremus ſicut oportet neſcimus. Soarezius ſuper Matthæum, tract. 10.

Cognoſcenda eſt res quæ & qualis ſit antequam petatur. Vnde errabant Iſraelitæ cũ regem ſibi dari petebant. Salomon quidem expendit quid peteret Prouer. 30. Mendiciratem & diuitias ne dederis mihi &c. Paulus non intellexerat ſatis petitionem ſuam 2. Corint. 12. Similiter & mater Salomonis non exaudita à filio, poſtea intellexit cur non fuerit exaudita. Claud. Guill. ſuper Mat.

Poteſtis bibere calicem. Perpendis quomodo ſtatim ab hac cupiditate ipſos remouit, contraria eis diſſerens? Nam vos, inquit, de honoribus & coronis cogitatis: ego vero de luctamine atque ſudore diſſero. Non premiorum hoc tempus eſt: nec illa gloria mea modo apparebit, ſed bella, pericula, & necem, præſens continet vita. Cæterum non dixit, poteſtis veſtrum effundere ſanguinem? Sed quonam pacto? poteſtis bibere calicem quem ego, &c. Vt communicatione laborum cum ipſo promptiores redderentur. D. Chryſoſt. ſuper Mat. ho. 66. to. 2.

Habent & impij calicem ſuum, patiuntur & ipſi: ſed ob malefacta: Chriſti autem calix eſt non propter malefacta pati, ſed propter iuſtitiam & veritatem. Ferus ſuper Matth.

Differentia eſt calicis Chriſti, & mundi: Calix Chriſti principio amarus, in fine ſuauis: calix mundi principio ſuauis, nouiſſima vero eius vt abſinthium. Palacios ſuper Mat.

Neſcitis quid petatis. Hic potes agere quam graue onus ſit ac laborioſum præferri aliis, ſiue prælati munus exercere: ad quod aliqua ſubiiciam & indicabo loca.

Quod prælati vita ſit laborioſa & periculoſa, quãuis magnum quidem paratum ſit ei premium qui recte & fideliter ſuum munus impleuerit: lege D. Lauren. Iuſtin. lib. de diſciplina & perfectione monaſticę conuerſationis, capitulo nono circa initium operum.

De prælaturis inuenies longe lateque patentes campos apud D. Greg. in omnibus quatuor partibus Paſtora. to. 2.

Quod prælaturæ & præfecturæ fugiendæ ſint etiam iuxta philoſophos, vide Vincen. Bellua. Specu. doctri. lib. 4. capit. 127. & quod periculoſæ ſint prælaturæ, lege eundem Spec. hiſt. lib. 14. cap. 92.

De ambitione & inſatiabili dominandi libidine, atque aliis huiuſmodi, vide Senecam lib. 14. Epiſt. ad Lucia. epiſto. 90. prope finem, & 95. prope finem etiam.

Magno errore illorum mens laborat, qui ampliſſima ambiunt imperia, & veteribus regnis noua accumulant, & tamen ſibi ipſis neſciunt imperare: cum hoc ſit omnium maximum imperium. Lege Senecam lib. 20. Epiſt. ad Luci. Epiſt. 14. prope finem, & lib. 22. Epiſt. 125. in medio.

Propter ſuum immoderatum dominandi appetitum Romani noluerunt reges, ſed elegerunt conſules. Vnde initio ſtatim multæ magnæq; obortæ ſunt ſeditiones, incommoda, & interneciones: & ipſi qui conſules creati ſunt, infelicem habuere exitum, lege D. Auguſtinum lib. 3. de Ciuitate Dei capitulo decimo ſexto to. 5.

Ambitio atque imperij libido res eſt admodum periculoſa: felicitaſque maior eſt vicinum bonum habere concordem, quam vicinum malum ſubiugare bellantem. D. Auguſt. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 15. to. 5.

Differunt inter ſe humanæ gloriæ appetitus, & dominãdi libido, in eo quod qui humanam gloriam deſiderant, in ipſa dominandi cupiditate & ambitione ſint cauti, atque prouideant ne talia agãt, ex quibus ſuæ æſtimationis & nominis gloria minuatur, & pereat. At vero imperandi cupidus cum oculos in humanam gloriam coniectos non habeat, quæcunque media, ſiue bona ſiue mala ſint, procurat ad imperium obtinendum: nõ curans omnino hominum de ſe exiſtimationem, ſed id dumtaxat, vt imperet & & dominetur: atque ita gloriæ obliuiſcitur humanæ. Lege D. Auguſtinum lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 19. tomo 5.

Cupiebant hi duo diſcipuli imperium ſupra reliquos omnes: quod ſane in omni Repub. & congregatione pernicioſum valde eſt, & punitione dignũ. Vnde cum olim vrbs quædam Græciæ Periandrum Philoſophum cõſuleret quid tandem eſſet agendum vt tranquille & quiete viueretur in ea, ſemota omni ſeditione & tumultu, is legatũ ipſum nomine Thraſibulum aſſumens, duxit eum ad fundum quendam ſuum, eumque præmonuit vt diligenter aduerteret quod erat actuꝝ. Is ergo gladiolo educto ſpicas cæteris eminentiores abſcidit, & poſtquam omnes fecit æquales, legatum ipſum dimiſit, dicens: quod vidiſti me facere, hoc eſt conſilium quo vti debet veſtra Reſpublica. Sapientiſſimum profecto exẽplum! quod declarat nil certe pulchrius & ad omnem ſeditionem comprimendam aptius in Repub. eſſe, quam animorum æqualitatem. Nam elatus animus & imperium ambiens, ſeditionis quædam eſt nutricula, & punitione dignus.

Quis non Chriſtianus omnino ambitionem omnem fugiet, ſi Epaminondam illum & litteris egregie eruditum, & armis longe clariſſimum, meminerit ita ab omni dominandi cupiditate abhorruiſſe, vt ſcribit Iuſtinus lib. 6. ſuæ hiſto. vt neceſſario cogi debuerit ad imperatoris munus ſubeundum? certe ſi minus illud aduertit quod Chriſtus ipſe dixit, & fecit: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare: at certe pudeat eum tandem poſthac honores ipſos ambire & dignitates, exemplo huius viri: qui cum par eſſet vel maximis muneribus, imparem ſe tamen etiam minimo iudicabat. Matt. 20.

Si omnes Græciæ vrbes quia ſingulæ cæteris imperare & dominari volebant, ſimul imperium perdidere, ſe inuicem vaſtando, vt Iuſtinus lib. 8. enarrat: in quem tandem putas deuenturam exitum eſſe rempub. vnam & congregationem exiguam, in qua plures principatum ambientes & gubernacula, inueniantur?

Aduerſus arrogantiam, ambitionem, & præſumptionem, lege D. Baſil. in ſuis Moralita. adnota. 120. de ſuperbia item atque æſtimatione propria, lege eũdem lib. Regula. breuio. cap. 56.

Sæpe contingit vt ambitioſi ex cæca dominandi cupiditate, atque plura quam poſſident magis magiſque

giſque habendi, etiam quæ habebant amittant, vitãque & famam, quẽadmodum Iuſtinus refert lib. 12. de Zopyro, qui cum eſſet Ponthi moderator, cupiditate tamen latius dominandi acceſſus, bellum mouit aduerſus Scythas, in quo fuit diſſipatus, & occiſus.

Inſignis illius ſummi Pontificis Damaſi tempore, quia tam multa beneficia contulit Eccleſiæ, tantum ambitio potuit cuiuſdam Diaconi, & aliorum quorundam qui ſummum pontificatum ambiebant, vt ſeditiones multas concitarit, ſtrages pepererit atque interneciones tantas, vt earum ſanguine plena templa conſpicerentur. Conſule decretum Damaſi Papæ 1. anno 371. fuit quidem hic Damaſus qui præceſſorum ſuorũ pontificum vitas & geſta cõſcripſit, & qui primus tranſlationẽ D. Hiero. confirmauit, & auctoritate muniuit, atque legendam in Eccleſia præcepit.

Quid præterea mali ex ambitione promanarit, vide. Legimus quidem Bonifacium octauum decepiſſe pontificem ſummum Celeſtinum voce quadam conficta tanquam de cælo delapſa, quæ dicebat illi vt ſummo pontificatui renuntiaret: quod ipſe ſummus pontifex vir pius ac ſanctus non intelligens dolum ita præſtitit. Cæterum qui eum decepit, vitam egit dignam ſuis dolis: quandoquidem fuit vir ſeditioſus, & in carcere ſe digno obiit. De quo illud etiam vulgatum eſt, intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus, mortuus eſt vt canis.

Sed quodnam ſcelus poterit inueniri, quod non patret ambitio, & homo honoris mundani cupidus? præſertim cũ hoc ſolo peſtifero calcari incitatus Heroſtratus Dianæ olim templum auſus fuerit comburere, quemadmodum referunt Valerius Maximus, & Theopompus: quod ſcelus inter Ethnicos omniũ fere maximum putatum eſt. Hic enim cum comprehenſus eſſet, audacter confeſſus eſt ſe crimen illud commiſiſſe, vt celebraretur eius nomen toto terrarum orbe.

Quemadmodũ ſi in dura cera variæ ſunt impreſſæ figuræ ſublimium turrium, arciumque excelſarum & caſtellorum, ignis vel ſolis calore opus eſt ad figuras illas de cera delendas: ita plane ad ambitionis atque elationis turres ex duro animo expungendas & auferendas, ignis neceſſarius eſt diuinæ gratiæ, fauoriſque cæleſtis.

Quemadmodum exhalationes quæ ex calcaria vel carbonaria educuntur, quamuis celſiſſimæ denſiſſimæque ſint, tamen facile à ventis diſſipantur & diducuntur, adeò vt ſtatim nullæ ſuperſint earum reliquiæ: ſic profecto ambitioſorũ & ſuperborum vanæ & aereæ cogitationes, quam citiſſime euaneſcunt & pereunt.

Falluntur plane ambitioſi homines putantes ſe propterea pluris habendos, quod garrulitate quadã & verborum profluentia ſeipſos oſtentent, & humiles homines, atque principatum ſua virtute meriti, omnino in angulo quodam muti deliteſcant: ſiquidem quamuis æs ſonorum magis ſit quam aurum, non tamen ideo pluris fit.

Imperandi inordinatus appetitus quem exitum ſortiatur 3. Regum 1. A. Ego regnabo.

Maximus imperandi appetitus, 3. Reg. 12. F. Dixitque Ieroboam in corde ſuo.

Attende quo tandem deueniat dominandi libido 4. Reg. 11. A. Athalia vero.

Vide in quantam crudelitatem labãtur ambitioſi 2. Paralipo. 21. B. Occidit omnes fratres ſuos.

Quo exitu conſumantur dominandi cupidi, Iudith 1. C. Miſit ad omnes.

Quod elatos & arrogantes humiliet Deus, Hiere. 22. E. F. G. Et tunc confunderis. Item terra, &c.

Vehementer execratur Ezechiel arrogantiam ca. 16. A. & 28. per totum & 29. 31, 32.

Quomodo deiiciat Deus arrogantiam. Daniel. 4. B. C. F. Videbant & ecce arbor. Item nonne hæc eſt Babylon, &c.

Quem finem habeant arrogantes, Oſee 4. B. Gloriam eorum in ignominiam.

Arrogantia deteſtabilis Iob 12. A. Ergo vos eſtis ſoli. & 13. B. Memoria veſtra. & 15. B. Quid te eleuat cor tuum.

Quantum noceat arrogantia, Apocal. 3: D. Dicis quod diues ſum, &c.

Dicunt ei poſſumus. Multi quidem inſcite ore proprio ſe laudant, quod ſententia illa iam pridem reprehendit Philoſophus Empedocles, dicens: De te ipſo laudes ne prædicaris. Horatius etiam dixit, nec tua laudabis ſtudia, nec aliena reprehendes. Phocylides, ſapientiam ne iacta, neque vires, neque diuitias: vnus eſt Deus ſapiens, potens, & omnifariam diues.

Ait illis: calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à patre meo. Quid calicis nomen, niſi paſſionis poculum ſignat? & cum nimirum conſtet quia Iacobus in paſſione occubuit, Ioannes vero in pace Eccleſiæ quieuit: incunctanter colligitur eſſe & ſine aperta paſſione martyrium: quando & ille calicem domini bibere dictus eſt, qui ex perſecutione mortuus non eſt. D. Gregor. lib. 3. Dialogorum, cap. 26.

Si adiuuante nos domino virtutem patientię ſeruare contendimus, & in pace Eccleſiæ viuimus: martyrij palmam tenemus. Duo quippe ſunt martyrij genera, vnum in mente, aliud in mente ſimul & actione. Itaque eſſe martyres poſſumus, etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à perſequente, martyrium in aperto opere eſt: ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione. D. Gregorius ſuper Euangelia, homilia 35.

Habemus in beato Stephano martyrij ſimul & opus & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in beato Ioanne: ſolum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem ſalutaris, aut corpore & mente ſimul & ſpiritu: aut ſolo ſpiritu, aut corpore ſolo. D. Bernardus, ſermo. in feſto ſanctorum Innocentium.

Non eſt meum dare ſuperbis, hoc enim adhuc erant: ſed ſi vultis illud accipere, nolite eſſe quod eſtis. Aliis paratum eſt, & vos alij eſtote & vobis paratum erit. Quid eſt alij eſtote? priùs humiliamini, qui iam vultis exaltari. D. Auguſtinus in Pſalm. 126. tomo 8.

Quod autem paratum eſt à patre eius, & ab ipſo filio paratum eſt, quia ipſe & pater vnum ſunt. Iam enim oſtendimus in hac Trinitate permultos diuinarum locutionum modos etiam de ſingulis dici q omnium eſt propter inſeparabilem operationem vnius eiuſdemque ſubſtantiæ. Sicut & de Spiritu ſancto dicit, cum ego iero, mittam illum ad vos, nõ dixit mittemus, ſed ita quaſi tantum filius eum miſſurus eſſet, & non pater: cum alio loco dicat, Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vobis declarabit omnia. D. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. to. 3. Ioan. 10. Ioan. 16. Ioan. 14.

Sed quibus paratum eſt. Scilicet victoribus, & humilibus Pſal. 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Hugo. Cardi. ſuper Matth.

Cum dixiſſent, poſſumus: non ita reſpõdit Chriſtus, Calicem quidem meum bibere poteſtis, ſed ad futuram eorum perfectionem reſpiciens, dicit: calicem quidẽ meum bibetis. Orig. ſuper Mat. tract. 12.

Non

Non fuit Christi dare gloriam illis eo modo quo ipsam petebant, videlicet ratione consanguinitatis. Diony. Carthu. super Matth.

Super illa verba, calicem quidem meum bibetis, vide D. Tho. 3. part. q. 76. ar. 2. ad 1.

Super illa verba, non est meum dare vobis, vide eundem 3. p. quæ. 58. artic. 4. ad 4. & contra gen. lib. 4. cap. 8.

Illud calicem quidem meum bibetis, copiose tractatum. inuenies apud Orig. ho. 12. super Matth.

Super illa verba, Calicem quidem meum bibetis, vide Six. Senen. Biblio. sanct. lib. 6. Annot. 93.

Super illa, non est meum dare vobis, vide Six. Senen. Biblio. sanct. lib. 6. Annot. 94.

Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Quemadmodum illi carnaliter petierunt, sic & isti carnaliter contristati sunt. Nam sicut illi spiritualiter sapuissent nō fuerant petituri vt essent super omnes: sic & isti si spiritualiter intellexissent, non fuerant cōtristandi esse aliquos ante se. Nam desiderium primatus ex iactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, & indigniorem se aliis arbitratur, secundum illud præceptum Apostolicum, alter alterum æstimans superiorem esse: nunquam desiderat superior apparere. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit. D. Chrysost. in non absolut. hom. 35. to. 2.

Filij Iacob ægre ferebant fratrem suum Ioseph sibi præferri Gene. 73. & in cœna discipuli de primatu contendebant, Lucæ 22. vide obsecro quanta sit ambitionis pestis, & quam altis radicibus serpat, & corda hominum occupet: quæ inter fratres æquales, eiusdemque vocationis, inter quos esse debebat summma concordia, excitat dissidia, & lites. Claud. Guillau. super Matth.

Ludoui. Gra. Satius fuisset, & Christianæ charitati magis consentaneum, condiscipulorum ruditati & ignorantiæ compati, quam aduersus eos indignari. Hic tamē indignationis motus vt frequentissimus apud omnes, ita maxime infestat eos qui iustitiam sectantur, & à maleficio abstinent. Qui cum tot passim fieri indigna videant, indignationis vbique materiam inueniunt: & interdum non modo in iram, sed frequenter etiam in occultam mentis superbiam, & aliorum contemptum incitantur, cum se his criminibus carere videant, propter quæ aduersus alios commouentur.

Lud. Gr. Indignationis porro causa fuisse videtur vel quod horum dignitati subinuiderent, vel quod eundem dignitatis locum sibi quisque simili errore & cupiditate deceptus ambiret. Vnde apparet ipsos quoque in eadem culpa fuisse, quam in aliis damnabant sed aliorum tamen culpam vidisse, suam vero amore sui excæcatos non vidisse. Cæcum autē omnem carnis amorem esse, veteres hoc symbolo innuebant, quod amorem non modo puerum, sed etiam oculis captum pingere soliti erant: quo significare volebant nullum iudicio & rationi locum esse, vbi vehemens aliquis amoris affectus arcem mentis occupasset. Vnde celebris illa Publij mimi sententia manauit, Amare & sapere vis Deo conceditur. Quid enim aliud sapientissimum Salomonem, nisi immoderatus fœminarum amor dementauit? Vnde quidam amantes amentibus vt nominum similitudine, ita re ipsa affines esse ait. Et ratio in promptu est. Cum enim nil humana volūtas amare possit, nisi quod boni tatis aut pulchritudinis speciem referat: quisquis iam amore incensus est, pulchrum & bonum esse iudicat quidquid amat. Cum ergo nil homo ardentius quam seipsum diligat, nil mirum si cum aliorū quos non ita diligit crimina & videat & horreat, ad sua tamen amore sui obcæcatus blande leniterque connueat. Quod intelligens Nathan propheta, cum Dauidis scelus exprobrare vellet, proposita ouis direptę parabola, facinus illud ei sub aliena persona proposuit, prudentissime intelligens aliter regem de alieno delicto, aliter de suo pronuntiaturum. Hoc igitur sui amore discipuli capti, condiscipulorum elationem & ruditatem videbant, suam vero cum eodem morbo laborarent, non videbant.

Et audientes indignati sunt. Cōtentiones nobis omnes siue rixas & indignatiōes fugiendas esse, nos docuit Anianus Philosophus egregia illa sentētia. Quicum certes etiam atque etiam vide, nam etsi tu fortis sis, est forsan alius te fortior: aut si non fortior, certe callidior, vt consilio suo tuum vincat robur.

Iesus autem vocauit eos ad se, & ait. Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Acsi dicat, vos more secularium petitis: per prælationem venire vultis ad requiem, vel regni possessionem. Humilis & mitis magister nec immodicæ cupiditatis duos arguit, nec decem indignationis & liuoris: sed conueniēti exemplo docet eos frustra immoderata quæsisse, aut istos superiorum desiderio doluisse: cum ad summa non potentia sed humilitate veniatur. Gl. ordi. super Matth.

Quasi dicat maioritas in regno meo non eodem modo acquiritur sicut in regno terreno: quia in regno terreno acquiritur per ambitionem & potestatem, sed in regno meo contrario modo acquiritur, videlicet per humilitatem. Glos. Lyra. super Mat.

Quamuis quidem differentiam esse inter sanctos denegare non possumus: tamen vt cognoscat vnusquisque si melior aut deterior sit, *nemini est concessum.* Ideo prudenter Apostolus membris corporis assimilauit sanctos Ecclesiæ. Sicut enim homo quidem intelligit quod membrum honorabile habet in corpore suo, quodque inhonestum, vnumquodque autem membrum non se cognoscit ipsum si honorabilius sit aut contemptibilius: alioqui & quæ honorabiliora sunt gratularentur, & quæ contēptibiliora sunt tristarentur: & per hoc fieret inter ea scissura. Sic differētiam inter sanctum & sanctum solus Christus cognoscit, cuius membra nos omnes sumus: ipsis autem sanctis non est concessum vt cognoscant differentiam suam adinuicem: ne meliores superbiant contra deteriores, & deteriores tristentur contra meliores, & per hoc soluta charitate inter eos discordia nascatur. Sicut pes libenter seruit oculo quasi sibi seruienti, sciens quia nisi oculus suo ministerio fuerit vsus, nec ipse suo poterit vti: & oculus libenter seruit pedi quasi sibi seruienti, sciens quia nisi pes suo officio fuerit vsus, nec ipse suo poterit vti. Sic & sancti inuicem sibi debent esse subiecti, vt minor maiori non inuideat quasi maiori, sed libenter ei obsequatur quasi maiori, sed libenter ei obsequatur quasi sibi seruienti. D. Chrysostomus in non. absolut. homi. 35. tom. 2.

Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Noli ergo timere quasi honorem tuum humilitate amittens: nunquam enim poteris tantum humilitatis ostendere, quantum pro te Dominus suscepit: cuius descensus & alios erexit, & gloriam eius manifestauit. Quare nullo pacto metuas quasi tollatur honor tuus si teipsum humiliaueris: hinc potius vel ad cælos vsque gloria tua pertransit, hinc amplior atque præstantior redditur, hinc regni ianua tibi aperitur. Si enim voluerimus magni ac mirabiles videri, non modo tales non erimus, verum etiam cæteris omnibus abiectiores futuri sumus. Quare si magnus vis fieri, hæc ipsa contemne, & eris profecto magnus. Illud enim quod tu maximum putas, minimum omnium est. Hac ratione sanctos viros maxime admiramur, qui quo cæteris erant excellentiores, eo humiliores seipsos ducebant: qui ad hunc vsque diem in sublimitate sua perseuerant, cum nec mors quidem ipsa magnitudinem eorum deprimere potuerit. Attende igitur & videbis nihil humilitate altius, nil arrogantia depressius. Nam arrogans quidem atque superbus maiorem se cæteris arbitratur, & neminem se esse dignum affirmat: nec ita magno quisquam poterit honore ipsum afficere, quin cupiditate maiori agitatus parum sibi collatum arbitretur: cumque laudem ab hominibus quærat, spernit eos atque contemnit. Quæ res adeo expers rationis est, vt ænigmati simillima sit: quos enim despicit, ab his hominibus gloriam quasi debitam flagitat. Perspicis quomodo qui se altius extollit is decidit, atque humi affixus iacet? Si ergo ita cæteros spernis, cur adulationibus laudem ab illis aucuparis? Cur tantam tecum turbam hominum circumducis? Quare è contrario qualis vere sublimis sit consideremus. Nam quantulumcunque honoris sibi tribuet is, maximum arbitratur: constans igitur est atque sibi ipsi conueniens, nec modo hoc modo illud sequitur. Sed quos excelsos putat, ab his etiamsi parum honoris nanciscatur, summopere propter celsitudinem illorum honorari se putat. Insolens autem pusillos eos esse arbitratur qui eum honorant, sed laudari se ab illis singularem omnino rem arbitratur. D. Chrysosto. super Matth. homilia 66. tomo 2.

Mirifice commendat humilitatem.

Sicut filius hominis &c. Ad hoc enim ad imaginem Christi facti sumus, vt imitatores efficiamur voluntatis eius & conuersationis. In hoc ergo sumus imago eius, vt quod ei bonum videtur, & apud nos sit bonum: & quod ei malum videtur, & apud nos sit malum. Quicunque autem domino humilitati studente, iactantiæ studet: non est imago Christi, & qui domino paupertatem amante, diuitiarum amator est in hoc seculo, repellit à se Christi similitudinem. Non est verus discipulus qui non imitatur magistrum, nec est vera imago quę similis non est autori. D. Chrysosto. in non absolu. homi. 35. to. 2.

Non venit ministrari &c. Etsi angeli ei ministraueruntvt legitur Matthæ. 4. & Martha etiam ministrauit ei, vt legitur Ioann. 12. tamen non ideo venit ministrari, sed ministrare: & tantum creuit ministrans, vt animam suam daret redemptionem pro multis qui crediderūt in eum. Origenes super Matthæum. tracta. 12.

Non venit ministrari sed ministrare. Hic magna ostenditur quidem Christi humilitas. vbi poteris commode singulare illud humilitatis exemplum quod adfert D. Gregori. intexere, cuius verba sunt. Cuiusdam Cœpiscopi mei didici relatione quod narro. Qui in Anchonitana vrbe per annos multos in monachico habitu degui t, ibique vitam non mediocriter religiosam duxit. Cui etiam quidam nostri iam prouectioris ætatis, qui ex eisdē sunt partibus, Exemplū mirabile. atteſtantur. Iuxta eam namque ciuitatem Ecclesia beati martyris Stephani sita est, in qua vir vitæ venerabilis Constantius nomine, mansionarij functus officio deseruiebat; cuius sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longe lateque tetenderat. Qui idem vir funditus terrena despiciens, toto annisu mentis ad sola cælestia flagrabat. Quadam vero die dum in eadem Ecclesia oleum deesset, & prædictus Dei famulus vnde lampades accenderet non haberet, omnino omnes lampades Ecclesiæ impleuit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit, quas allato igne succendit: sicque aqua arsit in lampadibus, acsi oleum fuisset. Sed postquam tantum miraculum audiuimus, humilitatem eius in tanta sanctitate (hoc enim est quod hic quærimus) audiamus. Quia valde igitur opinio sanctitatis eius excreuerat, multi hunc ex diuersis prouinciis anxie videre sitiebant. Quadam vero die ex longinquo loco ad videndum eum quidam rusticus venit. Eadem vero hora casu contigerat vt sanctus vir stans in ligneis gradibus, reficiendis deseruiret lampadibus. Erat autem pusillus valde, exili forma, atque despecta. Cumque is qui ad videndum eum venerat, quisnam esset inquireret, atque obnixe peteret vt sibi debuisset ostendi: hi qui illum nouerant, monstrarunt quis esset. Sed sicut stultæ mentes hominum merita ex qualitate corporis metiuntur, eum paruulum atque despectum videns, ipsum hunc esse cæpit omnino non credere. In mente etenim rustica inter hoc quòd audierat & videbat, quasi facta fuerat quædam rixa: & æstimabat tam breuem per visionem, esse non posse quem tam ingentem habuerat per opinionem. Cumque ipsum eum esse à pluribus fuisset assertum, despexit, & cæpit irridere, dicens: Ego grandem hominem credidi, iste autem de homine nil habet. Quod vt vir Dei Constantius audiuit, lampades quas reficiebat protinus relinquens, lætus concitus descendit, atque in eiusdem rustici amplexum ruit, eumque ex amore nimio constringere cæpit brachiis, & osculari, magnasque gratias agere quod is de se talia iudicasset, dicens: Tu solus es qui in me apertos oculos habuisti. Qua ex re pensandum est cuius apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amauit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerunque humiles sua despectione gratulantur. Cumque se & in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicio confirmari intelligunt quod de se & ipsi apud semetipsos habuerunt. D. Grego. lib. 1. Dialog. cap. 5.

Constantius in lāpadibus aquā loco olei ardere fecit.

Constātius humilitas magna.

Vide denique supra domini. in Quinquag.

Feria quinta post dominicam secundam Quadragesimæ.

DICEBAT *Iesus turbis Iudæorum & Pharisæorum, homo quidam erat dives, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendide. Luc. 16.* Modo inhumani diuitis & Lazari pauperis stupendas vices, pauendas successiones, conditiones admodum lamentandas, in medium producere & afferre gestimus: quia dives qui participem pauperem in bonis præsentibus audire contempsit, in futuris malis compatientem pauperem non meruit inuenire, nec ardens aquæ refrigerium percepit, æstuanti pauperi fame panis refrigerium qui negauit. Petrus Chrysologus sermo. 66.

Nunquid per se tantum diuitiæ criminosæ sunt? Quæstio. aut solæ & per se penes Deum damnandæ sunt vestes? & tantum per se puniendæ sunt epulæ, vt non solum careant præmio bonorum, sed omnium malorū ferant & mereantur exitium? Aut ita per se probata est & sanctificata medicitas, vlcera tam sacrata, vt angelorum manibus Abrahæ sancti rapiantur ad gremium? Et mirum fratres, quod Abrahā quondam dives,

Gene. 13. diues, nunc diuitem spernit, dicente scriptura, Erat autem Abraham dives valde; & eum quem habuit in bonis præsentibus parem, nunc reprobat & patitur esse pœnalem. Præsertim cum neque pauperis huius bona, neque mala diuitis istius prodiderit sermo diuinus. Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refugit & refutat? Aut quemadmodum hunc Abraham innocentem habuere diuitiæ, hunc fecere diuitiæ criminosum? illum promouere ad omnium requiem beatorum, hunc in omnium malorum barathrum deputarunt? Verum ne propositus sermo vestrum diu fatiget animum, suspendat auditum, acceleranda nobis est huius solutio

Respõs. quæstionis. Abraham fratres non sibi, sed pauperi dives fuit, & opes non habere, sed protogare gestiuit: magis magisque in sinum pauperis, quam in horreis recondere suas studuit facultates, sicut toto vitæ eius ordine perdocetur. Petrus Chrysologus sermo. 121.

Narratio magis quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur. Non otiose autem hic diuitem dominus perfunctum deliciis secularibus in perpetuæ famis apud inferos constitutum significauit ærumna. Cui non immerito quinque fratres, id est quinque sensus corporis, naturali quadam germanitate videntur fuisse sociati, qui immodicis atque innumeris cupiditatibus æstuabant. D. Ambrosius libro 8. super Lucam 16.

Neque vero omnis sancta paupertas, aut diuitiæ criminosæ: sed vt luxuria infamat diuitias, ita paupertatem commendat sanctitas. D. Ambro. lib. 8. super Lucam 16.

Hic autem dives iste non abstuliſſe aliena reprehenditur, sed propria non dediſſe: nec dicitur quia vi quenquam oppressit, sed in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo summopere colligendum est qua pœna mulctandus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur qui propria non largitur. Nemo ergo securum se æstimet, dicens, Ecce aliena non rapio, sed concessis licite rebus fruor: quia dives iste non idcirco punitus est quoniam aliena abstulit, sed quia acceptis rebus semetipsum male dereliquit. Hoc quoque fuit quod hunc in inferno tradidit, quia in sua felicitate timidus non fuit, quia accepta dona ad vsum arrogantiæ inflexit, quia viscera pietatis ignorauit, quia peccata sua redimere etiam cum sibi abundaret pretium, noluit. Et sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum: quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret quod dives qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpura indutus fuisset. Quam culpam possumus melius ex diuerso colligere, quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Euangelista vigilanter de Ioanne non diceret, Erat indutus pilis

Matt. 3. camelorum. Sed notandum nobis est magnopere, Matth. 3. in ore veritatis de superbo diuite & humili paupere quantus sit ordo narrationis. Ecce enim dicitur, homo quidam erat dives, & protinus subinfertur, & erat quidam mendicus nomine Lazarus. Certe in populo plus solent nomina diuitum quam pauperum sciri. Quid est ergo quod dominus de paupere & diuite verbum faciens, nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit, nisi quòd Deus humiles nouit atque approbat, & superbos ignorat? Vnde & quibusdam de miraculorum virtute superbientibus, Matt. 7. in fine dicturus est, Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis: at cõtra Moysi Exo. 33. dicitur, noui te ex nomine. Ait ergo de diuite, homo quidam, ait de paupere, egenus nomine Lazarus; acsi aperte dicat, pauperem humilem scio, superbum diuitem nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro. Pensandum nobis est etiam, conditor noster quanta omnia consideratione dispensat. Vna etenim res non pro vna re agitur, nam ecce plenus vlceribus mendicus Lazarus ante ianuam diuitis iacet. Qua de re vna dominus duo iudicia expleuit. Habuisset enim fortasse aliquam excusationem dives, si Lazarus pauper & vlcerosus ante eius ianuam non iacuisset, si remotus fuisset, si eius inopia non esset oculis importuna. Rursum si longe dives esset ab oculis vlcerosi pauperis, minorem toleraſſet in animo tentationem pauper: sed dum egenum & vlceratum ante ianuam diuitis & deliciis affluentis posuit, in vna eademque re & ex visione pauperis non miserenti diuiti cumulum damnationis intulit, & rursum ex visione diuitis tentatum quotidie pauperem probauit. Quantas namque hunc egenum & vulneribus obsessum tentationes creditis in sua cogitatione toleraſſe, cum ipse egeret pane, & non haberet sanitatem? atque ante se diuitem cerneret saltem & delicias habere cum voluptate, se dolore & frigore affici? Illum gaudere conspiceret, byſſo & purpura vestiri, se deprimi vulneribus? Atque insuper videbat procedentem diuitem obsequentibus cuneis circumfulciri, & se in infirmitate & inopia à nullo visitari. Nam quod nemo ei ad visitandum adesset, testantur canes, qui licenter eius vulnera lingebant. Ex vna ergo re omnipotens Deus duo iudicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante ianuam diuitis iacere permisit: vt & dives impius damnationis sibi augeret vltionem, & tentatus pauper cresceret ad remunerationem. D. Greg. in Euangel. homilia 40.

Neque dives aliena rapuisse, sed infructuose propriis vsus fuisse perhibetur: eumque post hanc vitam vltrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato vsu totum se licitis tradidit. Admonendi sunt tenaces vt nouerint quod hanc prima iniuriam faciunt Deo, quia danti sibi omnia nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc enim Psalmista ait, Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Pretium namque redemptionis dare, est opus bonum præuenienti nos gratiæ reddere. Hinc Ioannes exclamat, dicens. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Qui ergo se innoxios quia aliena non rapiunt æstimant, ictum securis vicinæ præuideant, & torporem improuidæ securitatis amittant: ne cum ferre fructum boni operis negligunt, à præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis exsecentur D. Gregorius 3. parte Pastora. Admoni. 22.

Psal. 48. Luc. 3.

Epulabatur quotidie splendide. Discipuli quidẽ Christi esurientes, cæperunt vellere spicas, cum maxima premerentur fame. Vbi tu qui opulentis opiparisque ciborum generibus vteris, maximo deberes pudore suffundi, & discere horum exemplo carnis delicias, & multitudinem ciborum contemnere. Cæterum cum carnem tuam ita delicate & tantis ciborum generibus pascis, considerare debes quod eam seruas & saginas vt esca sit & cibus immundis vermibus. Qua certe in re valde ei similis es, qui amicis suis volens parare conuiuium, multis retro diebus anseres saginat, vt in diem conuiuij valde pingues sint: ita nimirum tu qui tam delicate, tanta cura & solicitudine, carnem tuam pascis, vermibus eam seruas, quasi vel nobiles aliqui sint viri, vel familiares tui. Plusquam insanus es, si cum in hac vita in continuo sis bello, & in medio inimicorum ambules,

Matt. 12.

Simile.

ambules, inimicis tuis arma tribuis, vt ab eis vincaris. Nonne vides quod carnem tuam ita pascens, & ei multos tradens cibos, tribuis illi vires ac robur quibus aduersus te insurgat, & ipsa sibi spiritum subiiciat? His armis caro Holofernem truncauit, & Amnon filium Dauid interfecit. Tolle inimico arma, si eum vis vincere: ab abstinẽte porro & sobrio procul fugit dæmon. Vnde beatus Petrus admonet, dicens, sobrij estote &c. & Paulus ait, Non in comessationibus. Neque solum varia vitia accendit in

1 Pet. 5. Rom. 3. gluuies, sed omnium quoque virtutum studia enecat, & omnia spiritualia exercitia agrauem & ineptum hominem reddit. Ad quod probandum D. Hiero. Galenum medicum testem citat, his verbis. Galenus, vel doctissimus Galeni interpres, ait eos quorum vita & ars sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasque ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nil tenue, nil cæleste, sed semper carnalia eructare, & ventris ingluuiem cogitare. Vnde & Christus dixit, Attendite ne gra-

Lucæ. 21. uentur corda vestra crapula & ebrietate.

Maxima est vtilitas huius Euangelij, quandoquidem ex eo incutitur timor diuitibus auaris, & consolatio datur pauperibus patientibus. Cæterũ quis non deciperetur videns tam diuersos exitus, & funerum procurationes? Siquidem videas & nunc in sepultura diuitis multa magnificentissima funalia & maximi pretij, longissimam cateruam lugubrem, audias multos ac varios cymbalorum sonos, varios sacerdotum & religionum concentus, innumerabiles missas, responsoria varia miris modis subtilissimisque numeris decantata, ita vt videatur dives in cælum cum tanto concentu statim inferendus. At vero huic diuiti aliter contigit, nam sepultus est in inferno. Quis porro mundanus credidisse Lazarum mendicum, in loco infimo mortuum, pannis obsitum, & vix traditum sepulturæ, tam sine vllo comitatu, sine facula, sine luctu, in sinum Abrahæ transferendum? At translatus est: dives vero in supplicia sempiterna.

Induebatur purpura & byſſo. Quod vestes pretiosæ quæ Deo magis placent, sint ipsæ virtutes, lege Lauren. Iusti. lib. de institutione & regimine præla. cap. 16. inter medium ac finem operum.

Qualia esse debeant ornamenta mulierum, & qualia fidelium animarum, lege eundem lib. de humili. cap. 11. prope finem operum.

Super illud, & epulabatur quotidie splendidè, vide doctissimum Philonem Iudæum in libro qui inscribitur de temulentia, vbi doctrinam inuenies accommodatam ad reprehendendam intemperantiam.

Quinam vestitus conueniens sit homini Christiano, vide D. Basi. lib. regula. fusius disputatarum cap. 22. to. 2.

Consule D. Ambro. lib. 3. epistо. epis. 10. ad Simplicianum, mirè de veteris diuitiis ac paupertate differentem.

Quod hoc tempore maior iam inter homines sit cura de ornamentis ac phaleris mularum & equorum, quam de pauperum indumentis: & quod non simus expulsi in hanc lachrymarum vallem, vt deliciis mundanis immergamur, & debachemur: quod que in præsenti seculo non sic nobis indulgere debeamus, vt in futuro nobis iure dicatur, Recepisti bona in vita tua: multa reperies apud D. Bernar. in Declamatio.

De vestibus honestatis ac religiosis procurandis lege D. Hiero. in regula monachorum tomo. 4.

Vestes prophanæ reprobantur apud August. de temp. ser. 247. to. 10.

Quod vestes esse debeant moderatæ atque honestæ vide Vincen. Bel. Specu. Mora. lib. 1. p. 3. dist. 102.

Quod vestes & ornatus esse debeant moderati, & cuiusque statui congruentes, lege eundem Spe. Doctri. lib. 11, cap. 1. 2. 3. 4. & 5.

Quid antiqui philosophi senserint hac de re, lege eundem Specu. Doctri. lib. 4. cap. 101. & 102.

Pudeat te ô Christiane legens Ethnicum Senecam contra huiusmodi ornatum prophanum & immoderatum ita dicentem. Nunquid non pelles ferarum & aliorum animalium à frigore satis abũdéque defendere nos possunt? nonne arborum corticibus multæ gentes corpora tegunt? nõne auium plumæ in vsum vestis conferuntur? nonne magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia, & imperuestrabilia à ventis sunt? Non fuit tam inimica nobis natura, vt cum cæteris animalibus benigna ea in re exiterit, nobis tantum improuida fuerit. Vide Senecam lib. 14. epistо. ad Luci. epis. 91.

Ridiculum plane est homines sese de vestibus iactare, velléque vt propter eas honore afficiantur. Siquidem nec bonum nec malum vagina gladium facit. Vide eundem Senecam lib. 14. epis. ad Luci. epis. 93.

Quam noceant indumenta prophana & inhonesta Esa. 3. C. pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion.

Indumenta prophana quantum noceant Apoca. 18. E. væ. ciuitas illa magna.

Verus Christiani ornatus consistit in virtutibus; & non in veste corporis splendida, vide August. epis. 73. to. 2.

Perracha asserit indumentum molle & pretiosum nimis, esse superbiæ vexillum, & sensualitatis, nidum.

Videntur quidem excusabiles aliquo modo mulieres circa ornatus excessum, præsertim si id faciãt vt suis viris placeant: at verò ornatus nimius in hominibus, nullam habere videtur excusationem. Vide D. Cypri. de disciplina & habitu virginũ epis. 13.

De vestium honestate & moderatione vide etiã D. Basi. lib regula. fusius disputatarum cap. 22.

Scythæ quidem qui & Tartari appellantur, vestibus ex lana non vtuntur, sed pellibus ferarum cæterorumque animalium vestiuntur, & vitam longissimam ducunt: nos vero delicatissimis vtimur vestibus, & tamen vix viuere possumus. Lege Iustinum lib. 2.

Inter alias quidem leges quas Lycurgus ille Lacedemoniis tulit, vna fuit, qua noua vestium adinuenta prohibuit, & ne plures quisque vestes præter vnam haberet, ac denique vt omnes æqualiter induerentur. Næ si tales nunc leges seruarentur, varia damna euitarentur. Lege Iustinum lib. 3.

Inter aliaque Pythagoras Philosophus monebat, vt scribit idem Iustinus lib. 20. hoc vnum erat, posterorum memoria dignissimum: nempe vt vitarentur superfluii sumptus, & excessus in ipsis vestibus, nam vanitatem sapere dicebat, & dementiam quandam arguere.

Antistheries cũ gloriosissimè iam docuisset Rhetoricam, audissetque semel Socratem, dixisse fertur discipulis suis: Abite, & magistrum quærite: ego enim iam inueni. Statimque venditis quæ habebat, & publicè distributis, nihil sibi præter palliolum reseruauit, vt author est Xenophon in Simposio. Vide D. Hiero. lib. 2. aduersus Iouini. to. 2.

Deus primis parentibus non dedit pretiosas vestes, volens significare fugiendas esse delicias siue immoderatos vsus vestium: deligendámque esse

inopiam potius,quam copiam vestiũ, asperitatem, magis quam voluptatem. Secus faciunt nostro seculo, qui non inuenientes satis accommodatum suo arbitrio pannum communem,Bombycino, texto Attalico,& consimilibus vtuntur indumẽtis. Nõ id consuluit D. Pau.1. ad Timo.6. cum dixit,habentes alimenta,& quibus tegamur, his cõtenti simus. Vide D. Chrysosto.super Gene.ho.18.to.1.

Cum excessus & immoderatio in vestibus exsuperbia fere aut vanitate ortum habuisse videantur, pudore plane perfundi debent qui eam rem in consuetudinem ducunt: præsertim cum leuitatis notam effugere omnino non possint.Est enim leuissimi hominis talem habere consuetudinem, seque iactare,vt quidam faciunt,quod in his rebus prodigi admodum sint:cum potius pauperibus ea eroganda sint, qui nudi incedunt, & extrema coguntur inopia, ac coangustantur. Lege. D. Chrysosto. super Gene.ho.37.to.1.

Eò dissolutionis deuenit iam hæc immoderatio, vt qui eam effugere studeant, irrideantur à prodigis & immoderatis: qui scilicet ignorant, aut nolunt intelligere, verum ipsum ornatum ab indumento potius animi,hoc est à virtute, quam ab indumentis corporis esse indicandum. Vide eundem ad popu.ho.19.to.5.

Si tibi placet exterior corporis cultus, reuoca iam tandem oculos ad ornatum animi, & videbis quanto delectabilior & speciosior sit. Compara vestes alias cum aliis, & videbis tibi omnino vilescere corporis cultum immoderatum debere, atque solo interiori ornatui incumbendum esse.Præsertim cũ hunc nulla temporis diuturnitas tibi depopulari possit, illum vero quam citissime vel tineæ ipsæ corrodãt.Vide eundem ad popu.ho.21.& 24.to.5.

In mulieribus quidem maxime viget hæc vestiũ immoderatio: quæ longe quidem antiquora, exemplo sanctarum mulierum,animi ornamenta, quam corporis habere deberent: efficeréque vt pauperes alerentur ex huiusmodi tanta superfluitate. Quid quęso prodest corpus ipsum esse magnifice ornatũ & quasi varie depictum, si anima deformis sit, incompta, atque impolita? & certe vix fieri posse videtur, vt in tanta ac tam immodica corporis cura, supersit aliquod animæ studium & vigilantia. Vide eundem super Gene.ho.37. to.1.

Super illa verba.epulabatur quotidie splendide, manifestum est agi posse de vitio gulæ & intemperantiæ.Quod vitium quam noxium sit atque lethale, vide D.Bernar.lib.de interiori domo cap. 46. & incipit: Nullus homini tam improbus exactor est, circa finem operum: & lege etiam cap.59.

Duas composuit conciones D. Chrysost. alteram quæ inscribitur contra luxum & crapulam, alteram contra gulam & cæteras corporis voluptates, circa initium to.5.

Quendam habet D. Leo Papa dialogum inter gulam ac temperantiam circa medium operum.

De gula & intemperantia consule, Vicen. Bell. Spec.Mora.lib.3.p.8. dist.1.

Quid Philosophi senserint lege apud eundem Specu. Doctri.lib.4.cap.155.& 156.

Gula & intemperantia quantum noceant viris studiosis,& his qui sese virtuti mancipare volunt, vide Senecam lib.2. epist.ad Luci.epist.15.

Gula & intemperantia adeo turpissima sunt, vt his dediti inter bruta animalia connumerari posse videantur,vt dicit Sallustius, & refertur à Seneca lib. 8.epistо.ad Luci.epist.61.

Non ad tollendam,sed ad irritandam famem & sitim tot condimenta & intrituræ adinuentæ sunt. Vnde pallor,& neruorum vino madẽtium tremor, miserabiliórque quã ex fame macies: inde incerti labentium pedes, inde multi morbi, multáque vitia: quæ mala vna temperantia curat.Miraris tantam morborum varietatem: coquos numera,& nó miraberis.Deus bone,quantos homines vnus venter exercet,atque fatigat!Lege Senecam lib.15.epist. ad Luci.epist.96.

Vtrum hic panis sit plebeius siue secundarius, an vero lectissimus, ad naturam nil pertinet, quæ ventrem non delectari vult,sed impleri. Vtrum hic potus sit etiam multa arte refrigeratus, natura non videtur curare,sed id tantum quærit, vt sitis extinguatur.Vide eundem lib.21.epist.ad Luci. epist. 120.

Malum panem hunc esse inquis,bonum quidem eum tibi fames reddet: quare famem expecta, neque ante edas quam ea impetet.Vide eundem li. 22.epist.124.

Sunt qui varias regiones peragrent,& maria tranent, vt pretiosos atque lautissimos quoq; adquirant cibos: sed cur tanta ad eam rem solicitudo adhibetur?passim quidem accommodata alimenta natura distribuit, & ad sedandam famem aptissima, & saluberrima. Lege eundem libro ad Albinam matrem de consola.cap.9.

Cupiditati nihil est satis, naturæ etiam parum satis est:nulli tam inops exilium est,quod non alendo homini fertile satis sit. Necessariis rebus exilia sufficiunt, superuacuis nec regna quidem amplissima. Animus ipse est qui diuitem quemque facit.Vide eundem lib.ad Albi.matrem de conso.cap. 11.

Res quidem delectabilis est paupertas his eius præstantiam bene norunt,quique superflua ac superuacanea sibi amputant. Plato quidem tres tantum seruos habebat.Homerus vno contentus erat. Zenon nullum etiam habebat. Lege Senecam lib. ad Albinam matrem de conso.cap.12.

Gula est ianua ad luxuriã Iere. 5. B. Saturaui eos & mæchati sunt.

Gula periculosa tum corpori tum animæ Ecclesiastici 23.A. aufer à me ventris concupiscentias.

Gula noxia valde Eccles.37. D.noli auidus esse in epulatione.

Quot mala sequantur ex gula & intemperantia 1. Regum,2.C.& mittebat eam in lebetem.

Voracitas detestabilis Esa.5.C.væ qui consurgitis mane ad ebrietatem.

Gula noxia Esa. 22. D.comedamus & bibamus:

Gula letalis Esa.28,B. verum hi quoque.

Lurcacitas & ingluuies abominabilis Esa.56.D. venite sumamus vinum.

Quem finem habeat intemperantia & voracitas Dani.5. A.Balthasar rex.

Intemperantia pernicioſa Ioëlis 1. B. expergiscimini ebrij.

Intemperantia execrabilis Eccles.31.B.C.D.supra mensam magnam.

Quantum noceat voracitas Eccles. 37. D. in multi enim escis.

Epictetus philosophus dixit,conuiuia cum extraneis ac vulgaribus respue.Aristarchus,citra delectum potatorum turbæ ne te immiscеas: hominis est enim impudentis,& parum cordatis. Epictetus, Inter epulandum considera duos tibi excipiendos conuiuas, corpus scilicet, & animũ:tum quod omne in corpus collatum statim rursum effluxurum sit, quod autem in animum,perpetuo seruandum. Sertorius,ne quid in conuiuio præter decorum vel facias vel dicas:à iurgiis autem & obscænitate præsertim te temperato.

Vibe porro Petrum Chrysologum, qui tibi plura

ra etiam accommodata suppeditabit sermo. 104. de quodam alio auaro diuite.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat:sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. At diues variis crapulatus ferculis indigeriem suam ructabat ad cælum,ne vocem pauperis humi& taliter iacẽtis,audiret. Itémque Deus quia odoratis auribus vnius oris nil erat vox clamantis ad aperiendum cor diuitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in admonendo diuite tot essent pauperis era,quot vulnera. Soluũt viscera, vlcera ꝓducũtur, hiatus vulnerũ dilatatur, sanies effunditur, & tota pauperis caro componitur in scenã pictatis; vt quem vox esurientis nõ mouerat; vel suspiria, vel dolores,gemitus,& tota ærũnarũ cõgeries cõmoueret.Sed diues superbo oculo, & insatiabili corde,hæc omnia & audire,& videre, & sentire cõtemnit.Quærit adhuc Deus quemadmodum diues à sua obstinatione soluatur.Soluit pauperi manus à sui suis artubus, vti nec abigeret canes diuitis,quos vulneribus suis diuitis erat pastura vulnus:& nouo modo fratres, humanitatis ordo mutatur,fit humana mendicitas,vt cupiditas prodatur inhumana.Diues pauperem nec cadenti bus de mensa micis pascit,& Lazarus pauper quia aliud nõ habebat,etiã de carnibus suis canibus humanus extitit.Miser diues, si panem non dedisti, quare vel canes abigere noluisti? Sed mitiores te canes tui, imo tu fœuior canibus tuis. Nã re seuiẽte, illi parcunt:qui non ad morsum dentes,sed linguas ad obsequiũ sic producunt,vt in modum spõgiæ non vexent vulnera,sed detergãt,Petrus Chrysologus sermo.121.

Vide quã elegãter & subtiliter dicat.

O felicia vlcera,quæ perpetuum excludũt dolorem! ó vberes micæ,quæ repellitis ieiuniũ sempiternum,& quæ colligentem pauperem æternis expletis alimentis!D.Ambro.lib.8.super Luc.16.

Autor. *Et nemo illi dabat.* Domestici omnes diuitis asperi non secus esse debebant, immites, & immisericordes, quam erat diues ipse: siquidem tales fere sunt famuli,quales heri. Si ipse misericors est, ita domestici, si immitis & cruderis; famuli item cum imitantur.

Autor. In magnã quidem miseriam deuenit diues,quã doquidem necessitas cum compulit mẽdicare alibi,& stipẽ petere ab eo qui ab ipso hic petiuerat, & cui ipse non dederat: & nihilominus non obtinet quod petit, sed eadem mensura ei mensurabitur, qua mensurauerat.Petit aquæ guttam,non cõsiderans, quia panis micam negauerat. Cæterum aduerte quod non minus in petendo fuit parcus, quam fuerat in dando: nam qui negauerat panis micam,petiuit aquæ guttam.

Matth.7.

Factum est autem vt moreretur mendicus,& portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. En fratres quam rerum lamentanda mutatio!pauperem portant angeli, diuitem deglutit infernus.En fratres,mors pauperis totam vitam diuitis vicit:& elatio sola pauperis,totam diuitis pompam transcendit & gloriam. Quare sic sepultura decipit oculos? quare sic exequiarũ pompa mẽtitur? in obsequiũ diuitis migrat hic tota ciuitas, cum funus effertur: pauper vadit solus,pauperem duorum portat miseratio baiulorũ; nec quatuor vt mortuo,sed duo sub vno vecte qua si proiiciendo oneri portitores addicuntur inuiti. Merito ei mox angelica officia, merito diuina deputantur obsequia:cui tam crudeliter negata sunt ipsa humanitatis extrema.Funus diuitis antecedit lugubris turba seruorũ:pheretrũ pauperis præcedit angelorum psallentium multitudo.In marmoreo tumulo & curata veste iacet diuitis corpus in clusum, pauperis caro naturali quiescit in limo,& materiali situ vermiũ morsus nescit, prœuenit putredines & fetores. Petrus Chrysolo.sermo.121.

Portaretur ab angelis. Corpora etiam gloriosa dicuntur ferri baiulis angelis, & etiam in nubibus: non quasi eis indigeatur, sed ad reuerentiam designandam quæ corporibus gloriosis & ab angelis, & ab omnibus creaturis defertur.D.Thom.4.senten.dist.44.q.2. ar.3.quæstiun.1.ad.1.

In sinum Abrahæ. Animę hominum post mortem ad quietẽ peruenire non possunt nisi merito fidei, quia accedentem ad Deum oportet credere Heb. 11.Primũ autẽ exemplum credendi hominibus in Abrahã datur,qui primus se à cœtu infidelium segregauit, & speciale signum fidei accepit: & ideo requies illa quæ hominibus post mortẽ datur, sinus Abrahæ dicitur,vt patet per August.12. super Gene. ad literã ca. 34. sed animæ sanctorum post mortem nõ omni tempore eandem quietem habuerunt,quia post Christi aduentum habent plenã quietẽ,diuina visione perfruẽtes,sed ante Christi aduentum habebãt quidẽ quietem per immunitatem pœnæ,sed non habebant quietem desiderij per consecutionem finis. Et ideo status sanctorum ante Christi aduentum potest considerari & secundum id quod habebat de requie, & sic dicitur sinus Abrahæ.Potest etiam cõsiderari quãtum ad id quod eis de requie deerat,& sic dicitur lymbus:lymbus ergo inferni & sinus Abrahæ fuerunt ante Christi aduẽtum vnũ per accidens, & nõ per se:& ideo nil prohibet post Christi aduentum esse sinũ Abrahæ omnino diuersum à lymbo, quia ea quæ sunt vnum per accidens,separari cõtingit. D. Thom.in 4.senten.dist.45.q.1.ar.2.in corpo. & ad 1.& 2.Vide etiam eundem 3.p.q.52.ar.2. ad.4.

Gen. 17.

Sicut requies sanctorum patrum ante Christi aduentum dicebatur sinus Abrahæ, ita & post Christi aduẽtum,sed diuersimode:quia enim ante Christi aduẽtum sanctorum requies habebat defectum requiei adiũctum, dicebatur idẽ infernus, & sinus Abrahæ,vnde ibi nõ videbatur Deus. Sed quia post Christi aduẽtum sanctorum requies est completa, cũ Deum videant: talis requies dicitur sinus Abrahæ,& nullo modo infernus.Et ad hunc sinum Abrahæ Ecclesia orat fideles perduci, cum dicit,in sinu Abrahæ Patriarchæ tui iubeas collocari. Cæterum hic loquendi modus, quod cælum dicatur sinus Abrahæ,est D. Aug.lib.9.cõfes. ca.3. vbi dicit dilectũ suum Nedibriũ iam esse vita defunctum, & eius animã Deo frui in sinu Abrahæ.

Simile.

Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Miser accepit ante animæ quam corporis sepulturam: nec ante quieti corporis, quam pœnali traditus est sepulchro, vt viuat pœnæ semper,cùm sit semel mortuus vitæ. Petrus Chrysologus sermo. 124.

Quendam composuit sermonem D. Chrysostom. cuius titulus est, de præmiis sanctorum, & de gehenna,si sit,& vbi sit,in fine to.3.

Si vis agere quænam sit differentia inter mortem bonorum,& mortem impiorum, quos felices mundus appellat, vide D.Hie. epistо. ad Marcellam de exitu Leæ in medio tom. 1.

De igne inferni & eius pœnis vide Orige.lib.2. periarchon cap.11.prope finem to.4.

Vide D.August. ad fratres in eremo sermo. 26. & 68. circa finem to. 10.

Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis: vidit Abraham à longe, & Lazarũ in sinu eius. Gratis respicis

modo Lazarum ſurſum, q̃ ante deorſum Lazarũ videre deſpexit. De talibus dixit propheta, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. *Cum eſſetin tormentis.* Pungit pœna quem nõ pœnitudo compunxit, & vexant tormenta quem Lazari vulnera non mouerunt: nec gratis aculeos percipit pœnarum, qui in purpura volutabatur ingratus. *Vidit Abrahã à longe.* Longe illi erat Abraham, cui non fuerat proximus pauper. Vidit Abraham diuitiarum conſortem, ſed inhumanitatis exortem: & Abrahã diues, ſed plus humanitate quam cẽſu: tu diues inhumanitate tua maior tuis diuitiis extitiſti. Abrahã ſibi peregrinus, ciuis hoſpitum fuit, tu palatia poſſidens tectum pauperi nõ dediſti, Abraham dũ ſeruos ſuſcipit, dominum ſic recepit. & cũctis hominibus ponẽs panes, ipſum dominũ ſuã ſuſcepit ad mẽſã. Tu dũ ſingulari pauperi negas micas, ſtillã. refrigerij perdidiſti. Petrus. Chryſologus. ſerm. 66.

Sero diues ſurſum leuat oculos ſuos, quos ſemper depreſſit in terram. Diues quos oculos leuas, ipſi ſunt accuſatores tui: quos oculos leuas, ipſi nõ placant iudicem, ſed inflammant: non reportant veniam, ſed reatum, & exigunt penarum cumulum, non ſolamen. Quo oculos leuas? Quid clamas adhuc diues? Quo reſpicis diues, ibi eſt Lazarus, ibi eſt impietatis tuæ proditor, teſtis criminis, crudelitatis aſſertor. Petrus Chryſolo. ſermo. 122.

Vidit Abraham. Vident mali gloriam beatorum, vt ſicut propter perfectam ſanctorum beatitudinem nihil erit in beatis q̃d non ſit gaudij materia ita nil ſit in damnatis quod non ſit eis materia & cauſa triſtitiæ, nec aliquid quod ad triſtitiam pertinere poſſit, deerit, vt ſit eorum miſeria conſummata. Vide Vide D. Thom. 4. ſenten. di. 50. q. 2. ar. 2. per totum.

Damnati in inferno exiſtentes poſt diem iudicij memores erunt gloriæ ſanctorum, quam ante iudicium, & in iudicio viderunt: & ſic cognoſcent hos eſſe in maxima gloria, quamuis non videant ipſos beatos, nec eorum gloriã, & ita inuidia torquebuntur: & ſic afflictio quæ eſt in eis nũc ex tali viſione, manebit viſione ſublata: de quo etiam magis dolebũt, videntes ſe eſſe viſione ſanctorũ indignos reputatos. D. Thom. quoli. 8. q. 7. ar. 16. ad 2.

Et ipſe clamans, dixit. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aqua, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Sic clamat ibi, qui hic clamantes contempſit audire: ibi caſſa vox eſt, iſtic inanis eſt clamor. Audi prophetam dicentem: in inferno autem, quis confitebitur tibi? In inferno quis miſericordiæ locus? In tormẽtis quæ ſpes veniæ? & in hora ſententiæ, tempus indulgentiæ quis requirit? *Pater Abraham.* Crudelis fili quã miſericordiam petis? quã tibi negãdo, pauperi tu negaſti? *Et mitte Lazarum.* Miſer fili ſi Lazarus ad tuam menſam veniſſet, tu ad iſtum diſcubitum nõ veniſſes. *Vt intingat.* Qui claudit manum pauperi, extremi ſtipẽ digiti ſic depoſcit: & ſitit aquæ guttam, qui vini lacus ne guttam daret, incluſit. *Extremum digiti ſui.* Qui diuitias ſuas non miſerando pauperi dedit, ſibi miſericordiam ſic minorat. *Vt refrigeret linguam meam.* Quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune? ſed lingua plus ardet, quæ miſericordia vt fieret iubere neglexit pauperi. In lingua maius ſentit incendium, quæ maledixit pauperi: miſericordiæ contradixit lingua in tormentis. Prima enim eſt, quæ derogando pauperis blaſphemauit autorem. Petrus Chryſolo. ſermo. 66.

Adhuc tu in Lazarũ ſic crudelis? *Mitte Lazarum.* Quo? Ad infernum de gremio, de ſolio ſublimi ad pfundiſſimũ chaos, ad tormentorũ ſtridorẽ de ſancta quiete & de tanto ſilentio beatorum. Vt video quod agit diues non eſt nouelli doloris, ſed liuoris antiqui: & zelo magis incenditur, quam gehenna. Eſt graue illis malum, eſt incendium non ferendum, quos aliquando habuerẽ contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deſerit, quem iam poſſidet pœna: qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat, ſed ad ſe Lazarum vult deduci. Ad cruciatus tui ſtratum diues, pius Abraham Lazarum mittere non poteſt: quem tu ad menſam tuam non es dignatus admittere. Iam vobis verſæ ſunt vices: vides eius gloriam, eius ſupplicium ſic ſpreuiſti: videt ille cruciatus tuos, qui te tunc tua mirabatur in gloria. Nunc porro magis lingua tua vritur, ardet, æſtuat, quæ inſultauit pauperi, & quæ miſericordiam denegauit. Hæc præcedit ad iudicium, hæc ante deguſtat & patitur cruciatus, hæc de toto corpore prima ſentit ardorem: quæ cum prima hic varios deliciarum cibos, & odorata deguſtaret pocula, mandare pietatem noluit, fieri miſericordiam non præcepit: ſed & ipſa cum alij facerent, derogabat. Ipſe eſt qui induebatur purpura & byſſo Quid eſt diues? ab æſtu byſſus non defendit? purpura non reſiſtit inferno? Remanſerunt iſta, deſeruerunt te iſta, & ipſe nunc nudus ſudas. æſtuas qui aliquando inſultabas æſtibus artificioſa nuditate veſtitus. *Vt intingat extremum digiti.* Quid eſt diues? vbi ſunt torrentes torcularium tuorum? vbi ſunt horrea ad famem pauperis non minus cupiditatibus dilatata, quam copijs? vbi ſunt vina ad inopiam pauperis annoſitatibus & ipſa temporum obliuione ſeruata? vbi ſunt effuſiones, lapſus, flumina miniſteriorum tuorum? Iſta omnia tibi periere, qui nunc ſitis extremi digiti guttã, quam ſi vel ſolam dediſſes pauperi, non ſitires. Immiſericordem te gutta, & mica reddidit inhumanum, ex quibus totus pauperis & victus conſiſtit & vita. Velim ſcire dues ſi vel ipſe tibi in pœna poſitus ignoſcis, quia ad hæc mala non veniſſes, ſi de tantis horreis micam, guttam de tantis torcularibus, tunc dediſſes. Parũ eſt quo caro eget, quod natura exigit, quod ſufficit vitæ: auaritia cauſa eſt quod homo multa & magna recondit, non ſibi, ſed aliis, ad ſuum plane præſentem, vel poſterum cruciatum. Sed dicis diues, ego etſi vinum negaui, aquam peto: quã communem cũctis animantibus autor ipſe omnium præſtitit, & natura. Puto diues quod & aquã pauperi tu negaſti, cui ne ingrederetur ianuam tuam, ne ad tuum puteum peruenire, canes quãplurimos obieciſti. Petrus Chryſolo. ſer 122.

Quare lingua magis vratur.

Quanta eſt ſubtilitas iudiciorum Dei! ô quam diſtricte agitur bonorum actuum malorũmque retributio! Certe ſuperius dictum fuit quia in hac vita Lazarus cadentes micas de menſa diuitis quę rebat, & nemo illi dabat: nunc de ſupplicio diuitis dicitur, quia de extremo digito Lazari diſtillari aquã in ore ſuo cõcupiſcit. Hinc ergo, hinc fratres colligite, quanta ſit diſtrictio ſeueritatis Dei. Diues enim iſte q̃ vulnerato pauperi mẽſæ ſuæ vel minima dare noluit, in inferno poſitus vſq; ad minima quærenda peruenit. Nam & guttam aquę petiuit, qui micas panis negauit. Cæterum quia abũdare in conuiuiis loquacitas ſolet, is qui male conuiuatus hic dicitur, apud infernum grauius in lingua ardere perhibetur. Prima námq; male cõuiuãtibus famulatur culpa loquacitatis, poſt loquacitatẽ vero ludẽdi etiã leuitas ſequitur. Nã quia edacitatem luſus ſequatur, teſtatur ſacra ſcriptura, quæ ait. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt

xerunt ludere. Sed priuſquam ad luſum moueatur corpus ad iocoſa & verba inania mouetur lingua. Quid ergo eſt quòd innuitur quia in tormentis poſitus diues linguam ſuam refrigerari poſtulet, niſi quod is qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat, per retributionis iuſtitiam in lingua atrocius ardeat? D. Grego. in Euãge. ho. 40. *Pater Abraham miſerere mei & mitte Lazarum.* Chryſoſtomus concione tertia de Lazaro & in pleriſque alijs homilijs cohortans auditores ſuos ad ſacrorum voluminum lectionem, ſententiis aliquot vtitur, quibus noſtrorum temporum hæretici ſuadere conãtur ſcripturas ſcilicet ſanctas in omnes omnium gentium linguas tranferri oportere, vt à populo rudi queant ſine vllo diſcrimine legi, & ſine labore intelligi. Nil enim aiunt impedimento eſſe quin diuinę ſcripturę ab omnibus vel indoctis intelligantur, niſi peregrinæ linguæ ignorantiam. Cæterum ad id quod hæretici contendunt vertendas eſſe diuinas literas in maternam cuiuſque nationis linguam, quia olim hoc ipſum factũ ſit ingenti Eccleſiæ beneficio: reſpondetur ineptũ eſſe huiuſmodi argumentum. Multa enim alias inſtituta ſunt in communem reipub. vtilitatem, quę cum poſtea incommodum & periculũ adferrent, abrogata ſunt. Agebantur olim ex Eccleſiæ inſtituto ad ſepulchra martyrũ nocturna peruigilia, magna ſacrorũ virginum, monachorum, aciſeculariũ hominum frequentia: at cum inde paulatim flagitia multa fæda ac turpia prodire cepiſſent, ſublata omnino ſunt Elibertini concilij ſanctione. Dabatur aliquãdo vt ex 6. lib. Euſebianæ hiſto. cap. 33. & ex quinto Theodoreti volumine cap. 18. cõſtat, Euchariſtiæ ſacramẽtum in manus fideliũ: ſed deprehenſis multis qui id tractarẽt indigne, & q̃ ad magicas vanitates occultatum domi furtim aſportarent, cõſuetudo illa abolita eſt. Fatemur ergo & nos quódam ſacros libros vulgari idiomate reddi tos magna Chriſtianæ fidei propagatione: at nunc idipſum fieri nõ omnino expedit, quando certiſſimo experimento cognouimus plurimam ſimpliciũ turbam ex hac occaſione in deteſtabiles & irremeabiles errores corruiſſe, dũ quiſque ſutor, fullo, & coriarius, vulgari ſcripturarum tranſlatione fretus, audet hoc inſoléti ſeculo temere de obſcuris diuinæ ſcripturæ difficultatibus diſſerere, & de præcipuis fidei dogmatibus iuxta ſuam inſaniam iudicare. Cohibẽda eſt igitur tam propter ſcripturæ diuinæ reuerentiam, quam propter animarum ſalutem, tanta vulgarium verſionum copia & licentia: ne contra ſaluatoris præceptũ dentur ſanctum canibus edendum & margaritæ porcis proterendæ &c. Sixtus Senen. Bibli. lib. 6. anno. 152.

Super illa verba, crucior in hac flamma, vide D. Thom. 1. p. q. 64. ar. 4. ad 1. & 2. ſen. diſt. 6. q. 1. ar. 3. ad 6. & 4. ſen. diſt. 44. q. 3. ar. 3. quæſtiun. 3. per totam. & di. 45. q. 1. ar. 1. quæſtiun. 1. ad 3. & quæſtiun. 3. ad. 3. & contra gen. li. 4. ca. 89. & de veri. q. 26. a. 1. in corpo. & q. de ſpiritua. creaturis ar. 1. ad 20. & q. de anima ar. 6. ad 7. & ar. 21. per totũ & quo li. 3. q. 10. ar. 1. per totum. & opuſ. 2. ca. 183. & 184.

Attende quod qua parte diues ille peccarat, eadem etiam vehementer cruciatur, gulæ erat deditus, & ideo cruciatur in lingua: conſule D. Chryſoſto. in non abſo. homi 9. tom. 2.

Super illa verba, vt intingat extremũ digiti, vide D. Aug. li. 4. de anima & de eius origine ca. 16. to. 7.

Et dixit illi Abraham, fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, Lazarus ſimiliter mala nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Nemo putet audiendo iſta, quia diues pro bonis receperit bona: quando hinc magis reus eſt, quod cum à Deo pro malis receperit bona, bona pro bonis reddere Deo contempſit. Nam de diuitiis tantis nec victum dedit pauperi, nec ſacrificium Deo minima oblatione dependit. At pauper diues vulnere, cenſu nudus, exutus corpore, veſtitus pœnis, animam quam ſolam non tenebant vulnera, Deo in hoſtiam iugiter offerebat. Hinc eſt quod recepit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro deſpectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro ſiti refrigerij fontem, pro fame cæleſtis mẽſæ delicias ſempiternas: & quem diuitis angulus non cepit, ſinus diuinæ conſolationis includit. Tu diues fulgens quondam purpura, nunc tegere ſimo: pro coccino veſtire flammis, pro molli diſcubitu ſuſtine tormentorum dura, pro lautis ferculis epulare pœnas, copias inopia compenſa, ebrietates ſiti digere, pro odoribus aſpergere fętore, & cui aſtiterunt voluptatis obſequia, aſtent tibi miniſteria nũc pœnarum, qui iſta tibi deſpiciendo pauperem taliter tu mutaſti. Petrus Chryſologus. ſermo. 66.

Si tantum diuitis huius iſtud eſt crimen quia recepit bona, quantum reus qui inuadit inde bita? ſi tantũ criminoſus qui ſua claudit, qui non largitur accepta, quam pœnalis eſt qui & ſuis incubat, & aliena peruadit? fratres demus noſtra, ſi tamen noſtra, demus tamen quæ putamus noſtra: vitemus aliena, declinemus extranea; certe ſi cui aliquid tulimus, tota celeritate reddamus, ne hic relinquentes omnia, illuc cenſu pauperes ad iſtum diuitem perducamur. Chryſologus ſer. 123.

Dum dicitur Recepiſti bona in vita tua, indicatur & diues iſte boni aliquid habuiſſe, ex quo in hac vita bona receperit. Rurſumque dum de Lazaro dicitur quia recepit mala, profecto monſtratur & Lazarus habuiſſe malum aliquod q̃d purgaretur. Sed mala Lazaris purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas trãſeũtis vitæ. Illum paupertas afflixit, & terſit, iſtum abũdantia remunerauit, & repulit. Quicunque ergo bona in hoc ſeculo haberis, cum vos bona egiſſe recolitis, valde de ipſis pertimeſcite ne conceſſa vobis proſperitas eorundem remuneratio ſit bonorũ. Et cũ quoſlibet pauperes nõnulla reprehẽſibilia perpetrare cõſpicitis, nolite deſpicere, nolite deſperare: quia fortaſſe quos ſuperfluitas tenuiſſimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimeſcite, quia nõnulla etiã male acta proſpera vita ſecuta eſt: De illis vero ſolicite penſate quia eorum vitam etiam magiſtra paupertas cruciat, quouſque ad vitæ rectitudinem perducat D. Grego. in Euang, ho, 40.

Super illa verba, fili recordare, vide D. Thom. 4. ſen. diſt. 50. q. 2. ar. 2. quæſtiun, 1. per totam.

Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Inſipienter ergo diues putat apud inferos mutari loca, quãdo hic agẽdo homo bene vel male, ibi ſibi terminum aut penæ aut quietis indicit. Stultus in vita diues, ſtultior inuenitur in pœna: & qui bonorum ſuorum neſciuit tempus, nec malorum ſuorum tempus, miſerandus agnoſcit. Petrus Chryſologus. ſermo. 66.

Super illa verba, Qui volunt hinc tranſire ad vos &c. Vide D. Thom. 4. ſenten. diſ. 50. q. 2. ar. 4. per totum. & quoli. 8. q. 7. per totam.

Et ait, rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis ne

& ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Modo rogas? modo tibi tempus patiendi est, non rogandi. *Rogo te pater* Quid? *vt mittas Lazarum in domum patris mei.* Antequam bene iacuit Lazarus: ad illam ianuam, in qua fame sua inhumanitatis tuæ titulos fixit? vbi postes tuos suis vlceribus laureauit: vbi sanies sua pinxit micas tuas. Patere ergo stare vices, iam depone dolos, scitur enim quia plus te felicitas Lazari, quam gehénæ torquet incendiū. Petrus Chrysolo. ser. 66.

Habeo enim quinque fratres. Et putas quod quinque fratribus tuis sufficit Lazarus, qui tibi tanto tempore, tot vulneribus suis, toto clamans corpore, nil profecit? Petrus Chrysolog. sermo. 123.

Hic notandum est ardentis diuiti quanta ad supplicium cumulantur. Ad pœnam námque suam ei & cognitio seruatur & memoria. Cognoscit enim Lazarum, quem despexit. Fratrum quoq; suorum meminit, quos reliquit. Perfecta quippe ei vltio de paupere non esset; si hunc in retributione non recognosceret. Et perfecta pœna inigne non esset si non hoc quod ipse patitur, etiam suis timeret. Vt ergo peccatores in supplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amauerunt. Credendum vero est quod ante retributionem extremi iudicij, iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, vt eos videntes ingaudio, nō solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Iusti vero in tormentis semper intuētur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer euaserunt: tantoque maiores redemptori suo gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipsi perpeti si essent relicti potuerunt. D. Gregor. in Euange. homil. 40.

Dives quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando nō posse agnouerat, nequaquam iam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat. Solet námque mæstum animum spes vel falsa refouere. Sed vt penam suam reprobi grauius sentiant, spem de venia amittunt: vnde flammis vlcericibus traditus, non sibi vt diximus, sed opitulari fratribus concupiuit: quia nunquam se ignium carere tormentis adiuncto desperationis supplicio agnouit. Hinc Salomō ait, Quodcūque potest manus tua facere, instāter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapiētia, erūt apud inferos quo tu properas. D. Greg. li. 8. Mora. cap. 12.

Vitia spiritualia in damnatis consummantur: quod significatur Ezech. 32. vbi dicitur de impiis quod cum armis suis ad infernum descendunt, & ideo in eis perfecta inuidia est, ad quam pertinet dolere de bono alterius quod ipse non habet, & sic etiam vellet omnes pati malū qđ ipse patitur. Liberari enim à malo, quoddā bonū est. Quæ quidem inuidia in aliquibus etiā in hac vita tantū inualescit, vt suis propinquissimis etiā inuideāt, de bonis quę nō habeāt ipsi. Vnde multo amplius dānati inuidia stimuláte vellēt suos propinquos cū omnibus aliis esse damnatos, & dolebunt si sciant aliquos esse saluatos, Sed tamen si non omnes debēt danari, sed aliquid saluari: magis vellent suos propinquos quam alios à damnatione liberari, in hoc etiam inuidia torqueb untur, si videant saluari alios, & suos damnari, & per hunc modum dives damnatus nolebat suorum damnationem. D. Tho. quoli. 8. q. 7. ar. 77.

Ait illi Abraham: habēt Moysen, & prophetas, audiant illos. Hoc est, si Moysen qui regna Aegypti elementis secum militantibus triuit, qui siccauit mare, qui durauit fluctus, qui lapides in flucta cōuertit, qui solem texit nube, qui noctem luce radiauit, qui cælum fecit pluere carnes, rorare panes: nō solum non audierunt, sed & occidere sunt moliti; isti Lazarum dignabuntur audire, quem tot vulnera sepiunt, quo Moysen cinxere virtutes? patere & me sentire quod genuit, & tu patere quę fecisti. Petrus Chrysologus. sermo. 66.

Sine Lazarum tantos requiescere post labores, & tu defle tuas quas tuo merito sustines pœnas. Deus autem fratribus tuis & omnibus non p̄ tuo cōsilio sed pro suo munere olim p̄spexit ad salutem dedit per Moysen legē, prophetiam largitus est per Eliam: audiant ergo illos, ne tuos sentiant crucaitus. Petrus Chrysolo ser. 123.

At ille dixit: non pater Abraham, sed si quis ex mortuis iuerit ad eos, pœnitētiam agent. Vere nō pater, quia nō erat Abrahæ filius, sed gehennæ. *Sed si quis ex mortuis.* Hoc dives de corde omnium dicit, hoc de de sideriis cūctorum petit, hoc de votis omniū loquitur mundanorum; omnes enim susurrare consueuimus, ô si quis veniret è mortuis, & quod ibi agitur hic referret omnes crederent ei. Petrus Chrysolo. ser. 66.

Non pater Abraham. In hac autem contradictione fortiter ingeminat patrē Abrahā. De meritis enim p̄priis diffidēs ad gremiū patris misericordiæ libēter se cōuerteret & fastus quidē cordis sui humilitatē propriam recognoscere non sinit, vt diceret illud Luc. 15. pater peccaui in cælum & coram te, iam non som dignus vocari filius, tuus.

Ait autem illi: si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurexerit credent. Vos fratres & requiem Lazari & pœnam diuitis cognoscentes, solerter agite; culparum vestrarum intercessores quęrite, aq; aduocatos vobis in die iudicij pauperes procurate. Multos etenim nunc Lazaros habetis, ante ianuas vestras iacent, atq; his indigent, quæ vobis iā satiatis quotidie micæ de mensa cadunt. Verba sacræ lectionis debent nos instruere ad implenda mādata pietatis. Quotidie Lazarum si quærimus inuenimus, quotidie Lazarum etsi non quærimus cernimus. Ecce importune se pauperes offerunt, rogant nos qui tunc pro nobis intercessores veniēt. Certe nos omnino rogare debuimus, sed tamē rogamur. Videte si negare debemus qđ petimur, quādo patroni sunt q̄ petūt. Nolite ergo misericordiæ tēpora perdere, nolite accepta remedia dissimulare. Ante suppliciū cogitate de supplicio. Cū quoslibet in hoc mūdo abiectos aspicitis: etiā si qua reprehēsibilia eorū esse videantur, nolite despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Pauper quidem cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, & despici non debet. Si verò reprehensionis nil habet, venerari summopere sicut interceſſor debet. D. Grego. homil. 40. in Euang. Super epist. & Euangel. duos habet sermon. D. Anton. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem 1. par. historiarum tit. 5. ca. 2 § 16

Duas etiam texuit conciones D. Thom. prope finem tom. 16.

Subueniamus egenis & pauperibus in suis necessitatibus, ne in eū locum in quem dies iste deuenit detrudamur. Le. D. Chry. su. Io. ho. 24. to. 3.

In hac vita nobis de necessariis prouideamus, & bonis operibus intendamus: quia in alia non erit tempus operandi. Considera enim quid in illo die extremo dicetur imparatis: Ite ad vendentes: iuerunt, & non inuenerunt. Consule cunde super Ioann. hom. 83. to. 3.

Vide

Vide eundem super epis. Pauli ad Philip. 1. sermo. 2. tom. 4.

Vide eundem ho. de diuite in Lucam to. 2. circa finem.

Feria sexta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

DICEBAT Iesus turbis Iudæorum, homo erat pater familias qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Matth. 21. Marci. 12. Luc. 20. Hoc verbo peregre proficiscendi, malorum omnium fontem quasi digito dominus indicauit. Hinc autem fit, quod quāuis rebus omnibus præsens adsit, abesse tamen improbis quodammodo videatur: sic enim omnia videt, vt ipse mortalium oculis videri minime possit. Posuit enim vt ait propheta, tenebras latibulum suū. Quæ verba non modo incomprehensibilem diuinitatis naturam, sed prouidentiæ quoque eius rationem declarant: quæ cū omnia videat, videri tamen ipsa in hac vita non potest. Sicut enim qui in obscuro aliquo triclinio sub meridiana luce delitescens, omnia quæ contra posita sunt videt, cum is tamen à nemine videatur: ita diuina mens in hoc tenebrarum suarum latibulo incognita manens, omnia prospicit, omnia obseruat, omnia gubernat, cum ipsa tamen à nemine videatur. Quod quidē sponsa in Cant. significauit, cū ait. Et ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cācellos. Vt enim qui hoc modo post vicinum nobis parietem latent, & propinqui nobis sunt, & silenter omnia vident audiūntque, cum à nemine videantur: ita plane se erga nos diuina prouidētia gerit, quæ abdita manens, omnia contemplatur. Quod cum improbi homines non aduertant, longissime illum putātes abesse, sine vllo timoris fræno in omnia scelera prolabuntur. Quod aperte dominus per Isaiam significauit, cum ait. In multitudine viæ tuæ laborasti, &c. Subditque huius pertinaciæ causam, dicens, Quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es. Quasi non videns ait: quia cum clarissime omnia videat, ab improbis tamen quasi non videns contemnitur. Quod etiam Regius propheta de impio loquens, confirmat his verbis. Nō est Deus in cōspectu eius. Quid ex hoc consequitur? Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Hoc igitur timore sublato, quid superest nisi vt effrænata mente homines in omnia flagitiorum genera cupiditate extimulante, & nullo fræno prohibente, rapiantur.

Torcularis nomine decalogi legem, quæ vtriq; populo tradita est, intelligimus. Quomodo enim vuæ in torculari expressæ, vinum cultoribus suis præbent: ita cupiditates nostræ diuinæ legis studio variisque laboribus compressæ, suauissimum charitatis & iustitiæ vinum cœlesti domino propinant. Hoc autem est quod sub alia metaphora dominus designauit, cum ait. Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Sicut enim frumenti grana in terram iacta, si integra maneant, nullum adferunt fructum: ita si vuæ in torculari integræ & intactæ fuerint, vinum ex se præbere nequaquam poterunt. Terendæ ergo & proculcandæ sunt, vt ex eis vinum effluat. Quomodo ergo terendæ atque proculcandæ? Interroga beatos martyres, ipsi te exemplo suo docebūt quonā modo vuæ in torculari, quomodo frumentum sub molari lapide, terantur. Interróga beatum martyrem Ignatium, qui cum bestiarum dentibus comminueretur, ardore martyrij moriens ait. Frumentū Christi sum, bestiarū dentibus molor ac subigor, vt panis mundus efficiar. Et quid quæso patientia etiam, nisi mentis martyrium est? Sic enim D. Grego. sine ferro inquit & flammis, martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruamus. Idemque rursus veram pœnitentiā genus quoddā martyrij esse docet his verbis: quamuis occasio persequutionis desit, habet tamen pax nostra martyriū suum: quia etsi carnis nostræ colla martyrio non subiicimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria trucidamus. Itaque fratres si frumentum eligitum, si pretiosum vinum, esse concupiscitis, quod in cælesti cellario condatur: vt frumentum terendi, vt vuæ calcandi estis, hoc est caro cum vitiis & concupiscentiis subigenda & comprimenda est.

Qui plantauit vineam. Quam vineam? Quā de Ægypto transtulit. Quomodò plantauit vineam illā? Quomodo vinitor studiosus, qui primum omnes in circuitu infructuosas syluas excidit, & sic postea plantat: ne forte arbores lasciuientes dum huc & illuc per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum effocent malleolum. Sic Deus gētes sine fructu iustitiæ constitutas occidit, & sic collocauit Israel: ne fore gentes indisciplinatæ duin in longum terminum suæ dominationis extendunt, affligant populum Dei nouitium. D. Chrysosto. in non abso. homi. 40. tom. 2.

Et sepem circundedit ei. Quid est sepes nisi angeli in circuitu custodientes populum Dei, ne in vineā Christi inuisibiles latrones irrumpant? D. Chrysosto. in non abso. homil. 40. tom. 2.

Quid est torcular nisi Ecclesia? sicut enim areā Ecclesia intelligitur, quia in ea per multam triturationem & vētilationem triticum seperatur à paleis: sic rationaliter Ecclesia torcular est intelligēda, in qua omnes fructus vineæ, id est opera seruorum Dei & fides roborata, ad Dei gloriā transmittuntur. Ecclesia autē torcular est habens in se verbum Dei, quo non delectatur natura carnalis, acquiescit autem ei contorta propter timorē iudicij, vel amorē præmij. *Et ædificauit turrim.* Sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, & hostium irruptionem ipsi facile non patiuntur, & hostes de turri facile conterunt: sic & qui in fide Christi cōsistunt vel in lege Dei, & dæmones super se irruere non sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facile vulnerant: & dæmones super illos irruere nequeunt, & à spiritualibus malorum opērum sagittis non facile vulnerantur. *Ædificauit turrim.* Hoc est legis fiduciam & altitudinem, ex qua sacerdotes velut speculatores Christū specularentur venturum. *Et locauit eam colonis.* qui sunt coloni quibus locatus est populus, id est, vineæ, nisi sacerdotes? Plantatus est autē populus primus in Abraham, quando in primis locutus est ad eum Deus, dicēs. Exi de terra tua, & de cognatione tua. Ex eo enim facta est vocatio seminis eius. Locatus est colonis tempore Mosi, quando per legem constituti sunt sacerdotes & leuitæ, qui procurationē regendi populi susceperūt. Ergo coloni sunt sacerdotes, qui colētes populum quasi vineam, cum acutissimo ferro sermonis faciūt eos bonos fructus iustitiæ domino exhibere. Sicut autem duram terram ferrum emollit, sic & verbum duritiam cordis relaxat. Sicut rastro ferreo herbæ radicitus euelluntur à vinea, sic & acri sermone vitia de populo resecantur. D. Chrysosto. in non abso. ho. 40. to. 2.

Et peregre profectus est. Non loci mutatione, nam Deus vnde abesse potest, quo complentur omnia? Et qui dicit per Iere. Ego Deus appropinquãs, & non de longinquo dicit dominus. Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat. D. Hiero. super Matth. 21. lib. 3. tomo 9.

Non quia ex loco ad locum profectus est dominus, qui vbique semper præsens est: sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest. D. Ambro. lib. 10. super Luc. 20.

Simile. Quemadmodum in torculari per vim & compressionem partis inferioris cum superiori, siue vtriusque cochleæ, vinum tandem optatum exprimitur: ita plane per vtramque cochleam amoris & timoris diuini, tanquam per vim quandam & cõpressionem, exprimit homo ipse bonum suum opus atque præclarum. Vnde non omnino incommode hoc loco tibi agere licebit de amore, & timore diuino.

Qrige. *Plantauit vineam.* Ergo intellige in vna quaque anima quasi vineam verbum Dei plantatum. Vinea enim occasiones sunt omnium propositionũ, quæ necessariæ sunt ad salutem. Sicut ergo in vineis est aliquod tempus quando principiũ fructus demonstrant, & aliud quando florent quæ sunt demonstrata, & aliud quãdo acerbescunt fructus, & aliud quando variant, & aliud quando vindemiãdi est tempus fructus perfectos & paratos ad prębendum vinum. In omnibus itaque primum vitæ tempus est infantia, & est tunc vinea nil ostendẽs, nisi tantum habens in se vitalem virtutem. Cum autem cæperit posse loqui, tẽpus est generationis. Quantum autem proficit anima pueri operata, tãtum & vinea quæ operatur in eo, id est verbũ Dei naturaliter implantatum proficit & producit indicia botrionum futurorum, florentium quidem adhuc & odorem suauitatis futuræ virtutis in primis dantium. Postea autem & acerbescunt, quãdo malitia quidem est in iuuentute, non autẽ permanet, sed superueniens est quasi propter ętatem, sed vt ita dicam semper ad virtutem pergens. Quam si quis manducauerit, secundum prophetam obstupescere facit dentes: si autem nõ ea fuerit vsus, sed semper quasi per aliquam viam adducat eam ad virtutem, ex parte incipit variare, non autem & vuam habet perfectam. Est autem & post pefectum status aliquis studiosus, quando vinea operata fructum profert maturum, & studiosos botriones diuersos, atque perfectos, charitatis, & gaudij, & pacis, & longanimitatis, cæterarúmque virtutũ quas Apostol. refert, & multæ scripturæ. Origen. super Mat. ho. 19.

Matth. 5. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperẽt fructus eius.* Vix vnquam pater familias ad reposcẽdos vineæ fructus reuersurus esse credebatur. Qua persuasione concepta, agricolę in bona patris familias inuaserunt, eáque pro sua libidine diripuerunt. Hæc persuasio fratres non præfectos Ecclesiæ modo, sed cæteros etiam fideles ita peruertit, vt vtriusq; neglecti officij præcipua occasio sit: quod peregre dominum profectum esse arbitrantes, sero illum ad petẽdos vineæ fructus, hoc est ad exigendam anteactæ vitę rationem, venturum credunt. Hæc longa mora siquidem quam ipsi fingunt, magnopere improborum audaciam & licentiam auget. Satis enim sibi spatij suppetere credunt vt & genio indulgere, & ventri seruire, & mundo obsequi, & terrenis voluptatibus frui possint, ac tandem in fine vitæ ad meliorem mentem redire, & tunc demum ætate iam affecta viuere incipere, cum desinendum est. Itaq; breuissimam hanc & momentaneam vitam dæmõ illis fallaci persuasione longissimam facit, ideóque adhæc omnia satis superque temporis superesse persuadet. Quod quidem præstigij genus pictores frequenter imitantur, qui ita colores & lineas picturis accommodant, vt quę prope posita sunt, lõge dissita esse delusis arte oculis appareãt. Ad hũc modum magnus ille mentiendi artifex, sic mentis nostræ oculis illudit, vt mortis diem, qui vnicuiq; nostrum pene in foribus est, longissimo spatio distare persuadeat. Qua quidẽ fallaci persuasione dictu mirum est quantopere præstigiator hic mẽtes hominum ad omnem viuendi licentiam & intemperantiam alliciat. Hac enim arte meretrix illa in Prouer. Vecordem iuuenem ad lasciuiã prouocat, cum ait, Veni, & inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. Qua spe freta hoc tantum nefas à me requiris? Subdit protinus, Non est vir in domo sua, abiit via longissima: sacculum pecuniæ tulit secum, in die plenæ lunæ reuersurus est. Hæc autẽ meretrix quæ alia est quam caro nostra, quæ ad voluptates omnes atque libidines maxime procliuis est? Cæterum aduersus hanc pernicioſam dęmonis carnísque fallaciam, non video quod commodius opponi possit remedium, quam quod Saluator in Euangelio contra communem hãc hostis antiqui fraudẽ adhibuit. Quod si dixerit inquiẽs, malus ille seruus in corde suo: moram facit dominus meus, & cæperit percutere cõseruos, & comedere, & bibere cum ebriosis, veniet dominus serui illius in die quam nescit, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis. Hoc est, vt nobis semper ante oculos proponamus diem ac horam incertam & ignoram esse mortis nostræ.

Simile. Patris familias solius est cognoscere vere quando vniuscuiusque hominis tempus appropiat, vel quando adhuc longe est fructuum tempus. Et nos si abundanter consideremus comparationem facientes temporum ex quo sumus vocati ad omne tempus fidei nostræ: poterimus videre quomodo quidam cum deberent esse magistri secundum tẽpus iterum opus habent doceri qualia sunt elementa principij eloquiorum Dei. Origen. super Matth. ho. 19.

O. igę. *Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt.*

Cum potius parati esse debuissent ad rationem domino reddendam. Quemadmodum & nos parati quidem esse debemus, per singulas horas atq; momenta reddendæ rationis tempora computantes: quo cautius ac diligentius nobis ab omni delicto caueamus, intelligentes verã esse illam Ioannis Climaci sententiam, dicentis. Non est pie præsentem diem pertransire, nisi eam vltimã esse vitæ nostræ existimemus. ô felices quibus ita simul viuere & mori datum est! qui ideo vere viuunt, quia à mortis conspectu nusquam oculos deflectunt. Itemq; eo magis securi sunt, quo in maiori metu versantur, sanctus enim hic timor nõ timorem, sed securitatem parit. Quod ne cui mirum videatur, alia quoque in rebus etiam externis inueniuntur, quæ contrarios naturæ suæ effectus pariunt. Calx Simile. enim aqua frigida aspersa, non quidem frigere, sed feruere magis, & calorem concipere solet. Dolor quoque ille maximus qui ex vera cordis cõtritione nascitur, non vulgarem animi lætitiam parit, quod eo dolore pœnitẽs intelligit doloris causam, videlicet peccata, extingui. Adhuc ergo modũ qui in timore domini incolatus sui tempore conuersatur,

satur, ipso suo timore & solatium & securitatem maiorem capit. Intelligit enim securitate securitatem tolli, timore vero securitatem parari. Sic enim natura cõparatum est, vt omnibus pene in rebus ille minus securus sit, qui se putat esse securum. Quòd facile indicant habitatores Lais, quos quoniam secure agebant, filij Dan repentino aduentu suo imparatos adorsi, prima belli impressione ad internecionem vsque ceciderunt. Cõtra vero nulli securius vitam agunt, quam quos prouidus hic timor perpetuo angit.

Alium occiderunt. Qui aliquem occidunt, sibi magis fere quam occiso nocent, vt videre est in Cain. Nam præter alia, sunt quidem hi semper inquieti, timidiq; viuũt. Vide Chryso. super Gen. ho. 19. to. 1.

Ex eo quod quis non reftænet iracundiam, oriuntur contumeliæ, iniuriæ, & deniq; homicidia. Siquidem is est tanquam equus quidam effrænatus, pertrahens nos ad maxima quæque discrimina, atque scelera. Vide D. Chryso. super Ioann. hom. 25. tom. 3.

Qui iratus est, tum sibi, tum aliis nocet: præstabilius quæ fortasse est cum feris quam cum eo agere. Siquidem illæ non lædunt aliquem nisi instinctu naturali ducente: hic verò etiam contra rationem. Vide hac de re apud eundem in Acta Apostol. hom. 6. tom. 3.

Est quidem ita tam execrabile scelus, vt neque blandis verbis, neque etiam prodigiis mitigetur. Qui Stephanum iudicabant, & lapidabant, tanta iracundia occæcati erant, vt quamuis audirẽt eum rogantem pro eisdem, & viderent eius faciem tãquam faciem angeli: non tamen propterea iracũdiam suam refrænarent. Vide plura apud eundem Chryso. in Acta Apostol. hom. 17.

Phocylides dixit contra iracundos, ensem cingito non ad cædem, sed ad defensionem. Item manum ne sanguine polluito. Athenodorus, viuere volens, ne facias morte digna.

De iniuriis item & contumeliis vide Vincent. Belluacẽsem spe. doctr. lib. 8. cap. 38.

Autor. *Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens, verebuntur filium meum.* Considera quęso pertente quot quantaque ipsis Hebræis Deus bona contulerit, munera muneribus, & beneficia beneficiis congerendo. Plantãdo illis vineam, nempe Synagogã eorum: quam suis sacerdotibus cõmendauit excolendam. Misit etiã eis prophetas, & seruos suos sanctos. Ipsi tamen vsq; adeo ingrati extitere, vt pro maximis beneficiis, maxima flagitia atq; scelera retulerint. Nouissime interimẽtes filiũ vnigenitum, quem etiã eis miserat. Cæterũ nobis verendum est ne ingrati magis iudicemur, quibus nõ iam Synagogã, sed Ecclesiam plantauit, sanguine suo, atque ipsorum Apostolorũ, & martyrũ cæterorum, irrigatam: doctrinaq; cælesti longe lateque protensam & amplificatam. At nos pro tantis tamque diuinis donis crimina innumerabilia atque peccata reddimus. Hic poteris diutius commorari, differens contra ingratitudinis nefandum crimen. Quod vt commodius præstes, subiicio quæ sequuntur.

Quendam D. Bernardus composuit sermonem, vbi ostendit quam detestabile sit ingratitudinis vitium, circa medium operum, & incipit, Magna est super nos dilectissimi.

Ingratitudo quam detestabile vitium sit, vide Lauren. Iusti. lib. de humili. cap. 15. circa finem operum. Vide insuper eundem de Institu. & regi. præla. cap. 21. inter medium ac finem operum.

De ingratitudine secundum Philosophos lege Vincen. Bellua. spec. doctr. lib. 4. cap. 53. & 54.

Reprehendit angelus ex parte Dei Iudæos, & taxat eos tanquam immemores beneficiorum Dei & ingratos, vt patet Iudicum 2.

Considera quam ingratus extitit Ieroboam, quem è terrae puluere sublimarat Deus in regem, vt constat 3. Reg. 12.

Considera quam ingratus fuerit pincerna Pharaonis ipsi Ioseph, qui tam bonum nuntium ei attulerat, quandoquidem eius oblitus fuit in ipsa prosperitate Gene. 40.

Attende quam fuerit Dauid ingratus obsequiis & fidelitati optimi ducis sui. Vrię 2. Reguũ 11.

Considera quã ingrati fuere habitatores Ceilæ ipsi Dauid, à quo salutem receperant, quãdo eum in manus Saul tradere volũerunt 1. Reg. 23.

Vide quam ingratus extiterit Demetrius Ionathæ & aliis Iudæis, qui eũ de maximo vitæ discrimine liberauerant 1. Macha. 11.

Vide quam ingrati extitere filij Ammon humanitati incredibili ipsius Dauid 2. Regum 10.

Non est recordatus rex Ioas misericordiæ & amicitiæ Ioiadæ sacerdotis, quando Zachariam eius filium interfecit 2. Para. 24.

Multum Eliseus & populum ipsum & Regem Israel honorauerat, & tamen rex iussit eum capite plecti 4. Reg. 6.

Non videtur quis debere cessare à beneficiis cõferendis, tametsi ingratitudinem referat: cum videamus eius rei exemplum in hodierno Euãgelio. Vnde & Seneca ait: non prætermittit agricola terram excolere & serere, tametsi quodam anno fructus nõ reddiderit. Sæpe enim quicquid perierat assidua infelicis soli sterilitate, vnius anni restituit vbertas. Nemo habet tam certam in beneficiis manum, vt non sæpe fallatur. Vide Senecam libr. 11. epist. 82. circa initium.

Nil carius æstimamus quam beneficium quamdiu ipsum petimus, nil vero vilius cum acceperimus. Quæris quid sit quod obliuionem acceptorum nobis faciat? cupiditas accipiendorum. Cogitamus non quid impetratum, sed quid impetrandum sit. Seneca lib. 11. epist. epist. 82. circa finem.

Cupiditas possidendi & habendi quæ nõ habemus, est causa nonnunquam vt simus ingrati iis qui nobis dederunt quòd habemus: cupiditas rei habendæ obcæcat beneficium rei possessæ. Nec aspicimus quæ plus quam alij habemus, sed quod aliqui plus quam nos possident, intuemur. Seneca lib. 3. de benefi. cap. 3.

Non videretur omnino abs re si leges quædam sanciẽrentur contra ingratos, non minus quam cõtra sacrilegos, homicidas, aliósque facinorosos. Et mirum certe est quòd hoc flagitium nusquam nõ inueniatur, & tamen fere nullibi puniatur. Sed tamen cum difficilis esset huius rei æstimatio, eam ad vindices deos remisimus. lib. 3. de benefi. cap. 6. & 7.

Quemadmodũ hedera suis tantum innixa perexiguis viribus, non potest quidem in sublime cõscendere, arbori tamen alicui ãdhærens eius beneficio sese erigit, atque attollit in altum: at postea eandem arborẽ à qua adiũta fuerat, destruit & vastat misere: ita plane plures reperias ingratos homines, qui cum humiles abiectique essent, neque per se ipsi possent ad alta conscendere, vbi tamen ad ea conscenderunt illustrium ac præclarissimorum virorum innixi beneficiis, & amicitię, eisdem pro beneficiis maleficia, & pro benefactis malefacta, reddant, atque rependant.

Sicut

Sicut & hõies se Deo gratos minus exhibent, quia nolunt agnoscere se omnia sua bona ex Deo habere. Inter alia quidẽ quæ de se beatus ille Iob refert, illud vnum est: nempe quod manum suam nunquam fuisset osculatus, hoc est nunquam bonum aliquod opus sibi attribuisset, sed omnia bona opera ingenue confiteretur se à Deo accepisse. Quod vt & nos faciamus, Apostolus admonet, cũ dicit. Quid habes quod non accepisti? In huius etiam rei significationem, viginti illi quatuor senio res se deiciebant atque prostrabant ante sedentem in throno. Vide D. Grego. lib. 22. Mora. cap. 5.

Quanto plura atque maiora à Deo beneficia receperis, tanto magis gratum ei animum offerre debes, & exhibere. Vnde cũ olim quæreret Deus à dęmone quid sibi de serui sui Iob virtute ac sanctitate videretur, respondit, nonne tu vallasti eum &c. Quasi sibi vellet, quod Iob bonus sit ac iustus, tuáque mandata seruet, nec mirum est, nec sibi tribuẽdum. Postquam enim tu tot tãtisque bonis & muneribus eum collocupletasti, humanitatem plane omnem exuisse videretur, nisi gratum se maxime tibi exiberet, tuis semper inseruiendo & obtempe rando præceptis. Hæc poteris fusius dilatare, & videbis D. Grego. lib. 2. Mora. cap. 8.

Quem non mouebit, & ab omni ingratitudinis nota liberabit, vt alia omittã innumerabilia beneficia, singulare illud munus, quod Deus opt. Max. vnigenitum suum nobis dederit, atque eundẽ pro redemptione nostra ignominiosam crucis mortẽ pati voluerit? Tanta quidem est vis huius considerationis, vt cõmodius medium non inuenerit Paulus ad Roma. 8. ad ferrea emolienda corda, cum dixit. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Item cum dixit charitas Christi vrget nos 2. Cor. 5. lege D. Chrysosto. hom. 34. super Gene. tom. 1.

Magna fuit ingratitudo Agar cõtemnentis dominam suam quod concepisset de ipso Abraham, præsertim cum hoc beneficium acceptũ ferre deberet ipsi dominæ suæ Saræ, quæ ad viri sui thalamum eam libenter admiserat, & per consequens magno honore affecerat. Hæc fusius dilatabis cõtra eos ingratos homines qui cum infimi essent, eos post modum contemnunt per quos ad altiores quosque dignitatis gradus euecti sunt. Vide D. Chrysosto. ho. 38. super gene. to. 1.

Olim quidem vt inquit idem Chrysost. nobis Deus ante oculos constituet tot tantéque beneficia sua in nos collata: manifestéque redarguet ingratitudinem nostram, qui pro tantis muneribus & donis, scelera innumerabilia rependimus. Vide Chrysosto. ad popu. ho. 47. to. 5.

Ingratitudo magna Ecclesiastes 9. D. & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

Ingratitudo 1. Reg. 14. G. hæc faciat mihi Deus.

Ingratitudo quantum noceat 3. Reg. 14. B. quia exaltaui te.

Punit Deus ingratos 3. Reg. 16. A. pro eo quod exaltaui te dẽ puluere.

Quod Deus grauiter punit ingratos 2. Parali. 12. B. vos reliquistis me.

Ingratitudo quam grauiter puniatur 2. Parali. 24. F. cumque euolutus esset annus.

Ingratitudo maxima 1. Macha. 11. F. & mentitus est.

Maxima ingratitudo Matt. 18. D. misit eum in carcerem.

Quomodo Deus commineturingratis Michęę 6. B. eduxi te de terra Ægypti.

Deus valde conqueritur de ingratis Osee. 11. A. quia puer Israel, & dilexi eum &c.

Immemores Dei beneficiorum & ingrati Deo fumus Osee 2. B. & hæc nescisti quia ego dedi ei frumentum.

Odit Deus ingratitudinem nostram Osee 7. D. redemi eos.

Ingratitudo contra Deum eiúsque beneficia Ezech. 16. B. C. D. & sumens de vestimentis tuis feci sti tibi excelsa.

Maxima ingratitudo Iere. 18. C. nunquid redditur pro bono malum.

Quantum incommodet ingratitudo Iere. 1. B. si fecerit malum in oculis meis.

Ingrati sumus amori maximo quo nos Deus prosequitur Iere. 11. C. Quid est quod dilectus meus fecit scelera multa?

Ingratitudo grauiter reprehenditur Esa. 1. A. audite cæli. Item filios enutriui &c.

Ingratitudo reprobatur Esa. 5. A. & expectauit vt faceret vuas.

Ingratitudo aduersus beneficia Dei scelus execrabile Esa. 10. D. nunquid gloriabitur securis cõtra eum qui secat in ea?

Ingratitudo contra Deum Esa. 29. E. Quis videt nos? peruersa est hæc vestra cogitatio.

Multum reprehendit Deus ingratitudinem Iere. 2. B. & non dixerunt vbi est dominus qui ascendere nos fecit.

Ingratitudo detestabilis Iere. 3. A. leua oculos tuos in directum.

Magna huius Euangelij pars tangitur Esa. 5. vide ibi Hectorem Pintum, & alios interpretes.

Pittacus philosophus dixit, ingratus ne esto. Æsopus, multi fuere qui accepto beneficio in autoris abusi sunt perniciem.

Agricolæ autem videntes filium. dixerunt intra se. Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatẽ eius: & apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Vide D. Tho. 3. p. q. 46. ar. 11. ad 1. & q. 47. ar. 5. per totum, & ar. 6. in corpo. & 3. sen. dist. 19. ar. 1. 1. q. 2. ad. 5.

Vide eundem super 1. ad Cor. 2. lect. 2. in illa verba, si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

Super illa verba, hic est hæres, vide Six. Senen. Biblio. sanct. lib. 6. anno. 98.

Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Ita subtiliter petiit dominus, vt ipsi iudicent contra se: sicut Nathan fecit cum Dauid, quando peccauit cum Bersabee 2. Regum 12. D. Thom. super Matth. Huc etiã spectat illud de muliere Thecuitide cum Dauid, quemadmodum scribitur 2. Regum. 14.

Aiunt illi, malos male perdet, & vineam suam locabit, aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Reposcit Deus fructum ab vnoquoque tempore suo: patientiam scilicet quo tempore offertur occasio indignandi & stomachandi. Repetit misericordiã, quando offertur egenus aliquis & mendicus. Exigit castitatem & continentiam, cum tentationes carnis nos sollicitant. Petit humilitatem, cum superbiendi ansa datur. Denique id exquirit, vt de vnoquoque dici possit, Erit tanquam lignũ quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. In tempore quidem suo fructum dedit Abraham, cum dixit ei Deus vt tolleret filium suum primogenitum, quẽ diligebat Isaac, & sacrificaret in monte: quandoquidẽ tam expedite, & omni fracta mora se accinxit ad viam. Item Dauid dedit fructum in tẽpore, cum posset sæpissime facili negotio vindictam sumere

Auctor.

Psalm. 1.

sumere de suo aduersario Saule, & de ipso etiam Semei, & tamen nollet. Porro Ioseph cum tentaretur à domina sua, & cum posset vlcisci scelera fratrũ in se patrata, dedit fructum in tempore. Quamobrem hoc est, dare fructum suo tempore, efficere scilicet vt eniteant & splendeant virtutes, in atra ac sęua tentationum & occasionum tempestate.

Dicit illis Iesus. Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ad literam dicitur de ædificatione templi Salomonis, qui quidem lapis pluries oblatus est in ædificatione: & quia non poterat conuenienter collocari, ideo pluries reiectus est quasi reprobatus ab ædificantibus. Vltimo autem positus est in consummatione anguli, vbi coniungebantur parietes. Et de illo scribitur in Psalm. A domino factum &c. quia illud non fuit à casu, sed ex diuina præordinatione: quia lapis iste figurabat Christum, qui multoties & multipliciter reprobatus est à principibus sacerdotum, & tamen factus est in caput anguli, coniungens Iudæos & gentiles quasi duos parietes in vnam Ecclesiam. Quod autem Christus dicatur lapis in scriptura habetur Daniel. 2. lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Quod etiam sit lapis angularis habetur Esa. 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularẽ. Et ex autoritate tandẽ concluditur reprobatio Iudæorũ. Lyranus super Mat.

Ephes. 2.

Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. Hoc diuinæ censuræ iudicium fratres, maximum cordibus nostris timoris aculeum infiget, si eius causam paulò attentius, eamque cũ moribus & vita nostra conferamus. De insigni illo philosopho Platone memorat Plutarchus, multũ cum aliorum delictis in virtutis studio & sui ipsius cognitione profeciss̃e. Vbi enim alios turpe aliquid designantes vidisset, ad se reuersus, seque totum circumspiciẽs, aiebat: num ego tale aliquid admisi? Ita quod aliis indignationis, aut detractionis erat occasio, illi virtutis & honestatis materiam præbebat. Hoc igitur exemplo si causam nostram cum populi huius à Deo repudiati causa conferamus, inueniemus plane nos quoque modo in periculo nõ dissimili versari, similémque timoris causam habere: imo vero tanto maiorem, quanto plura nos per Euangelium, quam illi per legem beneficia percepimus. Si enim pro beneficiorum magnitudine ratio exigenda est: quis non videt quanto maiora nobis beneficia & virtutis adiumenta sub Euangelij gratia, quam olim Iudæis sub lege collata sunt? Hoc igitur necesse est vt expendamus, quo periculi nostri magnitudinẽ videamus. Principio igitur eadẽ illa beneficia quæ Iudæi acceperũt, nos quoque accepimus, eandem videlicet Angelorum custodiam, qua Ecclesiæ vinea septa est atque vallata. Eandem quoque turrim in medio vineæ, hoc est diuinæ prouidentiæ curam: quæ velut ex edito loco vigilantibus oculis totam Ecclesiæ vineam sine intermissione colluſtrat: quam Saluator ab hoc mundo discedens nobis pollicitus est, cum ait. Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Idem etiam diuinæ legis torcular nos quoque habemus, cum eadem apud nos decalogi lex maneat, quæ partim minis, partim promissis succum à nobis exprimit pietatis atque iustitiæ. Hæc nobis fratres beneficia Dei cum illis cõmunia sunt. At præter hæc ipsa, quanto nos maiora sortiti sumus? Illi quidem legem acceperunt lapideis tabulis incisam, nos vero non in tabulis, sed in visceribus exaratam. Quod si in nobis ad hunc modum nondum depicta est, non id ex auaritia dantis, sed ex negligentia prouenit accipere recusantis. Sol enim, lunam & stellas inerrantes splendore suo semper illuminat, quod cum non facit, non id quidem soli, sed terræ oppositæ, hoc est externis impedimentis, tribuendum est. Illi præterea ad originalis peccati remissionem vnicum duntaxat sacramentum, nempe circuncisionem habebant: quod tamen gratiam vi sua minime conferebat. Nos sacramenta septem habemus, quæ virtute sua sacramentalem gratiam digne suscipientibus conferunt. Illi vnicum in orbe templum & altare vnum habebant, extra quod sacrificare nefas erat: nos in singulis cuiusque oppidi angulis templa multa & altaria habemus, ad quæ facile Deum adoraturi confugere possumus. Illi boues & hircos in sacrificium Deo mactabant, nos Christi carnem & sanguinem (quem illa legis sacrificia adumbrabant) pro salute nostra quotidie immolamus. Illorum sacerdos semel in anno pro peccatis populi oraturus non sine sanguine sancta sanctorum intrabat: at noster summus sacerdos non per sanguinem taurorum aut hircorum, sed per proprium sanguinem semel ingressus in sancta, semper viuit ad interpellandum pro nobis. Pro illorum peccatis veniam sacerdotes illi orabant, at sacerdotibus nostris non solum orandi, sed etiam peccata soluẽdi potestas data est. Adde his etiam post Christi mortem & resurrectionem cæli portas fidelibus patefactas, quæ ab origine ad illud vsque tempus sanctissimis etiam viris clausæ fuerant: vt iam minime sit necesse tot annorum millibus cælestis regni aditũ præstolari, sed protinus vbi animã effluxeris (si nil purgandum habeas) inter beatorum mentium sedes locum accipias. Quę cum ita sint, quis non videt quãto maior nobis, si desides & ingrati simus, quã Iudæis timoris causa subsit, qui tanto maiora quã illi beneficia percepimus? Si igitur illi qui minoribus beneficiis abusi sunt, tam graues pœnas dederunt: quid nos timere par est, qui tanto maiora recepimus, si illis nihilo meliores sumus?

Hebr. 6. & 10.

Auferetur à vobis. Quemadmodum radice arboris euulsa, spes omnis fructus simul auferetur: ita extincto candelabro fidei, quæ totius spiritualis ædificij radix & fundamentum est, omnis aliarum virtutum structura ruit.

Et qui ceciderit super lapidem istum. Aliud est offendere Christũ per mala opera, aliud negare. Qui peccator est, & tamen in illum credit, cadit quidem super lapidem, & confringitur, sed non omnino cõteritur, reseruatur enim per pœnitentiam ad salutem. Super quẽ vero ille ceciderit, hoc est cui lapis ipse irruerit, & qui Christum penitus negauerit: sic cõtritũ eũ, vt nec testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum. D. Hiero. super Mat. 21. li. 3. to. 9.

Super quem vero ceciderit, conteret eum. Christi potestas se extendit ad duo maxima, scilicet ad præmiationem bonorum, & ad punitionem malorũ iuxta illud, positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. Quantum ergo ad bonos dicitur, Reges eos in virga ferrea. Per virgam ferream virtutem iustitiæ intellige: quia sicut virga ferrea stabilis in sua rectitudine permanet, sic & iustitia obliquari nescit. Ad iustitiam autem pertinet bonis dare præmium, & supplicium malis. Et quamuis in vtroque simul concurrat Dei misericordia & iustitia: tamen quia sicut misericordia plus relucet in præmiatione bonorum quam iustitia, sic & iustitia plus

relucet

Exemplũ

ranus.

relucet in punitione malorum quam misericordia: ideo singularem mentionem fecit de malorum punitione, facta per iustitiam Dei, dicens. Et tanquam vas figuli confringes eos, scilicet malos. Et aduerte quod congrue mali per Dei iustitiam puniti æternaliter, tãquam vas figuli confringi dicuntur. Quia sicut vas figuli fractum, reparari amplius non potest, vt vas auri, vel argenti: sic & damnati ita confringuntur, vt amplius per pœnitentiam reparari non possint, quia tempus pœnitentiæ fructuosæ est solum in præsenti vita. Glos. in cog. super psalm.
D.Aug. ver. 16.

Conteret eum, Qui cadunt super eum, sunt qui illum quidem offendunt, sed per pœnitentiam redeunt: ideo non penitus intereunt, sed tamen confringuntur, cum non recte ambulent. Super quos autem cadit, hi nunquam redeunt, quos in iudicio pœna sempiterna conteret, vt sint vt impij tãquam puluis quem proiicit vẽtus à facie terræ. D. August. lib. Quæst. Euange. cap. 30. & contra aduersa. leg. & prophe. lib. 2. cap. 4. to. 6. & de verbis domini sermo 59. to. 10.

Adeò equidẽ mali conterentur, vt in eis impleatur illud. Psalm. 1. Non sic impij, non sic: sed tanquã puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Et iusto quidẽ Dei iudicio hoc fiet, vt tanquam vento proiiciantur quandoquidem suæ vanitatis ventis in omnia scelera prolapsi sunt atque flagitia. Vide D. Grego. lib. 11. Mora. cap. 23. & 24. vide etiam Glo. in cog super psalm. 1. ver. 5.

Et cum audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius cognouerunt quod de ipsis diceret: & quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant. De vinea & agricolis vide Hugonem de S. Vict. lib. 4. Allego. super Luc. cap. 31. to. 1.

De Epist. & Euange. duos habet ser. D. Anto, initio. 1. p. Theolo.

Consule eundem 1. p. histo. titu 5. cap. 2. §. 3.

Sabbato post secundam dominicam Quadragesimæ.

DICEBAT *Iesus turbis Iudæorum: homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri. Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit: & diuisit illis substantiam. Luc.* 15. Petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit: vt scirent filij quod ante tenebat pater, non fuisse auaritiæ, sed amoris: prouidentia non inuidentia non dedisse. Cæterùm facultates vnitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt & violant charitatem, sicut ex sequẽtibus elucescit. Chrysologus sermo. 1.
Pet. Chysol.

Adolescentior iste planè, non solum ætate, sed moribus non solum annis, sed defectu sapientiæ. Multos enim senes inuenies, iuuenes in habitu, in incessu, in verbis, & in moribus. Hos vocat. Esa. pueros centum annorum. Alij autem sunt iuuenes ætate, sed senes in moribus, vt fuerant Ioseph, Dauid, Daniel, & Samuel Vnde dominus ad Mosen ait, cõgrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint. Si enim Deus tantummodo de senibus canis verba faceret, non diceret quos tu nosti quod senes sint. Illos certe voluit Deus eligere, quos sciebat Moses & experientia cognouerat viros esse virtuti deditos & sapientes, licet iuuenes essent ætate.

Omnes fere doctores concordant dicentes hanc portionem substantiæ, quæ tanta facilitate & liberalitate concessa est, esse liberum arbitrium. Hic ergo non incommodè plane agere poteris de libero arbitrio.

Quo pacto remanserit per peccatum læsum liberum hominis arbitrium, consule Lauren. Iusti. lib. de Triumphali Christi agone cap. 22. circa medium operum.

De libero arbitrio differit Origenes lib. 3. de principiis cap. 1. prope finem to. 4.

Tres de libero arbitrio habet libros D. August. inter medium ac finem to. 1.

De hac materia vide etiam Vincen. Bellua. Specu. Mora. lib. 27 capit. 91. 92. & 93.

Lege Lauren. Iusti. lib. de cõtemptu mundi cap. 1. vbi docet quantum rationis iudicium cætera naturæ dona præcellat circa medium operum.

Quod Deus vnumquemque dimittit in sua libertate siue libero arbitrio, vide eundem eodem lib. cap. 8.

Per hunc perditum filium qui in tantam paupertatem deuenit atque miseriam, designatur ille qui medio peccato recedit à gratia Dei quique in summam infelicitatem atque miseriã pertrahitur.

Si cupis ergo nosse quantum ledit ac destruit animam culpa atque peccatum, lege Lauren. Iusti. lib. De spirituali animæ interitu inter medium ac finem operum.

Non tantum fugere debemus peccata lethalia, sed etiã leuia: & venialia de quo D. Chrysosto. concionem habet, de leuiũ scilicet peccatorũ periculis, è quibus maiorum peccatorum pernicies possit agnosci, inter initium ac medium to. 5.

De prodigalitate item vide D. Ambrosi. lib. 2. offi. cap. 21.

De comparatione peccatorum adinuicem, de causis peccatorum in generali & speciali, tam ex parte dæmonis, quam ex parte hominis: de pœna peccati, de peccato originali, & de eius effectibus, & de veniali, consule Vincen. Belluacen. Specu. Mora. lib. 3. par. 2. dist. 1, & 2. vsque ad 21.

Quod à quocunque peccato vel minimo fugere debemus, & quid ea de re senserint Philosophi, lege eundem Specu. Doctrina. lib. 5. cap. 21.

Vide D. Chrisosto. de patre & duobus filiis homi. super Lucam to. 2.

Quod peccator moritur in culpa, & iustitia spoliatur: & quod prima stola est vestis innocentiæ, & alia huiusmodi, vide apud D. Grego. lib. 12. Mora. cap. 5.

Curiositas humana & leuissima mouere potuit hunc adolescentem vt paterna relicta domo (quemadmodum passim faciunt adolescentes) ad exteras atque longinquas proficisceretur nationes. Quã quidem curiositatem reprehendit Seneca, cum dicit: parum certe prodest homini multas curiose lustrare regiones & prouincias, videre & peregrinas ac barbaras gentes, horrenda nemora, opacas syluas, fontes copiosos, flumina latissima: cernere quomodo Nilus ipse vere exundet: quomodo tigris per longa spatia occultetur. Nullam quidem curiosus iste excursus opem afferet: virtus potius ipsa est inquirenda summa indagine, atque exercenda. Vide Senec. lib. 18. Episto. Epis. 106.

Considera quantum nocuerit protoparenti Aeuæ curiositatis appetitus Gene. 3. Item quantum repræhendantur Athenienses Acto. 17. quod implicati essent huiusmodi curiositatis labyrinthis atque figmentis.

Curiositas Dinæ ipsam perdidit & corrupit effecitque vt incolæ vrbis ad internecionem ducerentur, & quod pater & fratres eius tanto periculo atque

que discrimini exponerentur.

Si voles multa videre de innumerabilibus incõmodis & malis quæ in anima gignit ipsum peccatum, lege D. Chrysosto in Acta Aposto. ho. 41. to. 3.

Pater da mihi. Adolescentes esse debere prudentia & moribus senes hortatur sapientissimus ille Cato dicẽs: mature fias senex, si diu velis esse senex. Menander, iuuenis cũ sis, multa vtilia disce. Pythagoras, iuuenis cum sis, audire seniores velis. Martialis, memineris iuuenis, quod aliquando senex eris.

Quis ita prodigus, si ita fas est loqui, inuenitur, sicut ille vnigenitus patris? qui portionẽ, corporis scilicet & animæ, quæ contingebat eum, & patrimonium (si dici debeat) quod à matre contraxit, dissipauit atque consumpsit cum meretricibus, id est cum peccatoribus & Publicanis non luxuriose, sed laboriose viuẽdo. Ipse esuriit, postquam ieiunauerat pro nobis: & sitiuit, cum peteret aquam à Samaritana, & diceret in cruce, sitio. Sed quid moror? vsque adeo prodigus fuit, vt se daret in cibum, & eum cælum ascendisset, mitteret spiritum sanctum suum, vt quos caro saturauerat, spiritus inebriaret. Guillermus de Cailloc super hunc locum.
Mat. 4.
Ioan. 4.
Mat. 26.

Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. Adolescentior plane iste non ætate, sed sensu, qui cõgregauit bona patris, & abijt longe, plus mente quam loco, vt dato, non accepto pretio, misere se vẽderet seruituti. Sic mercator ad talẽ contractũ peruenit, qui parentũ debitũ nescit soluere, qui vicẽ nescit redhibere generanti. Est penes patrẽ dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, secura possessio. Nãque ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios. *Dissipauit substantiam suam.* Quæ composita fuerant patre moderante, prodigente filio dissipantur, vt vel tarde sapiat patrem custodem, non incubatorem fuisse substantiæ. *viuendo luxurioso.* Mortalis est ista vita: quia moritur virtutibus qui vitiis viuit, sepelitur famæ, perit gloriæ: qui manet turpitudini, crescit infamiæ. Chrysol. sermo. 1.

Est anima sub se ipsa cum propriam sequitur voluntatem, libertate perniciosa gaudens. Hic est filius ille prodigus qui portionem paternæ substantiæ quæ se contingebat accepit, ingenium scilicet, memoriam, vires corporis, cæteráque similia bona naturæ: quibus non ad diuinam, sed ad suam vteretur voluntatem, essetque tanquam sine Deo in hoc seculo. Est autem interim homo sub se, cum propriæ satisfaciens voluntati, nec dum tamen possidetur à vitiis & peccatis: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati, & iam non sui ipsius. Iam tũc ergo proficiscitur in regionẽ longinquam, qui prius quidem separatus erat, sed nec dum elongatur à patre. Accepta siquidem portione substantiæ, factus est sui iuris, & quamuis recessit ab autore, proximus tamẽ fuit, quandiu ab opere non recessit. Hoc autẽ tã diu fit, dum licita quidem, sed non expedientia pro sua sequitur voluntate. At postquam recesserit, & à seipso declinans scilicet in peccatum, tunc iam in lõginquam verè proficiscitur regionem: quoniã ab eo qui summe & singulariter est, nil longius eo quod nullo modo est: nilque remotum magis ab eo à quo & per quem & in quo sunt omnia, quam peccatum, quod nil est inter omnia. D. Bernar. in sermo. de diuersis affectionibus animæ & diuersis nominibus secundùm eas.

Effecit quidẽ praua societas, vt adolescens iste luxuria atque lasciuia difflueret, dissolueretur, & periret. Vnde hoc loco peropportune quidem agere licet tum de commoditatibus bonæ societatis, tum de incommoditatibus malæ societatis & consuetudinis.

Qui in vnguentaria taberna inquit Seneca resederunt, ac paulo diutius commorati sunt, suauem inde secum odorem ferunt: & qui apud Philosophum fuerũt, hauserunt etiam secum aliquid quod prodesset. Vide Senecam lib. 19. Epist. Epis. 19.

Nulla res inquit idem Seneca magis animos hominũ ad honesta quæque inducit, dubiosque, imo & in praua quæque propensos, ad virtutem reuocat, quam consuetudo & societas bonorum lib. 14. Epist. Epis. 95. Simile.

Quemadmodum vini ardor & virtus temperatur & tollitur ipsa aquæ infusione & permistione; ita profecto feruens bilis, cita præcipitatio, & denique furor praui hominis, mitigatur, temperatur, atque comprimitur, consuetudine modesti, sobrij, ac cordati viri.

Quẽadmodum fieri prorsus non potest vt quis solis radiis rutilantibus expositus non illustretur, & igni splendido ac ingenti propinquus, non calefiat: sic planissime fieri vix potest vt quis à bonorũ latere nunquam discedens, bonus tandem non fiat, & meliorem frugem sapiat.

Quemadmodum tinea quæ generatur in pãno, sensim furtimque eundem destruit, & caries in ligno producta, paulatim idem lignum perrodit: sic impius existens in societate boni, clanculum raptimque ipsum tandem perdit, atque dissoluit.

Sicut putridum malum inter alia etiam complura positum, vicinum sibi aliud malum corrumpit, & hoc etiam subsequens, quod rursus aliud: & ita ex vno omnia corrumpuntur & computrescunt. Et sicut modicum fermẽtum totam paulatim massam corrũpit, & ouis vnica scabie infecta, numerosum inficit pecus, homo vnus peste percussus, vrbem totam, & denique hæreticus vnus, nisi ipsi resistatur, amplissima regna vastat: ita mehercule prauis aliquis & obscænis commaculatus moribus, eos omnes quibus conuiuit inficere potest, atque fœdare.
1. Cor. 5.

Sicut ex coniunctione & cõcursu deterioris planetæ cum planeta felici & salutari, praui enascuntur influxus: ita ex coniunctione & societate impij cum bono, & virtutis studioso, infelices tandem prodeunt actiones & opera.

Sicut suauissimus, ac prædulcis Iordanis fluuius, quia coniungitur cuidam Palæstinæ prouinciæ paludi salsæ & peramaræ, saporem illum suum amittit atque dulcedinem: non aliter certe qui studiosis & candidis præditus est moribus, si cum improbo associetur & deprauato viro, mirum erit nisi improbus tandem euadat ac scelerosus. Simile.

Quemadmodum qui de ripa videt aliquem natantẽ in fluuio, pene mergi, & deficiẽtibus viribus & animo iamiam ad ima tendere, si potest proiecto ligno eum à periculo liberare & vindicare, lignum quidem proiicit, vel etiam funem transmittit, vt eo manibus apprehenso, viuus enatet, vel denique si res postulat, fluuio se cõmittit: vt eum vtut potest impellendo liberet: at vero nunquam eum complectitur, ne forte ambo pariter demergantur & pereant. Ita par est vt tu vitioso & perdito salutaribus tuis consiliis, & quibuscunque poteris præsidiis, opem feras: sed eo tamen modo, vt omnino semper caueas ne & tu in eodem vitio reuolu aris, & ambo simul pereatis.

Si dens vnus molaris affectus, vicinos sibi molares, quamuis duros, afficere potest & corrumpere; quid ni sufficiet socius affecto & infecto vitiis

corde,mollia, fragilia & denique carnea corda ſociorum ſuorum,contaminare,& commaculare?

Praua ſocietas quantum noceat Ezechi.21.A.& occidam in te iuſtum & impium.

Mala ſocietas multum detrimenti adfert Eccleſi.7.A diſcedite ab iniquo.

Fugienda eſt mala ſocietas Eccleſi. 12. D. quis miſerebitur.

Peruerſa familiaritas Prouer.24.A.Ne æmuleris viros malos.

Societas praua quid faciat Eccleſi.13.A. Qui tetigerit picem.C.ſicut communicabit lupus agno.

Malorum ſocietas multum nocet Eccleſi.19.A. Qui ſe iungit fornicariis.

Mala ſocietas quam periculoſa Gene.19.D. ſurge tolle vxorem tuam.

Fugienda familiaritas mala Exod.23.G.Non inicum eis fœdus.

Declinare oportet malorum conſortium Exo. 34.B.caue ne vnquam cum habitatoribus terræ.

Praua ſocietas quantum officiat Nume. 19. D quicquid tetigerit immundus.

Peruerſa ſocietas pernicioſa Ioſue 23.C. quod ſi volueritis.

Familiaritas praua quid operetur Iudicum 3.A feceruntque malum.

Malorum ſocietas declinanda 1.Reg.5.A.B.Iuxta Dagon.

Praua ſocietas periculoſa 1.Reg.15.B.Abite recedite.

Quam ſit pernicioſa malorum ſocietas 2. Reg. 20.G.Tradite illum ſolum & recedemus.Et 3.Reg. 11.A.B.non ingrediemini ad eas.

Peruerſa familiaritas quantum noceat 3. Reg. 22.A.Sicut ego ſum ita & tu.G.Et noluit Ioſaphat.

Quam noxia ſit praua familiaritas 4. Reg. 3. B. Quod ſi non vultum.

Societas peruerſa in quantum diſcrimen pertrahat 2.Paralipo.19.A.impio præbes auxilium.

Quantum incommodi inferat praua ſocietas 2. Paralip.20.G.Quia habuiſti fœdus.

Mala familiaritas quid præſtet 2. Parali. 24. E. Ingreſſi ſunt principes.

Malorum ſocietas quam ſit periculoſa 2.Paralipo.25.B.ô rex egrediatur tecum.

Peruerſa familiaritas fugienda Tobiæ 4.C. Noli ex eo manducare cum peccatoribus.

Impiorum conſortium quam periculoſum Apoca.18.B.Exite de illa.

Praua quid preſtet ſocietas 1. Cor.5. Modicum fermentum.

Quantum malorum familiaritas noceat 1.Cor. 15.D.corrumpunt bonos mores.

Peruerſa ſocietas quantum nocumenti inferat 2. Co. 6. C. Quæ enim participatio. D. exite de medio.

Peruerſa ſocietas fugienda Gala.5.B.Vtinam & abſcindantur.

Praua ſocietas deteſtabilis 2.Theſſa.3.B. vt ſubtrahatis vos ab omni fratre.

Familiaritas mala venenoſa ad Titum 3.C. Hæreticum hominem.

Quantum ſit impius fugiendus 2. Ioan. 1. D. Nec aue ei dixeritis.

Multum de praua ſocietate affricatur & hæret hominibus Michæi 1.C.in domo pulueris.

Viuendo luxurioſe: Fugiendas laſciuas delectationes monuit etiam antiquiſſimus ille Euripides, dicens.Amores laſciuos qui ſolum ridendo ſplendet, oderis, non diu durat malæ voluptatis delectatio. Sophocles, à rebus venereis tanquam à domino aſpri ac furioſo profuge.

Similis quidē eſt appetitus noſter ſenſitiuus,ſiue ſenſualitas noſtra ipſi coruo:vbi enim hic ſi offenderit inopinatum etiam eum à quo alitur, & qui cibum miniſtrat,haud omnino id curans,in oculos eius inuolat:ita appetitus iſte hominē excæcat &in vitia pellit:non curans an ab eo beneficia accipiat.

Quemadmodum ceruus cum accenditur cōcupiſcentia,quāuis venatores eū perſequantur, accurit nihilominus ita ardēs ad fiſtulam ſiue ſonitum venatorum,putans quidem eſſe ceruam eum appetentem,atque adeo tunc magis magiſque incenditur & occæcatur,vt facile feriatur,& moriatur: ita profecto qui ſe ſubiicit affectibus ſuis ſiue paſſionibus inordinatis,& ſenſualitatis carniſque titillationibus & fiſtulæ, perfacile quidem ſibi ipſi animæ mortem conſciſcit.

Licentia nimia nunc enim perdidit adoleſcentem:ad quod perſequendum hæc pauca accipe.

Licentia nimia quantum noceat Baruch.1.D.& abiuimus vnuſquiſque in ſenſum.

Licentia nimia quantum incommodet Iudicum 2.D.poſtquam autem mortuus eſſet iudex.

Quo tandem hæc deueniat Iudicum 19. F. Filij Belial id eſt abſque iugo.

Quantum noceat nimia licentia 4. Reg.17.E. & vnaquæque gens fabricata eſt Deum ſuum.

Videndo luxurioſe.Quam deteſtabilis luxuria Hiere.5.B.C.Saturaui eos & mœchati ſunt.

Quantum noceat luxuria Nahum 3. A. & corruent in corporibus ſuis.

Luxuria abominabilis Prouer.5.A. B.Ne intenderis fallaciæ mulieris.

Luxuria prohibita prouer.6. D. Non concupiſcat pulchritudinem eius.

Luxuria deteſtabilis Iudicum 19. F. G.Educ virum qui ingreſſus eſt domum.

Luxuria quam peſtifera 2. Reg. 3. A. Ingreſſuſque eſt ad eam Abner.

Execrabilis luxuria 3. Reg. 11. A. B. adamauit mulieres.

Et poſtquam omnia conſummaſſet: facta eſt fames valida in regione illa,& ipſe cœpit egere. Ecce quid facit cupiditas ad cēſum præceps: ecce quemadmodū ſine patre cēſus nudauit filiū,nō ditauit:cenſus filiū tulit de gremio patris,eiecit de domo,exemit patria, ſpoliauit fama,exuit caſtitate.Quod vitæ,quod morū,quod libertatis, quod pietatis,quod eſt gloriæ, nihil reliquit, Ciuem denique in peregrinum, filium in mercenarium,in egenum locupletem,liberum mutauit in ſeruum,iunxit porcis,à patre piiſſimo quem ſeiunxit: vt ſeruiret cœnoſo pecori, qui pietati ſanctæ parere contempſit. Chriſolo. ſermo.1.

Luxuriæ,ventri, gulæ,fames tortor apponitur: vt ibi vltrix pœna ſæuiat, vbi pænalis reatus exarſerat. Ad talem finem ſemper voracitas tendit, ad talem peruenit termin um fugienda voluptatis effuſio. *Et ipſe cœpit egere.* Filium data facit egere ſubſtantias quæ diuitem negata ſeruabat, vt penes ſe deficeret habendo,qui penes patrem abundauerat non habendo.Chryſolo.ſermo.1.

Fames non epularum,ſed bonorum operum atque virtutum,quæ ſunt miſerabiliora ieiunia.Et enim qui recedit à verbo Dei, eſurit:quia non in ſolo pane viuit homo,ſed in omni verbo Dei.Qui recedit à fonte ſitit, qui recedit à theſauro eget, qui recedit à ſapientia hebetatur, qui recedit à virtute diſſoluitur. Merito ergo iſte egere cæpit, qui theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei, diuitiarumque cæleſtium altitudinem,dereliquit.Egere ergo ideo

cæpit &

cepit & famem pati: quia nil prodigæ ſatis eſt voluptati. Semper famem patitur ſui, qui alimentis perpetuis neſcit impleri.D.Ambr.li.7.ſuper.Lu.15.

Cœpit egere. Tempore quidem proſpero & ſecūdo multos hic habuit amicos:at vero fortuna reflāte, omnes auolarunt. Quamobrem vide vt ante amicos deligas,quam diligas. De quo etiam permulti Philoſophi nos monitos voluerunt.Nam Thales Philoſophus dixit, Amicos probato. Solon, amicum ne temere recipito, receptum ne reiicito. Iſocrates, amicos proba & ex vitæ aduerſitate, & ex periculorum ſocietate.Aurum enim igne perſpicimus, amicos vero inter aduerſa cognouimus. Idē, amici tiam cum nemine iungito,priuſquam exploraueris quomodo prioribus amicis fuerit vſus.Phocylides,aſſentatores menſipetas ne tibi facito ſocios:multi enim potus & cibi ſunt ſocij,tempus captantes vt ſatiari poſſint. Iſocrates fideles exiſtima non eos qui quicquid dixeris aut feceris laudant ſed qui etiam errata & delicta reprehendunt.Simonides, improbum virum nunquam tibi facias amicum. Philippus Macedo, ne eos tibi fideles putes, quos pecunia corruperis. Pythagoras, potius eos tecum verſaturos elige, qui te venerentur & amēt, quam qui timeant.

Et abiit & adhæſit vni ciuium regionis illius: & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Quod autem mercenarios ſuos diabolus mittat ad porcos, facit inſatiata crudelitas,quæ contenta non eſt homines criminoſos fieri,niſi eos vitiorum duces,criminum faciat & magiſtros.Et cū eos tales fecerit, non ſinit eos ex ipſo porcorum cibo paſtuque ſaturari:vt efurientes vitia plus delinquant: luxurioſos ſatietas capere nō poteſt,voluptas neſcit expleri.Vnde nos cum bono patre ſimus, permaneamus apud genitorem pium,vt & diaboli laqueos poſſimus euitare, & bonis patris iugiter perfruamur. Chriſolog. ſermo.2.

Iuſtum vltionis iudicium eſt, vt fugitiuum patris filium alter ſibi vſurpet in ſeruum.Vnde & profectus in regionem longinquam vni ciuium legitur adhæſiſſe:quem ego non alium quam vnum ex malignis ſpiritibus intelligendum puto. Qui pro eo quod obſtinatione irreparabili pecant,& trāſierunt in affectum malitiæ & nequitiæ: iā non ſunt hoſpites & aduenæ, ſed quaſi ciues & inhabitatores peccati.Quid eſt autem quod ciui dicitur adhæſiſſe pauper adoleſcens & peregrinus,niſi quod factus eſt ſubditus illi?Et nota quod famis neceſſitate ciui maligno dicitur adhæſiſſe, ſicut Iſrael tēpore famis deſcendiſſe legitur in Ægyptum. Pernicioſa plane & periculoſa eſuries,quæ liberos addicat miſeræ,ſeruituti,ſubiiciat operibus luti & lateris,porcis aſſocietet,imo & ſeruos faciat eſſe porcorum.Sed vnde egeſtas tanta ei qui diues aduenerat, collectis nimirū omnibus quæ de paterna ſubſtantiā in ſuā acceperat portionem?Ex eo ſine dubio quod prætmiſſum eſt diſſipaſſe bona ſua viuēdo luxurioſe cū meretricibus, propterea inquit cæpit egere. Porro meretrices iſtas concupiſcentias carnis intellige, cum quibus luxurioſe viuendo diſſipat bona naturæ,dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc vt iā diximus egeſtas ſuccedit pernicioſa, teſte ſcriptura quod non ſatietur oculus viſu, nec auris auditu impleatur Mittitur ergo paſcere porcos,corporeos ſcilicet ſenſus:qui volutabro luti & ſpurcitiis delectātur.D.Bernar.ſermo. de diuerſis affectionibus animæ & diuerſis nominibus ſecundum eas.

*Adhæſit vni ciuium.*Qui enim hæret,in laqueo eſt. Et videtur ciuis iſte princeps eſſe iſtius mundi.Denique in villam eius mittitur, quam emit qui exuſat à regno. *Vt paſceret porcos.*Illos vtique in quos petit diabolus introire, quos præcipitat in mare iſtius mundi,in ſordibus ac fœtore viuentes.D.Ambro.ſuper Lu.15.lib.7.

Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Quam crudele miniſterium,quia neque conuiuit porcis,qui viuit porcis?Miſer qui porcorum deficit & eſurit in ſaginā, Miſer qui ſqualentis cibi cupit nec impetrat quālitatem. His edocti,inſtructi talibus,maneamus in domo patris,matris,in gremio perduremus, cognātorum conſtringamur amplexibus,viſcera nos paterna conſtringant:ne nos ad ſupra dicta mala pertrahat adoleſcentiæ miſeranda libertas. Chryſolo. ſermo. 1.

Neque enim alia cura eſt luxurioſis, niſi vt ventrem ſuum impleant,quorum Deus venter eſt. Qui autem aptior huiuſcemodi hominibus cibus, quā is qui ſiliquæ modo intus inanis, foris mollis eſt: quo corpus non reficitur, ſed impletur, vt ſit magis oneri,quam vſui?D.Ambro.ſuper Luc.15.lib.7.

Nec immerito ſane mundus hic poſitus in maligno vana promiſſione deludit animas propriæ cōditionis & nobilitatis oblitas, quas non pudeat porcis in miniſterio ſubiugari, in deſiderio ſociari; nec ſic tamē infelici edulio ſatiari, Vnde enim hæc tanta puſillanimitas,& abiectio tam miſerabilis:vt egregia creatura,capax æternæ beatitudinis & gloriæ magni Dei, vt pote cuius ſit inſpiratione condita,ſimilitudine inſignita,cruore redempta,fide dotata,ſpiritu adoptata, miſerā non erubeſcat ſub pudore hac corporeorum ſenſuum gerere ſeruitutem?Merito plane ne eos quidem apprehēdere poteſt,quæ talem deſerens ſponſum, tales ſequitur amatores.Merito ſiliquas eſurit,& non accipit: qui porcos paſcere maluit,quam paternis epulis ſatiari.D.Bernar.de conuerſione ad clericos cap.13.

Et nemo illi dabat. Homo ſine Deo multum laborat, & nullam mercedem inuenit. Vnde Petrus dicebat, per totam noctem laborātes nihil cepimus. Seruietis diis alienis inquit Iere.qui non dabūt vobis requiem die ac nocte.Ficta quidem Dalilæ blāmenta fortiſſimum Samſonem in miſeriam adduxerunt quem Philiſthæi obcecarunt, & in molam aſinariam induxerunt. Tu igitur qui mundo tā diligenter inſeruis,quique eius diuitias & oblectamenta quæris,intellige te alium eſſe Samſonem,qui ligatis oculis molam aſinariam circuis. In circuitu enim impij ambulāt, ſicut porta in cardine ſuo, neque vnquam à termino & fine ſuorum peccatorū exeunt. Vnde ſapientiæ 5. in perſona iſtorum dicitur, laſſati ſumus in via iniquitatis &c. Miſere certe in miſeriam ductus fuit Samſon, cū crederet Dalilæ mendacibus verbis:ita tu varios incurris labores & pericula,quod credas mūdo,ac fidē adhibeas tam fallaci aduerſario. Longiſſimum quidem tempus Iacob ſeruiuit ipſi Laban, à quo tamē ſepe fuit deceptus:ita tu deciperis à mundo ipſo atque irrideris, pro tuis obſequiis ei præſtitis, ita vt videaris etiā aranee telam texere. Vt enim aranea maxima quidē ſollicitudine ac cura telam texit; ſed tamen tandē muſcas ſolum reportat ex tanta ſollicitudine:ita tu ex tanta diligentia quam adhibes honoribus adquirēdis mūdanis,& dignitatibus, quid aliud obſecro quam muſcas conſequeris? id eſt rumuſculos quoſdā populares, quos vt homines tibi conciliarunt,ita certe homines etiā breuiſſimo tēpore tibi auferent.Atque ira rētia quidē tendis pro mūdo,ſed nihilpiſcaris:ſed ſi pro Chriſto & in eius nomine,id faceres, ingentē quidē piſcium copiam parares,id eſt maxima retributione dignus eſſes.

Similes.

In se autem reuersus, dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? In se reuersus est; in se ante rediit, vt rediret ad patrem, qui à se ante recesserat, cum recessit à patre. A se migrat, & ab homine totus trãsit in bestiã, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. *Ego autem hic fame pereo.* Fames reuocat quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Et si tantum præstitit vel inuita fames: probare quid voluntarium possit conferre ieiunium. Oneratus venter ad vitia corruit, premit mentem ne supernam valeat sentire pietatem. Corpus inquit quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Vnde dominus, Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Vacuandus est ergo venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus possit ad alta pertendere, cõscendere ad virtutes, possit & ad ipsum pietatis au-
3.Reg.19. torẽ totus aliger peruolare. Hoc Elias probat, quũ dominici continuatione ieiunij defæcatus à carna-
4.Reg.2. li pondere, mortis victor euolauit ad cælum. Chrysologus sermo.2.

Hos itaque eligit Deus quos despicit mundus quia plerũque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, & patrem substantiæ quã perceperat prodige expendit: postquã esurire cæpit, in se reuersus, dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundãt panibus? longe quippe à se discesserat quando peccabat. Et si non esurisset, in semetipsum minime rediisset: quia postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cæpit quid de spiritualibus amisit. Pauperes ergo & debiles, cæci, & claudi, vocantur & veniũt: quia infirmi quique, atque in hoc mundo despecti, plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent vbi delectentur. Quod bene Amalechitarum puer ille Aegyptus designat, qui Amalechitis prædantibus atque currentibus æger remansit in via, & fame sitique aruit: quem cum Dauid inuenit, ei cibum potũque præbuit, qui illico cõualescens, dux Dauid factus est. Conuiuantes Amalechitas reperit, & eos qui se debilem reliquerant cum magna fortitudine prostrauit. D. Grego. super Euange. homilia 36.

Bene in se reuertitur, qui à se receßit. Etenim qui ad dominum regreditur, se sibi reddit: & qui recedit à Christo, se sibi abdicat. O domine Iesu si nobis auferas siliquas, & panes tribuas? Tu enim dispẽsator in domo es patris. O si nos quoque mercenarios digneris conducere, licet sero venientes; Nam & vndecima conducis hora, & æqualem dignaris mercedem soluere &c. D. Ambr. lib. 7. super Lu. 15.

Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Iacebat qui dixit surgam: intellexit lapsum, sensit ruinam: iacere se turpis luxuriæ aspexit in lubrico, & ideo exclamat. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Qua spe? qua fiducia? qua confidentia? Illa quia pater est. Ego perdidi quod erat filij, ille quod patris est non amisit. Apud patrem nõ intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse qui interuenit & exorat affectus. Vrgentur patris viscera, iterum filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus: sed pater viso filio cooperit mox reatum, & sententiam cito vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. *Pater peccaui.* Confessio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo. *In cælum & coram te.* Cui peccatur in cælo, non terrenus pater est, sed & cælestis: ideo adiecit coram te, cui in cælo & in terra ante oculos sunt omnia quæ geruntur. Peregre quidem profectus est iste, & in regionem longinquam fugit: sed accusatores suos, sed testes suos, diuini patris oculos, non refugit. Hoc Dauid clarius aperit, sic dicendo. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua. Videt iste per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere: non cælum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem, Deo velare posse peccata. Sentit quantum sit scleris, mali quantum, in ipso Dei peccare conspectu: & ideo clamat, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Vnde & iste adolescentior similiter vociferatur, & clamat, *Peccaui in cælum, & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus.* Non dicit non sum dignus esse filius tuus, sed non sum dignus vocari filius tuus: quia vocari ad gratiam pertinet, esse ad naturam. Audi Apostolum dicentem, ab eo qui vos vocauit in gratiam suam. Hic ergo adolescẽtior quia perdiderat quod erat naturæ, iudicat se quod est gratiæ non mereri. *Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Ecce potestatis suæ filius quo deuenit. Voluptas luxuriæ, adolescentiæ libertas, ecce filium quo promouit. Chrysolo. ser. 2.

Pater peccaui. Hæc est prima confessio apud autorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrium culpæ. Sed etsi Deus nouit omnia, vocem tamen tuæ confessionis expectat. Ore enim confessio fit ad salutem, quia alleuat pondus erroris quisquis ipse se onerat: & accusationis excludit inuidiam, qui accusatorem præuenit confitendo. Iustus enim in primordio sermonis accusator est sui. Frustra autem velis occultare, quem nihil fallas: & sine periculo prodas, quod scias esse iam cognitum. Confitere magis, vt interueniat pro te Christus, quem aduocatum habemus apud patrem. *Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Deiectus siquidem se exaltare non debet, vt merito suæ possit humilitatis attolli. *Et surgens venit ad patrem suum.* Illa enim apud se dixerat, sed non satis est dicere, nisi ad patrem venias. Vbi illum requiras? Vbi inuenias? Exurge primo, qui sedens ante dormiebas, Et ideo dicit Apostolo. surge qui dormis, & exurge à mortuis. D. Ambro. super Luc. 15. li. 7

Filius prodigus suam agnouit perditionem, & ideo rediit ad patrem dicens cum propheta, Mihi adhærere Deo bonum est. Item domine quis similis tibi? psal. 34. Et psal. 115. dirupisti vincula mea. Item, quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas & cõuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. D. Augustus. de verbis domini in Euange. secundum Lucam sermo. 34. to. 10.

Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater suus, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Vidit pater ille qui in altis habitat. & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Pater vidit illum, vt & ille patrem posset attendere: patris visus illustrauit filij venientis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas, quæ circunfusa fuerat de reatu. Non sunt tales tenebræ noctis quales ille sunt quæ de confusione veniunt peccatorum. Audi prophetam dicentem, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Et alibi, iniquitates meæ grauatæ sunt super me: & post, & lumen oculorum meorum non est mecum, Nox sepelit hesternum lumen, peccata

peccata sensum, animum, membra, confundunt. Nisi ergo cælestis pater redeuntis filij radiasset in vultu, & totam confusionis caliginem respectus sui lumine sustulisset: nunquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem. *Et misericordia motus est.* Mouetur misericordia, qui loco non potest dimoueri: accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu. *Cecidit super collum Eius.* Vt amoris onere onus tolleret peccatorum. Venite ad me inquit omnes qui laboratis, & onerati estis. Tollite iugum meum super vos, quia leue est. Videtis quia filius iuuatur istius patris onere, non grauatur: *Et osculatus est eum.* Sic pater iudicat; sic emendat: sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris; & ideo pater peccata filij redemit osculo: clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fædaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, næuum filio ne relinquat. Beati inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Si adolescentis huius factũ displicet, si horret absessus: nos à tali patre nullatenus discedamus. Aspectus patris fugat crimina, expellit noxam, cunctam nequitiam & tentamenta propellit. Certe si absessimus, si substantiam patris totam luxurioſe dispersimus nos viuendo, si quicquid vsquam commisimus facinoris & delictiſi ad impietatis præruptum tum, totam venimus ad ruinam: surgamus aliquando, & ad talem patrem tali inuitati redeamus exemplo. Chrysolo. sermo. 3.

Misericordia motus, Tertullianus illa domini in Apoca. verba exponens, Age pœnitentiam. alioqui veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, sic ait. Inauditum misericordiæ genus est, quod cum summo dominus iure misericordiam & veniam negare posset, non modo non neget, sed ipse etiam & velit, & roget, & minetur, nisi ad eum reuertaris: tanto salutis nostræ amore tenetur. Certe tam pater nemo: tam pius nemo. Tanta eius misericordia est, vt non alia de causa ab eo fugeret Ionas, quam quod intelligeret vindictam Niniuitis à se denuntiandam, misericordiã eius reuocandam esse: atque se velut fallacem & pseudoprophetam habendũ. Denique tanta eius misericordia est, vt vix vllo magis crimine, quam desperationis offendatur. Hoc enim præ cæteris omnibus salutis aditum maxime obstruit: ex quo liquet magis illũ perditione nostra quam offensione sua grauari, quandoquidem certiùs imminere voluit exitium iis qui de misericordia eius desperãt, quamaqui eius maiestatem læderent.

Dicitque ei filius, pater peccaui in cælum & coram te iam non sum dignus vocari filius tuus. Voces filij pœnitentis concutiunt paterna viscera: se vocat indignum, vt pater faciat dignum. Ait porro D. Aug. hunc prodigum filium significare bonum latronem, & quod alter germanus significat Petrum Apost. cui Christus dixit, omnia mea tua sunt: tibi dabo claues &c. vide. D. Augustus. sermo. de tempo. Barbarico cap. 7. to. 9.

Dixit autem pater ad seruos suos: cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatũ & occidite, vt manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari. Non dixit, vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quæ tulisti quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed *Cito proferte stolam.* Videtis quia delicta non videt vis amoris; Tardam misericordiam pater nescit: delicta qui discutit, prodit. *Et date annulum.* Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem. *Et calceamenta.* Quam pauper rediit qui ditatus abscesserat: & de tota substantia calceamẽta in pedibus nõ reportat. Chrysol. ser. 3.

Non exprobrauit pater ei beneficia innumerabilia quæ contulerat, quod quidem plerique aliter faciunt cum amicis suis: qui ita exprobrantes, potius lædunt & afficiunt, quàm delectent. Similes certe plantis spinis armatis, ex quibus cum flores aut fructus decerpis, spinis te suis pungunt. Exprobrator quidem beneficij reprehenditur Eccleſi. 20. exigua dabit, & multa improperabit &c.

Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum, & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quæ hæc essent. Isque dixit illi: frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem & nolebat introire. Inuidia intestinus hostis, non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum: sed in ipsam cordis arietat arcem, & antequam viscera sentiant ipsam dominicam corporis animam prædo capit, & adducit inclusam. Si ergo volumus cælestem mereri gloriam, si paradisi beatitudinem possidere, si æterni patris inhabitare domum, si volumus rei cælestis parricidij non teneri perpetuigili fide, luce spiritus, tetras inuidiæ pellamus & excludamus insidias: inuidiam totis armorum cælestium viribus comprimamus, quia sicut nos Deo conjungit charitas, à Deo inuidia sic seiungit. Chrysolo. sermo. 4.

Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. Cor patris anxium variis arctatur moribus filiorum, & inter diuersos pignorum casus genitoris pietas stupefacta discurrit: quia videt fratrem fratris reditu fugari, & salute alterius sibi alterum mox perire, ac mœrorem longum breui gaudio pensatum inuidiæ liuore turbari. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos! Et quid mirum fratres? Fecit inuidia, fecit vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo. Namque ipsa Cain iunioris erexit in mortem, vt esse solum zeli liuor faceret, & cæca atraque inuidia, quem primum fecerat lex naturæ. Chrysolog. sermo. 4.

At ille respondens, dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hædum vt cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit: occidisti illi vitulum saginatum. Hic rediisse fratrem dolet, non dolet periisse substantiam: nec damni causa quæritur, sed liuoris, qui fratrem redeuntem de suo decorare debuit, non debuit de perdito sic fædare. Chrysolo. sermo. 4.

Cum meretricibus. Quam detestabilis sit meretrix, Prouer. 7. B. C. D. & ecce currit illa mulier.

Meretrices pernicioſæ Ezechie. 16 C. & ædificasti tibi lupanar.

Meretrices detestabiles Prouet. 9. C. Mulier stulta.

Meretrices quam pernicioſæ Eccleſi. 9. A. cum saltratice.

Meretrices quam noxiæ Apoca. 17. A. veni & ostendam tibi.

At ipse dixit illi: fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. O quid facit vis amoris quamuis malo filio, non esse nescit, non esse non potest pater. Videt filium degenerasse animo, videt paternæ pietatis paterni generis, nil habere; & tamen nuncupat filium

suadet affectum, ad gratiam vel spem reuocat largitatis, dicendo. Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, hoc est dicere, patere filium rediisse patri, permitte patri filium suscepisse. Nec ille aliud quam patrem quæsuit, qui veniens non filij sed loco mercenarij voluit collocari. Sint tibi omnia: illi sufficit pater, & ne quid tibi de præsentibus, de veteribus existimes imminutum: illi noua & futura perquiram. Certe si consilium patris requeris & preceptum, particípa præsentia cum fratre, vt cum ipso tibi cómunia sint futura. Gaude ergo, & inuentum gaude: vt ille te gaudeat non periisse Chrysolo. sermo. 4.

Filj tu semper mecum es. Hieronymus in expositione parabolæ de filiis prodigo & frugi ad Damasum hoc explicans, ita scribit. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: non ait, non iustificabitur omnis homo, sed omnis viuens: id est nõ Euangelista, non Apostolus, nõ propheta: ad maiora conscendo, nõ angeli, non throni, nõ dominationes, nõ potestates, cæteræque virtutes, Solus Deus est in quem peccatum non cadit, cætera cũ sint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in vtramque partem suam possunt flectere volũtatem. Petrus Lombar. lib. senten. 2. dist. 7. ait ex his verbis non bene consideratis posse colligi quod boni & mali angeli cũ vtrique liberum arbitrium habeant, tam ad bonũ quam ad malum flecti queant: quod sane ab omnibus Theologis reiicitur. Proinde admonet sentiam Hiero oportere accipi secundum statum in quo primum homo & angelus creati sunt. Talis enim & homo angelus creatus est, vt ad vtrumque flecti possent: sed postea boni angeli ita per gratiã sunt confirmati, vt peccare non possint: & malis ita in vitio obdurati, vt non valeant fieri boni, tamen vtrique habent liberum arbitrium: quia boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, per gratiam quidem adiuti, bonum eligunt: & malum respuunt: & mali similiter spontanea voluntate à gratia destituti bonum vitant & malum sequuntur. Six Senen. biblio sanct. li. 6. annotatio. 150.

De filio prodigo vide Hugo. de San. Victo. lib. 4. Allego. in euange. secundum Lucam to. 1. cap. 22.

Quinque habet sermones qui sunt primi omnium super hoc Euange. Petrus Chrysolo. & qui sequitur sermo sextus poterit etiam aliquo modo hic accommodari.

Hodiernum porro Euang. fuse explanat D. Augustl. lib. 2. quæst. Euang. cap. 33. tomo 4.

Exponit hanc parabolam de filio prodigo D. Hiero. in quadam epist. quam mittit ad Damasum papam, & incipit, beatitudinis tuæ circa medium to. 3.

De filio prodigo vide D. Aug. ser. 27. ad fratres in eremo circa finem to 10.

Duas habet conciones D. Antoni. initio primæ par. Theolo.

Consule eundem 1. par. histo. tit. 5. cap. 2. §. 7.

Consule Bedam lib. 4. super. Lucam. cap. 63.

Quãdo potissimum fere institutum Christi domini in hac parabola fuit quemadmodum sancti doctores affirmant, vt ostenderet quam magna sit Dei misericordia in recipiendo eos qui ad se reuertuntur quantumcunque grauissime peccauerint: non incommode hic etiam agere poteris de misericordia & clementia diuina. Adde quod in Euange. dicitur patrem misericordia motum esse cum vidit filium ad se redeuntem.

Quendam igitur de misericordia sermonem cõdidit D. Chrysosto. circa finem to. 5.

Habet D. Leo Papa dialogum inter misericordiam & duritiam cordis circa medium operum.

Maxima equidem Dei misericordia relucet in peccatoribus, de quo videbis Lauren. Iustinia. lib. de Triumphali Christi agone cap. 25.

De misericordia vide D. Ambro. lib. 1. offi. cap. 11. & 12.

De misericordia & commiseratione quam erga egenos habere debemus vide eundem lib. 2. officio. cap. 28. & 29.

Quod ad Dei imitationem & nos misericordes esse debeamus consule eundem li. 3. officio. cap. 3. 6. & 7.

De misericordia vide vincen. Belluacen. Specu. Mora. lib. 1. par. 3. dist. 31.

Quid senserint philosophi lege eundem Specu. doctri. lib. 4. cap. 67. & 68.

Dominica tertia Quadragesimæ.

ERAT. *Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum eiecisset demonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Lucæ* 11. *Mat.* 12. *Marci.* 3. Narrat S. Lucas Euangelista oblatum domino Saluatori fuisse à dæmone obsessum hominem, cui dæmon hospitalitatis iure tria contulerat beneficia. Hospitem namque suum & cæcum fecerat & surdum, & mutum. Hæc enim tria sunt quæ præclarus hic hospes non in corporibus modo, sed in mentibus etiam eorum quos obsidet operatur. Vbi vero dominus dæmonem ab obsesso corpore expulit, protinus hæc omnia mala cum autore suo expulsa sunt. Et quidem turbæ quæ aderant, & simplici corde miracula domini intuebantur, admiratæ sunt: At Pharisæi tumore atque inuidia excæcati, cæperunt intra se dicere do minum in Belzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia. Sit nomen tuum domine Iesu: benedictum in secula: qui inter homines agens, cum tam multis ac magnis beneficiis eos afficeris, hoc ab eis præmium tulisti, vt clarissima diuinitatis tuæ opera, dæmonum principi sua peruersitate ascriberent. Quid aliud à nostra malitia sperandum erat? Quid vero aliud ab immensa bonitate tua proficisci poterat? Regium est ait quidam, male audire cũ benefeceris. An regium hoc sit nescio: certe hoc maxime tuum est domine, qui apud multos propter eximia tua erga illos beneficia, quibus eorum mala curare satagebas, non raro male audisti: & cũ tu eorum salutem procurares, blasphemabaris.

Quemadmodum hunc dæmon surdum & cæcum fecit, sic miseras etiam animas similibus malis afficit. Itaque & internos oculos & aures claudit, ne ad illa ipsa quæ firma fide credit, animum aduertat. Vnde dominus ad Ezechielem, filii hominis inquit in medio domus exasperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vidĕt, & aures ad audiendum, & non audiunt. Vnde qui ita obesi sunt, etiam si multa ante oculos miracula patrari videant, perinde se gerunt, ac si nullum viderent. Quod in Pharaone, & in scribis & Pharisæis dominum persequentibus, videre est: qui nullis eius miraculis ad fidem & officium reuocati sunt. Hinc etiam si talium aures frequentissimis concionibus obtundas & verberes, si eis & cælestis regni gaudia, & horrenda gehennæ supplicia ante oculos ponas: ita se animo gerunt, ac si nihil prorsus audiuissent. Sic videmus aliquando multos homines in aliquo inueterato odio, aut contra impudi

impudico amore, adeo obstinato perdurare animo, vt nullis rationibus, nullis precibus, nullis conditionibus, nullis etiam sacramentis, nulloque vel humano vel diuino timore, à tali odio vel amore reuocari velint. Quis igitur non hic diaboli potentiam agnoscat in peccato hominem roborantis, & velut ferreis compedibus vinciẽtis? Hac enim de causa Apostolo. ait vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius volũtatem: captiui inquam, hoc est talibus astricti vinculis, quæ nisi diuina potentia disrumpi nequeant. Alios vero hoc ipso tempore ad confessionem peccatorum sic mutos reddit, vt vel omnino non confiteantur, vel non vere aut plene confiteantur. Os etiam claudit, ne vllum vnquam de Deo rebusque diuinis, & ad animæ suæ salutem pertinentibus, verbum faciant, etiam si ad terrena omnia semper pateat.

Et cum eiecisset demonium locutus est mutus. Nec locutus modo est, sed etiam videndi & audiendi facultatem recepit. Restitutio ergo sensuum, expulsi dæmonis argumentum fuit ad hoc autem sciendum est, dæmonem ex anima pelli non posse, nisi Deo in illam ingrediente. Vnde sicut solis ortus tenebras fugat, & diem efficit: ita ingressus Dei in hominis mentem, peccatorum tenebras & tenebrarũ principem pellit: dæmone vero pulso, qui hominẽ & cæcum, & surdum, & mutum reddebat, protinus cecus videt, surdus audit, & mutus loquitur. Hæc igitur tria sunt, quæ dæmonem ab anima pulsum declarant.

Et illud erat mutum. Multi sunt qui ipsi Nabucho donosor assimilantur, qui cum per noctis quietem somniasset, sapientibus & auguribus suis dicebat. Dicite mihi somnium, & interpretationem eius: & illi respondebant ei. Dicat rex somnium seruis suis & interpretationem eius indicabimus. Ita enim sunt multi qui ipsi confessario dicunt, pater interroga me. Vultis ne vt confessarius vaticinetur peccata vestra? dicite potius vos somnium, & sacerdos solutionem dabit. Prius conscientiam tuam examina, & præpara te ante confessionem. Nam cum aliquis dispensator rationem sui muneris exhibere vult, prius apud se agitat quas fecerit expensas: adnocatus etiam priusquam ante iudicis tribunal sistat rationes & iura pro sua parte alleganda excogitat, vnde Ecclesiasticus, ante iudicium para iustitiam tibi.

Et illud erat mutum. Sicut sunt dæmones inuti, ita sunt loquaces, qui vehementer hac ratione mortalibus nocent. De pœniten. Dist. 1. legimus, Qui occidit, & detrahit, vterque pariter homicida est: ille corporis, iste animæ. D. etiam Augustin. 12. q. 3. nemo inquit peritorum aut prudentium putet, quod minus sit periculi in verbis lingua mentiendo, quã manibus sanguinem fundendo. Cæterum non potest non esse negligentissimus in componenda vita sua, qui in aliena perscrutanda diligentissimus sit. Quemadmodum enim algent viscera cum naturalis calor ad extima corporis mẽbra diffunditur: ita quisquis in alienis moribus indagãdis nimium solicitus est, proximum est vt sit in suorum cognitione negligentior. Qui enim studiose seipsum discutit, & intima sua semper explorat, tam multa inter se inuenit quæ & odisse, & extirpare, & componere debeat, vt nil ei otij ad aliena vitia scrutanda supersit.

O pestiferam dæmonis astutiam vtramque viã occupauit atque obstruxit, quibus erat ille creditурus, visum scilicet atque auditum, quas tamen ambas vias Christus reseruit. D. Chrysosto. super Mat. ho. 41.

Et illud erat mutum. Tria signa simul in vno homine perpetrata sunt: cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur, Quod & tunc quidẽ carnaliter factum est, sed & quotidie completur in conuersione credentium, vt expulso dæmone primum fidei lumen aspiciant, deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxẽtur. D. Hiero. su. Mat. 12. li. 2.

Oret vnusquisque Deum: fratres dilectissimi, vt dæmonem expellat à nobis. Vnusquisque enim nostrum habet dæmonem qui tẽrat ipsum atque persequitur: qui omni loco ei insidiatur & laqueos instruit. Hic nobis adulatur; hic longam pollicetur vitam; & opera nostra insidiose commendat. Hic nos incitat ad vanitates, ad rixas, & alia mala: vide Isaac super hunc locum.

Erat Iesus eiiciens dæmonium. Dæmonium habet, qui in peccato graui perseuerat: idcirco nobis præcipitur ad Ro. 6. non regnet peccatum in vestro mortali corpore: quandoquidem dum dæmon regnat in homine, ipse homo sit seruus illius, & ab illo miserrime possidetur, & hoc est habere demonium.

Et illud erat mutum. Id est faciebat hominem mutum ad confessionem, sciens quod ore confessio fit ad salutem. Aug. lib. quæsti. Euange. cap. 3. & 4. to. 4.

Nec solum mutos, sed & loquaces homines reddit dæmon: qui quidem similes sunt cuidam paludi Iudææ quæ dicitur Asphalites, in qua nullus piscis educatur, vnde & dicitur mare mortuũ, & quod iniicias de super natat, nihilque ad imum tendit. Ita enim loquaces in ore habent secretum, non imo corde asseruatum. Vide Aristo. 2, Meteo. & Pli. li. 5. & Iusti. lib. 39.

Silentium vtile est maxime atque à pluribus Philosophis commendatum. Nam Periander dixit, Audito multa, loquere pauca. Cleobulus, audiẽdi quam loquendi studiosior esto. Anonymus, adolescentis scito esse audire quidem per multa, loqui autem pauca. Zeno, aures tibi ob id scito binas esse & os vnicum: vt plurima audiens loquaris paucissima. Epaminondas, audiendi potius quam loquendi, cupidum teipsum præbeto. Omulus, cum alienam domum ingrederis, mutus ac surdus esto. Sociades, impera linguæ. Pittacus, lingua non præcurrat mentẽ. Cæterum vt loquacitas importuna, ita silentium importunum & inconueniens reprehenditur à Cicerone, cum dicit: tacere noli, vbi non oportet. Cato Vticensis, Tum demum silentium abrumpito, cum ea loqui poteris, quæ sunt indigna silentio.

Silentium commendatur Prouer. 18. C. qui prius respondet quam audiat.

Silentium cõmodissimum Eccles. 11. A. Priusquam audias ne respondeas.

Silentium vtile Eccles. 18. C. Antequam loquaris disce.

Silentium commendatur Eccles. 19. D. est tacens & ipse est prudens.

Silentium vtile Eccle. 20. A. est tacens B. D. sapiens in verbis.

Silentium valde commendatur Eccle. 28. D. Attende ne forte labaris in lingua.

Silentium laudabile Eccle. 30. C. Bona absconditа in ore clauso.

Silentium commodissimum Eccle. 32. B. Audi tacens.

Silentium persuadetur Eccle. 40. C. tibiæ & psalterium suauem faciunt melodiam.

Silentium commendatur Iaco. 1. C. Tardus autẽ ad loquendum D. non refrænans linguam suam.

Silentium perutile 1.Petri 3.B.qui enim vult vitam diligere.

Silentium persuadetur Psal.11.Disperdat dominus vniuersa labia.

Inter alios mutos quos dæmon reddit, quidam potissimum sunt qui nolunt accedere ad confitenda peccata sua, aut si accedunt, perraro id quidem faciunt, & mille modis nituntur obscurare veritatem & nullo modo detegere. Vnde fit vt confessarius intelligere non possit grauitatem delictorum. Ad huiusmodi autem institutum persequendum applicabis sequentia.

Quemadmodum quidam si gladius ipse rubigine obducitur, illico eum mundant, alij vero adeo negligentes sunt, vt annum etiam differant, alij denique nunquam eum vel vident modo, nisi cum tandem necessitate vrgentur, vnde fit vt cum vsus poscat, ne educere quidem ex vagina gladium possint. Ita quidam si tantillum maculæ inuaserit conscientiam, illico eam mundant, alij sequentem annum expectant nonnulli etiam mortem ipsam, vnde fit vt sæpe permittat Deus tales mori cum anima immunda, & minus à vitiis expurgata.

Quemadmodnm varia morborum genera curãtur per vomitũ, cum educantur noxia ex ipso corpore: ita ipsa peccata curantur per confessionem & eorundem vomitum ad aurem sacerdotis factum.

Non debemus per verecundiam dimittere confessionem peccatorum, siquidem grauiorẽ postea sustinebimus pudorem, nisi confiteamur Nahum. 3.& reuelabo pudenda tua in facie tua.

Confessio sacramentalis Michææ.7.B. iram domini portabo.

Confessio in lege erat, aliter tamen quam apud nos Leui. 4. per totum & Leui. 5. Nume. 15. C. si per ignorantiam.

Confessio sacramentalis quam necessaria sit, adumbratur Psal.31. Quoniam tacui inueterauerũt ossa mea,

De confessione & eius partibus concionem inuenies in fine operum D.Berna. quamuis eam asserant quidam non esse Ber.& incipit, Notas mihi feci sti vias vitæ. Vide etiam eundem super Cantica. ser.16.& incipit, Quid sibi ergo vult.

Ficta confessio quantum incommodet, vide eũdem lib. de interi. domo cap.60.

Cõfessio sacramentalis quomodo fuerit à Christo instituta & qualis esse debeat, vide Lau. Iust. lib. de disci. & perfec. monast. conuersatio. cap.19.

Habet concionem D. Augus. de confessione peccatorum sermo.66.de tempore to.10.& sermo. 30. ad fratres in eremo to.10.

Quod confessio fieri debeat proprio sacerdoti, & de quibus confiteri debeamus, de eius effectu & impedimentis, aliisque huiusmodi, vide Vin. Bell. Spe. Mora. li.3.p.10.dis.9.vsque ad 16.

Quidam autem ex eis dixerunt: in Belzebub principe demoniorum eiicit demonia: & alij tentantes, signum de cælo querebant ab eo. Hoc in loco illud obseruandum est, quod turbæ quidem quorum commodis nil ex Christi gloria deperibat, miratæ sunt: Pharisæi autem qui ea gloriam sibi ignominiæ esse ducebant, quod dominus subdolos eorum mores & fictam religionem traducebat, cupiditate & liuore obcæcati, in hunc teterrimum errorem atque blasphemiã inciderunt. Ex quo intelligere licet quam magnus errorum atque mendaciorum artifex cupiditas sit, & amor sui. Quid enim recte iudicare animus effrænatis cupiditatibus exæcatus valeat? Si enim index qui alteri parti infensus, alteri amicus est ipso iure repudiatur: quomodo in propria causa verus & incorruptus sui iudex erit, qui immoderato sui amore tenetur? Hinc Plutarchus vtilissimum esse homini censet, acrem aliquem inimicum habere, vt illius oculis facile in vita sua videre quis possit, quæ cæcus amor sui in se videre non sinit. Quam rem aperte Philippus Macadonum rex Alexãdri pater prædicabat, qui sibi gratulabatur quod infensos haberet Athenienses: quoniam eorũ maledictis quid in moribus suis esset vituperatione dignum, intelligeret, atque ita vt eos mendaces faceret, summa cura nitebatur. Qui autem hoc remedio carent, vehementerque sui amore ducuntur, aliorum quidem vitia, quos non diligunt, apertissime & vident & detestantur: sua vero vel extenuãt, vel dissimulant, vel certe non intuentur. Hinc cernere licet ambitiosos homines, qui honorem pro Deo colunt, si forte ab impudicitia alieni sint, aduersus impudicos aliorum mores grauissime indignari, eosque fædissimis & atrocissimis verbis insectari: cum tamen suam miseri ambitionem, fastum, superbiam, & elationem, quæ peccatorum omniũ caput est, amore sui excæcati minime videant. Propter quod Nathan propheta Dauidi admissum scelus exprobrare volens, sub aliena persona illud proposuit, veritus, quod erat consentaneum, ne si illud in seipso Dauid primo intueretur, minus eius deformitatem agnosceret. Hoc enim ingenio homines sumus, vt aduersus aliena vitia acriter indignemur, ad nostra vero conniueamus.

In Belzebub principe dæmoniorum eiicit demonia. Etenim inuidus omnia quæ videt, sicut serpens omnia quæ comedit, in venenum conuertit: omnia facta & dicta illius quem odio prosequitur, semper in sinistram partem interpretatur. Quia dæmon vidit hominem in statu felici constitutum esse, & ad illũ locum ei patere aditum, vnde misere ipse corruerat, illum tentauit & vicit. De Isaac etiam dicit scriptura, benedixit illi dominus, & locupletatus est homo: ob hoc igitur inuidẽtes ei Palestini, puteos eius obstruxerunt. Hæc porro detestabilis inuidia, nec propinquis quidem parcit. Nam Rachel sterilis, sorori fæcundæ inuidebat. Legimus quidem de Heli sacerdote, quod non poterat videre lucernã, donec extinguebatur: sic inuidi non possunt videre bona opera proximorum lucentia, nisi ea solum quæ extincta sunt, & mortua. Cæterum pascuntur quidem hic inuidi stercore, vt scarabei. De talibus porro qui proximorum bonis operibus offenduntur, inquit Amos, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.

Quemadmodum syderum atque cælorum influxus pro varietate materiæ varios in hoc inferiori mundo effectus producunt: ita plane auxilia diuina & miracula, quæ omnibus præsto sunt, varie homines pro variis eorum moribus & ingeniis afficiunt. Vide enim quæso quam dissimiles hominũ voces hoc diuinum opus sint consecutæ. Ex qua quidem Philosophia tremendum quiddam, & horrendum etiam auditu, colligimus: nempe deprauatis mentibus, & ad peccandum diu adsuetis, frequenter diuina beneficia quibus fidunt adeo non prodesse, vt interdum etiam maioris ruinæ occasio fiant.

Quia varia erant hominum pectora, ideo non pro rei natura, sed pro suo quisque ingenio sententiam ferebat. Araneus quidem & apis eundem florem carpentes, ille venenum, ista mel conficit. Pluuia etiam in terram decidens. variisque plantis alimenta ministrans, in cicuta venenum, in vite vinũ in cæterisque arboribus pro earum natura varios fructus floresque producit.

Et certè

Et certe nil magni turbæ dixerunt, & tamen nec illud pati potuerunt: adeo quemadmodum iã dixisse memini, beneficiis aliorũ ceu acerbo morsu exagitantur, nec quisquam est quòd eos tantum cruciet, sicut indubitata hominũ certaque salus. Et certe tale malum inuidia est, qua nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Et quemadmodum sues sutosa immunditia, & dæmones nostris damnis lætantur: sic inuidi calamitate proximorum exultant, cumque aliquid triste ac dolore & efficies proximo acciderit, tunc aliquantulum quiescit inuidus atque respirat. Alienas enim iacturas, suos quæstus existimat: & aliorum felicitatem miseriã suam arbitratur: nec magis considerat quid ipse suaue consequatur, quam quid proximo calamitosum inferatur. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? nonne omni cruciatu torquendi sunt? non aliter profecto quam rabie concitati, canesque pernicioli ac dæmones atrocis furiæ. Nam quemadmodum scarabei alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur: cum sint communes humano generi hostes atque inimici. Pestifera denique inuidia hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum conuertit. D. Chryso. super Mat. ho.41.

In Belzebub. Ninus rex conditor Niniue Belo patri suo statuam consecrauit, eique diuinos honores instituit: cuius simulachri similitudinem susCipientes Chaldæi, Bel vocabant: Palestini susciperes, Baal dicebant: Moabitæ, Beelphegor. Iudæi autem vnius Dei cultores, propter derisionem gentiliũ, Beelzebub appellabant. Baal enim vir dicitur, zebub musca: inde Beelzebub, id est vir muscarũ, siue habens muscas, propter sordes cruoris qui in templo eius immolabatur. Asserebant etiam Iudæi in hoc simulachro principem dæmoniorum habitare, per cuius potestatem dicebant Iesum dæmonia pellere. Lyranus super Lucam 11.

In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit demonia. Quemadmodum in vase immundo omnis infusus liquor corrumpitur, & in languido stomacho quicũque cibus vel pretiosus perditur, & in malos cõcoctiũr humores atque virga quãtumcunque rectissima, in aquã immissa, apparet obliqua: ita quãuis opera alicuius sint sancta & mirabilia, si cadant in animos odio & nequitia infectos, & oculis prauè affectis iudicentur, cordibusque impietate referertis expendantur, apparebunt vtique illis deformia, praua, & peruersa. Talibus animis illi Pharisæi intuebantur opera Redemptoris nostri, cum blasphemo corde dicebant, in Beelzebub &c.

Quod isti dicerent Christum in Beelzebub eiicere dæmonia, & tã clarissima eius miracula quãtum in se erat conarentur obscurare, id quidem vt dictum est ex rodente proficiscebatur inuidia. Quare non incommode hic contra inuidiam dissererе poteris.

Quam detestabile sit vitium ipsa inuidia, vide D. Bernar. li. de interio. domo cap.42.& incipit, inuidia est animi tinea: videbis etiam cap. 16. eiusdem lib.

Quendã confecit dialogum D. Leo papa inter inuidiam & charitatem circa medium operum.

De inuidia lege D. August. ad fratres in eremo sermo.18.circa finem to.10.

Vide Vincen. Belluacensem Specu. histo. lib.20. cap.70.

Quid senserint Philosophi lege eundem Spe. doct. li.4.ca.130.& quid poetæ ca.131.

Non est plane cur quidam inuideamus, præsertim cum natura comunem nobis fecerit solem, aerem, lunam, & astra: adde etiam quod alij aliorum opera vtamur inuicem, cum egemus. Alius enim plantat vineam alij, cui iste suppeditat carnes. & agricola frumentum tribuit sutori, cui sutor calceos ministrat, & ita in cæteris. Vide Senecam lib. 10. epist. ad Luci. Epist.74. circa medium.

Considera quæso quo tãdem peruenerit ipsius Saulis inuidia contra Dauidem quem honorare debebat potius, cum sæpissime è faucibus aduersariorum eum eripuisset, ex eo tamen inuido eum oculo conspiciebat, & hostili dextra inuadebat.

Quemadmodum eos qui per loca soli exposita & eius luce plenissima gradiuntur, vmbra semper ipsa assectatur: ita eos qui in splendida præclarissimorum factorum & dictorum luce versantur, semper inuidia comes sequitur, hoc est eis non aliis in uideri solet. Vnde sapienter certe Philosophus quidam interrogatus quid faciendum esset nequis haberet inuidos, respodisse ita fertur: si nihil prorsus boni habueris, carebis, certe æmulis & inuidis. Simile.

Camelus quidem autore Plinio lib.8. natura. histo. cap.18. accedens ad claram limpidamque aquã sitim suam extincturus, prius aquam turbulentam reddit quã bibat ex ea, veritus scilicet ne si limpida sit aqua, ibi cernat deformitatem suam, eoque sibi totus displiceat ita plane cum in bono, exemplari scilicet clarissimo virtutis & probitatis, reluceant siue repræsentẽtur scelera & flagitia hominum improborum, hoc est ex bonorum comparatione & relatione hi manifeste improbi & flagitiosi esse cõuincantur, idcirco bonos quosque & innocentissimos viros improbi persequuntur, famamque eorum præclarissimam inuidia rodente obscurare & fædare nituntur.

Quantum mali adferat inuidia Danie.6.A. Vnde principes & satrapæ.

Inuidia quantum possit Gene. 37. A. Videntes autem fratres.

Nemini debemus inuidere Ruth.4.D. vicinæ autem mulieres.

Graue malum inuidia 1. Reg. 17. D. iratus est contra Dauid.

Quam pestifera sit inuidia 1. Reg. 30. F. quia non venerunt nobiscum.

Inuidia quam cæca Ioan. 3. C. Qui tecum erat trans Iordanem.

Quam lethalis sit inuidia Acto.4. A Superuenerunt sacerdotes.

Ipse autem vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius? quia dicitis in Beelzebub eiicere me dæmonia. Omnis namque diuisio, eius rei quæ diuiditur ruina est. Quare vnaquæque res sicut amat suum esse, ita suam etiam integritatem & vnitatem: & quemadmodum resistit suæ corruptioni, ita etiam suæ diuisioni, quia diuisio eius, corruptio & interitus eius est.

Ciuitas enim ac domus si fuerit scissa dissoluetur: non enim adeo externa quantum intestina atque ciuilia bella prosternunt. Idipsum in corporibus quoque fieri solet, id in cæteris atque etiam omnibus rebus: sed à manifestioribus similitudines sumpsit. Nam etsi nil in terris regno est firmius, facile tamen destruitur seditione dissipatum. Ita siue paruum siue magnum sit quod secum ipsum dissidet, prosterni atque cadere id necesse est. D. Chrysost. super Matt. ho.42.

Vt vidit cogitationes eorum dixit eis. Aut certe sicut simpliciter sermo demonstrat, hæc Pharisæi non dixerunt, sed cogitauerunt. Mala autem eorum cum essent

essent absconditа, quid nocere poterat gloriæ Christi? nihil. Qui enim malum cogitat, se perdit, alterũ non grauat. Sed vide misericordiam Christi. Si illi hoc aperte dixissent, & iste econtra respondisset, diceremus: forsitan quia ideo contra verba illorum respondit, vt confunderet malitiam eorum. Nunc autem manifestum est quia ideo respondit, non vt funderet malitiam eorum, sed vt sanaret vulneratam conscientiam ipsorum: vt videntes cogitationes suas in verbis eius: vel sic intelligant quia non est homo, qui corda cognoscit. D. Chrysosto. in nõ absolut. ho. 29.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Causa dicti huius ea est, quod in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia dicebatur: vt ostenderet regnum suum indiuiduũ esse atque perpetuũ, meritoque etiã Pilato respondit, regnum meũ non est de hoc mundo. Ambrosi. super Lucã li. 7. ca. 11.

Vt vidit cogitationes eorum. Consule D. Thom. 3. p. q. 10. arti. 2. per totum. & q. 59. arti. 2. ad 3. & in 3. sen. dist. 14. ar. 2. q. 2. & ar. 3. quæstiun. 1. & q. 5. ad 2. & de veri. q. 8. ar. 4. in corpo. & q. 20. ar. 4. in corpo. & ad 1. & 5. & quoli. 3. q. 2. ar. 1. & 1. p. q. 14. ar. 11. & 12.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Lege eundem 2. 2. q. 37. ar. 2. ad 3.

Si autem & Satanas. Consule eundem 1. p. q. 109. ar. 2. ad 2. & 3. p. q. 43. ar. 2. ad 3. & in 2. sen. dist. 6. ar. 4. in corpo. & ad 2.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Ostendit Christus dominus inter sese nõ esse diuisos dæmones, sed omnes simul in eandem conuenire sententiam & voluntatem vt nobis incommodent. Ex quo perfacile colligas quam dolendum sit vt vix reperiantur homines aliqui qui ad bonum & virtutem tanta pace & concordia conueniant, & coniũgantur, quanta conueniunt dæmones atque conspirant in hominum perniciem. In hoc siquidem dæmones omnes vna conueniunt, concordes existũt, & vnanimes perseuerant, nimirum in inferendis nobis mille tormentorum & tentationum generibus. Iustum plane esset vt non minus inter nos ipsos aduersus eos concordia seruaretur, præsertim cum ita illi contra nos maxima crudelitate conspirent. Quod vtique fieret, si omnino caueremus ne Deum offenderemus. Ignominiosum profecto nobis est, vt equi rixosi & indomiti, sibique ipsis contrarij, contra leonem tamen vna conueniant: & canes aduersus lupum, & molossi contra taurum: nos vero non soli non simus vna concordes aduersus dæmones hostes nostros immanissimos. Mirandum ergo est vt quod in illis efficere potest odium aduersus nos, non queat in nobis proprius amor & commodum nostrum proprium præstare.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Mirabili sane & diuino modo probat euidenter Christus dominus istos verum non dicere, asserentes quod haberet dęmonium: nimirum respondendo tanta cum mãsuetudine, sine vlla indignatione, & animi perturbatione, atque tantum ratione procedendo, vt illos etiam ratione deuinceret. Quando enim dæmon cor alicuius possidet, ipsum efficit furiosum, iracundum, præcipitatum, concitatum, dissonum & inordinatum: & ita demõstrat in suis actionibus furias & debacchationes ipsius dæmonis. Vnde perspicuum ostenditur & exploratum, quod si Christus habuisset dæmonium, non respondisset adeo patienter & mãsuete. Itaque cum quis, nobis obiecerit nos esse possessos à dæmone, & illi cum mansuetudine responsum dederimus, aut nos impudicos esse exprobrarit, & illi sedate responderimus, vel nos superbos esse obiicient, cum humilitate satisfecerimus, aut denique nos stultos esse exprobranti, cordate responderimus: tunc plane & modo vrbano satisfaciemus, & eum mendacij conuincemus. Quare hoc vtitur modo Christus in Euangelio hodierno: respondens mansuete & benigne, omni remota bile & indignatione: explicato interim eorum prauo animo & grauissimo errore. Vbi seruat illum modum quem spiritus sanctus docuit Prouerb. 26. ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis: responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

Hac responsione sedata & moderata instruit Christus magnates, principes, & denique superiores, ne sint in puniendo præcipites & accelerati: quãuis id imperiose efficere queant: quoniã superior tenetur omnia facere cordatius atque prudentius quam inferiores. Quemadmodũ enim planeta Saturnus qui supremum obtinet locũ inter errantia sidera, licet motum ipsum raptum velociorem habeat, nihilominus tamen in suo naturali tardior est atque sedatior: solis item motus, & cæterorum denique planetarũ siue orbium descendendo, quò superiores magis sunt, eo ex alia parte etiã cõtemperatiores existunt: ita plane superiores & prælati tardi esse debent ad præcipitationẽ & iracundiam, & potius animo esse sedato, quieto, & in omnibus circunspecto. Vnde non abs re profecto depingere ita antiqui principẽ solebant, vt facie humana constantẽ bouem efformarent, atque supra eius caput delphinum depingerent. Significabat verò delphinus diligentiam & accelerationem, quam in rebus cognoscendis & peruestigandis adhibere debebat, bos verò ipse grauitatem notabat & autoritatem, quã debet in actionibus suis præseferre princeps, & facies tandẽ humana, hanc quam quærimus clementiam, benignitatem, & humanitatẽ, in respondendo & oraculis reddendis, non turbulente, sed quiete; non crudeliter & inhumane, sed mansuete atque clementer. Quo circa cum quisque etiam in domo ipsa & familia, siue in semetipso præsideat & princeps sit, videat quam caute se gerat, vt ad Christi imitationem quamuis sibi obiiciantur detractiones & infamiæ, tamen tranquille semper & omni seclusa penitus perturbatione causam suam tractet. Vide Hecto. Pintum super Ezechi. 28.

Simile.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Super hæc verba agi potest contra discordias, quantum scilicet mali ex ipsis promanet, deque earum causis & origine, atque aliis id genus.

Quare discordiæ ipsæ ex variis manare solent principis & capitibus, quandoque enim exoriuntur discordiæ ex ipsa atra cæcaque inuidia: qualis fuit discordia inter duos illos primos fratres, Cain & Abel Gene. 4. Item inter Saulẽ & ipsum Dauid. 1. Reg. 18. quandoque præterea nascitur discordia ex auaritia, qualis fuit illa quæ exorta est inter pastores Abraham & Loth: inter Iacob & Esau: inter Dauidem & Naba. Nonnunquam etiam pullulat discordia ex superbia & ambitione qualis fuit excitata inter reges Sodomæ & regem Chodorlahomor atque alios Gene. 14. & inter Abimelech & Sichimitas Iudicum 9. inter Absalõ & Dauid 2. Regum 15. inter Roboam & decem tribus 3. Reg. 12. atque inter ipsos Christi discipulos Lucæ 22. Interdum ortum habet discordia ex cõcupiscentiis carnalibus, quomodo Sodomitæ insurrexerunt in Loth Gene. 19. Item filij Iacob inhabitatores Sichem: & inter ipsos Hebræos eius generis orta fuit discordia propter vxorem Leuitæ: & inter Absalõ

& Am-

& Amnon propter stuprum Thamar: & inter Philisthæos & Samsonem Iudicum 15. Ex gula insuper oritur discordia, qualis illa fuit inter Hebræos & Moysen, quando videbatur eos deficere cibus & potus: item cum alios poscebant cibos quod iã fastidissent ipsum mãna. Nascitur porro discordia ex ipsis disputationibus, vt passim videmus fieri: quod vtique nõ fieret, si seruaretur ordo atque modestia prescripta à D. Basi. li. reg. fusius disputatarũ ca. 49.

De discordia vide Vincen. Belluacen. specu. Mora. lib. 3. par. 3. dis. 12.

Ex diuisionibus atque discordiis quas inter se habuere Græci cũ ducibus Atheniensibus & Lacedæmoniis, licet alij essent bene instituti legibus Lycurgi, alij sanctionibus Solonis, se mutuo deuastarunt, vt prodidit Iustinus lib. 3.

Obserua obsecro mirum quoddam exemplum, quod tibi ante oculos perpetuo in disputationibus proponere debes, in concertationibus quibusdam ortis inter duos illos sanctissimos viros, nẽpe Hieronymum & Augustinum: qui vt per emphasim aliquid dicam, non secus visi sunt calamis quõdam decertasse, quam Cæsariani cum Pompeianis gladiis contenderunt. Verum enimuerò non vt nunc fiat, contentionibus, verius dixissem iniuriis & cõtumeliis, depugnabant: sed potius vterque ita dicebat. Faxit Deus opti. Max. vt veritas ipsa nostræ disputationis elucescat: si enim ego victus euadã dicebat Hieronymus, etiam vincam: nam errorẽ quo implicabar superabo, neque enim meã quæro, sed Christi gloriam. Idem etiam dicebat Augustinus. Vide D. Hierony. scribentem Augustino in epistola quæ incipit, Tres simul, circa finem to. 2.

Videant etiam atque etiam discordiæ amici, ne charitatẽ, quæ maxime discordias fugat, ex animo amittant: qua vt nil odiosius, ita nil discordia iucũdius, dæmoni accidere potest: Vide D. Grego. 3. par. Pastora. admoni. 24.

Cum contra malignos spiritus aciem nostri spiritualis certaminis disponamus, maximopere cauẽdum est ne cum ipsi contra nos ita conspirent, nos discordia aliqua disiungamur: quin potius charitate semper armemur & ardeamus: quia hac vna sublata, locus aperitur in acie ipsi hosti, per quem commode nos inuadat. D. Grego. homi. 8. super Ezechie.

Considera obsecro quot quantaque mala ipsi Loth acciderint, vbi primum ab Abrahamo se disiunxit: siquidem in captiuitatem ductus est, & ex diuite pauper, ex libero seruus factus: vt inde tibi persuadeas quanta te maneãt mala, si discordiæ fueris assecla atque sectator. Vide eundem super Gene homil. 35. tomo. 1.

Nescio cur non pudeat homines, tam mitissimũ genus, alterno gaudere sanguine, inquit Seneca: bella inter se gerere, atque gerenda quasi hæreditaria successione & iure liberis tradere: cum videamus feras etiam ipsas immanes nõ tam crudeliter inter sese agere. Vide Senecam episto. lib. 15. epist. 95. Quæ applicare poteris contra nostrates, qui non solum inter se dissident ad tempus sed etiam diuturnas & sempiternas quasdam factiones sustentant, & easdem liberis suis & omnibus succedentibus consanguineis & affinibus præscribunt, dictant, imperant.

Dicunt naturales philosophi esse lapidẽ quendam qui si integer in aquam proiiciatur, natet non secus quam si lignum esset; at vero si frangatur, in imum tendat: ita certe homines concordia supereminent, crescunt, atque conseruantur, discordia verò dilabuntur & demerguntur.

Quemadmodum ipso igni partes diuersæ atque disiunctæ metalli coniunguntur & copulantur: ita diuisio inter Deum & hominem atque inter eosdem ipsos homines, igne charitatis Dei coniungitur, atque vnitur.

Quemadmodum homo ex duobus componitur, anima scilicet & corpore, ita sunt duo genera gubernationis in Christiana Repub. altera est gubernatio spiritualis, ad animam pertinens, altera corporalis, quæ ad corpus pertinet. Vnde sicut anima & corpus conformantur & coniunguntur, quia si disiungerentur, corpus statim interiret: ita inter principes seculares & Ecclesiasticos debet esse maxima conformitas atque vnitas.

Quemadmodum quamuis horologium varia instrumenta & rotas contrarias seu differentes habeat, tum in figura, tum in quantitate & denique motu, omnia tamen ad eandem rem tendunt: ita in Repub. quamuis sint diuersa munera & officia, omnia tamen tendere debent ad vnum optimum gubernaculum, regimen, & administrationem.

Vide denique mirum quoddam sedandi discordias exemplum Iudicum 8. statim initio.

Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonium, filij vestri in quo eiiciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Perspicis etiam hic quam mitis sit sermo? Non enim dixit discipuli mei aut Apostoli, sed filij vestri, vt siquidem ad eandem cum illis animi nobilitatem venire velint magnam hinc oportunitatem atque occasionem nanciscantur. Si autem ingratitudine ac sopore mentis in nequitia permaneant, nulla sibi ratio ad excusationem relinquatur. D. Chrysosto. super Mat. ho. 42. to. 2.

Si in digito Dei. Iste est digitus quẽ confitentur & Magi, qui contra Moysen & Aaron signa faciebãt, dicentes digitus Dei est iste: quo tabulæ lapideæ scriptæ sunt in monte Sina. Si igitur manus & brachiũ Dei, filius est, & digitus eius spiritus sanctus: Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vna substantia est, non te scandalizet membrorum inæqualitas, cum ædificet vnitas corporis. Hierony. lib. 2. super Mat. 12. to. 9.

Habitat enim vt legisti, corporaliter plenitudo diuinitatis in Christo, quod vtique de patre negare non poteris, & de spiritu negare non debes: nec tibi membrorum partitio quædam videatur facienda virtutis. Indiuiduæ enim rei non potest esse diuisio, & ideo ad formam vnitatis, nõ ad distinctionem potestatis referenda digiti nuncupatio est, cum dextera Dei dicat, Ego & pater vnũ sumus. Sed licet indiuidua diuinitas, distincta persona est. Digitus tamen cum dicitur, spiritus operatoria virtus significatur: quod diuinorũ operum sicut pater, & filius, ita & spiritus sanctus operator sit. Ambro. super Lucam 11. lib. 7.

Si in digito Dei eiicio dæmonia. Lege D. Tho. 1. p. q. 36. ar. 1. ad 1.

Ideo ipsi iudices vestri erunt. Vide eundem 4. senten. dist. 47. q. 1. arti. 2. quæstiun. 1. per totam.

Digitus Dei vocatur virtus Spiritus sancti: quod insinuare visi sunt Magi Aegyptij dicentes Exo. 8. digitus Dei est hic. Vide D. August. lib. 2. Quæsti. Euangeli. cap. 17. to. 4. cum ait, in nullis membris magis apparet partitio quam in digitis.

Sicut digitus cum manu & brachio, manus verò & brachium vnum sunt cum corpore in natura; ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem sunt personæ, vna autem substantia diuinitatis. D. August. de essentia diuinitatis to. 4.

Dicitur Deus habere oculos, pedes, manus, digitos

gitos

gitos,tametsi si spiritus,propter effectus suos,non quod reuera ea habeat.Nam oculos habere dicitur quòd omnia perlustret, videat,& intelligat:manus quod omnia fabricarit, & ita in cæteris. Vide D. Grego.lib.14. Mora.cap.22.

Cum fortis armatus custodit atrium suum,in pace sunt omnia quæ possidet:si autem fortior illo superueniens, vicerit eum,vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat,& spolia eius distribuet. Prima quidem ex his verba magnam mihi emphasim habere videntur:nam & diaboli fortitudinẽ & armą, atque tyrannidem ipsius maxime declarant. Ex quibus illa pernicioſiſſima pax oritur,quæ me frequenter in admirationem rapit: quia ille captiuos suos non reclamantes, non reluctantes, non tyrannidem eius accusantes, sed sponte obsequẽtes, in captiuitate securos detinet. Quid enim mirabilius, quam improbum hominẽ cernere tanta pace atque securitate agentem, cum tam acrem contrą se aduersarium nempe Deũ habeat, cum à dæmone obsideatur, cum diuina gratia destitutus in mille passim præcipitia ruiturus sit, cum denique inter ipsum æternumque supplicium sola vita interſit, quæ telis araneorũ fragilior est?Qui enim captiui sub Pharaone tenebantur, ij plane querebantur,angebantur,& captiuitatis suæ miserandam fortunam deplorabant,&ad libertatẽ semper aspirabant. At in hac spirituali animarum captiuitate, nil horum videmus: sed in summa pace & securitate velut in amænissimo quodam loco miseros homines agere, adeoque captiuitatem suã nõ horrere,vt ea vel maxime oblectentur,tanta huius tyranni potentia est.Et quidem qui grandi ære alieno oppressi à creditoribus vexantur vix gratũ cibum aut somnum hac cura stimulãte capere possunt.Quomodo ergo infelices isti, qui decem millium talẽtorum creditori Deo debitores existunt, in tãta pace & securitate degunt? Iam vero quibus in carcere vinctis capitalis sententia denũtiata est, quo metu,quo angore, atque horrore dies noctesque concutiuntur?Qui ergo fieri potest,vt tu qui si dei lumine instructus credis te secundum præsentem iustitiã ad æterna supplicia diuino iudicio esse damnatum, vnde consequens est,vt vbi primũ respirare desieris,in momento tẽporis ad inferna descendas,& cũ diuite epulone ibidem sepeliaris, vbi ne guttam quidem aquæ ad incendia tua refrigeranda sis habiturus:quomodo inquam qui hæc sic miter credis,huius tantæ rei metu adeo non commoueris, vt etiam rideas, ludas, in vtramque aurẽ securus dormias, & in summa pace vitam ducas?

Lud.Gra.

Simile.

Exod.5.

In pace sunt omnia quæ possidet. Hoc certe diabolus maxime conatur,vt quam possidet peccatoris animam,quiescere faciat in culpa, & in vtramuis aurẽ dormire:ita vt nec vllum conscientiæ stimulum patiatur. Sicut enim illi Babylonij qui captiuos Israelitas ducebant, inuitabant illos ad cantum:Sic dæmon cum in captiuitatem peccati ac seruitutẽ peccatorem redegit,cantare,gaudere, ludere & quiescere omnibus modis eum permittit, vt sic obliuiscatur peccator periculum suum, in quo infeliciter detinetur. Cui potius respõdendum est,quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?ô infelicem enim & miseram pacẽ:de qua Esa. inquit, Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Non debemus esse securi,aduersarius noster fortis,victoris quoque vocibus comprobatur.Domus illius mundus,qui in maligno positus est:non creatoris dignitate,sed magnitudine delinquẽtis. Vasa eius nos quondam fuimus.Alligatus est fortis,& religatus in tartarum,& domini contritus pede:& direptis sedibus tyranni,captiua ducta est captiuitas. Hiero.super Mat.12.lib.2,to.9.

Qui non est mecũ,contra me est:& qui non colligit mecum,dispergit. Quis aduersus Christum, nisi ex peccato? neque enim ex corpore aut anima, quæ Dei creaturæ sunt, inimicus est homo, & aduersus eũ. Vide Aug. de peccatorum meritis & remiſ.contra Pela.lib.1.cap.28.to.7.ad Marcellinum,& inscribitur etiam de Baptismo paruulorum.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem.Et non inueniens, dicit: reuertar in domum meam vnde exiui:& cum venerit,inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Principio illud statuendum est, in omnibus hominũ mentibus vel Deum vel dæmonem habitare. Ait enim Aposto. si quis non habet spiritum Christi, hic non est eius. Si ergo eius non est,cuius nisi dæmonis erit? Duo enim solum regna in hoc mundo sunt alterum bonorum,alterum malorum,bonorũ caput Christus, malorũ caput dæmon est,qui propterea huius mũdi princeps in literis sanctis appellatur.Quisquis ergo ad Christum nõ pertinet, non dubium quin ad huius mundi principem id est diabolum pertineat. Quo fit,vt vbi Christi spiritus non habitat, ibi nequitiæ spiritus sedem sibi ac domicilium cõstituat. Vnde consequens est in omnibus improborum mẽtibus dæmonem habitare:quæ quidem miseriarum omnium extrema esse videtur.Quid enim ab ea mẽte sperari poterit, quam adeo teter & funestus hospes inhabitat?Hic ergo detestabilis spiritus ab homine per veram pœnitentiam exit, cum is & præterita mala plãgit,& futura vitare firmiter proponit, adiũctis saltem in voto Ecclesiæ clauibus & sacramentali absolutione. Tantam enim vim illa sacerdotis verba habẽt, cum ait,Ego te absoluo:vt quẽadmodum cum initio mundi Deus dixit, fiat lux: facta est lux:ita sacerdote absolutionis verba proferente,omnes protinus peccatorum tenebræ principesque ipsi tenebrarũ vocis huiusvirtute diffugiãt. Pro illa veto immundorum spirituum colluuione spiritus cælestis ingrediens,domum illam non modo purgat atque sanctificat:sed etiam virtutibus, doniſque cælestibus mirifice ornat,eamque dignũ sibi in quo requiescat habitaculũ parat. Huiusmodi autem animorum mutationes, atque vt ita dixerim transmigrationes, hoc sacro Quadragesimalis pœnitentiæ tempore potissimum fieri solent.Sicut enim homines in festo D. Ioannis Baptistæ domicilia commutare solent, & ex aliis in alia cõmigrare:ita spiritualibus hospitiis cõmutandis Quadragesimæ tempus destinatum est. Quæ quidẽ mutatio nisi hoc tẽpore fiat, quis eam in reliqua anni parte quæ ad hoc minus idonea est, sperare poterit?Ita fiet vt sub diaboli potestate,consequenti adhuc anno miserabilis homo permaneat.

Gene.1.

Simile.

Et non inueniẽs dicit &c. Quia,sicut auarus rebus suis minime contentus est,sed ad aliena semper adspirat: magis enim alienorum bonorum desiderio cruciatur,quam suorum possessione lætatur:ita hostis noster qui animarum nostrarũ tã auidus est, vt ipsius nomine dictum sit, Da mihi animas, cætera tolle tibi:nullo modo in his plene requiescit quos iãdudum suos fecit, sed ad ea quæ alieni iuris hoc est Dei sunt,tota auiditate aspirat.De eo enim mystice illud accipitur quod in Abacuc scriptum est, Cibus eius electus.Sicut enim salus animarũ,Christi domini cibus est:ita earundem pernicies diaboli esca est. Sed hæc tamen eius esca electa esse dicitur, quia non tam improborum hominum, quam iustorum perditione lætatur.Hunc enim velut ex mensa

mensa Christi electum cibum rapere ac deuorare conatur,videlicet non tam de suo lucro, quam de ruina nostra & Christi domini iniuria triũphans. Nec enim vt D. Cypria.ait,illos quærit quos iam subegit, hos enim vt captiuos tenet, illos pergit lacessere, in quos Christum cernit habitare. Et cum omnes electos impetat, in illos præcipue dolore extimulante agitatur, qui sub eius aliquando potestate fuerunt:à quorum tamen dominatu expulsus est. Vt enim D. Grego.ait,excitatur hostis in prouocationem certaminis, cum ius amiserit peruersæ dominationis.

Reuertar in domum meam. Quandoquidem dęmõ tantam adhibet diligentiam in perditis recuperãdis vigilandum nobis etiam atq; etiam in nostra defensione est, non modo id curando, vt non peccemus, sed etiã vt omnes omnino aditus & occasiones peccãdi præscindamus Quemadmodum enim dux cui à rege alicuius arcis custodia comissa est non hoc solum curat ne hostibus creditã sibi arcem tradat,sed illud etiam diligentissime prouidet, vt militibus & armis, vt vallo fossisque, & omni apparatu belli eam muniat, ne ab hostibus expugnari queat:quod si negligat, quamuis non proditionis,at certe grauissimæ negligẽtiæ pœnas dabit. Sic etiã quia ad diuinæ legis custodiam ex imperio domini adstrictus est, non in hoc solum incumbere debet ne ad demonis sugestionem mẽtis suæ arcem peccando pdat:sed vt ea etiam diligentissime curet,quæ ad eam conseruandam maxime cõducere putat. Pudica etiã vxor quæ matri monij fidem inuiolatam custodire nititur,nõ hoc solum obseruat ne legitimi viri thorũ adulterio polluat: sed omnia etiã suspicioſa siue colloquia, siue spectacula, siue contubernia & quicquid tandem viam ad adulterium parare possit,diligẽtissime vitat. Quisquis enim alicui fini consequendo adstrictus est, omni cura & studio ea quærere debet quæ ad finem consequendum iuuant, similíque cura vitare quæ obstant.Id qđ mirabili ratione olim dominus in lege designauit, qui cũ Nazarçis id est hominibus Deo cõsecratis,legẽ prescripsisset ne cõsecrationis suæ tẽpore vinũ biberẽt:nõ cõtẽtus vino interdixisse,interdit etiã quanis alia re quæ ex vua fit,ab vua passa vsq; ad acinũ.Quid hoc ad religionẽ?Nimirũ religio erat à vino abstinere rẽ(qđ inter laudes Ioãnis Baptistę cũ primis ab angelo memoratur)sed hac tamen lege admonere dominus voluit, vt cum aliquid prohibet,nos etiã quæ illi finitima sunt caueamus: quo lõgius à trãsgressionis periculo absimus. Adde quod qui minora non admodum curanda esse dicunt, non aduertant cum quo aduersario bellum gerant, in quo mundo versantur, & qua infirmitate carnis circundati sint:quæ omnia tãto à nobis maiorem curam exigunt, quanto & mundus deterior,& natura carnis nostræ imbecilior, & hostis quo cum bellum gerimus immanior est. Quæ autẽ arma sumere debeamus ad nostrã defensionẽ, D. Cypria. describit his verbis. Sit in manibus diuina lectio, in sensibus dominica cogitatio,oratio iugis omnino nõ cesset, salutaris operatio perseueret, vt quoties inimicus accesserit, & clausum aduersum se pectus inueniat, & armatum. Tunc enim non inueniet domum vacantem, & ad expugnandum paratam.

Reuertar in domum meam. Suam vocat domum per possessionem:vide igitur quãdo in peccatum præceps ruis,quã vilissimo & abiectissimo domino tui ipsius imperiũ permittas. Si virginem videres excellenti formą & pulchritudine,diuitem,sapientem,& principis filiam,quæ nuberet abiectissimo alicui viro:nonne de tali coniugio vehementissime doleres? Cur igitur non te pudebit tãdem aliquãdo,Dei filiã animã ipsi dæmoni despõdere?

Inuenit eam scopis mundatam. Scopæ tantum pulverem mũdant, non autẽ durum lutum. Vna certe inter cæteras causa quare tam cito in peccata dimissa reuertimur,& consuetudo peccandi antiqua, quæ ita renaciter animæ inhærer, vt etiamsi scopis mundes tuæ animæ peccata, & illa cõfitearis:tamen illa mala & antiqua consuetudo nisi vigiles, efficiat vt ipse dæmõ iterũ animã possideat. Magno ergo opus est dolore & contritione atque vigilãtia:sed præcipue diuino fauore,vt antiquam illam consuetudinem superare prorsus ualeas.

Inuenit eam ornatam. Hoc otium audaciam tribuit ipsi dæmoni,vt redeat in domum quam reliquerat. Ideo Aposto. monet dicens,nolite locum dare diabolo: in anima quidem aliquibus sanctis exercitiis occupata, nullum dæmõ habet locum. Filij Dan ceperunt vrbem Lais vacãtem:ita dæmõ animã vacantem occupare consueuit.Cæterũ quã plurimos videas qui tametsi occupatissimi videantur, nihilominus tamen vacent otio,quia nil agũt vtile atq; conducibile animæ. Et quemadmodum cum cernis pueros occupatos in domunculis condendis, aut huiusmodi puerilibus,eos otiosos iudicas, propterea qđ nil vtile efficiũt: cum tamen ipsi occupatissimi sibi esse videãtur:ita cum nos in rebus hujus seculi caducis sumus occupati, & nil de cælestibus cogitamus,dicimur quidem otiosi quamuis occupati. Vnde Prouer.1. appellamur etiam paruuli,cum dicitur,vsquequo paruuli &c.

Super illud, inuenit eam scopis mundatam & ornatã, aliquid igitur tractare poteris de negligentia & incuria nostra in discutienda & examinanda conscientia, atque vtilter & sancte occupanda anima: & videbis Vincen.Bellua. Specu. Mora. lib.3. parte. 6, dist.& 11.

Domus scopis mundata est mens bonis considerationibus rectisque occupationibus vacua. Vide D. Leonem Papam qui dialogum habet inter inertiam siue pigritiam,& occupationẽ,circa medium operum.

Negligentes plane esse non debemus in his quæ ad animæ nostræ salutem spectant,cũ præsertim Seneca tantam esse adhibendam philosophiæ studiis diligentiam suadeat lib,10. epistо. ad luci. epiſ. 75.

Reprehendebat quidem filiorum suorum negligẽtiam Patriarcha Iacob Gene.42.& Ionas fuit grauiter reprehensus à nautis,qđ tam sæua impendente tempestate somno indulgeret. Christus do minus reprehendit discipulos suos qđ nõ vigilarent, sed potius dormirent orationis & passionis tempore.Cum dormirent homines post seminationem seminis, inimicus homo superseminauit Zizania. Sisara iacens,otióque,somno, est negligentia torpens,clauo trãsfixus est, Samson dormiens in gremio Dalilæ vinctus est à Philistęis.Quia Abner negligens custos erat ipsius Saulis,facile hunc Dauid poterat occidere si voluisset 1. Regum. 26, Isboseth dormiens super lectum interfectus est 2. Reg. 4.Attende præterea quid propter negligentiam acciderit fatuis illis virginibus in Euange.

Quantum noceat otiositas & torpor, his potiſsimum qui in congregatione & conuentu viuũt, & quomodo vitari possit, vide Lauren. Iusti. lib. de disci pli.& perfect. monaſ. conuerſa.cap.13.

Laudabiliter tempus ipsum tam pretiosum & ad salutem nostram diuinitus concessum,

occupare debemus, vide eundem lib. de vita Solita. cap. 10,

Quam peſtifera ſit otioſitas vide eundem lib. de gradibus perfectionis, cap. 9.

Occupationes honeſtæ quam laudabiles ſint & neceſſariæ vide D. Baſi. lib. de monaſti. conſtitu. cap. 4.

Quam neceſſe ſit vnumquémque, & præſertim religioſum virum, honeſtis actionibus vacare, lege D. Auguſt. in lib. qui inſcribitur de opere monacho. to. 3.

Quam fugienda ſit otioſitas conſule eundem ad fratres in eremo ſer. 17. to. 10.

Vide Vincé. Bellua. Specu. Mora. li. 3. pa. 6. diſt. 6.

Quid ſenſerint Philoſophi lege eundem Specu. doctri. lib. 4. cap. 75. 76. & 142.

Studeamus obnixe diligentia ipſa recuperare quæ per negligentiam & otium amiſimus, vide Senecam epiſt. lib. 2. epiſt. 19.

Moderatis inquit idem Seneca vtendum eſt occupationibus & exercitationibus mentis & corporis, tum ne multitudine ac magnitudine obruamur tum etiam ne paucitate earum torpeamus li. 2. epiſto. epiſt. 15.

Quantum bonæ occupationes conducant vide eundem lib. 7. epiſt. 54. & quam noxia ſit otioſitas, eodem lib. epiſt. 65.

Multi inquit idem Seneca ſe excuſant dicentes quod virtuti ipſi vacare non poſſint propterea qđ aliis occupationibus detineantur. Cæterum hæc excuſatio ridicula eſt, propterea quod ipſi ſæpe eas ſibi occupationes inutiles vltro quæritant: & quia nuſquam non datur occaſio & locus virtuti incumbendi, vel in mediis negotiorum fluctibus, Quare tales potius recuſant præſcripto rationis tempus fructuoſius occupare. lib. 8. epiſt. 63.

Virtuti & litteris incumbẽdum eſſe, non otio, idem admonet. Otium enim ait ſine literis mors quędam eſt, & viui hominis ſepultura lib. 11. epiſt. 83. Et lib. 11. epiſt. 85. ita inquit. A lectionibus non receſſi, quæ ſunt vt exiſtimo neceſſariæ: alit lectio ingenium, & illud ipſum ſtudio fatigatum nõ ſine ſtudio & delectatione reficit. Nec ſcribere tantũ, aut tantum legere debemus, inuicem enim hoc illo commutandum eſt, & alterũ altero temperandum: vt quidquid lectione collectum eſt, ſtylus rẽdigat in corpus. Apes etiam: imitantes, quæ hac illac vagantur, & accommodatiores quoſque flores ad mellificandum carpunt: dulcíque vt ait Virgilius diſtendunt nectare cellas.

Hæc & alia poteris applicare loca contra otioſitatem & negligentiam: neque putes hic incommode de hoc argumento agi, cum præſertim propter negligentiam & otium animæ minus accurate mundatæ, & ſtudioſe occupatæ, dæmones regredi conſueuerint ad eandem, vt tangitur in ipſo Euange.

Reuertar in domum meam. Non eſt mirum ſi ſpiritus mendacij mẽtiatur, aut ſi ſpiritus præſumptionis præſumat. Adhuc enim domum dicit eſſe ſuã, de qua exiuit: quę non eſt iam ſpiritus immundi, de qua ſpiritus eſt eiectus immundus. Hęc domus eſt conſcientia, de qua dicit Pſalm. perãbulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Cum ad hanc venerit domum de qua per pœnitẽtiam eſt egreſſus: inuenit eam ſcopis mũdatam & ornatam. Mundatam, eiectis vitiis, ornatam, introductis virtutibus. Tribus autem ſcopis domus iſta mundatur, ſcopa compunctionis in corde, ſcopa confeſſionis in ore, ſcopa ſatisfactionis in opere. Innocen. 3. ſermo. in domi. 3. Quadra.

Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe. & ingreſſi habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Ideo varios aſſumit nequiores ſpiritus, vt quamuis ſe homo à multis etiã hoſtibus defenderit, vni ſaltem ſuccumbat, qui cæteris aditum patefaciat: vnum enim lethale crimẽ ſatis eſt, vt ſub dęmonis poteſtate homo tradatur. Quemadmodum enim auis in laqueum cadens, ſi vel vngue ſolum vinciatur, non minus vincta manet, quã ſi toto corpore illaqueata eſſet: ita q. ſquis in vnum aliquod lethale peccatum lapſus eſt, tota eius ánima ſub poteſtate diaboli conſtituitur. Sic enim Iacobus Apoſtolus ait: Qui totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omniũ reus. Vide quæſo miſer quem hoſpitem eiicias, & quem admittas: eiicis Deũ, excipis diabolum: pellis vitam, recipis mortem: fugas lucem, & tenebrarum principem admittis. Sicut enim olim vbi ꝓpter inobedientiæ crimẽ ſpiritus domini deſeruit Saulem: illico eum ſpiritus domini malus inuaſit, qui in corpus & animam eius atrociſſime ſæuiebat, qui inuidiæ & ambitionis facibus illum inflammabat, qui ad perſecutionẽ Dauidis & crudeliſſimã ſacerdotũ necem impulit, ac tandẽ manus ſibi adferre perſuaſit: ita vbi quis in lethale crimẽ lapſus eſt, ꝓtinus à Spiritu Dei relinquit, & ab hiſce malis ſpiritibus inuaditur, qui ingreſſi habitant in eo: Amplificat quidẽ Eſaias Babylonis excidiũ, qđ ab hominibus deſerta, à feris inhabitãda eſſet. Itaq; ait, nec ponet ibi tentoria Aracs, nec paſtores requieſcent ibi, ſed requieſcent ibi beſtię, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones. Si ergo adeo lamentabile eſt ciuitatẽ hominibus deſtitui & à feris inhabitari: quale quæſo erit à Deo omnium bonorum fonte deſeri, & à diabolo omnium malorum parente obſideri?

Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Illius inquam qui à dæmone liberatus, iterum ſe eius ſeruituti addicit. Quod hi faciunt quia à peccato virtute ſacramentorum liberati ad vomitum redeunt, & in priſtina peccata relabuntur. Quod vtinam quotannis in hoc ſacro tempore nõ videremus. Dæmõ igitur ad tales reuerſus, fortiora conſtituit propugnacula. & munitiones. Sicut enim Maltenſes milites, qui in Melita inſula hodie degunt, poſteaquam ab exercitu Solimani Turcarum principis obſeſſi, & in ſummum diſcrimen adducti ſunt, diligentiſſime ciuitatis ſuæ mœnia foſſis & vallis, omnique apparatu bellico munierunt, ne in idem iterum periculum incideret quod euaſerunt: ita diabolus vbi cordis noſtri municipium recepit, quod iam amiſerat, & à quo inuitus ac dolẽs, exilium patiebatur, profecto modis omnibus arcem munit quam recuperauit.

Fiunt nouiſſima peiora prioribus. Eſt enim in illo qui ſemel atque iterum in peccata relabitur, quædam macula ingratitudinis, propter quam peccata ipſa grauiora efficiuntur.

Procuremus diligẽter egreſſum, vt domus noſtra ſcopis munderur & ornetur. Caueamus autẽ prudẽter ꝓgreſſum, vt immũdus ſpiritus quærens requiẽ non inueniat. Timeamus vero vehemẽter regreſſum, ne ſint nouiſſima noſtra peiora prioribus. Intra ergo ſpiritus immundus per culpam, exit per pœnitentiam: ingreditur per vitium, ſed exit per virtutem. Inno. 3. ſermo. in domi. 3. Quadra.

Et aſſumit ſeptem alios ſpiritus. Verbi gratia ſuppo namus exemplum; Cum ſpiritus luxuriæ eiectus ab homine, videt eum continentia prædituꝝ, & honeſta

honeſtate præclarum, ita vt difficile ſit eum de carnis fragilitate ſeducẽ: q ad alias artes recurrit, aliáſque fraudes excogitat. Et primo ſpiritum ſimulationis aſſumens, tentat per hypocriſim vt ſe ducat: ſecundum ſpiritum fauoris, aſſumens, tentat per vanam gloriam, vt decipiat &c. Vide Inno. 3. ſermo. in domi. 3. Quadra.

Factum eſt autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Magna fiducia, inter blaſphemos confiteri Dei filium: *in figura* quidẽ Eccleſiæ, quæ in medio gentium confitetur creatorem. Glo. Intelli. ſuper Lucam.

Quædam mulier. Iſta a ſanctis doctoribus dicitur fuiſſe ſancta Marcella famula beatæ Marthæ ſororis Lazari. *Beatus venter qui te portauit.* Matẽr beatificat & laudat ex filio. & non è conuerſo: quia ab illo prouenit gratia & gloria, principaliter ratione deitatis, & inſtrumentaliter ratione humanitatis. Lyranus ſuper Lucam.

At ille dixit quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Illi dominus non abnuens inclytæ matris ſuæ præconium, ſed maiorem eius gloriam declarans, ait, *Quinimo, beati &c.* Reuera enim vt D. Auguſt. ait, beatior Maria fuit percipiendo fidem Chriſti, quã concipiendo carnẽ Chriſti. Plus nãq; fuit ipſum ſpiritualiter in mẽte, quam corpora in vtero cõcepiſſe: potẽtior enim apud Deũ & gratior ſpiritualis, quam carnalis cognatio eſt. Quod ſi ita eſt, liberum plane cuique noſtrum eſt imitari matrem Dei in ea potiſſimum re quæ in ipſa præſtantiſſima extitit. Quamuis enim vna ſit ſecundum carnem mater Chriſti, quia vna eſt quæ illum corporaliter concepit & peperit; ſecundum ſpiritũ tamen vt D. Ambro. ait. quiſquis verbum Dei audiens adeò fideliter in anima retinet, vt quo intus conceperit operando pariat, is vtique ſpiritualiter efficitur mater Chriſti, ipſo eodẽ teſtante, qui ait. quicunque fecerit voluntatem patris mei q in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Sic enim ſanctus ille propheta ſe audire profitebatur, cum diceret, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Sic etiam Iacobus Apoſto. nos audire monet, cum ait. Eſtote factores verbi, & non auditores tantũ, fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, conſideraui enim ſe, & abiens oblitus eſt qualis fuerit. Hoc eſt quemadmodum nil iuuat faciem in ſpeculo cernere, niſi eius maculas tergas: ita nil confert animæ ſordes in diuini verbi ſpeculo videre, niſi eas diligenter abſterſeris, & vitam tuam ad normam doctrinæ celeſtis effingas His porro indiciis fratres confeſſionis ac penitentiæ noſtræ fructũ hoc ſacro tempore diiudicare poterimus. Idem namque ſacerdos in Sacramento confeſſionis agit, quod Chriſtus dominus in hoc miraculo operatus eſt. Chriſtus enim dæmonem ab obſeſſo corpore eiicit, ſacerdos vero dæmoné ab anima pellit. Expulſo vero dæmone Deus ſibi in mente hominis ſedem eligit, Deo autem ibidem commorante, peccata ibi locum habere non poſſunt. Cæterum ſi eadem illa peccata, eadem viuendi ratio eodem oris ingluuies, eadem oculorum laſciuia, eadem manuum rapacitas, eadem ad curſum mali operis velocitas, eadẽ cordis libido, ita dominatur, vt nulli impuræ cogitationi, nulli vin dictæ cupiditati, nulli auaritiæ, aditum obſtruat: certiſſimum argumẽtum eſt dæmonem ab anima pulſum non eſſe, vel certe pulſum, in eam denuo ſeptem ſpiritibus ſeipſo nequioribus ſtipatum rediiſſe. Iam vero ſi adhuc in eiſdem tenebris eadẽque cæcitate manens, nec plus aliquid in peccato vides quo illud ſupra omnia deteſteri, nec in Deo propter quod illum ſupra omnia diligas: nondum ſpirituale oculorum lumen adeptus es: nondũ cæcitatem repulſiſti: atq; ita dæmon qui mentis tuæ oculos excæcauerat, intra te eſt. Rurſum etiam ſi adhuc ad Dei voces occluſas aures habes, nec ita audis, vt obaudias, & præceptis eius obtẽperes: nõ dum etiam dæmon à te expulſus eſt.

Vide Ioan. Gerſo. 4. p. fol. 84.

Super epiſto. & Euange. duos habet ſermo. D. Anto. initio. 1. par. Theolo.

Vide eundem 1. par hiſto. ti. 5. cap. 1. §. 15.

Duas habet conciones. D. Thom. prope finem tomi. 16.

Feria ſecunda poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ.

DIXERVNT phariſæi ad Ieſum: quanta audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua. Luca. 4. Matthei. 13. Marci. 6. Nõ dicunt quanta ſcimus, vt oſtendant ſe nonnihil dubitare an vera eſſent: quia ergo iſti Nazareitæ non erant diſpoſiti, cum non haberent fidem in Chriſto, nec in eum crederent, ideo nõ fecit miracula, imo quod peius eſt, non ſolum nõ credebant, ſed & irridebant eam, dicentes: nonne hic eſt filius Ioſeph? In miraculis vero non ſolum requiritur potentia, ſed fides etiam requiritur & deuotio in eo qui vult accipere ſanitatem. Indigni etiam erant iſti vt Chriſtus apud eos faceret miracula, quia alienæ gloriæ inuidebant, dolebántque eò quod Capharnaum frueretur tanto pere gtia miraculorum. Cæterum non debet quis expectare opem cæleſtis auxilij, ſi proximo inuideat.

Liuore quidem inuidiæ iſti hæc dixerunt: quemadmodum & diſcipulos Ioannis pœnitebat eo quod Chriſtus miracula faceret, & baptizaret. Vnde dixerũt Ioanni. Rabbi, qui tecum erat trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti; ecce hic baptizat. & omnes veniunt ad eum. Similiter Ioſue zelatus eſt pro Moſe, ſcilicet cum puer Moſi retuliſſet dicens, Eldad & Medad prophetant in caſtris, dixit enim Ioſue Moyſi, domine mi Moyſes, prohibe eos. At ille, quid inquit æmularis ꝓme? quis tribuat vt omnis populus propheret, & det eis dominus ſpiritum ſuũ? Eodem modo Ioannes Euangeliſta Saluatori dixit, vidimus quẽdam in nomine tuo &c. Cui dominus reſpondit, nolite ꝓhibere: qui non eſt aduerſum nos, ꝓ nobis eſt. Inuidia porro diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Hæc etiam fera peſſima Abel occidit: puteos Iſaac obſtruxit: ipſum Ioſeph vendidit Iſmaelitis: Dauidem perſequuta eſt: Danielem: denique Chriſtum dominum cruci affixit. Cæterum directe & principaliter inuidia opponitur charitati, quæ regina virtutum eſt: & vt Chriſtus dixit diſcipulis ſuis, in hoc cognoſcent quod diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem habueritis adinuicem, etiam diabolus dicit ſuis, in hoc cognoſcent quod diſcipuli mei eſtis, ſi inuidiam habueritis adinuicem. Papilio quidem extinguere geſtit ardentem lucernam, cum vehemẽter irruit in illam, ex ea tamen re id duntaxat lucratur, vt alas ſuas comburat, & quam citiſsime moria

tur, splendente semper lucerna ipsa: sic inuidus splendorē boni viri & lucem extinguere conatur, & eius famam denigrare, verum enim verò id modo inde reportat, vt totus intestino redēte morbo cōtabescat, & consumatur, perseuerante semper bono in suo pristino honore atque gloria.

Multi fuerunt olim, qui vt isti honorem aliis inuidebant. Aaron quidem & Maria videntes quod Deus Mosen magis quàm illos honoribus afficeret, eum detractionibus insectabantur: nec aduertebat Aaron, quod si quem honorem habebat eum per Mosen fuerat sortitus. Fratres etiam Ioseph iniquo animo tolerauerunt, quod Ioseph ipse pluris haberetur & fieret.

Quemadmodum nonnulli oblectātur quidem musica, & musicos aliquorum fortitudinem & res gestas, factáque præclara canentes, libenter audiunt, sed tamen virtutes quas illi laudibus efferunt, & cantibus celebrant, imitari non curant: sic oblectationis & recreationis tantum causa multi audiunt concionatores, sed non imitantur virtutes quos laudant. Quod præuidens Paulus, Timotheo dixit: veniet tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt sed &c. In Actis etiam Apostо. legimus Athenienses ad nihil aliud vacasse, quam vt aliquid noui dicerent, aut audirent.

Non est credendum Christum redemptorem nostrum non fuisse dilectionis affectu propensum in patriam suam, cum id sit omnibus adeo naturale, vt historici scriptores referant de M. Attilio Imperatore Romano, quod cum captus esset in bello Charthaginiensi, in sua ipsius fide & conducto miserunt eum legatum Romam, vt peteret à Romanis quasdam conditiones ac leges, quibus obtentis atq; firmatis in suam esset assertus libertatem: qui sanè videns pacta non esse talia quæ suæ reipub. & patriæ conuenirent, non tantum *non* postulauit ab eis vt illa acceptaret atque complerēt, verum etiam eos vehementer hortatus fuit vt illa nullo modo reciperent: & ita regressus est ad suam captiuitatem & vincula, vbi vitam magnis laboribus atque miseriis finiuit, suæ potius patriæ diligens libertatem, quam propriam: vt refert Valerius Maximus lib. & adducitur à D. August. 1. de Ciuit. Dei cap, 15. tomo. 5.

Quid dicemus de Mutio Scæuola, qui ob patriæ libertatem tanto animi robore & tolerantia manum suam comburi sustinebat? Quid de M. Curtio, qui amore patriæ ductus sese in profundam Vulcani voraginem intrepide atque impauide immisit? quemadmodum permulti historici scriptores affirmant, & refertur à D. august. lib. 4. de Ciuita. Dei cap. 20.

Brutus amore patriæ captus, filium suum occidit, & Torquatus duos filios suos iussit interfici, popter nonulla ad Reipub. commodum exspectātia. Spu, præterea Camillus tam charam habuit patriam, licet ingratam: vt quanuis ipsum relegasset in exilium pro præmio quam illi dederat libertatis, nihilominus amore eius iniuriā illatam superante, iterum ipsam patriam liberarit: hæc & alia habes apud D. August. lib. 5. de Ciuita. cap. 18.

De amore patriæ vide Vicen. Bellua. spe. doctri. lib. 4. cap. 42.

Quod ergò patria ipsa ingrata esset Christo, ideo in ea miracula non fecit: neque hoc modò nouum est, vt patriæ scilicet ciuibus suis sint ingratæ quantumcūque pro earum salute & gloria præclara facinora perpetrarint. Sic enim Ciceroni extitit sua patria, sic Demostheni, sic Metello ingrata. Item Hannibali, Camillo, Seruilio, Lycurgo, Soloni, Scipioni, publio Lentulo, Seuerino Boetio, Dionysio Siracusano, & pluribus aliis, quos longum esset recensere. Nam & Hanon fuit expulsus è patria, Cymon, Aristides; & nulla quidem alia ex caussa, quam quod viri fortes virtutéque & gloria præcellentes essent. Quod Themistocli etiā accidisse, historiis proditum legimus. Nescio enim quo tandem faro fiat, vt propemodū naturale sit ciues semper ciuibus inuidere, quemadmodum suis monumentis prodidit D. ille Hierony. infra à nobis citandus, præsertim si quos videant virtute & gloria præstantes.

Quanta audiuimus facta. Quasi videantur obiicere cum Eccl. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & 1. Tim. 5. si quis autem suorum, & maximè domesticorū, curam non habet, fidem negauit &c. De. Bonauen. super Lucam.

Fac & in patria tua. Isti erant quidem arrogantissimi, & laudem captabant in operibus suis existimabántque Christum eiusdem esse naturæ & ingenij: contra quos homines & alios huiusmodi adferre poteris siue applicare doctrinam illam D. Grego. super illa verba Iob 31. si vidi solem cū fulgeret lib. 22. Mora. cap. 6. vsque ad cap. 10. vbi inuenies amplissimos quidē & latissimos eruditionis campos, per quos etiam variis in concionibus possis excurrere.

Obiiciebant ei ciues, dicentes: aut in Nazareth non operaris miracula quod nolis, vel quod non possis. Si ea non facis, quod nolis, ingratus quidem es patriæ: Quod si minus potes, certe habitatores Capharnaum delusisti magicis tuis artibus. Cæterum hi non cognouerunt, quod medicus nolit curare infirmum qui medicamina respuat, & q. diffidat medico, & male de eo opinetur, qđ facie bant isti, Vide hac dere Hoffmeisterū supe Lucā.

Ad amorem patriæ nos videtur adhortari & inflammare sententia illa Pythagoræ: ita te gere erga patriā, vt erga matrem. Periāder etiā dixit, mortem oppete pro patria. Cato, pugna pro patria.

Fac & hic in patria tua. Videbantur quidem isti dicere hęc verba per ironiam & irrisionem: de qua poteris videre Vin. Bell. spe. Mora. lib. 1. par. 3. dis. 77. & lib. 3. par. 3. dis. 11.

Attende hic etiam, quod isti quamuis essent ciues & cognati, tamen deridebant eum: vt intelligas qđ haud ferme iam fidelē viro inuenias virū, etiāsi cognatione coniunctus sit: ad quod persequendum, in fontes quosdam digitos intendam.

Nusquam tuta fides 1. Macha. 11. A. aperiebant ei ciuitates & B. caput Alexandri.

Neminem fere inuenias fidelem virum 1. Macha. 12. F. veni mecum Ptolomaidam.

Vix inuenias cui tuto fidas 1. Macha. 16. C. & cum inebriatus esset.

Non inuenias vix fidelem 2. Macha. 4. E. statina eum peremit.

Nullus locus tutus 2. Macha. 10. D. dimiserunt quosdam effugere.

Nusquam non insidiæ 2. Macha. 12. A. Ioppitæ vero.

Vndique latent insidiæ Matthæ. 10. C. tradet autem frater fratrem.

Non est tuta regio Marci. 3. A. & obseruabant eum, & Lucæ etiam 14. A. obseruabant eum.

Nusquam tuta fides Psalm. 54. quoniam si inimicus meus.

Ait autem, amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. Propemodum naturale est, ciues semper ciuibus inuidere. Non enim considerant presentia viri opera, sed fragilis

gilis recordantur infantiæ, quasi non & ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ętatem venerint. D. Hiero. super Mat. 13. lib. 2. ro. 9.

Inuidus tale induit ingenium, vt existimet honorem proximo collatum, sibi ipsi auferri. Nunquid tibi aufert Deus, quod proximo elargitur? nunquid tibi debitor existit? Piscator vtique sub fallaci cibo hamum occultat, vt vel sic attractus piscis, eius manibus succumbat: sic dæmon hamo mortis piscatur auarum, absconděs illum sub dulci diuitiarum siti: superbum vero honoribus ad se allicit, & tandem libidini deditos, ipsis voluptatibus carnis: ut infelix inuidus, nullo etiam cibi genere comprehenditur, quin ipse potius sibi inimicus seipsum prodit. Vnde perspectum est quā imprudus & stultus sit inuidus, quandoquidem mortis & inferni hamum imbibit, nullis circumscriptum diuitiis, nullisq; palliatum honoribus. Nā si inuidiam parit alienum bonum, quid quæso inde vtilitatis obuenit ipsi inuido? Duplicem ergo sibi parat gehennam, nempe in hac, & in futura vita: summúmq; illud malorūm omnium acquirit, vt sedem nullam ac locum in cælo habeat, cum enim ipsum tristitia afficiat de bono proximi, in cælo autem omnes læti sint, diuites, opulenti, felices: quid ibi faceret tristis inuidus atque miser? Comburentur ergo certe eius viscera, & ipse misera morte peribit, cum videbit alios prosperos, felices, & beatos: Locus ideo ei accommodatus, erit infernus: vbi nil aliud vnquam perfentiet, quam perpetuum luctum, dentium stridorem, extremúmque cruciatum.

Tales sunt hominum affectus, vt nouitate gaudeant: & si aliquid à longinquo venit, id veneretur & honorent, non autem propria, quæ potius fastidiunt. Martha quidem quæ soror erat Lazari prius sensit fœtorem fratris, quam alij: quia ipsa sola dixit, quatriduanus, est iamfœtet. Homines etiā facilius cuehuntur ad altissimos quosque dignitatis & honoris gradus in aliena patria, quā in propria. Nā Ioseph in patria sua afflictus est à fratribus, & in Aegipti exilium relegatus: vbi tamē ab alienigena & ignoto Pharaone nobilitatus est & exaltatus. Sic Ieremias in locum per consiliarios Sedechiæ demersus est, qui tamen per Abdemelech Aethiopem extractus est à lacu, & postea à Nabuchodonosor honorifice tractatus. Vnde etiam Dominus loquens Ezechieli de populis gentibus & ignotæ linguæ, ait: si ad illos mittereris, ipsi audirent te, domus autem Israël nolūt audire te. Maria & Aarō fratres Moysi cū ipso rixati sunt, cui tamen alieni obtēperarunt. Prætererea Deus dixit Abrahamo, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & faciam te in gentē magnam. Cæterū Ezechias & populus eius in magno honore habuerūt Esaiā Prophetā, Dauid etiā propheram Nathan & Gad veneratus est. ideo hę Christi verba non sunt intelligenda sine aliqua exceptione.

Antiquum quidem est bonos in patria sua esse despectos: nam Ioseph in patria sua venditus fuit. Et contra Moysen, Aaron & Maria sotor eius murmurarunt. Plura reperies apud D. Bonauen. super hunc locum.

Non mediocriter inuidia proditur, quæ ciuicę charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exēplo pariter & oraculo declaratur, quod frustra opē misericordiæ cælestis expectes, si alienæ fructibus virtutis inuideas. Aspernator enim dominus inuidorum est, & ab iis qui diuina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis auertit. Non otiosè itaque Saluator excusat quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit, ne forte alijs aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret affectum. Neque enim ciues poterat non amare, qui amaret omnes; sed ipsi se charitate patriæ qui inuident, abdicarunt. Charitas enim non æmulatur, non inflatur: nec tamen exors beneficiorum patria diuinorum est. Quod enim maius miraculum, quam quod in ea natus est Christus? videre igitur quid mali inuidia affecrat. Indigna propter inuidiam patria iudicatur in qua ciuis operetur, quæ digna fuit in qua Dei filius nascentur. D. Ambrosius super Luc. 4. lib. 4.

Et quæ est ratio quare nullus in patria sua honoratur? vna ratio est, quia quādo est in patria sua, multi qui cognoscūt infirma sua, semper reducunt in memoriā infirma, hoc enim est à malitia hominū, vt magis infirma cogitēt quam perfecta. Alia ratio potest assignari, quia dicit philosophus quod populus multum paralogizatur. quia credūt quod in aliquo pares in omnibus pares sint. Vnde quando aliquis est in patria sua, cum vident eū parem sibi in aliquo, vel in genere, vel alijs, credunt quod non possit esse maior. Ideo bene dicit, nō est propheta sine honore nisi in patria sua & in domo sua &c. Vnde sequitur. Et nō fecit ibi multas virtutes: non quia non potuerit, quia omnipotens erat: sed non fecit, quia ad hoc faciebat, vt sibi crederetur. Sed ipsi eū despectui habebant, quia in malū interpretabātur: ideo non erāt dispositi ad fidem. Ali quas tamen fecit, vt inexcusabiles redderentur, & ideo dicit, non multas, quia aliquas, & hoc propter incredulitatē eorum. D. Thom. super. Mat. 13.

Nemo propheta acceptus est. Super hæc verba, vide Dio. Carthu. super Luc. art. 11.

Nolebat Christus apud suos miracula facere, quum essent incircuncisi corde & dura cervice, quemadmodum dixit Stepha. Acto. 7. & restiterāt semper spiritui sancto: quibus congruit merito quidem illud Deute. 11. Cauete ne forte decipiātur corda vestra &c. & paulo inferius ait. Fratrúsq; dominus claudat cælum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum. D. Bona. super Luc.

In veritate dico vobis: multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem viduam. Nolebat etiam Christus præter alias causas superius adductas, miracula edere in patria sua, quia oscitanter, irreuerenter, & indigne recipiebant prædicationem suam. Vt vero verbum Dei & eius prædicatio omni attentione & reuerentia audienda & accipienda: ad quod institutum fusius persequendum nonnulla subiiciam.

Attende quāta veneratione & attentione audiebat hebreorum populus Dei sermonem ex ore Aaron sacerdotis: quandoquidem eo dicente prostrabatur & gratias Deo agebat. Exod. 4.

Attende quanta reuerentia & animi alacritate auscultabāt Ethnici, Pauli & Barnabę Apostolorū prædicationem Acto. 13. & 14.

Eglon restatim surrexit de solio, quando. Aod dixit ei, verbum Dei habeo ad te: maximam videlicet exhibens reuerentiam verbo Dei. Iudicum 3.

Heli erudiit & instruxit Samuelem vt reuerenter diceret, loquere domine, quia audit seruus 1. Reg. 3.

Legit Esdras verba legis à mane vsque ad medium diem, & aures populi erāt erectę ad librum. 2. Esdræ 8.

Prædicante Philippo in Samaria, intendebant deuotæ turbæ ipsæ his quę dicebãtur ab eo Act. 8.

Dixit populus Moysi, omnia quæ locutus est dominus faciemus Exod. 24.

Impij Dei verbum audire contemnunt, neque se emendare volunt: ideo dixit Moyses domino, filij Israël non me audiunt, & quomodo audiet me Pharao? Exod. 6.

Rex Achab nolebat audire Michæam prophetam, quia non prophetabat ei nisi malum, sicut ipse merebatur. 3. Reg. 22.

Dixit dominus Ezechieli, domus Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me Eze. 3.

Magnam adhibemus solicitudinem ad audiendas res vanas, ludicras. & inutiles, cum tamen minimam adhibeamus in audiendo verbo Dei, & his procurandis quæ ad salutem animæ nostræ spectant. Vnde etiam Seneca visus est iampridem vanam nostram solicitudinem quam adhibemus rebus inutilibus, reprehendisse: cum ait. Cogito mecum sæpe quam multi corpora diligenter exerceant, & quam pauci ingenia: quantus ad ridiculum spectaculum concurrsus, & quanta circa bonas artes solitudo existat, lib. 11. epistо. ad Luci. epist. 81. ante medium.

Multi quamuis verbum Dei aure exteriori percipiant, nõ tamen proficiunt ex eo: qui persimiles illis videntur, de quibus ait Seneca. Nouimus quosdam qui multis apud philosophiam annis persederint, & nil tamẽ didicerint: quos ego nõ discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt tantum vt delectationis causa audiant, non vt discant: sicut in theatrum voluptatis causa, ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis, trahimur. Non id agunt vt aliqua vitia illic deponant, aut aliquam vitæ legem accipiant, ad quam mores suos dirigant: sed vt aures duntaxat delectatione pascant. Aliqui etiam cum pugillaribus veniunt, non quidem vt res ipsas ad suum commodum excipiant, sed verba solomodo aliqua concinna: quæ tã sine ꝓfectu alieno discant, quã sine suo audiant. Hæc & alia Seneca li. 19. epist. epis. 109. inter initium & mediũ.

Auditio verbi Dei quantum delectet atque reficiat deuotas animas, vide Lauren. Iusti in lib. qui inscribitur fasciculus amoris cap. 2. inter initium & medium operum.

Quantum intersit audire Dei verbum, sermonem composuit D. Bernard. qui incipit, Tenetis credo, post medium operum.

Accusat se D. august. quod non audiret D. Ambrosij conciones cum proposito ac desiderio proficiẽdi, & ad Deũ se cõuertendi: sed curiositatis tãtum humanæ gratia nẽpe vt experiretur esset ne tãta præditus eruditione, quantam eius fama & hominũ opinio prædicabat. lib. 5. confes. cap. 13.

Multum interest frequenter audire Dei verbum: paulatim siquidem Dei verbum D. Ambrosio prædicante, audiens disponebatur Augustinus, donec tandem Dei amor in corde ipsius accensus est lib. 5. L. confes. cap. 14.

Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis Prouer. 28. & ita consulit Esaias cap. 55. quærite dominum dum inueniri potest. Lege D. Grego. lib. 18. Mora. cap. 7.

Sagittæ sunt verba Dei, quæ cor trãsfigunt. vnde Psalm. 44. sagittæ tuæ acutæ &c. Vide eundem lib. 7. Mo ra. cap. 2.

Maxime animatur & consolatur conciohator, quando sui auditores ipsum audiunt libenter, aui de, & cum desiderio proficiendi, Hac forte animi dispositione erãt auditores D. Chrysost. quãdo dicebat illis. Cũ vestros ego hodie intueor amabiles vultus, ingẽti plana voluptate perfũdor. Nec est certe pater quãtumcunque diligat filios suos, qui ita lætetur & gaudeat eos habere præsentes, atque ego gaudeo hodierno die conspectu vestro multo iucundissimo: quia video tantam vestrum frequentiam alacri animo paratam ad verbum Dei audiendum. Et certe quemadmodum colonus ipse & agricola cum videt terram bene dispositam, magna diligentia & vultus hilaritate triticum ipsi terræ commendat: ita ipse nunc facere statui, cum intelligam vos optime dispositos esse, & secularium negotiorum oblitos. Cæterum longe dissimiles erant illorum animi, qui hodie de Christo conquerebantur, quod non faceret miracula in patria sua. Vnde Christus non sparsit semen sui eloquij in illis, cum videret eos esse indispositos ac minime præparatos ad id percipiendum. Vide D. Chrysost. super Gene. ho. 2. to. 1.

Vide porro quantopere lætaretur et amaret idem Chrysostо. alibi, considerans auditores suos esse adeo proficiẽdi studiosos & auidos, cum dicebat. Videns ergo dilecti, alacrem & quotidianum vestrum in hoc templo conuentum, maximam profectò animo capio voluptatẽ: misericordémque Deum in profectu vestro glorificare non cesso, & in tanta vestra audiendi auiditate. Nam sicut esurire cibúmque appetere, corporalis sanitatis indicium est: ita & magno studio diuina audire eloquia, salutis animæ indicium est maximum & argumentum. Hinc dicitur Matth. 5. beati qui esuriunt &c. Quare ego vestro audiendi incenso & inflammato studio fretus, magis, etiam magísque accendor, ad vestram eruditionem promouendam: propter vos enim, nempe vt proficiatis, hunc omnem laborem toleramus. Maximéque nobis persuadet tam ardens vestrum audiendi studium, vos breui magnos in virtute & spirituali exercitatione progressus esse facturos. Tam ardens enim studium vestrum, nostram alacritatem fouet, mentem nostram incitat, quod sciamus non in vanum & frustra operam nostram teri. Et certe cum talia indicia in auditoribus non apparent, tota concionatoris industria & feruor tepescere videtur, atque remitti. Vnde & Christus cum talia signa non apparerent in auditoribus patriæ suæ. iccirco noluit ibi prædicare. Vide D. Chrysostо. super Gene. ho. 4. to. 1.

Auditores incorrigibiles valde debilitant animum concionatoris, & frangunt eius ad maiora conatus. Vnde D. Chrysostо. dicit, dum volo solitam tractare doctrinam, moram quandam traho ac simul recuso: mentem enim meam confudit & conturbauit superueniens tristitiæ nubes, imo non solum tristitiæ, sed & cuiusdam iræ, ita vt vix sciam quid faciendum sit, & mentem teneat magna hæsitatio. Nam cum cogito quod omnem nostram doctrinam, & quotidianam admonitionem, ad modicum diaboli flatum obliuioni tradideritis: eequa alacritate potero iterum de prædictis vos docere & instruere, quæ tam cito animo exciderunt? Quomodo non contristabor tantam intuens dissolutionem vestram, atque quod semen iaciam super duros quosdam lapides? timeo quidem & anxius sum, ne hoc vobis ad maiorem accusationem cedat: quia vt dicitur Lucę 12. seruus qui scit volũtatem Domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Lege eundem super Gene. ho. 6.

Maxime ergo gaudet & exultat concionator, cum

eum auditorum bonum desiderium comperit & intuetur. Vnde idem D. Chrysostо. in hunc fere sensum alibi affatur auditores suos. Immortales quidem vobis habeo gratias, quod tanta alacritate hesternam meam accepistis admonitionem, & propter affectum & desiderii me audiendi, quod modo vos habere ostenditis. Vnde in magna expectatione sumus, quod opera ipsa quæ a nobis consulta sunt, facturi sitis. Qui enim tanta voluptate audit, declarat quoque ad opera facienda se paratum. Vnde ego non mediocriter recreor atque animor talia cernens. Vide eundem super Gene. hom. 15.

Chrysost. Summopere tristabatur & tabescebat idem Chrysostо. videns tantum auditorum suorum in peccata relapsum, tum in ludis, tum in dissolutionibus & impudicitiis: considerãnsque suam prædicationem nil proficere, vt illos ab impudicis rebus, atq; prophanis ludis auerteret. Qui ludi certe non erant hastiles, quos vulgus torneamenta vocat: talis enim exercitatio maxime deseruire videtur, vt tempore pacis instruantur equites ac præparentur ad tempus belli. Sed forte erant hominum personatorum, aut alij impudici. Vnde dicebat: neque nostra admonitio, neque periculum ipsum, neque inutilis ipsa conuersatio docere vos possunt: ego igitur deficio ꝓpe, & exanimor ista videns. Et mirum non est, quandoquidem cũ studiosus & diligens agricola post sedulam adhibitam diligentiam, industriam, & laborem, conspicit terram minus fructificare, languet profectò, & quasi indignam terram quæ colatur, eam relinquit. Idem certe facit medicus cum ipso infirmo: cum enim videt eum nolle suis parere præceptis, atque ex eo in id discriminis adductu esse, vt vix reparari possit, eundem deserit, liberum se à culpa protestans. Præceptores præterea qui aperte vident discipulos aliquos minus excitate literis incumbere, sed iussa potius contemnere, omniaque obliuiisci quæ ipsi tradiderunt: solent ipsos à suis etiam gymnasijs expellere. Quare idem plane mihi nunc vsu venire videtur, nimirum vt necessario debeam vobis subirasci, quod minus attendatis, & conferuetis saluraria eloquia. Lege eundem super Gene. ho. 41. to. 1.

Chrysost. Negligentibus ac segnibus auditoribus, qui nolunt proficere, inquit idem autor, dici potest illud Esa. 65 vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis. Et illud Iere. 6. cui loquar, & quem contestabor? incircuncisæ aures eorum, & non possunt audire. Consulere etiam poteris doctissimos interpretes & commentatores in hæc loca, & tibi varia eademque accõmodata doctrina suppetet, ad hæc fusius persequenda. Cũ ergo nõ esset qui audiret, nolebat idcirco Christus dominus in sua patria prædicare. Lege Chrysostо. ho. de habenda cura salutis proximi tom. 5. Hæc quidem quæ attulimus, applicata Euangelio hodierno, maxime conducent.

Quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex. Aduerte quod non accipere Iudæam pluuiã tribus annis & mensibus sex, significauit quod prædicationem Christi quæ fuit per hoc temporis spatium, non erant Iudæi recepturi. De quo vide Acto. 13. vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia indignos &c. D. Bona. super Lucam. D. Bona.

Ad mulierem viduam. Considera obsecro præstantiam tam integerrimæ mulieris, & magnitudinem animi in tanta paupertate, & filij suáque fame, cum liberaliter dederit ipsi prophetæ quæcunque habebat, absque spe rẽtributionis. Videtur quidem plus fecisse quam Abraham, quãdoquidem nullum habebat armẽtum quo mitteret, nullósq; vitulos superfluos quos daret, sed quicquid habuit dedit. Non ita quidem nos liberales sumus in pauperes ipsos, cum tamen penes nos sit eius rei potestas, & à Deo expectemus tantam retributionem: & præterea nos manẽat horribilis ille infernus, nisi cum res poscat id fecerimus: Adde quod Christus id nobis commendarit, qui se totum pro nobis dedit. Vide D. Chrysostо. super epistо. 2. ad Cor. cap. 9. hom. 19. in Moralitate tom. 4.

Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, Nisi Naaman Syrus. Sæpe quidem Christus dominus prædicarat conciuibus suis, verum illi mihil vnquam ex eius prædicationibus profecerant: quia illam obliuioni statim tradebant, & minime conseruabãt, eruditionem. Et certe quemadmodum parum prodest cibus, si statim à stomacho respuatur: Sic parum Dei verbum proficit, si quamprimum auditur, statim in obliuionem veniat. Et sicut cibus qui naturali calore non decoquitur, non solum non prodest, sed & multum incommodat ipsi stomacho, & morbos generare solet: ita sermo Dei auribus quidem exceptus, non tamen executioni mandatus, nocumento potius est, quam documento & vtilitati. Simile.

Complures quidem ex auditoribus persimiles esse videntur auibus, quæ primo quidem intuitu terrentur & fugantur aspectis terriculamẽtis quibusdam in hortis, aut aruis: verum assidua tandem frequentatione & vsu, tantum abest vt terreantur, quin potius terriculamentis ipsis etiã insideant. Ad eũdem enim modum quidam sunt qui ex longissimo vsu audiendi conciones animo semper minus proficiendi & vitam emendandi, nullis quantiscunque comminationibus per terreantur, ac ne leuiter quidem afficiantur & moueantur.

Quemadmodum qui putridis inueteratisque vulneribus iãdiu infecti ac prope consumpti sunt ex longa illorum vulnerum ac plagarũ molestia, ita callum obduxerunt, vt vix quidẽ sentiant ferrum ipsum scindens, siue adhibitum cauterium: ita mediusfidius multi ita in suis vitiis inueterati sunt, vt admonitiones ac comminationes nõ persentiant, neque cauterio grauium reprehensionũ interius aliquo modo afficiantur, aut magis moueantur, vt inquit poeta, quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Quemadmodum nil prodest rectè plantasse, aut inseuisse arborem aliquam, si antequam fructum proferat suum, euellatur, siue præscindatur: ita parum prodest audiisse verbum Dei, & plãtasse illud in anima, si priusquam fructum producat suum, illud deleat obliuio, præscindat peccatum, & denique radicitus conuellat consuetudo mala.

Quemadmodum emptores multi cælatoris siue argentarij fabri officinam introgressi, alij sibi torques, alij anulos, alij gemmas, alij denique alia pretiosa coemunt: nonnulli vero, qui emendi voluntatem non habent, accipiunt sibi inde carbonem quendam, depingendo paratum, qui forte argentario fabro casúque exciderit, & eum duntaxat ex nobili officina reportãt, quo manus suas inficiunt & nigrefaciunt: ita plane cõtingit in his qui ad concionem audiendam confluunt, nimirum vt qui cum proficiẽdi desiderio audituri ac- Simile.

cedant,alij sibi accommodatam deligant sententiam,alij suis informandis moribus accommodatum decerpant exemplum,& denique singuli singula sibi conuenientia excipiant,qui vero id animi non habent, & profectui suo minus student, carbonem tantum quendam secum referunt,hoc est vocabulum aliquod minus elegans & splendidum, vel defectum aliquem, aut linguæ lapsum inconsideratum & improuisum, talique carbone conscientiam suam denigrant & commaculant, murmurando de vocula illa non satis idonea,aut aliis huiusmodi improuisis inutilibúsque lapsibus.Tales erant auditores isti,& ideo conquerebantur de Christo, & eum potius reprehendebant,quam progressus suos procurarent.

Quamobrem Christus dominus se non adeo patriæ suę familiarem volebat ostendere,quia eũ pessimi isti homines debito non prosequebantur honore ac reuerentia,arbitrantes ipsius doctrinã fuisse partam in officina lignaria ipsius Ioseph patris putatiui,& nihil boni & literarum nisi à remotissimis regionibus posse adferri:& hoc significare videntur exempla quæ illis adducit tum de Elia ac vidua,tum de Eliseo & Naaman.

Et multi leprosi &c. Euidenter hic sermo nos domini Saluatoris informat,& ad studium veneradæ diuinitatis hortatur, quod nemo sanatus ostẽditur,& maculosi morbo corporis absolutus,nisi qui religioso officio,studuit sanitati. Non enim dormientibus diuina beneficia,sed obseruãtibus deferũtur. Et bene apto comparationis exemplo arrogantia ciuium retunditur inuidorum, domini cúmque factum scripturis docetur veteribus conuenire,quod in libris quoque Regnorum legimus gentilem virum Naaman,prophetico oraculo leprę maculis absolutum,cum plurimos Iudæorum lepra corporis pariter & mentis absumeret.Siquidem etiam quatuor illos qui cogẽte fame in castra primi regis Syriæ retenderunt,tradit historia fuisse leprosos.Cur igitur nó curabat fratres,nó curabat ciues, non sanabat propheta consortes,cum sanaret alienos,sanaret eos qui obseruantiam legis, & religionis consortium non habebant, nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur,non naturæ iure defertur? D. Ambro. super Luc. 4. libro 4.

Non fecit his virtutes multas Christus, non quod etiam illis incredulis facere non potuerit, sed quod ne inultas faciens virtutes ciues incredulos condemnaret.D.Hiero.super Matth.13.lib. 2.tom.9.

Et repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes. Per Esaiam dominus vehementes animæ passiones ebrietati comparat,quæ totũ humanæ rationis lumen obscurant,sic enim ait.Audi hæc paupercula,& ebria non à vino : quibus verbis facile ostendit duplicem esse hominis ebrietatem. Salo mó etiam ait,per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere:tribus vero enumeratis,quę nó est nostri proposíti persequi,quartum esse ait, per ancillam cũ fuerit hæres dominæ suæ. Quid est autem ancillam dominæ suæ hæredem fieri,& locum eius occupare, nisi iram, cupiditatem, & carnem,quæ naturæ iure ancilla rationis esse, & illi obsequi deberet,tyrannidem aduersus dominam exercere,eiusque dignitatem & regendi munus vsurpare?Sicur ciuitas inquit Cicero,in seditione non potest esse beata, nec in discordia dominorum domus : Sic animus à seipso dissidens secumque discordans,nullam gustare partem liquidæ voluptatis ac liberæ potest. Iacobus inquit,vnde bella & lites in vobis,nisi ex concupiscentiis vestris,quæ militant,hoc est bellum concitant,in membris vestris? Nulla certe nauis deiecto clauo, & sæua tempestate quassata, ita iactatur,vt talis animus, calamitatis alicuius procella exagitatus. Hinc temerariæ & insanæ in Deum voces,hinc diuinæ prouidentiæ accusatio, & cætera denique mala. Simile.

Aperte vides hic agi posse contra iram ipsam & iratos homines : horum enim impiorum hominum tanta fuit iracũdia & furor, vt Christum ducerent in sublime montis, vt eum inde præcipitarent. Autor.

Si vis ergo videre quantum noceat & turbet ira,& quo pacto ex leuibus initiis maxima incẽdia excitare soleat,& tãdem in magnos quosdam excessus terminari,nisi celerrima cura & remedio ei occurratur,vide Senecam lib.2. epistol. ad Luci.epist.18.in fine.

Quidam sapientes viri non immeritó iram dixerunt breuem quandam insaniam. Quot enim, quæso immutationes,quam varij colores, quam multi motus,clamores, atque furores in homine iracundo inueniuntur? Nullum fere est animal in quo nõ appareat, si ira modo inuaserit, nouæ feritatis accessio. Vide Senecam li.1.de Ira ad Nouatum cap.1.

Ira non est secũdum hominis naturam, si rem diligenter inspicias:homo enim natura sua benignum & mansuetum est animal. Quid autem ira crudelius est? Homo in adiutorium mutuum generatus est,ita in exitium.Quis ergo magis naturam rerum ignorat, quam qui optimo operi & commendatissimo hoc ferum & pernicioſum vitiũ assignat:Quid ergo,nó aliquando castigatio necessaria est?&c. Vide Senecã li. 1.de ira cap. 5.

Quibusdam videtur ira cum tẽperantia quandoque bona esse,quia extollit animos & incitat, nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo genit.Verum oportet considerare quia facilius est excludere pernicioſa, quam regere : & non admittere,quam admissa moderari : nam cũ se in possessione posuerint, potentiora rectore sunt.Quarundam rerum initia in nostra potestate sunt,vlteriora nos sua vi quasi rapiunt, nec regressum relinquunt,vt in præceps datis corporibus,nullum sui arbitriũ est,nec resistere morarique deiecta possint,& ad imum aguntur pondere suo.Lege eundem lib.1.de ira cap.7.

Ira quantumuis breuis & modicus affectus etiam malum modicum videtur:sed aduersus hostes inquit Aristo.necessaria nonnunquam videtur ira.Cæterum non effusos oportet esse impetus nostros,sed temperatos & obedientes : nam gladiatores quidem ars tuetur, ira denudat. Iracundi & præcipites victoriam belli perdunt, quã obtinent moderati,sedati,& patiẽtes. Quis enim Numantiam expugnauit,sic adeo vt sibi ciues etiam mortem conscisceret, nisi patientia Scipionis?vide Senecam lib.1.de Ira cap.11.

Quomodo mitigetur ira,furor,& vindictę appetitus,lege Lau.Iusti.lib.de Triumphali Christi agone cap.15.circa medium operum.

Quendam habet dialogum D. Leo papa inter iram & patientiam circa medium operum.

Quo pacto refrænanda sit iracundia lege D. Ambro.lib.1.Offic.cap.21. Simile.

De ira fugienda consule D. August. ad fratres in eremo sermo.9.circa finem tom.10.

De ira inueterata vide D. Aug. ad fratres in eremo

eremo sermo.73.circa finem tom.10.

De ira & eius affectibus lege Vincẽ.Bell. Specu.Mora.li.1.pa.1.dist.31.32.& 33.& lib.3.par.5. dist.1.& 2.

Ira quomodo moderanda secundum Philosophorum sententias,eundem lege Specu. doctr. lib.4.cap.93.94.& cap.133.& secundum poetas. 134.

Vide eundem Spe.histor.lib.15.cap.93.

Et repleti sunt ira. Si aliquæ occasiones sufficientes offerri poterant ad patientiam omnino ex animo delendam,ecquænam maiores & grauiores alicui,quam Christo offerri potuerunt?vocabant enim eum fallacem & mendacem, cũ tamen ipse à mendacijs eos liberare curaret: nominabant dæmoniacum,voracem,ex patria abiecta & abiectis parentibus.Vide præterea in passione illa acerbissima quam patienter sustinuerit tam dira tormenta,& tam graues cruciatus. Et nunc etiam hic offertur ei opprobrium tantum horũ, & tamen toleráter illud perfert:vt inde discamus patienter nos gerere, & nunquam in implacabilem iram & bilem despumare.Vide de hoc argumento D.Chrysosto.super epist.ad Hebr. 12. ho. 28.tom.4. vide item eundem Chrysosto. in Acta Aposto.cap.14.ho.31.tom. 3. & ad popu. ho. 31. tom. 5.

Contra iram nonnulli philosophi nos etiam instruxerunt,Nam Socrates dixit, homo cum sis, da operam vt iram cohibeas.Menander,iram rationis inscium refrænare in perturbationibus,sapientem in primis oportet.Publius, consilio melius vincas,quam iracundia. Horatius,ira furor breuis est,animum rege : qui nisi paret, imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catena. Plutarchus,ignem igni ne addas. Isocrates, nil per iracundiam agito,sed iram cum tempus postulabit simulato.

Et surrexerunt,& eiecerunt illum extra ciuitatem, & eduxerunt illum vsque ad supercilium montis super quem ciuitas illorum erat ædificata,vt præcipitarẽt eum. Isti Nazaræitæ peiores fuerunt magistro suo diabolo:diabolus quippe suggestione & verbo tantum tentauit Dominum, isti tamen Iudæi facto. Ille dixit Saluatori in pinnaculo templi, Mitte te deorsum : sed isti aperte mittere illum deorsum nituntur.

Maxima est illa tribulatio quę à propriis amicis & necessariis infertur, atque eiusdem gentis hominibus : nam maior quidem ab iis infertur, quam ab extraneis. Vnde Pilatus qui gentilis & alienigena erat,voluit Christum absoluere, itidẽ Herodes teste Pilato,nullam mortis causam in eo inuenit,& propterea liberum illum ad Pilatum remisit.Iudæi autem nulla facta cessatione, cum ex eadem gente essent,clamabant vt crucifigeretur.Quapropter dixit ei Pilatus, Gens tua & Pótifices tui tradiderunt te mihi.Eisdem plane vesti giis mũdus incedit:nam hi qui magis familiares, magis amici,magis domestici tibi sunt,tibi prius detrahunt,& tua secreta pandunt : potiúsque ex extraneis & ignotis beneficium cum res postulet atque opem referes, quam ex consanguineis. Et extraneus quidem si aliqua in eum contuleris beneficia,saltem gratum animum præ se feret, consanguineus & affinis nullo modo tibi gratus erit, imo sibi persuadebit te nil plane feciſſe pro eius dignitate & merito. Vnde vt ad institutum propius accedam,non minus quam Azotij arcam domini Dei Israel eiecerunt ex templo suo,ex patria sua, & à finibus suis, eo quod male se habuerat cum idolo suo Dagon : ita isti ex eadem patria Christum eiecerunt,propterea quod eorum vitia & flagitia reprehendebat & abominabatur: nec secus faciunt profecto quotidie peccatores.

Isti non audiebant libenter Christum dominum,quia laudabat & commendabat illis maxime virtutes ipsas, & ea quæ ad ornatum animi exspectabant:sed potius eundem odio prosequebantur,& à se expellebant,quia contraria suo palato eis prædicabat.Nolunt enim impij vt ea laudentur,vel etiam commemorentur, quæ ipsi oderunt & detestantur. Hinc rex Balac maxime dolebat & tristabatur quod Balaam Hebræum populum laudaret,quem ipse tanto prosequebatur odio,vt constat Nume.24.Saul quoque indignabatur auditis laudibus quas Ionathas filius referebat de optimo suo amico Dauid 1.Regum 20.Vide etiam quantopere indignati fuerint magnates Holofernis,cum audirent Achior differentem,& quidem vere,de præclaris rebus ac factis Hebræorum Iudith.5.

Nolunt isti ergo Christum dominum audire, quod illis vera diceret ac prædicaret: quod malum peruetus quidem est ac perantiquum. Nam Ioatham filius Ierobaal ea de causa odio erat ipsi Abimelech,quia eum merito reprehendebat Iudicum 9.

Quia propheta quidam obiecit regi Asa defectus quosdam & peccata,iussit illum rex in carcerem recludi & vinculis constringi, vt patet 2. Parali. 16.

Considera quam inobedienter audiret Sedechias prophetam Hieremiam, quod ei vera prædicaret,eaque diceret quæ ad rem multum faciebant.Hiere.38.

Pro eo quod Daniel reipsa ostendit Bel & draconem non esse deos,missus est in lacum leonum Danie.14.

Veritas odium parit Hiere. 20. A. & percussit Phassur Hieremiam.

Veritas multis molesta Hiere.26.B.C. cumque complesset Hieremias loquens.

Veritas vrgere solet homines Hiere.32.A. quare vaticinaris.

Veritas odiosa Hiere. 42. A. Cadat oratio nostra.

Veritas odium generat Hiere. 43. A. mendacium tu loqueris.

Amos propter veritatem fuit occisus,lege prologum tertium in Amos prophetam.

Mali veritatem respuunt Amos 5. C. odio habuerunt corripientem.

Vrgere solet veritas Amos 7.C.rebellauit contra te Amos.

Veritas odiosa 3.Reg.22.B.sed ego odi eum.

Quantum vrgeat veritas 2.Paralipome. 25. E. quiesce ne interficiam te.

Animis ægris odiosa veritas Acto. 17. D. quid sibi vult seminiuerbius hic dicere?

Super illud, & eduxerunt illum vsque ad supercilium montis super quem ciuitas illorum erat ædificata,vt præcipitarent eum: disputari potest,quo pacto in cacumine & supercilio montis id est superbiæ,habent impij suas domos & mansiones.Potest etiam tractari,quod sit opus quoddam siue vna ex astutiis satanæ,euehere homines ad honores & dignitates, montésque propriæ æstimationis, vt inde eos commode præcipitet in profundum miseriarum : vbi aperietur tibi fenestra ad multa magna commoditate videnda, & pertractanda.

Et

Et eduxerunt illum vsque ad supercilium montis. Visi quidem sunt isti illico velle quasi vindictam sumere, & iniquitatem suam ac crudelitatem exercere: de quo argumento habes multa apud Laurent. Iustin. lib. de Triumpha. Christi agone cap. 10. parum ante medium operum.

Vide etiam Vincen. Belluacen. Specul. Mora. lib. 1. par. 3. distin. 75.

Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Super Episto. & Euang. duos habet sermones D. Antoni. initio 1. par. Theologa.

Lege eundem 1. par. histo. titu. 5. cap. 1. §. 6.

Sacrilegia Iudæorum quæ multo ante dominus prænuntiauerat per prophetas, & psalmi versiculo declarauerat quæ passurus esset in corpore constitutus, dicens, retribuebant mihi mala pro bonis: in Euangelio docet esse completa. Nam cũ ipse per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrogabant. Nec mirum si perdiderunt salutem, qui eiecerunt de suis finibus saluatorem. Simul intellige non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem, nec captum à Iudæis, sed à seipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Et hic in superciliũ *montis* præcipitandus ascenderat, & ecce per medium illorum mutata subito vel obstupefacta furentium mente descendit. Nõdum enim hora venerat passionis quin etiã malebat adhuc Iudæos sanare quam perdere: vt inefficaci furoris exitu desinerent velle, quod implere nõ possent. Vides igitur & hic diuinitatis esse quod non captus est, & illic voluntatis esse quod captus est. Nam quẽadmodum à paucis teneri potuit, qui à populo non tenetur? Sed noluit sacrilegium esse multorum vt in autores culpæ crucis inuidiam retorqueret, atque à paucis quidẽ affigeretur, sed prototo orbe moreretur. D. Ambro. super Lucam 4. lib. 4.

Per medium illorum ibat. Quod debeamus declinare pericula & occasiones malas, vide D. Augustin. lib. epis. epistola 180. tom. 2.

Feria tertia post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

RESPICIENS *Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro: si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Mat. 18. Luc. 17.*

Quoties peccantem videris frattrem, continuo procedere debet compassionis affectus tãquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex teipso. Vos inquit Apost. qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Et certe cum exiret dominus baiulans sibi crucem, & plangerent super eum nondum quidem omnes tribus terræ, sed mulieres paucæ, conuersus ad eas: filiæ inquit Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Ordinem diligenter attende: super vos inquit primo, deinde super filios vestros. Temetipsum attende, vt aliis noueris compati, vt arguas spiritu lenitatis. Teipsum considera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficacius persuadet, & altius imprimit animo: mitto vos ad sanctum illum senem, qui cum audisset peccasse vnum ex fratribus, amarissime flebat, inquiens: ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Hic itaque compassionis affectus multis siquidem prodest, quia animus liberalis contristare quem pro se viderit anxium, erubescit. D. Bernar. sermo. 2. de Resurrectio. domini.

Nos quia infirmi homines sumus, cũ de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, vt ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine infirmis fratribus cõsulamus. Consideremus igitur quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etsi iam diuina gratia operante non sumus: vt tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emẽdamus agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare curamus: ne cor nostrum forte superbiat, & de ipsa innocentia peius ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos reuocemus. Quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei iudicia recurramus, quia sicut nos meritis nullis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere vt excitati posterius etiam ipsa possint bona quæ nos ante recepimus preuenire. Quis enim crederet quod per Apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte eius lapidantium vestimenta seruabat? His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, & tũc demum delinquentium iniquitas increpari. D. Grego. libr. 23. Mora. cap. 14. Act. 7.

Dignum est vt cum aliena corrigimus, prius nostra metiamur, vt prius mens à sua accensione deferueat, prius intra semetipsam zeli sui imperium, zeli sui impetum, tranquilla æquitate componat, ne si ad animaduertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, & qui culpam diiudicando iusequimur, immoderate feriendo sæuiamus. Non autem iam correctio delinquentis, sed magis oppressio sequitur, si in vltione ira vltra quam culpa meretur extenditur. In correptione quippe vitiorum subesse mẽti debet iracundia, non præsse, vt executionem iustitiæ non dominando præueniat, sed famulando subsequatur, & notũ iudicium possessa implcat, non possidens præcurrat. Bene itaque dicitur, nõ te ergo superet ira vt aliquem opprimas, quia videlicet si is qui aliquem corrigere nititur, ira superatur, opprimit antequam corrigat. Nã dum pluspuam debet accenditur, sub iustæ vltionis obtentu, ad immanitatem crudelitatis effrænatur. D. Grego. lib. 26. Mora. cap. 36.

Corripe eum inter te & ipsum solum. Plus enim proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. Seruetur potius quod prodit metuat qui monetur. Bonum quippe est vt amicum magis te qui corripitur credat, quam inimicum. Facilius enim consiliis acquiescitur, quam iniuriæ succũbitur. Vnde & Apost. corripite inquit vt frattrem, vt erubescat, non vt inimicum eum existimetis. Infirmus enim custos diuturnitatis est timor: pudor autem bonus magister officij. Qui enim metuit, reprimitur, non emendatur: quem pudet facere, in naturam vertit. D. Ambro. super Luc. 17. lib. 8.

Nunquid peccat qui hanc correctionem dimittit? Augustinus, si non corripis, peior factus es tacendo, quam ille peccando. Sed cum hoc sit verum quod omnes corripere teneantur, diceret aliquis quod solis prælatis conuenit quidem ex officio,

officio, aliis vero ex charitate. Aliquando dominus permittit bonos cum malis puniri, quare? quia non corripuerunt malos: tamen dicit August. quod aliquando de bemus desistere, si times ne propter correctionem istam non emendẽtur, sed deteriores reddantur. Item si times ne inducat persecutionem Ecclesiæ, non peccas. Si vero desistis ne lædaris in temporalibus, ne molestia tibi accidat, vel huiusmodi, peccas. Prouer. 9. Argue sapientem, & diliget te &c. D. Thom. super Matt. 18.

Ita peccat qui videns fratrem peccare tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Nam qui dixit si pœnitet, dimitte: præmisit, si peccauerit, increpa, nec difficilis sit venia quidem ipsa, nec remissa indulgentia. Glos. Ordina. super Matt. 18.

Simile. *Inter te & ipsum solum.* Sicut enim medicus corporalis si debito modo procedat, nititur inducere sanitatem cum minori dispendio corporis, vt sine membri abscisione: & si non possit, tunc abscindit membrum minus nobile, vt conseruetur magis nobile, vel totum corpus. Sic ille qui frattrem peccantem occulte corripit, charitatiue debet tentare si possit fratrem emendare absque detrimento suæ famæ: quia fama computatur inter maiora bona hominis citra virtutes, & ideo corrigens fratrem debet quantum potest conseruare eius famam. Lyranus super Matt. 18.

Considerandum tamen circa prædicta, quod si peccatum frattris occultum fuerit in præiudicium communitatis, vt si aliquis tractaret secrete cum aliquibus ciuibus qualiter ciuitas esset hostibus tradenda? vel si aliquis hæreticus in secreto corrumperet fideles, tunc secreta correptio vel admonitio non esset expectanda, sed statim esset prælato denuntiandum, qui posset tali periculo præcauere: & idem iudicium de consimilibus casibus est habendum. Lyranus super Matt. 18.

Si peccauerit in te. Quoniam acri oratione aduersus scandalizantes vsus, multis eos argumentis terruit, ne supini atque desides hac ratione hi fiant quibus scandala inferuntur, & ne putantes totam in alios culpam esse reiectam, ad mollitiei vitium delabantur, & quasi cultu Dei digni in arrogantiam incidant, perspice quomodo ipsos etiam comprimit atque coercet, & inter duos solummodo redargutionem fieri iubet. Ne scilicet testimonio multitudinis grauiore accusationevisa, dedignatus ille duriorem se ad corrigendum præbeat: ideo dico inter te & ipsum solum. Di Chrysosto. super Mat. ho. 61. to. 2.

Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem, qua præcipitur vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij. Dicit enim scriptura diuina: si peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos: si autem in Deum peccauerit, quis rogabit pro eo? Nos è cõtrario in Dei iniuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia. Corripiẽdus est autem frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Et siquidem audierit, lucrificamus animã eius, & per alterius salutem nobis quoque acquiritur salus. Sin autem audire noluerit, adhibeatur frater. Quod si nec illum audierit, adhibeatur & tertius: vel corrigendi studio, vel conueniendi sub testibus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, vt detestationi eum habeant, & qui non potuit pudore saluari, saluetur opprobriis. D. Hie rony. super Matt. 18. lib. 3. to. 9.

Quod variis modis peccari possit circa fraternam correctionem, vide Alber. Mag. super Lucã 17. explicantem illa verba, si peccauerit in te frater tuus &c.

Si peccauerit in te frater tuus &c. Vide D. Tho. 2. 2. q. 12. ar. 4. ad 2. & q. 33. per totam. & q. 43. ar. 7. ad 3. & in 4. sen. dist. 19. q. 2. per totam. & dist. 35. ar. 3. ad 6. & quodli. 11. q. 12. per totam. & super epist. ad Ephe. cap. 5. lect. 4.

Correctio fraterna est opus misericordiæ & pietatis spiritualis, & est opus magis meritorium quam misericordia corporalis. Vnde Abraham postquam iurauit ipsi Abimelech se facturum cũ eo misericordiam, statim increpauit eum Gene. 21.

Magnam quidem misericordiam exercuerũt Ruben & Iudas arguentes fratres suos, qui volebant interficere Ioseph: quãdo quidem & fratres retraxerunt à fratricidio, & ipsius Ioseph vitam seruauerunt, vt constat Genes. 37.

Phinees & socij misericorditer egerunt, cum arguerunt frattres suos, qui ædificauerant altare in scandalum filiorum Israel, & eos conuersos misericorditer etiam susceperũt, responsionem accepptantes Iosue 22.

Duplicem misericordiam exhibuit Ionathas 1. Reg. 19. cum & patrem arguendo temperauerit, & Dauidem ipsum liberauerit.

Reprehensiones non ex malitia, sed cura proximi proficiscantur. Asseueratierim amare me amicum non solum quando laudat, sed & quando reprehendit & corrigit. Nam omnia laudare tam quæ bene se habent quam quæ male, non fuerit amici, sed irrisoris, & non diligentis, sed decipientis. Laudare si quid fiat vt debet, reprehendere autem si peccatum fuerit, amici est, & curam agẽtis. Sane inimicum ne laudantem quidem probo amicum vero & reprehendentem amplexor. Et fideliora sunt vulnera amici, quam blanda oscula inimici. Proinde ne stomachemur, nec succensea mus, cum arguimur. Quod si omnes ita affecti essemus, vt & argueremus peccantes, & lapsi liben ter ferremus reprehensiones, mirum quanta hinc Simile. vitæ nostræ accederent commoda. In peccatis enim hoc operantur reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Idcirco sicut insipiens est qui pharmaca reiicit, ita & stultus qui non suscipit grato animo reprehensiones. Atqui nõ raro multi exasperantur, & intra semetipsos cogitãt, & dicunt. Sapiens ego, & tanta præditus intelligentia, hunc ferrem ignorant autem quod hoc extremæ dementiæ sit indicium. Videbam enim inquit hominem, qui sibi videbatur sapiens, & maiorẽ illo spem habet insipiens. Ea propter & Paulus ait, ne sitis prudentes apud vosmetipsos. Nam licet mirum in modum sapiens sis, & perspicias ea quæ oportet: attamen homo es, & cõsiliario tibi opus est. Solius enim Dei est, nullius indigere, & nullo opus habere consiliario: & propterea de eo solo dicitur, quis cognouit sensum domini, vel quis eius consiliarius fuit? D. Chrysost. homi. de ferendis reprehensionibus circa finem to. 3.

Quandoquidem defectus aliquos omnes habemus, debemus præstare ne nimium seueræ sint correctiones nostræ & rigidæ: sed debemus tolerare & supportare defectus alienos, tanquam si Simile. nostri essent. Et certe quemadmodum in ædificiis non omnes lapides accommodati sunt angulis, siue etiam fundamentis: sed alij aliis locis deseruiunt: neque etiam vnumquodque corporis membrum

membrum omnibus obeũdis muneribus aptum est,sed alia aliis accommodantur: ita non debemus ex nostro ingenio metiri cæteros,neque putare singulos esse aptos & egregie habiles ad præclariora quæque.Quod si ita consideramus, moderate nos geremus in corrigendis fratribus. Vide D. Chrysosto. explicantem cap. 6. ad Galat. tom. 4.

Qui corrigit alterum,corrigere debet & emẽdare, quemadmodum ipse vellet corrigi: & qui corripitur,non debet certe indignari. Nã quemadmodum quis non stomachatur & succẽset ipsi chirurgo,quando ei cauterium adhibet,vel aliud curationis genus in eo exercet:multo minus profecto irasci quis debet contra eum, qui salutem animi procurat.Chrysosto.super 1.Cor.hom. 44. tom. 4.

Vide quam benigne Deus olim correxit & corripuit protoparentes nostros, cum tamẽ posset statim eos punire citra vllas interrogationes & moras.Idipsum etiam fecit cum Cain:vt intelligas quam benigne, quam patienter, quamque prudenter te debeas gerere in alienis emendandis delictis.Chrysosto.super Gene.ho.17.to.1.

Haymon explicans illa verba ad Galat. 6. fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto:ita habet. Benedixit Apostolus, homo, quia ita nobis in mentem reduxit humanam fragilitatem, quamque proni omnes simus & procliues ad labendum. Vnde considerans tu quod etiam homo es: & procliuis ad labendum non minus quam frater, temperabis tuam correctionem. Haymon in epist.ad Galat.

Non debes statim punire ipsum proximum & castigare,sed potius suauiter & perbenigne emẽdare,considerans teipsum vt ait Aposto. ne & tu tenteris.Athanasius in Epist.ad Galat.6.

Si nobis,vt videmus,imperatur & præcipitur à domino vt sitientem potemus, vt esurientem pascamus:an non magis intelligere debemus nos debere fratris delicta emendare atque corrigere? Cæterum hac in re erit perutile perattente contemplari qua ratione se Deus nobiscum gerat: qui cum ipsum offendimus, nos emendat tacite interius in recessibus & penetralibus conscientiæ, vbi nullus alius adest spectator: quod si non emendamur, sæpe permittit vt nostrum scelus etiam manifestetur,vt ita demum corrigamur.Pala. super Matth.

Non debes in correctione fraterna nimium importunus esse,molestus,& seuerus: neque statim perturbato animo aliquem emendare:neque debes irasci statim propter leuia quæque, aut denique quicquam aliud in corrigendo proximo, præter ipsum Deum præmiatorem,contemplari. Si prælatus fueris,paterno amore corriges, non tanquam dominus: neque eos imitaberis qui rigide & austere imperant.D.Basi.in hom. quæ inscribitur, non adhærendum esse rebus secularibus.

Admiratione plane dignum est, quod de eo queramur qui in contrahendo & negotiando cũ sciat nos falli atque decipi,non tamen nos admonet:& queramur de eo qui sciuerit nos falli in eo quod creditores fiamus ei qui soluendo non est, & tamen nos non submonet, & denique in aliis huiusmodi secularibus rebus expostulemus:& tamen non cõqueramur vnquam de eo qui tametsi videat nos iter perditionis tenere,non tamen velit nos emendare.

Si peccauerit in te frater tuus &c. Age homo,mãdante Deo dimitte peccata:esto misericors ad delicta:in te commissorum tu remissor esto peccatorum:tu modo ne perdas in te diuinæ insulas potestatis:quicquid in alio tũ non remiseris, tibi in alio tu negabis.Increpa vt iudex, vt frater remitte,quia iucta libertati charitas charitati mixta libertas,& terroré cõprimit,& suscitat fratré: fratré frater est in febre cũ lædit: est in febre proximo cum delinquit:est sui nescius,est humanitatis extraneus:huic qui per compassionẽ non subuenit,hunc qui per patientiam non curat, non per veniam sanat,sanus non est,ægrotat, infirmatur, viscera non habet,& ab humano sensu monstratur alienus.Furit frater,ascribe ægritudini,tu illũ iuua vt frater:ascribe tu quod sic geritur febri,& fratri non poteris imputare commissum: dabisq; tu prudenter infirmitati culpam,fratri veniam:vt illius sanitas ad tuam gloriam recurrat, illius venia tuum redundet ad præmium. Nemo ista audiens censuram sibi remittentis assumat,& imponat fratri delinquenti vana præsumtione personam:ac sic putet remittere delicta. Se peccatorẽ, peccaturumq; homo cogitet: & tunc incipiet amare veniam,non amare vindictã. Audis tu quia remittere debeas:& quia tibi remitti debeat,non audis.Peccabis & tu illi cras, qui tibi hodie peccauit:& erit tibi iudex,qui tibi erat reus ante: & reddet tibi veniam,si dedisti:si nõ dedisti,aut negabit veniam,aut si dederit, imputabit amplius, quam donabit.Remitte peccanti, remitte pœnitenti,vt cum tu peccaueris, repensetur in venia, non donetur.Bona semper venia,sed tunc dulcissima,cum debetur.Vicit pœnam,iudicem præuenit,euasit iudicium,qui remittendo,ante sibi veniam quam delinqueret iam prouidit. Petrus Chrysol.sermo.139.

Quemadmodum qui sordes eluere vult ex scypho aliquo,phiala,aut alio vase vitreo, vel etiã ex fragili vase terreo,debet quidem suauiter sensimque id præstare,ne & vas ipsum confringatur, & sibi fortasse etiam noceat,& tandem neq; sordes eluat:ita quicunq; alterum corrigere studet, cum norit fragilitatem humanam, non debet ita seuere & acriter se gerere,aut denique ita imprudenter,vt maculas non eluat & vitia, sed potius & sibi & alteri incommodet, & sordes ipsas augeat:quin ita se geret,vt suauiter corrigat. Cæterum vt inter chirurgos etiam ille laudabilior videtur,qui suauius & dulcius vulnera sanat: ita in correctione adhibenda præstabilior ille est, qui maiori charitate,suauitate,& prudentia,officium suum facit. Adde quod non secus sedate, hoc est sine vlla perturbatione,debeat hic se gerere, quã idem chirurgus: qui quo remotior est ab omni perturbatione, eo accurratius munus suum exercet.

Quemadmodum si suffias paululum thuris, iuniperi, aut laserpitij in cella aliqua siue etiam domo, domus tota suauem odorem redolet: sin autem sulphur, aut simile quid tetri odoris sparseris,fætorem maximum sentias; ad eundem modum si suauissimam aliquam correctionem & salutarem bono viro dederis, tota eius anima odore quodam delicatissimo perfunditur & exhilaratur, redditque is beneficia multa pro tanto officio,& clarius multo etiam postea exhibet exemplum.At si virum improbum corrigas & submoneas, dictu mirum quã citissime tragædias quasdam excitet,fætorem generet, clamores edat, & maleficia pro officiis rependat.

Antiquissimus præterea ille Phocylides egregia

gia sua sententia tum ad nostram primum emẽdationem,tum deinceps etiam ad fratris correctionẽ videtur nos cohortari, cum magnifica & sapienti voce pronũtiat:iniusta non facias, & iniusta faciẽtem coerceas.

Non recte subditos corrigit, qui non & seipsum prius iustitiæ censura castigat: tunc namque melius iudiciorum exordia ducuntur,cum vita iudicum ante disponitur. Vide præfationem conci. Tolet.a.9.

Concilium denique Trident. sessio. 13. in decreto de reforma. cap.1. admonẽs pastores de hoc argumento,ita habet. Eadem sactosancta synodus illud primum eos admonendos censet,vt se pastores,nõ percussores esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominentur,sed illos tanquam filios & fratres diligant:elaborentque vt hortando & monẽdo ab illicitis deterreãt,ne vbi deliquerint,debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare cõtigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate & patientia &c. vide fusius prædictũ conci. Tridẽti.vbi supra.

Si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuũ. Nemo fratres vitia palpet;peccata dissimulet nemo. Nemo dicat nunquid custos fratris mei sum ego? Nemo quod in se est æquanimiter ferat: cum viderit ordinẽ deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cum arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes maneat, & consentientes. D. Bernar.sermo.in Natiuitate S.Ioann.Baptistæ.

Quid est si te audierit?si persuasus videlicet abste,peccati se cõdemnabit, lucratus es fratrem tuũ: non dixit,satisfactum tibi est,cum hoc modo animaduersum esse in ipsum videatur,sed lucratus es fratrem tuum, vt designaret communiter vtrique inimicitias esse detrimẽtum. Nec dixit,effecisti vt frater tuus seipsum lucraretur, sed tu fratrem lucratus es.Ita significauit vtrunque iacturam fecisse,alterũ fratris,alterum propriæ salutis. D.Chrysosto.super Matthæ.homi.61.to.2.

Quid lucidius sole? attamen & lux eius deficit. Et profecto sicut fulgidam illam lucem & fulgurosum iubar sæpenumero superuenientes tenebrę obtegunt:ita & intellectum nostrum quasi in meridie fulgentem & perspicuum, inconsiderantia obrepẽs tenebrosum reddit.Et nonnunquam euenit vt sapiens non videat quod oportet: minor & hebetior clare & acute illud perspiciat. Hinc est quare neque sapiẽs extolli,neque abiectior miserũ se dicere debeat.Itaque magnũ bonum est ferre reprehensiones,magnum etiam bonum est posse reprehendere: nam hoc fides & cura quam proximo debemus exigunt.Iam nos si quem videmus veste breuiori, & ex lateribus aperta, vel alioqui indecenter vestitum,admonemus,& emendamus: verum videntes vitam eius dissolutam, ne verbum quidem proferimus;videntes mores eius nefarios, præterimus: tametsi ridicula sint ea quæ ad vestes pertinent, periculosa autem & damnosa quæ ad animam.Dic obsecro,nonne cum vides fratrem per præceps ferri,vel alioqui per incuriam aliò quã oportet spectare,manum ei porrigis?nonne à lapsu erigis? nonne reprehendis & arguis? Et in his maioris facis non offendere,& non haberi pro inimico, quam salutis eius curam habere? Et quam habiturus es apud Deum veniã? vel quam defensionem? Non audisti quid Deus Iudæis præcepit?nẽpe ne errantia inimicorum iumenta despiciant, & lapsa ne præterẽant, Quod cum Iudæis præceptum, ne inimicorum bruta contemnant, nosne fratrum animos, qui quotidie supplantantur,despiciemus? Et quomodo non est summa inhumanitas & ferina crudelitas, nos non tantum curæ hominibus impendere, quantum alij iumentis? Cæterum videas aliquos qui ne putentur alieno indigere consilio, malunt potius vtilitate consilij carere, quam suscepta admonitione peccatum emendare: imo eligunt ignorare,quam discere: quamuis sciant non esse crimen non ignorare, sed nolle discere; non indoctum esse, sed doctrinam respuere: non reprehendi, sed inemendabiliter peccare. D. Chrysosto. homi. de ferendis reprehensionibus circa finem. to.3.

Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Plerumque etiam impatientia contemptui iungitur, ita vt aliquis non solum non curet corrigi obiurgatus: sed insuper obiurganti indignetur more phrenetici manum medici repellẽtis.Mira peruersitas.Medicãti irascitur, qui non irascitur sagittãti.Est enim qui sagittat in obscuro rectos corde, qui & teipsum nunc sagittauit ad mortem, & in illum non commoueris: mihi indignaris qui sanum te fieri cupio? Irascimini inquit, & nolite peccare. Si peccato irasceris, non solum minime peccas, sed & quod peccaras exterminas. Nunc vero & peccatum retines medicamentum respuendo, & peccare apponis irrationabiliter irascendo, & est supra modum peccans peccatum.Aliquotiens additur & impudentia, vt non modo impatienter ferat quod corripitur, sed etiam id vnde reprehenditur,impudenter defendat. Hoc plane desperatio. Frons inquit mulieris meretricis facta est tibi,noluisti erubescere. Et ait,recessit zelus meus à te,vltra nõ irascar tibi.Solo auditu contremisco. Sentis ne quanti periculi,quantiq; horroris & tremoris res sit,peccati defẽsio? Dicit iterũ,ego quos amo,arguo & castigo.Si ergo te zelus deseruit, & amor, nec eris amore dignus, qui indigniis castigatione censeris. Vides quia tunc magis irascitur Deus,cum nõ irascitur? Misereamur impio inquit, & non discet facere iustitiam &c. D. Bernar.super Cantica sermo.42.

Si autem te non audierit. Hoc est si ad te peruenerit certo indicio quod te non audiuit. Et non fit, nisi quando peccatum iterat,& iam hoc in notitiã serpere incipit. Si enim in occulto stat, adhuc tũc non potest sciri si audiuit, vel non audiuit. *Adhibe tecum vnum.* Ad cuius notitiã sicut ad tuam deuenit,quia aliter non est adhibitus.Si autẽ tu dicas ei nescienti,tunc ambo estis vnus,quia ex vno corde loquimini. Et sic patet quod istud est peccatum: quod vt non omnino est occultum: sed serpit in notitiam plurium.Alber.Magnus super Matt.18.

Quoniam non facilis qui fuit iniuriatus ad satisfaciendum est,rubore ac dedecore quodam impeditus, eum qui passus est ad illum non temere, sed emendationis causa mittit, non enim dicit, accusa,increpa, pœnas petito; sed argue inquit. Nã cum ille partim ira, partim rubore quasi vino sopitus,non videat;opus est vt tu qui recte valeas,ad ægrotum proficiscaris, & priuato quodam iudicio constituto,remedium facilius inferas.Nihil enim aliud est arguere,quam in memoriã eius peccata reducere, ac ad eum quæ passus sis exponere. Quod si recte fit, quasi pars quædam defensionis est,quæ vehementer ad reconciliationem impellit. Quid igitur, inquies,faciam, si durus ac pertinax fuerit? *Adhibe tecum vnum vel duos.* Nam quanto

ille impudentior atque pertinacior fuerit, tanto magis ad emendationem eius absque ira & molestia nobis studendum est. Nam & medicus cum grauiorem viderit morbum, non desistit, nec molestia oppressus deficit, sed ad ferenda remedia diligentius se accingit: quod nos quoque facere iubet; quoniam enim solus imbecillior visus es, adiectione duorum fortior factus, argue delinquentem. D. Chrysosto. super Matt. ho. 61. to. 2.

Si autem te non audierit &c. Vide Tho. 2. 2. q. 33. ar. 8. per totum. & in 4. dist. 19. q. 2. ar. 3. quæstiun. 3. per totam.

In ore duorum vel trium. Vide eundem 1. 2. q. 205. ar. 2. ad 8. & 2. 2. q. 70. ar. 2. per totum. & super Ioā. 8. lectio. 2. circa illa verba, in lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium &c. & super epis. ad Hebræ. 10. lect. 3. in illa verba, duobus vel tribus testibus.

Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Instituto huius Euangelij apte poteris intexere doctrinam illam D. Grego. super illa verba, Iob 30. Et frænum posuit in os meum: quæ sic habet. Frænum sibi apud quosdam positū cognouerant, qui dicebant, vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: frænum silentij sibi superimpositum, sancti viri apud dura reproborum corda conspiciunt, qui per prophetam dicunt. Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Frænum poni etiam Paulus admonuit, qui discipulo præcepit dicens: Hæreticum post primam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Sancti quippe doctores plerumque alta consideratione resistentium corda conspiciūt, & dum ea derelicta diuinitus vidēt, afflicti gementesque conticescūt. An non aliquando frænum Salomon doctoribus imponit, qui dicit, Noli arguere derisorem ne oderit te? Sed si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus, nō iam lucra Dei, sed nostra quærimus. Qua in re sciendum est, quod nonnunquam cum redarguuntur praui, deteriores existunt. Ipsis ergo, & non nobis parcimus, si ab eorum redargutione pro eorū amore cessamus. Vnde necesse est vt aliquādo toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis discant bene viuendo quod nō sunt. Vide D. Grego. lib. 20. Mora. cap. 19.

Si non audierit eos dic Ecclesiæ. Vide D. Tho. 2. 2. q. 3. 3. ar. 7. per totum. & in 4. sen. dist. 19. q. 2. ar. 3. quæstiun. 1. & 2. per totam. & quod li. 11. q. 12. per totam.

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Aliqui dixerunt quod comedere & communicare cum excommunicatis familiariter non sit peccatum, & quod id non prohibuit Christus. Non est certe credendum quod in ferēdis excommunicationum sententiis recesserit Ecclesia à traditione Christi: cū tamen nō aliud seruet quam quod Christus docuit: nec aliud est haberi sicut Ethnicum & Publicanum, quam commerciū, contubernium, ac familiarem sermonem illi negare. Id enim seruabant Iudæi in Ethnicos & Publicanos: ideo Christum incusabant quod manducaret cum Publicanis. Vide Ambro. Compsæ. lib. 1. Annota. & Six. Sene. Biblio. sanct. lib. Annota. 78. & Conci. Triden, ses. 25. decreto de reformatione cap. 3. vbi prohibetur communicatio cum excommunicatis.

Amen dico vobis, quæcūque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Consule D. Tho. in 4. sen. distin. 18. q. 1. ar. 1. quæstiun. 3. per totam.

Super hæc verba tractare poteris de autoritate & præstantia sacerdotum, & præterea de admirabili etiam virtute confessionis sacramentalis.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Quicunque ad corrigendum accedit alterū, memoriter teneat semper illud Apostoli. dictum ad Galat. 6. Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Quasi sibi aperte velit Apostolus: cum accedis ad corrigendum, debere te meminisse quod homo etiā sis, & labi possis quemadmodum & frater tuus lapsus est.

Consideret porro ipse correctus, quod Apostolus quamuis talis esset ac tātus, ignorabat tamen quandoq; sibi expediens esse sustinere labores & tentationes: vnde & fuit hac de re certior factus, nempe quod id maxime ei expederit, nam virtus in infirmitate perficitur 2. Cor. 12. quanto magis ipse multa ignorabit, quæ frater corrigens videt?

Si duo ex vobis consenserint &c. Quasi sibi velis vt inquit Basilius, adeo placere Deo vt consentient inter se tum qui corrigitur tū qui corrigit, in fraterna ipsa correctione: vt propterea quicquid petierint ambo à Deo, fiat illis: adeo est gratus ei consensus fraternæ correctionis, hoc est & zelus corrigentis, & emendatio atque tolerantia in correcto. Vide D. Basi. in responsione ad 15. interroga.

Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum. Super hæc verba disserere poteris quantum conducat optima, præclara, sanctaque societas: quam vtiles sint optimi sermones siue hortatus, & denique salutares conuersationes seu colloquia.

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Obserua libētius etiam ac liberalius vltimam noxam quam primam debere nos dimittere: & quod quanto pluries in te frater peccauerit & offenderit, eo amplius hominem complecti debeas maiori etiam humanitate. Nam sic videtur ille maiorem in se supponere fragilitatem atque miseriā. Et certe quemadmodum cum quis in eundem relabitur morbum, asserimus deteriorē esse relapsum quam lapsum, quia tum morbus inuadit infirmum imbecilliorem & debiliorem: sic quoque intelligere debes de eo qui te frequenter offendit, nēpe quod debiliorem habeat virtutē ex diurna atque etiam diuturna peccandi consuetudine, atque proinde non mirū si vel minima quadā ansa & occasione oblata in peccatum recidat. Quo circa liberalior esse in eum debes, atque de eius maxime condolere miseria: tantoque coram Deo gratior eris, & copiosius mereberis, quanto libentius de maiori miseria fratrem extraxeris.

Attende quod Christus dominus dicit, si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra: vbi nō dixit, si non dimiseritis septies vel septuagies, sed absolute & sine vlla conditione præcipit vt dimittamus. Id quod Deus ipse videtur seruasse erga Hebræos, quos cū in manus Philistinorum & Ammonitarū propter ipsorum flagitia tradidisset, in tanta miseria constituti clamauerunt ad ipsum, suorum scelerum veniam deprecantes. Ipse tamen tale respōsum dedit eis, nimirum vt meminissent ipsis sepissime cōdonata fuisse peccata, eductosq; eos fuisse ex seruitu

seruitute Aegyptiaca, & de manibus & potestate Amorrhæorum, Philistinorum, Sidoniorum, Amalechitarum, & Chananæorum, quia promiserant vitæ emendationem, quam rem cum minime præstitissent, idcirco eis nolebat nunc opem ferre, sed accederent potius ad deos suos in quibus habebant fiduciam, qui eos liberarent. At isti infelices denuo supplici prece rogarunt, dicentes. Peccauimus, redde tu nobis quicquid tibi placet, tantum nunc libera nos. Ibi tunc clementissimus pater, eosdem protinus liberauit, doluitque super miseriis eorum.

Quicunque aliquod perpetrat peccatum, quo magis in eo diutiusque perseuerat & permanet, tāto amplius sauciatur, ac vulnus ipsum maius efficitur. Vide ergo quam æquum sit, vt tu talem hominem corrigendo emēdes quantum potes. Nam si vides eum perire, & negligis: peior es tacendo, quam ille offendēdo, & conniciando. Quare tuam quidem obliuiscere iniuriam, & medere vulneri quod frater te iniuriis afficiendo contraxit. Vide D. Augustī. de verbis domini sermo. 16. to. 10.

Dicit illi Iesus, non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Consule D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 4. ad 2.

D. Chrysosto. composuit homi. quandam quam inscripsit de ferēdis reprehensionibus prope finem to. 3.

Quo pacto reprehendere proximum debeamus vide D. Basi. lib. Regu. breuio. interroga. 3. & 4. in fine operum.

Quo animo aliam reprehendere & corrigere debeamus, lege eundem eodem li. interro. 99.

Nū aduersus peccantes dissimulatione vti conueniat, vide eundem eodem lib. interro. 47.

Vide super hoc Euangelium Origenem homi. 6. in Matt. to. 3.

Quod patienter sustinere debeamus fraternam correctionem lege D. August. lib. epist. epist. 87. to. 2.

De correctione fraterna eundē vide ad fratres in eremo. sermo. 14. circa finem to. 10.

Super Epistō. & Euange. duos habet sermo. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

De correctione fraterna lege Vincen. Bellouacen. Speculo. Mora. lib. 1. par. 3. dist. 32.

De correctione secundum ea quę Philosophi & Poetæ senserunt, consule eundem Spe. Doctri. lib. 4. cap. 69. & 70.

Inspice D. Hilarium in Matthæum canone. 18.

Considerationes quas debet habere qui alterū corrigere in animo suo.

Circa hanc materiam operæ pretium est disserere de modo & cōsideracionibus quas debet habere qui alterum vult corrigere, & quid debeat etiam mente reuoluere ipse correctus. Qui igitur alterum fratrem ac proximum corrigere instituit, expellat in primis oportet ab animo suo quamcūque passionem, turbationem, & iram: per hæc siquidem nil vnquā boni perficeret. Rursus auferre debet è medio proprium lucrum ac commodum, ne videlicet prætextu correctionis fraternæ vindictam potius sumat, asperitate verborum, sermonibusque ex intestino odio & vindicta manantibus, lædēdo correctum. Consideret etiam qui corrigit se hominē esse, & qui possit in deteriora etiā labi. Debet insuper se maxima humilitate munire, & cogitare se ad tale officium faciendum à Deo mittī: respiciat qui fuerit, videat qualis modo sit, & denique prouideat qualis esse possit, si diuino fauore atque auxilio destituatur. Eius denique institutum, mens, & animus, vt totā rem in pauca coarctam, esse debet dūtaxat, vt fratrē suum & proximum lucri faciat, reducatque ad verum cælestis patriæ iter. Iam vero is qui corrigitur frater, primum omnium necesse est vt humiliter submittatur, seque cognoscat: ac sibi persuadeat quod quantumuis splendido sit natus ingenio, possit nihilominus affectibus excæcari atque decipi, & propterea egeat alterius ope & auxilio. Deinceps consideret oportet, se omnia quæ alienis oculis & intelligentiæ patent, nō posse habere perspecta & explorata, cū cognitionem tantum quādam & notitiam perbreuem & exiguis terminis circumscriptam nactus sit. Sed quid moror? clarissima illa sanctorum hominum sibi proponet ad imitationem exempla: qui quamuis sapientissimi essent & diuinitus instructi, nihilominus tamē exhortationes, consilia, admonitiones, & denique etiā reprehēsiones sibi à fratribus & proximis adhibitas, nō solum non respuebāt, verum etiam mira benignitate & incredibili humanitate complectebantur. Sanctus enim ille Moyses admonitus fuit, & salutaribus soceri sui consiliis quamuis barbarus homo esset, adiutus, circa populi administrationē & gubernationem: vt patet Exo. 18. Et Dauid quidē atque Nathan quāuis tā illustres essent prophetæ, ignorabant tamē vtrū ipse Dauid ædificaturus esset templum domino nec ne: & ambo quidem iudicium tulere ita fore, cum tamē oppositum Deus decreuisset, vt constat 2. Reg. 7. Propheta quoque Eliseus nesciebat angustiam atque laborē mulieris sunamitidis nēpe mortē filij eius 4. Reg. 4. Propheta etiam Amos suam fatetur ignorantiam, dicens: nō sum propheta, neque filius prophetæ, sed vir armentarius ego sum Amos 7. Eliseus propheta initio ignorauit quid responderet illi qui nūtius à Benadad rege Syriæ sibi attulerat, rogans esset ne rex exillo morbo curādus, vt videre est 4. Reg. 8. Nesciebat Balaam sibi ab angelo contradici atque transitum impediri, ne ad maledicendum populo Dei pergeret, cum tamē angelū videret asinā ipsius, vt constat Nume. 22. Paulus Apostolus reprehendit Apostolum Petrum, qui reprehensionē omni cū mansuetudine accepit, vt constat Gala. 2. Et ipse Paulus reprehensione indiguit 2. Cor. 12. Denique Petrus commendat & laudat Epistolas Pauli Apostoli, cum tamen in eis reprehensus ipse scribatur, vt constat. 2. Petri 3.

Consideraciones eius qui corrigitur.

Non dico tibi vsque septies &c. Credebat Apostolus Petrus quod cum in mundo solitum esset condonare peccata bis tātum aut ad summum tertio inter mundanos, se fore satis liberalem si septies dimitteret fratri. Quare ipsum dominus liberat ab eo errore, dicitque ac præcipit non solum septies, sed etiam septuagies septies esse dimittendum fratri: vbi etiam vtitur numero certo pro infinito. Quasi dicat, vis Petre scire quoties dimittere debeas? toties quoties iniuria affectus fueris, & in te peccatum fuerit: vt nil iam necesse habeas numerare, remiseris ne tertio iam aut quarto, vel si mauis, toties dimittes, quoties tibi ipsi velles dimitti.

Quam fuerit in sacris literis celebratus septenarius numerus, vnde & potius D. Petrus motus fuit vt hunc numerum eligeret, consule concordārias in dictionibus septem, septeni, septimus, septies, septuplum, septuaginta.

Numerus ille septuagies septies accipitur pro infinitis numeris, sicut solemus dicere hoc millies contigit, quod est dicere infinitis vicibus accidisse. Vide D. Chrysos. super Matthæ. homi. 62. to. 2.

Non intelligas quod tibi mensura quædam & limitatio hac in re statuatur, sed intellige quod licet per totū vitę curriculū te semper offenderint

parcere te oporteat in te peccantibus? idque propter illum qui cuncta peccata tanta liberalitate condonat,tam charamque habet peccatoris conuersionem,quemadmodum insinuat parabola illa de seruo debente decem milia talentorum, vide eundem ex variis in Matt.locis homi.18.to.2.

Quantum conducat fratris corrigere defectus, lege D.Bernar.lib. suarum deuotissimarum meditationum cap.11.& incipit,multitudinem iniquitatum mearum circa finem operum.

Correctio fraterna benigne fieri debet, discrete, & charitatiue, atque eius generis correctio facilius errantes ad viam veritatis pacisque reducit, quo quidem vsus est Abraham cum iurgium illud inter pastores suos & pastores Loth exortum extinxit Gene.13.

Nathan non aspere & cum furore Dauidem de adulterio increpauit & homicidio, dicens statim: pessime quidem feciſti rex: sed similitudine quadam proposita hominem cõuertit,dulciterque irretiuit,vt constat 2.Re.12.

Vnus de filiis prophetarum reprehensurus regem Israel, discrete & perhumaniter se gessit.3. Reg.13.

Benigne quidem ciues suos reprehẽdit Iudith, atque ita eos ab incæpto reuocauit Iudith 8.

Quia Petrus circunspecte & cordate arguit quosdam qui Apostolos deridebant,id circo eosdẽ conuertit Acto.2.

Post claudi curationem perbenigne quidem ac perhumane aperuit Petrus quibusdam eorundem culpam,atque ita partim etiam excusando,partim dulciter loquendo, conuersi sunt quinque millia hominum Acto.4.

Paulus discrete quidem & humaniter Romanos ad fidem conuersos redarguit Ro.3.

Discrete & prudenter reprehendit Ioannes Apostolus Ecclesiasticos illos viros Apoca. 2.& 3. ita plane vt cum eos de malis quę operabantur reprehenderet, non obliuisceretur vnquã etiam bonorum quæ faciebant, vt confortarentur, & non desperarent atque diffiderent.

Cęterum obstinatis animis& omnino perditis, nil prodest fraterna correctio: sed ex ea potius deteriores fiũt.Vide enim quæso quã blande & dulciter increparet Loth Sodomitas ipsos, qui tamen nunquam assenserunt Gene.19.

Hebræus ille obstinatus cum reprehendebatur à Moyse, in verba contumeliosa erumpebat Exo.2.

Filij Israel reprehendere voluerunt filios Beniamin,& punire eos qui tam execrabile illud scelus in vxorem Leuitæ patrauerant:qui tamen non acquieuerunt,sed obstiterunt Iudicum 20.

Abner arguebat Asael propterea quod ipsum persequebatur, hic tamen patere contempsit, & idcirco periit 2.Reg.2.

Prudenter quidem arguebat & conuincebat Pharisæos ipsos cæcus ille à Christo illuminatus: sed tamen isti obstinati eum de Synagoga propulerunt Ioannis 9.

Cęterum boni cum arguuntur,eos amãt à quibus reprehenduntur,& correctioni auscultant.Sic enim fecit Moyses à socero suo correctus quamuis barbaro Exo.18.

Daniel regem Balthasar arguit exemplo patris proposito,atque ipse verba prophetæ audiuit patienter,ipsumque magnifice honorauit Danie. 5.

Corrigendi potro sunt duri cum feruore & zelo,atque dure & acriter increpandi: quo genere vtebatur Elias cum dicebat,si dominus est Deus,sequimini eum, sin autem Baal, sequimini illum 3. Reg.18.

Maximo feruore ac zelo reprehendebat Eliseus regem Israel circunstante exercitu, cum dicebat: viuit dominus in cuius conspectu sto &c.4. Regum 3.

Ioan. Bap. feruenti quidem pectore Phariſæis dicebat,progenies viperarum &c.Mat.3.Luc.3.

Vnus ex latronibus pendens de Cruce magno zelo alterum reprehendebat Lucæ 23.

Stephanus quidem in concilio illo Iudæorum feruenter & audacter eos increpauit Act.7.

Vide quonam animi robore sacerdotes ipsi resisterent regi Oziæ 2.Paralipo.26.

Attẽde qua fortitudine & feruore Esdras reprehendit filios transmigrationis, qui duxerunt contra legem filias alienigenarum 1.Esdræ 9.& 10.

Attende quàm vehementer increparet Nehemias eos qui pauperes opprimebant Nehemiæ 5. insuper quanto zelo redarguit illos qui sabbatha transgrediebantur Nehe.13.

Qui malum præbent exemplum,acriter reprehendendi, quemadmodum Paulus reprehendit Elymam Magum nitentem peruertere proconsulem illum Acto.13.

Simoniaci duriter increpãdi, vt Petrus duriter increpauit Simonem magum volẽtem emere spiritum sanctum Acto.8.

Carnales homines grauiter etiam reprehẽdendi, exemplo Apostoli qui grauiter reprehẽdit Corinthios de fornicatione 1.Corinthio.5.

Corripiendi item peracerbe impij illi homines qui irreuerẽtiam & contemptum habent ergà sacramenta,sicut idem Apost.Corin.reprehendit de irreuerentia Eucharistiæ 1.Corin.11.

Cæterum ad correctionem ipsam dandam expectandum est tempus opportunum, atque commoditas quędã,ita vt furor & impetus omnis passionis deferueat,aliquantulũque sedetur & quiescat animus:exemplo etiam Abigail cũ marito suo Nabal,quæ expectauit donec vinum quod epotauerat edormisset ac digessisset 1.Regum 25.

Quemadmodum princeps nauis peritũ quærit nauclerum & expertos nautas,qui optime nauem suam moderentur & dirigant:& qui optimam habere cupit mulam vel equum, domitorem quærit exercitatissimum: & qui ædes exædificare studet permagnificas & elegantes, architectum euocat præstantem atque peritum. Ad eundem modum quicunque suorum morum & vitæ compositioni incumbit, sapiẽtum consiliis,& peritorum hominum,insistat oportet:omnia cum consilio faciens, sicut monet sapiens Prouer.13. & 15.Qui enim in hac vita versari absque consilio volet,& datas sibi correctiones aspernabitur: is proculdubio similis erit fluctuanti & periclitanti nauí, excusso nauclero ipso.

Sicut insignis quidam pictor olim, cuius meminerunt historiæ, cum Deam Iunonem miro artificio depingere instituisset, quinque puellas ex innumeris,pulchritudine præstãtiores delegit,atque quod in singulis excellentius erat contemplatus est perattente: vt inde tandẽ singulari quadam idea animo cõcepta, picturam suam omnibus numeris absolutam spectabilem proponeret:ita certe quisquis vitæ emẽdandæ perstudiosus est, varia consilia & correctiones negligere nõ debet,sed ex eisdem potius decerpere vtilia quæque,magisque iuuantia ad id quod cupit consequendum.

Quemadmodum splendidissimus adamas nil amittit sui valoris & præstantiæ si aureo annulo cõcludatur

cludatur, quin potius exornatur magis, magisque splendere videtur & emicare:ita vnusquisque vir quamuis prudens sit & sapiens, nil amittit honoris,æstimationis,& excellentiæ, quamuis aliorum consiliis & hortatibus vratur: quin potius perficitur magis & exornatur, talia cõsilia benigne accipiendo, ne aliter ei accidat vt cõtigit ipsi Roboã, qui optimũm & salutare seniorum cõsilium sequi noluit,vt constat 3.Reg.12.

Quemadmodum prudens ac solers mercator pretiosas suas merces nõ euoluit & ostentat apud eum quem certo scit minus empturum esse; & ea gratia non accessisse,sed apud illum potius quem videt ad emendum esse paratum: ita qui in alienis delictis emendandis operam vult enauare efficacem, non debet eum corrigere & reprehendere quem euidenter cognoscit nihil ex admonitione sibi profuturum, sed eum potius quem flexibilem & propensum in emendationem esse viderit atque coniecerit.

Sicut oculi videre nequeunt suas palpebras atque sinus, neque interius existentem maculam, quæcũque ea fuerit:quod habeant hæc omnia nimia propinquitate sibi coniunctissima, sed alienis potius oculis opus est ad hæc omnia diiudicanda & discernenda. Sic profecto cùm nostri defectus nostræque passiones nobis tantopere cognatæ sint atque coniunctæ, eas minus explorare possumus & perscrutari: sed alienis opus est consiliis & correctionibus, quibus ea videamus, quæ per nos ipsos discutere minus valemus.

Quemadmodum pictores ipsi quantumuis exercitatissimi, & artificio quasi Appellis præcellentes, cæterique artifices in suis facultatibus quamuis peritissimi,percupiunt vt ab eiusdem artis hominibus opus suum conspiciatur,& censura etiam feratur si necesse fuerit circa ea quæ minus accurata aut neglecta videbuntur:hacque tandem ratione fit vt in dies doctrina ipsa seipsos superent atque euincãt: non aliter me hercule qui moribus suis expoliendis & efformandis incumbit atque inuigilat,non solum non debet contemnere salutaria monita atque consilia, sed etiam eos vltro quærere debet diligenter,qui ea carpant ac reprehendant, quæ reprehensionis indigere videbũtur.

Nolle aliquem omnino corrigi & emẽdari,iudicium & argumentum esse videtur quod minime nouerit seipsum ac sua mala: quod certe miserabile est ac calamitosum. Nam vt Seneca ait, propria sui cognitio, emendationis est initium: non vult se corrigere, qui non vult se cognoscere. Tu ipse ergo potius tui accusator esto;cum desit alius qui te corrigat atque emendet. Lege Senecam lib. 3.epist.ad Luci.epist.28.circa finem.

Mirabile plane est atque dolendum sensibus intimis inquit idem Seneca, quod pauciſſimi sint qui suum velint damnum malumque agnoscere: & quod cum quicũque corporis oculis captus est, ducem sibi ac præeuntem quærat, qui tamẽ mentis oculis occæcatus est, cuiusque vicit pudorem libido,timorem audacia, & denique rationem superauit amentia, minus in tanta tamque Cimmeria cæcitate, prælucentem quærat, magistrumque exoptet quo emendetur ac corrigatur. Legẽ eundem lib.6.epist.epist.51.ante medium. & post medium inquit esse quosdam homines qui tanquam de sua salute omnino desperantes, nolint iam omnino admittere correctiones vllas & hortatus: contra quos perbelle differit.

Cum audieris septies esse dimittendum,ita debeꝫ id intelligere,vt si id feceris,intelligas te semper debere dimittere fratri. Nam septies dimittere debes, id est per omnes septem dies hebdomadæ: atque ita ne horam quidem inuenies, in qua non debeas remittere fratri iniuriam. Vide Chrysosto.ex variis in Matt,locis homi.19.

Nil obstat ad dimittendum fratri sæpissime illud Amos 1.super tribus sceleribus Damasci & super quatuor non conuertam eam, id est non parcam ei: si quidem illic prophera mentionem facit peccatoris obstinati, hic vero tractat Christus de eo de quo speratur emendatio. Vide Hectoreum Pintum explicantem cap.39.Ezechie.

*Sed septuagies septies.*Quare veniam lege cõstringit,angustat numero,fine concludit,quam sic pulsat per misericordiam, per gratiam sic relaxat? Si septies, si octies, vincit numerus gratiam? bonitati calculus obstitit? & addicit vna culpa pœnæ, quem commissa septem venię iam dederũt?Absit. Nam sicut felix ille qui septies remisit, ita felicior est iste septuagies septies qui remisit. Petrus mandati immemor huius, interrogat dominum dicẽs, si peccauerit in me frater meus, quoties remittam illi?Septies?Respondit dominus,nõ solum septies, sed septuagies septies. Præscriptus ergo numerus non angustat veniam, sed dilatat: & quod præcepto finit,sine fine relinquit arbitrio:vt si quantum iusserit remiseris, tantum sit obedientiæ, sit præmij.Chrysol.sermo.139.

Feria quarta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

*Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus,cum panem manducant, Matt.15. Marci 7.*Phariſæe quid te mundum credis, cum tua omnia tuo sint polluta conuiuio? In foro tu de innocẽtis sanguine disputasti, de rapienda substantia pauperis perquisisti, perscrutatus es qualiter libertatem addiceres seruituti; & cum interiora tua tanto sint confecta crimine, quemadmodũm te exterior lauare & mundare sufficiet aqua? Cordà & corpora nostra mundare hæc poterit,cum fuerit & ipsa spiritussancti purificata commercio, vt visibili ministerio inuisibile purificationis nostræ perficiat sacramentum. Chrysolog.sermo.171.

Tunc inquit Euangelista accesserunt, quando scilicet innumera signa operatus est, quãdo tactu solummodo simbriæ multos curauit ęgrotos:propterea enim Euangelista notauit tempus, vt magnam eorum malitiam ostenderet. *Non enim lauant manus.* Quoniam sæpius illotis manibus nulla obseruatione comederant, vt quando in deserto, vt quando spicas incidebant, idipsum pro crimine illi obiiciunt: quia grandia semper negligentes, maxima de friuolis cura solicitabantur. D.Chrysost.super Matthæ.homi.52.to.2.

Falsa quidem ac simulata vtebantur isti Scribæ & Phariſæi religione atque cæremoniis: nam vere cæremoniæ sunt illæ quidẽ laudabiles atque perutiles. Vt enim calor à corporibus nostris procedẽs,vestes quibus amicti sumus calefacit:ita vestes ipsæ sic calefactæ, corpus ipsum à quo caloré perceperunt,calefaciunt,& à frigoris rigore defendunt.Hoc ipsum igitur & externa virtutum opera, & sacræ cæremoniæ, & monasticæ vitæ institutã faciunt:quæ sicut cum recte fiunt, à charitate manant, ita ipsum charitatis fontem à quo manant, perficiunt,augent,atque tuentur.

Non enim lauant manus. O scelus execrandum! ô detestandum flagitium! putabam vos magnum aliquod crimen intendere, cum tamen rem irridendam non exaggerãdam obijciatis! Paturient montes, nascetur ridiculus mus. Animaduertite hic fratres, quid ambitio, quid superstitio, quid inanis ostentatio, pariat, & in quas nænias mens hominis, sacris etiam literis & religionis nomine insignita, incidat! Quid enim dementius, aut magis etiam ridiculum, quam religionem in ablutione manuum, aut crimen in sordibus earum collocare? At hoc velut ingens crimen diuinæ legis interpretes, & religionis nomine insignes, discipulis domini affigebãt. Mirus religionis ardor, mira neglecti officij cura! Interiora illorũ ambitione, auaritia liuore, rapina, & odio in Christum dominum plena erant, & ad hæc vitiorum monstra, quæ intra se gestabant, cernenda, vel ipsis talpis cæciores erant: ad aliorum vero leuissima errata pluſquam lynceos oculos habebant: Contra hos autem dominus in Euãgelio, quid inquit vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo nõ vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, frater sine eijciam festucam de oculo tuo, ipse trabem in oculo tuo non consideras? Hæc erat Pharisæorum ambitiosa religio, leuissima delicta quæ oculis hominum conspicua sunt, grauissima existimare, ea vero quæ diuinum numen grauissime offendunt, prorsus negligere. Hoc enim crimen illis dominus alibi impingit, cum ait; illos culicem quidẽ colare, & camelum deglutire. Quis enim illã sacerdotum & seniorum religionem non rideat, qui dominicæ passionis tempore nefas esse putabãt Pilati prætoriũ introire, ne hoc ingressu contaminarentur, qui tamen nihili faciebãt innocentissimũ autoré vitæ, odio & inuidia ad indignissimã & crudelissimam necem postulare? Quid illud etiam, quod propter diei festi religionem, ne eo die crucifixorum corpora appensa manerent, à Pilato petierunt vt frangerentur eorum crura, & tollerentur? hoc est, vt atrocissimo mortis genere damnatis, aliud supplicium atrocius adiungeretur? Est ne hoc fi aternæ charitatis opus, vt immanissime proximos torqueri postules, quo diei festo solẽnitatem adijcias? Vnde hæc inhumanitatis lex in vestros mores inuecta est, vt minima quidem diligentissime curetis, quæ vero maxima sunt prorsus negligatis?

Statua illa quam vidit Nabucodonosor, habebat caput aureum, brachia argentea, & denique ex metallis multis reliqua erant fabricata, præter pedes quos luteos habebat, & in eos cecidit lapis: ita mali non caput aureum proximi, non brachia argentea, non vẽtrem æreum, per quæ virtutes, gratiæ & alia dona significantur, pertingunt, sed potius ad debilia quæ putant & abiecta, oculos conijciunt.

Quare discipuli tui &c. Nullũ est opus adeo bonũ, cui mali & improbi aliquẽ defectũ non imponãt. Nam si humilis es, abiectum te iudicant: si patiẽs, pusillanimem dicũt. Si studiosus, virtutique ac religioni deditus, hypocritam agere censent: si abstinẽs es, auarum appellant. Si tacitus, insipientẽ nominant: si loqueris, garrulus: si cunctaris, Olim quidem cũ Dauid misissent nũtios vt cõsolarentur Hanon, impij illud opus bonum ex sua malitia inuertentes, dixerũt ex ambitione processisse. Cæterum pij & recti homines quãdo opus excusare nõ possunt, saltem intẽtionem iudicãt fuisse rectã. Quod enim opus fuit vnquã de tertio, quã interficere innocentẽ dominum? Et tamen beatus Petrus id excusans, ait factũ fuisse ex ignorantia. Sic sanctissimus Ioseph opus illud crudele quod fratres aduersus eũ commiserũt, excusans: inquit opus esse dei. Profecto si ædificium mensuretur recto perpendiculo, cum maiora ligna & lapides apposueris, magis stabile & firmum permanebit: at vero si regula & mensura defecerit, quicquid superstruxeris corruet. Ita similiter cor nostrũ est veluti basis, super quam ipsa virtus debet ædificari: cũ rectitudinem & normã rectæ rationis obseruat, quicquid oneris addideris, illud magis firmabit, at vero si voluntas malitia sit infecta, quicquid videbit, in suã ruinam & perditionem conuertet.

Fluuius extra alueum suum exundans, fluctibus suis ripas mundificat, ipse tamen cum omnes immunditias riparum secum ferat, immundus, pallidus, & turbidus fluit: eodem modo homo extra sui ipsius notitiam & cognitionem, quique aliorum immunditias extra se egressus, aliorumque facta rimatur: fluuio superabundanti rire cõparatur: alios enim mundat, dum illos sua loquacitate & murmuratione monet vt vitam emendent & corrigant, tota autem iactura illius tantummodo est qui hoc facit, turbidam enim conscientiam & immundam habet, malitia sua & superbia. Nullum certe aliud negotium magis inutile gerere poteris, quam si aliorum facta scrutaris. Satis argumentum est te paruam curam conscientiæ tuæ gerere, siquidem tantum de aliis curas. Esau quidem semper in agro viuebat, Iacob autem domi semper erat. Proprium enim bonorum est, intra domum conscientiæ suæ se cõtinere: malorum autem & otiosorum proprium est, extra se errare, aliorum vitas obseruando.

Quare discipuli tui &c. Hic quidem non incommode agere potes contra murmuratores: quandoquidem vides istos murmurare contra Christum & eius discipulos.

Quod de proximis nostris murmurare non debeamus, lege D. Chrysosto. homi. de Dauid & Saule prope finem to. 1.

Quam pessimæ ac detestabiles sint murmurationes, lege D. Basi. lib. Regula. fusius disputatarum cap. 29.

Multi quidem sunt qui detrahunt viris sanctis, & pessime de eisdem loquuntur: sic enim nonnulli maleuoli D. Hiero. detrahebant, quod Paulum & Eustochium ad vitam religiosam & sanctam euocasset, eumque tanquam suspectum de conuersatione Paulæ nequiter accusabant: à qua quidem calumnia se mire defendit, & in ipsos calumniatores inuehitur merito quidem, epistola quadam quam scribit Asellæ circa finem to. 2.

Murmurabant etiam quidam de excellenti D. Hiero. Translatione, quemadmodum ipse scribit epistola vltima & penultima to. 2. quarum vna mittitur ad Pammachium de optimo modo interpretandi, altera vero ad Marcellam.

Contra murmuratores & detractores vide D. Augus. ad fratres in eremo sermo. 45. circa finem to. 10.

Aduersus detractores consule D. Basili. lib. Regula. breuiorum interroga. 25. to. 2.

De detractione & detractoribus lege Vincen. Belluacen. Specu. histo. lib. 17. cap. 6.

Quid de detractione senserint Philosophi lege eundem Specu. Doctrina. lib. 4. cap. 169.

Male de te loquuntur homines, sed mali. Moueret si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si duo Scipiones, ista loquerentur: nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam autoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est damnat. Male de te

te loquuntur: mouerer si iudicio hoc facerent, nunc morbo faciunt, non de me loquuntur, sed de se. Mali de te loquuntur, qui bene nesciunt loqui. Faciũt non quod mereor, sed quod solent. Quibus dam enim canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. Vide Senecam ad Gallionem de remediis fortuitorum circa medium operum.

Quemadmodum qui inflammatam prunam manu prehendit, vt in alterum eam proiiciat, ipse prius exuritur quã alteri noceat: sic q̃ fratri detrahit ac de proximo murmurat, prius animam suã lædit, quam alterius famæ & nomini nocumentum inferat.

Sicut corui, aliæque huius generis aues, eminus etiam putrefactas fetidásque carnes persentiunt, integras vero & viuentes ne odorantur quidem & leuiter olfaciunt: non secus plane peruersi homines & omnium scelerum colluuione concreti, alienos defectus & peccata vel leuissima quæque vestigant, lynceisque oculis contuentur, virtutes vero quæ in sanctis hominibus splendent tanquam sidera quædam, nec vident quidem. Vnde huius farinæ homines vel potius furfuris, non minus pascũtur & delectantur alienis defectibus, quos ipsi sæpissime falso putant defectus, quam corui putridis corruptísque corporibus. Facta vero ipsa præclara, oculis fugiunt, auribus respuunt, & tota cogitatione aspernantur.

Quemadmodum lutulenti sues neglectis mundis delicatísque locis, in cæno tenacissimo volutantur, & ciborum lautitiis spretis, duris glandibus pascuntur: ita certe detractores homines, qui clanculum mordent, & ante os ipsum ficta quadam vultus serenitate applaudunt, non dignantur ad splendorem atque præstantiam studiosorum hominum accedere, neque virtutibus eorum animũ excolere: sed potius detractione, infamia, interfectióque quodam odio pascuntur, & contabescũt.

Quemadmodum ciconia non vescitur nisi venenosis virulentisque rebus, vt colubris, lacertis, bufonibus, aliísque id genus animalculis: qualem cibum illi vsus assiduus & cõsuetudo gratissimum fecit. Ad eundem modũ nonnulli sunt vsq; adeo murmurationi & detractioni addicti, vt nulla alia re magis delectentur, vt nil sibi aliud studio habeant, quam proximo detrahere, eiúsque nomẽ & famam canino rodere dente, atque exedere.

Sicut gallina de cibo solicita si gemmã videat, eam negligit, sin autem vermiculum quendam offendat, cũ statim famelico apprehẽdit rostro, atq; ex eo cibo maxime exultat, triumphum agit, & præ gaudio cantu suo loca omnia implet. Sic impius & scelestus homo quamuis in aliquo splendentes multas videat virtutes, eas quidẽ negligit: quod si per incuriam aliquis forte eius defectus vspiam apparuerit, eum illico carpit, omnibus ostentat, & plenis theatris spectandum proponit.

Quemadmodum canis si forte tempore præsertim quadragesimali, quo à carnibus abstinemus, aridum etiam aliquod os alicubi offenderit, illud vertit, inuertit, rodit, perrodit: & quamuis lædatur interdum, & ex gingiuis sanguinem eliciat, pær delectatione tamen non cessat à morsibus: sic detractores homines si hoc potissimum tempore offenderint aliquem defectum alicuius & erratum, illud elacerãt: & promulgãt: & licet videant animã suam lædi ex tali detractione, nihilominus tamen præ nimia delectatione quã contraxerunt ex longa detrahendi consuetudine, vix quidem id sentiunt, quin iugiter in peruersitate sua perseuerãt

Isti quidem homines cum viderent se sua oculorum lippitudine non posse tantum splendorem discipulorum contueri neque tarditate, vel malitia sua atque obstinatione in vitiis, præcurrere & præstare eisdem: idcirco quantum in se erat obnixe cursum eorum in virtute retardare conniteban tur suis detractionibus, murmurationibus, infamiis, & denique criminum vt ipsi putabant obiectu. Quod quam nefas sit, vel ex subiecta similitudine manifestum, fiet. Quemadmodum enim qui pro præmio aliquo aut sponsione currunt, singuli quidem præmium ipsum obtinere pro viribus cõnituntur, nemini tamen ex cursoribus fas est alterius cursum retardare, quo ipse præcurrat, pedem interponendo, vel alio proposito obstaculo: nam ea ratione quamuis ita se gerens præcurreret quidem, non tamen brauium acciperet. Ita non licet certe propter inuidiam vel aliam causam detrahere iis qui laudabilem scientiæ, deuotionis, & denique virtutis tenent cursum, quo ij à tali cursu reuocentur, & inuidi præcurrere iudicentur. Hoc vero impurissimi Pharisæi faciebant, cum discipulis Christi obiiciebãt quos ipsi putabãt defectus.

Ipse autem respondens, ait illis. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Falsam calumniam vera responsione confutat. Cum, inquit, vos propter traditionem hominum præcepta domini negligatis, quare discipulos meos arguendos putatis quod seniorum iussa paruipendant, vt Dei scita custodiant? D. Hiero. super Mat. 15. lib. 2. to. 9.

Sicut fulgura cum saxa, montes, arbores, ipsa domorũ culmina, terribili collisione dissoluunt, sensus hominum mentésque corripiunt: ita dominus quoties in Pharisæos intonat, suos simore salutari corrigit, & emendat. Sicut hodie Euangelicus sermo perdocuit, Pharisæos, & Scribas vitu peraſſe aliquos discipulorum domini, eo quod nõ lotis manibus mãducarent. Nemo cum hæc audit, existimet discipulos domini sub specie contemptus incultis & lutulentis manibus edere, nec mẽsæ domini, nec conuiuij communis scruare & colere honestatem? quando istud neque natura paritur, neque hospitalitatis admittit affectio. Sed Pharisæi non diligentiam corporis in discipulis domini, sed superstitionis suæ baptismata perquirebãt; nescientes vnum baptisma, quod dominus non laũandis solum, sed innouandis animabus & corporibus inuenisset: quod non corpus ad cultum vitæ, sed conscientiam dilueret ad salutem. Chrysolog. sermo. 171.

Impudentissimæ Pharisæorum quæstioni dominus altera iustissima quæstione respondet: quæstionem quæstione, quasi clauum clauo retundens. Cum enim Deus parentes honorare, hoc est non solum reuereri, sed illis etiam subuenire præcepit; vos contrà liberos ab huius obseruatione præcepti reuocatis cum subsidia parẽtibus debita, in templi munera commutare docetis. Pium quidem & religiosum est cum facultas suppetit, templi cultum honestare muneribus: sed cum parentes egent, & vtrúmque homo præstare non potest, parentibus potius subueniendum est. Hoc enim præcipitur, illud consulitur. Hic autem canon fidelibus ante omnia propositus esse debet, vt cum diuina consilia & præcepta se mutuo impediunt, neque vtraque simul impleri possunt, præcepta semper consiliis anteferenda sint. Circa quòd astutus dæmon multos sæpe ad peccandum sub virtutis quadam specie incitat. Videas enim multos qui ieiunia quæ ipsi sibi indixerunt, in-

uiolata seruant, ea vero quæ ab Ecclesia instituta sunt, facile violent. Alios item videbitis hoc sacro tempore dies aliquot pane & aqua victitare: qui tamen aliis diebus iciunium soluunt, ad quod ex Ecclesiæ præcepto tenebantur, An non ergo satius fuisset conmunibus cibis vesci,& ecclesiæ obtemperare, quam his violatis noua abstinentiæ genera excogitare: Rursum videre est alios liberales in pauperes,qui tamen vix adduci possunt vt vel famulis stipendia sua exigentibus, vel creditoribus, debita soluant. Hic est communis humanæ naturæ morbus, vt propensior semper ad officia voluntaria, quam ad necessaria sit multoque libentius, voluntati suæ vel in ardua tendenti, quã alienę leuia præcipienti pareat: cum constet tamen verissimam esse illustrem illam Samuelis sententiam, qua meliorem esse obedientiam victimis definiuit.

Quare & vos transgredimini. Cum viderimus alicuius famam periclitari, non erubescamus coram detractoribus narrare eius virtutes: sic enim charitas postulat. Vnde dominus pro Mose respondit, cum detraherent ei Maria & Aaron. Similiter pro sancto illo Iob satisfecit, cum eius opera amici indiguerunt.

Quare & vos. Quasi magna emphasis lateat in pronomine illo vos,& sibi velit: vos qui estis puluis, vermes, infelices miseri, spurcissimis, sceleratissimi, audetis contra Deum ipsum leges aliquas constituere, & eius delere mandata atque præcepta? Cæterũ Quare & vos dicitis quotidie Christianis, scilicet redempti sanguine meo, & quibus tam multa præstiti beneficia, audebitis præcepta mea transgredi & negligere? obtemperat mihi cælum,mare,clementa. & cæteræ creaturæ:& vos soli negligitis & contemnitis admonitiones meas? Accommodate quidem de vobis dici poterit illud Esa.1. Filios enutriui & exaltaui &c. Horozcus in declamatio. Quadrag.

Nam Deus dixit, honora patrem tuum & matrem tuam: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam. Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis & munerum oblatione sentitur. Honora inquit Apostolus viduas, quæ vere viduæ sunt: hic honor, donum intelligitur. Et in alio loco, presbyteri duplici honore honorandi, maxime qui laborant in verbo & doctrina Dei. *Vos autem dicitis.* Prouidentissimam Dei legem de honorandis parentibus & necessariis vitæ ministrandis, volentes Scribæ & Pharisæi subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios: vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est pater: oblatio domini præponatur parentum muneribus: vel certe ipsi parentes quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat, vt oblatio liberorum sub occasione templi & Dei, in sacerdotum lucra cederet. Potest & hunc breuiter habere sensum: compellitis inquit filios, vt dicant parẽtibus suis quod cunque donum eram daturus Deo, in tuos consumo cibos, tibique prodest ô pater & mater, vt illi timentes accipere quod Deo mancipatum videant? inopem magis velint vitam ducere, quam comedere de consecratis. D. Hiero. super Math. 15. lib. 2. to. 9.

Honora patrem tuum & matrem tuam. Petrus Chrysol. sermo. 55. Ita affatur & instruit parentes ipsos. Ideo te Deus patrem facit, ideo à te voluit hominem procreari: qui vtique quod te de terra fecerat, poterat facisse quamplurimos: sed egit, vt generando scires quanta esset generantis affectio, & in te amorem tui tantum probares autoris, quantum ipse autor pignoris, tuo pignori conaris impẽdere. Certe non solum in te quid esset generantis affectio, sentire te Deus voluit: sed in feris, & in pecudibus, & anibus, hoc Deus voluit te videre: quæ cum de terra produxerit sola iussione, postea laborem sentire compulit generandi, mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire, ac se mori si natos suos capi viderint, non negare. Vnde si non hominis, vel ferarum cõparatione, pecudum similitudine, exemplis auium, disce quanta sit paterna charitate synceritas.

Qui maledixerit patri vel matri. Si qui verbo parẽtibus iniuriantur, morte plectũtur, quo supplicio digni estis, qui reipsa & opere violetis? Nec solum id vos facitis, verũ etiam alios instruitis. Qui ergo capitali supplicio digni estis, quomodo meos discipulos criminamini? Non autẽ mirum si ita me quem non cognoscitis, ac meos repellitis, cum ad uersus patrẽ talia machinati sitis. Ita vbiq; & dicit & ostẽdit, à contẽptu patris hanc arrogantiã originẽ traxisse. D. Chrysosto. super Matth. ho. 52. to. 2.

Munus quodcunque est ex me, tibi proderit. Pharisæi namque discipulos suos docebant, quid parentibus inopia cõstrictis, & subsidium à filiis postulantibus, respondere deberẽt, nẽpe, *Munus quodcunque &c.* Hoc est, patienter opem domini expecta pater, munus enim quod tibi subtraho, & Deo offero, illi quidem gratum, tibi vero salutare erit, & ob illius gratiam tibi is auxilium è cælo demittet. Hac peruersa ratione filios ab honore parentum abducebant: honor quippe hoc in loco pro subsidio & inopiæ remedio accipiendus est. Est facteor præstantius, ea quæ ad missarum sacrificia & ad diuini cultus religionem pertinent augere, quã siue parentibus siue amicis dona tribuere: at si vel parentes, vel etiam pauperes, graui inopia constringantur, si dira fames aut pestis ingruat; pauperes anteferendi sunt, quibus ex charitatis lege subuenire tenemur. Hinc D. Aug, vasa dominica ad pauperum inopiam subleuandã conflari iubebat, & inter eos distribui. D. quoque Ambro. inuidiam se sustinuisse ait, quòd eadem sacra vasa ad captiuorum redẽptionẽ distrahi præcepisse. t Quã ille quidem libenter tulit, asserens illum esse verũ Christi thesaurun, qui operatur quod sanguis eius operatus est, nempe captiuorum redemptionem. D. vero Hiero. in epis. quadam sanctum Exuperiũ Tolosanæ vrbis Episcopum commendat, qd corpus domini canistro vimineo, sanguinem portaret vitro, quia sacra vasa in vsus pauperum ab eo distributa erant. Sed hãc tamen charitatis legem, scribarum auaritia prorsus ignorabat.

Honora patrem tuum & matrem tuam, Sicut prima scientiarum principia nullo docẽte cognoscũtur, solo enim naturali intellectus lumine peruidẽtur: ita quoq; parentes esse honorandos natura didicimus. Quod quidem adeo euidenter constat, vt Aristo, dicat non minus stultum aut superuacaneũ esse de honore parentibus tribuendo, quam de cãdore niuis disputare. Vtrúmq; enim iuxta euidẽs, & notum esse confirmat. Quam etiam vim bruta quoque animantia immanesque feræ non ignorãt quæ parentes suos agnoscũt diligũt, & quocunq; perexe

perrexerint, sequuntur. Cui rei argumento sunt vituli & vaccæ illæ, quæ arcam domini ex regione Philisthinorum in terram Israël deferebãt. Mutui enim filiorum matrúmq; mugitus, huius amoris vim facile declarabant. Sed celeberrimum & vulgatissimum est ciconiarũ exemplum à D. Ambrosio insigniter amplificatũ: quæ parentes suos in senectute ita alunt, vt ipsæ à parentibus dum pulli essent enutritæ & alitæ fuerunt. Parẽtes enim senio confectos, & ad volandum impotentes, conquisito cibo in nido alunt, & implumes effectos plumis suis cõtegunt, vt à frigore defendãt: quod que magis mirandum est, si aliquo migrare oporteat, subiectis vtrinque humeris parentes quo migrandũ est per aera deferunt. Qua in re nescio quid prius mirari debeam, an istarum auium erga parentes pietatem, an diuinæ prouidentiæ curã, quæ senectuti atque imbecillitati huius auis hac ratione prospexit, an disciplinæ & magisterij huius efficaciam & nouitatem, qua naturæ conditor exemplo auiũ voluit homines ad parentũ cultum & honorem inducere? nec inducere modo, sed ignominia etiam afficere, si rationalis creatura parentibus non præstaret, quod ipsæ quoque natura docente illis præstant. Ad qđ nos etiã Eccl. inuitat his verbis: fili susci pe senectã patris tui, & ne contristes eum in omni vita tua, & si defecerit sensu, veniam da. Intellexit plane sanctus vir se num incommoda atque labores, quos non modo corporis vires, sed sensus etiam, & ratio ipsa, quæ hominis propria est, destituere quodammodo solet. Comitantur autem eos, imbecillitas, inopia, morbi, variáque incommoda: adeo vt ad prioris ætatis infirmitatem & ignorantiam redisse videãtur. Quo spectaculo filij ad infantiæ suæ memoriam reuocari debent, quã patres tanto studio fouerunt; vt exemplo saltem ciconiarũ beneficium beneficio pensent. Quid enim patres propter filiorum salutem non tulerũt? Quæ in matre grauida pericula ac fastidia? qui in partu gemitus atq; dolores? Quæ in infantia alenda atque sustentanda, studia atque labores? quod vigiles noctes, dum pueros lactant, abluunt, vestiunt, nudant, & lugentibus diu noctúque applaudunt? Hinc sanctus ille Tobias ad filium, omnibus inquit diebus vitæ tuæ honorẽ habebis matri tuæ. Memor enim esse debes quę & quãta p te passa est in vtero suo.

4 Reg. 4. Mulier illa sunamitis videns filium suum mortuum, non lente, sed festinãter venit ad Elisæum. Sic etiam Regulus ille abiit ad Christum, & obnixe cum rogauit pro filij incolumitate. Quantis porro clamoribus, lachrymis, & eiulatibus mulier illa Chananæa filiæ suæ salutem quæsiuit? Iairus etiam ille princeps Synagogæ, cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret domũ: quia filia vnica erat ei, & hæc moriebatur. Cæterum quam pauciissimi reperientur nunc filij qui id faciant, & tale quidpiam parentibus rependant, in discrimine ac periculo constitutis?

Honora patrem tuum & matrem tuam Vide D. Thomo. 1.2. q. 100. ar. 5. ad. 4. & arti. 11. in corpore. & 22. q. 33. ar. 2. ad. 2. & q. 101. ar. 2. per totum. & q. 104. ar. 5. ad 1. & q. 106. art. 3. in corpore. & q. 122. arti. 5. per totum. & q. 189. ar. 6. in corpore, & ad 1. & in 4. sen. dis. 15. q. 2. ar. 1. quæstiun. 4. ad 3. & super epis. ad Colos. 3. lect. 4. in illa verba. filij obdite parentibus. & ad Ephe. 6. lect. 1. & 1. Timo. 5. lect. 2. super illa verba, viduas honora. & 1. par. q. 100. ar. 7. ad. 3.

Parentes nostros honorare atque diligere debemus, ad extremum vsque vitæ nostræ anhelitum: id quod Christus exemplo etiam suo mirifice commendauit, cum in cruce pendens discipulo matrem commendarit. Vide D. Chrysost. super Ioan. hom. 84. in illa verba cap. 19. Mulier ecce filius tuus to. 2.

Munus quodcunque est ex me. Id est munus quod offers causa mei, ad te iam pertinebit: quibus verbis significabant filij, iam non sibi opus esse parentum pro se oblationibus: quod ad eam ætatẽ peruenissent, vt possent ipsi iam pro se offerre. Cum ergo id ætatis essent & parentibus dixissent ea verba: negabant Pharisæi eos reos esse, si minus sua parentibus præstarent obsequia. Vide D. Augusti. lib. 1. quæst. Euange. cap. 14. to. 4.

Honora patrem tuum &c. Cõsidera quæso peratente quantum honorarunt, quámque obedientes extiterunt Rechabitæ genitori suo Ionadab: quia nunquam ipsi, nec vxores eorum, nec filij, vinum biberunt, nec domos edificauerunt, neque agros seminauerunt, neque vineas plantauerunt aut possederunt: propterea duntaxat, quia pater eorum ita eis præceperat. Vide Iere. 35.

Attende quantam habuerit curam parentum suorum Dauid, cum in periculis maximis atque discrimine versabantur, quando quidem eos perstudiose commendauit regi Moab quoúsque res suæ in portu collocarentur. 1. Regum. 22.

Filio quidem parentibus rebelli ac contumaci, pæna mortis statuta erat Deute. 21

Vide quãta obedientia filia Iephte se subiecerit patri suo Iudicum. 11.

Quãquam Senacharib adeo malus, superbus, blasphemus, & denique idololatra esset, profugisséque summo cũ dedecore atq; incõmodo exercitus sui, vt 2. Para. 32. constat: nihilominus tamẽ quia ipsum filij eius licet idolis immolantem interemerunt, non permisit Deus, vt impuniti remanerent.

Attende quo pacto maledictio Noe comprehenderit filium suum Cham, qui irreuerenter patri illuserat Gene. 9.

Recordare immortalem illam Isaac obedientiam erga patrem suum Abraham Gene. 22.

Filius Imperatoris Decij nolebat viuente patre regni diadẽma accipere, dicens quod sic obliuisceretur obedientiã chari genitoris sui: & quod malebat bonus esse filius quam impius Imperator. Lege Valerium Maxi. lib. 4

Qua ratione parentes filios suos educare debeant, consule Bernar. in tractatu de ordine vitæ, & morum institutione circa finem operum, & incipit, hortatur quidem.

Parentes non sint negligentes circa filios vide Chrysosto. in homi. quæ inscribitur de Anna, deque Samuelis educatione circa finem to. 1.

Parentes suorum filiorum curam habeant ad hirundinum exemplum, vide D. Ambro. lib. 5. Hexame. cap. 17. & 18.

Parentes studeant corrigere filios suos, vtsum imitantes, lege eundem lib. 6. Hexame. cap. 4.

Quo pacto parentes instituere liberos debeãt, epistolam composuit D. Hieron. ad Gaudentiũ missam, de Pacatulæ infantulæ educatione, circa principium to. 1.

Qua etiam ratione vicissim parentes sint honorandi, quendam edidit tractatum D. Hiero. de honorandis parentibus circa initium tomi. 4.

Quomodo filios suos educare parẽtes debeant lege Vincen. Bel. Spec. natura. lib. 30. cap. 41.

Parentes honorare, recreare, eisdémque diligenter seruire debemus, vide eundem specu. Moral.

ral. lib. 3. par. 10. dis. 25.

Parentes filios doceant vtilia quæque ac salutaria, lege eundem spec. doctri. lib. 1. cap. 41.

Quod parentes prouidere debeant liberis de optimis institutoribus etiam iuxta Philosophorũ sententiam, consule eundem Specu. doctri. lib. 5. cap. 48. & 47.

Quomodo parentes filios suos educare & corrigere debeant, lege eundem Specu. Doctri. lib. 12. cap. 27. vsque ad 31.

Quo pacto erudiendi informandique sint filij iuxta aliquos Philosophos, vide eundem Specu. Doctri. lib. 6. cap. 9.

Filij subuenire parentibus tenentur in necessitatibus, vel auium etiam quarundam moti exemplo, quæ id naturæ solo instinctu seruant Parentes etiam filios suos odio non habeant, quando complures aues in nido se occidi propter filiorum defensionem permittunt. Aliqui enim sunt parentes qui in secundis nuptiis sic filios exosos habent, ac si essent extranei & alieni. Vide D. Basi. de honore parentum: idem dicit in Hexame. ho. 9.

Filij parentibus in necessitatibus opitulentur exemplo auium ipsarum, vide D. Ambro. lib. 5. Hexame. cap. 16.

Quomodo filij instituendi, sint vide D. Hiero. epist. ad Lætam de institutione filiæ prope initium to. 1.

Non esse delicate nutriendos filios monet Seneca, cum air. Nil magis iracundos facit natos, quam educatio mollis & blanda non resistit offensis, cui nil vnquam negatum est. Quare diligenter incumbant parentes in rectam filiorum institutionem lib. 2. de ira cap. 21.

Præficiantur pueris pædagogi bonis moribus exornati, vt ipsi etiam pueri quasi simul cum lacte cădorem morum imbibant. Apud Platonem siquidem educatus puer, cum domum parentum adiisset, & vociferantem audisset patrem: nunquam inquit hoc apud Platonem vidi. Vide Senecam li. 2. de ira cap. 22.

Strenue quidem Scipio patrẽ suum in bello defendit, atque se pro eo maximo discrimini exposuit. Seneca lib. 3. de bene. cap. 33. & 34.

Patris beneficia vinci certe à filij beneficiis nunquam possunt. Et quare? quia vitam accepit filius à patre, quam nisi accepisset, nulla dare beneficia illi posset. Seneca lib. 3. de benefi. cap. 35.

Nulla vi verborum, nulláque ingenij facultate exprimi potest, quam laudabile sit & omni immortalitate dignum, posse merito dicere: parentibus meis semper parui, eorum ceßi imperio: iussa illorum sine mora impleui &c. Vide Sene. lib. 3. de bene. cap. 38.

Putare quisque debet, omnia quæ possidet eorum esse qui genuerunt, ita vt etiam hæc omnia eis pro virili ministrare debeat. Nã & externa bona, & corporis bona, & cætera omnia ab illis accepit quodammodo: & ideo hæc tanquam mutuo data rependere debet filius & reddere parentibus, si indigentia premantur. Plato. 4. dialo. de legi.

Cuius pater & mater, vel horum parentes, senio confecti, quasi thesaurus quidam domini iacent: is putet nunquam aliud sibi tale simulachrum magisque efficax domi suæ affuturum, si recte vt decet ab eo colitur. Plato. 11. dialo. de legi.

Existimandum est nullum apud Deos magis honorandũ simulachrum habere nos posse, quam patres & auos senio confectos, matrésque similiter: quibus honoratis Deus gaudet: parentes quidem negligere, nec Deus, nec homo mentis compos, alicui vnquam consulet. Vide eundem Platonem vbi supra.

Lex quidem in primis apud omnes homines vna est vt Deum colas, & vt parentes item honores vbique iubet lex. Xenophon lib. 4 de dictis & factis Socratis.

Attende maximam Dei cõminationem quam sacerdoti Heli fecit, quia filios suos non castigabat 1. Reg. 2.

Deus filios ipsos parentibus obedientes liberaliter remuneratur Ierem. 35. D. pro eo quod obedistis.

Maximopere commendatur honor parentibus exibendus Eccles. 3. A. B. C. Qui honorat patrem &c.

Quomodo instituendi sint filij Eccles. 30. B. equus indomitus.

Filius obediens Gene. 37. C. quo respondente præsto sum.

Filij impij in quẽ deueniant exitum 2. Reg. 15. C. surgite fugiamus.

Deus punit filios pessimos. 2. Regũ. 18. B. adhæsit caput eius quercui.

Filij male educati quo fine claudantur 4. Reg. 2. D. ascende calue.

Filij bene instituti mirabile quoddam virtutis exemplar existunt 2. Macha. 7. per totum.

Tertius abusionis gradus est, si adolescens sine obedientia deprehenditur, quo mundus à recto rationis ordine depranatur. Qualiter námque in senectute aliis ministeriũ imperabit, qui in adolescentia se senioribus obedientem exhibere contemnit? vnde in Prouerbio apud veteres habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui seruitutem seruire denegat. Propterea & dominus Iesus in temporibus suæ carnis dum adhuc ad legitimam doctoris ętatem non peruenisset, obedienter ministrationem parentibus suis præstitit. Sicut ergo in senibus sobrietas & morum perfectio requiritur: ita in adolescentibus obsequium, subiectio, & obedientia desideratur. Quamobrem in manda datis legis primo ex his quæ ad homines pertinent præcepto, patris & matris honor imperatur. Lege D. Cypria. epist. 111. de duodecim abusionibus seculi abusi. 3.

Quia ciconia adeo pia est in parentes senio cõfectos, cum eos curet magna diligentia nutrien dos & sustentados natura duce ac magistra, quemadmodum philosophi prodiderunt: idcirco Romani antiqui ciconiam veluti Deum adorauerũt, asserentes ei inesse scintillam quandam diuinitatis. Ex quo facile colligas quanta parentes suos Romani veneratione colerent, quandoquidem filios parentum dicto audiẽtes, tanquam Deos venerabantur.

Nonnulli filij conqueruntur se propter parentes multa sustinere mala & calamitates, ex eo qđ illi in senecta tanquã repueraſcentes molestissimi sint: qui profecto non considerant quantos labores sustinuerint, & exantlauerint parentes eorum causa. Alij etiam querunt quod parentes reliquerint eos egenos, & de aliis huiusmodi submurmurant, qui non videntur bene nosse parentum affectum, quamque parentes ipsi soliciti sint pro filiis, & curent quantum in se est, vt decentem filij teneant statum.

Cuinam fidelis eris, si tuorum es proditor? qualis futurus es cum extraneis, si cum patre fueris crudelis? Cassianus in quadam epistola.

Quidam ex antiquis, vt refert Valerius Maximus lib. 1. tantopere soliciti fuerunt dehonore parentum, vt dicerent fere horum contumelias iis æquandas esse, quæ in Deum cõferrentur.

Debes surdas præbere aures, cum à patre conuiciis & contumeliis afficeris: quamuis enim aspera pater habeat verba, habet tamen desideria salutaria in te propensa. Si vis ergo felix esse, quo grauioribus verbis te insectabitur, eo magis Deo precabere, vt pro eius optatis, & secundum eius desiderium, tibi omnia contingant. Seneca epis. 31.

Non debet filius præcepta discutere patris, sed semper credere quod pater filio solum salutaria mandat. Vnde si filius mandata discutiat, videtur an ille sit pater discutere. Hinc Isaac patris gladiũ cum videret, vnde dolere poterat est gauisus. Hinc etiam Iephte filia, patris vota sua morte tota gratulatione persoluit. Vide Glos. incogni. su. Psalm. versi. 2024. super illa verba, Adiiciat dominus super vos, super vos & super filios vestros.

Tanto quidem parentes natos suos prosequuntur amore, vt magis gaudeant filiorum augere, quam propria commoda. Vnde Ptolomæus dicebat quemadmodum refert Iustinus lib. 16. non sibi videri adeo iucunditatis plenum se regem esse, quam patrem esse regis.

De reuerentia & honore quo parentes suos filij prosequi debent, vide Conci. Gan. cap. 16.

Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri &c. Si religio pietati comparetur, constat religionem esse anteponendam pietati, quanto honor diuinus præferendus est cuicunque debito humano: & in hoc fundamento non errabant Pharisæi, imo hoc Iesus frequenter docuit, dum patrem & matrem relinquendos propter Deum prædicauit. Si vero ad vsum materiæ in articulo necessariæ pietatis spectetur, inuenitur oppositũ, scilicet quod materia necessaria pietati, non solum pietati potius quam religioni applicari debet, sed etiam si voto dedicata sit Deo, debet in materiam pietatis transferri. Et hoc consurgit ex parte materiæ, quæ in tali casu est effecta materia debita pietati. Caietanus super Mat. 15.

Multi Philosophi ad parentum honorem nos videntur etiam cohortari, & excitare. Nam Menander dixit, parentes cole, & eos beneficiis affice. Philemon, parentes in primis honoribus afficias. Cheremon, parentes amato quam constantissimè. Musonius, parẽtibus obedito, honestum iustúmq; imperantibus. Phocylides, primũ Deum cole: deinceps vero parentes tuos. Pittacus, quæ feceris parentibus, eadem à liberis expecta. Thales, qualem gratiam retuleris parentibus tuis, talem expecta à liberis tuis. Palæmon, spera te colentem parẽtes, prosperum rerum successum habiturum, Demetrius Phalereus, in solitudine teipsum, in via obuios, & domi parentes, diligenter reuerere. Cleobulus, parentes, patientia vince. Pittacus, ne contende cum parentibus, etiam si iusta dixeris. Isocrates, talem te erga parentes tuos præbe, quales in te esse liberos tuos optares,

Et irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram. Quemadmodum honorare parentes filius debet, & nullo modo irritum facere hoc Dei mandatum: ita etiam parentes vigilanter, neruose, & denique paterne, in liberorum educationem incumbere debent, profectum, ac disciplinam. Quantum vero ad bonos mores, & ad vitam tranquille placidéque degendam, in liberorum educatione fit positum, Plutarchus ostendere volens, Cratetem philosophum citat: qui tanto stomacho aduersus parentes huius officij negligentes indignabat, vt dicere solitus sit, se si licuisset, vbi in altissimam vrbis partem conscendisset, magna voce clamaturum, Quorsum ruitis homines, q omne in cõparandis diuitiis vestrũ studiũ ponitis, filiorum vero quibus eas relinquatis, nullam sane curam suscipitis? Quibus addendum esse censeo, quod hi patres, haud aliter faciunt, quam qui magnam calceorum sedulitatem habent, cum interim pedem ipsum paruipendant. Multi vero sunt parentes in quibus adeo nummorum amor, pariter & filiorum odium sæpenumero increuit, vt ne maiora impendant salaria, nullius existimationis homines natis suis deligãt. Ob quam rem Aristippus haud insulsè quẽdam mentis inopem patrem carpsit. Quo piam enim ex eo percontante, quantam instruendi gratia filij mercedem postularet: mille drachmas dixit. Ille vero, hercule ait, magnum postulatum. Seruum enim comparare mille drachmis possum. Duos inquit alter habebis seruos, & filium, & quem mercaberis. Idem etiam Plutarchus lib. de docenda virtute, hanc parentũ incuriam vehementer se demirari testatur, his verbis. Canere discunt homines, saltare, literas, agri culturam, equo insidere, calceari, vestiri, pocula ministrare: At quæ dementia est ô mortales, cum hæc omnia præter disciplinam nõ liceat commode agere, vt vos probe hominis vitam instituere, nulla disciplina, nulla, adhibita ratione aut arte, sed fortuito putetis contingere? Quanto sapientius & prouidentius Philippus Alexandri pater, qui cum accepisset genirum sibi filium Alexandrum ad Aristotelem scripsit se diis gratias agere, non tam quod filius sibi natus esset, quam quod eum nasci contigisset Aristotelis tempore; à quo quidem sperabat eum ita doctum iri, vt se dignus euaderet, & successione rerum suarum. Atque cũ primum fari cæpit, nutu Aristotelis eum nutriri iussit, cui deinde adultum in disciplinam tradidit. Neque enim parentes solam alimentorũ, sed multo magis morum ac studiorum, curam gerere debent. Aliter enim bruta, aliter homines fœtus suos educare tenentur. Brutis enim sat est quæ ad vitam corporis pertinent prouidere, cum aliud bonum non agnoscant. At cum summum hominis bonum non in corpore, sed in animo; nec in terrenis bonis, sed in cælestibus, atque adeo in Deo, situm sit: huc omnis eius cura & diligentia referenda est, vt filius per virtutum iter incedens, ad summum bonũ recta contendat. Qui vero parentes hac cura neglecta, solius corporis alendi curam suscipiunt; nõ aliter mihi filios suos quam canes aut capræ educare videntur; quæ de cibo tantum solicitæ, cætera negligunt. Vnde quod liberi peccent male instituti à parentibus ipsis, vel etiã pædagogis à quibus instituuntur, ascribendum est se id eis, Diogenes etiam ille philosophus declarauit; qui cum puerum conspicatus esset indecore se gerentem, pædagogum illius baculo percussit, dicens: cur sic instituis? Prudenter iudicãs eius esse culpam. Ad hanc igitur filiorum educationem accurate procurandam, illud est fere potissimũ nempe vt parentes ipsi pietatem & iustitiam studiosissime colant, si liberos suos paternæ pietatis & iustitiæ hæredes relinquere volunt. Quemadmodũ enim medicinæ artis periti, cum pueri infantes grotant, nec tenera adhuc ætas ebibẽdis potionibus apta est, nutricibus eas propinant, vt exhibita illis medicamenta, ad salutem lactentibus prosintita nos qui filios ab omni vitio purgatissimos reddere nitimur, parentes prius atque nutricios eorũ ad vitæ integritatem & synceritatẽ adhortamur

mur: quæ ab eis in filios deriuetur. Recte enim dictum est, ab immundo quis mundabitur? Et nemo dat alteri, quod non habet. Iure igitur inter præcipua huius educationis documẽta censetur, qđ Plutar. admonet his verbis. Ante omnia opus est vt patres nõ solum nihil peccando, verum etiã honesta singula peragendo, manifestum sese filijs exemplar exhibeant: vt ita eorum vitã quasi quodam speculum intuentes, ab operum simul & sermonũ turpitudine se penitus auertant. Nã si quis delinquentes acriter obiurget filios, cum is in eosdem errores illabatur, hic nẽpe ignorare videtur, sub illorum nomine sua se obiurgare crimina. Adde præterea, quod qui etiam immodico filiorum amore ducti, disciplinam deserunt, & ne illos molestia afficiant, licentius viuere permittunt, aut eorũ errata corripere nolunt, quod fecit Dauid, qui filij Amnon incestum obiurgare non est ausus, ne spiritum eius quem vnice charum habebat, contristaret: similes esse perhibentur iis, qui periclitantibus in flumine filiis minime subueniunt, cũ eos in deprehensa eorum coma extrahere possint. Tales enim, filios interire patiuntur, ne eorũ capillos euellant. Quæ autem maior crudelitas, sub pietatis imagine esse potest? Vnde recte Salomõ, qui parcit inquit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit eum, instanter erudit. Cæterũ quemadmodum hedera vbi vicinam arborem complexa est, ipsam cõplexu & vmbra sua arefacit, & sterilem reddit: ita matres quæ complexu atque blãditiis suis filios fouere atq; delinire non cessant, ipsos prorsus elumbes, euiratos, & ad omnem virtutis laborem ineptos reddunt.

De Christo cum duodecim esset annorũ, dicit Euangelista: stupebant autẽ omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius: at mundus iam non habet similes pueros, de quorũ sapientia aut virtute possit admirari, sed potius multos de quibus dicas, quomodo in tam paruo puero tãta libido? quomodo tot iuramenta, mendacia, & furta? Vnde tantam malitiam sibi inuenit puer, tam infantilis ætatis? Accipiũt procul dubio hæc pueri, prauis parentibus.

Multi profecto sunt qui ita male educant natos suos, vt propter nequitiam & malam institutionem eorum sæpe pereant, & acerba senectute afficiantur parentes. Heli quidem infelici morte decessit, eo quod nouerat indigne agere filios, & tamen non corripuerit eos. Vide etiam quantum mali Danidi euenit, ex eo qđ non ab eo vapulauit filius Amnon. Et quia vnum filium castigare recusauit, duos amisit filios. Vnde & in Ecclesiastico habetur, equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps: Item Paulus ait: siquis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit. Cæterum quot pauperum hominum Deum immortalem, filios videmus: quibus quamuis parentes exigua bona reliquerint, ipsi tamẽ sua virtute atque optima institutione, ad Episcopatus, Archiepiscopatus, cæteróque amplissimos dignitatis & honoris gradus conscenderunt!

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias, dicens. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Multi sunt qui cum preces ante Deum fundunt, non tam precari, quam labiorum rugitu & vocis murmure perstrepere videntur: vt non tam humano, quam auium more cum Deo loqui videantur. Non enim id agunt vt illud August. impleant, Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore: sed sine vlla mentis attentione, sine vllo deuotionis affectu, preces suas ita decurrunt, vt nihil aliud magis, quam laboris huius finem affectare videantur. Quibus timendum est ne ad eos illa execratio prophetæ pertineat, oratio eius fiet in peccatum.

Cæcus bene audit quod ei dicitur, sed non videt quid mali ei inferatur; sic ille qui ab adulatore decipitur, adulationem audit, sed non videt quantum mali hinc ei proueniat. In pænam nám que multorum peccatorum sæpe permittit Deus quod scelera non solum non arguantur, sed etiam laudẽtur. Etenim mundus eius est naturæ & conditionis, vt sui similes diligat, & laudet: idẽ vero est turpiter laudari à turpibus, quã laudari ob turpia.

Populus hic labiis me honorat. Satyricus poëta hoc genus hominum mire depingebat, dicens. Rides? maiore cachinno cõcutitur. Flet, si lachrymas aspexit amici: nec dolet igniculum brumæ si tempore poscas, Accipit endromidẽ: si dixeris æstuo, sudat: nocte dieque potest alienum sumere vultũ: à facie iactare manus, laudare paratus. Cæterum Achab Michæam abhorruit, quia non prophetabat ea quæ ipse volebat. Cuius generis hominũ plenus est mundus. Vnde & Ecclesiasticus dicit, dines locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducẽt: pauper locutus est & dicũt, quis est hic? sunt quidem veluti echo, quidem respondet quod locutus es. De quo & Salomon, resonans de altissimis montibus echo. Si tu canis, etiam canit echo: si ploras, echo etiam plorat. In altis porro montibus & sublimibus dicit resonare echo: nam adulatores non habitant in domibus pauperum, sed in domibus magnatum? in his enim mõtibus ipsi resonãt, & canũt: & ideo Daniel inquit, quod aues in altũ arboris ascendebant. Sed tamen audi quid de hac arbore subdat postmodum propheta: Et ecce inquit vigil & sanctus de cælo clamauit, succidite arborem, & præcidite ramos eius, & excutite folia eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt & volucres de ramis eius.

Populus hic labis me honorat &c. Hic vt vides agi potest de adulatoribus, & fictis ac simulatis hominibus: quandoquidem isti labiis tantum honorabãt Deũ, in corde autem longe aliter sentiebãt.

Si vis ergo videre placita philosophorum hac de re, lege Vincẽ. Belluacen. Spe. Doctri. lib. 4. ca. & 167. 168.

De more quidem est huic hominum generi, vt semper ea faciant eáque dicant, quæ credunt audientibus placere. Vnde Core & socij placere volentes populo, dixerunt: sufficiat vobis &c. Nume. 16.

Absalon vt ciuium auram blanda assentatione captaret, dicebat singulis: videntur mihi tui sermones recti. 2. Reg. 15.

Prophetæ quidam ipsi Achab placere cupientes, bene ei de futuro bello ominabantur. 3. Reg. 22.

Consiliarij Assueri adulantes dixerunt, regis iusta est indignatio: cum tamen temperare eius irã contra reginam conceptam potius debuissent.

Amici ipsius Aman volentes ei complacere. dixerunt: iube parari excelsam trabem.

Alcimus proditor volens placere Demetrio, dixit: primo quidem vtilitatibus regis &c 2. Macha. 14.

Insano Herodi populus acclamabat, Dei voces, & non hominis. cũ vellet ei adulari Acto. 12.

Adulatores displicent quidem sapientibus quibus

bus se placere credebant per suas blãditias & verborum lenocinia: nam adolescens ille qui narrabat Dauidi mortem Saulis inimici sui, ei se placere putans, occisus est 2, Regum 1.

Illi qui occiderunt Isboseth & attulerunt caput eius ad Dauidem, captantes hoc modo eius beneuolentiam, interfecti sunt. 2. Regum 4.

Alexandro conuiuium quoddam celebrante, cum cæpissent omnium animi mero incalere, eorum etiam mox lingua soluta est, atq; vltro citroque variis sermonibus habitis bonam diei partem consumpserunt: cum autem viderent conuiuæ Alexandrum ipsum capi vel maxime, auidissimumque esse laudis, orsi sunt de patre primum dicere, atque Philippi ipsius præclara facta in cælum tollere. Alij mox de Alexandro ante eiusdem os, non minoti assentatione quam laude dicere etiam cæperunt. Quam rem cum placere omnes viderent ipsi Alexãdro, imo hunc iuuare eorum sermones, vicissimq; de se dicere: statim facta est quoq; cõparatio inter res gestas Philippi patris, & Alexandri filij: omnesque blanda assentatione cæperunt demulcere Alexandri aures, præferentes omnino eius facta, patris sui gestis, eaque præclariora esse iudicantes. A quorũ sentẽtiis cũ vnicus tantũ dissensisset, iussus est statim ab Alexandro interfici: tãta est assentationis pernicies & pestis, vbi semel animos hominũ occupauerit! vide Iustinũ lib. 12.

Ne credas adulatoribus tuis, imo irrisoribus aures ne libenter accommodes. Si enim statim respexeris, videas à tergo ciconiarum in morem tibi colla curuati, vt Midæ auriculas appingi. Nemini etiam detrahas, nec in eo laudem sitam vllã putes, quod alterius vitam laceres: nec detractiones ipsas libenter audias. Fere enim fit, vt nostri obliti, de aliis murmuremus: quod quidem malũ perniciosissimum est. Vide D. Hiero. epis. ad Rusticum monachum de viuendi forma tomo. 1.

Ad consolationem nostram falsam sæpe de aliis murmuramus: cæterum nihil est quod ita animũ laceret, & in varia distrahat, quam patentes accõmodare aures detrahentium de proximo sermonibus, & ad quemcunque loquentium ventũ animũ huc illuc agitare. Hoc enim de amicis inimicos facit. Magnæ quidem virtutis est ac grauitatis, non faciles præbere aures quibuscũque sermonibus. Adulatores porro veluti pestem fuge: nihil est enim quod æque corrũpat animum, atque blanda illa assentationis aura. Ecquæ maior leuitas esse potest, quam seipsum nolle agnoscere, sed adulantiũ potius hominũ quærere testimonia, atque ab ipsis accipere id tanquam dono quodam, quod acceptum grauissimum inferat nocumentum? Si cupis iure laudari, illi præpara conscientiam tuam, qui & illuminabit abscondita tenebrarũ. Vide de hoc argumento plura apud eundem Hierony. epi. ad Celantiam matronã de ratione pie viuẽdi to. 1.

Adulatio si vel ad modicum tempus patienter suscipiatur, augetur in animo, furtimque ita sese insinuat, vt sæpe animum de rectitudine sua inflectat, & quasi dulcedine quodam eum permulcens, deturbet. Quare ne vires possit assumere, statim est ex animo exterminanda. Vide D. Grego. li. 1. super Ezechie. ho. 11.

Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: audite & intelligite, non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Sensus est omnem peccatorũ deformitatem manare à corde: quæ si desit, externum opus innoxium est. Nemo tamen fratres ex his domini verbis occasionẽ arripiat, prohibitos ab Ecclesia cibos licenter edendi. Quamuis enim tales nos cibi ex natura sua non inquinent, vt pote quos vrgente morbo edere possumus, rebellio tamen & inobedientia qua Ecclesiæ leges vel contemnimus, vel violamus, internũ cordis malum est, à quo externa ingluuies atque intemperantia profieiscitur.

Non quod intrat in os, &c. Vide D. Tho. 2. 2. q. 148. art. 1. ad 1. & 3. p. q. 40. ar. 4. ad 2.

Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? Vide D. Thom. 3. par. q. 42. ar. 2. per totum & 4. sen. dist. 38. q. 2. ar. 3. q. 2. ad 1.

At ille respondens ait: omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos, & cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Ergo eradicabitur & illa plantatio de qua Apostolus ait, Ego plantaui, Apollo rigauit, Sed soluitur quæstio ex eo quod scribitur, Deus autem incremẽtum dedit. Dicit & ipse, Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Et in alio loco, Cooperatores Dei sumus. Si autem cooperatores, igitur plantante Paulo & rigante Apolline, Deus cum operatoribus suis plantat & rigat. D. Hierony. super Matthæ. 15. lib. 2. to. 9.

Omnis plantatio, &c. Hoc est omnia prauа dogmata quæ à diuinis decretis & legibus abhorrent, euellenda & anathemate damnãda sunt. Hoc autẽ munus ad me potissimum pertinet, qui in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.

Hoc est, quemadmodum agricola terram prius spinis sentibusque repurgat, quam sementem iaciat: ita diuini verbi sator errorum atque prauorũ dogmatum sentes à mentibus hominũ prius euellere debet, quam puta diuini verbi semina salutaremque doctrinam in illorum cordibus serat. Vnde dominus Hieremiæ prophetæ committit vt, prius euellat, destruat atque disperdat, deinde vero ædificet, & plantet.

Sinite illos, cæci sunt, &c. Vide D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. per totum. & 3. p. q. 42. art. 2. per totum & in 4. sen. dist. 38. q. 2. art. 4. quæstiun. 2. per totam. & ad Roma. 14. lect. 3. in principio. & de veri. q. 3. art. 1. ad 3.

Cæci sunt & duces cæcorum. Tractare poteris de concionatoribus qui quod loquuntur & sermone suadent, reipsa non implent: & quod qui alios docent, in primis debent sibi esse magistri, suamque cæcitatem illuminare, deinde vero aliis prælucere: ac denique quantum noceat & incommodet, eum qui alios instruere debet, cæcum esse & ignorantem.

Respondens autem Petrus, dixit ei: edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: adhuc & vos sine intellectu estis? non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Discamus igitur obsecro quænam ea sint quibus homines turpiter fædantur. Discamus oro, & fugiamus: in nonnullis enim iam ecclesiis hunc morẽ corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant quomodo manibus lotis, candidis induti vestimẽtis in Ecclesiã ingrediantur, quomodo autem animam atque mentẽ suã puram atque defæcatam offerant Deo, nullam prorsus habent curã. D. Chrysosto. homi. 52. super Matthæ. to. 2.

His verbis dominus & puritatis & impuritatis, & iustitiæ & iniustitiæ, fontem cor hominis esse, aperte declarauit. Tales enim aquarum sunt riuuli, qualis fons est vnde scaturiũt. Nec enim idẽ fons vt Iacobus Aposto. ait, salsam & dulcẽ potest

facere aquam. Quo fit vt ex affectione & qualitate cordis opera quæ ex eo manant diiudicanda sint. Cum enim corporis humani membra per quæ operamur, animæ nostræ instrumenta sint, vt Plato sub Socratis persona aduersus Alcibiadem disputans aperte probat, consequens est vt operum dignitas vel indignitas, non tam instrumentorũ cõditioni, quam artificis respõdere debeat. Hinc videre licet duos eiusdem artis opifices eisdẽ instrumentis operantes, quorum tamen alter absolutissimum, alter imperfectissimum opus edat. Cuius rei causa non in instrumenta quæ vtrobique eadem sunt, sed in artificiis peritiam vel imperitiam coniicienda est. Sic igitur euenire potest vt idem opus homines moliantur quorum alterum Deo gratum, alterũ ingratum, ob dissimilem cordis intentionem existat. Dauid populum ex animi elatione numerari iussit, Moses ex domini imperio: ille ergo merito à domino accusatur, hic vero iure laudatur. Itaque non tam opera nostra, quam operum mẽtem ac veluti animam spectare debemus: quo rectum de illis iudicium faciamus.

In ventrem vadit & in secessum emittitur, &c. Vide D. Tho. 1. p. q. 119. art. 1. ad 1. & in 2. sen. dist. 30. q. 2. art. 1. ad 1.

De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinant hominem. Quę spatia terrarum, quæ magnitudo vrbium, quæ latitudo regionum tantos hostes ferre, tot inimicos capere tãtas sustinere prævalet nationes, quot vitia, quot delicta, quot crimina, rapiunt hominis sensus, hominum corda patiuntur? Ad vnam ouẽ genera tota, tota feritas bestiarũ, quę magis eo sæuiunt, quo se expellere nequeunt, satiari non possunt, vnius captione, voraci dente prædones: qui plus hinc æstuãt & tabescũt, quod capere nequeũt & vorare: quod ad vnam columbam tot milui, tot aquilæ, vultures tot voraces, tantarum curat congeries auium sordidarum. Hanc numerositatem, hanc multitudinem, sensserat propheta cum caneret. Circumdederunt me mala, quorum nõ est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. *De corde exeunt.* Tolerabilis est hostis cum muros arietat extrinsecus, cum foris positus cedit aliquando conflictu: cui vero est intus inimicus, cuius aduersarius in ipsis penetralibus iam desçuit, iste se intelligit & sentit oppressum: iste se & captiuũ perdit & deplorat: iste suus expugnator esse non potest, suus esse non potest liberator: alienum requirit auxilium, quærit alterum defensorem. *De corde exeunt.* Nouus est hic ordo bellandi: de homine contra hominem gentes exeunt bellaturæ: non contentę in occulto vincere, prosternere in abdito: quasi quæ famam quærant, hominis de ruina. Iudæi qui foris sunt, se & sua forinsecus lauent: nos fratres ab istis vitiorum sordibus emundemur intrinsecus, has nequitiarum gentes in nostris mentibus Christo propugnante vincamus: has delictorum bestias de nostris cordibus terrore dominici nominis effugemus. Chrysologus sermo. 171.

Ex superioribus verbis intelligimus, quod quẽadmodum Salomon mortem & vitam in manibus linguæ sitam esse dixit: ita sane, & multo etiã magis, mors & vita in corde nostro posita sunt, ex quo & in linguã ipsam, & in omnia opera nostra, mors & vita deriuantur. Nemo igitur fratres solam externi operis sui faciem attendat, nemo sanctitatis specie fallatur: ad fontem recurrat, intentionem scrutetur, finem operis sui diligenter examinet, & in intimos animæ suæ recessus oculos immittat, solerter inquirens quid præcipue in illo opere quærat, quid captet, cui placere cupiat, quod ex eo lucrum reportare intendat: nec quouis examine contentus, omnes latebras, & sinus pectoris sui prudenter excutiat. Sæpissime enim pro spiritu caro, pro voluntate Dei propria voluntas, pro Dei gloria humana gloria, proque amore Dei occultissimus amor sui delitescit. Hinc D. Grego. mens inquit sæpe sibi mentitur & fingit de bono opere amare quod non amat: de mundi autem gloria non amare quod amat.

De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Aperte vides hic tibi offerri amplissimum campum per quem possis excurrere in reprehensionem singulorum horum vitiorum: sed tamen potissimum debes agere de prauis ac peruersis cogitationibus, quæ sunt tanquam fundamentum quoddam cæterorum malorum.

Ex corde tanquam ex quodam fonte manant bona vel mala desideria: & ideo Christus cordi ipsi medendum esse iudicat tanquam fonti, eum dicit per Matt. beati mundo corde. Quasi diceret, sit mundum cor, & cætera salua erunt. Et Iere. 4. laua Hierusalem à malitia cor tuum. Vide D. Chrysostomum super prima Thessa. 3. homil. 4. tomo. quarto.

De cura habenda cordis, ne prauis cogitationibus inficiatur, & de mortificatione sensuum exteriorum, vide D. Grego. lib. 21. Mora. c. 2. & 3. vbi inuenies multa accommodatissima.

Super epist. denique & Euange. duos habet sermo. D. Antoni. initio 1. Parte Theologa.

Feria quinta post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

VRGENS Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, Luc. 4. Matth. 8. Mar. 1. Hodierna lectione didicit attentus auditor, quare cæli dominus, restaurator vniuersorum, terrenas & seruiles intrauerit mansiones. Sed nihil mirum, si ad omnia dignãter accessit, qui clementer venerat omnibus subuenire. *Tenebatur magnis febribus.* Videtis quæ res ad domũ Petri inuitauerit Christum: vtique non discumbendi voluptas, sed iacentis infirmitas: non prandendi necessitas, sed salutis occasio: diuinæ virtutis opus, non humani pompa conuiuij. In domo Petri non vina, sed lachrymæ fundebantur: turbabat ibi familiam non cura conuiuij, sed cura languentis: febris ibi, non edacitas, æstuabat. Vnde illuc Christus non epulas percepturus, sed vitam redditurus intrauit. Deus quærit homines, non humana: cælestia dare cupit, non concupiscit inuenire terrena: Christus ergo recepturus nos, non nostra quæsiturus aduenit. Ingressus igitur domum Petri, ad quod venerat vidit: non aspexit qualitatem domus, non occurrentium turbas, non salutantium pompam, non familiæ cõcursum: certe non ipsum præparationis ornatum, sed inspexit gemitum lãguentis, febrientis attendit incendium, vidit periculum desperatæ, & statim manus ad opus suæ deitatis extendit: nec ante ad humana discubuit Christus, quam mulier quæ iacebat consurgeret ad diuina. Petrus Chrysolo. serm. 18.

Synagogam propter perfidiam reprobauit, & Ecclesiam propter obedientiam prælegit. *Tenebatur magnis febribus.* Peccator non vno tantum vitio, sed pluribus atque magnis irretitur. Cæterum interpellata febre laborant qui quandoque pœnitet de peccato, sed ad illud autem reuertitur, tanquam canis ad vomitum: & talis quandoque tertiana: interdum quartana febre laborat, secundum quod facile, vel facilius, vel etiam facillime pœnitens relabitur in peccatum. Nemo tamen desperare debet, quia cum rogauissent illum pro ea: imperauit dominus febri, ipsa vero febris statim etiam dereliquit. Sic enim nobis vsu veniet, si patronos quæsierimus, qui pro nobis intercedant, vt varias à nobis morborum species propellat. Sunt siquidem non minus variæ atque multiplices spirituales infirmitates, quam corporeæ. Vide Innoc. 3. in quodam sermo. de hac feria, qui incipit: Surgens Iesus de Synagoga, initio operum.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Hic disserere poteris de vtilitate labotum & calamitatum quas nobis Deus infert, & quo pacto per eas Deus multos adduxerit, in dieſque adducat, ad suam cognitionem & amorem: ad quod instututũ amplificandum aliqua subiiciam.

Vnde quæso rex ille Antiochus suam agnouit miseriam, & Dei celsitudinem, potentiam, incomparabilemque maiestatem: nisi ex suis calamitatibus & infirmitatibus? vt constat 1. Macha. 6.

Vnde alter etiam Antiochus de quo habetur 2. Macha. 9. mentis aperuit oculos ad Dei virtutem & omnipotentiam contemplandã, nisi ex eo quod grauissima percussus est plaga?

Quoties Deum immortalem, videmus adolescentem luxuria lasciuiaque diffluentem, & mulierem procaciſſimam atque impudentissimam, per infirmitatem adeo coerceri & refrænari, illum quidem viribus eheruatis, hanc vero pulchritudine deformata: vt ad frugem sese meliorem recipiant, & ad Deum penitus conuertantur, obsepta & intercluſa spinis via, ne ad malum currere valeant: quemadmodum per Osee prophetam cap. 2. dicitur. Hic poteris diutius cõmorari atque hunc locũ multis aliis cõquisitis exemplis expolire: est enim hæc doctrina salutaris maxime animabus.

Cæterum illud Esa. 1. excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, mihi videtur intelligi ita posse quasi apertius diceret: Ego immittam tibi tam grauem morbum, tam peracutas febres, vt his malis tanquam fornace quadam conclusus aut clibano, ita excoquaris, donec tandem omnis vitæ tuæ peruersæ scoria penitus consumatur, tuæ omnes cognitiones pessimæ deleantur, purusque euadas atque adeo immutatus, vt iam pristinam formam, pristina scelera & flagitia, in nouam vitam, eandemque perstudioſam, conuersam omnes videant.

Illud porro eiusdem vatis cap. 28. Sola vexatio intellectum dabit auditui, non quidem aliud est quantum consequor, quam asserere quod Deus non quidem ex impotentia, sed ex nostra tantum rebellione & duritie, fere non possit nisi morbis & aliis huiusmodi flagellis nos ad se reducere & reuocare: & quod plus roboris ad id habeant modica febricula, quam centum dies sanitatis: ac denique quod sit adeo vtilis morbus, vt non tantum qui eum patitur emendetur, verum etiam tota domus atque sæpe tota etiam vicinia, vel eo duntaxat audito, corrigatur. Vt enim fulmen non solum quam ferit domum vastat atque conturbat, verum etiam viciniam totam territat, impletque, terro illo odore sulphureo: & denique tonitru ipsum toti vbi magnum quendam incutit terrorem ita: etiam acutus aliquis morbus & grauis quo quis percellitur, non modo eum cui inuritur domat, verum etiam quam plurimis aliis terrori est: statim enim reuocant in mentem se homines esse, expositosque non minus fortunæ telis, quam eum qui percussus est.

Cæterum illud vnumquemque in quauis infirmitate & calamitate consolari multum debet, nimirum quod sicut curæ est infectori non diutius relinquere lanam vel pannum in aheno, quam satis sit ad colorem imbibendum & concipiendum: & Pharmacopolæ, ne diutius decoquatur medicamentum, quam certus quidam gradus perfectioque postulet, quin & sæpissime illud voluit & renoluit, experiturque num debita contemperatione suisque numeris omnibus absolutũ sit, tũcq; statim illud ab igne summouet. Et denique mulier non diutius panes in clibano deserit, quàm satis esse videat vt coquantur, illosque sæpe ac sæpius digito tentat, num concocti probe sint. Ita profecto, firmissime credere quisque debeat, magnæ Deo Optim. Max. curæ esse, ne nos mala & calamitates diuexent atque discrucient vltra quam sustinere possimus, & vltra quam saluti nostræ videat expedire. Poteris etiam legere circa hoc prophetam Baruch secundo capitulo & tertio.

Tibi quidem persuadere debes, quod quemadmodum vinum ipsum quod in aliquo dolio æcescit, debet in aliud transfundi: & triticum ne gurgulione consumatur, debet hinc inde agitari & ventilari: vestes item ne à tinea lædantur, concuti virga debent: feruens olla ne arescat, commoueri etiam debet: ita necesse sit vt hinc morbis, illinc aliis calamitatibus premamur, ne aliter animos torpeat fordescatq; in vitiis & corrũpatur.

Si vis videre quo pacto morbi reuelẽtur & extenuentur consolatione amicorum, & aliis huiusmodi. vide Senecam lib. 11. epist. epist. 79. vbi etiã ait, quod mire quidem prouidit Deus ne morbi acuti & graues diutius durarent: adeo enim suauiter ipsa natura nostri amantissima omnia disposuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem quidem faceret. Hæc, & plura alia reperies vbi supra.

Non debes omnino cadere animo cum te videris morbis oppressum, ait idem Seneca eadem epistola. Nam & tolerabilis est morbi patientia, si absit omnis opinio & imaginatio eiusdem. Noli mala tua grauiora facere querelis tuis & impatiẽtia: leuis dolor est, si nil ei adiecerit opinio: amputanda quidem duo sunt, & futuri timoris, & veteris incommodi memoria. Hoc enim ad me iam nõ pertinet, illud vero nondum: quin & in mediis positus malis, dicere debes: forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Idem etiam ait in oratione quadam in modum dialogi inter sensum & rationem, cui titulus est ad Galionem de remediis fortuitorum: circa medium operum, quæ certe singularis est oratio, in hunc modum. Aegroto, venit ergo tempus quo experientiam de me ipso capiem: non enim in mari tantum, aut in prælio, vir fortis apparet: verumetiam in lectulo, virtus ostẽditur. Cum morbo mihi res est, enitar igitur vt viriliter me geram, & pugnem cum ipso.

Quo pacto prouidendum sit infirmis, & curandum ne quid eis deterius obtingat: lege Vin. Bell. spe. doctri. lib. 10. c. 15.

Si nosse cupis varias febris species, & plura alia de toto morborum genere, si aliquo modo ista ad tuum institutum quandoque pertinere videbuntur, vide eundem spe. doctri. lib. 16. per totum.

Plura hac de re requires per Concordantias & autorum Indices in Dictionibus infirmus, infirmitas, infirmari, & similibus.

Socrus autem Simonis. Præclare quidem seu perhumane socrum suam tractabat beatus Petrus, & socrus Petrum, contra quam faciant multi hoc tẽpore, qui cum sint generi, odio prosequuntur socrus suas, & soceros, & socrus ipsæ ac soceri generos, imitantes impietatem illius Ptolemæi contra Alexandrum generum suum, de quo habetur 1. Macha. 11.

Et rogauerunt illum pro ea. Obserua quod beatus Petrus nõ rogabat vel auertebat Christum à prædicatione, vt domum suam veniret eo quod infirmam socrum haberet & febre laborantem. Hæc enim sanctorum perfectio est, vt propria obliti, nullam habeant rationem nisi alienorum bonorum. Sic Moses cui dominus maiora promittebat, hæc omnia oblitus, tantum de populi vtilitate curabat, dicebatque domino: parce populo tuo, aut dele me de libro tuo. Et Paulus etiam Corinthiis ait: ego autem libẽtissime impẽdam, &c. Et Christus cum captus fuit in horto, dixit: si me quæritis, finite hos abire. Et ad filias Hierusalem, nolite fiere super me sed super vos ipsas. Nos vero longe absimiles sumus, qui nostrorum magnam habentes curã, de alienis cõmodis minus soliciti sumus. Ioan. 18.

Super hæc verba agere poteris de sanctorum intercessione, quantum scilicet conducat, & quam negligentes simus circa hanc rem. Et certe quia peccatorum nostrorum grauitatẽ ignoramus, iccirco fit vt remedia non quæramus, neque nobis patronos & intercessores apud Deũ, nimirum sanctos, solicite procuremus, quò Deus erga nos clementia sua vtatur. Maiorem quidẽ diligentiã, studium, & curam inquit D. Chryso. adhibere consueuimus morbis corporalibus curandis. Quod vtique non fieret, si intelligeremus quãto grauiores sint animi morbi. Profecto quando cuipiam homini grauem aliquam iniuriam intulisti, eumque times ne se vlciscatur & pœnas de te sumat, conaris quantum in te est vt amicos compares & deprecatores, ad illius animum mitigãdum: pollicerisque te satisfacturũ esse pro eius libito, modo illius animus mitigetur: eius domum cum amicis frequentas, rem ipsam vigilãter & solicite tractas, & omnia denique interponis media ad veniã impetrandam. Cum autẽ Deũ nostris peccatis offensum habemus, nil magis obliuiscimur, nil magis negligimus, quam veniæ ipsius consecutionem: perindeque in vtranque aurem dormimus, ac si nihil esset Deũ offendisse eundemque habere inimicum. Lege D. Chrysost. ad popu. homi. 46. to. 5.

Quod sanctorum intercessiones multum valeant, neque propterea nos torpere aut negligenter viuere debeamus: si enim nobis non consuluerimus, sancti non erunt à Deo exauditi, non quod illi exaudiri non mereantur, sed quod nos indigni simus eorum precibus iuuari: atque ita Deus imperat sanctis, ne pro nobis preces fundant: lege Iere. cap. 7. 11. & 14. consule D. Chrysosto. super Gene. ho. 44. to. 1.

Quid philosophi senserint de rogationibus & intercessionibus factis pro aliis, consule Vincen. Belluacen. specu. doctri. lib. 4. c. 65.

Et rogauerunt pro ea. Hæc quidem mulier & vetula, lectissima erat ac honestissima, quandoquidem tam multi pro ea intercedebant, & Christus ei opem etiam tulit. Si velis igitur hoc loco paululum digredi in senes, & res eis conuenientes tractare, vide Vincen. Bellua. spec. doctri. lib. 5. c. 15. & 101. 102. 103. & lib. 12. cap. 33.

Senes cordati & sapientes esse debent Iob. 12. B. in antiquis est sapientia.

Senes non sunt contemnendi vel inhonorandi, sed potius ab eis qui sapientes fuerint, consilium accipere debemus Eccles. 8. B. ne despicias narrationem presbyterorum.

Senes quales esse debeant Eccles. 25. A. quam speciosum caniciei iudicium.

Senes exemplar quoddam virtutis præferre debent 2. Macha. 6. D. E. F. G. Eleazarus vnus.

Senes maximum virtutis exemplar ostendere debent 2. Mach. 14. F. G. Razias autem.

Videbis etiam Concordantias verbo senex, senior, senectus, & similibus.

Ad senum reuerentiam & honorem quidam philosophi nos hortati sunt: siquidem Periander dixit, seniorem reuerere. Phocylides, venerare canos, ceditoque senibus. Horatius, senectutẽ honora: senescimus etenim omnes.

Et rogauerunt. Multum quidem interest habere patronos optimos & deprecatores Iob. 5. A. Voca ergo si est qui tibi respondeat. & Luc. 13. B. domine dimitte illam & hoc anno.

Infirmitates ipsæ sæpissime intercessionibus & precibus curantur 4. Regum 20. A. obsecro domine.

Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam: & continuo surgens, ministrabat illis. Videtis quomodo dimittit febris, quem tenuerit Christus: ibi nõ stat infirmitas, vbi autor salutis existit: accessus illuc nullus mortis est, vbi vinificatoris ingressus est. Chrysolo. serm. 18.

Natura hominum istiusmodi est, vt post febrẽ magis lassescant corpora: & incipiente sanitate ægrotationis mala sentiant. Verum sanitas quæ confertur à domino, totum simul reddit. D. Hieron. super Matthæ. 8. lib. 1. to. 9.

Nec febrium tantum ardores extinxit, aut certa incolumitatis signa reduxit: verum etiam pristinas corporis vires recuperare illico fecit, vt quando facilis curatu ægrotatio videbatur, curãdi modo virtus curantis ostenderetur. Nam id certe medendi artificium homo facere non potest. Nemo quippe ignorat quam longo tempore postea quam febres cessauerunt, opus sit ad pristinum robur recuperandũ. Cuncta igitur tũc simul facta sunt: quod & in mari pariter euenisse perpendere possumus. Nã & ibi non ventos solum ac tempestates sedauit, sed quod inauditum omnino erat, fluctus vndasque statim composuit. Nam etsi vis ventorũ cessauerit, permanent tamẽ fluctus vndarũ diutius, sed non ita hic. Non enim natura duce aut arte fiunt, quæ à Christo fiũt, sed simul omnia finem suum assequuntur: quod suboſtendit Euangelista cum ait, & continuo surgens ministrabat illis. D. Chrysost. super Matthæ. hom. 28. to. 2.

Imperauit febri & dimisit eam. Non incommode omnino hoc loco varie & multipliciter de obedientia differere poteris, quam scilicet promptam tum erga Deum tum erga superiores nostros, obedientiam habere debeamus.

Et certe vel exemplo creaturarum rationis expertium, vt solis, lunæ, astrorum, orbium, & denique cæterarum, maxime moueri ad obedientiam & excitari tandem homines deberent: quæ quidem creaturæ nullo præmio intercedente, nulla facta pollicitatione, ad solum Dei nutum audientes dicto sunt & obtemperantes. Soli, soli inquam sunt homines, qui quamuis intelligentia præstẽt, atque excellentiorem naturam donaq́ue habeant: tamen

tamen Deo semper inobedientes existant, & dura nunquam corda inflectant. Mari, terra, cæterisque elementis parentibus, solus est homo qui non solum non obedit, verum etiam magna audacia, verius dixissem impudentia, aduersus Deum ipsum pugnat, eius præcepta debellat, & denique quantum in se est, hostili animo diuinã maiestatẽ conatur euertere. Age iam infelix, quomodo putas natos tuos, seruos, subditos, aut tuas etiã passiones siue affectus, tibi obtemperaturos, cum tu ei non obedias, cui quia protoparentes non obedierunt, omnes statim creaturas cõtra se armatas experti sunt? Hoc argumentum fusius persequere, ego enim duntaxat digitos intendi.

Vos omnes creaturæ inquit dominus, mihi obtemperatis: homo vero ipse inobediens est. Imperaui enim mari, vt cæteras taceam, & diuisæ sunt aquæ eius. Vnde quærens propheta à mari, Quid esset quod in exitu Israel de Aegypto fugisset? & à Iordane, cur fuisset retrorsum conuersus? induxit has creaturas hunc in modum respondentes. A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob: ac si dicerent, quid mirum si nos Deo pareamus, cum terra nobis longe tardior, ei mira velocitate obtemperauerit? nec solũ terra, sed etiam durissimæ rupes fuerint eius iussu in fontes aquarum conuersæ.

Quo tempore Adamus ipse obtemperans erat domino, ipsi etiam omnia obtemperabant: at vero postquam mandatis domini nõ obediuit, animalia etiam illi obedientiam denegarunt. Aduersus inobedientem Ionam, & mare, & venti, & naues, & denique pisces insurrexerunt: at vbi primum Ionas obediens fuit, quæcunque rebellia ante fuerant, eidem postea obtemperarunt. Nam & pisces eum euomuit, & denique etiam hoc modo Niniuitæ ei obedierunt. Danieli obedieti, leones lubiecti fuerunt, ipsi Eliæ corui seruiebant: pueros illos in flammam coniectos, ignis ipse non vsit: & quod mirabilius est, ipse etiam dominus obedienti Iosue obsecundauit, cum ad eius vocem stetit sol in cælo, donec victoriam de hostibus reportaret.

Debemus prælatis nostris obedire, non solum bonis atque modestis, sed etiã dyscolis, vt Petrus inquit: cum & ipse Christus rex regum & dominus dominantium, & sacra virgo, & Ioseph sponsus, non fuerint dedignati Imperatori ethnico & prophano obedire, vt habetur Lucæ 2. cum exiit edictum à Cæsare Augusto. Quod si asperum & difficile tibi videtur obtemperare prælato, Deum ipsum dilige: & fiet vtique vt diuinus amor hæc tibi omnia dulcia ac suauia reddat. Vt enim si in cardines portæ quæ aperiendo & claudendo strepitum excitat, oleum effuderis, fit postmodum vt talem strepitum non sentias: ita si diuini amoris oleo cor tuum inunxeris, fiet quidem vt quadam spiritus alacritate, & animi dulcedine ac consolatione, vel ardua etiam queque iusta compleas atque præstes.

Noli igitur tu qui religiosus es, prælatorũ obedientiam subterfugere, & à laboribus communitatis te abstinere. Quis enim obsecro locus sublimior est quam empyreum cælum, in quo angeli conditi sunt, & à quo dæmones facti ceciderunt, cum suam propriam voluntatẽ sequi vellẽt? Multi quidem sunt qui existimant quod in altissimo religionis statu posiri, atque sub obedientia vitam degentes, eaque tantum facientes exterius quæ prælati iubent, sint perfecte obedientes, quamuis interius propriam suam voluntatem non abnegent: qui quidem manifestissime falluntur.

De obedientia consule D. Bernar. in quodam sermo. qui incipit. Non possumus nos cogitare aliquid à nobis vbi agit de obedientia & eius gradibus, circa finem operum.

De obedientia vide Lauren. Iusti. lib. de ligno vitæ in tractatu de virtute obedientiæ initio operum.

Multum quidem potest obedientia, quando per inobedientiam tantam iacturam fecit natura humana. Lege eundem lib. de obedientia c. 2. circa finem operum.

Quo pacto creaturæ omnes Deo obediant eundem lege ibidem cap. 6.

Quod variis de causis parere soleamus his quę nobis imperantur, tum minis impulsi, tum pollicitationibus allecti, tum aliis huiusmodi causis, vide eundem ibidem cap. 8. & quod duæ sint obedientiæ species, nempe voluntaria, & coacta, ibidem.

Quam necessaria sit obedientia lege eundem ibidem c. 26.

De obedientia lege D. Basi. li. Constitu. monastica. c. 22. in fine operum.

Vide eundem lib. regula. fusius disputatarum cap. 41. 47. & 48. vbi agitur etiam de inobedientia.

Quendam contexuit dialogum D. Leo Papa inter obedientiam & inobedientiam circa medium operum.

De excellentia obedientiæ vide D. Hiero. in regu. monacho, inter medium ac finem to. 4.

De obedientia lege D. August. ad fratres in eremo sermo. 5. 7. & 61. circa finem to. 10.

De obedientia vide Vincen. Belluacen. Specu. mora. lib. 1. p. 3. dist. 37. de inobedientia & rebellione lib. 3. p. 3. dis. 22. & 24.

De obedientia iuxta philosophos vide eundem specu. doctri. lib. 4. c. 40.

Cum autem sol occidisset, omnes qui habebãt infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: & singulis manus imponens, curabat eos. Non certe adeo se difficilẽ ad exaudiẽdas horum preces Christus exhibebat, ac nos solemus, cum quid à nobis postulatur. Quis enim nostrum ait Seneca, cõtentus fuit leuiter rogari, aut semel? quis non cum aliquid à se peti suspicatus est, frontem obduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis verborum ambagibus, & de industria finem nunquam inuenienti bus, occasionem omnem petendi abstulit, variisque artibus vrgentem etiam necessitatem delusit? in angulis vero comprehensus, aut distulit, aut timide negauit, aut promisit quidem, sed vix, vi, & magna cum difficultate: sæpe adductis & contractis superciliis, sæpe etiam vix expressis verbis. Ecquis quæso gratus in eum esse poterit, qui aut beneficium quasi per violentiam quandam & contorsionem dedit, aut quasi fatigatus longis precibus proiecit, aut denique superbe exprobrauit? Errat quidem si quis credit grato animo eum responsurum esse, quem aut delassaueris tua procrastinatione, aut etiam deluseris longa expectatione, Eodem plane animo debetur beneficium, quo illud datum fuit: & minus quisquam id debere videtur, quod quasi à nolente acceperit. Vide Senecam lib. 1. de beneficiis cap. 1.

Exibant autem dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: quia tu es filius Dei. Vide quæso quanta facilitate dæmonia expelleret ab obsessis corporibus, quamque minimis interpositis precibus, oblatis solum dæmoniacis ipsis ante se. Non certe nos

ita facile inclinamur,vel ad longissimas & diuturnas preces quæ nobis fiunt,ad aliquid impetrandum:sed facilius multo est de potentis Herculis dextra clauam extorquere, quàm à nobis beneficium ipsum. Quod quidem longe aliter à nobis præstandum esse monuit Seneca,cum dixit. Tunc certe in alterum beneficiũ ipsum laudabiliter cõferimus,cum eo animo damus & ea facilitate,qua vellemus ab alio accipere: vellemus autem omni tarditate excussa,omni fracta mora, incredibili denique adhibita celeritate,atque hilari vultu. Ingratitudinem promereri videtur beneficiũ, quod diu inter manus hæserit. Gratissima sunt illa beneficia,in quibus nulla fuit mora,sed sola accipiẽtis verecundia. Optimum quidem est antecedere desiderium petentis proximum vero sequi; quia cum ingenuus quisque pudore suffundatur ex nimia rogandi assiduitate, is profecto qui ad primam petitionem beneficium ipsum contulit,maxime quidem cumulatum illud tradidisse iudicãdus est. Non enim tulit gratis, qui rogitando accepit: neque quicquam catius cõstat,quam quod precibus emptum est. Vide Senecam lib. 2. de beneficiis ad Ebutium liberalem c.2.

Et increpans non sinebat ea loqui,quia sciebant ipsum esse Christum. Facta autem die egressus ibat in desertum locum,& turbæ requirebant eum:& venerunt vsque ad ipsum,& detinebant illum ne discederet ab eis. Vide quãta esset Christi humilitas, vt non solum dignaretur intrare domum piscatoris Petri,& ibi mandu-
care vbi nullus erat apparatus,sed summa paupertas atque tenuitas:verum etiam in eo quod secederet in desertum locum, atque omnem fugeret laudem popularem. Hoc igitur de humilitate institutũ si latius persequi voles,nõnulla subiiciam.

De humilitate sermonem habet diuinus ille Bernar.qui incipit,Omnis qui se exaltat,humiliabitur,circa medium operum.

Quendam præterea habet etiam tractatum de gradibus humilitatis circa finem operum, & incipit locuturus ergo de gradibus humilitatis.

De humilitate etiam vide eundem,serm.34.super Cantica,& incipit: Si ignoras te ô pulcherrima,&c.& sermo.42.qui incipit,Cum esset rex.

Eundem lege de interio:domo cap. 53. circa finem operum.

De humilitate vide Lauren. Iustinia lib. de ligno vitæ in tractatu de virtute humilitatis initio operum.

Quomodo internoscatur sit ne vera humilitas an ficta,Vide eundem de casto connubio verbi & animæ c.20.circa initium operum.

Humiliari quantum intersit & expediat, lege eundem lib.de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis c.4.circa operum initium.

Quantopere reluxerit & resplenduerit humilitas in Christo, vide eundem libro de Triumphali Christi agone c.3,circa medium operum.

Humilitas est custos virtutum omnium Lauren.Iust.lib. de vita Solita. cap. 14. circa medium operum.

Lege præterea quendam de humilitate ab eodem compositum librum in libri exordio, & c. 2. 9.17.& 18.circa finem operum.

Quod humilitas & cognitio sui maxima affinitate coniungantur,& sicut sol & eius splendor,vide apud eundem lib. de humili. c. 7. & quo pacto hæc virtus conseruari possit c.13. & denique qua ratione dignoscatur cap.20.

De humilitate consule D. Basi.lib.constit.monast.c.16.in fine operum.

Multum commendat D.Ambro.virtutem humilitatis lib.10.epistо.epist.84,ad sacram virginem Demetriadem.

De virtute humilitatis vide D. Hierony. in regula monacho.inter medium ac finem tomi.4.

De vera humilitate vide D. August. de tempore sermo.213,inter medium ac finem tomi. 10.

De vera etiam humili.eundem consule de verbis domini serm.12.circa finem eiusdem tomi.

Commendat multum humilitatem D. August. ad fratres in eremo. 70. sermo. prope finem tomi.10.

Quid de humilitate senserint philosophi vide Vincen.Belluacen.Specul.Doctrina.lib.4. cap.38. & 43.

Consulito eundem speculi historia.lib.15.cap. 86.

Vide quã humilitatem haberet Abraham cum dicebat, loquar ad dominum meum cum sim cinis & puluis Gene.18.

Magna quidem fuit Gedeonis humilitas, quãdoquidem Angelo respondens, cum alioqui esset vir fortissimus,dicebat:ego minimus in domo patris mei Iudicum 6.

Vide quonam modo Dauid humiliaret seipsum,cum dicebat:Quis ego sum,vt fiam gener regis?1.Reg.18.

Attende ad Dauidis insignem humilitatem, quando à Saule persecutionem sustinens, aiebat: vt quærat pulicem vnum.1.Reg.26.

Considera quanta cum humilitate respondit Miphiboseth,inique accusatus apud regem à seruo.2.Reg.16.& 19.

In typum quod Deus exaltet humiles, Saul quidem quærens asinas patris sui,& Dauid custodiens sui patris ouiculas, vncti fuerunt reges 1. Reg.9.& 16.

Donec Eliseus se humiliauit nomẽ Eliæ inuocando,diuisæ non sunt aquæ Iordanis 4.Reg.2.

Dauid licet magnus & in regem vnctus,tamen victualia fratribus humiliter deferebat.1.Reg. 17.

Si impio Achab humiliante se placatus est Deus, quid non sperabunt homines hac virtute suffulti?

Vide quantum humilitas Roboam obtinuerit & principum eius,vt fecerit mutare sententiam diuinam in ipsos latam 2.Paralip.12.

Vide quantum profuerit ipsi Nabuchodonosor seipsum humiliare Danie.4.

Prodierũt perspectiui philosophi,ex imo profundissimi putei loco,astra videri posse atque cõspici,vel in ipso solis dieique æstu ac feruore: ita plane qui sese in profundum humilitatis demittunt longe maiorem rerum diuinarum habent cognitionem atque notitiam.

Quemadmodum quanto altius radices defixerint & propagauerint arbores ipsæ, tanto magis in sublime earundem rami succrescent & extollentur:& quanto altiora iacta fuerint fundamẽta, tanto sublimius erigi consueuit ædificium: non aliter sane quo se homo profundius humiliat, eo magis magisque exaltatur à Deo.

Experientia quidem magistra didicimus quod cum ad locum aliquem propter eius altitudinem & nostrã breuitatem attingere minus possumus, saltu quodam exiliamus; cæterum & ante saltum magna commoditate consueuimus nos demittere & incuruare, vt efficaciori conatu saltum ipsum cõponamus:ita profecto quisquis ad cælestia pertingere volet, & quasi saltu quodam euolare, is primum necesse est humilietur, & in humilitatis

schola

schola diligentissime exerceatur.

Sed cur non humiliabitur homo,quamuis potentissimus sit,& magno fulgeat imperio, præsertim cum hæc omnia mundana mobilia sint,infirma, ac plenissima vanitatis? Et certe cuiusuis humani regis gloria,potentia,& imperium,adeo breuissima sunt,quamuis latissima oculis videantur, adeo caduca, licet stabilia putentur: vt sepissime aut hostium incursibus etiam in nihilum redigãtur,aut denique mortis interuentu gloria illa omnis & potentia rapidissimo incertissimóque tempore aboleatur. Quam quidem incertitudinem, fragilitatem,& breuitatem, dominus indicare volens:Ezechieli præcepit, vt intra breuissimi lateris fragilitatem & angustias vniuersam Hierusalem describeret, eius celsas turres, altos muros, propugnacula in cælum minantia, tum præterea obsidionem etiam potentissimi exercitus Babylonici,& omnes eius bellicos apparatus. Significãs scilicet esse imperia ista mundana breuissima, & omni fragilitate fragiliora:adeo vt mireris non etiam depicta illa omnia fuisse in puluere vento expositо, qui vel ad modicum flatum hinc inde dispelli consueuit.

De humilitate denique si plura voles, ea per Concordantias quærito,& per indices autorum.

Nõ sinebat ea loqui. Hic agere poteris quod Christus non erat auidus laudis humanę,de quo argumento vide D.Bernar.in Nota.de gradibus humilitatis,vbi quoddam reperitur agens de iactantia & præsumptione,& incipit, Postquã vanitas crescere,inter medium & finem operum.

Solent quidem laudes humanæ animare multos ad virtutem,de quo argumento secundũ philosophos & poetas vide Vincen.Belluacen. Spec. doctr.lib.5.cap.69.& 70.

De iactantia & præsumptione vide Vincent. Bell.specu.Mora.lib.1.par.3.dis.77.& lib.3.par.3. dist. 5.

Secundum philosophos lege eundem Specul. doctr.lib.4.cap.175.

Quemadmodum marinæ conchæ pro ratione nouilunij aut plenilunij crescunt aut decrescunt: ita ignari homines & vani cum laude aflantur,solent inflari,eum vero vituperantur iidem ac reprehenduntur,maxima tristitia afficiuntur: mutãturque in horas pro natura & palato eorum quorum auram & beneuolentiam captant. Non autem ita se gerunt viri boni & perstudiosi, sed semper immobiles in bono perseuerant atque virtute.

Quemadmodum si aqua irrigentur arbores & perfundantur,incrementum assumunt & in debitam auctionem suam sensim tendunt:ita profecto virtutes ipsæ accrescunt & propagantur magis magisque in bonis,si laude afficiantur:nam vt sapientissime Pindarus ille olim pronuntiauit, virtus laudata crescit.

Laus propria vilescit Prouer.27.A.laudet te alienus,& non os tuum.

Laudare seu vituperare aliquem,quem de facie tantum noris, fallere multos solet Eccles. 11. A. breuis in volatilibus.

Laudare seipsum vanissimum est Eccles.43. D. gloriantes ad quid valebimus?

Laudare seipsum interdum licitum est & necessarium 1.Regum.17.D.pascebat seruus tuus.

Laudare se interdum conuenit 2. Esdræ 5. B. nos vt scitis redemimus.

Laudes vel vituperia humana nõ multum nos mouere debent, vide D. Hierony. in Prolo. super Hesther,cum ait,nec affectamus &c.

Laudare seipsum nonnunquam expedit Acto. 24.C.ex multis annis.& 26. A. B. cum sim defensurus.

Laus propria videtur inutilis 2.Cori.10.D.Qui autem gloriatur,& Gala.6. D. mihi absit gloriari, & Ioan.5.E.si ego testimonium.

Quibus ille ait,quia & aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum: & erat prædicans in Synagogis Galilææ. Consule super hoc Euangelium homiliam quandam Eusebij.

Super epistо.& Euange. duos habet sermones D.Antoni.initio.1.par.Theolo.

Vide super hoc Euange.D.Ambro.lib.4. super Lucam cap.17.

Permulta quidem alia in hoc Euangeliũ sparsim tractari poterant,vt de vtilitatibus solitudinis & deserti,super illud,ibat in desertum locum: & quod fugere debeamus inanem gloriam, fusius circa illud, & increpans non sinebat ea loqui, & alia id genus,sed tamen de his alibi.

Feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

VENIT Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar,iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo,erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem: hora autem erat quasi sexta Ioan. 4. Puteus quidem erat fons ille, sed omnis puteus fons,non omnis fons puteus. Vbi enim aqua de terra manat,& vsui præbetur haurientibus, fons dicitur:sed si in promptu & superficie sit,fons tãtum dicitur.Si autem in alto & profundo sit, ita puteus vocatur,vt fontis nomen non amittat. Super talem ergo fontem sedebat Iesus. *Fatigatus ex itinere.* Tibi fatigatus est ab itinere Iesus: Inuenimus virtutem Iesum, & inuenimus infirmum Iesum,fortem,& infirmum. Fortem,quia in principio erat verbum,& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:Vis videre quam iste filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,& sine labore facta sunt.Sed quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse?Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Fortitudo Christi te creauit,infirmitas Christi te recreauit. Fortitudo Christi fecit vt quod non erat esset: infirmitas Christi fecit,vt quod erat,non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsiuit nos infirmitate sua: nutrit ergo infirmus infirmos, tanquam gallina pullos suos.Huic enim se similem fecit:Quotiens volui inquit ad Hierusalem, cõgregare filios tuos sub alas, tanquam gallina pullos suos,& noluisti! videtis autem,fratres,quemadmodum gallina infirmetur in pullis suis:nulla alia auis quod sit mater agnoscitur.Videmus nidificare passeres quoslibet ante oculos nostros,hirundines,ciconias, columbas quotidie videmus nidificare, quos nisi quando in nidis videmus,parentes esse non agnoscimus:gallina vero sic infirmatur in pullis suis,vt etiamsi ipsi pulli non sequantur, & filios non videas,matrem tamen eam intelligas: ita fit alis demissis,plumis hispida,voce rauca,omnibus membris demissa & abiecta: vt quemadmodum dixi, etsi etiam filios non videas, matrem tamen intelligas.D.August.super Ioan.tracta.15.to.9.

Iuxta prædium. Id est iuxta agrum. *Quod dedit Iacob filio suo.* Ideo hæc omnia diligenter Euangelista narrat,vt ostendat quod omnia quæ contigerunt circa Patriarchas,fuerunt ducentia ad Chri-

stum,& quod Christus signatus est per eos, & ab eis secundum carnem descendit. *Erat autem ibi fons Iacob.* Dicitur fons Iacob,quia ipse puteum illum foderat in terra illa propter defectum aquæ vt dicitur Gene.34. *Fatigatus ex itinere,* Christus volens ostendere veritatem humanæ naturę,permittebat eam agere & pati quæ sunt propria hominis, volens etiam ostendere in se veritatem diuinæ naturæ,faciebat & operabatur propria Dei.Vnde quãdo retrahebat influxum virtutis diuinæ à corpore esuriebat,fatigabatur: quando vero ipsam virtutẽ diuinam corpori exhibebat, sine cibo non esuriebat,& in laboribus nõ fatigabatur. Vnde Matt.4. dicitur, quod ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, D. Thom. super Ioan. 4. lect. 1.

Sedebat sic. Quid autem per hoc verbum, sic, intelligitur?Non in sella,non in loco honoratiori, sed in terra,vt contingit.D.Chrysosto.super Ioan. hom.30.tom.3.

Hora autem erat quasi sexta. Causam attulit qua iuxta fontem merito Iesus sedere voluit. Cum enim ad laborem intensior etiam æstus diei accesserit,non voluptate fontis captus,sed calore laboréque vt homo fatigatus quiescit: horam vero nõ certe sextam,sed quasi sextam fuisse scribit: vt etiã nos discamus vel in minimis non paruam veritatis curam habere.D.Cyril.super Ioã.lib.2.cap.79.

Particula illa,sic,aliud quiddam desiderat quod magis sanctus Euangelista intelligi voluit, quam exprimere.Sedebat ergo sic,quasi homo infirmus & itineris labore confectus: sedebat sic, quasi vnus quilibet è plebe, quasi viator lassus quietem sessione captans, quasi non esset is rerum omnium dominus, fatigatorum virtus, esurientium panis,sitientium potus, & infirmorum robur & fortitudo. Non enim ad otium ac quietem, sed ad labores & dolores,ad pugnas & certamina,missus est. Horum autem tantorum laborum fructus, salus & iustitia nostra fuit, Propheta testante, qui ait: pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur:hoc est suauissimo salutis nostrę cibo, de quo is in præsenti lectione ait, Meus cibus est &c. vt perficiam opus eius, quod quidem non aliud quam salutis & redemptionis nostræ opus fuit. *Hora autem erat quasi sexta.* Non otiose sanctus Euangelista hanc horam expressit, quo apertius dominicæ fatigationis & laboris causam exprimeret. Verum non hæc sola fatigationis huius causa extitit. Aliud enim erat quod illum multo magis lassaret:nempe magna eius charitas, & negotij quoque magnitudo quod susceperat, & magnus item error dispersarum ouium quas quærebat.Quam magnum autem negotium esset quod susceperat,immensi eius labores facile declarant: quantus vero ouium quas quærebat & quam defendus esset error,per Ezechielem dominus indicat his verbis. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret: non erat inquam qui requireret. His autem verbis dominus communem cunctorum fere mortalium errorem,& erroris causam declarauit. Hoc est etiam quod Propheta significare voluit,cum oues in cunctis montibus errasse,& super omnem faciem terrę dispersas fuisse quæritur. Hoc enim studio & affectu alius ambitioni seruit, alius pecuniæ studet, alius varias vitæ voluptates atq; delicias exquirit, alius aliam viam ingreditur,qua putat se beatę vitę cõpotem fore.Paululũ vero progressi, sentiũt quam amara sit ea res, quam fore suauissimam suspicabantur.Quia ergo tantus erat huius gregis error, ideo vnigenitus Dei filius humanę salutis amator, venit ad mundum, vt perditas oues quæreret, & ad caulas veræ felicitatis adduceret. De eo namq; scriptum est,venit filius hominis quærere & saluum facere,quod perierat. Varius autem & multiplex ouium error in causa fuit vt multis itineribus atq; laboribus opus esset, quo gregem adeo dispersum & errabundum colligeret. Quare non mirum est si fatigatus ad puteum sedet qui tãtam nostri gratia prouinciã susceperat.Sed quid quęso agis domine?quæ te tanta cura solicitat?cur tot te laboribus crucias?tot itineribus conficis?modo à Iudæa in Galilæam,modo à Galilæa in Iudæã: vicos & castella circumis,nũquam tibi parcis,nullã tibi quietem imperas:quid quæso tãtis laboribus captas?quid quęris?nil certe aliud dominus respõdet,quam quod Ioseph ille olim respondebat:fratres meos quęro:sunt enim osmeum & caro mea, estque eorum vita & salus, mihi valde chara, & à patre mihi commissa,ideóque non mihi parcam, non quiescam,nec dabo somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec illos ad caulas suas,hoc est in paternam domũ,reducam.

Fatigatus ex itinere. Qua in re apparet quã permagna phreneſi ac periculosa laboremus, quãdo medico ita de salute nostra solicito, nos adeo intemperanter & effuse viuimus. Ex hac item domini fatigatione,cæterisque eius laboribus,colligimus quam sint magnifica præmia illa quæ piis in cælo reposita sunt:quandoquidem prudẽtissimus hic mercator,iustissimusq; rerum æstimator,digna putauit,quæ non solum tot itineribus atque laboribus,sed etiam vinculis,alapis,sputis,verberibus, spinis,clauorum aculeis,Cruce denique & morte acerbissima,non quidem sibi,sed nobis compararet.Cum enim multa sint quæ cælestis illius gloriæ magnitudinem declarent, nil tamen hoc magis efficit,quam pretij magnitudo quo empta est. Quid enim filij Dei sanguine pretiosius, cuius vel vna gutta, innumerabiles redimere mundos potuisset?Sed ô dementiam atque socordiam nostrã, continuis lachrymis deplorandam! Quod cũ Saluator ipse(cuius gratiæ nil his tãtis laboribus accedere poterat)tam multis eam nobis laboribus comparauerit,nos tamen quorũ causa agitur,quibus hæc tanta felicitas proposita est,ad quos tantorum laborum fructus pertinet,adeo commoditatum nostrarum negligentes, adeoq; nobis ipsis infesti sumus,vt ne tam exiguo quidẽ labore promereri velimus,quæ benignissimus redemtor tam multis doloribus,nõ sibi,sed nobis mercatus est. Quid igitur tantæ rei causam esse dicam?Ea certe est,quod cum is sempiternæ gloriæ, sempiterníq; supplicij pondus & magnitudinem, perfectissime norit:nos vero Ægypti tenebris immersi nõ perinde agnoscamus: nil mirum si ardentissima eius charitas errores nostros miserata,tam ingẽs laborum pondus,quo nobis consuleret,subire voluerit:cum nos cæci & amẽtes ne leue quidem onus huius tantæ salutis gratia ferre velimus.

In verbis præcedentibus Euangelium hodiernum dicitur quod Christus Redemptor noster reliquit Iudæam,& abiit iterum in Galilæam,oportebat autem eum transire per mediam Samariam: in quo Euangelista respondit tacitę cuidam obiectioni,quę Christo domino obiici poterat: nimirum quod cũ ipse præceperit discipulis suis. Mat. 10. in viam gentium ne abieritis &c. quare hoc præceptum ipse non seruaret? demonstrauit ergo huius

huius rei Euangelista causam,quare transierit per Samariam,nempe quia illac necessario transeundum erat,vt à Iudæa in Galilæam iretur. Quod si adhuc obiiciatur,quamuis illac transeundum esset:quare Christus illic prędicabat,& faciebat miracula:Respondetur,quod quemadmodũ sol qua cunq; transierit,splendorem emittit & illuminat, & ignis etiam calefacit & exurit: ita etiam filius Dei,qui est sol iustitiæ & splendor æternæ gloriæ, non poterant non communicare splendorẽ suum & ignem diuini amoris quacunque transiret. Vide D.Cyrillum.lib.2.super Ioan.cap.77.

*Sedebat sic.*Sic sed & Christus dominus cũ vnoquoque nostrum accommodans suam conuersationem,sua colloquia,& inspirationes admirabili sua benignitate, iuxta mensuram & capacitatem singulorum,officium,conditionem & statum. Pastori quidem sese accommodat,eu móque in suum amorem allicit,proponens ei quonam pacto ouis agniculum suum diligat: ex quo amore eum eleuat ad diuinum. Declarat etiam ei sic fere per sacramenta expiari abstergíq, peccata,quemadmodum ipse iuniperino suo oleo mundat scabiem infectarum ouium.Agricolæ item insinuat qua ratione renouare possit & emendare vitam suã atq; mores,exemplo arboris quam ipse purgat ab inutilibus ramis,quamq; magna vtilitate inserit alteri arbori.Et denique vnicuique secũdum modum suum & capacitatem sese accommodat.Nã & proiectioribus ac peritioribus altiora inspirat atque infundit.Quod etiam se præstare Apostо.testificatur,cum dicebat. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerẽ saluos.Hæc quidẽ pluribus hinc inde aucupatis exemplis tu ipse poteris fusius dilatare.

Si cupis nosse qualis esset regio Samaria, & quinam Samaritani essent, & alia huc spectantia: vide D.Chrysos.ho.30.super Io.to.3. quod & colligi potest ex 4.Reg.17. & 18.& ex Hiere. cap. 25. aliisque historiis.

Fatigatus erat Christus ex itinere,quia non inueniebat Dei populum quem quærebat. Vide D. Ambro.lib.de Ioseph Patriarcha cap.3.

Hora erat quasi sexta. Vide D. August. lib. 83. quæst.q.64.to.4.

*Venit mulier de Samaria haurire aquam: dixit ei Iesus,da mihi bibere.Discipuli autem eius abierant in ciuitatem,vt cibos emerent.*Considera quęso hoc in loco nil ferentes discipulos,neque à principio diei vllam victus curam habentes,sed quo tempore omnes prandent,cibos emptum proficiscuntur: non vt nos,qui cum primũ mane exurgimus,ante omnia coquos aduocamus: & de parandis epulis & mensa diligenter verba facimus:inde aliis operam damus:secularia diuinis præponentes, & quæ superflua habenda essent, tanquam necessaria exequimur:ideo omnia præpostere aguntur.Cum tamen spiritualium primum rationem,& quidẽ maximam habere deberemus, quibus perfectis, hæc alia deinceps attingere oporteret. Neque laboris studiosus tantũ,sed humilitatis,nõ fatigatus duntaxat ex itinere sediſſe, sed relictus solus dimissis discipulis,hic Iesus ostenditur. Atqui poterat vel non omnes dimittere,vel alios sibi ministros comparare.Noluit,etenim discipulos quoque his moribus assuefecerat.Et quid mirum, dixerit fortasse quispiam,si humiles erant,piscatores & tentorio rum opifices?Erant sane.Verum repente ad ipsum cælum euolarunt,& cunctis regibus clariores eua serunt,digni habiti qui vniuersi orbis domini familiaritate fruerentur, & eum vbique admirabilẽ sectarentur. Illud præterea non ignoratis, quod quãto quis humiliori gradu ad dignitates assumitur,facilius in superbiæ insaniam effertur, vt potę qui expers sit repętini & insperati honoris.In hac eos humilitate Christus continuit,& vt ab omnibus se abstinerent, neque ministri indigerent D. Chrysosto.super Ioan.ho.30.to.3.

Dum quærit aquam mulier Samaritana,vitam quam non quęrebat inuenit.O admiranda Dei opera atque iudicia!Quam vere ab Apostolo dictũ est,Non est volentis,neque currentis, sed miserẽtis Dei.Hæc enim mulier nec quærebat,nec curre bat,nec volebat,& tamen misericordiam consecuta est.Mulier enim hęc Samaritana idolorum cultrix erat,peccatrix erat, quinque viros habuerat, modo pro viro lenonem habebat.Itaque quacunque parte illam spectaueris,siue genus siue vitam, siue fortunam,siue mores,siue naturã, siue quidquis aliud consideres,nil non vilissimum,nihil non abiectum,& cęlestibus donis indignum offendes. Quæ quidem his omnibus maculis deformata,ad fontem illum veniebat, nil minus quam gratiam aut salutem animæ suæ cogitans. Quam tamẽ diuina pietas ita respexit,ita extulit & nobilitauit, vt ex infideli & infami peccatrice, Apostolã quodammodo fecerit & Euangelistam. Quo quidem opere diuinæ gratiæ libertas, simul & liberalitas immensa,aperte declaratur: quæ sese quocunque voluerit,citra vlla etiam antecedentia merita, liberalissime effundit.Denique nobis ipsis gratulemur,qui tam beneficum & clementem habemus dominum:qui si talis est in non quærentes,qualis erit in quærentes,& toto illum corde diligentes?

Da mihi bibere. Paululum perit aquæ, vt multa tribuat dona.Sic Elias 3. Re.17. postulauit à paupere illa vidua bucceã panis, & potum aquæ pro quibus fontem olei,ac farinę copiam largitus est. Petiit olim Deus ab Abrahamo,vt dilectum suum Isaac immolaret:promittens se pro ea immolatione filium suum esse daturum. Quod tamen cũ Abraham exequi vellet,& maxima quidem hilaritate,attẽdens quantum bonum recepturus esset, non permisit Deus:sed quasi ita dicens, nolo quidem tam caro filium meum dare, arietem ad immolandum indicauit. Vide de his Horozcum in declama.Quadrage.

Venit mulier de Samaria. Samaria hic non est nõmen ciuitatis,sed gentis vel regionis: quia illa mulier fuit de ciuitate Sichem,quæ tunc erat metropolis Samaritanorum,vt dicit Iosephus 11. Antiqui.Samaria enim erat destructa & reędificata,tamen nomine mutato eius,quia tunc Sebaste dicebatur,vt habetur 13.lib.Anti.Lyranus super Io.4.

Discipuli eius abierant. In quorum præsentia de peccatis occultis mulieris nil esset locutus. vide Alber.Mag.super Ioan.

Quandam combinationem siue collationem valde admirabilem inter Rebeccam cum dedit potum seruo Isaac & camelis eius,& inter Samaritanam & Christum,inuenies apud D. Ambrosi. lib.1.de Abraham Patriarcha.cap.9.

Da mihi bibere. Quemadmodum in ficu quæ exaruit ficus requirebat,nõ propter esuriem, sed dispensatorie agens, vt accepta occasione ad miraculum peruenire:ita & nunc de fonte aquam postulat non sitis causa,sed dispensatorie,quo nactus occasionem,cum muliere colloqueretur.Præsciebat enim ipsam crediturам.Vide Euthymium super Ioan. 4.

Dicit ei ergo mulier illa Samaritana:quomodo tu: Iudæus cum sis,bibere à me poscis,quæ sum mulier Samaritana?

tana:non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Propter peccata populi(sicut dicitur 4.Reg.18.)Israel, scilicet decem tribuũ,qui colebant idola ducti sunt in captiuitatem à rege Assyriorum in Babylonem: & ne Samaria absque habitatoribus remaneret,fecit ibi gentes ex diuersis locis ductas habitare. Et cum ibi essent, volens dominus ostendere quod non propter imbecillitatem suæ virtutis, sed propter Iudæorum malitiã,tradidit eos, immisit ipsis gẽtibus leones,& sæuas bestias, quæ eos lædebãt: quæ vbi nũtiata sunt regi Assyriorũ,habito ex cõsilio quod hoc ideo eis contingeret, quia non seruabãt legitima Dei terræ,misit ad eos sacerdotem quendam ex Iudæis,traditurum eis Dei legem secundum legem Moysi. Vnde & isti licet nõ essent ex populo Iudæorum,seruabãt tamen legẽ Moysi. Sed cum Deo vero,colebant idola, nec Prophetis attendebant,& vocabant se Samaritanos, à ciuitate Samariæ, quæ erat sita in monte Somer. 3. Reg.16.Reuertentibus ergo Iudæis ex captiuitate in Hierusalem,semper infesti fuere & contrarij,& sicut dicitur in Esdra,impediebant eos ædificare templum & ciuitatem.Et licet Iudæi vitarent omnes alias nationes, specialiter tamen vitabãt istos, nec in aliquo coutebantur eis:& hoc est quod dicit,non coutuntur Iudæi Samaritanis. Non dicit quod Samaritani non coutantur Iudæis, quia libenter voluissent adiungi & couti Iudæis: sed Iudæi eos repellebãt,secundum illud Deutero.7. nõ inibis cum eis fœdus.D.Tho.super Io.4. lect.1.

Mirum negotium. Vtraque pars suo fungitur officio,dominus cum aquam petit, occasionẽ captat qua pietatis opus exerceat:mulier vero ex ea prohibitione quæ nõ ad se,sed ad Iudęos pertinebat,violandæ pietatis occasionem arripiebat, ne videlicet sitienti domino potum daret. Qua quidem tergiuersatione eorum imaginem referre videtur qui leuissimis de causis ab officio & pietate recedunt:quemadmodum illi qui ad nuptiale cõuiuium à rege inuitati,alius vt iuga boum probaret, alius vt villam quam emerat inuiseret, alius quod vxorem duxisset,ire detrectarunt. Sic reperire multos licet,qui cum ad cæleste cõuiuium & ad nuptias agni à domino vocentur,vt eius glorię particeps efficiantur, leuissimis de causis insignẽ hanc domini gratiam repudient. Alius rumusculos mundi & quid vulgus hominum dicturus sit,si vitæ rationem cõmutauerit,extimescit. Alius ne vel chartarum ludum, vel amicos & contubernales,scelerúmque suorum socios,aut consuetas voluptates,deserat:vocãti domino & æterna pręmia promittẽti,parere recusat.Quæ res facile declarat quã sint apud nos vilia cælestis regni pręmia,quãque rursum omnia mundi cõmoda & oblectamẽta pretiosa:quandoquidem leuissima quæq; eius siue detrimenta siue lucra,ita nos afficiunt,vt propter ea omnia Dei promissa beneficia,voces, clamores,terrores,atque omnes deniq; rationes quibus nos ad se trahere contendit,nihili faciamus.

Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Erat quidẽ adeo maximum odium illud quod Iudæi in Samaritanos habebant,vt miraretur hæc mulier quorsum Christus peteret aquam ab ea, videreturque ei quod Christus perfringeret instituta & leges maiorum suorum,petẽdo aquam. Quo loco non omnino intempestiue differere poteris cõtra noxias inimicitias,dissidia,& factiones: quámque amicissimus Deus sit pacis atque concordiæ: ad quod persequendum,lustrabis subiecta.

Quamuis Dauid sanctus esset, noluit tamen Deus vt sibi ædificaret domum, quia vir fuerat bellicosus: sed potius Salomon eã exædificauit, qui pacificus interpretatur:vt inde colligas quam grati Deo sint pacifici, Vide 3.Reg.5.

Dominus quidem cum accessit ad Eliam non erat in caligine aliqua,procella,aut commotione, sed in sibilo auræ tenuis. Vt vel hinc discas, non inueniri Deum inter eos qui odia nutriunt, sed inter quietos.

Inter eos qui inter se quodam otio dissident, pacem conciliare debemus, & cum iis etiam qui nos oderunt eam procurare.Sic curarunt Abimelech & Isaac inire mutuo pacem.

Vide quantam adhibuerunt curam Gabaonitæ,vt cum ipso Iosue pacem inirent Iosue 9.

Misit Ionathas legatos ad Bachidem,vt pacem cum eo componeret 1.Macha.9.

Rex Demetrius epistolas misit ad Ionatham de pace concilianda 1.Macha.11.

Occasiones ipsas abscindere & amputare debemus,quę videntur dissidia esse allaturæ,quẽadmodum fecit Iacob cũ recessit ab Esau Gene.27.

Attende quãta esset concordia & charitas inter Oniam & populum, propter prudentissimam ipsius Oniæ gubernationem 2.Macha.3.

Si tantum volumus,inquit Seneca lib.3. epist. episto.28.nemo nos vlla ratione perturbare poterit:nec valebit inimicitiæ alicuius igniculos in nobis suscitare. Triginta quidem tyranni Socratem persecuti sunt,& tamen eius animum à sententia depellere non potuerunt.

Cum nullo inimicitias geramus, inquit idem Seneca:siquidẽ si pars is fuerit,anceps est contẽtionis finis atque dubius.Si autem superior, furere id potius est quam contendere.Sin denique inferior,sordidum quidem est atque abiectũ.Et certe pusilli animi est repetere vindictam,muriũ more ac cæterarum huius generis animantium: quæ apprehendentes se, mordent, & cum imbecilles omnino sint,lædi se putant,si vel tangantur duntaxat.Pacem si quis exposcit,statim cum eo ineamus,vt vicissim ille nobis paria referat,cũ eguerimus.Etenim videas sæpe vt cui amicitiã negaris, eius postea opera egeas: & qui tuis pedibus supplex prouoluebatur,eiusdem tu paulo post pedibus prouoluaris.Sed quid quęso gloriosius,quam iracundiam omnem in amicitiam commutare? Hæc & alia habes apud Senecam lib. 2. de ira ad Nouatum cap.34.

Parcere debes improbis etiam ciuibus,tanquã languidis quibusdam membris: & cum omnibus quantum in te est pacem inito, vel exẽplo leonũ, elephantorum,cæterarúmque ferarum. Vide Senecam lib.1.de clementia ad Neronem cap.5.

Qua ratione sint amicitiæ ipsæ conseruandæ lege D.Ambro.lib.3. Offic. cap. 15.

Non enim coutũtur. Hic poteris etiam agere quãto iustius nos debeamus euitare hæreticos & excommunicatos:circa quod vide decretum quoddam Calixti 1.epist.2.ad Episco.Galliarum vbi districte prohibetur ne cũ eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo, communicetur,nec aue eis dicatur.Et quod simili excommunicationi subiacebunt iuxta Apostolorũ institutionem, qui sciẽter cum excommunicatis communicauerint. Papa etiam Fabianus prohibuit communicationem cum talibus:à quibus inquit abstinendum esse,sicut ab illis quos Apost.commemorat, dicens: cũ eis nec cibum sumatis:quoniam sic Apostoli statuerunt,dicentes: cum excommunicatis non est communicandum,& qui contrafecerit, communione priuetur.Vide Decreta Fabiani papæ epist. 1.de qua etiam materia vide 11.q.1.sicut Apostoli. Communicatio etiam cum excommunicatis prohibita est in Conci. Antioche.Cano.2.Vide etiam supra feriam 3.post dominic. 3. Quadragesi. colum.862.28. linea.

Inter Iudæos & Samaritanos magnæ erant cõtentiones,quæ quidẽ quantopere sint à nobis deuitandæ,vide D.Hiero.in prolo.epist.ad Roma.

Respondens Iesus, dixit ei: si scires donum Dei,& quis est qui dicit tibi,da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Petit bibere,& promittit bibere.Eget quasi accepturus,& affluit tanquã satiaturus. *Si scires donum Dei.* Donum Dei est spiritus sanctus. D. August. super Ioann. tracta. 15. tom. 9.

Si scires quis est qui dicit tibi: da mihi bibere. Hoc plane in huius seculi diuites maxime quadrat,qui pauperes à se,vel cibum,vel potum, vel lacerã vestem,suppliciter petentes,contemnunt.Qui tamẽ si probe nossent quis sit ille qui in paupere latẽs, cibum aut vestem petit,illi statim ab eo pro temporali cibo æternitatis alimoniam peterent.

Si paulisper in hac domini responsione Philosophari velimus,duos valde inter se dissimiles affectus in anima nostra excitare poterimus: maximam enim in his domini verbis non modo sperãdi,sed etiã timendi causam deprehendemus.Quid enim non sperabo ab eo,qui tantum contulit, tãtumq; mihi amoris sui indicium patefecit, quantum ipsum donum est? de hoc enim amore idem saluator ait, sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret. Quid ergo mihi ex hac tãta dilectione,tanto beneficio,tantáq; Dei mei bonitate atque benignitate, polliceri non potero? Contra vero,quo maius beneficiũ, quo maior exhibita & ostensa charitas est,hoc magis tantorum bonorum autorem diligere,laudare,prædicare, & in eius obsequium me totum expẽdere debeo.Beneficij enim amplitudo,maius grati animi officiũ & obsequium postulat.Tantum vero abest vt fidelium multi hoc præstare studeant, vt neque doni magnitudinem considerent,neque donantis maiestatem attendant,nec propositæ mercedis dignitatem expendant:sed vilissimę cupiditatis aut voluptatis gratia, hæc omnia Dei munera contemnant,proterant,& pro nihilo ducant. Neq; enim magno aliquo emolumẽto inducti, sed leuissimis interdum causis,atque adeo sine vlla sæpe causa, Dei leges & præcepta violant atque perfringunt. Hoc igitur nonne maximam timoris causam continet?Pro dignitate quippe & amplitudine muneris,ratio à nobis exigenda est: neque solum quid nobis donatum sit,sed etiam qua de causa à nobis neglectum sit,exquirendum erit.

His verbis Christus videtur innuere & significare maximum desiderium quo tenebatur, vt mulier hæc à se aquam gratiæ postularet. Vult siquidem Deus vt rogemus se, atque oremus pro suis muneribus nobis impartiendis, iuxta illud Psalm. 2.Postula à me & dabo tibi &c.Vide hac de re Origen.super Ioan.to. 13.

Vide obsecro quam sancta & honestissima essent colloquia ista varia inter Christum & Samaritanam:vnde colligas quales esse debeant confabulationes nostræ atque colloquia.Qua de re Philosophi etiam aliqui nos instruxerunt. Nam Athenodorus dixit,ita cum hominibus omni tempore consuetudinem habeto, ac si Deus autor omnis boni,& mali vltor, præsens actiones nostras contueretur. Isocrates, Vrbanus esse stude, & grauis:quorum hoc principatũ decet, illud congressibus est aptum,quamuis difficillimũ quidem factu sit.Item,meditare de præclaris actionibus loqui,vt assuescas his similia sentire, quæ dictitas.

Dicit ei mulier:domine,neque in quo haurias habes,& puteus altus est,vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum hunc:& ipse ex eo bibit,& filij eius, & pecora eius? Huius mulieris ignorantiam & stupiditatem, multi quoque in alio tamen aquæ genere, imitantur: Ardentissima quippe felicitatis siti laborantes,nõ aliam quam huius mundi aquam,hoc est,non alia quam huius mundi bona esse putant, quibus flagrantissimam animæ suæ sitim sedare queant.Verum isti non minus quã mulier hęc rudes & ignari,nesciunt quod amicis suis dominus absconditũ manna porrigere soleat, quod cordis nostri sitim & famem sedat,quodque omnem mundi suauitatem atque dulcedinem superat. Sicut enim aqua maris omnium fluuiorum & fontium(quæ latissime per terram funduntur)aquas sine vlla mensura superat:ita plane immensum illud & infinitum bonorum omnium pelagus,infinitis partibus vniuersam omnium bonorum mũdi copiam superat, atque ita maiorem piorum animus oblectationẽ, quam illa omnia in vnum collecta, in vnum coniuncta,in vnum conglobata,præbere potest.

Neque in quo haurias habes. Quasi dicat, felicitas ad quam omnes aspiramus, quam sitimus, quam per omnes flammas exquirimus,in arduo ac pene inaccesso loco posita est,quam sine his instrumẽtis,honoribus,diuitiis variis, deliciis, quæ omnia tu cõtemnis,ceu funibus quibusdam, haurire nemo potest:quomodo ergo citra hæc auxilia & instrumenta,tu mihi eam polliceris? His rationibus inducti Celsus & Iulianus acerrimi religionis nostræ hostes, Euangelij Philosophiam esse meram insaniam dixerunt,nilque rebus humanis accidere infelicius posse,quam si homines eius præscriptis vitam instituerent.Modo autem multos Iulianos & Celsos reperire licebit:qui quãuis hæc ipsa verbis non dicant,moribus tamen & institutione vitæ dicunt.Cæterũ huic quæstioni Christus dominus satisfacit,cum ait:Regnũ Dei intra vos est: hoc est,regnum Dei quo Deus in mente nostra regnans, ad summum bonum cui fruendo conditi sumus,prouidentia sua nos dirigit,& felicitatis ac diuinitatis suæ participes efficit,non in rebus externis,sed intra nos esse quærendum ait.

Domine,neque in quo haurias &c. Vide quam vrbana esset hæc mulier:de qua quidem vrbanitate, vt cætera taceam,extat etiam exemplum inter Abrahamum & Loth Genes. 13. B. ecce vniuersa terra coram te est.

Respondit Iesus & dixit ei:omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei,non sitiet in æternum.Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Tu autem quæso Dei sapientiam considera,quã leniter mulierculam allicit:nõ à principio dixit,si scires quis est qui tibi dicit,Da mihi bibere, sed postquã occasionem illi præbuit, vt ipsum Iudæum appellaret & criminaretur,hoc propulsans inquit, si scires quis est qui dicit tibi,da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo. Quibus verbis iam ad maiora impulit,vt Patriarchæ meminerit. Inde cum illa diceret,Nunquid tu maior es patre nostro Iacob? Non se maiorem dixit,visus enim esset se tantum iactare nondum cognitus,sed latẽter id significat: non enim simpliciter dixit, dabo tibi aquam, sed prius Iacob aqua neglecta,suam laudat,à munerũ natura,dantium volens differentiam ostendere,& quantum

quantum ipse Patriarcham excelleret. Nam si admiraris inquit Patriarcham, quod hãc aquam dederit, inde ego longe meliorem tibi dedero, ea acceptа, me quàm Iacob maiorem confitearis necesse est. Si cum dicas, nunquid maior est Iacob quoniam hanc aquam dederit? Si illa meliorem à me acceperis, profecto maiorem dixeris. *Non sitiet in æternum.* Audiuit aquam viuam mulier, sed primum nõ intellexit. Nam cum aqua viua sit etiam quæ semper scaturit, huiusmodi aquam Christum dixisse arbitrata est, ideo apertius ex vtriusque cõparatione, Iesus suæ aquæ præstantiam declarat. D. Chrysost, super Ioan, ho. 31. to. 3.

Addit dominus hanc aquam salire in vitam æternam; nam cum natura comparatum sit, vt parem aqua ascensum habeat, atque descensum, cõsequens est vt quoniam hæc spiritualis aqua è cælo descendit in terram, possit etiam terrenos homines attollere in cælum. Hoc autem facit nõ modo quia opera nostra in cælum eleuat dum illis æternæ vitæ meritum tribuit, sed etiam quia mẽtes eorum quos plene possidet, ita cælestis patriæ amore incẽdit, vt omnes curas & cogitationes suas, omnia vitæ studia, & quicquid deniq; cogitãt, loquũtur, & moliũtur, ad illã dirigãt, ad illã referant, seque in hoc præcipue natos & in lucem editos credant, vt ad illam comparandam totius vitę cursum dirigant. Itaque sicut oleum inter liquores omnes hoc habet singulare, vt omnibus iis supernatet, summumque sibi semper locum vendicet, ita hæc regni cælestis cura, hic amor, hoc desiderium, omnia alia infra se ponit, sibique seruire facit, nec aliis vnquam dignitatis suæ loco cedit. Quod si cui hoc incredibile videtur, in ingẽs illud naturæ quasi miraculum oculos coniiciat, nempe acum qua nauigationis cursum nautæ dirigunt, quæ magnetis tactu mirabilem hanc virtutẽ percipit, vt motu suo rectà in solum mundi polũ tendat, in eóque solo fixa & immota maneat. Cúmq; innumera in cælo & sydera & loca sint, iis omnibus, relictis, solum mundi recta petit axem. Si ergo mirabilem hãc vim lapis ille ferro tribuit, quid mirum cælestem gratiam hunc in cælum motum humanæ menti largiri, vt quæ terrenis rebus inhiabat, ad sola nunc sese cælestia atque diuina attollat? Sic sancti omnes hac cęlesti virtute donati, in hac peregrinatione solo corpore constituti, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuersabantur. Sic Paulus, nostra inquit conuersatio in cælis est. Cæterũ qui hac aqua destituti sunt, peccatorum onere, & mortalitatis suæ pondere grauati, ad terrena bona deuergunt, terrenis inhiant, terrena captant, de terra cogitant atque loquuntur. Tales autem per animalia reptantia, quæ toto corpore humi depressa, in sublime sese attollere nequeunt, appositissime in lege adumbrãtur, quæ ab ipsa lege inter immunda computantur.

Omnis qui bibit ex hac aqua sitiet iterum. Si quis in sublimi aliqua specula constitutus vnde totã mũdi faciem oculis colluſtrare posset, cũctorũ hominũ studia contẽplaretur: eos omnes ingenti cuidã exercitui in arido ac deserto loco errãti, inquo nullæ dulces aquæ sed lacunæ aliquot lutulẽtæ, salsis aquis referte essent, quã simillimos iudicaret. Inde namq; cerneret alios per vastã illam solitudinẽ ad quærendas aquas errantes, alios terram fodientes sicubi forte venam aliquam dulciotis aquæ reperirent: alios siti enectos lacunis illis incubantes, seséque inuicem alij alios comprimentes, atq; rixantes, vt aquis illis sitim se dare possent. Eos vero qui illam bibissent, partim putore aquæ grauiter offendi, partim eius salsedine ęstuare, & maiori siti cruciari. In hoc ergo errore atque miseria vniuersum genus hominum versatur fratres, qui felicitatis humanæ siti, & flagrãti desiderio incensi, illam inter putidas & salsas terrenarum opum lacunas quærunt, è quibus bibentes, non tam aquã, quam sitim bibunt, atque eo magis sitim acuunt. Hoc est enim quod dominus in præsenti lectione sub elementaris huius aquæ imagine insinuauit. Nemo enim terrenis bonis haustis bene sitim sedauit, nemo vnquam veram animi quietem & felicitatem per illa consecutus est. Sed quid mirum si nõ inueniat felicitatem, qui illam extra fontem suum quærit? Nec enim terra nisi in infimo loco, neque ignis nisi in supero, neq; pisces nisi in aqua: neque arbor nisi radicibus in terra fixis requiescunt. Quid enim extra naturæ suæ destinatum locum, quietum esse poterit? Non ergo magis corda nostra extra Deum, dolore atque angore vacare poterunt, quam corporis humani membra, si à iũcturis suis aulsa, extra locum sibi à natura destinatum violenter collocarentur. Hũc ergo humani generis errorem Christus dominus miseratus, fontem nobis hodie aperit, cuius aqua hanc cordis humani sitim sedare potest. Subdit enim, *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo &c.* Magna quidem & miranda promissio talique spõsore digna! Quid enim maius aut amplius homini contingere in vita potest, quam hãc à natura nobis insitam sitim extinguere, & à tã multis laboribus quibus eam sedare nitimur, liberari? Qua quidẽ promissione fratres allecti, dignum est vt cum muliere Samaritana, Domine da mihi hanc aquam, proferamus, & proloquamur.

Omnis qui bibit ex hac aqua sitiet &c. Vide D. Tho. 1.2.q.2.ar.1.ad 3.

Fons aquæ salientis. Vide eundem in psalm. 41. super illa verba, Sitiuit anima mea ad Deum &c. & isa. 12. in illa, haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.

Non sitiet in æternum. Sed contra hoc videtur illud Eccles. 24. Qui bibunt me, adhuc sitient: vbi loquitur de aqua sapientiæ. Dicendum quod sitis vno modo accipitur pro desiderio alterius rei non habitæ, & sic omnis res temporalis adepta magis generat sitim quam tollat, quia cupiditatem augmentat. Similiter aqua corporalis quia non habet effectum nisi ad tempus, oportet iterum quod alia aqua numero sumatur ad sedandam sitim, & sic interruptio. Alio modo sumitur sitis pro desiderio eiusdem rei habitæ, ad habendum eam perfectius, & sic habentes Deum per gratiam, sitiunt habere eum per gloriam, & hoc modo loquitur autoritas Eccle. præallegata. Tertio modo accipitur sitis pro exclusione fastidij à delectatione habita, & sic beati dicuntur Deum sitire. Primo ergo dicitur hic modo, non sitiet &c. quia habens gratiam Dei, habet Deum, & ideo non desiderat aliquid quod non habeat, sed desiderat Deum quem habet habere perfectius & ideo sequitur, *Salientis in vitam æternam.* Qui per gratiam spiritus sanctus inhabitat mentem, qui est origo gratiæ, facientis hominem salire in vitam æternam. Naturale est enim quod aqua tantum ascendere potest quãtum descendit; & ideo sicut aqua gratiæ in nos deriuatur à Deo, ita per ipsam anima ad Deum eleuatur: quia per ipsam consors diuinæ naturæ efficitur, vt dicitur 2. Petri 1. Magna & pretiosa dona vobis donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Lyranus super Ioan. 4.

Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, vt

vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Considera quæso perattente quam multis quamque variis interrogationibus vtatur mulier in toto Euangelio, vt facilè hinc iam videas quàm loquaces sint mulieres, curiosæ, quamque propensæ sua natura ad perscrutandum, interrogandum, & inquirendũ qua etiam causa non raro in mala multa prolabũtur. Recordare enim quid acciderit protoparenti Æuæ, Gen. 3. propter nimiam suam curiositatem. Reminiscitor etiam quid contigerit vxori ipsius Loth, quæ præ curiositate nimia respiciens à tergo, in statuam salis cõuersa est. Cõtemplare qualiter actum fuerit cum Dina filia Iacob, Gene. 34. Animaduerte quanto desiderio cruciaretur vxor Samsonis, vt Samson suum ænigma ei aperiret, Iudicum 14. fac item memineris Dalilę ipsius importunas preces, quo Samson eidem reuelaret fortitudinem suam, quamque mala fuerit secreti cũstos, Iudic. 16.

Vide D. Aug. super prædicta verba lib. de scala paradisi cap. 10. to. 9.

Dixit ei Iesus: vade, voca virum tuum, & veni huc. Adhibe intellectum, per quem docearis, quo regaris. Ergo constitue animã excepto intellectu tanquam fœminam, intellectum autem habere tanquam virum. Sed iste vir non bene regit fœminã suam, nisi cũ à superiore regitur, caput enim mulieris vir, caput autem viri Christus. Loquebatur caput virì cum fœmina, & non erat vir. Et tanquã diceret dominus, adhibe caput tuum, vt ille suscipiat caput suum: ergo voca virum tuum & veni huc, id est, adesto, præsens esto: velut enim absens es, dum non intelligis præsentis vocem veritatis. Præsens esto, sed noli sola: cum viro tuo adesto. Et adhuc illa nondum aduocato illo viro, non intelligit: adhuc carnem sapit, absens est enim vir. Aug. tract. 15. super Ioan. to. 9.

Quorsum attinebat ad diuinæ gratiæ aquam conferendam, virum vocari? Quid sibi hæc tam dissimilis rerum connexio vult? Certè vt aqua illa de qua Dominus locutus est, mystica fuit: ita hic vir qui ad eam percipiendam vocari præcipitur, mysticè intelligendus est. Vir ergo hic virilis animus intelligendus est, quo distuptis diuina ope diaboli vinculis, homo à peccatis surgens, ad percipiendam diuinæ gratiæ aquam idoneus fiat. Virili enim robore atque fortitudine opus est, vt homo prauæ consuetudinis catenam confringat, vt mundi probra & clamores contemnat, vt omnia vincula diaboli, mũdi, ac carnis, hoc est triplicem funiculum quo in peccatis homines alligati tenẽtur, dissoluat, vt cupiditatis libidinem, vt rebelles animi motus impetusque frænet, vt sensuum licentiam rationis imperio coerceat, ac postremo carnem subiugare & in seruitutem spiritus redigere valeat. Ad hoc igitur præstandum vir animæ nostræ, hoc est rationis vis & fortitudo vocanda est; sine cuius ope, virtus, quæ circa difficilia versatur, quæque certissima ad felicitatem via est, locum habere non poterit.

Respondit mulier, & dixit: non habeo virum. Dicit ei Iesus, bene dixisti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc verè dixisti. Maiora ferè supplicia quę legimus Deum hominibus inflixisse, propter hoc fœtidum luxuriæ fuere peccatum. Vnde colligas quanto odio sit hoc vitium Deo, quandoquidem illud tam acriter punit. Et certè tantùm odit hoc vitium, vt Christus saluator noster multa alia peccata in suo collegio pmiserit, vno excepto videlicet luxuria. Alia peccata vnam tantum hominis partem contaminant, animam scilicet: hoc autem, totum hominem; corpus scilicet & animam ipsius vitiat. Cæterùm Pontanus in eo libro quem de bellica fortitudine inscripsit, memorat ætate sua adolescentem quẽdam quod à virgine quam deperibat repulsam passus fuisset, tanto animi mœrore constratum fuisse, vt iniecto laqueo in fenestra quæ contra illius fenestram posita erat, vitam sibi eripuerit, vt hac ratione de adamata virgine vindictã tristi certè solatio, sumeret. Idemque refert puellam quandam quod ab amasio suo neglecta, & à spe coniugij quod illa ambiebat, deiecta fuisset, in puteum se furibundam iniecisse, ibique vitam misertime finiuisse.

Hic igitur vt apertè vides, agere poteris & inuehi contra fœdissimum luxuriæ vitium: ad quod faciliùs præstandum, consideрabis quidem quam grauia consecuta fuerint damna atque incõmoda ex hoc pestifero vitio. Nam ex violatione illa Dinę quam multa! Gene. 34. propter vim illam illatam vxori leuitæ, strages innumerabiles partæ sunt. Iudic. 20. Quid etiam acciderit ipsi Amnon propter sororis stuprum, apertissimam quidem est ex 2. Reg. 13. Recordare quam grauissimè punitus fuerit Dauid, propter adulterium patratum cum Bersabee, 2. Reg. 11. Recordare etiam atram illam cæcitatem Holofernis, vt procacissimum expleret appetitũ, Iud. 12. & 13. Quid dicã de duobus illis impudentissimis senibus, qui fædissima libidine in castissimam Susannam exarserunt? Causa denique diluuij vniuersalis extitit effrænata libido ac luxuria, quæ tunc vigebat.

Composuit D. Leo Papa dialogum quendam inter luxuriam & carnis integritatem, circa medium operum: duo etiam qui proximè consequũtur dialogi, ad hoc institutum etiam faciunt.

De luxuria & eius speciebus, vide Vincen. Bellacen. Specu. Mora. li. 3. par. 9. dist. 1. 2. 3. & 4.

De luxuria iuxta Philosophos, lege eundẽ Spec. Doct. lib. 4. cap. 160. 161. 163. & 164.

Quo pacto fugiendæ sint carnis concupiscentiæ, lege apud Chrysost. in sermo. cui titulus est, Carnis concupiscentias ne sectemur, quæ generant mortem to. 5.

Pacorus diu lacessitus & vexatus à suis concubinis, de quibus multos susceperat filios: ex his omnibus deteriorem tandem & nequiorem elegit in regem, qui scilicet suscepto regno, statim parenti suo seni quod meritus fuit ex diuturna sua luxuria, intulit supplicium. Nam iussit eum occidi, & reliquos etiam viginti fratres suos: tale reddere solet præmium suis, fœda libido. Vide Iusti. lib. 42.

Quid quæso Sardanapalum illum in tantam immisit miseriam atq; infamiam, nisi vitium carnis? Is enim cum adeò effœminatus esset, aliquãdo repertus est inter mulieres muliebri indumento vestitus, apprehensaque colu nens, & pensa inter eas distribuens. Quo comper, ciues erectis animis insurrexerunt in eum: ipse verò in ignem se coniiciens, ibidem cum diuitiis suis miseram vitam finiuit, vt refert Iustinus lib. 1.

Diodorus præterea Macedoniæ rex, quemadmodùm refert idem Iustinus li. 25. quòd totus luxuria lasciuiaq; diffluеret, miserabili exitu vitam suam terminauit.

Vsq; adeò carnis vitium homines occæcat, vt post suæ honestissimæ vxoris obitum procacissimã quandã concubinã Ptolemæus quidã sibi adiunxerit, quẽadmodum refert idem Iust. lib. 30.

Idem etiam asserit eodem in libro de hoc ipso Ptolemæo adeò effæminato eum fuisse animo, vt ad meretriculæ nutum, & ipse & vniuersum eius regnum, regeretur.

Si magnos Dei seruos carnis tentationes maximè affligunt, quid illis futurum est, qui vitiosi sunt, & negligenter viuunt? Nam D. ille Hiero. de se refert, quod variis huius generis tentationibus impugnaretur, & quod tametsi carnem suam ieiuniis domaret, nihilominus tamen incursus illi vsque recurrerent. Vide D. Hiero. epist. ad Rustic. monac. de viuendi forma to. 1.

Super illa verba Iob. 18. aspergatur in habitaculo eius sulphur, inquit D. Greg. sulphur esse fomentum ignis, atque in sulphure nos peccatum carnis intelligere. Vnde Gene. 19. pluit Dominus sulphur & ignem super Sodomam. Aspergitur ergo sulphur in tabernaculo iniqui quoties peruersa carnis delectatio in eius mente dominatur. Vide D. Greg. lib. 15. Mora. cap. 10.

Prohibetur adulterium Hiere. 5. C. Vnusquisque ad vxorem.

Detestabile adulterium, Gene. 26. C. Quare im posuisti nobis?

Peccata carnis Deo maximè odiosa, Nahum 3. A. Væ ciuitas sanguinum.

Adulterium quam detestabile sit, Iob. 31. B. Si deceptum est cor meum. Prouerb. 2. C. Vt eruaris à muliere aliena. Prouerb. 6. D. Non grandis est culpa.

Adulterium nequius furto, Prouer. 6. D. Cum quis furatus fuerit.

Adulterium fugiendum, Prouerb. 9. D. Aquæ furtiuæ.

Prohibetur adulterium, Prouer. 5. C. D. Bibe aquam de cisterna tua.

Adulteria prohibentur, Sapien. 3. & 4. B. Omnes filij.

Adulterium quam pestiferum Ecclesiastici 23. C. Omnis homo qui transgreditur.

Adulterium fœdissimũ, Tob. 4. B. Præter vxorem tuam.

Dicit ei mulier, Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerũt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Tunc cœpit venire vir, nondum plenè venit: prophetam Dominum putabat. Erat quidem & propheta, nam de seipso ait, Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Item de illo dictum est ad Moysen: prophetam eis suscitabo de fratribus eorum, similem tui: similem scilicet ad formam carnis, nõ ad eminentiam maiestatis. Ergo inuenimus Dominum Iesum dictum prophetam: proinde iam nõ multum errat mulier ista, video inquit, quia propheta es tu. Incipit vocare virum, adulterum excludere. D. August. tract. 15. super Ioan. to. 9.

Et vos dicitis quia Hierosolymis. Pudeat tãdem nos & erubescamus: quinque virorum mulier, & Samaritana, tantam in discendo adhibet diligẽtiam, vt neque diei tempore, neque aliis occupationibus, à Iesu doctrina abduceretur: nos vero non modo nihil à diuinarum rerum eruditione inquirimus, sed in omnibus secure & eodem modo afficimur, propterea omnia negligimus. Quis nostrum quæso repetita domo, aliquod Christiano dignum opus aggreditur? Quis scripturarum sensus perscrutatur? Nemo sanè, sed alueolos & talos frequenter inueniemus, libros quam rarissimos: quos si qui habent, ac si non haberent, clausos in scriniis seruant, vel omne suum studium in membranarum tenuitate, in literarum characteribus quam pulcherrimis, consumunt: non vt legant, nõ vt vsum inde aliquem consequantur, sed vt diuitias, vt ambitionem ostentent, in his student. Tãta est inanis gloria: nullũ ambitiosum audio qui librum intelligat, sed aureas tantum literas admiratur. Quid quæso hoc lucri? Non propterea nobis scripturæ datæ sunt, vt in libris duntaxat habeamus, sed cordi insculpamus. Itaque hæc librorum possessio, Iudaicæ ambitionis est, quibus in literis præcepta data sunt: nobis non ita, sed in tabulis cordis carneis. Non autem libros comparari prohibeo, sed admoneo, & maiorem in modum rogo, vt eos comparemus: ita tamen, vt & literas & sensus frequenter animo repetamus, vt hoc pacto mundus efficiatur. Nam si in quacunq; domo Euangelium est, illud diabolus ingredi nõ audet: quanto minus animam ei assiduis lectionibus familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? D. Chrysost. super Ioan. ho. 31. to. 3.

Propheta es tu. Non tantum futurorum præscietia, sed & præteritorum ac præsentium reuelatio, rectè solet appellari prophetia. Vide Ruper. Abbat. super Ioannem lib. 4. explanantem hunc locum.

Dicit ei Iesus: mulier crede mihi, quia venit hora quando nec in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Neque tibi admirationi sit Iesum se Iudæis annumerare, nam secundum mulieris loquitur opinionem, tãquam Iudæus propheta: ideo inquit, adoramus. *Quj salus ex Iudæis est.* Hoc est vel quod orbi terrarum bona inde prouenerunt: nam Dei cognitio, idolorumque cõtemptus, & cætera dogmata, & noster cultus, quamuis non rectè, à Iudæis tamen ortum habuit: salutem inquam vel hoc, vel suum aduentum appellat, vel vtrunq; potius ex Iudæis prouenisse testatur. Quod etiam Paulus, ex quibus inquit Christus secundũ carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. D. Chrysost. super Ioan. hom. 32. to. 3.

Venit hora &c. Vide D. Thom. 2. 2. q. 84. artic. 3. ad 1.

In spiritu & veritate. Vide eundem 2. 2. q. 81. art. 7. ad 1. & quæst. 83. ar. 13. ad 1. & in 3. senten. distin. P. quæst. 1. ar. 3. q. 3. ad 2.

Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores. Hic poteris agere de oratione & adoratione: ad quod persequendum institutum, consule quæ subsequuntur.

Quod sit orandum attẽte atq; deuote lege D. Bern. sup. Cant. serm. 47. circa finem.

Quomodo intelligatur illud, oratio iusti penetrat cælos, consule eundem sermo. 62. sup. Cantica.

Quomodo sit orandum, & quæ res orationem impediant, vide eundem lib. de interio. domo ca. 48. & 49. circa finem operum.

Quare non semper exaudiat Deus preces nostras & orationes, consule eundem vbi sup. cap. 51.

Qui modus in orando seruandus sit, vide eundem in quodã tractatu qui inscribitur, scala claustralium, siue de domo orandi, & incipit, die quadam.

De oratione, lege Laurent. Iustin. lib. de casto connubio, verbi & animæ cap. 22. circa initium operum.

Quod

Quod orationes dupliciter accipiantur, lege eundem lib. de vita solita. cap. 15. circa medium operum.

De vtilitate orationis & de eius modo, vide eundem lib. de perfect. gra. cap. 12.

Quod oratio omni in loco fieri possit, siue in foro, siue in via &c. homiliam habet D. Chrysost. circa finem to. 5. quæ incipit, Haud scio quibus verbis.

De oratione & concentu diuini offic. vide D. Basi. lib. regula. fusius disput. cap. 27. to. 2.

Quomodò quis orat ita vt mẽs eius sit sine fructu, & quid sit illud, Psallite sapiẽter: vide eundem lib. reg. breuior. interro. 278. & 279. to. 2.

De oratione & contemplatione, vide D. Hier. in regu. monac. inter medium & finem to. 4.

Agit de oratione D. Aug. in sermo. 230. de tempore inter medium ac finem to. 10.

De oratione in abscondito vide D. Anto. 1. par. hist. titu. 5. cap. 1. §. 7.

Vide etiam Senecam lib. 1. Epist. ad Luci epist. 10. circa finem.

Non debemus, inquit, idem Seneca, orando multum contendere vocem, quasi ita magis exaudiamur: prope est enim Deus, nobiscum est, intus inquam est tum bonorum tum malorum nostrorum explorator. Vide Senecã lib. 5. epist. epist. 41. circa initium.

Quod à Deo postulare non debeamus, nisi honesta quæque, permanentia, & æterna, defæcata mente nostra ab omni peruersa cogitatione, atq; puras protendentes ad sydera manus, vide eũdem lib. 3. natura quæst. ad Lucil.

Vult Deus adorari, & vt sæpe ei cum omni reuerentia ac decẽtia offeramus, talibusq; maximè oblectatur, vt patet in adoratione illa & oblatione Abelis. Gene. 4. Item in sacrificio ipsius Abrahæ. Gene. 22. Salomon etiam abiit vt immolaret mille hostias, & apparuit ei Dominus, 3. Re. 3. Item reges Magi, Matth. 2. munera multa obtulerunt Domino. Enos filius Seth fuit primus qui orando cœpit inuocare nomen Domini, Genes. 4. Salomon stetit ante altare, & expandens manus genibusque flexis orauit, 3. Reg. 8. Elcana tantæ fidei erat, vt ascẽderet de ciuitate sua statutis diebus vt adoraret Deum in Silo, 1. Reg. 1 Rex Dauid cultum Dei in sacerdotibus & cantoribus amplificauit, 1. Paral. 15.

Debemus adorare Deum atque eum humiliter reuereri, eique gratias agere cum nos à calamitate aliqua liberat. Vnde filij Israel afflicti in Ægypto, audientes quia Dominus respexerat afflictionem eorum, proni adorauerunt, Exo. 12. Offerẽte Samuele sacrificium, liberatus est populus à tribulatione Philisthinorum, 1. Reg. 7.

Debemus etiã adorare Deum & colere in mediis laborum fluctibus constituti. Vnde Iob cum audiuisset infaustos illos & infolices nũtios, qui ei iacturam rerum suarum obnuntiarunt, adorauit Dominum, dicens: nudus egressus sum &c. Iob. 1.

Quemadmodùm qui vlceribus sauciatus est si cogatur exiguum petere ore tremente cibum, victumque suum emendicare, vlcera denudat, atq; oculis hominum exponit: vt ita ad misericordiam vehementius homines commoueat, suaque paupertati prouideat: ita certè vnusquisque ante oculos piissimi patris peccatorum suorum vulnera exponere debet oratione sua, vt ita eorundem veniam maxima liberalitate consequatur.

Quemadmodùm aues liquidum per aëra labuntur, quo à retibus & laqueis arte dispositis & instructis in terra ipsa ab aucupibus, liberẽtur: sic planè vt insidias antiqui hostis nostri, ac laqueos eiusdem toto orbe dispersos, effugiamus, necesse est in orationem ac contemplationem conscendamus, vt per eam exspatiantes, minus nos terrena illaqueent atque comprehendant.

Mulier crede mihi. Mundo quidem patentes accommodamus mira credulitate aures, Deo autem maxima cum difficultate: quanta vero reprehensione dignum sit credulitate nimia mundana statim niti, & ad quemcumque loquentium flatum illico agitari, etiam Philosophi ipsi testificati sunt quandoquidẽ Bias dixit, prius intellige, deinceps vero fidem adhibeto. Herodotus, oculis magis quam auribus fidem adhibe. Phocylides, ne citius crede, quam verè videris finem. Sallust. priusquã incipias, consulito, & vbi consulueris, mature facito. Hesiodus, modum obseruato in credendo. Statius, ne fræna animo permitte calenti: da spatium, leuemque moram? mala cuncta ministrat imperus. Ouid. Nec cito credideris: quantùm cito credere lædat: exemplũ nobis nõ leue, Procris erit.

Vos adoratis quod nescitis &c. Vide D. Ambro. lib. 5. de fide cap. 3. initio.

Veri adoratores adorant &c. Vide eundem lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. initio.

Dicit mulier: scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille nobis annũtiabit omnia. Quod mulier Samaritana tantam adhibet diligentiam, vt aliquid vtilitatis consequatur, neque à Christo discedit, quamuis eam adhuc ignoret, quam nos veniam consequemur, qui eum non ad fontem, non in deserto, non in meridie, neque in solis æstu ardentissimo, sed sub aurora, sub hoc tecto, ad vmbram, intuemur, non tamen quidquam audire patimur, sed desidemus? Imitemur igitur Samaritanam, alloquamur Christum: etenim medius nostrum in præsentia adest, & per prophetas & discipulos suos nobiscum loquitur. Audiamus, & credamus: quãdiu frustra, & inutiliter viuemus? Facere enim quæ Deo non placent, id demùm est frustra & inutiliter viuere, vel potius perdite. Cũ enim datum nobis tempus in nullam impẽdimus vtilitatem, inutilis impensæ vltimum daturi supplicium, hinc migrabimus. Nũquid qui pecunias ad negotiationem acceperit, easque prodegerit, ab eo creditor rationem exiget: qui autẽ vitæ munus perdite consumpserit, impune abierit? Non propterea Deus præsentem nobis vitam præstitit, non animam in hoc corpus infudit, vt hac tantum fruamur vita; sed vt totis viribus ad futuram contendamus. Bruta præsenti duntaxat vsui sunt, nos idcirco immortalem habemus animam, vt ad illius vitæ præparationem omnia moliamur: equorum enim, boum, asinorum, & aliorũ huiusmodi pecorum, si quis vtilitatem roget, nullam præter in præsentis vitæ necessitatibus seruitium vsumq; inueniemus. De nobis non ita sentiendum est, sed melius & præclarius domicilium post huius vitæ migrationem expectamus: ad quod vt clari perueniamus, omnia facienda sunt, vt cum angelis iubilemus, & semper regi assistamus. D. Chrysosto. super Ioan. homi. 30. to. 3.

Dicit ei Iesus: ego sum qui loquor tecum. Vocauit ergo virum suum. Factus est vir eius caput mulieris, factus est Christus caput viri. Iam mulier ordinatur in fide, & regitur bene victura. D. Aug. tract. 15. super Ioan. tom. 9.

Non rudibus, neque contentiosis: sed illis solet se Dominus reuelare hominibus, qui ad discendũ propensiores, & credendi radices simplici ser-

mone parturiētes, ad perfectionem illuminati facilius cogitatione ascendunt, qualis & Samaritana fuisse videtur, quæ quamuis agrestius atque rudius altiora consideraret, nō tamen bona volūtas ei defuit, nec ab intelligendo procul omnino erat remota. D. Cyrillus super Ioan. lib. 2. cap. 95.

Quod alias Dominus tecte ac dissimulāter prodiderat, huic mulieri adeò perspicua oratione reuelauit, vt nullis hoc verbis clarius, patefieri potuisset. Itaque mysterium illud quod ab initio seculorum absconditum erat in Deo viuo, quodq; per Ecclesiam principatibus & potestatibus cælestibus innotuerat: hodie abiectissimæ mulierculæ, apertissimè & sine vllis verborum inuolucris, declaratur. Nec hoc prorsus nouum aut insuetum seruatori nostro extitit. Eos enim frequenter ad se vocare, & cælestibus beneficiis ornare solet, qui minora de seipsis sentire, aut polliceri possunt, & in quibus gratiæ & misericordiæ suæ donum illustrius appareat: & illos interim repudiare, qui sibi aliquid esse, aut per se aliquid posse videntur. Hac enim de causa infirma mundi elegit, vt confunderet fortia; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Hoc est, vt nemo rectè factorum gloriam diuinæ bonitati eripere, & sibi arrogare audeat. Simile. Ne vero quisquā aut mirum aut nouum putet, simile quiddam in hoc visibili sole deprehendet. Is enim splendore suo obscura quidem illustrat, lucida vero & splendida quodammodo obscurat. Luna enim & stellæ quæ absente sole splendent, præsente eo fulgorem suum minimè ostendunt. Quod planè ipse iustitiæ sol de se confessus est, cum cæco à se lumine donato ait: in iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vidēt cæci fiant. Quo enim persona vilior, eo diuina gratia quæ illam prouehit, apparet illustrior.

Ego sum, &c. Docet Deus humiles, & eos qui se ignaros reputant, res altas, sublimes, & cælestes. Esa. 42. C. & educam cæcos in viam quam nesciunt.

Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur: nemo tamen dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea. Stupent discipuli tātam saluatoris humanitatem: non enim vt nonnulli simulatione sanctitatis, collocutiones cum mulieribus euitabat: sed misericordiam suam omnibus præbebat, reipsa non viris solummodo, sed etiam fœminis vitam per fidem attribuens. Non repellant ergo mulierculas qui pastoris vice funguntur, nec voluntati suæ, sed vtilitati seruiāt prædicationis. *Nemo tamen dixit.* Probi officium discipuli est, tanta doctorem reuerentia colere, vt nihil temere interrogare audeat. Mirari ergo debemus humanitatem Christi & prudētiam qui cum muliere loquebatur, discipulorum quoque prudentiam, qui nil hac de re dicendum esse nō ignorarunt. D. Cyril. super Ioan. lib. 2. cap. 97. & 98.

Et mirabantur discipuli, &c. Non sunt malè suspicati discipuli, quemadmodùm faciunt si tales collocutiones videāt, peruersi homines. Et certè homo quisquis es qui tam pessimum morbum habes: vt semper alienam vitā inquiras, timere debes ne in te Dominus mittat similem punitionē aut maiorem quam Bethsamitis dedit olim, ob insanam eorum audaciam, cum arcā Domini nimis curiosè intuerentur. Fieri non poterit quin in manus diuinæ iræ incidas, quandoquidem tam audax es, vt officium Dei fure ris. Homo quippe videt quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor. Quia aliquis malus est, ideò credit, alios ei similes esse. Vnde in Ecclesiaste habetur, in via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens: cæteros putat insanire. Sic Vagao cubicularius Holofernis, facilè iudicauit, Holofernem cum Iudith dormire, cū longè aliter esset. Vnde & sanctissimus Iob dicebat, cum pax sit, semper malus suspicatur insidias. Iosuē & populus Dei quia boni erant, crediderūt facilè Gabaonitis, dicentibus quod de longinquo venerant. Syncerus animus propensior semper est ad bonum opinādum, quam ad malum suspicandum. Simile. Cæterum quemadmodùm radius solis per vitrum ingrediens variis coloribus pictum, vitri ipsius colores, non autem suum repræsentat, vt cum sol sit vnus atque idem, diuersus tamen pro colorū varietate appareat: sic homo affectu corruptus, nō veros ac natiuos colores factis tribuit, sed qualis est eius affectio, tali colore rem ipsam depingit, ingrediens enim iudicium per affectum ipsius affectus colorem ostendit: vnde videas, eadem quæ vnus laudat, ab alio vituperari. Quare prudenter quidem Agesilaus, vt est apud Plutarchum, quoties audiebat aliquos de aliorum laude vel vituperio testimonium dicere, existimabat nō minus esse inquirendos & discendos eorum mores qui loquebantur, quam eorum de quibus verba faciebant.

Hic ergò si paulò diutius commorari voles, reprehendens eos qui proni sunt ad malè statim suspicandum, quique temerè statim iudicant, cum sæpissimè fallantur; aliqua tibi indicabo loca.

Postquàm Assuerus infensus fuit cōtrà Amon, cum hic iaceret super lectum Esther, rogans eam pro salute sua, suspicatus est statim rex quod reginam vellet opprimere, Esther 7. Labam illico iudicauit quod Iacob asportarat deos suos, cum tamen eum exploraſſet, non inuenit eos Gene. 31. fratres Ioseph ad conuiuium inuitati, crediderunt quod is vellet eos seruituti subingare. Genes. 43. Abraham putabat quod in Geraris occideretur pro vxore sua, & tamen non fuit ita Gene. 20. discipuli Domini timebant Saulo adhærere, cum tamen esset conuersus. Actorum 9. Heli videns Annam sibi non respondentem, existimauit eam ebriam esse 1. Reg. 1. Misit Dauid qui consolarentur Hamnon propter obitum patris, & tamen ciues suspicati sunt quod causa explorādi venissent. 2. Reg. 10. Cum Hieremias iret per portam Beniamin, custos portæ ei imposuit quod confugeret ad Chaldæos Hiere. 37. Pharisæus ille qui Christū inuitauerat, videns mulierem ad pedes Christi, murmurauit statim, Lucæ 7. Alius item Pharisæus videns Publicanum orantem, malè de eo suspicatus est & iudicauit Lucæ 18. de Apostolis variis linguis loquentibus, dixerunt Iudæi quod ebrij erant Acto 2. Barbari illi Melitēses videntes viperam pendentem de manu Pauli, homicidam eum esse crediderunt: & post modum cum vipera excussa nil mali haberet, eum Deum esse promulgarunt. Acto. 28.

Magna sunt cura ac diligentia deuitanda iudicia temeraria, de quo consule Lau. Iust. lib. de vita solita. cap. 3.

De iudiciis temerariis, vide Vincen. Bell. Speculum. Mora. lib. 3. par. 3. dist. 5.

Quid Philosophi senserint hac de re lege eundem Speculi. Doctr. lib. 4. cap. 114.

Quemadmodùm baculus in aqua defixus, quāuis rectus quidem sit & integer, si per mediam aquam conspiciatur, tortuosus & confractus apparere solet: sic planè tametsi aliquorū opera recta sint ac suis numeris oībus absoluta, si à mente depra

deprauata & peruersa dijudicentur, obliqua apparebunt, mala, ac denique peruersa.

Quemadmodùm ægris oculis ac lippitudine laborantibus, splendor solis molestissimus est, qui sanis hilaritatem maximam adferre solet: ita mehercule splendidissima alicuius facinora, à deprauatis animis obscurissima esse iudicantur & reprehensione digna, quæ tamen in theatris omnium rectè sentientium commendantur, decantantur, celebrantur.

Quemadmodùm in sano stomacho suauissimi cibi salutares gignunt humores, imo tametsi omnino suaues non sint, tamen propter felicitatem contemperationemque ipsius stomachi, conducunt, aluntque maximè: qui autē ab infirmo concipiuntur ægroque ventriculo, vel si lautissimi & saluberrimi sint, in infelices resoluuntur humores. Ad eundem modum vir bonus & studiosus quæcunque videt, quæcunque audit, quæcunque mente cōcipit, in optimam interpretatur partem, prauus vero homo, omnia cōtaminat, omnia subuertit, omnia corrumpit.

Mirantur quidem discipuli cum venissent, spectata anteà diuinitatis eius magnitudine, miranturque quid ita ipse qui tam magnus esset, cum muliere loqueretur. At nos præ arrogantia & superbia, tenuiores contemnimus, quod & illud de vnoquoque homine dictum obliti simus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: nec meminerimus eius qui in aluo nos finxit, & qui finxit corda omnium hominum, & omnia opera eorum intelligit. Non intelligimus humilibus Deum atque paruis adiumento esse solitum, & imbecillibus desperatis præsidio, eisque quorum res deploratæ sunt, saluti. Orige. super Ioann. tomo. 13.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem: & dicit illis hominibus, venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? exierunt de ciuitate, & veniebant ad eum. Mulier audito, Ego sum qui loquor tecum, & recepto in cor Christo domino; quid faceret, nisi iam hydriam dimitteret, & euangelizare curreret? Proiecit cupiditatem, & properauit annuntiare veritatem. Discant qui volunt euangelizare, & proiiciāt hydriam ad puteum. D. Augustī. super Ioann. tract. 15. tom. 9.

Exierunt de ciuitate. Ad quam iuerat mulier & *veniebant ad ipsum.* Scilicet Christum; in quo datur intelligi quod si ad Christum ire volumus, oportet nos exire de ciuitate, id est amorem carnalis cupiditatis deponere. Heb. 13. exeamus ad eum extra castra. D. Tho. super Ioan. 4. lect. 3.

Considera mulieris studium, cōsidera sapientiam. Venerat hauriendæ aquæ gratia, & cum verum fontem inuenisset, contempsit alterum: vt nos exemplo licet paruo admoneret, spiritualium gratia secularia omnia esse nobis contemnenda, neque eorum nisi ad necessitatem vllam rationē habendam. Quod & Apostoli fecerunt, & hæc in præsentia mulier. Siquidem illi à Iesu vocati, retia reliquerunt: hæc sponte sua reliquit hydriam, & superna proueniente gratia Apostolico munere fungitur: neque vnum aut alterum vt Andeeas & Philippus, sed vniuersam aduocat ciuitatē, & pro ratione populum ad Christum adducit. Et cōtemplare mulieris prudentiam: non dixit. Venite, videte Christum, sed ea qua ipsa allecta est humilitate, allicit populares suos. Cæterum neque dixit, venite, & credite: sed videte, quod & leuius profecto erat & quidem persuasibilius. Animaduertis mulieris sapientiam? procul dubio intelligebat, modo illo fontem gustarēt, eadem de eo, quæ & ipsa sensuros. D. Chryso. super Ioan. ho. 33. to. 3.

Venite & videte hominem, &c. O admirabilem mulieris prudentiam! O ineffabilem virtutem Christi! artificiosè iam loquitur, quæ paulò ante nil intelligens, audiuit: vade voca virum tuum, & veni huc. Operæ certè pretium est inspicere quàm artificiosè loquatur: non enim se inuenisse Christum dicit, nec statim incipiens, narrationem de saluatore texit, ne à Samaritanis, qui mores eius cognouerant, tanquam desipiens, & quasi maiora quam intelligere posset, dicens, derideretur, Miraculi ergo narratione proposita, præparauit auditores ad fidem: venite inquit, & videte. Sufficiet enim solus visus ad fidem: faciet vos ille multis ingentibusque miraculis certiores. Nam qui cordium nouit secreta, & hanc diuinam possidet dignitatem, quomodo cuncta nō efficiet quæ voluerit? D. Cyrillus super Ioan. lib. 2 cap. 100.

Vbi mulier illam Domini sententiam audiuit, subito ex Samaritana efficitur Euangelista, vt intelligas verum esse quod scriptum est, facilè est in oculis Domini subitò honestare pauperem. Itaq; reliquit ibi mulier hydriam suam, & in ciuitatem festinauit. Adeò enim euangelizandi auida erat, vt & aquæ & hydriæ pariter oblita, quicquid cursum eius retardare poterat, à se penitus ablegaret. Habet enim hoc qui diuinæ sapientiæ particeps effectus est, vt quò maiora possidet, eò ardentius opum suarum cæteros efficere participes concupiscat. Non enim hæc possessio dando minuitur, sed eo magis augetur, quo in plures distributa dilatatur.

Nec verò temere sanctus Euangelista relictam hydriam commemorat, quæ ad historiæ grauitatem minimè pertinebat: id enim fecit vt hac ratione indicaret mulierem reperti muneris magnitudine stupefactam, & veluti extra se positam, suique oblitam, hydriam, quam facilè secum reportare potuisset, reliquisse. Habet enim hoc diuinarum rerum amplitudo atque maiestas, vt terrena hæc & infima bona pro nihilo ducas, vbi ad illarum cognitionē & amorem aspirare cœperis. Sic duo Discipuli in Emaus pergētes, vbi resurrectionis dominicæ mirabile sacramentum agnouerūt, eadem hora surgentes, & prandio & negotio, cuius gratia in Emaus pergebāt, relicto, regressi sunt in Hierusalem, vt cæteros discipulos huius lætissimi & faustissimi nuntij participes efficerent. Sic Petrus vbi Dominici vultus splendorem & gloriam in eius transfiguratione vidit, velut extra se positus, perpetuam ibidem mansionem, omnibus mundi rebus fastiditis atque despectis, figere cupiebat. Intellexit hoc ipsum admirabilis certè in hac Philosophia Plato, qui eam esse cælestium rerum dignitatē agnouit, vt omnia quæ in hoc mundo videntur, quamlibet ampla & magnifica sint, illis collata, nil aliud quam tenues quasdā vmbras nil veri & expressi continentes, esse iudicaret. Itaque mirabili quodam dicendi artificio speculum quendam effingit, in quo homines ita colligati essent: vt nihil ex hoc nostro orbe nisi solas rerum vmbras cernere possent, nilque aliud in mundo esse putarent, in earumque sola cognitione & obseruatione versarentur. His autem similes esse putat eos, qui mentis oculos supra cœlum nō attollunt, nilque aliud præter has res quæ sub aspectū nostrum cadunt, esse putant.

Interea rogabant eum Discipuli, dicentes: Rabbi manduca: ille autem dixit eis, ego cibum habeo man-

ducare, quem vos nescitis. A rebus quæ iam instabant respõsio texitur, occultiusque significatur: quod si discipuli scirent de Samaritanorũ conuersione iam agi, de illo cibo magis cogitare, quam de corporali consulerent. Hinc etiam discimus quanta sit erga homines Dei charitas: quasi enim cibum suum putat perditorum hominum cõuersionem. D. Cyrillus super Ioan. lib. 2. cap. 103.

Dicebãt ergo discipuli adinuicem: nunquid aliquis attulit ei manducare? Quid mirum si mulier aquæ appellatione aquam esse opinabatur, quando & discipuli eodem in errore deprehenduntur: neque adhuc spiritualia intelligunt, sed ambigunt? D. Chrysost. super Ioan. hom. 33. to. 3.

Dixit eis Iesus: meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me: vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit? ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones: quia albæ sunt iam ad messem. Hic modus loquendi, *Leuate oculos vestros.* In sacra scriptura dici consueuit quandocunque aliquod subtile & altum considerandum præcipitur. Isa. 40. Leuate in excelsum oculos vestros &c. Nam oculi quando non sunt eleuati à terrenis, vel à concupiscentia carnali, non sunt idonei ad cogitationem spiritualis fructus. Nam quandoque deprimuntur ad terrena, retracti à consideratione diuinorum, secundum illud Psalm. 10, Oculos suos statuerũt declinare in terram. Quandoque excæcantur per concupiscentiã Danie. 13, & declinarunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum Dei. D. Tho. super Ioan. 4. lect. 4.

Simile. *Leuate oculos vestros, &c.* Ecce iterum familiaribus nominibus ad maiorem eos erigit contemplationem; nam cibi appellatione nil aliud quam futuram hominũ salutem Christus dominus demonstrat: regionis autem & messis, animarũ multitudinem, quæ in ipsius prædicatione erant creditura: oculos autem & mẽtis & corporis significat. Iam enim venientium Samaritanorum turbam videbat, quorum feruorem & promptissimã voluntatem albas regiones appellat. Sicut enim spicæ flauescẽtes, messem indicant & iam manus postulant: ita illi properabant ad salutẽ. D. Chrysost. super Ioan. hom. 33. to. 3.

Verba ista Christi, ardẽtissimam charitatis facem quæ in sacro illo pectore æstuabat, facile declarant: dum cibum suum atque delicias suas, peccatorum salutem & conuersionem esse testatur.

Ioan. 4. Quis igitur adeò ferreus erit, quis tam dura præcordia gestabit, quem hęc tanta pietas ad amorem non alliciat? Si te igitur ô homo minus forsitan excitat ipsius imperãtis Dei maiestas, si te nec magnifica eius promissa, nec terrores illati, nec præmia proposita, non cælum, non gehenna, non imminens mortis necessitas, & diuini iudicij seuetitas mouere possunt: moueat saltem hæc tanta Dei erga nos charitas, bonitas, humanitas, & misericordia, vt si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.

Quod alius opus eius est, nisi animarũ redemptio, & mundi salus? Hic ergo Christi domini cibus, hic potus, hæ deliciæ, hoc eius suauissimum conuiuium est. Quod ergo illic esurit, hic sitit: salus quippe nostra, & cibus, & potus eius est. Nos tamen domino hunc salutis nostræ potum sitiẽti, Iudęorum more fel & acetum, hoc est vitiorum amaritudinem propinamus. Profecto quamuis verè fatigatus dominus esset, nil tamẽ labor ille impediebat, quo minus procurãdæ animarum saluti incumberet perpetuo. Hoc enim soliciti & fidelis operarij proprium est, in causa domini infatigabilem esse. Hinc Paulus in carcere vinctus, ferreisque catenis onustus, de Ecclesiarum salute magis quam catenarum pondere aut impendente morte solicitus; epistolas scribebat, nõ quibus de sua liberatione ageret (quod vinctorum proprium est) sed quo fideles à peccati iugo & satanæ tyrannide liberaret. Sic saluator noster vt Apost. ait, proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Hoc est, passionis ignominiam & acerbitatem sustinere non erubuit, modo per hæc patris sui gloriam & humanam salutem constitueret, quod singulare eius gaudium erat. Ephes. 4. Heb. 12.

Meus cibus est, &c. Vide D. Ambr. lib. de Elia & ieiunio cap. 3, in fine.

Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis; alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Quid ergo? messores misit non seminatores. Quo messores? vbi iam alij laborauerũt. Nam vbi iam laboratum erat, vtique seminatum erat & quod seminatum erat, maturum iam, falcem & trituram desiderabat. Quo ergo erant messores mittendi? Vbi iam prophetæ prædicauerant, ipsi enim seminatores. Nam si ipsi nõ seminatores, vnde ad illam mulierem peruenerat, Scio quia Messias veniet? Iam ista mulier fructus maturus erat, & erant albæ messes, & falcem quærebant. Misi vos quoque metere, quod non seminastis. Alij seminauerunt, & vos in labores eorum introistis. Qui laborauerunt? Ipse Abraham, Isaac, Iacob, legite labores eorum. In omnibus laboribus eorum prophetia Christi, & ideo seminatores. Moyses & cæteri Patriarchæ, & omnes Prophetæ, quãta pertulerũt in illo frigore, quando seminabant? D. Augustinus tract. 15. super Ioan. tom. 9.

In ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Hanc & nos mulierem imitemur, & in peccatis quæ commisimus confitendis, neminem vereamur; Deum duntaxat vt decet formidemus, qui & nunc opera nostra videt, & tunc quos in præsentia nõ pœnitet, damnabit. At nos contra futurum iudicem minimè timemus, sed qui nil nobis possunt officere, eos & horrescimus, & pudore tremimus: idcirco in quo timemus, in eo pœnas dabimus. Nã qui in hac vita solo hominum pudore afficiuntur, Deum vniuersa spectantem minimè curant: qui in omnia scelera prolabuntur: quos nihil pudet, qui non mutantur, hi in die illa non vno præsente vel altero, sed vniuerso mundo teste manifestabuntur. Nam quod bonorũ operum & malorum magnum illic spectaculum pateat, ouium & hædorũ similitudo edocet, & beatissimus Paulus his verbis testatur: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gesserit siue bonum siue malum. Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti, hdmines celas, non Deum, & nihil curas: oculos hominum formidas: intellige igitur in illo die te ne homines quidem quicquam celaturum, omnia namq; oculis nostris repræsentabũtur, vnusquisque singulorum scelera punienda iudicabit. Quod ex diuite videre licet, qui cum Lazarũ pauperem & iam sæpenumero à se contemptum, & maledictis affectum, intueretur; vt intincto in aquam digito linguam suam refrigeret, obsecrat. Vos autem hortor dilectissimi, vt etsi opera nostra nemo

nemo videat, vt singuli suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda vniuerso orbi ea manifestè patere: sanentur iam vulnera, sumatur pœnitentis medicina. Instat iam, instat inquam tempus exigendę rationis: ideo Paulus ait, dominus propè est, nil soliciti sitis. Qui in anxietatibus, laboribus, miseriis qui in rapinis viuunt, qui in deliciis, graues daturi pœnas; non hoc, sed illud merito audiant. Dominus prope est, nihil soliciti sitis. Non enim longè à fine absumus, sed etiã mundus properat. Hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat. Quemadmodum enim corpus iam aduentante morte, innumeris malis afficitur, & domus prope casum, in rimas fatiscit: ita orbis terrarum ad finem properans, tantis vndiq; malis conteritur. Nam si Pauli temporibus dominus prope erat, nunc profecto propius: si ante trecentos annos finem temporum Paulus esse dixit, quid nunc dicendum? D. Chrysost. super Ioan. ho. 33. tom. 3.

Quemadmodum qui turturem aut similem aliquam auem venatur, illa cõprehensa, alias postmodum ad eius concentum, quasi quodam illice aucupatur: ita Christus dominus in fonte ipso irretiuit Samaritanam, qua vna irretita, multos post ea Samaritanos ad eius concentum & prędicationem aucupatus est: tali enim sæpissime vti solet venandi genere. Nam hoc vno & Matthęum irretiuit & Magdalenam comprehẽdit, & Petrum aucupatus est, & alios denique quam plurimos venatus fuit, in diesque venatur.

Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret, & mãsit vbi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius, & mulieri dicebant, Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus quia hic est vere saluator mundi. Quam breui Iesum orbem terrarum conuersurum nouerunt, quod ad cõmunem omnium salutem venerit, quod non solis Iudæis eius prouidentia præscriberetur, sed vbiq; terrarum verbum suum esset disseminaturus: non ita Iudæi, sed quærentes propriam iusticiam confirmare, iustitiæ Dei non paruerunt. Hi autem, omnes in culpa esse confitentur, illud Apostolicũ sentiẽtes, quod omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Cum enim dicerent Saluatorem esse mundi, intellexerũt perditi; necsimpliciter, sed in rebus maximis Saluatorẽ. D. Chrysost. super Ioan. hom. 34. tom. 3.

De muliere Samaritana vide Hugo. de S. Victo. lib. 1. Allego. in Ioan. to. 1. cap. 4.

Vide Origenẽ super hoc Euang. to. 13. qui copiosissime de eo differit, & cõplura folia cõsumit.

Lege D. August. de tempo. sermo. 92. in medio tom. 10.

Super epist. & Euang. duos habet sermo. D. Anton. initio 1. par. Theolog.

Eundem lege pri. par. histor. tit. 5. cap. 1. §. 9.

Iam non propter tuam loquelam. Vide D. Tho. 2. 2. q. 2. artic 10. in corpo.

Sabbatho post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

Perrexit Iesus in montem oliueti, & vliculo iterum venit in templum. Et omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Ioan. 8.

Post salutarem doctrinam turbæ communicatam, Iesus secessit in montem Oliueti, vt secretus à tumultu populi, orationi vacaret: nobis in hoc relinquẽs exemplum, quod post proximorum institutionem, ad orationem consurgere debeamus, sine importuno cogitationum strepitu, Deo effundendam *in abscondito*: & post orationem rursum proximorum saluti vacare & intendere, vt prædicationi oratio, & orationi succedat prædicatio. Itaque locus à consortio turbæ semotus, in quem dominus oraturus se contulit, animum designat orationi intẽtum, à cogitationibus mundi huius separatum esse debere & abstractum vt Matth. nos admonet. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Mons autem quem dominus ascendit, sublimitatem animi significat in cœlestia per orationem erigendi, & non infimis terrenisque negotiis immergẽdi. Cum enim oratio sit mentis in Deum pia eleuatio: quis hunc dixerit orare, qui labia quidem ad verborum prolationem mouet, mentem vero curis mundi depressam, nequaquam ad Deum etigit? Conqueritur sanè de huiusmodi orantibus per Esaiam dominus populus hic inquit labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Mons verò oliueti, altitudinem & copiam diuinæ significat misericordiæ, & per filij Dei in carnem aduentum nobis affluẽter ostensæ. Nempe olei nomine in scripturis Dei misericordia sæpius exprimitur, quod illius natura huius conditioni congruat. Super fertur enim oleum cæteris liquoribus atque supernatat: ita misericordia omnibus supereminet Dei operibus, & plus cæteris in homines eluceſcit. Misericordia enim superexaltat iudicium: & miserationes eius super omnia opera eius. Insuper oleũ dolores vulnerum mitigat, & sanat tumores ac vlcera: Dei vero misericordia, plagas animæ nostræ curat, omnemque depellit lãguorem peccati. Demùm qui palæstram subire debebãt aut luctã, oleo de libuti prodibant in medium, quo eorum corpora ad id genus certaminis essent accommodatiora: hic in acie contra aërias potestates certaturis, suam Deus misericordiã elargitur: ea nos præuenit suggeritque vires, quibus in tam difficili prælio ope sua muniti tandem victores euadamus. In te dicit propheta, eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. D. Cyrillus super Ioannem lib. 5. cap. 14.

De historia adulteræ quod irrationabile sit illam secare ab Euangelio, aut asserere non authenticam, & hoc tantum quod in aliquibus codicibus olim non reperiretur, cum tot seculis & ab omnibus sanctis doctoribus recepta sit, & prædicata, ac sermonibus Ecclesiasticorum celebrata, vt vera & & Euangelica, non puto pij ac simul prudentis cordis esse existimare ac longè minùs docere, &c. Vide Six. Senen. biblio. sanc. lib. 6. annot. 198.

Perrexit Iesus in montem. Hinc docemur quod si nos totos Deo tradere cupiamus, humani strepitus & humanę cõuersationes sunt à nobis fugiendæ. Nam & dominus vt nota faceret Abrahæ beneficia quibus illum volebat afficere, ab hominũ conuersatione eum eduxit. Item Mosen perduxit etiam dominus ad verticem montis Sinai. In solitudine etiam apparuit Angelus ipsi Agar. Elias ab hominum consortio procul aberat, quando angelum domini vidit. Non erat solicitus de quærendis honoribus beatus Ioannes, quando factum est ei verbum domini in deserto: Nam vt cõmodius se Deo traderet, in desertũ secesserat. Eliseus vsq; adeo effugiebat humana colloquia, vt nomen etiã

hoſpitis apud quam ſæpè diuertebat, ignoraret: nam cum iuſſiſſet ipſi Giezi, vt eam euocaret, proprium nomen ignorans, à nomine ciuitatis eam ſunamitidem appellauit. Elias in populo & ſocietate Iezabel, fame peribat, poſtquam autem in ſolitudinem Berſabee Iuda receſſit: ibi paſtus eſt cælitus angelico q́ miniſterio. Cæterum ſi ij qui in ſpiritualibus occupantur perpetuo, opus habent receſſu ac ſolitudine: quanto potiori iure ea his fuerit neceſſaria, qui ſemper terrenis curis ac negotiationibus occupantur? Agricolæ quidem non ſingulis annis perpetuo operę agros fatigant, ſed ceſſare eos faciunt, vt ex illo interuallo & requie, fœcundiores ac copioſiores reddant fructus, ſic & nos ſi terrenis occupationibus interdum pepercerimus multo felicius nobiſcum agetur, etiã circa ea quæ ad agentem vitam pertinẽt. Iudæi enim in deſerto manna cœleſti refecti ſunt. Dauid apparuit dominus in terra deſerta. Elias paſcebatur à coruis in deſerto. Moyſi nõ dabatur videre Deũ, donec ad deſertum exiret. Deus ad ſponſam inquit, ducam eam in ſolitudinem.

Si velis fuſius tractare de vtilitatibus ſolitudinis, & quam accommodata ſit vt nos totos Deo tradamus, ac virtuti diligentiſſimè incumbamus: nonnulla hic ſubiiciam.

Quandam ſatis prolixam cõſcripſit epiſtolam D. Bernard. de vita ſolitaria, ad fratres de monte Dei, circa finem operum, & incipit fratribus de monte Dei.

Aduerte quod quamuis D. idem Bernar. reprehendat ſingularitatem ipſam, in tractatu de gradibus humilitatis, in Notabili incipiente, Turpe eſt ei qui ſe ſupra cæteros iactat; & pariter eam etiam reprehendant alij ſancti doctores: eſt tamen id intelligendum cum conuerſationes ipſę honeſtæ ſunt ac ſanctæ. Nam aliter, ſatius eſt notari veluti ſingularẽ ac ſolitarium, quam illis intereſſe.

Vita ſolitaria ac ſeculi renuntiatio, maximè commendantur à D. Hieron. epiſto. 1. to. 1. ad Heliodo. miſſa.

Quod ſolitudo quibuſdam ſit vtilis, aliis vero periculoſa, vide eundem in regula monacho. inter medium ac finem to. 4.

De laudibus vitæ ſolitariæ, vide Vincent. Belluacen. Specul. hiſto. lib. 14. cap. 82. & lib. 15. ca. 82.

Quid ſenſerint philoſophi lege eundem Spec. Doctri. lib. 5. cap. 38. & 39.

Quare appetenda ſit vita ſolitaria cõſule Laur. Iuſt. lib. de vita ſolitaria cap. 1. circa medium operum.

Quod duplex eſt ſolitudo nempè localis & ſpiritualis, & quod vita ſolitaria moleſta eſſe ſoleat, niſi verè & ex animo ſumatur, vide eundem eodem lib. cap. 2.

Quod magna diſcretione ac circumſpectione opus ſit ad vitam ſolitariam traducendam, vide eundem eodem lib. cap. 9. & 16.

Quænam ſit ſolitudo ſpiritualis vide eundem eodem lib. cap. 12.

Perutilis quidem eſt ſolitudo ad ea præmeditanda ac recolenda quæ publicè facturus ſis ſiue ad tuam, ſiue ad aliorum commoditatem, lege Senecam lib. 1. epiſt. 8. initio.

Vt in ſolitudine vita cõmode traducatur, per magna opus eſt prudentia: neque enim hæc vita cunctis expediens eſt, cum ſint in ea multa propoſita pericula. Itaque ſi quibuſdam prodeſt, aliis tamen nocere poterit. Vide Senecam lib. 1. epiſt. epiſt. 10. initio.

Solitudo quidem ex animo eſſe debet: & quẽadmodum animalia quædam ſolent cubile ſuum confundere ſiue obſcurare, ne deprehendãtur; ita tu in ſolitudine non eo eſſe debes, quod hominũ laudem aucuperis, vel eo quod de te homines loquantur, ſed quod tecum ipſe loquaris, ſanaq́; ac ſalutaria mediteris. Vide Senecam lib. 9. epiſt. epi. 69. circa medium.

Solitudo ac vita ſolitaria non in omnibus pariter hominibus laudabilis, vide eundem libr. 7. epiſt. 65. circa medium.

Quanti fieri & æſtimari debeat ſolitudo atque receſſus, belliſſime diſſeritur ab eodem lib. 4. epiſt. 32. initio: vbi dicit Lucilio, ſe maximo exilire gaudio q̃ cũ quærat ac per contetur de eo: referant omnes eum ſe non vidiſſe, aut ſcire vbi ſit, cum tamen in vrbe eſſe certo ſciatur.

Solitudo non ſemper eſt bona, Eccleſiaſtes 4. C. melius eſt ergo duos eſſe ſimul.

Magna equidem datur in deſerto commoditas vincendi ac ſuperandi dæmonem ipſum, atq; inueniendi Deum, iuxta illud Pſal. 62. In terra deſerta, inuia &c. Vide D. Auguſt. de tempo. ſermo. 77. tom. 10.

Eia fratres, eſtote ſolitarij, vt ſitis angelorum ſocij; ruſticamini, vt ſitis ciues ſanctorum, vide eũdem ad fratres in eremo ſermo. 2. to. 10.

De Chryſippo dicit Seneca in lib. de vita beata, quod quamuis non fuerit dux militiæ, neque geſſerit negotia inter homines: ſuis tamen ſpeculationibus, quæ ſolus & ab hominibus ſemotus habebat, pluſquam duces eximij proderat.

Curiam, mundanos q́ue tumultus, Ariſto. contempſit, & elegit potius ſolitariè viuere quã cum Alexandro pergere in Aſiam. Itaque Athenas reuerſus, animum ſuum ad contemplationem adiecit. Vide Plutar. in vita Sillæ, Strabonem & alios.

Plato etiam quo ſibi aliiſq́ue magis prodeſſet, Athenis relictis, hoc eſt populi frequentia, in Academiam, ſolitarium locum ac quietum, ſe contulit: ibique doctrinam ſuam aliis communicabat.

In locis quidem ſolitariis atq; remotis docuit Deus multa magnaq́ue myſteria, & reuelauit: lege Oſee 2. Exo. 3. & 19. Eſa. 6. & 40. 4. Reg. 2. Apoc. 1. Acto. 4.

Mihi oppidũ carcer, & ſolitudo paradiſus eſt, inquit D. Hiero. Quorſum queſo deſideramus vrbium frequentiam? Moſes quidem paſtor ouium, in deſerto paſtor hominum factus eſt &c. Lege D. Hiero. epiſt. ad Ruſticum monachum de viuendi forma tom. 1.

Eligito tibi opportunum aliquem, & à familiæ ſtrepitu ſecluſum locum, in quem tanquã in portum, ex multa curatum & negotiorum tempeſtate, te recipias: & in quo excitatos foris cogitationum fluctus, magna ſecreti tranquillitate componas. Tantum ſit ibi diuinæ lectionis ſtudium, tam crebræ orationum vices, tam attenta & ſolicita de futuris cogitatio, vt hac ratione reliquorum negotiorum ſecularium tempus compenſes. Vide D. Hiero. epiſt. ad Celantiam matronam de ratione pie viuendi to. 1.

Inter alia encomia quæ idem ſanctus refert de Marcella vidua, illud vnum eſt, quod raro procederet in locum publicum ac frequentatum, vitaretq́; nobilium domos, ne cogeretur videre quod contemſerat: quin potius loca viſitabat ſancta, & aliis huiuſmodi honeſtis occupationibus diſtinebatur. Vide D. Hiero. in epitaphio Marcellę viduæ ad Principiam virginem to. 1.

Ad peccatorum occaſiones amputandas aptiſſima

ſima quidem eſt ſolitudo: cuius etiam philoſophi illi olim Pythagorici ſtudioſiſſimi fuerunt, fugientes omnem ſtrepitum atque tumultum. Quin & Platonici & ſtoici ſeſe in templa recipiebant, vt ibi commodius & attentius contemplandis cœleſtibus intenderent. Plato etiam contemptis ſuis omnibus diuitiis, atque vrbis deliciis, in oppidulum quoddam ſe recepit, neque ſatis ſalubre, ſed peſtilentia etiam infectum: quo tum ſolitudine, tum laborum oppreſſione, magis magiſque & vir tuti & contemplationi vacaret. Denique vſq; adeò plurimi philoſophi ſolitudinis extitere amatores, & ſtrepitum omnem fugientes, vt ſibi oculos eruerent, quo à conſpectu harum rerum fluxarum ſemoti, mens faciliùs interius cœleſtibus cõtemplandis inuigilaret. Vide D. Hieron. lib. 2. aduerſus Iouinia. to. 2.

Idem etiam Hierony. ſcribens ad Euſtochium, diligenter eam hortatur, vt domi ſe contineat, atque minus, quãtum in ſe eſt, foras prodeat. Quod ſi quando res ipſa id poſtularit, tunc etiam cum omni moderatione ſe gerat. Vide D. Hiero. ad Euſtochium de cuſtodia virgini. to. 1.

Et diluculo iterum venit in templum. Obſerua qua ratione Chriſtus Dominus ſuas viciſſim variaret actiones & honeſtas occupationes. Vnde colligas non ſemper nobis orationi eſſe vacandum, aut ſemper prædicationi incumbendum: ſed ab vna re in aliam viciſſim tranſeundum. Quin etiam Seneca ille ita ait: variemus ſtudia & actiones noſtras vt laborem ſuſtinere valeamus. Miſcenda iſta ſunt, ſolitudo nempè, atque frequentia ſiue conſuetudo. Sit altera res alterius medicina. Sanet moleſtiam turbæ, ſolitudo ipſa: & tædium viciſſim ſolitudinis, expellat frequentia ac conſuetudo. Danda remiſſio eſt animis, vt alacriores fiant: & quemadmodùm agri ceſſare debent nõnunquàm ne ſingulis ſerantur annis, ita animi ſtudia & exercitationes intermittendæ ſunt. Et certè legum cõditores, feſtos inſtituerunt dies: quibus ab opera quieſceremus. Vide Senecam lib. 1. de tranquillĩ. ad Sere. cap. 15.

Et diluculo iterum venit in templum. Vide quam optimè & diuinè haberet tempus ipſum diſpoſitũ Chriſtus, & actiones ſuas, vt intelligas qua ratione te debeas gerere circa eam rem. De quo argumento lege Lau. Iuſt. lib. de diſci. & perfect. monaconuer. cap. 10. & 21. circa initium operum.

Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehẽſam, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei. Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio: in lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare, tu ergo quid dicis? Qui alios enecare veneno ſtudent, illud melle circumlitum & temperatum porrigunt, vt lurida veneni lues, mellis permiſta dulcedini, lateat magis, faciliùs ingrediatur ignota, & maiorem inferat perniciem, non præuiſa. Ita his verborum blãditiis, & palpatione adulatoria Phariſæi ſuæ malitiæ vitus abſcondere ſatagunt, vt ſuarum fraudum laqueis Dominũ faciliùs implicent, & incautum inuoluant. Proponunt quidẽ in adulterio deprehenſam mulierem: Moſi legem adducunt, qua in Leuitico ſancitum eſt à Deo, adulteros & adulteras lapidibus obruendos eſſe: vt ſi eam à pœna legis abſoluat, impunitamq́; ſinat abire; protinus vt prævaricatorem legis iuſtè accuſare videantur & perſequi. Sin verò eam pro legis ſententia ſaxis opprimendam dicat, continuo cum ludibrio habeant, quod miſericordiã in proximum exhibendã magnopere verbis prædicet, quàm tamen opere non comprobet, ſeruata legis ſeueritate. Reddantq́ue exinde eum odioſum & inuiſum populo, cui gratiſſimum ipſum eſſe cõpertum habebãt. D. Cyrillus ſuper Ioan, li. 5. c. 15.

Mulieris culpam exaggerant ex tribus, quæ Chriſtum commouere deberent à ſua manſuetudine: & primo ex culpæ nouitate; vnde dicũt, Modo, nam quando eſt antiqua, non tantùm mouet, quia fortè præceſſit correctio. Secundo eius euidentia, vnde dicunt, deprehenſa eſt, ita quod non poſſit ſe excuſare; quod eſt conſuetudinis mulierum, ſecundum illud Prouer. 30. Tergit os ſuum, dicens, non ſum operata malum. Tertio ex culpæ enormitate, vnde dicunt, in adulterio: quod eſt graue facinus, & malorum multorum cauſa. D. Thom. ſuper Ioan. 8. lect. 1.

Si quæratur quare non adduxerunt adulterum eius, cum ſecundum legem eſſet eadem plectendus pœna: poteſt dici quod forte adulter erat diues, & ideo pro pretio ipſum liberauerant. Lyranus ſuper hunc locum.

In lege autem Moyſes mandauit, &c. Vide D. Tho. 3. par. q. 29. ar. 1. ad 4. & in 4. ſenten. diſt. 30. q. 2. ar. 1. quæſtiũ. 2. ad 4.

Quid de adulterio ſenſerint philoſophi, lege Vincentium Belluacen. Specu. Doctri. lib. 4. cap. 162.

Si agere voles de caſtitate coniugali, conſule D. Auguſt. de tempore ſermo. 243. 244. & 245. inter medium ac finem to. 10.

Quod iſti adeò præcipitanter & inconſiderate mulierem iſtam adulteram producerent in publicum, vt puniretur, ex quadam animi crudelitate ferina proueniebat. De quo crudelitatis genere aliqua ſtatui referenda.

De crudeliſſimo quodam Imperatore refert Seneca, quod cum cuiuſdam filium haberet in vinculis, & pater pro eo magnis precibus ac ſæpè repetitis intercederet: is quidem Imperator, crudelitate ſua & immanitate vſque adeò debacchatus eſt, vt filium ſtatim interfecerit, & ad eum coctũ, patrem inuitauerit, edereq́ue de filij ſui carne ſub hac interminatione coegerit, quod ni id faceret, alium etiã eius filium, quem ſuperſtitem & vnicum habebat, ſtatim iuberet interfici. De Priamo item ſcribit idem Seneca tale quidpiam, nempe q̃ patrem quẽdam compulerit de ſui filij dextra comedere, neſi ſecus faceret, filium ei alterum interficeret. Lege Senecam lib. 2. de ira cap. 33.

Exemplũ immanc.

Cùm cœnaret aliquando vt refert idem Seneca, apud Vædium quendam Pollionem Auguſtus Cæſar, fregiſſetq́ue vas quoddam cryſtallinum vnus ex ſeruis eius, ad mortem eum ſtatim abripi Pollio iuſſit, & mortem quidem crudeliſſimam: nam à murænis comedẽdum adiudicauit in piſcina quada. Cæterum cum puer forte ex tortorum manibus effugiſſet, & ſupplex prouolueretur ad Cæſaris Auguſti pedes, eum rogauit vt ſaltem alij mortis generi traderetur. Cum autem reſciuiſſet Cæſar tam crudeliſſimum & inauditum mortis genus, commotus vehementiſſimè crudelitate atrociſſima, Pollionem acriter reprehendit, quod pro re tam leuiſſima hominem damnaſſet: vaſaq; cryſtallina omnia confringi juſſit, & ex his repleri piſcinam. Adiecitq́ue tandem, ſe ſatis mirari nõ poſſe inurbanitatem, ſeu verius impudentiã Pollionis, quòd ſe præſente tantum ſcelus patrauiſſet tamq́ue crudeliſſimum. Vide Senecam lib. 3. de ira cap. 4.

Exẽplum tyranni.

Agens etiam idem Seneca de prædicto Pollione alibi, ait. O hominem mille cruciatibus digniſſimum! Siue quod tanta crudelitate ſeruos ſuos murænis

murænis deuorandos traderet, quas esurus erat: siue quod eas murænas idcirco conseruaret, vt tali pastu vescerentur. Vide Senec. lib. 1. de clementia ad Neronem cap. 18.

Crudelitas, ferina quædam rabies potius est, quam humano digna pectore: & qui ea vtuntur, in feram immanissimam degenerasse videntur, cũ sanguine, internecionibusque saginentur. Vide eundem lib. 1. de clementia ad Neronem cap. 24.

Crudelitas nil aliud est quam feritas quædam animi in exigẽdis pœnis & suppliciis. Multi quidem sunt qui non contenti hominum occisione, mille crudelitatis & cruciatuum immanissimorum genera in eis exercent. Nec est ista crudelitas modo, sed feritas quædam, cum talia sint voluptati ac delectationi. Vide eundem lib. 2. de clemen. cap. 4.

Magna crudelitas Iudith. 2. & 3. per totum.

Quantum crudelitas Deum offendat Esa. 47. B. Iratus sum super populum.

Quantum adferat damni crudelitas 4. Reg. 15. D. interfecit omnes prægnantes.

Quare omnem omnino crudelitatem ex animo expellamus, & fratrũ nostrorum miseriis compatiamur, exemplo Abraham, qui ipsi Loth compassus est in miseram seruitutem arrepto, quamuis eæ omnes calamitates ei contigissent, cum ab Abrahamo discesserat, vt constat, Gene. 14.

Filij Israel ducenta millia mulierum, puerorumque captiuorum habentes, vestierunt, & liberos remiserunt, 2. Para. 28.

Rex ille Cyrus Danieli in lacu leonum, maximè compassus est, Dani. 14.

Compatiamur peccatoribus & eorum miseriis, sicut Samuel compatiebatur Sauli. 1. Reg. 15. Misereamur item eorum qui in nos aspera verba iactant, sicut Elias viduæ illius compassus est. 3. Reg. 17. Indigna quidem erat Hierusalem vt eius Christus compateretur, tamen fleuit super illam, Lucæ. 19.

Condoleamus afflictis & in angustia constitutis, Esa. 21. A. B. propterea repleti sunt.

Non cõpati afflictis graue delictũ Amos 6. B. & nil patiebantur super contritione Ioseph.

Compatiamur egenis si volumus vt Deus nostri misereatur, Zacha. 7. D. & facta est indignatio magna.

Miseris compatiamur, Iob. 30. D. flebam quondam super eo.

Mœstis commisereamur, Ecclesiastici 7. D. nõ desis plorantibus.

Compatiamur afflictis, Actor. 28. A. Barbari vero.

Condoleamus laboribus oppressis, 2. Cor. 11. G. quis infirmatur,

Pharisæi isti pecunia corrupti adulterum dimiserant, quod scelus pestiferũ quidem est in his qui iudices sunt, Hoc quidem vitium incurrerũt filij Samuelis, quos iudices populi pater constituerat: hi enim acceptis muneribus, iustitiam nõ seruabant, & propterea à suis officiis per eundem etiam patrem depulsi sunt, vniuerso populo petente, vt constat 1, Reg. 8. Optabat etiam accipere pecuniam à Paulo præfectus ille Felix, vt patet Acto. 24.

Quemadmodùm ipsius piscatoris arũdo si pisciculus aliquis ei adhæreat, non inflectitur & incuruatur: sin autem ingens aliquis piscis adhæserit, statim inflectitur: ita planè si inciderit in manus peruersi iudicis pauper aliquis vir, cum eo vtitur talis iudex rectitudine iustitiæ, neque ab ea vsquã deflectitur; quod si causa agatur diuitis, videas illico, quia dolosi spes affulsit nummi, peruerti leges, & iudicia omnia depraui.

Quemadmodùm horologium quo æqualius distat ab omnibus vrbis partibus, eo præstabilius est, quia ab omnibus æqualiter auditur. Item fõs in media situs vrbe, commodiorem sese omnibus pariter exhibet ciuibus: & à centro etiam lineæ omnes ad circumferentiam ductæ, æqualiter distant. Ad eundem modum qui causas ipsas dijudicat, is necesse est, æquissimum sese omnibus exhibeat, neque magis in vnam quam in alteram partem propendeat, sed ius suum vnicuique tribuat.

Quemadmodũ regula vt ea probè mensuretur, operæ pretium est vt rectissima ea sit, ac minus curua: sic medius fidius iudex ipse vt integram ferat sententiam, atque accuratam, debet esse maxima rectitudine præditus, neque inflexus in prauitatem vllam.

Quemadmodũ mercator aliquis aut propola peruersus, duplicem habere solet mensuram, alteram quidem ad recipienda quæ emit, & eam certè latiorem & ampliorem: alteram verò ad vendẽdum, nempè breuissimam eam quidem & angustissimam: ita corruptissimus iudex alio vtitur iure, hoc est rigido, in pauperum sententiis ferendis, alio vero, hoc est deprauato, in diuitum causis decidendis.

Iudices praui qui diligentiam nõ adhibent ad veritatem inquirendam, Danie. 13. E. sic fatui filij Israël

Iudices inquit Michææ 3. audite principes Iacob.

Iudices negligentes & iniusti, Sapien. 6. A. audite ergo reges.

Qualis esse debeat iudex, Sapien. 12. C. tu autẽ dominator virtutis, &c.

Iudex non debet esse acceptator personarum, Prouer. 18. A. accipere personam.

Iudex non debet esse acceptator personarum, Eccles. 5. D. iustifica pusillum.

Iudex audire partes litigantes debet, Eccle. 11. A. priùs quam interrogas ne vituperes.

Iudex non debet corrumpi donis, Eccle. 20. D. Xenia & dona.

Iudex rectus esse debet, Exo. 23. A. pauperis quoque non misereberis.

Iudex audire prius partes debet, Acto. 24. per totum.

Iudex non debet pecunia corrumpi, Num. 22. D. surrexit Balaam.

Deprehensa est in adulterio. Vide quæso quãta essetolim adulteris pœna constituta, quandoquidẽ in conci. Vorma. cano. 9. dicitur hunc in modum. Si cuius vxor adulterium fecerit aut vir in alienã vxorem irruerit, septem annis pœnitentiam agat.

Non debet quidem duntaxat vxor id cauere, ne adulterium committat contra virum suum, neque vir contra vxorem: sed adhibere etiam debẽt maximam diligentiam, vt occasionẽ omnem amputent, quæ aliquid commercij cum adulterio habere videatur, vel ex qua malè vteruis possit suspicari; vt ita bonum nomen atque famæ integritatẽ vterque conseruet. Ad quam quidem famam conseruandam, & posteritati propagandam, nos etiã philosophi cohortantur. Siquidem Pythagoras dixit, Quæ nefas est facere, ne suspectus habearis quasi faciens. Æschines, vitam adeò puram ducito, vt ne in suspicionem quidem criminis incurras. Thales, laudatus esto apud omnes. Isocrates, conare monumenta virtutis post te, magis quam corporis imaginem relinquere. Menander, nitere tibi ipsi gloriam relinquere. Isocrates, non committe vt natura tua simul vniuersa intereat: sed cum corpus mortale tibi contigerit, animus vero immortalis; conare immortalem animi tui memoriam ad omnem posteritatem propagare. Epictetus, si cupis bene audire, disce benedicere: doctus autem bene loqui, conare rectè agere: atque ita perfrueris bona fama.

Quod mulieres ipsæ sint adulteræ, fit, postmodum vt homicidæ interdum sint liberorum suorũ siue in vtero, siue susceptis liberis post vterum. Quod grauissimum crimen vide quantopere detestetur concilium Ancyranum, seu Anchyritanũ, vt dicitur à Gratiano in decretis, vel vt alij, Anquiranum. Nam ita habet: de mulieribus quę fornicantur & partus suos necant, sed & de his quæ agunt secum vt vtero conceptus excutiantur: antiqua quidem definitio est, vsque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remoueri: humanius autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus tribuatur. Item in Conci. Constan. 6. sub tribus Pontificibus celebrato, aduersus Sergium & alios hæreticos, in canon. 91. dicitur: quod quæ pharmaca procurant abortus facientia, & quæ venena suscipiunt partus perimentia, pœna occisoris accusentur.

Magister, hæc mulier, &c. Nimius amor sui, & suorum operum, quæ eis videbantur præclara, atque maxima simul negligẽtia proprtiorum defectuum & peccatorũ, efficiebat vt isti Pharisæi vsq; adeò soliciti essent in alienis factis explorãdis: in quod vitium hoc etiam tempore innumerabiles homines labũtur: qua de re vide D. Chrys. in quodã ser. qui inscribitur, de pœniten. & confess. to. 5.

De cura & solicitudine quã in vita ac moribus nostris componendis adhibere debemus, haud omnino explorãdo alienos defectus, vide Vincen. Bell. spe. doctr. lib. 5. cap. 40.

Quod adeò inhumani & immisericordes essent Pharisæi, idcirco huc veniebant, vt facilè cæteros accusarent: contra quod teterrimum vitium. vide D. Greg. lib. 20. Mora. cap. 26. & D. Chrysost. serm. Ne scandalum cuiquã fratrum ponamus. to. 5.

Hæc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Volebant isti tentatores accusare non minus Christum & calumniari, quam mulierem calumniati fuerant. Si igitur differere voles quod nusquam non obuij sint calumniatores: in aliquos tibi fontes digitos intendam.

Calumniatorum magna est copia Tobiæ 1. D. vbi nuntiatum est regi.

Calumniatores multi Esther 3. A. nuntiauerũt Aman.

Maligni homines vitæque alienæ insidiatores, nusquam desunt Danie. 6. viri ergo illi curiosius inquirentes.

Quo claudantur fine calumniatores, Danie. 6. F. adducti sunt viri illi.

Nusquam non calumniantes, 1. Reg. 21. C. erat autem ibi vir.

Quales sint proprietates talium hominum, 1. Reg. 22. B. vidi filium Isai.

Calumniatores vbique obuij, 1. Reg. 23. C. ascenderunt autem Ziphæi.

Plurimi iniqui accusatores, 1. Reg. 26. A. venerunt Ziphæi.

Quid criminatores iniusti faciant, 2. Reg. 17. D. vidit autem eos quidam puer,

Complures existunt calumniatores, 1. Esdræ 4. per totum.

De malignitate & peruersitate hominum prauorum, vide etiam Vincen. Belluacen. specu. doct. lib. 4. cap. 132.

Iesu autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Antequam suam proferret sententiam, inclinauit se, & digito scribebat in terram: vt nobis ostendat quod antequã iudicium feramus de proximo; ad veritatis inuestigationem condescendere & animum inclinare debemus, & discretionis digito singula ad rem propositam attinẽtia prius discutere, alioqui rectè iudicare non possumus si prætermissa indagatione veritatis & examine diligenti, præcipiti & inconsiderato animo, proximum in publico iudicio aut absoluimus aut damnamus. Cognouit vtique Deus Sodomitas & Gomorrhæos tanti criminis esse reos, cuius oculis absconditũ est nihil. Descẽsurum tamen se & visurũ rei veritatem dixit, quo nobis ostendat exactatrutina prius discuntiendam esse causam, quã feratur sententia in aliquem. Idem quoque Mosaica lege caueri, accuratam scilicet inquisitionem de obiecto crimine, præcedere debere iudicium & damnationem in reum ferendã, innuit paulò superius Nicodemus, vir prudens & maturus, cum in Pharisæorum concilio atq; confessu dixit. Nũquid lex vestra iudicat hominẽ, nisi prius audierit ab ipso & cognouerit quid faciat? Quinimo & apud Romanos iustitiam Dei ignorantes, illum etiam morem seruari, quod in nullum ferri debeat sententia damnationis, nisi prius discussa fuerit exactius causa illius, ostẽdit Portius Festus præses Iudææ à Romanis constitutus, cũ principibus sacerdotum & senioribus Iudæorum postulãtibus aduersus beatum Paulum damnationem, respondit. Quod non est Romanis consuetudo donare aliquem hominẽ, id est aliorũ volũtati permittere ad sumendũ de eo supplicium inferendamque punitionem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obiiciuntur. D. Cyrillus super Ioan. lib. 5. cap. 16.

Digito scribebat in terra. Quod frequenter facere solent, qui respondere nolunt importuna indignaque rogantibus, scilicet in terra, nec his attendere quæ dicebant. Vide Euthymium super Ioannem.

Quod iudex nõ debeat sese præcipitare ad sententiam ferendam, vide etiam decreta quædam Papæ Eucaristi epis. 2.

Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat. Iussit inquit, Moses adulteras lapidari secundum legem, sed ab his duntaxat qui sunt obseruatores legis, non præuaricatores. Non enim fas est, neque iura sinunt, transgressionem legis ab eiusdem trãsgressoribus vindicari. Qui ita que ex vobis sibi cõscius est quod legem nõ violauerit, quod nihil contra legem admiserit vnquã, primum in eam iaciat lapidem. Nõ prohibebo lapidari mœcham, sed nolim id ab iis fieri, qui non minus quam ipsa, aut grauius legem conculcauerint. D. Cyril. super Ioan. lib. 5. cap. 16.

Plerumque nos cum rectitudinem iustitiæ exequimur, mansuetudinem relinquimus, & cum mansuetudinem seruare cupimus, iustitię rectitudinem reclinamus. Dominus autem in carne veniens, simplicitatem cum rectitudine tenuit, quia nec in mansuetudine districtionem iustitiæ, nec rursum in districtione iustitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Vnde cum quidam deducta adultera hunc tentare voluissent, vt in culpam, aut immansue

mãſuetudinis aut iniuſtitiæ laberetur, ad vtraque reſpondit,dicens : Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Dat ſimplicitatem manſuetudinis:Qui ſine peccato eſt veſtrum: dat zelũm iuſtitiæ:primus in illam lapidem mittat.Vide D.Greg.lib.1.Mora.cap.10.

Hic incidit quæſtio, vtrum iudex in peccato exiſtens,peccet ferendo contra alium ſentẽtiam, qui in eodem peccato exiſtit.Et licet manifeſtum ſit quod iudex ſi publicè in peccato exiſtens ſententiam ferat,peccat ſcandalizando,nihilominus tamen hoc idem videtur ſi ſit in peccato occulto. Nam Romano.2. In quo alium iudicas, teipſum condemnas. Conſtat autem quod nullus cõdemnat ſe niſi peccando.Ergo videtur quod iudicãdo alium peccet. Reſpondeo dicendum quod in hoc vti oportet duplici diſtinctione. Aut enim iudex perſeuerat in propoſito peccandi, aut pœnitet ſe peccaſſe.Item aut punit vt legis miniſter,aut motu proprio.Et ſiquidem pœnitet ſe peccaſſe, iam peccatum non eſt in eo,& ſic abſq; peccato ſentẽtiam poſſet ferre.Si autẽ eſt in propoſito peccãdi, aut profert ſententiam vt legis miniſter,& ſic non peccat ex hoc quod ſententiam profert, quamuis peccet ex hoc quod talia fecit quibus dignus eſt contra ſe ſimilem ſententiam recipere. Si autem proprio motu, dico quod proferendo ſententiam peccat,cum non moueatur ad hæc amore iuſtitiæ ſed ex aliqua mala radice,alias primo in ſe puniret quod animaduertit in alios : quia hoc dicitur in Prouerb.Iuſtus prior accuſator eſt ſui. D. Tho. ſuper Ioan,8.lec.1.

O reſponſio ſapientiæ,quomodo eos intromiſit in ſemetipſos ? foris enim calumniabantur, ſeipſos intrinſecus non perſcrutabantur:adulteram videbant,ſe non perſpiciebãt, & hoc calumniando,non verè,tanquam adulteram à caſtitate damnando.D.Aug.ſuper Ioan.tract.33.to.9.

Qui ſine peccato eſt,&c. Vide Hugo de Victo. in Annot.in D.Ioan. Euang.to.1.

Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in terra. Ex more vultum alio vertens, vt illi liberiorem haberent exeundi fiduciam, quos præuidebat citius exituros, quam plura interrogaturos.Quid autem primo ſe inclinãsDominus ſcripſerit in terra,& quid ſecundo,non explanat Euangeliſta, neque promptum eſt cuiquam id definire.Quamuis nõ deſint qui affirment dominum hac ſecunda inclinatione notas quaſdam terræ inſcripſiſſe, quibus quiſque accuſantium ſua oculis coram conſpiciebat peccata,& menti obiecta cernebat.Vnde robore ſuffuſi & pudore affecti, facilè cognoſcebant ſe non peccati immunẽ vitam agere, & ad diſcẽdum potius quam ad acrius inquirendũ ex hoc incitatos eſſe.Cæterum docet hac ſecunda inclinatione ſua & inſcriptione Dominus, nos antequã peccãtem fratrẽ corripiamus, & poſteà quã corripuerimus, ad intima noſtri cordis inclinari debere, & attentius ibidem inueſtigare an ſimili vitio quod in alio corripimus, aut fortaſſe grauiore laboremus. Quod ſi deprehenderimus, id humiliter in nobis primũ caſtigare debemus : & tunc demum cum mãſuetudine proximum corripere. Non enim rectè aliena reprehendimus peccata, ſi eiſdem aut maioribus grauemur, cum de talibus dicat Paulus.In quo alterum iudicas,teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas : qui prædicas non furandum,furaris:qui dicis non mœchandũ,mœcharis.D.Cyril.ſuper Ioan.lib.5.cap.16.

Digito Dei lex ſcripta eſt,ſed propter duros,in lapide ſcripta eſt. Nunc iam Dominus in terra ſcribebat, quia fructum quærebat.D. Auguſt. ſuper Ioan.tract.33.to.9.

Si quæratur quomodo ſcribebat, Dicendum quod non ſcribebat per ſingula:ſed diuina virtute potuit facere quod in aliqua figura ab eo protracta,quilibet eorum videret ſua propria peccata,& non alia,nec ab aliis videbantur.Lyranus ſuper Ioannem.

Rurſum inclinatus ſcribebat in terra', vt dum ipſe in eos non reſpiceret,erubeſcerent lenius redarguti,vtque ita illo in ſcribendo occupato,liceret eis ſenſim abſcedere, antequam manifeſtius condemnarentur.Euthy.ſuper Ioan.

Audientes autem hæc vnus poſt vnum exibant incipiẽtes à ſenioribus. Crediderim facilè ſeniores grauiorum ſibi malorum conſcios fuiſſe & reos, impletumq; in eis illud ſcripturæ,quod à ſenibus egreſſa eſt iniquitas, & propterea vehementiore affectos verecundia primum egreſſos fuiſſe, quos tanquam duces & primores, cæteri minores ætate comitati ſunt.D.Cyril.ſuper Ioan.lib.5.cap. 17.

Admonet locus iſte nihil cõtra nos facere poſſe ſceleratorum conſilia, ſi Deum propitium habeamus.Nil enim nocuit Dauidi conſilium Achitophelis: nec Ioſeph conſilium ſuorum fratrum, vnde enim exiſtimabant eius ſplendorem maculare,nomenq; extinguere, inde confuſi ſunt. Ita etiam ait dominus per Hiere. bellabũt aduerſum te, & non præualebunt: quia ego tecum ſum. Et Iob, Deus cõprehendit ſapientes in aſtutia eorũ, & conſilia prauorum diſſipat. Salomon ait, non eſt conſilium cõtra Dominum.Dauid etiam, Dominus diſſipat conſilia gentium. Et quãuis viri iuſti videantur aliquãdo ab impiis ſuperari, ſemper tamen de iniquis triumphant:vtChriſtus de Phariſæis ſemper triumphum reportauit. Cæterùm cum Philiſthini aliquando Hebræos propter eorum ſcelera ſuperaſſent,Deiq́ue arcam in templũ idoli ſui intuliſſent, euenit vt ſurgentes diluculo altero die Azotij, inuenerint Dagonem Deum ſuum iacentẽ in terra ante arcam, & alio die, ſciſſum & confractum, quando exiſtimabant arcam Dei eſſe victam,abiectam, atque ſubiectam idolo ſuo.Et profecto ita ſe res habet, quod quẽadmodùm fluctus maris ingentem duramq; rupem ferientes, ibi tantum illiduntur, nil aliud valentes quam ſeſe frangere & in ſpumas inanes conuertere,manente rupe immobili & ſtabili : ita qui iuſtum ac pium hominem volunt impugnare, ſpumas ſuæ iracundiæ inuidiæque oſtendant duntaxat, ſicut in ſuperbo illo Aman patet Eſther 7.ſed tamen bonos viros ac inſontes lædere | nequaquam poſſint.

Multi doctores affirmant quod Chriſtus Dominus ſcribebat in terra characteres quoſdam, in quibus quiſque ex Phariſæis & ſcribis ſua expreſſa videbat peccata. Itaque propria eos accuſante conſcientia, vnus poſt vnum exibant. Si velis hic igitur differere quod propria cuiuſque cõſcientia quemque accuſet,& alia huiuſmodi hac de re tractare, aliqua ſubiiciam.

De diuerſitate conſcientiarum & earum proprietatibus,vide Laur.Iuſti.lib.de contẽptu mundi cap.3.circa medium operum.

Propria conſcientia noſtra iudex erit in die extremi iudicij,videD.Bernard.lib.de interio.domo cap.31.circa finem operum.

Quod nihil ſit grauius nihilque moleſtius mala conſcientia, lege eundem eodem libr. cap. 44. 45.&c.

Quod vnumquemque propria accuſet conſcientia

ſcientia vide Vincen. Bellua. ſpecu. doctri. libr.5. cap.35.

Quemadmodum ex ventriculi oppletionibus propter nimium cibum contractis, graues ſolent generari morbi, vt capitis dolores, infirmitates articulares,& alię id genus, quib. affectus homo, viuendo moritur.Sic plane ex vita incompoſita & diſſoluta, atque ex minima cura componendi cogitationes noſtras,dictaque & facta, talis exurgit ſpiritalis oppletio ſtupor prauæ conſcientiæ, vt homo corpore viuens, animo mortuo verſetur in ſeculo:quandoquidem eum vndique mala premunt,tortores vexant,calamitates vallãt, & denique noctęſque dieſque excruciant.Quod contigit iſtis phariſæis, quibus vel oppoſita tantum ante oculos peccata,fugam ſtatim perſuaſerunt.

Quemadmodum pro lunæ ipſius varia mutatione,varij etiam excitari ſolent in mari motus, nunc influxus, nunc refluxus : nunc calamitates, nunc procellæ:ſic profecto ex deprauata conſcientia oriuntur lites,ſuſcitantur odia, gignuntur inimicitiæ, proficiſcuntur interneciones, & omnia denique omniũ genera malorũ Hinc enim vt cætera miſſa faciã exẽpla promanabat,quod Phariſęi iſti ad Chriſtum accederent conturbati, tumultuantes,crudeles, calumniantes, duplici animo, effricta fronte atque procaci. Sed tamen ſtatim ficus eorum animus atque calumnia euanuerunt. Nam detectis eorum ſceleribus,atque ante oculos expoſitis, continuo vnus poſt vnum exibat.

Et remanſit Ieſus ſolus, & mulier in medio ſtans erigens autem ſe Ieſus,dixit ei.Mulier vbi ſunt qui te accuſabant ? nemo te condemnauit ? Non intelligendum quod Chriſtus remanſit ſolus ſimpliciter cum illa muliere, quia remanſerunt cum illo diſcipuli, & multitudo populi:ſed remanſit ſolus à ſuis calumniatoribus.Lyranus ſuper Ioannem.

Quæ dixit,nemo domine. Vide quantopere huic mulieri Chriſtus faueret, quæ tam humiliter reſponderet:cum videret eam tantopere afflictam,vt inde diſcamus compati & impotentibus : quod olim in hæc verba pulcherrima,in hoſque numeros,modulatus eſt Phocylides : lapſo redde manum,miſerum ſeruato virumque.

Compati afflictis debeamus, quandoquidem id Deo maxime placet Abdie 1. D. & non deſpicies in die fratris tui.

Dixit autem ei Ieſus:nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare. Itaque vbi reſpondit mulier ſe à nemine cõdemnatam eſſe,illico neque ſe eam cõdemnaturum promiſit,& benignitatis ſuæ dulcedine abſolutam abire iuſſit,id ſolum ei iniũgẽs, quod amodo ſibi à peccato caueret,& ne in priora relaberetur mala,ſummo ſtudio vigilaret. Nam in caſſum ſumitur medicina, ſi poſt inſtauratam ſanitatem, per vitæ incontinentiam qui conualuit in priſtinum incidit morbum : quinimo relapſus in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet, & exitio propior, quam prior ille languor : & quos prima valetudo aduerſa non extinxit, ſæpius iterata poſt redditam incolumitatem ęgrotatio,ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitẽtiæ medicamentum ſumitur,ſi poſt eam peractam,ad præteritæ vitę ſordes redditur.Hæc enim ſecũda admodũ periculoſa eſt animæ febricitatio.Proinde dominus noſter languido qui octo & triginta annos decubuerat infirmus, iam ſanato,& iuſſo tollere grabatũ ſuũ, atque ambulare,deinde dixiſſe legitur.Ecce ſanus factus es,iam amplius noli peccare,ne deterius tibi contingat. Quibus ſane verbis ſignificauit,per peccati iteratiõẽ hominem in dęteriora prolabi mala.Quid prodeſt obſecro,ſtudioſe veſtes abluere,& lotas rurſum luto inquinare? Quid lauare manus, & ablutas iterum contaminare ſordibus? Sicut ſus lota, dicit ſapiens,in volutabro luti, ita ſtultus qui iterat ſtultitiam ſuam : eſt enim vt canis,qui reuertitur ad vomitum ſuum.Audi Eccleſiaſticum hãc peccatorum iterationem grauiter damnantẽ?vnus ædificans,& vnus deſtruẽs, quod prodeſt illis niſi labor?vnus orans, & vnus maledicens,cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur à mortuo,& iterum tangit mortuũ,quid proficit lauatio illius?Sic homo qui ieiunat in peccatis ſuis,& iterũ eadem faciẽs, quid proficit humiliando ſe ? vxor Loth cõuerſa retrò ad Sodomã à qua diſceſſerat, iuſtatuã ſatis mutata eſt,& inde ſumendum nobis eſſe exemplũ,ne ad deploratas reuertamur peccatorũ illecebras, admonuit dominus. Memores inquit eſtote vxoris Loth. Semei primæ offenſionis in Dauid impetraſſet veniam, & iuſſus eſſet muros vrbis Hieruſalem non excedere,quia ſecundo deprehenſus eſt, deliquiſſe, & mandatum regis neglexiſſe, morte multatus eſt. Quid aliud nobis hic Semei caſus, innuit, niſi timendam eſſe & grauiter formidandam Dei iram,ſi iterum atque iterum eadem perpetramus flagitia?filij Iſrael in deſerto ſuſpirantes poſt ollas carniũ Ægypti,& panem in ſaturitate mãducatũ, quibus in mentem venerũt pepones,cepe,& allia, proſtrati ſunt ab ira Dei. Qui dixerunt, conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum: profligati ſunt ab hoſtibus,illorum gerentes typũ qui virtutis iter ingreſſi, ad præteritæ vitæ tenebras pedem retro ferre laborant.Nemo enim mittens manum ad aratrum,& aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.D.Cyrillus ſuper Ioan.lib.5.c.17.

Abſoluit eam à culpa non imponendo ei aliquam pœnam,quia cum abſoluendo exterius, iuſtificaret interius,bene potuit eam adeo immutare interius per ſufficientem contritionem de peccatis,vt ab omni pœna immunis efficeretur. Nec tamen trahendum eſt in cõſuetudinem vt aliquis exemplo domini abſque confeſſione & pœnæ inflictione quẽquam abſoluat,quia Chriſtus excellentiam habuit in Sacramento,& potuit conferre effectum ſine Sacramento,quod nullus purus hõmo poteſt.Diuus Thom.ſuper Ioan.8.lect.1.

Nec ego te condemnabo. A quo te forte damnari timuiſti,quia in me peccatũ nõ inueniſti : nec ego te condemnabo.Quid eſt domine?faues ergo peccatis ? Non plane. Ita attende quòd dicitur. *Vade, deinceps iam noli peccare.* Ergo & dominus dãnauit, ſed peccatum,non hominem : nam ſi peccatorum fautor eſſet,diceret, nec ego te condemnabo, vade,& viue vt vis, de mea liberatione eſto ſecura, ego quantumcunque peccaueris, te ab omni pœna etiam gehennæ,& inferni terroribus liberabo. non hoc dixit:intendant ergo qui amant in domino manſuetudinem,& timeant veritatem:etenim dulcis,& rectus dominus.Ama quod dulcis eſt,time quod rectus eſt:tanquam manſuetus dixit, tacui:ſed tanquam iuſtus. Nunquid ſemper tacebo? D.Auguſt.ſuper Ioan.tracta.33.to.9.

De muliere in adulterio deprehenſa vide Hugonem de ſancto Victore lib.1. Allego. in Ioann. to. 1.c.8.

Super epiſto.& Euange.duos habet ſer.D.Antoni.initio.1.par.Theo.

Vide eundem 1.par.hiſto.tit.5.c.3.§.5.

Vide Vincen. Belluacen Specul. hiſto. lib. 7. cap.34.

Quoniam hæc hiſtoria mulieris adulteræ non

repetitur in antiquis archetypis græcis, ideo nullum de ea verbum D. Chrysosto. & similes interpretes habent. Vide Albertum Magnum super hoc Euange.

Multa alia sparsim tractare poteramus, vt de prædicatoribus, quod debeant se oratione munire exemplo Christi, antequam ad prædicationem accedant; nam is ab oratione facta in mõte, veniebat ad prædicandum in templum. Idem de misericordia differere poteramus, quandoquidem de monte Oliueti descendebat. Tum præterea tractari fusius poterat quod iudices antequam aliquid decernant, debent diligenter audire partes litigãtes, & maxima vti prudentia, inuestigatione, ac consideratione. Sed his omissis, pauca quædam de relapsu in peccatum exaremus.

Amplius noli peccare. Si voles ergo agere quam lethalis sit relapsus in peccatum, vide D. Ber. lib. de interi. Domo. c. 34. & incipit, sed heu miser, circa finem operum.

Quam pestifera sit reincidentia Iere. 2. G. quam vilis facta nimis est iterans vias tuas.

Relapsus in peccatum detestabilis Iere. 11. B. reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum.

Reincidentia quantum noceat, vide in Prolo. 1. super Amos, de qua re etiam agitur in 1. eiusdem propheræ cap.

Relapsus vehementer Deo displicet, quandoquidem propter eum tantopere minatur Niniuitis Nahum. 3. A. B. væ ciuitas sanguinum.

Reincidentia lethalis Eccles. 21. A. fili, peccasti? non adiicias iterum.

Quantum noceat relapsus in peccatum Eccles. 34. D. qui baptizatur à mortuo.

Plurimum officit labi iterum in peccatum 3. Reg. 2. D. detur Abisag.

Noxia valde reincidentia 3. Reg. 2. E. fugit ergo Ioab.

Calamitosus relapsus 3. Regum 2. G. surrexit Semei.

Reincidentia noxia Matt. 12. D. cum autem immundus spiritus.

Vide denique aliqua ad hoc Euangelium spectantia, apud Bernar. sermo. 3. in Annunciatio. Domi.

Dominica quarta Quadragesimæ.

ABIIT Iesus trans mare Galilææ quod est Tyberiadis, & sequebatur eũ multitudo magna: quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Ioannis 6. Matthæi 14. Marci 6. Luc. 9. Illud mare est quidam lacus magnus per quem transit Iordanis fluuius sed vocatur mare secundum modum loquẽdi Hebraicum, in quo congregatio aquarum vocatur mare, secundum illud Gene. 1. Congregationes aquarum vocauit maria. Vocatur autem mare Galilææ à prouincia iuxta quam transit: & vocatur mare Tyberiadis ex nomine ciuitatis, ædificatæ in littore, quæ antiqui tus Zenereth dicebatur. Sed ab Herode tetrarcha fuit reædificata & amplificata, & Tyberias vocata in honorem Tyberij Cæsaris. Lyranus super Ioann. 6.

Nolimus dilectissimi prauos & maledicos homines prosequi & insectari, sed eos & eorum malitiam toleremus, cum nil ab his virtus nostra offendatur, nil detrimenti accipiat: ita enim omnis eorum impetus frangitur. Et quẽadmodum sagittæ in durum aliquod signum immissæ, magno impetu huc illuc dispergũtur, mollius vero assecutæ, figuntur & desinunt; ita & maledicos & feros repugnando magis exasperamus, cedendo mitigamus facile, & eorũ mollimus insaniã. Idcirco Christus, cum audissent Pharisæi ipsum plures quam Ioannem discipulos habere, & baptizare, abiit in Galilæam, vt eorum inuidiam & furorem, quẽ ex se audito ortum credibile erat, extingueret. D. Chrysost. super Ioan. homi. 41, to. 3.

Deuenimus iam sensim fratres, in quartam huius sacratissimi temporis dominicam quæ vulgo dominica in Lætare appellatur: quia ab hac lętitię voce Missa huius Diei exordium cepit. Quid vero sibi vult hæc tã insperata ad lætitiã inuitatio? Musica enim in luctu importuna narratio esse perhibetur. Sed id in causa esse videtur, quod persuadeat sibi Ecclesia multos esse iã filiorũ suorũ, qui sacri huius temporis beneficio ad meliorem mentem redierint, & à peccati morte surrexerint. Et idcirco ait, gaudete in lætitia: non quidem omnes, sed hi solum qui in tristitia fuistis, quam mira diuinæ consolationis lætitia secutura est, dicẽte domino, beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Dignum enim profecto est vt consolationẽ gaudiumque percipiant, qui sic mœrore affecti sunt: quandoquidem tristitia quæ secundum Deum est, vt ait Apostо. pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Quod si cælestis pater propter perditi filij salutem, & vitulum saginatum occidi, & festũ diem in domo sua agitari præcepit: si ipsi angeli etiam in cælo gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis de sua pœnitens ipse gaudere debet salute? Quisquis igitur vere pœnitens es, vt D. Augu. ait, dole, & de dolore gaude: Dolor enim vulnerum, sanitatis indicium est. Sicut enim viride lignum in igne positum, simul & lachrymatur & ardet: Sic verus pœnitens simul & tristetur & gaudeat. An non gaudere debet qui peccatum vicit & eius funes ac vincula rupit? Qui de diabolo triumphauit? qui eius à se iugum excussit? qui cum Deo in gratiam rediit, & à peccati morte ad vitã diuina ope reuocatus est? Sic enim pius pater frugi filio ait. Epulari & gaudere oportebat, quia frater hic tuus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Dignum itaque est vt qui seminastis in lachrymis, in exultatione metatis: & qui trãsistis per ignem & aquam: hoc est per ignẽ doloris, & lachrymas compunctionis, ad spei & lætitiæ refrigerium perducamini.

Et sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa. Quod si propter hoc iure reprehenduntur, merito eos quoque reprehendendi sumus, qui idem pene quotidie designamus. Constat enim omnia naturæ beneficia, atque adeo totum huius mundi fabricam, ad hoc potissimũ institutã fuisse, vt tanti operis contemplationẽ in cõditoris & benefactoris nostri admirationẽ & amorem raperemur: deinde etiã vt eius opera atq; iugi ministerio corporis necessitatibus prouideremus. Consilium itaq; domini fuit, hisce rebus velut inescare nos, vt bonis corporis quorũ tam auidi sumus allecti: fidẽ simul & amorẽ in pectore nostro nutriremus, & è corporis ad animæ salutem per hæc ipsa transitũ faceremus. Sed quid nos tãdem facimus? adeo terrenis rebus addicti sumus, adeoque præpostere rebus cõditis vtimur: vt ea solũ quæ corpori salutaria ac cõmoda sunt auidi cõsectantes, quæ mẽti salutẽ adferre possunt, tanquã inania & nil ad nos pertinentia, respuamus, cum tamẽ horũ gratia cætera omnia fuerint instituta. Qua in re infidelibus seruis persimiles esse videmur, qui cum satis amplam à domino suo mercedẽ seruiẽdi gratia percipiant

piant, mercede quidem ipsa potiũtur, sed omnem tamen seruitij curam à se prorsus abiiciunt. Hoc igitur facimus quicunque omnibus Dei beneficiis, quæ cæli, terræ, marisque complexu continẽtur, ad reficienda corpora vtentes, ne oculos quidem in cœlum attollimus, vt tantorum munerum largitorem agnoscamus. Quodque longè grauius est, sunt & alij qui non modo pij benefactoris memoriam deponunt, sed ipsis etiã beneficiis in eius iniuriam abutuntur: quemadmodũ ipse per prophetam quæritur. Saturati inquit eos, & mæchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Itaque abundantia quæ illis domini beneficio cõtigerat, & quę ad donantis laudem inuitare debuerat iuxta quod scriptum est, edent pauperes, & satiabuntur, & laudabunt dominum qui requirunt eum: illis quidem non laudandi, sed luxuriandi & præcepta Dei violandi occasionem præbuit, dũ ventre vino epulisque distento, libidini atque voluptati pro Deo seruiunt. Quorum impudentia non video cui melius comparari possit, quam peruersitati Hanõ regis filiorum Amon quẽ cum Dauid honoris gratia propter amicitiã quam cum patre eius habuerat, legatis missis visitaret, & de patris recens defuncti morte condoleret: tantum abfuit vt gratiã pro gratia rependeret, vt legatos pro exploratoribus habẽs, rasa dimidia barba eorũ, præsciissisque ad medias vsque nates vestibus, turpissime fœdauerit, atq; à se cum insigni ignominia dimiserit. Huius igitur impudentissimi regis mihi similes esse videntur, qui diuinis beneficiis abutũtur: qui inde occasionem luxuriandi, superbiendi, Deũque offendendi sumunt, vnde illius colendi, obseruandi atque laudandi arripere debuissent. Videtis ergo fratres nos quoq; illis non admodũ dissimiles esse, quando vtique ex diuinis operibus tam auide quod corporis est quærimus, quod vero ad animæ salutem pertinet, omnino negligimus. Sic enim isti Christum sequebantur, non vt fidem eius tot signis conuicti perciperent: sed vt corpora dominicis dapibus saginarent.

Ne fidelis populus propter asperitatem Quadragesimalis abstinentiæ sub continuo labore deficeret, in hac mediana dominica quoddã recreatiõis solatium interponitur, vt anxietas temperata leuis sufferatur. Hodiernum enim officium totum est plenum lætitia, totum exultatione refertum, totum gaudio cumulatum. Lætare inquit Hierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eã: gaudete cum lætitia qui in tristitia fuistis, vt exulteris & saticmini ab vberibus cõsolationis vestræ. In quorum verborum clausula incunditas exuberat, gaud'um resonat, hilaritas inculcatur. Lætare Hierusaie: gaudete in lætitia, vt exulteris & satiemini. Representat enim dies iste charitatem post odium, gaudium post tristitiã, satietatẽ post famẽ. Charitatem post odium, vnde lætare Hierusalem, & conuentũ facite omnes qui diligitis eam. Gaudium post tristitiam, vnde gaudete cum lętitia qui in tristitia fuistis. Satietatem post famem vnde & satiemini ab vberibus consolationis vestræ. Hæc tria pariter designantur in tribus proprietatibus huius floris, quem vobis visibiliter præsentamus. Charitas in colore, iucunditas, in odore, satietas in sapore. Rosa quippe quæ cæteris floribus colore delectat, odore recreat, sapore cõfortat. Delectat in visu, recreat in olfactu, confortat in gustu. Vide Innocen. 3. in quodam serm. de hac Dominica, vbi mire disserit super hoc argumento &: & applicat ea ad officium hodiernum, nactus occasionem ex eo quod Romanus pontifex florem aureum hac Dominica fidelibus populis repræsenter.

Euangelistæ in textu præcedente hodiernum Euangelium, cõmemorat qua ratione fuerit interfectus Baptista ab impurissimo Herode. Quod quidem nuntium vbi fuit delatum ad Christum dominum illud vehementissime sensit, abiitque in desertum locum, quem cum turba maxima secuta esset, hoc hodiernum præstitit miraculum. Non tanta benignitate se multi principes, viri hoc tempore conueniri patiuntur, ab iis qui difficultate aliqua aut indigentia premuntur, cum aliquo nũtio acerbissimo accepto, se insolitudinem aliquam retulerint. Vbi vix præter aliquot domesticos eosque coniunctissimos, alios recipiunt, dum temporis longinquitate, quæ miserrima hominum conditio est, doloris acerbitatem possint aliqua ratione mitigare. Quod si eorum aures, eorumque benignitas tunc afflictis atque egentibus pateat, patẽt tamen per cubicularios, per multos ministros, ita vt eorum aspectus vix vnquam eo tempore patere nisi intimis familiarib. & propinquis possit. Noster autem seruator & diuinæ fortitudinis exẽplar eodem & non mutato vultu ad se venientes laudatissimo & benignissimo conuiuio excipit.

Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. erat autem proximum Paschа dies festus Iudæorum. Quia hæc terrena non satiant imo qui biberit ex hac aqua sitiet iterum, spiritualia vero satiant, ideo dominus ad altiora cum discipulis ascendit, vt ostendat, in spiritualibus satietatem & perfectionem iustitiæ inueniri. De quo monte dicitur in Psal. 67. mons Dei mons pinguis D. Thom. super Ioan. 6. lect. 1.

Erat autem proximum Paschа, &c. Vide D. Tho. 3. p. q. 46. ar. 9. ad 1. & q. 74. ar. 4. ad 1. & in 4. sen. dist. 11. q. 2. art. 2. quæstiũ 3. & super illa verba Ioan. 13. ante diem festum Paschæ.

Permagna quidem in monte à Deo hominibus beneficia impertita sunt: nam in monte ipsi Moysi lex data fuit: in monte etiam datum est Euangelium, in monte Christus dominus transfiguratus est, in monte præcepit Deus Abrahæ vt filium immolaret, in monte Christus mortem passus est: à monte denique in cælum ipsum conscendit: vt inde discamus nos debere in montem scandere laborum ac contemplationis, sic vpimus à Deo beneficiis decorari.

Designatur quidem in ascensu in montem quod semper debeamus ascendere de virtute in virtutem, vt tandem euadamus in viros perfectos: quo loco non incommode agere poteris de ipsa perfectione, quantopere à nobis appetenda sit, connitendumque vt ad eam sensim deueniamus, diuina implorata ope.

Non vno statim conatu ad perfectionem pertingimus, vel ad eius culmen conscendimus: sed veluti per gradus quosdam eodem peruenitur, quemadmodum & in artibus ac disciplinis cõtingit, vt sensim paulatimque ad summa scandamus. Vide Laurentium Iustinianum lib. de obedientia c. 27. circa finem operum.

Quo pacto ad perfectionis statum deueniatur lege eundem lib. de humilitate cap. 8. circa finem operum.

Semper in virtute magis magisque proficere debemus inquit Seneca, neque enim exiguis quibusdam progressibus contenti esse debemus, aut existimare quod illico optimum sit, pessimis esse meliorem. Vide Senecam lib. 11. epist. ad Lucili. epist. 80. inter medium ac finem.

Non vacat mysterio quod à tanta opificum & architectorum multitudine, tantaque diligentia adhibita, tam varia præparata materia iam inde à multis annis, non valuerit tamen magnificentius & breuiori tempore Salomonis templum constitui præsertim cum hoc tempore, si cui omnia illa supperterent, is longe excellentius extrueret templū minori temporis curriculo. Siquidē insinuari videtur quam impotentes olim illi Hebræi in lege essent per legem suam: quamque nos per Euangelium potentiores facti simus, vt iam non liceat nobis expectare ad cælestis regni ianuam ingrediendam, si feliciter vixerimus, tam longissimū tēporis spatium; habeamusque mirā quādā cādemq; compendiosissimam viam, ad perfectionē nos statim introducentem. Quod si forte dicas in causa fuisse quod minus breuiori tempore templum illud ædificaretur, quod scilicet in eo audiri nō possent malleorū ictus aut huiusmodi strepit⁹, &propterea alioqui esse materiem ipsam comportandam: id quidem videtur leue refugium, cum non tantopere alter distaret locus, & facile elaborata omnia possent mira tēporis breuitate inferri. Cæterum ô deplorandam socordiam nostram, quibus cum affatim omnia suppeditentur, non tamē contendamus vehementi quodam conatu, sed maxime remisso, atque etiam sępissime nullo, ad perfectionis alta & sublimia! Næ si prisci illi patres, Abrahamū dico, Isaac, Iacob, Iob, Noe, Mosen & cēteros heroes, ac sanctissimos viros, contemporarij nobis nunc conuixissent: neruosius etiam multo ad omnem virtutem ac probitatem cōtendissent, & non dicam nos quamuis maxime excitatos, sed seipsos etiam in dies magis magisque exuperassent & euicissent.

Quemadmodum in rebus naturalibus dantur causæ & effectus, sic etiam in rebus ipsis spiritualibus: & sicut in ipsis naturalibus quo proprius accedit effectus ac causam suam, eo magis particeps fit virtutis ipsius causæ, vt quo calor propinquior est igni, eo intensior inuenitur. Ita plane quo Christianus vicinior Christo fit: seque magis ad eius imitationem componit tantò splendidor existit, ornatior atque perfectior.

Sicut flamma quæ sursum tendit, quærens locum suum conseruantium, quo altius ascendit, eo magis in seipsam retrahitur, cogitur, & validior fit, quēadmodū si digitū admoueris experientia te ipsa docebit: ita quo quis altius in montem conscendit perfectionis, eo magis ipsi Deo coniungitur ac robustior efficitur cum vicinior fiat loco suo conseruatiuo & conseruatori suo, nempe Deo, qui scalam ipsam tenet per quam conscendimus, & ascendentes omnes suauissimo complexu excipit atque osculo.

Perfectos nos esse vult Deus Apoca. 2. A. sed habeo aduersum te pauca.

Non debemus contenti esse virtutibus quas habemus, sed quotidie ad alias atque alias cōtendere Apo. 3. A. non enim inueni opera tua.

Et ibi sedebat cum discipulis suis. In eo quod Christus sedet cum discipulis suis in montis culmine, significatur perseuerantia in virtute & perfectione ipsa: atque monemur quod in virtute perseuerantēr ac constantissime versari debeamus.

Perseuerare in vita honestissima, insigne quidem est virtutis opus, vt facile variare, inconstantis animi argumentum est. Quare in virtute ipsa iugiter persistamus, & decentem etiam quendam nobis vitæ statum deligamus in quo perseueremus. Vide Senecam lib. 3. epist. epist. 20.

Perseueremus in laudabilibus felicibusque cęptis, quamuis nobis aliqua obiiciantur obstacula. Nehemias etenim non destitit ab ædificatione Hierusalem, quamuis multi contra eum insurgerent Nehemiæ 4. & 6.

Qui ab incæpto bono opere desistit, occasionē præbere videtur vt ludibrio habeatur: quēmadmodum Christus dominus sub parabola illius qui turrem ædificare cæpit, & eam minime perfecit, demonstrare videtur Lucæ 14. Etenim si eos deridemus qui corporalia ædificia inchoata non perficiunt, in quibus iustissima occurrere possunt impedimenta; quis non eos derideat qui felicia abrumpunt cœpta & studiosa, in quibus nulla possunt occurrere impedimenta quæ nostram omnino desidiam valeant excusare?

Non debemus retrocedere ab studioso itinere quamuis nobis multa incommoda occurrant. Tobias siquidem quamuis cæcitate percussus fuerit, non propterea seipsum virtute etiam orbauit Tobiæ 2.

Non commisit Daniel vt Deum suum non adoraret pro suo laudabili more, quamuis oppositum esset Darij regis edictum Danielis 6.

Considera firmum sanctumque propositum caste viuendi ipsius Ioseph, quamuis importuna & molestissima ei esset vxor sui heri atque procacissima Gene. 39.

Attende Susannæ constantiam in resistendo vitiis, cum tot ei adessent repugnantiæ & contradictiones Danie. 13.

Dauid quamuis reprehensus à fratre suo & dissuasus à Saule, non destitit tamen à suo præclaro incæpto: sed cum Philisthæo viriliter certamen iniuit 1. Reg. 17.

Coniice quæso oculos & mentem in sanctissimi illius Iob constantiam, quamuis tam multæ ei repentinæ obiicerentur calamitates Iob. 1.

Recordare constantiā ac perseuerantiam illius senis Eleazari in lege Dei sui, quamuis multis contradictionibus & repugnantiis vrgeretur 2. Macha. 6.

Perpende admirabilem illam & omni laudum genere prosequendam, matris septem Machabæorum constantiam, & ipsorum etiam liberorum 2. Macha. 7.

Perseuerantiam habuit & quidem maximam, cæcus ille illuminatus à Christo, cum inter tot tantosque aduersarios, partes Christi diligentissime ageret Ioan. 9.

Vide præterea constantiam ipsius Mardochæi eo quod nunquam voluerit ipsum Aman adorare Esther 3. & denique firmitatem ac perseuerantiam trium puerorum Dani. 3.

Simarchus quidē Puluillus cum phanū quoddam extrueret Ioui, Iunoni, atque Mineruæ, vt refert D. August. nonnulli inuidentes honori & famæ eius quam ex tali opere futuram esse perpetuam arbitrabantur, falso nuntiarunt ei filium è vita decessisse, vt statim opere relicto eius funus procuraret. At vero etnicus ille retulit, se non valde de filij obitu sollicitari, sed male in opere cæpto perseuerare, ex quo maiorem vberioremque laudem esset relaturus. Multo ergo magis nos in studioso proposito perdurare profecto debemus, quibus præmia parata sunt sempiterna. Lege D. Augustinum libr. 5. de Ciuita. Dei cap. 18. tom. 5.

Inter alias illustres sententias quas Plutarchus ille olim pronuntiasse fertur, vna illa est eademque grauissima, nimirum quod qui deficit neque perseuerat

perseuerat in rebus perstudiosis atque præclaris, propter obstacula nonnulla occurrentia, persimilis est infanti qui multos manu flores continens, si vnicus auferatur, omnes statim flores iratus à se abiicit, eosdēque pede proterit, vnde fit vt omnibus priuatus maneat. Tales sunt illi qui propterea regrediuntur à laudabilibus incæptis, quod impedimenta nonnulla, cōtra quæ potius viriliter pugnare debuissent, occurrant: rati sæpe se nonnihil amisisse idcirco suorum progressuum. Sunt autē impedimenta multa facillime occurrētia in rebus arduis atq; præclaris, quibus nisi viriliter resistamus, plane quam sæpissime à cursu ipso virtutis retardabimur. Quæ enim virtus est, quæ suam statim non patiatur repugnantiam? Vnde præclare Prudentius dixit, virtutes ipsas sine constantia, viduas quidē esse & orbatas. Quod si negotiatores ipsi & mercatores non propterea omnē illico negotiationem abiiciunt, quod in quibusdam mercibus iacturā fecerint: neque agricola statim cessat à serendo agro, quod superioribus annis minus fructuosus fuerit. Nauclerus item à nauigatione non cessat, quamuis minus secundo vtatur vento: miles arma non abiicit, quod alios habeat aduersantes. Cur igitur tu à virtutis itinere retrocedes maiori cum tuo damno atque dedecore, quamuis difficultates ingentissimæ oboriantur?

Quicunque Deo vere & ex animo inseruire studet, similis sit oportet cuidam lacui in Palęstina prouidentia existenti, De quo Seneca & Cornelius Tacitus referunt, quod à nulla vnquam possit tempestate atque procella cōmoueri, vel de sua trāquilitate deturbari: sed magna semper in tranquillitate est atq; quiete. Ita enim Dei seruus nullis omnino minis, deducēdus nullis terroribus, tempestatibus atq; procellis, à recto & studioso calle.

Prodierūt philosophi monumētis suis immortalibus, orbiculatem figuram perfectissimam esse, quod sōdem desinat vnde incæperit, & media etiam ipsa sint termino figuræ proportionata. Ad eundem modum vt nos perfectissimi euadamus, necessum est quod quandoquidem exordium nostrum & natiuitatem cum luctu damus, & finis ipse etiam noster luctuosus est plenusque ærumnarum: media ipsa sint proportionata & laboribus plena semper virtutis tramitem, qui laboriosus est, insequendo, & in eo perseuerando.

Vt in virtute ipsa perseuerare possimus, nostris debemus viribus diffidere, atque spem omnem in diuinum auxilium referre. Noui quosdam inquit Cyprianus, qui cum iam iam inmortales martyrij coronas recepturi essent, deficeren tamen: quia scilicet suis viribus cruciatus illos & tormenta metiebantur, non proiiciētes se totos in diuinam opem atque subsidium, quo fiebat vt territamentis illis tyrannorum ignominiose succumberent. Lege D. Cyprianum epis. 104. de duplici martyrio ad Fortunatum.

Cōmemorans diuinus ille Hieronymus suam in perdiscēda lingua hebręa, perseuerantiā, in hūc fere sensum loquitur. Posteaquam in Quintiliano detritus prope fueram, & in Tulliano exercitatus eloquio, Plinijque lectioni assuefactus, cæpi me hebræo cuidam instituendum tradere. Qua in lingua hebræa perdiscenda quantum sudarim, quantam molestiam pertulerim, quētos labores extāltauerim, nouit Deus, & testes mihi etiam esse poterūt qui mihi conuiuebant: iugi tamen perseuerantia, ex tam amaris initiis & seminibus, dulcissimos mihi fructus in hac lingua & exercitatione comparaui. Discito ergo tu inde quam necessaria sit perseuerantia in laudabilibus actionibus. Lege D. Hierony. epis. ad Rusti. Monachum de viuendi forma to. 1.

Idem etiam Hieronymus alibi ait, nos potius ad finem ipsum debere attendere, quam ad initia aut media: vt inde facile nobis persuadeamus iugem perseuerantiam esse necessariam. Siquidem Saulus male cęperat, sed tamen feliciter finiuit. Iudas contra cum præclara iecisset exordia, infelicissimum habuit exitum. Lege eundem epis. ad Furiam de viduita. Seruanda to. 1.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum: dicit ad Philippum. Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Optimā disciplinam, & sacris consentaneam viris, suis modo discipulis Christus proposuit. Nam etiam in montibus & deserto paratos esse docuit oportere ad hospitalitatis virtutem: qua quidē re quid homini qui Dei charitatem assequi velit, magis excogitari potest? Quum enim quasi aquarum fluenta innumeri homines ad eum confluerent, ad sustētādos eos cibo discipulis iussit. Cuius rei cum propter multitudinem hominum, tum propter locorum solitudinem, magnitudine atque difficultate, quis diues non fuisset perterritus? sed omnem huiusmodi formidinem spe gratiæ suæ abiiciendam monet. D. Cyrillus super Ioan. lib. 3. c. 13.

Interrogamus aliquando quod nescimus audire volentes vt discamus: aliquādo interrogamus quod scimus, & scire volentes verum ille sciat quē interrogamus: vtrumque hoc nouerat dominus, & quod interrogabat sciebat, & quid esset facturus ipse nouerat, & hoc nescire Philippum similiter sciebat. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? D August. super Ioan. tracta. 24. to. 9.

Ipse sciens tentat discipulum, vt ille tarditatem suæ fidei agnosceret: qui presente creatore, de paucis sufficientiam multis posse fieri, dubitare non debuit. Glos. Ordina. super Ioan. 6.

Hoc autem dicebat tentans eum. Vide D. Thomam 1. p. q. 114. ar. 2. per totum, & 2. 2. q. 97. ar. 2. in corpo. & 2. senten. dis. 21. q. 1. ar. 1. per totum. & super Psalm. 25. in illa verba proba me Domine & tentame, & super 1. ad Thessa. 3. in illa verba, ne forte tentauerit vos. & ad Heb. 11. lect. 4. super illa verba, obtulit Abraham Isaac cum tentaretur.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus. Hoc loco differere poteris quod oculos nostros in pauperum necessitates & miserias coniicere debeamus: quo illis subueniamus, & nulla eos ratione contemnamus. Si vis ergo videre quam malum sit pauperum curam non gerere, lege D. Greg. Nazianzenum. Oratio. 6.

De Pauperum cura in primitiua Ecclesia lege Vincen. Belluacen. Specu. histo. lib. 7. c. 68.

Non esse pauperes despiciendos lege D. Augu. de tempor. sermo. 226. circa finem tomi. 10.

Non poterit Dei misericordiam promereri, qui misericors non fuerit, neque de diuina largitate aliquid impetrabit suis precibus, qui ad preces pauperum occlusas habuerit aures. Vnde Psalmo. 40. Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem. Et certe quia Nabuchodonosor respuit consilium Danielis dicentis, consilium meum placeat tibi, &c. Danie. 4. idcirco in tantas incidit miserias, quas eleemosynis suis declinare potuisset. Vide D. Cyprianum epist. 10. de opere & eleemosynis.

Super illa verba sancti Iob, *si despexi præter-*

euntem eo quod non habuerit indumentum, &c. dicit beatus Greg. quod ſanctus Iob is verbis præcedentibus humilis ſimul ac pius oſtenditur, quia alterum ſine altero parum prodeſt. Non enim aut per impietatem deſinas tegere pauperem, vel per ſuperbiam negligas venerari quem tegis, aut eum deſpicias cui eleemoſynam elargiris, aliter enim amittes quicquid largitus fueris. Tum præterea vt ſimul cum bonis operibus bona reddamus verba, nos monet Eccleſiaſticus cap. 18. Vide D. Grego. lib. 21. Mora. cap. 14.

Non debemus pauperē deſpicere inquit Chryſoſto. quod eum abiectum atque humilem videamus, cum nobis maximæ vtilitati ſit. Siquidem multa ſunt abiecta, quæ idcirco non deſpicimus, præſertim cum maiori nobis vſui ſiue frequentiori ſint, quam nobiliora & excellentiora. Ferrum enim quamuis ignobilius ſit auro & argento, ad noſtros tamen quotidianos vſus frequētius & cōmodius accōmodatur: ex eo ſiquidem inſtrumenta fabricantur ad terram excolendam ex qua alimur: ſiunt arma quibus vtimur ad noſtram defenſionem, & complura alia id genus. Lapides etiam & ſaxa frequentiori ſunt vſui in ædificando, & in molis extruendis ad frumentum terendum, quam vlla ratione ſint ſaphyrus, ſmaragdus, cæteræque pretioſiſſimæ gemmæ. Inopia præterea ſtercoris, maiora afferret incommoda, quam panni coccinei. In nobis etiam experimur vel Paulo teſte, quantę vtilitati ſint ignobiliora membra. Et vt ad rem propius accedamus: quid quæſo niſi à pauperibus iuuarētur diuites, ipſi præſtare poſſent, cum ſint delicatiſſimi & ad labores tolerandos corporeos minus idonei, præſertimque ad agriculturam exercendam? quin potius terra marique laborum pōdera pauperes ipſi ſuſtētant. Vide de his Chryſoſto. ad Popu. homi. 20. to. 5. Quæ tu poteris multis aliis conquiſitis tuo marte exemplis, fuſius amplificare.

Vnde ememus panes, &c. Hic diſſerere poteris de cura & prouidentia quam gerere magiſtratus debent de ipſa repub. & patres familias de ipſa familia, aliiſque id genus homines.

Conſidera quæſo quantam prouidentiā quamque adorandam, de homine ipſo habuerit Deus, cui ſolem produxit, antequam viſum haberet: aquam, antequam ſitiret: alimenta, antequam fame extimularetur: influentias cæleſtes, antequam vitam homo haberet: terram firmauit & ſtabiliuit, priuſquam homo in ea produceretur. Hæc fuſius tuipſe perſequere, & inde poteris cōmodius magiſtratus ipſos ad prouidentiam quam gerere debent cohortari.

Admirare diuinam prouidentiam in ſeruandis virginibus illis in Iabes Galaad, viris illis non habentibus vxores ex tribu Beniamin, poſt tantam illius ſtragē, ne tribus illa omnino deleretur.

Prouidentiam gerere debemus rerum nobis commiſſarum, & quæ euenire poſſunt mala, multo ante prænuidere, tum corporalia tum ſpiritualia, & denique quæcūque homini obtingere poſſunt, tanquam ex quadam ſpecula multo ante proſpicienda mente ſunt & præcogitanda. Vide Senecam lib. 3. epiſt. epiſt. 24. & lib. 8. epiſt. 60.

Sapiens callum in cogitatione obducit futura præuidendo mala, & quæ incipientes leuia faciūt reipſa tolerando, ſapientes homines eadem leuiſſima reddunt ſola cogitatione antequam contigerint. Cæterum vox illa inſipientis eſt, non putaram: ſapiens enim ita animo excubat, vt ei nil inopinatum, nilque improuiſum accidere poſſit: atque ita actem in omnem parte oculorum aciē intendit, vt quemcunq; caſum fortuna inuexerit, hunc apte & quiete ferat. Vide libr. 10. epi. epiſt. 77. in fine.

Idem Seneca vt nos moneat ſuo exemplo quam præmeditati ad futuros caſus eſſe debeamus, ſe dignam protulit ſententiam lib. 13. epiſt. 88. Naufragium feci, antequam nauem aſcenderem.

Improuiſa nos magis premunt, tela vero præuiſa, minus feriunt: idcirco omnia multo ante meditata habere debemus, & quaſi ad manum depoſita, neque tantum quod ſolet, ſed etiam & quod poteſt fieri cogitemus; vide eundem libro 14. epiſt. 92.

Tu vero metuenda declina, & quicquid conſilio proſpici poteſt præuide: quodcunque nocituru eſt, antequam eueniat ſumma indagine inquirito. Lege eundem lib. 16, epiſt. 99.

Nemo nō fortius & animoſius ad id quòd prę-
cogitauerat accedit, & ſi noxium fuerit, repellit: at contra imparatus etiam leuiſſima quæque extimeſcit. Vide eundem lib. 18, epiſt. 108.

Optimus ergo quiſque reipub. gubernator, ſemper in ore, ſemper in oculis, ſemper in corde, gerere illud debet, vnde ememus panes, vt manducent hi? hoc eſt diligenter prouidere debet de neceſſariis ſuæ reipub. antequam fame & inopia opprimatur. Et quiſque etiam Chriſtianus pro ſua vtilitate hoc ipſum etiam dictum fideli memoria
perpetuo continere debet, vt ſibi prouideat tum in corporalibus, tum etiam in ſpiritualibus rebus, atque in tentationibus ingruentibus.

Curam, admirabilemque ſollicitudinem Dei in prouidendis & reficiendis his qui ſuam ſpem omnem in eum confixerunt, inſinuauit propheta Pſalm. 22. cum ait, dominus regit me, & nihil mihi deerit: vbi etiam in Hebræo legitur, dominus mihi paſtor, &c. vide Horozcū in declama. Quadra.

Cum ſubleuaſſet ergo oculos. Maxime moderatos
eos habebat, quandoquidem quod ſubleuaret, ita ſignificanter ſcribunt Euangeliſtæ. Eſt vero oculorum cōtemperatio vſque adeo decens ac neceſſaria, vt etiam de ea neceſſitate & cōtemperatione plerique Philoſophi nos monitos reddiderint. Vide Vincen. Belluacen. Specu. doctrina lib. 4. ca. 176. Iſocrates etiam dixit: non manus tantum, ſed oculos etiam contineto.

Reſpondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Quanto accuratius quā Philippus ſenſit Andreas: nam Philippus plura requirebat, alter vero panes hordeaceos pauculos indicauit. Per quos quidem ſignificatur quod panes hordeaceos edere debeat, qui Chriſti velit ſequi veſtigia: hoc eſt aſperitatem tenere pœnitentiæ, neque cibo, ſomno, indumento, nimium indulgere, aliiſque huiuſmodi. Habere etiam is debet duos piſces, ſpem nempe ac timorem: & timor quidem nutritur in mari falſo conſiderationis mortis, iudicij, & inferni: ſpes
vero in aqua dulci generatur meditationis diuinæ clementiæ & miſericordiæ. His enim cōſiderationibus tanquam obſonio quodam, poterit facilius panis pœnitētię hordeaceus & aſperrimus deglutiri. Adamus de Perſenia ſuper hunc locum.

Dixit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos? Illud hinc diſcimus, quanta Philoſophica anguſtaque diſciplina viuēndi Apoſtoli viuerent, omnium delitiarum luxum contēnentes. In duodecim nempe hominib' quinq; panes & duo piſces reperti ſunt:

ita quæ

ita quæ ad corpus pertinent, omnia ſuperflua & contemnenda ſibi videbantur, ita ſpiritualium rerum cura tantummodo tenebantur, vt ea quoque pauca libenter aliis tradiderint. Vnde docemur etiamſi pauca poſſideamus, ipſa tamen egentibus eſſe concedenda. Nam & illi cum quinque panes adferre ad Chriſtum, iuſſi eſſent, non clamauerūt, nil nobis poſtea relinquitur, quo noſtram inediā mitigare poſſimus, ſed confeſtim nil murmurātes
parnerunt. Vide Chryſoſt. ſuper Matt. ho. 50. to. 2. in qua quidē multus eſt in reprehendenda curioſitate nimia ipſorum hominum tum in victu, tum præterea in veſtitu, & aliis huiuſmodi rebus caducis.

Quid ſunt inter tantos. Quaſi dicat, etiam ſi multiplicarentur eo modo quo factum eſt per Eliſeū, qui de viginti panibus multiplicatis, non ſatiauit niſi centum viros: in iſta magna multitudine, hoc eſſet valde modicum. Lyranus ſuper Ioan. 6.

Prudentior quam Philippus Andreas, non tamen penitus rem intellexit: puto autem adductū prophetarum miraculis, vt Eliſei ex panibus. Præceſſit ergo Andreas Philippū, non tamen in ipſum cacumen euaſit. Hinc deliciis dediti intelligant quid magni illi viri & admirabiles comederint, quam vilis & modica eorum menſa fuerit, intueamur in omnibus eorum abſtinentiam. Cum dixiſſet, habet quinque panes hordeaceos: ſubdidit, ſed quid hæc inter tantos? Putabat enim ex paucioribus pauciora, ex pluribus plura facturum mi
raculorum autorem, in quo decipiebatur. Similiter enim & ex pluribus ac paucioribus panes multiplicare poterat, neque enim ſubiecta materia indiget Deus. D. Chryſoſto. ſuper Ioan. ho. 41. to. 3.

Eſt puer vnus hic &c. Commendat Chriſtus dominus Eccleſiam ſuam D. Petro. conſtituitque animarū paſtores ſanctos Apoſtolos, omnibus virtutibus præcellentes, eiſdémque prædicandi munus concredidit. At vero pecuniam ipſam ludæ tradidit, & panis alimentum corporeum etiam
puero committitur. Quid hoc eſt domine? Puero ne cura panis & cibi committenda fuit? Maxime quidem. In hoc enim perfacile videas quam parui pendat Deus res has temporales, & quanto in pretio res habeat ſpirituales. Animas enim cæteraſq; res ſpirituales, commendat ſanctis Apoſtolis, at res temporales, cuiuis etiam negligenti homini tradit cutandas. Non ita ſe gerūt pleriq;, qui non cōſtituunt ſibi Oeconomos niſi fideles homines, & eos qui diuitias ſuas maxima prudentia regant, cum interim eccleſiæ beneficia & animarum curam, hominibus minus optimæ conſcientiæ, minus prudentibus, & denique pueris ſæpe committant.

Qui habet quinque panes. Per hos quinque panes multi ſancti doctores intelligunt quinque libros Moyſi: qui panes cum hordeacei eſſent, Hebręi vtique alium deſiderabant panem, & alio opus habebant pane longe quidem præſtātiori, vt famem qua cruciabantur omnem ſedarent: nempe pane
egebant ſacramentorum, quæ ſacramenta eiſdem gratiam impartirentur. Cæterum quod illi tantopere famelici eſſent, quippe qui tam in ſuauem haberent panem, haud equidem mirabile eſt: nos vero fameſcere in tanta ſacramentorum ſatietate, id vero lamentabile eſt. Nam cum poſſimus nobis redundanter tanta ciborum ſuauitate prouidere, tamen in vitiis ipſis languemus, cruciamur, perimus, neque vnquam talem nobis paſtum procurare volumus. Inter diuitias ergo pauperes ſumus, regalibus appoſitis epulis, fame conficimur, tam miſericordem ac liberalem habentes patrem, tamen mœrore & luctu contabeſcimus: cæli ianua apertiſſima, nobis aditum intercludimus.

Excitemus igitur iam ex ſomnolentia animum & cum Hebræis longe ditiores facti ſimus: nō cōmittamus vt paupertate opprimamur, & fame pereamus. Stulti enim hominis eſſe videtur cum cibo abunder, eodem nō vti ad famem explēdam; & cum ornamentis variis ac veſtibus circūfluat, frigore & algore deperire. Caueamus ne & ingrati eſſe iudicemur, qui in tanta bonorum legis euāgelicę affluentia, minus ad Deum ipſum liberaliſſimum datorem oculos & mentem attollamus; minúſq; pro tantis beneficiis gratias agamus. Vix enim credibile eſt, quod ſi Hebræis collata fuiſſent quæ nobis tam liberaliter data ſunt munera, eos quanquam maxime ingratos, fuiſſe tamen maiori, quam nos præditos ingratitudine.

Panis quidem hordeaceus pœnitentiam deſignat, quæ quamuis principio aſperrima videatur: tamen vbi ſemel eam guſtaueris, liquidiſſimū planę ſuauiſſimúmq; fructum inde animo capturus es. Sub iniuriis enim, aſperitatibus, perſecutionibus, atque abiectionibus, viriliter propter Deum toleratis, verus latet honor atque maieſtas: ſub obedientia pro Deo ipſo præſtita, magna inhæret libertas: ſub labore, tranquillitas: ſub carnis maceratione, magna ſuauitas.

Circa illud quod dicitur, repertos fuiſſe panes
apud puerum vnum quem multi doctores dicunt fuiſſe vnum ex diſcipulis Chriſti, debes diligenter contueri & contemplari: quod cum in his mundanis rebus, & illis qui eiſdem inſeruiunt, non reperiantur conſolationes & ſalutaria alimenta, in iuſtis tamen & his qui diſcipuli Chriſti ſunt ac eius mandata ſeruant, ſemper internæ reperiuntur cōſolationes longe ſuauiſſimæ. Nam & in aduerſis maximum præſidium habent cæleſte, & ad maximos quoque prouecti honores ſuſpirant, atq; dicunt honores illos ſtatim eſſe reſoluendos in nihilum. Ex quo videas multos impios in proſperis conſtitutos, animo tamē eſſe triſti, & mæſto: cum tamen ipſos iuſtos quamuis aduerſa diſcrucientur iactenturque fortuna, videas hilari vultu ac ſereno: propterea quod interna quadam animantur ſemper & exhilarantur conſolatione, quod perinde non fit in impiis.

Quinque panes hordeaceos &c. Vide quæſo quam temperatiſſima & ſobria eſſent conuiuia Chriſti, quámque pauciſſima eduliorum genera: vt inde colligas qualem habere debeas menſam, ſobriam ſcilicet, ne Deum offendas in ea aliquo modo, de quo argumento vide D. Ambro. lib. 1. Offic. ca. 20.

Quam vtiliſſima ſit ac laudabilis temperantia, vide eundem eodem ipſo lib. cap. 43. & libr. 1. de Iacob & vita beata cap. 2. circa finem to. 1.

Vide præterea de temperantia Vincen. Belluacen. Specu. Mora. lib. 1. pa. 3. diſt. 91.

Secundum philoſophos vide eundem Specu. doctr. lib. 4. cap. 89.

Quod in vini vſu maxima temperantia vtendū ſit, & quod ab antiquis pleriſquevinum venenum diceretur, vide eundem Specu. natu. libr. 14. cap. 116. 117.

Inter alia quę monebat Pythagoras Crotoniatas, illud præcipuum fere erat, vt temperantiæ eſſent ſtudioſiſſimi: hanc enim parentem quodammodo virtutum cæterarum eſſe dicebat, vt refert Iuſtinus lib. 20.

De Annibali illo memoratur quod quo tempore in vniuerſam Italiam depugnabat, nunquam

assidens comederet,& quod in vino etiam parcissimus esset; vnde & continentissimus fuit, & minus curans cuiquam iniuriam inferre, vt refert Iustinus lib. 32.

Idem etiam refert lib. 7. de legatis quibusdam, quod pro eo quod intemperates fuissent in quodam conuiuio, vsque adeo linguæ laxas petmittetent habenas, vt ex contumeliis ad arma, atque adeo ad interitum deuenirent.

Dicit ergo Iesus: facite homines discumbere, erat autem fœnum multum in loco: discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Hoc quasi significare videtur: ô tardi ad intelligẽdas vires meas & pcipiẽdũ quis vobiscum loquitur! Facite homines discumbere, vt videatis quo illos miraculo saturabo, quibus ducenti denarij non sufficient: vt videatis cũcta viribus meis ex nihilo esse producta. Nónepoterit qui viduæ vasculum vacuari oleo non permisit, & hydriam effecit non carere farina, hos etiam quinque panes multiplicare aut ex nihilo quasi à fonte magnam ciborum copiam producere? Hæc aliaque huiusmodi ex illa significatione verborum sic emphatice dicta: facite homines discumbere, intelligere decet. Fœnum autem ea de causa dicitur fuisse, vt locus ad discumbendum aptus intelligatur. Animaduertendum autem diligenter, non mulieres, neque pueros, qui viris permixti erãt, enumeratos fuisse. Secutus est puto Euangelista, consuetudinem scripturæ: in qua cum à Deo ad Moysen dictum sit, vt synagogam filiorum Israel seeundum cognationes ex nomine numeraret, vt vnusquisque vltra vigesimum annum præcepta faceret, nec fœmina nec puer aliquis numeraretur: ita veritas atque constantia quæ nullã habet puerilem ac muliebrem in bonis leuitatem in libro Dei conscribitur: ita & scripturæ consuetudinem seruat, & spirituale quiddam nos docuit. Cæterum & de viris solummodo mentionem fecit ænigmatice monẽs, omnibus qui viriliter probitatem ac fidem amplectuntur, nõ imbecillibus aut mollibus, cælestem à saluatore cibum præberi. Nam qui muliebri animo aut puerili sunt, nihil magni cognoscere possunt. D. Cyrillus super Ioan. lib. 3. cap. 17.

Vide iã quæso quãta liberalitate vteretur Deus cum istis qui eum sequebantur, dicens: facite homines discumbere: vt intelligas qua liberalitate vti debeas in proximos tuos, præsertim si eos videas inopia vrgeri. Ad quam etiam liberalitatem nonnulli nos Philosophi adhortantur: nam Democritus dixit, ad largiendum quam promittendum promptior esto. Phocion, hominibus ne magna promittito, sed magna facito. Ausonius, si bene quid facias, facias cito & perliberaliter: nam cito factum gratum erit, ingratum vero gratia tarda facit. Democritus facere quam dicere bene promptior esto. Idem, si bene mereri de aliquo voles, citissime beneficium conferas: mora enim ingratum redditur & parum amabile, quicquid feceris.

Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Maius miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominũ de quinque panibus, & tamen hęc nemo miratur. Illud mirantur omnes, nõ quia maius est, sed quia rarũ est. Quis .n. & nunc pascit vniuersũ mũdum nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Panes autẽ illi quinque quasi semina erãt, non quidẽ terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata D. August. super Ioan. tract. 24. to. 9.

Quid necesse erat vt pauculos panes dominus acciperet, qui sine illis, diuinitatis suæ potentia, panes poterat ex nihilo creare? Minima quidem erat quinque panum portio tot hominibus satiãdis, sed nec hanc quidem negligendam dominus putauit, quo is magnam illam alimenti copiã subministraret. Simile exemplum in Eliseo præcessit, qui ab ea vidua cuius grande æs alienũ dissoluere voluit, quæsuit an aliquid haberet in domo sua. Qua respondẽte se nil nisi parum olei habere, ille paululum hoc ita diuina virtute auxit, vt non solum ad æs alienum dissoluendum, sed ad suam ac filiorum vitam tuendam, satis esset. Vtroque igitur exemplo dominus indicare voluit, nos quoq; aliquid ex nostro, quamlibet exiguum sit, offerre debere. Quo is diuitiarum suarum copiam in nos effundat. Quod si nos exiguum hoc quod à nobis exigitur, præstare nolimus, ille vtique nos nequaquam diuitiarum suarum compotes faciet. Vtilissimum ergo cõmercij genus est, in quo tã exigua hominis portio, tam magnis diuinæ largitatis incrementis cumulatur. Subiiciamus aliquot huius rei exempla. In baptismate quidem vt Cyrillus ait, infantulus dum in aqua mergitur & extrahitur, Christi mortem ac sepulturam repræsentat. Hac autem repræsentatione, eiusdẽ mortis Christi fructum & meritum sibi asciscit. Ille igitur mortis suæ acerbitate viam nobis aperuit, nos imagine eius expressa, idem præmiũ accipimus. Quanto ergo plus est quod ille præstat, quã quod à nobis exigit? Ab adultis vero eandẽ passionis suæ memoriam requirit, quo eos eiusdẽ passionis participes reddat: vt quod ille obtinuit moriendo, tu assequaris mortem eius pie ac sancte meditãdo. Quid ergo ille quæso amplius debuit conferre? Quid vero à te minus potuit requirere? Iam vero pro calice aquę frigidę ad momentum exhibitæ, mercedem pollicetur æternã, vt aperte liqueat quãto plus sit quod tribuit, quã quod à nobis petit. Sed plus illud non accipiet, qui exiguũ hoc præstare noluerit. Quod qui præstiterit, poterit sane cũ Ecclesiastico dicere, Modicũ laboraui, & inueni mihi multam requiem. Hæc autem Philosophia fratres, eos potissimum accusat, qui tota vita stertentes, nec manum ad aratrum porrigentes, salutis suæ negotium in solam diuinæ miserationis benignitatem regerunt. Hos autem miraculi huius exemplũ arguit, in quo dominus panes ad satiandam hanc hominum turbam, nisi pauculis illis panibus allatis, augere noluit.

Accepit ergo Iesus panes. Quid mirum si tã magna panes illi incrementa susceperunt, quę sacras illas manus rerum omnium creatrices contigerũt? His ergo manibus fratres, vitæ vestræ rationes supplici ter & fidenter cõmittite, si vobis omnia prospere cedere vultis. Sine huius enim prouidentiæ auxilio, quid in vita firmum, quid prosperum & stabile, ab humana infirmitate & prudentia expectari poterit? Qualis enim humana providentia sit, declarat sapiens cum ait, cogitationes mortalium timidæ, & incertæ omnes prouidẽtię nostrę. Qualis vero humana vis & potentia, ostendit Esaias cũ ait: erit fortitudo vestra quasi fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrunque simul. Qualis vero sit humanus conatus diuino auxilio destitutus, idem explicat, cum ait. Concipietis ardorem, & parietis stipulam. Quid igitur de se sibi tam fragilis hominis natura polliceri queat? Quid magnum aut stabile ex eo manare poterit, cuius mens hebes, conatus tenues, vires eneruatæ, & inanis solertia est? Quæ cum ita sint, hoc

hoc præcipuum prudentis hominis officium est: vt omnia quæ orditur, diuinis manibus tractanda committat, humiliq; prece & fiducia ab eo impetrare studeat, vt manum illi suam ex alto porrigat, quo feliciter illi omnia cedant. Si enim multũ manus sancti Patriarchæ Iacob præstare potuerunt, quid de omnipotentis domini manibus sperandũ est? Cum enim morituro seni duos filios Ioseph, Manassem & Ephraim benedicẽdos obtulisset, & maiorem natu ad dexteram senis, minorẽ vero ad sinistram posuisset, ille cõtra cõmutatis manibus, dexteram quidem super Ephraim, lævam autẽ super Manassen posuit. Quod quidem grauiter ferẽs Ioseph, patris manus inuertere nitebatur, dicens. Non ita conuenit pater, hic est enim primogenitus: pone manum dexteram tuã super eum. Si ergo tanti sanctus ille patriarcha contactum illum religiosæ manus faciebat, vt illum feliciorem futurum crederet, quem dextera sancti viri manus cõtigisset: quid quæso de illarum manu um cõtactu sperandum est, quę omnia condiderunt? Cum igitur summam hanc Philosophiam sancti viri omnes intelligerent, sibi ipsis in omni negotio diffidentes, res omnes suas diuinis manibus supplici oratione & fiducia committebant. Sic sanctus Dauid quamuis regiis opibus polleret, non tamen in arcu & gladio suo: sed in solo Deo se spem quidem omnem salutis positam habere testatur, cum ait. Hi incurribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.

Accepit ergo Iesus. Multa quidem videntur nobis initio incommode ab hac diuina dextra prouenire, quæ tamen progressu temporis mentis oculos aperientes, saluberrima maxime esse commodaq; valde iudicamus. Vnde D. Augu. multa sibi in vita contigisse ait: quæ maximo nocumẽto futura esse credebat, successu vero temporis intellexit, nil illi cõmodius euenire potuisse. Generosus accipiter, quem sublimi petam vocãt, ardeam in sublimi volantem aggressurus, non aduersus illam recta contendit, sed in obliquam partem volatum dirigens, magis illam fugere, quã petere videtur: qui tamen hoc volatu in diuersam partem commutato, superior illa effectus ex alto se in eam rapido impetu demittit, ac tandem interimit. Simile quiddã piis hominibus frequenter euenit, vt quæ res humano iudicio nocituræ videbantur, illis tandem præter spem omnem maxime salutares fiãt. Cum sanctus ille Ioseph à fratribus in Ægyptum venditus fuisset, quis crederet hoc ad illius gloriam pertinere? Hac tamen via illum dominus Ægypti principem & mundi saluatorem fecit. Tales igitur exitus fratres, habent ea quæ diuinis manibus committuntur, hoc est diuinæ prouidentiæ. Hinc ergo illud certe sequitur, vt harum manuum opem fidelis homo in omni negotio ita petat, vt nil agere, nil moliri, nil cum animo suo cogitare aut decernere audeat, ad quod earum auxilium, hoc est diuini numinis præsentiam, non requirat. Hinc Moses ad promissam terram occupandam pergens, instãter dominum orabat, vt cum populo suo pergere dignaretur: alioqui nisi nobiscum inquit gradiaris, ne educas nos de loco isto. Melius est enim nobis in hoc arido & squalenti deserto vitam agere, quã sine tuo ductu felicissimam Chananæorum terrã occupare. Sciebat enim vir sanctus sine huius præsentiæ fauore, nil hominibus lætum, nil prosperũ, accidere posse. Quid enim aliud esse putatis in causa, cur tam multa negotia voris nostris minime respondeant? cur nostrorum sępe consiliorum euentus infelicissimi sint? nisi quod nostris tãtum consiliis prudentiæque innixi, neque dominum consulimus, neque eius opem imploramus? Hac enim de causa sanctissimus alioqui vir Iosue, cęteríque principes cum eo, decepti sunt, cum Gabaonitas in fidem suam receperunt, quoniam vt scriptura tradit, os domini non interrogauerunt. Denique quantum sit discriminis inter ea quæ hominum industria, aut diuina ope fiunt, satis aperte Apostolus Petrus exẽplo suo adumbrauit, qui iussus à domino laxare retia in mare, cum per totam noctem diu conando nil profecisset, iactis postmodum ad imperium domini retibus, adeo copiosam piscium multitudinem cepit, vt duas nauiculas impleret.

Accipiens dominus panes vt Lucas ait, benedixit: formam autem benedictionis Ioãnes exprimit, cum illum patri gratias egisse commemorat. Mos enim Christi domini erat, vt ne fructum quidem panis sine diuinis laudibus & gratiarũ actione perciperet. Vnde peracta nouissima cena, hymno dicto exiuit in mõtem oliuarum. Ad huius autem beneficij laudẽ propheta nos hortatur, cum inter cætera domini beneficia hoc etiam commemorat, Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Quod quidem præceptum nõ paruo affectu se sanctus ille Patriarcha impleſſe testatur, cum ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem. Neque alimoniam tuam, sed omnia etiam illa quæ imperitum vulgus fortunæ bona appellat, & fortunæ tribuit, Deo idem sanctus Patriarcha accepta ferebat cum diceret. Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleſti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis reuertor. Aduersus autẽ quotidiani huius beneficij immemores, clamat per Hieremiam dominus. Et nõ dixerunt, metuamus dominum qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Nam cum bonis omnibus vndiq; circumfluant, nunquam in cælum oculos attollunt, gratias ei agentes, à quo cuncta donata sunt. Quæ tanta hæc obliuio, imo vero lethargia est, vt inter tot diuinæ largitatis muneta, adeo ingrati & immemores inueniamur? Si quis peregrinus hospitio benignissimi alicuius hominis exceptus, & humanissime tractatus, & splendida quoque cœna refectus: postero die proficiscẽs: nec vale quidem hospiti diceret, nec aliquam grati animi significationem ostenderet, an non hunc vel amentem, vel stupidum, & stipitem magis quam hominem, merito iudicaremus? Tu igitur qui gratuito diuinæ pietatis beneficio bonis quidem omnibus affluis, pasceris, & ornaris: quomodo non ex ferreo isto pectore vox saltem aliqua laudis & grati animi nuntia erumpit, quę Deum istorum bonorum autorem profiteatur? Christus Dei patris filius, vniuersorum hæres ac dominus, pro hordeaceo pane gratias agit, tu pro tam multis deliciis Deo ingratus exiſtis? Quod si minus te ad hoc, iustitiæ munus & officium mouet, vtilitatis certe ratio mouere debuisset. Nil enim ita noua beneficia cumulat, quam veterum gratitudo. Tunc enim illud Salomonis impletur, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum eadem fluant. Ad Deum quippe beneficia redeunt, cum illi ea accepta referimus, & pro illis velut quoddam gratuiti animi beneficium soluimus. Hac ergo de causa saluator priusquam panes distribueret, patri gratias agit: quo nos exemplo suo ad idem grati animi obse-

quium

quium pro innumeris eius beneficiis inuitaret.

Cum panes erant in manu pueri, non sufficiebant ad satiandam magnam illam multitudinem: at cum Christus illos in suis manibus sumpsit, creuerunt & multiplicati sunt. Sic opera quæ tu facis, per se & in tuis manibus parui sunt momenti: sed cum in manu Christi ea posueris, multiplicabit illa diuina virtus, & augebit frugem iustitiæ nostræ, nam & Paulus ait, non qui seminat, aut qui plantat, sed incrementum dat Deus.

Accepit Iesu panes. Vide D. Tho. 1. pa. q. 92. ar. 3. ad 1. & 3. p. q. 44. ar. 4. ad. 4. & 2. sen. dist. 3. q. 2. ar. 1. in corpo. & super Matt. 14. Super illa verba, acceptis quinque panibus. Et super illa, aspiciens in cęlum benedixit vide 2. 2. q. 83. ar. 10. ad 1. & 3. p. q. 13. ar. 4. ad 3. & q. 21. ar. 1. & ar. 2. in corp. & q. 53. ar. 4. ad 2. & in 3. sen. dist. 17. ar. 3. quæst. 1. & Ioan. 11. lect. 6. Super illa verba, eleuatis sursum.

Benedicere debemus cibos ipsos quos sumimus, gratiásq; agere Deo tum ante, tum post cibũ pro tantis muneribus suis: de quo vide D. Chrysosto. in quodam sermo. circa finem to. 1. qui inscribitur, de fide Annæ. Vide etiam Lauren. Iust. lib. de disci. & perfe. monast. conuer. cap. 20.

Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis. Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Sed quid ad te domine si panis hordeacei fragmenta, quæ solo manuum tuarum contactu aucta sunt, pereant? Si ergo hæc vilia perire non pateris, quomodo animas patieris interire, quas non manuum tuarum contactu, sed earundem vulneribus redemisti? Si panis hordeacei fragmenta, qui nõ tam hominum quam iumentorum cibus est, perire sentis, quo affectu eris, cum tot animas perire videas, quas ad imaginem tuam condidisti: quarum obsequio cęlũ, terras, maria, & cætera omnia addixisti? & propter quarum salutem è cælo in terram descendisti, mortémque acerbissimam oppetisti?

Vt autem impleti sunt. Qui ad Dei mensam comedunt, semper sunt saturi. Vnde illud, Dominus pascit me, nil mihi deerit. Qui vero mundo obsequitur, cibis semper inhiat. Vnde Psalm. 33. Diuites eguerunt & esurierunt. Et Salomon ait, Iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis. Cum quis plures habet diuitias, plures habet indigentias: vbi multæ diuitiæ ibi multi qui comedunt eas. Aman quidem cui rex Assuerus plurimum fauebat, tristis tamen semper erat & sine solatio, dicens: nil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum. *Colligite quæ superauerunt.* Vult Deus nos esse liberales, sed non prodigos: multa enim mala ex prodigalitate sequuntur, præsertim cũ tales sæpe prodigi ad paupertatem & mendicitatem redigantur. Sicut filius ille prodigus postquam bona omnia profuderat, cogebatur mendicare: nec poterat ventrem suum siliquis implere. Frequenter etiam aliena aufert qui sua prodige confert: neque facile in cimmeriis diu positus prodigalitatis tenebris, valet postmodum ad lucem ipsam liberalitatis cæterarumque virtutum remeare. Sicut enim qui diu in tenebris versati sunt vt inquit Plutarchus, moleste ferunt si subito ad splendorem solis venerint: ita plane qui diu in obscuritate prodigalitatis aut aliorum etiam similium vitiorum iacuerunt, splendidam virtutum lucem, infirma oculorum acie, tenebrisque assueta, ferre non valent.

Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducauerunt. Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quasi magna voce dicitur: quanto plura dabis liberaliter ac misericorditer, tãto tibi plura largius confluent. Fac igitur libenter quod scribitur, frãge esurienti panem tuum. Nam & discipulos videmus tardiores in hac re à principio fuisse: quibus sic affectis, copiosissimam fragmentorũ multitudinẽ largitus est. Ita docemur, propter minima quæ ad gloriam Dei consumimus, dirissima nobis à Christo esse præparata. Non simus ergo tardi ad suscipiendos fratres ex charitate, sed prõpti ac liberales, omni propter spem & fidem abiecta formidine. Nam si firmiter credamus multiplicata hæc fuisse diuinitus, facile vt iubemur, viscera misericordiæ indigentibus aperiemus. Quãdo enim misericors eris, si tenax in hac vita fueris? Quando præceptum hoc complecteris, occasionem faciendi quotidie præter mittens? Recordare Psal. 6. Quia nõ est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Quis enim erit fructus post mortem? aut quomodo Deũ quispiam recordabitur, vel quomodo præcepta faciet, qui descendit ad inferos? Concluſit enim Deus in eo qui mortuus est. Idcirco & Paulus docet dicens, donec tempus habemus, operemur bonum. Hanc ergo nobis historia ipsa parit vtilitatem. D. Cyrillus super Ioan. lib. 3. cap. 18.

Si quæratur vnde habuerunt illos cophinos in monte: Potest dici quod acceperunt in aliqua villa propinqua, vel quod fuerant ibi portati vt venderentur multitudini venienti. Vel potest dici quod non fuerant ibi cophini, sed tantum collegerunt de fragmentis, quod duodecim cophini possent impleri, vt bene alibi inuenitur talis modus loquendi. Lyranus super Ioan. 6.

Super prædicta verba vide Hugo. de S. Victo. Annota. in D. Ioan. Euange. to. 1.

Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant: quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum. Adhuc forte ideo Christum prophetam putabant, quia super fænum discumbebant. Erat autem ille dominus prophetarum, impletor prophetarum, sanctificator prophetarum, sed & prophetа. Nã & Moysi dictum est, suscitabit illis prophetam similem tui: similem secundum carnem, non secundum maiestatem. D. Augus. super Ioan. tracta. 24. to. 9.

Hic est vere propheta. O gulæ incredibilem auiditatem? Maiora his miracula, & quidem innumera operatus est Iesus, neque hoc vnquam confessi sunt, nisi nunc exaturati. D. Chrysosto. super Ioan. hom. 41. to. 3.

De quinque panibus & duobus piscibus vide Hugo. de S. Victo. lib. 1. Allego. in Ioã. to. 1. cap. 7.

Vide Ioannem Gersonem 4. parte, folio 85.

De episto. & Euange. duos habet sermones D. Antoni. initio 1. par. Theologa.

Vide eundem 1. par. histo. titu. 5. cap. 1. §. 11.

Super hanc Dominicam duas habet cõciones Innocen. 3. quarum prior incipit. Est puer vnus hic: secunda vero, Lætare Hierusalem, prope initium operum.

Duas etiam habet conciones D. Tho. super hac Dominica, & alias duas etiam super Domini. 25. post Trinita. secundum vsum antiquum nostri ordinis, secundum quem in prædicta Dominica hodiernum repetebatur Euangelium. Sunt autem prope finem to. 16.

Hic est vere propheta. Vide D. Tho. 2. 2. q. 174. ar. 5. ad 3. & 3. p. q. 7. ar. 8. per totum. & q. 31. ar. 2. in corpo. & deveri. q. 20. ar. 6. in corpo. & Ioan. 4. lect. 6. in illa verba, propheta in sua patria honorem non

non habet. & Ioan. 9. lect. 2. super illa, quia propheta est. Item ad Heb. 1. lect. 1. in illa verba, Multipharie multísque modis.

Feria secunda post Dominicam quartam Quadragesimæ.

PROPE *erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes oues: & boues, & columbas & nummularios sedentes. Ioan. 2.* Festorum dierũ obseruatio ad hoc instituta fuit, vt hisce diebus à terrenis negotiis curísque vacui, vni Deo vacaremus, & cõmissa cæteris diebus crimina, pœnitentię lamẽtis expiaremus: quod tamẽ Ecclesiæ consilium ita inuertimus, vt nullo die licentius debacchemur more istorum Iudæorum.

Sunt quidam viri Ecclesiastici similes Saturno, qui est planeta cælo propinquissimus, atque ideo deberet cæli influentiam cæteris plenius participare, & tamen est planeta maleuolus, tardus tereus, retrogradus, ponderosus, & pallidus: ita ipsi cum semper versentur in templo & propterea debeant sanctiores esse, sunt tamen dediti magis auaritiæ, & magis lucro inhiantes, quales erant isti Scribæ & Pharisæi.

Hoc quidem opus eiiciendi vendentes de templo, maius esse iudicatur à D. Hiero. quam suscitatio Lazari, aut cæci nati illuminatio, vel gloriosa etiam & præclara Christi transfiguratio: quod auderet scilicet homo vnus, despectus, in nullo pretio habitus, quem & postmodum cruci suffixerũt, non solum sacrificia illa Iudęorum disturbare: sed etiam pecuniam omnem euertere, & flagello omnes de templo eiicere, quódque solus ipse & inermis id facere auderet, quod nec potens aliquis exercitus facere ausus esset. Opus sane admirabile & singulare. Vnde inquit Hiero. quod diuinitatis quidam radij ita elucebant in eo, vt omnes mira statim facilitate absterrerentur & effugarentur. Vide D. Hiero. lib. 3. super Matt. 21. to. 9.

Quoniam ex malis ministris damna multa ac fere omnia manare solent: idcirco Christus dominus eos primum curandos assumit vt ita causa cessante, mala ipsa quæ inde proueniunt cessent. Et certe sunt templi ministri tanquam cor in corpore, epar, aut ventriculus: quæ membra si læsa sint, totum etiam corpus in languore est: ita enim hi si peruersi fuerint, reliquum vulgus quodammodo inficitur atque corrumpitur. Et sicut fons si veneno dispergatur, vrbem totã interimit: ita isti si deprauato fuerint animo & exemplo cæteros inficere solent: ceu etiam in macello corruptæ si væneant carnes, ciuium læduntur corpora: ita si prauam isti eruditionem suggerant, cunctorum animi ciuium deprauantur ac contaminantur.

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Iam Deus per prophetas eos obiurgauerat, quod templa prophanarent huiusmodi rebus. Quid est inquit apud Hiere. quod electus meus in domo mea facit scelera multa? & apud Esa. in terra sanctorũ inique gessit. Huiusmodi autem homines non minus visu cæteros inficiunt, quam serpens regulus: siquidem suo malo exemplo cæteros ad templum prophanãdum etiam alliciunt, & ita eis mortem inferunt, non quidem corporalem, sed spiritualem longe grauiorem. *Fecisset quasi flagellum.* Flagella immittit nobis Deus vt castigemur & emendemur à delictis nostris, & ita misericordia nobiscum vtitur maxima. Quod si quando differat misericordiam nobis impartiri, id quidem sæpe facit vt preces multiplicemus, & eum frequentius oremus, atque vt tandem copiosiori vtatur misericordia. Quemadmodum enim semina in terram iacta, quo diutius gelu premente intra eius viscera delitescunt, eo deinceps proceriora surgunt: ita quo longiori spatio dominus seruorum suorum preces multiplicari sinit, eo maioribus eos muneribus afficit. Misericordia enim Dei sicut & ira dilatione incrementa capiunt, vt & dilata ira sit maior, & item misericordia. Sicut enim fluminis aqua si obiectu aliquo ne fluat impediatur, sublato obice, maiori deinceps impetu fertur: ita misericordia Dei eo fere largius quo tardius, in animas piorum infunditur.

Et cum fecisset quasi flagellum. Obserua quod non dicitur flagellum, sed quasi flagellum: quia significatur quod flagella quę nobis hic immittit Deus sunt potius quasi flagella quam vera flagella, si cõferantur cum demeritis nostris: tum etiam cum durissimis illis & horrendis cruciatibus quibus puniuntur in alia vita peccatores. Item si conferantur cum tormentis & flagellis quæ pertulit Christus dominus pro nobis, aut etiam cum purgatorij ignis pęnis. Si quidem damnatos homines vt cætera taceam, ibi Deus tradit quasi depositо de manu flagello, crudelissimis illis ministris tartareis, ignique concedit vt eosdem exurat, neque vnquam consumat. Cæterum nullus fere reperitur hic dolor tantus, quem aliquo modo non alleues, & aliquo item solatio permistum esse non videas. Si enim pauperie premeris, offert se aliquis perpetuo qui alimenta ministrat: si cæcus es, ducem aliquem semper inuenis & manu ducentem, ab aliis etiam libros audis. Si in carcere, ab amicis inuiseris: & denique aliqua semper affulget aliũde consolatio: quod quidem eo fit, quia ista sint quasi flagella. Nam etsi homines ipsi desint, & omnes à te procul fugiant tãquam ab altero Iob: nihilominus tamen cælestis pater nũquam deest, quin & consolatio illa, quod calamitates istæ finẽ tandem aliquem sint habiturę, non leuis est equidem consolatio. Et præterea consideratio etiam illa multum iuuat, quod Christus dominus plura pro nostra salute passus fuerit tormenta: neque vlla possit ratione calix noster cum eius calice comparari. Denique ista omnia nostra incommoda, sunt quasi flagella. At vero ea quæ impij homines in gehenna patiuntur, cum diuina visione & solatio priuati sint, sunt reuera flagella atrocissima, & horrenda.

Isti quidem idcireo hac ratione tractãtur, quoniam in tempore & loco tam sancto, cum de rebus sanctis esset agendum, atque de legis obseruatione tractandum, quando prope erat Pascha, secularibus tamen negotiis & curis immersi erant, & quidem in templo ipso, domo Dei & orationis. Quare cum tanquam serui quidam essent, & non filij: ideo eosdem tanquam seruos flagellis cædit & castigat, quod ex domo patris domum facerent negotiationis. Vbi simul etiam insinuat, quod ipse solus filius Dei sit per naturam: nam patrem appellat suum, Deum ipsum, non autem dicit, domum patris vestri vel nostri, cum nos non per naturam, sed per adoptionem & gratiam filij Dei dicamur. Vide D. Cyrillum lib. 2. super Ioan. cap. 27. & 28. etiam & 29.

De funiculis. Funiculus ex variis componitur & contexitur filis, ita qui peccat ex vitiis in suam damnationem & vincula sua, peccatis, sibi funiculum conficit: quo postea à Deo ipso flagellatur & pu

& punitur, hoc eſt propter ipſum hic caſtigatur, vel aliam in vitam eius ſupplicium reſeruatur. Addit ergo peccator multa alia peccata prioribus & ita quo plura accumulat, tanto longiorem in ſuam perniciem funiculum conſtruit. Et quemadmodum funes ipſi ex variis filis ſtructi, principio quidem antequam in vnum cõiungantur omnia, videntur ſingula per ſe leuiſſima fragilia, & parui momenti, at vero arte conglobata & contorta, fortiſſimum funem & rudentem conſtituunt, ita plane peccata ſingula cum perpetrantur, videtur fere leuiſſima & parui momẽti, & reuera facilius quo pauciora ſunt diſſoluuntur: at vero vbi inueterauerint, adaucta fuerint, incrementa ſuſceperint, ipſum peccatorem ita conſtringunt, ita coarctant, vt ſæpe in infernum demergant. Vide Hecto. Pintum ſuper Eſaiam 5. explanantem illa verba, Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis.

Cum multa alia peccata committerentur in Iſrael, non flagellauit ita peccantes, vt oſtenderet quantum Deo diſplicet templum eſſe ad prophana deductum.

Quemadmodum qui aliquid colligare parant, & conſtringere, fune deficiente, alium atq; alium conquirunt, & funi funem addunt: ita impij cum ſua ſcelera ſatis ſibi non videantur expleuiſſe, & ſe ſatis implicaſſe, ſceleri ſcelus addunt, & criminibus crimina accumulant. Vt enim quis libidinem ſuam expleat cum aliena vxore, ſiue alterius ſpeciei, quantas excogitat machinas, quam varia inuenta! Quantam videas profuſionem in veſtibus, quantam diſſolutionem in variis ludis, quantas ad tempus ſimulationes, quam impudicas cõfabulationes, quanta ſæpe homicidia! Atque ita longior fit funis & robuſtior: quo fit vt difficilius etiam peccator diſſoluatur, quemadmodum boues ipſi difficulter à ſe funem illum quo maxime coniunguntur & ſub iugum rediguntur, confringere poſſunt, imo nec ſeipſos commouere. Lege D. Baſil. ſuper Eſa. 5.

Quod peccata vocentur funes, ex variis ſcripturæ locis colligi poteſt: nam & Prouer. 5. dicitur, funibus peccatorum ſuorum impius cõſtringitur. Cæterum vt oſtenderet Chriſtus eos peccatis accumulare & attexere peccata, conſtruxit flagellum ex funiculis, vnde & Matt. 22. dicitur, ligatis manibus & pedibus &c. vide D. Hiero. lib. 2. ſuper Eſa. cap. 5. to. 5.

Aduerte quod non dicitur, Chriſtum dominũ feciſſe funiculos, ſed ex funiculis feciſſe quaſi flagellum: ſiquidem nos ſumus qui funiculos confecimus, hoc eſt peccata committimus, & Chriſtus propterea, flagellum facit hoc eſt nos caſtigat & punit.

Quemadmodum inſtitutor ipſe pueris in ſchola ludentibus, hucq́ atque illuc cõcurſantibus, ingrediens, apprehenſaq́ue ferula omnes flagellans atque percutiens, ſcholam ſuam turbulẽtam atque commotam, ſedare ſolet & componere, adeo, vt nullum poſtmodum ſentias in ea ſtrepitũ, ſed miram quandam vndique tranquillitatem: ita ingrediente Chriſto domino in templum, apprehendentéque flagellum, ita tumultuantes Phariſæi, negotiantes, vocem inhoneſte in templo contendentes, & perſtrepentes, placati ſunt, vt ex tanta perturbatione, admirabilis quædam quies, ſilentium, & tranquillitas, conſequerentur.

Omnes eiecit de templo. Quemadmodum neceſſum eſt vt quod putridum infectúmque membrum eſt, amputetur & eiiciatur, ne cætera membra inficiat atque corrumpat; ita ex ipſo templo imo ex omni repub. pernicioſiſſimi eiiciendi & exterminandi etiam cum flagello quidem ſunt, ſi ita opus fuerit, hoc eſt cum ignominia & ſupplicio, tum vt ipſi emendentur, tum etiam ne cætari ab eiſdem contaminentur & peruertantur.

Oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Maxima conſideratione dignũ eſſe prodidit Origenes, & plerique alij doctores, quod Chriſtus dominus tanta facilitate euerteret & expelleret iſta omnia de templo, quamuis ponerentur ibi non equi, non cameli, aut alia animalia huiuſmodi minus diuino cultui accommodata, ſed oues, boues, & alia huiuſmodi ſacrificiis deſtinata: quandoquidem neque dixit, Quænam hæc obſeruatio legis? qualis eſt hæc religio? quæ reuerentia templo debita? neque alia vſus eſt tali perſuaſione, ſed arrepto ſtatim flagello omnes eiecit de templo. Quod vtique eo factum eſt, quod reluceret & ſplenderet in eo virtus diuina, quæ eos omnes abſterrebat & effugabat, mira quadam velocitate. Tantúmque fuit hoc opus, vt potẽtius eo miraculo eſſe videatur, quo aquam in vinum conuerrit: præſertim cum illic aqua illa eſſet inanimata rationiſque expers, hic vero animos ipſos immutauerit rationis cõpotes. Vide Origẽ. ſuper Ioan. 2. to. 10. Qui copioſus admodum eſt.

Et his qui columbas vendebant, dixit: auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Non eſt vſque adeo mirum quod populares & infimi homines templum faciant locum negotiationis & deambulationis cum videant id etiam fieri à magnatibus multis & viris in dignitate cõſtitutis: præſertim cum inferiores ipſi ſuos ſuperiores libentiſſime ſoleant imitari: & ſicut admotum rotæ ipſius piſtrini, ſtatim mobilis ille lapis in circulum trahitur, & cætera omnia, ita equidem non verentur ſubditi præſtare quæ principes fecerint, & ad eorundem motum & numerum ſeſe etiam mouere. Et quẽadmodum Claudianus inquit, regis ad imperium facile componitur orbis, mobile mutatur vna cum principe vulgus. Sicut mare aerem ipſum imitatur, ſic populus principẽ ſuum ſequitur: vt riuulus fontis ſequitur naturã, ſic populus principis ingenium: ſicut turbato fonte turbatur etiam riuulus, ita turbato rege turbatur populus. Eccleſi. 10. qualis eſt rector ciuitatis, tales habitãtes in ea. Si ab alto ruat paruus lapis, ſolus ipſe in inferiorem locum deſcendit, at ſi ex montis cacumine grãde ſaxum in deſcenſum precipitatur, alios lapides minores ſecum trahit: ita nimirum quãdo ſubditus delinquit, ſolus ipſe fere reus manet peccati ſui, tamen quando princeps aut prælatus offendit, plurimos alios ſuo malo exemplo in interitum animæ adfert. Et ſicut in vita preſenti principes & magnates magno ſecum comitatu incedunt: ita plerique eorum in morte magna cum caterua ſua in infernum abeunt, quam malo exemplo coinquinauerant. Si chimitæ dominum ſuum in circunciſione ſunt ſecuti. Et cum Saul occiſus eſſet, ſtatim armiger eius ſeipſum interfecit. Cæterum poſtquam reprehenſus eſt Dauid à Nathan, & pœnitentiam peccati cum fletu egit, rediit ad eum propheta ex mandato domini, & dixit. Dominus tranſtulit peccatum tuum à te, verum quia blaſphemare feciſti inimicos nomen domini, propter verbum hoc filius qui natus eſt tibi morte morietur. Sic ſanctus Dauid poſtea domino dicebat, Ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Ab alienis autem petit vt parcat, qui a aliis occaſionem peccandi ſtrauerat. Ideo graui ſupplicio fuit affectus Iero

Ieroboam, quia vitulos aureos conflauit, & alios induxit ad peccandum: vnde & ſæpe ſcriptura ſacra de aliis regibus loquens, ipſi impingit peccatum, dicens. Non receſſit à viis Ieroboam qui fecit Iſrael peccare. Eleazarus longe melius ſe geſſit, qui ne aliis eſſet offenſionis ſcandalum, potius mori voluit, quam malum exemplum exhibere, cum & princeps eſſet inter Scribas.

Auferte iſta hinc. Olim in noſtris obſeruabatur templis & & Eccleſiis, in cuius rei gratiã quodam decretum erat etiam ſancitum, vt laici inter clericos non ſederent interim dum ſacra peragũtur: quod quidẽ ſancte & religioſe inſtitutũ fuit. Nam ſi tanta reuerentia volebat dominus vt in illo templo antiquo omnes incederent, vt dum ſacra celebrabãtur nõ liceret populo templum ingredi, cum omnia illa vmbra eſſent & figura eorum quæ facienda erant in templo noſtro, vbi Chriſtus verus Deus & hoſtia immaculata pro peccatis offertur, quanto maiori reuerentia deberet Chriſtianus populus ſacris intereſſe?

Auferte iſta hinc. Vide D. Tho. 3. par. quæſt. 44. artic. 3. ad 1. & opuſ. 73. cap. 13.

Eiectio iſta Iudæorum vendentium in templo, contigit initio ſuæ prædicationis, altera vero prope paſſionem eius: vnde hic dicit, nolite facere domum negotiationis, & illic appoſuit, feciſtis eã ſpeluncam latronum: acrius ſcilicet eos reprehẽdens, quod ſecunda eſſet eiectio. Vide D. Chryſoſ. ſuper Ioan. ho. 22. to. 3.

Auferte iſta hinc. Semper debemus Deum ipſum non ſolum in prauis noſtris dictis ac factis, ſed etiam in cogitationibus, præſentem nobis eſſe putare, qui dicat, Auferte iſta hinc. Si voles ergo de cogitationum cura & ſtudio aliqua tractare, contemplare ſubiecta.

Qua ratione prauas cogitationes à cordibus noſtris expellere debeamus, vide D. Bernar. de interio. domo cap. 38. 39. & 40. circa finem operum, & incipit, Quoties te ſentis turpibus cogitationibus.

Quod non tantum debeamus à corde depellere peſſimas atque impudicas cogitationes, verum etiam vagas & leues, lege D. Baſili. lib. Regula. fuſius diſputata. capit. 5. tomo. 2.

Quid cauſæ ſit quamobrem vagis & otioſis cogitationibus diducamur & de remedio earum, vide D. Baſi. lib. Regula. breuiorum interroga. 21. tom. 2.

Quantum prauæ cogitationes hærere ſoleant animo, vide eundem lib. inſtituti. monaſti. c. 17. in fine operum.

Quales eſſe debeant cogitationes noſtræ, lege D. Auguſt. ad fratres in eremo ſermo. 76. prope finem to. 10.

Nolite facere domum negotiationis. Eccleſiaſticis viris prohibitę videntur negotiationes in Conci. Cartha. 1. temporibus Syluestri 1. celebrato c. 6. & 8. & adfertur ibi à concil. locus ille Apoſt. 1. Timo. 2. nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vide hac de re. 11. q. 3. Credo & diſt. 54. Magnus epiſcopus. Tum in Conci. Prouinci. Carthagi. 3. cap. 15. & 21. q. 3. Placuit. & in quodam Conci. Tarraco. de quo vide etiam 14. q. 5. ſi quis clericus.

De ſacerdotibus & ſacerdotio ſi velis fuſius tractare, ſex libellos inuenies apud Chryſoſto. qui inſcribuntur de ſacerdotio to. 5.

Eccleſiam maxima reuerentia proſequi debemus, adeo vt ſi fieri poſſit neque in ea dormiatur, aut edatur, ſicut monetur in Concili. Prouincia. Laodicen. tempore papæ Liberij celebrato c. 28. de quo vide diſt. 42. non oportet in Baſilicis. Idem monetur in Conci. Carthagi. 3. c. 30. de quo vide diſt. 42. Nullis epiſcopis. Vide etiam Conci. 6. Cõſtantino. aduerſus Sergium & alios hæreticos cano. 74. & 76.

In Eccleſia reuerenter verſari debemus, de quo vide Vincen. Belluacen. Specu. hiſto. lib. 25. capitulo 10. vbi inuenies hac de re mirabile quidpiam.

Columbas vendebant. Per hoc videtur deſignari quod venderent gratiam ſpiritus ſancti, & committerent ſimoniam, de qua vide Vincen. Specu. Mora. lib. 3. par. 7. diſtincti. 14. 15. 16. 17. & ſpecu. Doctrina. lib. 9. cap. 1. vſque ad 35.

Tametſi quis videat ſacramenta miniſtrari interdum & res ſacras à malis miniſtris, non debet propterea quidquam mali ſuſpicari. Nam quãuis fax ipſa ſeipſam conſumat, alios tamen illuminat: ita malus miniſter quamuis ſibi ipſi nocumentum inferat ea adminiſtratione, aliis plurimum prodeſt & confert.

Quemadmodum aqua in hortum intrans & influens, vt ea totus irrigetur hortus, non propterea ſuum effectum minus complet quod per canales defluat lapideos aut etiam teſtaceos: ita virtus ſacramentorum qua irrigantur animi noſtri, non idcirco deſerit effectum ſuum quod per prauos miniſtros ſacramenta miniſtrentur, tanquam per canales quoſdam teſtaceos & luteos.

Quemadmodum medicina quamuis ab infirmo aliquo medico præſcribatur, non propterea ſuo caret effectu & efficacia: ita ſacramenta ipſa quãtumuis à malis miniſtris adminiſtrentur, non propterea vim ſuam & efficaciam perdunt atque amittunt.

Auferte iſta hinc. Ex corde malæ cogitationes auferẽdæ ſunt, nam perutile admodum eſt vt ſtatim auferantur, & in bonas potius cogitationes commutandæ ſunt. Siquidem quemadmodum ignis in aquam coniectus, illico extinguitur: ita peruerſa cogitatio in optimam conuerſa, ſiue ei adhærens, maxime ſtatim conſumitur & vaſtatur.

Sicut vipera à ſuis natis veneno inficitur atque conſumitur: ita peruerſæ cogitationes inficiunt mentem ipſam à quo procreantur & producuntur, atque ipſi animæ vitam adimunt.

Quemadmodum Pharao nunquam conceſſit liberam omnino abeundi facultatem Hebræis, donec tandem primogeniti omnes interierunt: ita dæmon nunquam nos ſoluere vult, niſi prius in nobis intereant & perimãtur primogenita, nempe cogitationes malæ, quæ corda noſtra occupãt: & in eis principes ſedes vſurpant.

Recordati vero ſunt diſcipuli eius quia ſcriptum eſt: zelus domus tuæ comedit me. Recordabantur diſcipuli & memoriam refricabant conſpecta ea calamitate & eo flagello, vt intelligas quam vtiles ſint calamitates ipſæ ad homines excitandos. Quare hoc loco ſi voles, differre poteris de vtilitate calamitatum & laborum.

Quam ſint vtiles calamitates, opprobria, iniuriæ, contumeliæ, & huiuſmodi labores, lege Lauren. Iuſt. lib. qui faſciculus amoris inſcribitur cap. 4. vbi agitur quod variis preſſuris purgatur animus, vt ſpirituali gaudio repleri mereatur.

Habet longam quandam homiliam Chryſoſt. vbi varie de calamitatibus tractat, inſcribitur vero quod nemo lædatur niſi à ſeipſo, to. 5.

Mediis calamitatibus Deus adducit & pertrahit homines ad ſui notitiã: de qua re multa habes

apud Hieron. epiſ. ad Marcellam de ægrotatione Bleſillæ circa medium tomi 1.

Quo pacto proficere ex calamitatibus debeamus, vide D. Auguſt. in ſuis epiſto. quæ in 2. to. leguntur, nempe epiſto. 82. 83. item 122. 133. 136. 138. 141. 149.

Quod vultu ſereno recipere calamitates debeamus, lege eundem de tempore ſermo. 111. circa medium to. 10.

Calamitates conducibiles ſunt, Pſalm. 32. conuerſus ſum in ærũna mea. Ezechie. 16. zelus meus recedet à te, & non iraſcar tibi amplius. Pſam. 80. dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum. Roma. 5. gloriamur in tribulationibus. Apoca. 7. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione. Hiere. 5. percuſſiſti eos nec doluerunt.

Zelus domus tuæ. De zelo vide Vincen. Belluacen. Specul. Moral. lib. 1. par. 1. diſtinctio. 34.

Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Vide quæſo quam duro & obſtinato eſſent animo, vt ſigna quærerẽt, neq; adhuc flagello emendati eſſent: vt intelligas quod calamitatibus & flagellis alij quidem emendantur, alij vero deteriores fiunt. Ignis enim fornacis Babylonicæ pueros illuminabat, cæteros vero exurebat. In area item ipſa, triticum ex triturationе & ventilatione lectiſſimum remanet: at vero paleæ in aërem ſubleuantur & euaneſcunt. In trapeto etiam & olearjo piſtrino, magno illo tympani ſeu trabis pondere & igni vehemẽtiſſimo, non quicquid exprimitur & decoquitur eſt purum oleum, ſed fæces quoque & amurca exprimuntur. Eodem etiam aëre quædam herbæ ſuauem emittunt odorem, aliæ vero teterrimum.

Sicut eum qui pila palmaria colludit, non tantum extollimur quod pilam ad ſe accommodate tendentem mira quadam dexteritate percutiat, ſed etiam, & multo quidem magis, quod minus accommodate occurrentem aduerſa manu ſcite in colluſorem retorqueat, & vehementi conatu regerat: ita plane non tantum laudibus extollendus eſt aliquis quod rebus ſecundum palati ſententiam ſuccedentibus vitam ſcienter cordateque traducat, ſed multo certe magis quod reflante fortuna & ingruentibus calamitatibus, patienter & ſine vlla murmuratione ſe gerat.

Quemadmodum triticum ipſum priuſquam in horrea comportaretur, animalium pedibus diu multumque triturатur: vinum item antequam in munda vaſa infundatur, pedibus hominum proteritur: ſic profecto qui in cæleſte granatium immitti debet, varia prius calamitatum triturатione hic exerceatur oportet: & qui de ingreſſu tabernaculorum ſupernorum cogitat, antea neceſſe eſt variis laboribus iactetur, & deniq; per varios caſus atque diſcrimina rerum, rendat in ipſam patriam.

Reſpondit Ieſus & dixit eis: ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Tametſi ſignum det eis dominus, iſti tamen nil tale intellexerunt: ſed male potius ſtatim cogitarũt, & in ſiniſtram partem omnia interpretati ſunt. At vero valde nobis curę eſſe debet, vel Seneca teſtante, vt cogitationes noſtræ rectæ ſint, & nequaquam in ſiniſtram inflexæ partem. Sic viuendum nobis eſt, imo & cogitandum quidem, tanquam ſi omnium oculis expoſitæ eſſent cogitationes noſtræ. Nam cũ Deo quidem pateant, maxima cautio nobis adhibenda eſt, vt ille ſint putæ, ſint ſanæ, ſobriæ, ac ſanctæ. Vide Senecam lib. 12. epiſto. epiſto. 84.

Talis eſſe debet cogitatio noſtra, taliſque animus, qualẽ Deum ipſum requirere intelligimus: requirit is autem cogitationes omnes noſtras, & puras, & defæcatas ab omni fæce prauitatis. Cæterum quid ſtultius, quam munere nobis rationis cælitus conceſſo, in perniciem noſtram abuti? vide Senecam lib. 14. epiſto. 93.

Dixerunt ergo Iudæi: quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Conſule D. Tho. 3. p. q. 33. art. 1. ad 1.

Tanta erant cæcitate præditi Iudęi, vt non intelligerent ſignum datum, neque eo dato quod petebant, vlla ratione conuerterentur: ſed potius expectarent calamitatem maiorem, & maiorem ſibi damnationem accumularent deſtruẽdo templum ipſum, hoc eſt crucifigendo Chriſtũ dominũ. Nam permiſit & hanc calamitatẽ Chriſtus eis euenire, vt tandem aliquando viſis ſignis in morte ipſius, conuerterentur, qui viſis tot miraculis in vita minus conuerſi fuerant. Siquidem peritus frænorum artifex iuxta cuiuſque equi naturam & ingenium, frænum ipſum conficit, ſiue leue, ſiue acre: ita clementiſſimus pater nouit quo quiſque egeat fræno, quibus opus habeat calamitatibus, afflictionibus & ærumnis, vt tandem reſipiſcat, & ad meliorem redeat frugẽ. Et certe quanto acriores & acutiores ſunt cardui quibus pãnus ipſe atteritur & afficitur à lanifico, tanto mollius afficit ſuauiuſque contactum ipſum; ita quo grauiores, ſunt calamitates, ſic plerunque homines ipſos manſuetiores mitioreſque reddere ſolent.

Sicut domeſticis auibus, vt columbis, aliiſque id genus, ne poſſint in ſublime nimium volare, & ita irrecuperabiliter aufugere, conſueuimus plumas quaſdam conuellere, ne nobis aliter pereant, quamuis eiſdem dolorem aliquem inferamus: ita plane permittit Deus vt nobis aliquæ infligantur graues calamitates, vt ea ratione reſipiſcamus, neque vllo modo in inſipientiam & obſtinationem euaneſcamus, aut in ſuperbiæ ventos efferamur.

Quemadmodum aues ipſę cum quidpiam fugiunt, ſibi ſolent ſubuenire in alrum euolando, piſces vero ad ima quæque tendendo: ſic alij homines ærumnis laboribuſq; afflicti, in ſublimem conſiderationem conſcendunt, Deum quærendo, alij vero contra deorſum tendunt, humana ſolatia indagando: item quidam aſcendunt, ſeipſos emẽdando, alij vero deſcendunt, obdureſcentes magis, & tanquam lapides ad ima tendentes inferni.

Quemadmodum qui æſtate ipſa vrente iter cõficiunt, cum vmbram aliquam peramænam viderint, ad eandem ſtatim approperant, vt à vehementi æſtu quo exæſtuant, recreentur, & vegetiores reddantur ad reliquum conficiendum iter: ita profecto quicunque variarum calamitatum æſtu hic diſcruciantur, accedant neceſſe eſt ad ſalutarem crucis vmbram, hoc eſt meditentur aſperrimam illam & vehementiſſimam domini paſſionem, quantoſque labores pro nobis perpeſſus Chriſtus fuerit: atque ita alacriorem quendã ſpiritum aſſumentes, infractos ſeſe præbebunt & robuſtos, ad mala omnia ſuſtinenda.

Sicut in mari rubro nonnulli demerſi ſunt ac perierunt, nempe ipſi Ægyptii, alij vero incolumes euaſerunt, videlicet Iſraelitæ: ad eũdem modum plerique ex calamitatibus ipſis incolumes euadunt, hoc eſt emendati & correcti, alij vero demerguntur in maiorem impietatem, deterioreſque euadunt.

Propter ſcelera noſtra frequẽter calamitatibus laboribuſque affligimur Hiere. 2. D. quare ergo factus eſt in prædam.

Calamitates ad Deum nos reducunt Hie. 8. E. quare ſedemus, &c. peccauimus enim domino.

Poſtquam Deus per Eſa. dixit cap. 1. F. Excoquam ad purum ſcoriam tuam, in quo ſignificauit ſe nobis labores immiſſurum, vt oſtenderet quinam inde fructus ſequerẽtur, ſubiunxit, poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti.

Sæpe nobis eueniunt calamitates & flagella ignorantibus nobis qua vel vnde proueniant Eſa. 47. C. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius.

Calamitates nobis immittuntur à Deo in pondere & menſura, hoc eſt ſecundum vires noſtras Eſa. 48. B. ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum.

Magna quidem miſeria eſt neque ingentibus etiam calamitatibus homines corrigi, ſed potius deteriores fieri Hiere 44. D. ſermonem quem locutus es nobis in nomine domini, &c.

Calamitates in Deo cognitionem nos reducunt Baruch 2. G. & laudabunt me in terra captiuitatis.

Calamitates quantum nobis proſint Ezechie. 12. D. & ſcient quia ego dominus.

Calamitates nos ad Deum reducunt Eze. 16. G. & recordaberis viarum tuarum.

Cum nobis hic non obtingunt calamitates propter ſcelera noſtra, timendũ eſſe videtur Oſee. 4. C. non viſitabo ſuper filias veſtras cum fuerint fornicatæ.

Non eueniunt nobis tantæ calamitates quantas pro delictis meremur Iob. 11. A. B. & intelligeres quod multo minora.

Calamitates reducunt impios ad Deum Exo. 9. F. peccaui etiam nunc.

Quantum proſint calamitates. 2. Parali. 12. C. vt ſciant diſtantiam.

Calamitates & afflictiones efficiunt nos in veritatis cognitionem venire 2. Macha. 9. C. Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo.

Illę autem dicebat de templo corporis ſui. Dum ergo ſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius quia hoc dicebat de corpore ſuo: & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Ieſus. Cum Chriſtus dominus loqueretur de templo corporis ſui, quemadmodum re ipſa cognouerunt diſcipuli poſtquam ſurrexiſſet à mortuis: peruerſi tamen Iudæi aliorſum accipiebant, & prauas ac ſacrilegas in animo cogitationes habebant: quæ quidem prauæ cogitationes vſque adeo nocẽt, niſi eaſdem primo quoque tempore radicitus ab anima conuellamus, vt plane vniuerſa opera noſtra, dicta & facta, contaminare ſoleant, atque peruertere. Quemadmodum enim vermiculus plantæ radicem occulte clanculumque corrodens, arefacit totam arborem: ad eundem modum peruerſa aliqua cogitatio menti occultè inhærens, omnia ſolet opera noſtra peruertere, ac deteriora reddere.

Quemadmodum aquila, ſi naturalibus philoſophis credimus, vt deprehendat quinam ſint veri ac genuini liberi ſui ſiue fœtus, eoſdem rutilanti ſoli exponere ſolet: & quos nouerit confixa oculorum acie ac minus tremula ſolem ipſum cõtueri, ſtatim tanquam ſuos amplectitur & fouet, cæteris ceu adulterinis & ſuppoſititiis reiectis. Ad eundẽ modum in cogitationibus nos gerere par eſt, vt eas ſcilicet quæ recta ſolem ipſum iuſtitiæ Chriſtum contuebuntur, ineamus, & reipſa exequamur, quæ vero contra Chriſtũ fuerint, & contra eiuſdem mandata ac præcepta, eas quam celerrime præſcindamus, amputemus, deleamus.

Quemadmodum qui fluxum aliquem aliquas aquæ diuertere ſtudet, efficereque ne fluat & procurrat per locum ſibi minus conuenientem, is diligentiſſime curat vt aditum alium labenti aquæ detinam aliter diutius cohibere fluxum illum non poteſt. Ita profecto quicũque noxias ſtudet declinare cogitationes, is opere pretium eſt mentem ipſam ad cogitandum promptiſſimam & expeditam, alio diuertat, nempe ad cogitandum ſancte & pure, ne aliter ex prauo cogitationum fluxu, opera noſtra omnia contaminentur.

Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna quæ faciebat. Vide quam impure ſe gererent Phariſæi in eo quòd feſta ipſa & loca ſacra violarent vendendo & emendo in eis, & templa prophanando: neque vnquam ſe conuertendo quemadmodum iſti qui crediderunt Chriſtum videntes ſigna quæ faciebat. Hic ſi voles diſſerere quanta reuerentia quantaque puritate ſint feſta celebranda, loca ſacra & templa veneranda, aliqua ſubiiciam.

Quod feſta ipſa maxima reuerentia obſeruanda ſint Exo. 16. F. Quodcunque operandum eſt.

Obſeruanda ſunt feſta Exo. 23. B. vt requieſcat bos.

Quomodo olim punirentur qui feſta non ſeruabant Nu. 15. D. Colligentẽ ligna in die ſabbathi.

Quam ſtrictè ſeruarent Machabæi illi feſta 1. Macha. 2. D. Nec lapidem miſerunt in eos. Diebus quidem feſtis deus eſt cõuiua noſter & ideo ſicut diligenter curamus cum aliquem excepimus conuiuam, vt ad eius palatum, non autem ad noſtrum, cibos condiamus, eaque omnia paremus quibus conuiuam ipſum capi intelligimus: ita plane diebus feſtis nos totos ad Dei cultum conuertere debemus, eaque facere, dicere & cogitare, quæ Deo placitura eſſe cognoſcimus: non autem corporis noſtri deliciis indulgere, non debachari, non Epicureum agere: aliter enim conuiua ipſo neglecto, palato tantum noſtro ſeruiremus.

Hebræi cæteris quidem diebus manna colligebant ſimplici menſura: at vero die veneris in duplici, ne die ſabbathi cogerentur illud accipere Exo. 16.

Die ſabbathi duo offerebantur agni Num. 28. vt ſignificaretur quanto cum affectu & ſtudio, quamque cumulato, par ſit vt nos feſtis Diebus Deo tradamus.

Qui die feſto mundam non habet conſcientiã, corpore is quidem gaudet & lætatur: at vero animus in luctu eſt & ſqualore. Quod enim poteſt verum ac ſolidum gaudium habere anima vitiorum immerſa cæno, & in qua dæmon ipſe inhabitat, non autem Chriſtus. Vide D. Auguſt. de tempo. ſermo. 255. to. 10.

Cambyſes Perſię rex & Cyri ſucceſſor cum aliquando expugnaſſet cepiſſetque Ægyptum, templa omnia demolitus eſt atque deſtruxit, in Phanum etiam Iouis exercitũ ſuum deſequire præcepit. Cæterum cum exercitus ipſe tenderet in Africam ea gratia, ventus fortè excitatus eſt validiſſimus, tempeſtaſque maxima: adeo vt ingentiſſimi etiam arenæ montes vſque adeo eleuarentur, vt totum exercitum operirent, & ea ratione vniuerſus periret. Quod cum ita contigiſſet, putabant ſibique perſuadebãt ethnici illi omnes propterea id euenisse, quod in templa ſuorum deorum & debacchati eſſent, & debacchari adhuc etiam vellent. Si igitur illi putabant propterea eam tempeſtatem clademque euenisse, quòd irreuerenter falſos ſuos deos tractaſſent, & eorundem templa: quid nos promerebimur, ſi veri Dei noſtri

templa, ſi feſtos eiuſdem dies, prophanauerimus, deſpexerimus, contempſerimus? Vide Iuſt. lib. 1. ex quo cum eadem moderatione & accommodatione ſemper intellecta, plura ſubiiciam.

Xerxes quondam putauit idcirco exercitum ſuum periiſſe, quòd poſt bella illata variis nationibus ab eodem exercitu, iuſſiſſet etiam eidem vt templa omnia ſpoliarent, præſertímque Apollinis templa, dies feſtos prophanarent, & denique diis etiam ipſis manus armáque inferrent. Lege Iuſtinum lib. 2.

Phocenſes olim videntes res ſuas omnes deſperatas ac deploratas eſſe, iracundia furoréque flagrantes, non dubitarunt etiam in ſuum Apollinem manus, iniicere, eius templum ſpoliare, & denique phana omnia in prophana conuertere, & feſtos dies polluere: ex quibus opimis ſpoliis, in Thebanos etiam bellum mouerunt. Qui ſtatim regem ſibi Philippum aſſumentes, in eos viciſſim depugnarunt: præcepit vero is Philippus, vt cunctus exercitus laurea inſigniretur, vt hac ratione ſignificarent ſe non tam pro ſua defenſione præliari, quã pro iniuria vlciſcenda quam in Apollinem, cuius ipſa laurus inſigne eſt, perpetrauerãt. Quo ſolo conſpectu vſque adeo Phocẽſes perterriti ſunt, vt ſibi perſuaſerint Apollinem ſuũ velle ſe vindicare de iniuria quã ipſi intulerant: atque ita abiectis armis aufugerunt omnes. Vide ſi vis Iuſtinum lib. 8.

Antiochus volens Iouis templum ſpoliare, occiſus eſt, & cunctus eius exercitus, vt refert Iuſtinus lib. 32.

Alexandri exercitus ſimularque monte quendam Baccho conſecratum ingreſſus eſt, forte in inſaniam atque furorem conuerſus eſt, vlulabántque & voces horribiles emittebant omnes ceu feræ immaniſſimæ, quòd eo accidiſſe putabant, quia irreuerẽter locum ſacratum Baccho tractaſſent. Lege Iuſtinum lib. 12.

Brenus quidam dux gallicus profectus cum potenti quodam exercitu ad ſpoliandam templum Delphiticum, id quidem efficere non valuit: proterea quod primo totus exercitus vagabatur ad cibos potius quærendos & vinum ſibi parandũ: interim vero Delphitici ciues munierunt vrbes ſuas. Cum itaque haberet in ſuo exercitu Brenus ſeptuaginta quinque millia hominum, & Delphinis eſſent tantum quatuor millia, excitabat ſuos vt viriliter pugnarent, præſertim cum viderent tam paucos eſſe aduerſarios, & præmia eſſe ampliſſima, cum ibi erectæ eſſent ſtatuæ complures aureæ. Atque ita cum manum conſereret vterque exercitus, quamuis delphitici pauci admodum eſſent, tamen victores euaſerunt: quod idcirco contigiſſe vtique putarũt quòd templum violare vellent aduerſarij. Vide Iuſtinum lib. 24.

Toloſani peſtem à ſua Repub. depulſſe credebãtur, propterea quod theſauros eos quos à templis conuaſauerant, reliquerunt: quos cum Scipio deinceps accepiſſet, nempe centum & decem mille auri libras, & quinquies decies centum mille librarum argẽti, idcirco creditus eſt cunctus eius exercitus periiſſe. Vide Iuſtinum lib. 32.

Gryphina ſororem ſuam Cleopatram interfecit, eum defendiſſet in templo ſtatuam quandam cuiuſdam deæ: & idcirco credita eſt nece breui periiſſe. Vide Iuſtinum lib. 39.

Vide quantas excogitauerit machinas quantoſque dolos antiquus ille hoſtis atque nobis lõge infenſiſſimus in totius Eccleſiæ pernicié. Nam poſtea quam deluſerat multis ſeculis ethnicos illos olim falſis ſuis diis & cæca idololatria, ſentiretque Chriſti aduentu magnam ſe iacturam eſſe facturum, proſtratis falſis diis, idcirco hæreticos ſibi homines aſſumpſit, quibus Eccleſiam affligeret atque vexaret. Sed tamen neque hac ratione præualere poteſt, cum flagello Chriſti ab eadem protinus expellantur. Vide Auguſt. lib. 18. de ciuĩta. Dei cap. 51. to. 5.

Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes: & quia opus ei non erat vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. De Epiſto. & Euange. duos habet ſermones D. Anton. initio 1. p. Theolo.

Eundem vide 1. par. hiſtor. titu. 5. §. 9. & eodem titu. cap. 5. §. 5.

Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Vide D. Tho. 3. par. quæ 10. arti. 2. in corpo.

De eiectione ementium & vendentium de tẽplo, vide Hugo. de S. Victore lib. 1. Allegoriarũ in Ioan. to. 1. cap. 3.

Vide denique ſupra feria 3. poſt 1. domi. Quadrageſimæ, vbi adfertur Euangelium de ſecunda eiectione de templo.

Feria tertia poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ.

Am die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi dicentes: quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? Ioan. 7. Matt. 13. Sacerdotio digna ſaluatoris doctrina, quare ibi etiam præcipue adhibetur, vbi Deus habitare credebatur. Nam etſi Deus omnia repleat, quia circumſcriptibilis loco non eſt, nec ſecundum naturam ſuam in loco eſſe intelligatur, decentius tamen eum in ſacris locis habitare dicimus. *Quomodo hic literas ſcit, &c.* Stupent Iudæi hominem nondum Chriſtum eſſe putãtes, quia & ſapiẽtia & literis in exercitatus exercitatis longe præſtabat. Moſes autem vniuerſa Ægyptiorum ſapientia fuit perdoctus, & tamen quaſi nil penitus ſciens, ad meliorem diuinitus cognitionem erudiebatur. Ita humana omnis ſapientia imbecilla & fragilis eſt ad diuinam comparata, per quam Chriſti myſteria diſcimus. Chriſtus igitur eſt perfectum bonum in omnibus: qui ſapientiam cognitionémque rerum non per doctrinam, ſed per naturam habet inſitam atque innatam. Quocirca Eſa. etiam dicit de ipſo: antequã cognoſcat puer bonum aut malum, eliget bonum. Vide D. Cyril. libr. 4. ſuper Ioann. cap. 40. & 41.

Admirabantur Iudæi. Mirabantur indignatione, non gratia: ſtupebant liuore, non laude: furebant, quia quod ſapere non poterant ſuperba ſubſellia, ſtans humilitas perdocebat.

Quomodo hic literas ſcit. Sic dicit qui Deum ex quo eſt ſapientia, ex quo virtus, ignorat: ſic dicit qui Chriſtum neſcit eſſe Dei ſapientiam, Dei eſſe virtutem. Vnde fit ſapientia Salomon probat, qui cum regni apicem paruulus ſuſcepiſſet, vt creditum ſibi populũ regeret virtute, non faſtu: ſapientia, non tumore: corde, non vertice: à Deo ſapientiam voluit, & poposcit. Sapientiã ergo & virtutem eius mirantur, virtutem quæ dat oculos quos natura non dedit, quæ auditum reddit debilitate cõcluſum, quæ in mutis ſui ſoluit vincula ſermonis, quæ claudos reducit ad curſum, quæ animas apud inferos iam deuinctas, propria redire cogit ad corpora, à Deo eſſe, niſi ſalutis inuid' nó negaret. At Iudæi ſciebãt Chriſti opera diuinę virtutis eſſe

eſſe, non eſſe poſſibilitatis humanæ: ſed liuoris nubes, malitiæ fumus, viſum ſpectantium caligabant, ne lumen Chriſti, nec tempus Euangelij, peruiderent. Dicebant itaque, eſt fabri filius: ſed cuius fabri filius non dicebant: dicebant fabri filius, vt arte vili ars lateat autoris, & deitatis nomẽ fabrile nomen abſconderet. Chriſtus erat fabri filius, ſed illius qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto; qui elementorum membra non ingenio, ſed iuſſione compegit: qui maſſam ſecuri autoritate non carbone cõſtauit, qui ſolem non terreno igne, ſed ſuperno calore ſuccendit: qui lunam, tenebras, noctem, formauit, & tempora: qui ſtellas variata luce diſtinxit, qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit ô homo tibi, vt opificẽ operis æſtimatione penſares. Sed tu Iudæe huius fabri filium notas, qui pro tantis beneficiis repenſare vice deberes in filium, hinc eſt quòd non prẽcipis futura, quia de præſentibus exiſtis ingratus. Chryſol. ſer. 48.

Aſcendit Ieſus in templum. Quod templum? neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Aſcendit hodie dominus noſtri pectoris in templum, qui tam clementer noſtri corporis deſcendit in formam: quod autem aſcenſus Dei ſit in humani cordis exceſſo, beatus propheta aſſerit, cum decãtat, beatus vir cuius eſt auxilium abs te domine, aſcenſus tui corde eius. *Die feſto mediante.* Merito die feſto mediante aſcendit dominus in templum, quia nobis erat perfectum diem feſtum præſtaturus è cælo: quicquid ſublime, quicquid ad cœlum tendens, in cordibus habebatur humanis, vſque ad infernum dominicæ pondus incuruauerat paſſionis. Id namq; eſt quod Chriſtus quadraginta diebus reſidet & remoratur in terris: & ſi dici fas eſt patris occurſum differt, patris ſuſpendit amplexum, donec totum ſe releuet, & reformet ſuę aſcenſionis in gloriã. In cuius ergo templo hic non aſcenderit Chriſtus, cælum non aſcendet ille cum Chriſto. *Et mirabantur Iudæi.* Bene mirantur Chriſtum, quòd non didicerit ſcire, quando ipſi probantur, quæ dicíderint & doceãt, legis præcepta neſcire, dicẽte Domino, Tu es doctor in Iſrael, & hæc ignoras? Mirantur Iudæi iam rebelles, nolunt credere: mirari norunt, & detrectãt ſapere, neſcire poſſunt. Petrus Chryſol. ſer. 85.

Die feſto mediante. Notat Euangeliſta tempus quo hæc contigerunt, vt ita apertius Iudæorum malitia & peruerſitas innoteſceret: qui tãto feſto, tam immundiſſimo & impuriſſimo eſſent animo. Vide D. Auguſt. ſuper Ioan. tracta. 29. to. 9.

Quomodo hic literas ſcit. Peruetus quidem mos eſt arrogantium hominum & inſolentium, cæteros deprimere, vt ſeipſos exprimant atque extollant. Gaal enim Abimelech deprimebat, vt ſe efferret, dicens. Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, vt ſeruiamus ei? vtinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea Iudicum 9. Tumentia quidem & ſeſquipedalia verba dicebat olim Rabſaces nomine regis Aſſyriorum, deſpiciens regem Iudæ & regem Ægypti; vt extolleret dominum ſuũ & ſeipſum 4. Reg. 18. Tales porro homines qui cæteros contemnunt atque deſpiciunt, grauiter reprehenduntur Malach. 2. Contra ergo modeſti viri ea tacent, de quibus tamen iure gloriari poterant. Sic Samſon quamuis inermis leonem dilaniaſſet, nemini id tamen volebat dicere Iudicum 14.

Reſpondit eis Ieſus, & dixit: mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Hęc eſt profunditas prima, videtur enim paucis verbis quaſi contraria locutus. Non enim ait, iſta doctrina non eſt mea, ſed mea doctrina non eſt mea. Si nõ tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque, & mea doctrina, & non mea. Nam ſi dixiſſet, iſta doctrina non eſt mea, nulla eſſet quæſtio. Sed attendite ſolutionem. Quæ eſt doctrina patris, niſi verbum patris? Ipſe ergo Chriſtus doctrina patris, ſi verbum patris. Sed quia verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicuius, & ſuam doctrinam dixit ſeipſum, & non ſuam, quia patris eſt verbũ. Quid enim tam tuum, quam tu? Et quid tam non tuum, quam tu? Quare videtur mihi ac ſi dixiſſet, Ego non ſum à meipſo. D. Auguſt. ſuper Ioann. tracta. 29. to. 9.

Super illa verba, mea doctrina non eſt mea conſule D. Thomã. 3. p. q. 9. art. 1. per totum. & 3. ſen. diſt. 14. art. 1. quæſtiun. 1. per totam.

Super illa verba, ſed eius qui miſit me, conſule eundem 1. p. q. 43. per totam. & q. 112. ar. 1. in corpo. & 3. p. q. 39. art. 8. ad 1. & 1. ſen. diſt. 15. per totam. & 3. ſenten. diſt. 1. l. & contra gen. lib. 4. cap. 8. & 23. & 24. Item de poten. q. 10. art. 4. ad 14.

Mea doctrina non eſt mea, vide D. Auguſt. lib. 1. de Trini. cap. 12. to. 3.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina mea, vtrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. Tunc enim cognoſcetis inquit, ex Deo Patre doctrinam eſſe meam, quando volueritis voluntaté illius potius, quam veſtram amplecti. Eſt autem voluntas Dei qui legem ſanxit, non interimere hominem. Tunc inquit nullo præoccupati odio facile cognoſcere poteritis vtrum ex Deo doctrina mea ſit, an ego à meipſo loquar, Ita vtiliter arguit & iure accuſat, quia immerito doctrinã eius reprehendãt, quam pater comprobauit, vel quod verius eſt, quàm vna cum filio exponit atque interpretatur. C. Cyrill. ſuper Ioan. lib. 4. cap. 43.

Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius qui miſit illum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt. Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? quid me quæritis interficere? Non à ſemetipſo loquitur Chriſtus, id eſt non alienum atque contrarium quicquam adfert. Non enim doctrinam legis improbat: ſed obumbrata in lege fulgenti colore perficit. Occulte adhuc illos reprehendit, & ſuam potius quam Dei gloriam quærere ſolitos, in ea incidere crimina ſubaperit, quibus alios accuſent. Legis enim mandata contemnentes, ad voluntatem ſuam deferebantur: præcepta hominum docentes, vt ſcribitur. Eſa. 29. Vnde commode arguuntur aduerſus ipſum legiſlatorem delinquere, non præcepta illius auditoribus, ſed ſua præponentes. Cum igitur abſolute atque in genere dicatur, qui à ſeipſo loquitur, gloriam propriam quærit: phariſæorum arrogantię morbus manifeſtatur, qui ſua ideo potius quam diuina præcepta plebi proponebant, vt debitam Deo gloriam in ſe traducerent. Cæterum qui Dei gloriam non quærit, ſed ſuam, is & mendax ſimul & iniuſtiſſimus eſt. Mendax quia ſimulatione legis ſeruandæ, ſuam voluntatem auditori proponit. Iniuſtiſſimus vero, quia legiſlatoris dignitate neglecta, dominicis præceptis ſua præferre audet. Iuſtus ergo & verax Chriſtus, in quo nil horum criminum inuenitur. D. Cyrill. ſuper Ioan. lib. 4. c. 44. & 45.

Qui à ſemetipſo loquitur, &c. Si prurit tibi animus hoc loco de inani gloria differere, deque ambitione, propria æſtimatione, ſuperbia, præſumptione, aliiſque hiuſmodi; aliqua hoc de argumento deſcribam.

Quendam compoſuit ſermo. D. Chryſoſtom.

cui titulus est, de inanis gloriæ cupiditate, inter initium ac medium to.5.

Inanis gloria vitiosissima, lege D.Basi.lib.constituti monasti.cap.10.in fine operum.

Dialogum quendam conscripsit inter inanem gloriá & timorem domini D. Leo Papa circa medium operum:& postmodum alium etiam habet, inter hypocrisim & veram religionem.

Quod diligenter nobis fugiendum sit inanis gloriæ vitium,lege Vincen.Belluacen.speculhisto. lib.15.cap.92.& lib.18.cap.13.

Quid senserint philosophi lege eundem speculdoct.lib.4.cap.128.

Quemadmodum quamuis integrum fere nobis non sit,prohibere ne aduolantes & reuolantes hirundines domum nostrum ingrediantur,est tamen facile in potestate nostra ne ibidem nidificent,ac sibi nidos construant:sic profecto tamet si minus videamur posse cogitationum influxum & refluxum declinare depelleréque à mente,at certe ne quæ praue sunt & ex inani gloria conflatæ, in nobis nidificent ac moram trahãt,id quidem perfacile possumus curare,atque debemus.

Narcissum quendam fabulantur poetæ vsque adeo sibi placuisse,tuique amore captum fuisse:vt cum aliquando propter tantum amoris impetum, pulchritudinem suam in quodam limpidissimo fonte contemplaretur,extra se omnino positus,in florem fuerit conuersus: ita qui inanis gloriolæ auidissimi sunt,vsque adeo sibi placent, vt idcirco nulli placeant, sed potius in caducum quendam vanitatis florem commutati, omnibus pro oblectamento sint atque ludibrio.

De inani gloria fugienda vide Prolo.in Esther, Nec affectamus laudes hominum,&c.

Fugere inanem gloriam cum velis, tum remis debemus Acto.14.viri,quid hæc facitis?

Inanis gloria declinanda 2.Cor.3.B.non quod sufficientes simus.

Exponens D.Greg.verba illa sancti Iob,Non ei placebit vecordia sua:dicit in hunc modum. Extremæ quidem dementiæ est, magna operari, & per ea mercedem tantum quærere humanam: & & tam vili pretio inæstimabilia virtutum opera diuendere.Vide D.Greg.lib.8.Mora.c.28.

Dicere Dauidem Psalm. 126. vanum est vobis ante lucem surgere,&c.Significare videtur vanum esse, velle nos de bonis nostris operibus laudem quærere humanam, antequam retributio illa cælestis aduenial à Deo.Vide D.Grego. lib. 8. Mora. cap.35.

Rectè quidem dicitur de bonis hypocritarum operibus, illud Psal. 77. tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici: omnia enim opera eorum qui propter inanem gloriam operantur, huc miseriæ redeunt denique. Vide D. Grego. lib. 8. Mora. cap.37.

Explicans idem Grego.verba illa Iob, si iustificare me voluero,os meum condemnabit me:etiá si simplex fuero,hoc ipsum ignorabit anima mea: inquit,faciamus opera bona,& ea minime intueamur siue suspiciamus, ne vlla nos apprehendat inanis gloria. Itaque ea cognoscentes, quodammodo ignoremus. Vide D.Grego. lib. 9. Moral. cap.17.

Quasi latrunculus est siue insidiator bonorum operum ipse appetitus laudis humanæ, perpetuo quærens quanam ratione ea iugulare possit & interficere.Vide D.Grego.lib.9.Mora.c.18.

Cogitatiões aereæ,& imaginationes vanæ illius qui inani gloria capitur, persimiles sunt somniis eius qui somniat se in honore positum esse, diuitiis affluere,ab omnibus in pretio haberi, in omnium rerum abundantia viuere,& tamen vbi primum à somno excitatur,in eadem se inuenit paupertate,in eodémque statu quo antea erat. Vide D.Grego.lib.15.Mora.c.4.

Scribitur 1.Macha. 6. de Eleazaro quod cum occidisset elephantum, ibidem quoque mortuus fuerit,oppressus à bestia super ipsum cadente: in quo significatur quod multi in spirituali certamine felices alioqui & bonis operibus clari, cum tamen inani gloria insolescant & euanescant, tandem opprimantur & pereant cum suis operibus simul cadentibus super eos, hoc est ruentibus & pereuntibus propter ipsam inanem gloriam.Lege Grego.lib.19.Mora.c.13.

Declarans D.Greg.verba illa Iob, si putaui aurum robur meum, &c. inquit quod non ponebat & collocabat hic sanctus vir spem suam in rebus humanis, neq; vlla vana gloria ex eisdé efferebatur:sed in solum Deũ oculos suos coniiciebat. Nõ equidem ita se gerebat ille cui dictũ est Lucæ 12. stulte hac nocte,&c.Vnde eidé breui omnia ablata fuere simul cum vita,quæ longo tempore cõgregauerat.Serui quidé Dei in hac peregrinatione constituti,hæc omnia arbitrantur inania & abiecta,nec vlla ex eisdem vana gloria insolescũt. Vnde idem Iob dicebat, si vidi solem cum fulgeret, &c. Quasi diceret,non superbiui,insolens non fui propter opera mea,vel propter splendorem famæ qui ex eisdem nasci solet operibus, sicut lunæ ipsius splendor à sole ortum habet. Non item quærebat humanam gloriam & laudem popularem, qui Iere.17.dicebat, diem hominis non concupiui,tu scis.Vide Grego.lib.22.Mora.c.2.

Perniciosum quidem malum est inanis gloria, quæ ceu latro quidam omnibus nos bonis operibus spoliat & priuat.Si tãtopere fugimus eos prædones qui nobis bona temporalia diripiunt, cur non vehementius multo ac diligentius inanem gloriam fugiemus,quæ à nobis surripit thesauros nostros spirituales?Contemplare quæso quam cito omnia sua bona perderet Pharisæus ille Lucæ 18.propter suam inanem gloriam,& quantum recuperarer publicanus,qui eam tam studiosè & diligenter deuitauit. Sed quorsum laudes quæris humanas,cũ præsertim nil eis mobilius sit? quod enim nunc tibi homines laudis tribuerunt, idem postmodũ subito mutata volũtate adimunt.Quæ ergo præstiteris bona, in loco tutiori colloca, nempe in ipso Deo,& non in populari plausu atq; rumusculis.Vide D. Chrysostomum super Gene. homi.5.to.1.

Quid quæso facis homo alius de tuis operibus testificari debet, nempe Deus: & tu homines testes inuocas? Deum iudicem habere debes, & tu solos homines aspectatores disceptatoresque adhibes?an non qui currunt,ad eum locum vbi adsunt iudices,recta contendunt?& qui hastili conflictu decertant,an non eis tantum placere studẽt, qui iudices constituti sunt?cur tui non misereris, quod post longa certamina diuturnamque palæstram,præmium nullum propter insolẽtiam tuam & humanæ laudis auiditatem consequaris? Vide D.Chrysosto.ho.3. super illa verba.2. Parali 26. leuatum est cor Oziæ to.1.

Si auidus es laudis, cogita quæso quod Deum habeas in interioribus tuis ac penetralibus, cuius dumtaxat laus est vera laus, & statim omnis appetitus humanæ laudis euanescet. Noli esse vsque

vsque adeo abiectus, vt tua facias opera propter homines:oculos & mentem in cælum ipsum attolle,& cælestia solum contemplare. Quænam quæso laus,ab infante,& eo qui loqui nescit, cõmendari?Quenam gloria à fictis quibusdam personis in scena collaudari?Talis est vtique hęc popularis laus,citius transiens, quam ea quæ in comædia siue tragædia alicui affingitur.Noli igitur eius auidus esse,quæ cum breuissima vitæ nostræ comædia mox peritura est. Vide D.Chrysost. ho. 43. tom.5.

Quod populari laude minus moueri debeamus,lege Senecam li.7.epist.ad Luci.epist.53.

Quid stultius quam plausum populi immortalitatem, sibilum vero mortem sibi existimare? Præclare quidem Demetrius dicere solitus erat, eodẽ sibi loco esse imperiti vulgi voces,quo ventre redditos crepitus. Quid enim quæso est quod ab hominibus extollaris, aut deprimaris? annon ridiculum & stultum est, infantium vereri infamiam?Vide Senec.li.14.epist.epist.92.circa finem.

Non debemus humanæ laudis & gloriæ appetentes auidíque esse,vel ipsius Alexandri exẽplo: qui quondam vulneratus magno suspirio dixit. Multi quidem dicunt me Iouis esse filium,ego tamen lõge aliter in meipso experior,repellens scilicet à se popularem gloriam:ita virum prudẽtem facere æquum est, cum se ab hominibus extolli viderit.Lege Senecam li.8.epist. 6.

Laudare aliquem non debemus de alienis ornamentis,& quæ in alium transfundi potius debent. Siquidem equum meliorem ac generosiorem pretiosæ phaleræ non faciunt: nemo gloriari nisi de suo debet, vitem enim non laudamus nisi propter natiuas suas vuas, non autem si aliunde eas affixas habeat.Vide Senec.lib.5.epist.41.

Quid me quæritis interficere? Vide contra homicidas propter tantam atrocitatem sceleris, & vt illud in pulpito vehementer dissuadeas,quã stricte statutum esset olim in Conci. Ancyrano cap. 22.vbi ita dicitur.Qui voluntariè homicidium fecerint,ad pœnitentiam quidem iugiter se submit tant:circa autem exitum vitæ, cõmunione digni habeantur.Eos vero qui non voluntarie, sed casu homicidium fecerint: prior quidem regula post septem annorum pœnitentiam communioni sociauit secundum gradus constitutos,hæc vero humanior definitio quinquennij tempus tribuit. De quo vide etiam 50.dis.eos vero qui.

Tum in Con. Agathen. prouin. vbi interfuerunt 35.epis.cap.27. dicitur. Censuimus homicidas & falsos testes à communione Ecclesiastica esse summouendos,nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.Et vide 24.dis. Itaque.

Respondit turba,& dixit: dæmonium habes. Quis te querit interficere? Senserunt illata manifeste crimina,cúmque ad negationem refugiant,summopere studeant ne mandata legis præterire videantur. Videri enim solummodo Pharisæi volebant: qua propter sepulchra eos dealbata dominus appellabat,quæ artificio forinsecus splendent,cum intus sordibus fætulentis abundent.D.Cyrillus super Ioan.lib.4.cap.47.

Vide quam audaces essent,vel impudentes potius isti, qui dicerent Christum dæmonium habere. Vide porro de contumeliosis & audacibus Vincen.Bellua.spec.Mora.li.1.par.1.dis.30.

Dæmonium habes. Contumelioſi reprehenduntur Ecclesiastici 23. C. homo assuetus in verbis improperij.

Respondit Iesus,& dixit eis:vnum opus feci,& omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est,sed ex patribus,& in sabbatho circuncidetis hominem. Mirabilem Iudæis rem quam in sabbatho fecerat narrans,non dicit;curaui hominem,ne temeraria multitudinis ira inflammaretur.Sed submissius quid protulit,dicens: vnum opus feci.Occulte autem & quasi per figuram tale quid sub ostendit: vno inquit crimine, vt vos putatis,à me commisso,miramini de animo meo, quia Mosaicam nolim legem seruare: quantum igitur æstimatis aduersus vos Deum esse irritatũ, cuius legem non semel,neque in minimis, sed in omnibus,& semper transgredimini? Cyril. super Ioan:lib.4.cap.48.

Non quia ex Moyse est sed ex patribus. Vide D.Tho. 1.2.quæst. 103. artic. 1.ad 3.& de veri.q.28.artic. 2. ad 12.

Vnum opus feci. Vide quæso quam mansuete respondeat Christus tantæ iniuriæ, contumeliæ & blasphemiæ,qua eum appellauerant dæmoniacũ! Cæterum de ferendis patienti animo iniuriis, exemplo Christi. Vide Chrysologum serm. 38. quem inscripsit de iniuria æquo animo tolerãda.

Contumeliæ & iniuriæ patiẽter propter Deũ tolerandæ sunt 2.Reg.16.B.egredere egredere.

Responsum mansuetum iracundiam placare solet,Iudicum 12.A. disceptatio erat mihi.

Responsio mollis iram solet mitigare 1.Reg. 1. B. nequaquam domine mi.

Patienter respondeamus furiosis & iratis Acto.2.B.viri Iudæi.

Si Circuncisionem accipit homo in sabbatho, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini,quia totum hominem sanum feci in sabbatho? Vide D.Tho. super illa verba,si circuncisionem accipit homo in sabbatho, 2.2.q.122.ar.4.ad 3.& in 4.senten. dist. 1.q. 2.quæstiun.1.

Mihi indignamini. Vide eundẽ 2.2.q.122.ar.4. ad 3.& 1.2.q.100.ar.8.ad 4.rursus 2.2.q.40. art. 4. in corp.& 3.p.q.40.ar.4.ad 1.& ad 3.& in 4. senten. dist.1.q.2.ar.3.quæstiun.1.ad 2.rursus 3.p.q.44.ar. 3. ad 3.

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Cum primum primus noster parens in delictum incidit, inquit scriptura quod deambulabat dominus ad auram post meridiem,quando venerat sumpturus de scelere vindictam.Non dicit scriptura quod currebat,vt intelligas pedetentim eum incedere,cũ vult supplicium sumere. Pharaonem septies monuit, priusquam in mari rubro illum submergeret. Niniuitas etiam ante monuit.Contrarium autem morem seruat, cum tendit sua misericordia cum aliquo vsurus, festinat enim solicitus. Vnde Zachæo dixit,Zachæe festinans descende:quia tendebat ad iustificandũ peccatorem.Impio etiam illi ac nefario Iudæ dixit,Quod facturus es,fac citius: cupiebat siquidé piissimus redemptor pretium nostræ salutis persoluere.Sic Spiritus sanctus repente descendit super Apostolos,eos sanctificaturus, vt ostenderet dominus se pronum magis esse ad miserandum quam ad flagellandum,& vix ferre possit semper in punitione persistere.Vnde Esa.54. in momẽto indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiis sempiternis congregabo te. Nec mirum si tardus ad puniendum,ad cõdonandum vero cum festinatione tẽdat Deus: nam si lapidé in supero velis loco statuere, maioribus machinis,funibus,& virjbus,opus est: sin autem in centrum velis deiicere,non alia vi indiget, *nisi* vt à manu excidat. Ita sicuti lapidi proprium est

nulla facta mora deorsum tendere; ita Deo proprium est,miserationibus vti, ideo quasi coactus & nostris flagitiis exigentibus dolens punit, vt ipsemet per Esa.inquit.heu consolabor super hostibus meis,& vindicabor de inimicis meis. At vero nos pedes habemus ad puniendum & vindicandum velocissimos. Vnde Prouer. 1. pedes impiorum ad malum currunt:ita currunt vt brauiũ constitutum videatur ei,qui prius ad illum miserum & infelicem inferni locum appulerit. In misericordia autem impartienda, tardissimi admodum sumus:denique iustum iudicium non iudicamus;sed omnia deprauamus atq; corrũpimus.

Super prædicta verba consule D. Tho. 1. 2. q. 108.art.3.ad 6.& 2.2.q.60.ar.2.3.4.5.6.& 3. p. q. 59.art.1.in corpore.& in 4.sen.dis.48.q.1.art.1.& super epis. ad Roma.2. in illa verba, in quo enim alterum iudicas,teipsum condemnas.& super eãdem epis.14.in illa,tu qui es qui iudicas alienum seruum?& 1.Cor.4.in illa, nolite ante tempus iudicare.& 2.Cor.10.in illa, quæ secundum faciem sunt videtis.

Iustum iudicium iudicate. Hic differere poteris de iudiciis & iudicibus, quod recti esse debeant: & non muneribus,non cognatione non amicitia aut aliis huiusmodi deprauati.

Pondus & pondus,mensura,& mensura vtrũque abominabile est apud Deũ,Prouer.20.Quod de malis iudicibus intelligitur, qui scilicet vni vnam,& alteri alteram mensuram habent. Legem vnam habent pro diuitibus, alteram vero pro pauperibus:vnam pro cognatis& amicis,alteram pro extraneis & alienis. Seu mauis,eãdem distorquẽt legem,& in eadem prorsus causa eadem lege alterum absoluunt,alterum condemnant. Efficiunt quidẽ isti vt leges sint veluti regulæ quædam plumbeæ,quas cum velint facile inflectant: cum tamen esse deberent æreæ & immobiles. Quare cum legibus potius ipsi adaptandi essent & accómodandi: ipsi leges hominum palato accommodant,& pro eiusdem ratione & varietate, ipsius legis varium etiam sensum,repentinis quibusdam & insperatis motibus personant atque percantant. Similes plane cymbalistis, qui cum dudum ad festum diem,atque ad hilaritatẽ, cymbala personarent:mox si quis vita functus fuerit, mutato sono hilari,luctuosum quendam ac lugubrem efficiunt concentum. Vnde & cum eum inopinato statim audimus,dicere cõsueuimus vulgo:alius quidem est hic concentus. Ita enim deprauati iudices cum hilarem dudum sententiam in eadem prorsus causa pro diuite promulgasset, repente inuersa pagina: vel sua potius mente, in causa pauperis oppositam omnino sententiam pronuntiant. Et quemadmodum ipsi typographi ex eisdem characteribus nunc pro catholico viro catholicam quandam sententiam eudũt,mox pro homine hæretico pestiferam:ita isti ex eisdem legis characteribus,pro diuite salutarem sentẽtiam ferunt,pro paupere vero perniciosissimam atque lethalem. Vide Hecto.Pint.super Ezech.

Leges quidem ad odia exterminanda, ad pacẽ conciliandam, ad lites dirimendas,ad seditiones comprimẽdas,ad tranquillitatem conseruandã, sancte adinuentas, peruersi iudices vsurpant & contorquent; ad lites excitandas, ad dissidia seminanda,ad causas procrastinandas. Itaque cum quis existimat causæ suæ finem iam imponẽdum esse, & se diffinitiu am obtenturum sententiam: ecce ex altera parte succedit procrastinatio, noquaque & hactenus inuisa lis exoritur, dum citatur angulus quidã ex Bartolo, Baldo, aut ex aliis quos potius torquent, quam accommodate adferant. Huius ergò mali causa est, quod tametsi doctores egregiè dicant,& leges sanctissimæ sint: tamen peruersi iudices & patroni, ceu araneæ quædam, ex odoriferis & salutaribus floribus ve nenum educant,hoc est ex salutiferis legibus,pestifera sua interpretatione & animo, pessimam proferant sententiam & iniquam. Isti igitur duabus mensuris vtuntur: vel sic eadem mensura metiuntur, falsam obliquam & deprauatam, pro arbitrio suo faciunt. Vide Hect.Pin. super Ezech.

Quemadmodum ciconia colubros venatur, lacertas,& cætera id genus animalia venenosa,vt ea occidat,laceret,comminuat, & quamuis in talia tantopere desæuiat,tamen in parentes suos in senecture præsertim constitutos, perbenigna est; ita vt eosdem nutriat,& alis suis sustentatos huc atque illuc comportet: vnde & olim reges Suida teste,ciconiam in suis sceptris adponendã & appingendam curabant. Ad eundem certe modum iudex maxima cura & diligentia facinorosos homines,sicarios,homicidas,fures & cæteros huius furfuris, perquirere debet,lacerare, trucidare: at vero in eos qui reipub.parentes sunt eandémque nutriunt,alunt & sustentant ceu Atlantes quidã, perhumanus esse debet; atque ita denique iustitiæ obseruantissimus,vt clementiæ etiam cum opus fuerit non obliuiscatur. Cæterum de ciconię proprietatibus lege Plin.lib.10.cap.23. Isidorum lib.de natura auium & lib.12.etimolo.ca. 7. Item Crinitum lib.4.cap.13.& Pierium etiam Valerianum. Vide Hecto.Pin.super Ezech.

Peruersi quidem iudices sunt qui leges omnes subuertunt,omniáque iudicia corrumpunt. Quid quæso prodest habere rempub.caput aureum, & pectus ipsum argenteum, hoc est regem & cæteros superiores esse rectissimos:si commissis causis inferioribus iudicibus deprauatis, iudicia omnia peruertuntur? Hæc quidem mihi esse videtur statua illa Nabuchodonosor,quę caput habebat aureum,& pectus argenteum: at vero pedes ipsi fictiles erant,atque ita decidens lapis pedésq; percutiens,statuam vniuersam demolitus est. Ita enim hic contingit, vt scilicet quamuis principes equissimi sint & immobiles: tamen accedens nõ dico grandis quidã lapis,sed anulus aureus quidam,sed aurei aliquot numi, sed aliquot dũtaxat perdices,pedésque ipsos ferientes, hoc est inferiores iudices contaminatos,statum vniuersum reipub. qũ alioqui firmiter constitutus videbatur, destruant atque deuastent. Vide eundem Pintum super Ezechielem.

Illud omnino curare debet rectus iudex,vt iracundiam à se omnem quam longissime depellat: ea enim laborans nil fere recti statuere poterit. Vnde cum aliquando Plato ira accensus in seruũ quẽdam suum animaduerti veller, omnia quæ ad supplicium inferendum iam præparasset, aduertens forte se iracundia correptum esse, alteri seruo punitionem iniunxit,dicẽs. Heus tu Speusippe,hunc punies:ego etenim irascor. Puta ergo vel hoc Platonis exemplo,tibi nil licere dum irasceris. Cur ita? quia vis omnia licere. Vide Senecam lib.3.de ira cap.12.

Iudices illud etiam eiusdem Senecæ in eãdem fere sententiam,proponere sibi debent, ait enim. Si punire potes,& iracundia te affectum videris: permitte prius ea deferueat,nam postmodum eadem poteris vti potestate, & de supplicio imperabis,si expedierit;nũc enim ira imperat, tu ergo

postea imperabis. Vide Senecam libro 3. de ira cap. 33.

Sic iudices vti rigore quodam debent, vt sese misericordes exhibere minime obliuiscantur: & vicissim ita misericordes sint,vt iustitiam seruare non negligant. Neque enim minus crudele esse videtur omnibus ignoscere: quam nulli, modus ergo quidam tenendus est. Vide Senecam lib. 1. de clementia cap. 2.

Ita se iudex erga alios habere debet,sicut erga se Deum se habere cupit, & erga alios se habere videt. Deus autem non illico fulmina vibrat,supplicia immittit, tormenta adhibet: sed patienter expectat. Ita iudex non debet repentino quodam furore atque ira pœnas exigere à delinquente,sed animi moderationem quandam expectare debet. Respub.enim ab iracundo, præcipitato, & incõsiderato gubernata iudice, in perpetuis est tenebris,tonitruis,atque fulminibus. Vide Senecam lib. 1. de clementia ad Neronem cap. 7.

Non sunt durius homines quidem tractandi, quam animalia ipsa bruta:at vero videmus equorum domitores ita eosdem equos tractare,vt non semper calcari, virgave vtantur,sed interdũ quodam leniss imo contactu,& blãditiis quibusdam, aliter enim fieret formidolosus nimium equus, aut in aliud eiuscemodi vitium incideret: ita iudex lenitate quadam præditus esse debet. Vide Senecam lib. 1. de clemen. cap. 16.

Quod quæso ornamentum conuenientius excogitari aut optari potest,ab eo qui reipub. præsidet,& iudiciorum clauum tenet, ipsa clemẽtia? Quod & in brutis animalibus natura significasse videtur,quæ regibus & ductoribus ipsarum apũ, aculeos negauit. Significare nobis volens, rectores esse debere clementiores & benigniores;cum interim magnitudine, & pulchritudine, aliisque huiusmodi ornamentis, eosdem adauxerit & locupletauerit. Sumpto ergo vel inde exemplo, careat iudicum animus iracundiæ aculeis:tantoque moderatior sit,quanto vehementius quam cætera animalia nocere potest. Vide eundem lib. 1. de clemen. cap. 19.

Munera solent sæpe iudicum animos à recto deflectere: aduerte enim nisi prouisum à Deo fuisset,quam facile Balaam sententiam peruertisset,vt populo cui benedicere debebat, maledicere,pecunia occæcatus à Balac Nume.22. Dauid item visus est sententiã contra Miphiboseth propter oblationem quandam munerum tulisse. 2. Reg. 16. Menelaus propter vasa aurea quæ dedit Andronico,contra iustitiam fecit, Oniamque occidit;& propter pecuniam quam Ptolomæo promisit, euasit ipse, & facit accusatores occidi. 2. Macha. 4.

Rectus esse debet iudex, & nullius rei gratia atque impulsu, iustitiæ rectitudinem deprauare. Lege D. Augus. ad fratres in eremo sermo. 35. prope finem to. 10.

Qualis iudex,quales itẽ testes esse debeant,lege D. Anto. 2. par. Theolo. titu. 1. cap. 19.

Quid senserint philosophi hac de re,lege Vincen. Bell. spec. doct. li. c. 41. 42. 43. 44. & 66.

Vt possis etiam terrorem quendam incutere iudicibus, poteris adferre decretum illud olim Conci. Cartha. 4. vbi fuerunt 314. epis. cap. 30. Caueant iudices,ne absente eo cuius causa ventilatur,sententiam proferant, quia irrita erit, & vide 11. q. 2. fine exceptione.

Nolite secundum faciem iudicare. Non debemus leui statim de causa iudicium ferre, cum præsertim etiam philosophi illi olim id reprehẽderint: qua de re vide Vincen. Belluacen. spec. doctr. lib. 4. cap. 115. & 116.

De iustitia etiam & recto iudicio vide Laurẽ. Iusti. lib. de ligno vitæ, in quodam tractatu ibidem qui inscribitur de virtute iustitiæ initio operum.

Maxima statim leuitate credere & iudicare vitio non caret, Eccles. 19. C. non omni verbo credas.

Maxima illico in omnibus credulitate duci,vanissimum est 3. Reg. 13. D. ego propheta sum.

Quod leuissimi hominis est secundum faciem iudicare,& quod Dei seruus vlterius tendere debeat,maturiusque se gerere,habes multa accommodatissima apud Grego. lib. 6. Mora. cap. 3. super illa verba Iob. 5. vidi stultum firma radice, & male dixi pulchritudini eius statim.

Quod debeamus nostra potius facta intueri, & non aliena explorare, ac facile de eisdem iudicare,more istorum phariszorum:& quod diligẽtissime debeamus conscientiam nostram perscrutari & examinare: vide D. Grego. lib. 11. Mora. ca. 22. & 23. super illa verba Iob, Quantas habeo iniquitates & peccata.

Philosophus etiam ille Pythagoras olim sensit, quam diligentes esse debeamus in nostri animi defectibus inquirendis,cum dixit. Neque somnũ mollibus in oculis suscipe,antequam diurnorum operum ter vnum quodque percurras. Quo trãsgressus sum? quid feci? Quod mihi decens perfectum non est? incipiés à primo percurrere, & quę mala operatus es,dole:bona vero,lætare. Hæc labora,hæc meditare,hæc te oportet cupere: hæc te diuinæ virtutis ad vestigia ponent.

Qua ratione debeamus examinare conscientiam nostram, lege Bernar. lib. Medita. cap. 5.& incipit,integritas tuæ.

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis, nonne hic est quem quærunt interficere? ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid vere cognouerunt principes quia hic est Christus? sed hunc scimus vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo sciet vnde sit. Nouerant ipsi ex quibus secundum vulgatam hominum existimationem natus esset parentibus, filium Ioseph, vt putabatur,& Mariæ,eum esse autumantes. Nouerant itidem locum educationis eius, & quod in Nazareth nutritus fuerat vt inquit Euangelista; hinc se scire profitẽtur vnde ipse ducat originem. De Christo vero neminem sciturum inquiunt vnde sit,Esaiæ testimonio forsitã innixi,de Christo dicentis;Generationem eius quis enarrabit?& ex his colligunt dominum nostrum nequaquam vt Christum esse recipiendum,non satis attendẽtes in eo duplicem esse substantiam atque naturã, humanam scilicet,secũdum quam vtique in partu nouerant vnde esset,non tamen omnino, quia eius patrẽ Ioseph natura putabant,& virginis partum ignorabant: & diuinam, quam neque in eo perspectam habebant,nec vnde eam sortitus esset agnoscebãt. D. Cyrillus super Io. li. 5. ca. 2.

Sed hunc scimus. Non sic nubes cælum,nox diẽ, solem caligo, quomodo meutem cæcat & tenebrat inuidia. Liuor hoc Iudaicus probat, qui Christi sapiẽtiam miratur,virtutes stupet, attollit opera,dicta suspicit,& tamen ne in ipso videatur diuinitas, deitas sentiatur, carnalium parentum nomina commonet & diuulgat. Cæterũ nemo miretur si conditor rerum,cælorum dominus Deus omnium,patriam,locúmque sortitur, quãdo se claudit vtero,metitur cunis,vberibusoccupat,

pat, arctat gremio, dat in vlnas, & vt angustias tollat humanas, humanis se dedit atque aptauit angustiis. Homo, ad te Deus se per ista deponit, te per ista sequitur, per istas te perquirit ãgustias; vt quem formauit opere, reformet exemplo: quẽ judicio repulit, reducat affectu, & in se seruet, quem præter se conspicit deperisse. Verũ isti præ inuidia talia non videbant. Inuidia de cælo eiecit angelum, de paradiso exclusit hominem. Ipsa primum cõtaminauit terras germano sanguine: ipsa germanos compulit venundare germanum. Ipsa Moysen fugauit: Aaron in fratris excitauit iniuriam: Mariã maculauit liuore germani: ac ne multis, quod pauet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, ipsum Christi attendit ac peruenit ad sanguinem. Inuidia omnibus malis peior, quos ceperit, liberari nequeunt: quos vulneraverit, ad curam non veniunt, non redeunt ad salutẽ. Inuidia delictorum venenum, criminũ virus, peccatorum mater, origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui nescierit, mala nescit: hanc qui fugerit, viuit. Inuidia fuga vitari potest, non potest superari conflictu. *Nonne hic est.* Infelix Iudaicæ mentis ac detestanda nequitia, ad discutiendum semper promptior quam credendũ: diuinis virtutibus non ad fidẽ sed ad calumniã solicite cõmouetur. Petrus Chrysol. ser. 48. & 49.

Clamabat ergo Iesus docens in templo, & dicens: & nescitis, & vnde sim scitis, & à me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. Ego scio eum, & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Recte dicitis inquit, quod me ipsum, & vnde sum cognoscatis: nam secundum humanæ conditionem naturæ, & meum genus, & locũ natalem, vultusque effigiẽ probe dignoscitis. Veruntamen aliquid in me reliquum est, quod vos nescitis, diuinæ scilicet naturæ veritas, quam à meipso non habeo, sed à patre, à quo mihi tradita sunt omnia. Cũ igitur hanc mihi inesse ignoretis, profecto & me nescitis, & vnde sim nescitis. D. Cyrillus super Io. li. 5. c. 3.

Ero similis vobis mendax. Mendacium ignominiam maximam inuitare solet Eccles. 5. C. omnis peccator probatur in duplici lingua.

Mendacium vires acquirit eundo 2. Reg. 13. F. percussit Absalon omnes filios regis.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. Cum cos id fidem Christus conaretur inducere, ipsi cõtra enitentes conabantur eum apprehendere & interficere, neque vnquam fidei se submittere volebant, sed rex potius fidei suo ingenio & ratione conabantur metiri, cum tamen res fidei mensurari non debeant canonibus & principiis rationis nostræ, de quo vide D. Bernar. ser. 5. in Quadrage. de triplici modo orationis.

Ad mensurandas res fidei, simplici potius fide quam virga rationis vtendum nobis est arque mensura. Et quemadmodum qui ad Indos nauigant, relicto polo arctico, se totos antarctico polo permittunt, & eo duce nauigationem suã perficiunt & absoluunt: sic profecto qui ad cælestem enauigare patriam contendunt, ij nõ rationi propriæ, non argumẽtis à se inuentis & excogitatis, sed soli fidei potius innitantur necesse est. Vide Hecto. Pintum super Ezech.

De turba autem multi crediderunt in eum. Dominus noster in spiritu exultans, vt ait Matthæus, inquit: Confiteor tibi pater cæli & terræ, quoniã abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ecce paruulis spiritu & humilibus reuelata sunt diuinitatis Christi mysteria, quoniam de turba simplicique & vulgari plebe, multi crediderunt in eum. Vt igitur per Esa. prædixerat, ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? nunc ad pauperculos quidem oculo benignitatis respexit, cum eis syncerum veræ fidei lumen infudit. D. Cyrillus super Ioan. lib. 5. cap. 6.

De epistola & Euange. duos habet sermo. D. Anto. initio 1. p. Theologa.

Feria quarta post quartam Dominicam Quadragesimæ.

PRAETERIENS *Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Ioannis 9.*

Quia Iudæi sermonum Christi altitudinem non susceperant, exiens de templo curauit cæcum à natiuitate: sui absentia eorum furorem mitigans, & per operationem signi eorum duritiã molliẽs, atque eorum quæ à se dicta sunt, per opera fidem faciens. Vidit ergo cęcum dominus, quia studiose eum respexit, quasi aliquid circa ipsum operaturus? & ea occasione intentæ defixionis oculorum domini in cęcum, inducti sunt discipuli ad inquirendam causam illius cæcitatis. Sane quia meminerunt languido ad probaticam piscinam à diuturna ægritudine curato, dictum esse à domino: vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat: & paralytico iacẽti in grabato qui in domo ei oblatus fuerat, fili dimittũtur tibi peccata tua: arbitrati sunt cęcitatem huic homini infligtam fuisse propter peccatum, aut suum, aut parentum. Itaque percontantur à domino an peccauerit ille cæcus, vt in sui peccati pænam cæcitate percuteretur, an eius parentes quicquam admiserint, ob quod eorum filio sit inflicta cæcitas. D. Cyrillus super Io. lib. 6. cap. 16.

Aut parẽtes eius. Sciendũ quod est duplex pœna qua homines puniuntur: vna est spiritualis quantum ad animam, alia corporalis quantum ad corpus. Et pœna quidem spirituali nunquã filius pro patre punitur: Cuius ratio assignatur Ezech. 18. Quia anima filij non est ex patre, sed à Deo. Omnes inquit animæ, meæ sunt: scilicet per creationem, sicut anima patris, sic anima filij &c. Hoc etiam dicit Augus. in quadam epis. Sed pœna corporali filius pro patre punitur, cum quantum ad corpus sit quædam res patris. Et expresse hoc habetur Gene. 19. vbi filij Sodomorum occisi sunt pro peccato parentum in subuersione Sodomæ. Multotiens etiam dominus comminatur Iudæis occisionem puerorum, propter peccata parentũ. Quare autem vno peccante alius puniatur; sciendum quod pœna duo habet, læsionem, & remedium. Nam aliquando abscinditur membrum, vt totum corpus conseruetur: & sic pœna huius læsionem infert in quantum abscinditur, sed remedium habet in quantum conseruat corpus. Nunquam tamẽ medicus nobilius membrum abscindit, propter conseruationem minus nobilis, sed è cõuerso. In rebus autem humanis anima nobilior est corpore, & corpus nobilius exterioribus rebus: & ideo nũquam fit, vt aliquis propter corpus in anima puniatur, sed potius in corpore propter remedium animæ. Quãdoque ergo Deus irrogat pœnas corporibus, vel rebus exterioribus, propter

pter remedium bonum animæ. Et tunc huiusmodi pœnæ non inferuntur vt læsiuæ tantum, sed vt purgatiuæ in remedium. Vnde & ipsa puerorum Sodomitarum occisio, fuit ad bonum animarum, non quidem ad meritum, sed ne paternæ malitiæ imitatores, viuendo peccata cumulantes, atrocius punirẽtur; sic etiam pro peccatis parentũ pluries aliqui puniuntur. D. Tho. super Ioannem. 9. lect. 1.

Vidit hominem cæcum. Inter multa & grauia mala quæ secum adfert lethale peccatũ, hoc vel maxime numerandum est, quod hominis mentem offusis tenebris excæcat, dum illam diuinę gratię lumine priuat. Quemadmodum enim Philisthæi vbi Samsonem ceperunt, oculos eius effoderunt: quod vbi factum est, illum velut iumẽtum ad pistrinum alligarunt, atque ibidem molere fecerũt, omnibusque ludibriis & conuiciis affecerunt: ita sempiterni generis humani hostes, vbi miserum hominẽ lethali aliquo crimine illaquearunt, protinus menti eius tenebras offundũt, atque ita excæcatum, in multa alia malorũ præcipitia deturbant. Hanc autem humanæ mentis peruersitatem appositissima similitudine Naas Ammonitarum rex adumbrauit, qui habitatoribus labes Galaad à se in maximum vitæ discrimen adductis, & pacem suppliciter postulantibus, respondit. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros. Hoc ergo fœdus generis humani hostis cum hominibus sibi subditis percutit, quod omnium videlicet dextros oculos lumine priuet. Duos enim mẽs nostra oculos habet, dextrũ videlicet quo spiritualia atque diuina cõtemplatur: & sinistrum quo tẽporaria atque terrena respicit. Dæmon ergo sinistro oculo seruato, quo terrena cernuntur, dextrum oculum suffodit quo cælestia peruidentur: quæ nemo nisi hac cæcitate diuinitus sublata, salubriter cernere potest.

Vidit hominem cæcum. Nomine Cedonium, qui postea cum Maria Magdalena, Martha, Maximino, & Lazaro, seu à Iudæa expulsus est, sicut habetur in legenda Mariæ Magdalenæ. Diony. Carthu. super Ioann.

Quis peccauit hic aut parẽtes eius. Vide Hugo de sancto Victo. Annot. in. D. Ioan. Euange. to. 1. fo. 243.

Præteriens Iesus vidit hominem. Commemoratur quod Christus breui omnem quasi ex animo depelleret recordationem iniuriarum: nam tametsi eum paulo ante voluisset lapidare, ipse nihilominus obliuiscens malefacta & ingratitudinem eorũ, benefacta reddit pro malefactis, & huic cęco lucem infundit tum corporalẽ, tum spiritualem. Vt inde discamus quã breui illatas cõtumelias & iniurias obliuisci debeamus, cũ præsertim vtilitatem etiam maximam, singularem, atque incredibilem inde referamus. Si enim aliquis vt tibi malum inferret, etiamsi id faceret mala intentione, pilas siue poma aurea in te coniiceret, vtique si cautus esses, deberes illa colligere, atque ita iste talis malum tibi cupiens, teipsum diuitem potius efficeret. Cõuicia igitur & iniuriæ quas in te inimicus tuus iacit, pilæ sunt aureæ: tu ergo tacens humilia teipsum, & eas collige, vt thesaurũ tandem locupletissimũ in cæleste regnum tibi reserues, Non vis virgã in ignem cõiicere, quia vestes tuas mũdat, imo eam seruas maxima cura: inimicum vero tuũ, qui ab anima puluerẽ peccatorum excutit, destruere & subuertere vis? Cæterum Ecclesia sancta de instrumentis loquens passionis Christi, dulces clauos vocat, & dulcem crucẽ: sed ferrũ lanceæ crudele appellauit, dicens; mucrone diræ lanceæ: ratio est, quia mortuum Christum vulnerauit, quod immanis crudelitatis est. Quod si crudelitas est mortuum percutere, immanitas perinde erit inimicũ vulnerare, qui mortuus est. Ruit enim inimicus tuus furens, vt teipsum perdat, iam quæ igne inferni prope ardet, eius ergo potius misereri debes, cum sibi grauius inferat malum. Dicit enim Dauid psalm. 117. inimici mei circundederunt me sicut apes: Apes quidem grauius sibi malum inferunt alios pungendo, quam eis quos persequuntur. Pungit digitum tuũ apes, & ipsa protinus moritur; tu vero luto appositio digito mederis, & melle gaudes in alueariis ab ipsis apibus recondito. Sic inimicus alios persequens, seipsum occidit sicut apes, tu vero melle charitatis Dei satiaris. Si vis ergo tam dulci melle frui, & gloria cæli satiari: opus est vt persecutionẽ patiaris, & pungaris ab apibus. Cum vas aliquod igni admotum prehendere, & ab igne extrahere vultis, cuius altera quidem ansa ardet, altera vero friget: vtra quæso parte illud prehenditis? qua ardet, aut qua friget? Quis adeo demens sit, vt manum illi qua parte ardet admouere velit, cũ aliũde prehendere possit? hoc igitur exemplo ostẽditur eorum dementia, qui cum ex iniuriis & contumeliis quæ nos ad charitatem, ad lenitatem, ad patientiam, incitare possunt, multa documenta sumere possint atque commoda: ipsi contra ea sumant quæ iram, quæ liuorem, quæ odium generant. Hos quidem Plutarchus elegãtissime cucurbitulis medicorum comparat, quæ ægris membris adhibitæ noxium ad se solum sanguinem attrahunt, salutarem autem minime attingũt. Sic isti illud solum cogitant quod bilem sibi & stomachum mouere, non quod placabiles & mites efficere possit. At quanto satius esset vt idem ait, illos imitari qui cum oculorum lippitudine laborant, si eos vel splẽdida lux; vel nimius corporum candor offendit, ab his quæ lædunt ad ea quæ iuuant oculos conuertunt. Cur enim non hoc eodem consilio in hac parte vtemur, quæ omnium maxima est, & in qua tam multa sunt quæ lędere, tam multa quæ prodesse valeant?

Quendam librum qui inscribitur de persecutione sustinenda, composuit diuinus ille Bernar. inter initium ac medium operum, & incipit, Ad audiendum vt credimus verbum Dei.

Exemplum magnum de remittendis iniuriis inuenitur Iere. 32. C. & orauit ad dominum.

Remittamus iniurias Ecclesiastici 28. A. B. relinque proximo tuo.

Pro condonandis iniuriis vide 2. Reg. 19. D. & 4. Reg. 6. E.

Quanti sit valoris iniurias remittere Hebræ. 12. F. & sanguinis aspersionem melius loquentem.

Quis peccauit hic an parentes eius &c. Secreta quidem sunt iudicia Dei, & sæpe Deus facit quædam quæ nostro non quadrare videtur ingenio: at ille sua æterna sapientia in quosdam lõge vtilissimos, nobis tamen incognitos, ea ordinauit in fines: eliciens ex ipsis amplissimum bonum atque vberrimam frugem.

Videri fortasse poterat quod hominem constituere ea ratione vt peccare posset, esset minus vtile: at vero sapientissimus Deus ex ea re bonum quoddam amplissimum elicuit, nẽpe filij sui vnigeniti incarnationem, vt constat Gene. 1. & 3.

Vendito Ioseph à fratribus, Ægypti ac vicinarum regionum liberatio consecuta est Gene. 41.

Exulauit Moyses ab Ægypto, & ex eo diuinas habuit visiones, atque populi constituendi est prin

princeps Exod.2.3.& sequentibus.

Sæpe permittit Deus vt sui affligatur,quo purgatis eorũdem delictis, eosdem postmodum amplissimis afficiat honoribus. Sic enim filios Israël maximis laboribus in Ægypto affligi permisit, postmodum vero eos inde honorificentissime eduxit. Exo. 14.

Quis vnquam putasset Tobiam atque Iob viros sanctos, ex tanta aduersitate ad tantam prosperitatem esse venturos? Age vero,ex cruciatibus illis atque tormentis quę virili animo tolerarunt septem illi Machabæi cum matre sua honestissima atque optima,item venerabilis senex Eleazarus:exemplum quoddam singulare vniuersæ posteritati dedit Deus, patientiæ, in laboribus & cruciatibus propter Deum sustinendis.2. Macha. 6. & 7.

Ex laboribus atque afflictionibus Pauli quas pertulit propter Deum,& eius fidei dilatationem ac gloriam:tantum nobisDeus protulit fructum, vt plus fere patiendo docuisse,quam concionando visus sit.

Vide præterea quantum laudis & gloriæ consecutum sit,præter hominũ spem, ex persecutionibus illis crudelissimis & immanibus Holofernis:vnica etenim mulier,Dei duntaxat ope freta, magna cum diuini nominis gloria, & sui populi vtilitate, Holofernem deuicit, & interemit, cui totus vix orbis poterat resistere,Iudith 13.

Cæterum ecce præterea ex altero quodam rerum genere,quam incomprehensibilia sint iudicia Dei.Quis vnquam putasset ipsum Gedeonem post tantas támque feliciter pro Dei nomine partas victorias,eo deuenturũ esse,vt faceret Ephod, atq; id cederet in ruinam domus eius? Quis crederet Mosen ipsum labi ad aquas cõtradictionis? Saul porro quamuis à Deo primo laudatus,cecidit tamẽ miserabiliter.Quid de Dauide dicemus? Quid de eius filio Salomone?Ex quibus nos omnibus exemplum sumentes, seu ex eisdem periculum facientes,nostris quidem viribus diffidamus atque in Deum nos penitus coniiciamus. Hoc siquidem nobis emolumentum Deus ex eiusce modi exemplis elicuit.

Age iam,an non quod subiungam admiratione plenum est? Quis quæso putaret ex arca Dei capta, adeo eius gloriam propagandam fore? 1. Reg. 4.

Quis iudicasset tanta ac talia latere mysteria, in eo quod Deus præciperet ipsi Ezechieli vt sibi assumeret sartaginẽ, vt in latere describeret Hierusalem & alia huiusmodi præstaret?

Perire asinas Cis,eas quærere Saulem, pro eis consulere Samuelem:quis putasset tanti esse momenti,vt exinde Deus ipsum Saulem ad regni solium eueheret?

Sed vt ad initia reuertamur, quis vnquam credidisset ex cæco isto nato, tantam Dei gloriam fore nasciturã?

Denique de toto hoc genere,hoc est quam occultissima sint Dei iudicia,si plura requiris: consule Laur.Iusti.lib.de obedientia cap.7.

Vidit hominem cæcum. Cæcitas corporalis non perinde incommodat ac spiritualis, vide D. Hiero.in epist.ad Abigaum circa medium to. 1. & in subsequenti epistо. quæ inscribitur, Castrutium Pannonium consolatur de cæcitate oculorum,docens eam aliquoties à Deo propitio immitti.

Respondit Iesus: neque hic peccauit, neque parentes eius sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari: quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Ad interrogationem discipulorum respondet dominus neque ipsius cæci peccato, neque suorum parentum factum esse vt cæcus nasceretur:non tamen omnino negat hac responsione ipsum cæcum,aut parentes peccatum aliquod contraxisse. Habuerant enim labem originalis contagij,& viuendo aliquid peccatorũ superaddiderant.Quis enim vitam hic aget insons crimenis?Sed non illo ipso illorum peccato factum est, vt à natiuitatis exordio visu priuaretur; quin potius vt manifestentur opera Dei in illo, vt scilicet illius illuminatione declaretur gloria diuinitatis domini, & illius splendor eorum qui nouerunt signum oculos fetiat. At vero scisciari hic quispiam posset,nunquid iste cęcus iniusta passus est, quod cæcus fuerit natus sine culpa? Minime profecto, quin potius beneficium accepit per hanc cæcitatem:nam & mirabilius visum recepit, quã si à principio natiuitatis accepisset, & ea occasione interioribus etiam oculis est illuminatus, atque ad Christi fidem integre perductus. Quid enim profuit Iudæis à vitæ exordio oculos corporis integros habuisse,cum animo prorsus cæcutirent?Nonne maius iste cæcus est beneficium assecutus,qui ad tempus visu corporis captus,postea & interius & exterius est videndi facultate donatus?D.Cyrillus super Io.li.6.cap.14.

Venit nox, &c. De illa nocte dicitur, in inferno autem quis confitebitur tibi? Et ligatis manibus & pedibus,proiicite eum in tenebras exteriores. Denique discedite à me maledicti in ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius. Præter hunc autem diem & noctem generalẽ, & totiмũdo communem, cuique nostrum itidem suus est dies & sua nox.Dies inquam totũ vitæ nostræ quod hĩc viuimus spatium, quo nobis datum est à Deo operari ea, quæ ad vitam æternam consequendam cõducunt.Nox vero tempus post mortem nostram corporalem futurum, in quo nõ licet cuiquam operari,neque cõtractas prius mortiferas abstergere sordes.Operæ pretium ergo est quod beati Pauli consilium non segniter neque oscitãter audiamus,solicite nos admonentis. Dũ tempus habemus,operemur bonum. Neq; sapiẽtis monita negligamus,id nostris auribus studiose inculcãtis : ante obitum tuum operare iustitiã, quoniã non est apud inferos inuenire cibum. Idẽ quoque rursum,ante mortem confitere, viuus & sanus confiteberis.Demum de mortuis dicit spiritus quod requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. D. Cyrillus super Ioan.lib.6.cap.14.

In illa nocte diues ardebat, & stillam aquæ de digito pauperis requirebat, dolebat, angebatur, fatebatur,nec ei subueniebatur,& conatus est bonefacere:ait enim Abrahæ, pater Abraham mitte Lazarum ad fratres meos,vt dicat illis quid hic agatur,ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum,ô infelix, quando viuebas tunc erat tempus operãdi,modo iam in nocte es, in qua nemo possit operari.D.Aug.super Io.tracta.44.to.9

Qua ergo gratia cæcus natus est:vt manifestetur gloria Dei.Sed occurrit & alia dubitatio, an aliter poterat gloria Dei manifestari?Quidni?Neque enim dicit non potuisse, sed vt manifestaretur. Ergo iniuriam propter Dei gloriam accepit? Quam iniuriam dic quæso,si eum non contẽpsit, sed ex cæcitate beneficia contulit? vidit enim interioribus oculis. Quid oculi Iudæis contulerũt? Maius supplicium,cum videdo cæci essent, Quid cæcitas

cæcitas huic obfuit, propter quam vidit? Itaque vt mala huius vitæ mala non sunt, ita neque bona, sed peccatum dumtaxat malum: cæcitas non est malum. *Venit nox.* hoc est futurum tempus &c. Vide D.Chrysosto. homi.55. super Ioann.tomo.3.

Quandiu in mundo sum,lux sum mundi. Molestissime quidem fero quod tot nobis bonis propositis desidemus, animo deficimus, & vt hic splendide habitemus omnia facimus, vt autem in cælo paruum vel comparemus hospitium, nil curamus vel laboramus. Dic quæso,vbi hic domum habere velles, in deserto? an in aliquo paruo oppidulo?Non puto, sed in regiis & magnis ciuitatibus, vbi & rerum copia & maior nobilitas. Ego tibi talem ciuitatem propono, cuius opifex & autor Deus est, in qua domum minori quam hic sumptu, minori labore, condere atque ædificare poteris. Aedificant eam manus pauperum, hæc optima ædificatio summa sapientia, sicut quam hic facimus summa demẽtia. Etenim si quis te in Perfidem visurum regionem illã & mox reuersurum duceret,iuberetque vt illic domum strueres,nõne eius amentiam reprehenderes, ac si inutilem suaderet impensam? cur non idem in hoc mũdo facis, quem paulo post relinques? sed filiis relinquã inquies:at illi paulo post te etiam sequentur, nõnunquam præcedent,itidem & eorũ posteri,quod etiam te anxium reddet, cum hæredes tuos non diutius possessuros videas,illic autem nulla huiusmodi suspicio, sed immutabilis & tibi, & filijs & neporibus, manet possessio, si eandem virtutem imitabuntur.Illam domum Christus ędificat,quo ædificante,non opus est alium opificem accersere, neque vlterius laborare, est enim lux mundi : idcirco antequam veniat nox, quandiu es in mundo, talem tibi ædificatorem accerse. Diuus Chrysostomus super Ioannem hom.55.tomo.3.

Me oportet operari &c. Hoc enim propositum Saluator ante oculos semper habebat; hoc singulis horis atque momentis agebat, huc cogitationes suas omnes & omnia vitæ consilia dirigebat : hic denique eius potus & cibus erat; humanæ salutis opus absoluere,cuius gratia à patre missus fuerat in mundum. ô si nos hac in re seruatorem nostrum imitari studeremus, vt finem ad quem à Deo conditi sumus,ob oculos poneremus! ô si ex tam multis diei horis quas inanibus verbis & cogitationibus insumimus, vna saltem aliqua à nobis ipsis rationem exigeremus, cur à Deo conditi, cur in hanc lucem editi, cur redempti, cur tot ac tantis beneficijs affecti simus? A Deo enim esse omnia condita, & nos ab eo vniuersa tum corporis tum animæ bona percepisse, nemo est qui nesciat. Quis autem dubitare possit hunc tantum artificem pulcherrimum hoc opus nullo fine proposito condidisse? Nunquid ait propheta, vane constituisti omnes filios hominum? Cum enim nullum sit animal quod non proposito sibi aliquo fine operetur, quid fingi monstruosius potest, quam summam illam sapientiã frustra hominem nullo sibi proposito fine fecisse? Præsertim cum multo maiori Deus consilio hominem quam cætera omnia fabricatus fuerit.Nam cum cęlum terram, maria, cæteraque omnia moliretur, nihil aliud,inquit scriptura, quam vidit Deus, & fecit Deus. At vero vbi ad hominis fabricam ventum est, velut coacto beatissimæ Trinitatis consilio, ait, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quem autem finem tantus artifex in hoc tam pulchro opere, quod sexto tandem die, absoluto huius mundi opificio perfecit, sibi proposuit? Num vt domos ædificaret? vt palatia miro artificio elaborata construeret, vt plantaret vineas? vt voluptatibus indulgeret? vt vitam in otio & desidia consumeret? Vt iure vel iniuria opes vndique relicturus congereret? Quis adeo vesanus est, vt hoc vel fingere cogitatione audeat? Quid igitur? nimirum in hoc hominem condidit, vt bearet : hoc est vt felicitatis & beatitudinis suæ participem faceret, & hanc ipsam beatitudinem præclaris actionibus & vitæ meritis assequeretur. Cum ergo in hoc nobis breuis huius vitæ vsura data sit, vt piis operibus vacantes, gratiam nobis & amicitiam Dei conciliaremus, & pijs actionibus æternam felicitatem ad quã conditi sumus, assequeremur, quanta quæso hominum cæcitas atque peruersitas est, vt huius finis prorsus obliti, nil aliud in vita quærant, quam quod pecudes & bruta quærunt, quę ventri & pabulo destinata sunt, quæque nullam aliam felicitatem quam corporis voluptatem norunt? Quamuis enim verbis & fide quã profitemur, aliam nobis felicitatem propositam esse fateamur : rebus tamen ipsis & institutione vitæ nil aliud, quam præsentia bona captamus, tantoque studio congerendis illis intẽti sumus, vt finis ad quem nos dominus procreauit, prorsus obliuiscamur : nilque minus agamus, quã id cuius gratia conditi sumus. Quod perinde est ac si quis Parisios discendi gratia nobilibus patrẽtibus magno sũptu atque impensis missus, relicto studio se totũ partim ludis,partim mechanicis artibus addiceret.Qua re quid absurdius, quidue nobilibus parentibus indignius?Hanc autem cæcitatem atque dementiam Hieremias designauit cum ait:sordes eius in pedibus eius,nec recordata est finis sui.Pedes autem animæ affectus eius & desideria sunt,quæ non minus illam, quam pedes corpus, quocunque voluerint deferunt.

Venit nox quando nemo potest operari. Nõne manifestissima esset insania,si pauper qui solum argenteum numũ haberet, magna in ciuitate sumptuosa ædificia videns alia similia vellet ipse ædificare?Tu igitur maiori insania es taxandus, qui cum tam pauper temporis sis,vt nescias an crastina die sis victurus,magna tamen tecum machinaris dicens?anno venturo hæc &illa faciam,post biennium illa & alia exequar. Cæterum de quadã anima sancta sub nomine mulieris sapiens dixit. Manum suam extendit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.Quæ vires obsecro sunt manus ad fusum applicare? Si diceret ensem, vel hastã arripuisse, vel leones dilaniasse: bene quidem dictũ videbatur.Sed si recte animaduertis,magnũ quidẽ opus est & insigne. Mulier enim amẽs manus in colu ponit, prudẽs vero in fuso:nã anima sancta iustũ dominum recta conscientia,& sanctis operibus expectat; amens vero cum suis aereis & vanis cogitationibus quas putat se posse præstare aliquando,& re ipsa exhibere.

Super illa verba,qui misit me,vide in præcedẽti feria annota. D. Thom. siue citationes super similia verba.

Super illa verba,venit nox quãdo nemo potest operari,vide D.Thom.super Esaiã in illa verba,nocte vastatus est murus ca.15.& super epist.ad Roma. 13.lect.3. in illa verba,nox præcessit.

Super illa verba,neq; hic peccauit neq; parẽtes eius,vide eundem 12. q.87.ar.7.ad.1.

Me oportet operari, &c. Si voles hic aliqua tractare de prouidẽtia quã magistratꝰ ipsi gerere debẽt & hi qbꝰ aliquorũ cura incũbit & cõmissa est:quẽdam habes de prouidẽtia librũ apud Greg.Nysse. de prouidentia

inſcriptum,prope finem operum.

Quam neceſſaria ſit in negotijs prouidentia vide D.Ambroſium lib. primo Officio.cap.38.

Venit nox quando nemo poteſt operari. Hæc nox mors ipſa eſt, quæ breui poſt tempore vētura eſt. Hic ſi voles differere de vitæ breuitate,atque alijs huiuſmodi, vt inde homines adhorteris ad operandum dum lucem habent,antequam nocte ipſa præoccupentur, aliqua ſubijciam.

Vix ſibi quiſquam aliquid certi in futurū polliceri poteſt,propter vitæ ipſius breuitatē. Quam ridiculum enim eſt certo quantum ex ſe eſt affirmare,hoc ædificabo, hoc plantabo, hoc negotiabor? Vide Senecam lib. 17. epiſto. epiſ.102.

Tametſi ſatis exiguum vitæ tempus nobis conceſſum ſit,illud tamen breuius etiam multo vitijs noſtris nobis facimus.Et certe quemadmodum amplæ ac regiæ opes vbi ad malum dominum deuenerunt,breuiſsimo tēporis curriculo dilapidantur ac profundūtur:ſin autem ad hæredem frugi, quamuis tenues admodum ſint,incrementa ſuſcipiunt:ita hæc lucis vſura qua fruimur,hæc vita quam inſpiramus,quamuis breuis, longa tamē ſatis eſt ad præclara quæquæ ac ſalutaria præſtanda; eam vero nos tanquam prodigi quidam hæredes, vitiis noſtris magis coangustamus, & infrugiferam omnino reddimus. Vide Senecā lib. de breuitate vitæ ad Paulinum cap.1.

Nec vero tam vt diu viuamus curandum eſt, quam vt bene vitā traducamus. Quid enim quęſo hūc octoginta anni iuuant, per inertiam exacti? non vixit iſte,ſed in vita moratus eſt potius; & is tamen qui præclare vixit, quamuis iuuenis ſuum diem obierit, dicendus eſt potius vixiſſe. Vide Senecam lib.14.epiſ.epiſt.92.

Quid de rerum natura querimur? illa quidem ſe perbenigne nobiſcum geſsit; illa vitam ſatis lōgam conceſsit:at nos ea in perniciem noſtram abutimur, eandemque nobis perbreuem facimus. alij quidem auaritiæ dediti, alij luxuriæ Venerique immerſi, alij crapula ebrietatéque diſtenti. Et hinc fit vt tametſi longa concedatur, vitiis tamen noſtris obruatur,Vide Senecam lib.de breui. vitæ ad Paulinum cap.2.

Prædia nobis diſsipari non patimur, noſtras opes ab alijs occupari non ſinimus,diuitias poſsideri non ferimus: & tamen vitam noſtrā ſuſtinemus ab alijs lacerari, imo nos ipſi vitijs noſtris eandem laceramus,perdimus,profundimus.Vide Senecam eodē lib.cap.3.

Ita plerique viuūt, tanquam ſemper victuri ita illicita omnia concupiſcunt tanquā immortales futuri.Videas etiā quoſdā lōgas ordiri inutiles rationes futurorum annorum,quaſi exploratum haberēt ſe id ætatis poſſe contingere.Alij etiam ſunt qui tūc demum incipiunt præclare operari & viuere, cum deſinendum eſt viuere. Quæ tanta ac tam lethargica mortalitatis obliuio? Quorſum in quinquageſimum ac ſexageſimum annum ſana differuntur conſilia?Quorſum inde demum vita inchoatur,vnde pauciſsimi eā vlterius producere conſueuerunt? Vide eundem libro eodem cap.4.

Tota vita diſcendū eſt viuere,&tota vita diſcēdū eſt mori:plurimi tamen fuerūt qui harum rerū neglectores,in extremā vſque ætatē vtramque cognitionē diſtulerunt, atque ita perierūt.Vide Senecam prædicto lib.cap.7.

Non eſt quod quenquam propter canos aut rugas ex longo tempore contractas, putes propterea diu vixiſſe, niſi bene egerit: ſed potius ille dicendus eſt diu fuiſſe, nam viuere in vitijs mors quædam potius eſt. Neque enim eum dices nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas,à portu exceptū, huc atque illuc diſpulerit,ſed is dicendus eſt potius diu iactatus. Cæterum cum quis ſic ægrotat vt periculum ei immineat mortis, tunc quidem oſtendit quāti vitam faciat,præſertim cum videas tunc quam liberaliter bona ſua diſtribuat & impendat ad ſalutem procurandam: ita etiā vitioſus tunc demum,vrgente ſcilicet neceſſitate,vitam in meliusprocurat emendare,incipitque vere viuere: ſed interdum euenit, vt ſero nimis id ſtatuat. Vide eundem eodem lib.cap.8.

Quomodo ſit ordinanda vita noſtra & inſtituenda,lege Bernardum in tracta. quem inſcripſit de ordine vitæ & morum inſtitutione & incipit, Hortatur quidem timidam.

Vitā fructuoſe traducamus,quoniā res eſt pretioſiſſima, lege Lauren.Iuſti.lib. de vita ſolita.cap.10.

Ordinare nos vitam decet vt honeſte viuamus, vide. D.Bernar.in tracta.qui inſcribitur, formula honeſtæ vitæ:cuius initium eſt, Petis à me frater; & in ſubſequenti incipiente, ſi quis emendatioris vitæ, prope finem operum.

Quod maxime conducat ad vitam emendandā, oculos conijcere in futuram vitam,conſuleLaurē. Iuſti.de contemptu mundi cap.17.&.cap.20.

Quemadmodum fluuius ex quo primum naſcitur & pullulat, nunquam quieſcit, ſed nūc per ſaxa delabitur, nunc per conualles decurrit,& denique nunquam ceſſare videtur, donec tandem in mare ipſum perueniat: ad eundem modum vita noſtra vbi primum inchoatur, iam tunc variis laboribus afficitur,multis deinceps calamitatibus exundat, ærumnis cōcutitur,& moleſtijs denique per ætatum omniū gradus ſolicitatur, donec tandem ad mortem ipſam deueniat, poſtquam feliciſsime conquieſcit,ſi modo quis itineris laboribus cum honeſtate functus fuerit.

Vita noſtra miſerrima eſt, ac veluti ſomnium quoddam Eſa.29.B.& ſicut ſomniat eſuriens.

Quam breuis ac velox ſit vita noſtra Iob.7.B. dies mei velocius tranſierunt quam à texente.

Vita noſtra breuis ac miſera ſapien.2.A.B.exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.

Perbreuis eſt vita noſtra Eccleſi. 18.B.numerus dierum hominum vt multum centum anni.

Quam neceſſaria ſit vitæ emendatio Ie re.7.A. bonas facite vias veſtras.

Vita &mors in mānu Dei Daniel. 5. G. porro Deum qui habet flatum tuum in manu ſua.

Vita breuis ſeu longa ſæpe alicui conceditur pro eo quod iuſte ſiue impie viuat,vide 3.Reg.15. per totum.

Vita perbreuis quidem eſt, idcirco recte viuamus Epheſi.5.D.redimentes tempus

Vitam vtiliter traducamus quando tam breuis eſt Galat.6.C.dum tempus habemus.

Vita noſtra tum breuis tum miſerijs conferta eſt Pſalmo. 89.ſi autem in potentatibus.

Quam breuis ac momētanea eſt vita noſtra Iaco.4. D. quæ eſt enim vita noſtra.

Hæc cum dixiſſet,expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo,& liniuit lutum ſuper oculos eius,& dixit ei. Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur miſſus: abijt ergo,& lauit,& venit videns. Ideo autē non aqua vtitur ad lutum faciendum, ſed ſputo, vt nihil aſcribatur fonti: ſed diſcas quoniam virtus oris eius oculos aperuit cæci & plaſmauit. Et deinde vt nō videatur cuiquā ex virtute terrę eſſe curatio,iuſsit oculos lauari. Cæterum expuēs Dominus in terram fecit lutū,& oculos cæci inunxit. Sputū quidem

dem quod à capite in os defluit,diuinitatē Chriſti ſignificat,quia caput Chriſti Deus.Et ęterna ſapiētia apud Eccleſiaſticum loquitur:ego ex ore altiſſimi prodij,primogenita ante omnem creaturam. Et Salomon de ipſa,vapor eſt enim virtutis Dei,& emanatio quædam maieſtatis eius ſyncera. Lutū vero de terra, ſacratiſſima Chriſti caro eſt,de ſacroſancta virgine ſumpta, vt ait Pſalmus, veritas de terra orta eſt. Similiter Eſaias,& aſcendet ſicut virgultum corā eo,& ſicut radix de terra ſitienti. Expuens ergo in terram lutum fecit,quia verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis.D, Cyrillus ſuper Ioannem.lib.6.cap.15.

Dominico ſputo vacuas oculorum replet lacunas,diuino ore luciferā dat ſaliuam,vt ſancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris, Nemo ergo dubitet diuino imbre tota arefacta mortalia mēbra poſſe reuiuiſcere, cum videat parua dominici ſputi gutta,arētes cæcitate oculos ſubito ſic ſuſcitatos in lucem.Petrus Chryſologus.ſermo.176.

In hac admirāda cæci curatione primum illud intelligimus,ſæpe dominum hiſce rebus quas nos pernicię allaturas credimus, commoditatibus & ſaluti noſtræ conſulere,Aliis enim dominus vxorem,aliis maritum,aliis liberos,aliis patrimoniū, aliis denique corporis ſalutē eripit:quæ omnia cū nos pernicioſa eſſe arbitremur, temporis tamen ſucceſſu intelligimus ea nobis maxime ſalutaria extitiſſe. Sic legimus Eliſeum prophetam amaras aquas iniecto ſale dulces reddidiſſe;Sic Eſaiam ficorum maſſa, regis Ezechiæ vlcus ſanaſſe; quæ ſi naturam rerum ſpectes, magis illud exulcerare & inflāmare,quā ſanare debuiſſet. Huiuſmodi enim fere ſunt medicamēta diuina, quæ cū carni moleſta,& humanæ prudentiæ noxia videātur, præter ſpem tamen & opinionem noſtram,mētis humanę vulnera ſanant.Quo circa nemo piorum rebus aduerſis & cōtra voluntatem ſuam fluētibus,animum deponat nec ſpem abiiciat: quandoquidem dominus hoc præclariſſimo munere electos ſuos donauit, vt omnia illis cooperentur ad bonum. Quā rem licet inſtantia tempora minus oſtendāt, futuras tamen ſæpe declarant.

Dum lutum ſuper oculos cæci ponit,hoc inſinuare voluit,vt humani corporis puluerem,quod ex limo terræ formatum atque cōcretum eſt,eiuſdemque mortalitatem cōſideremus; vt hac ratione humanarum rerum inanitatem agnoſcamus, eaſque pro nilo habentes,in vera cordis hum ilitate & noſtri ipſorū cognitione proficiamus. Quiſquis enim hoc attente cōſideauerit, ſeque ipſum in limo & luto tanquam incertiſſimo naturæ ſuæ ſpeculo conſpexerit,& illā etiam ſpeciem & horrificam imaginē quam in tumulo paucis ab hinc diebus habiturus eſt,ita ſibi ante oculos poſuerit, vt rem non cogitare,ſed oculis cernere videatur: an nō is facile & faſtum omnem,& tumorem animi deponet,& ſeipſum tanquam limum & lutum mox futurum,contemnet,& humana omnia quæ huc tandem denentura ſunt,pro nilo ducet,& eos qui his rebus immēſa quadam auiditate inhiant, ſtultos & amentes iudicabit? Quænam quæſo tāta ſuperbia erit,quæ profunda huius rei cōſideratione non & ſupercilium,& ingentes ſpiritus abiiciat, & humanarum rerum inanitatem in hoc tam calamitoſiſſimo humanæ vitæ exitu non perſpiciat?

Lutum fecit ex ſputo. Vide Tho.3.p.q.44.ar.3.ad 2. & 3.

Saliua cum luto coniuncta, eſt ſapientia æterna cum carne coniuncta: quæ admiranda coniunctio facta eſt cum verbum caro factum eſt. Hæc non ſolum eſt munda ac pura, ſed etiam miſerias noſtras ac maculas mundat. Hoc lutum ponitur cum creditur: cæterum quia fides ſine operibus mortua eſt, idcirco iuſſit ei vt iret ad lauandum, hoc eſt ad ſacramenta percipienda. Vide Galfrid. ſuper hunc locum.

Itaque vicini & qui viderant illum prius quia mendicus erat, dicebant. Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? alij dicebant, quia hic eſt, alij autem nequaquam, ſed ſimilis eſt eius. Ille vero dicebat quia ego ſum: dicebant ergo ei: quomodo aperti ſunt tibi oculi? Quærunt quomodo aperti ſint oculi, nunquid magia aliqua? quod alibi cum ſanandi modum intelligere nequiuiſſent, calumniati ſunt in Beelzebub principe dæmoniorum eieciſſe dæmonia.D.Chryſoſt. ſuper Ioan.hom. 57. tom. 3.

Hanc vicinorum hæſitationem, fratres, ad ſpiritualem mentium lucē trāſferamus.Quæro enim à vobis ſi ſola lux corporeis oculis reddita vſque adeo hominem illū immutauit, vt vicini cū, quibus fuerat à puero verſatus & cū illis māſerat,illū non agnoſcerent: quanta queſo erit animæ illius transformatio, quæ cum in denſiſſimis tenebris errorum quam diutiſſime vixerit, nouo diuinæ gratiæ lumine perfuſa, omnes viuendi rationes commutauit.

Vide quantopere iſti inter ſe diſſentirent: de diſſentionibus autem & contentionibus inutilibus quam pernicioſiſſimæ ſint, vide D. Baſi. lib regula. fuſius diſputata. cap, 49 tom. 2. & Vinc. Belluacenſem ſpeculo Mora.lib. 3. par.3.diſt.13. *Reſpondit,ille homo qui dicitur Ieſus lutum fecit & vnxit oculos meos: & dixit mihi. Vade ad natatoriam Siloe & laua & abij,& laui, & vidi. Et dixerunt ei vbi eſt ille? ait,neſcio.* Quanto ſatius fuiſſet vt iſti lucem recepiſſent, quemadmodum cæcus eam recepit, credendo; & vt diligenter ac caute ambulaſſent,non autem cū duplicitate quadam & animo vulpino.

Vt enim qui per ſcalas aliquas infeſtiſſimas incedit, pedetentim quidem progreditur, & aſcenſum ipſum diligentiſſime explorat: ita iſti quidē omni remota duplicitate & prauitate, puro animo poterant quidem audire de cæco factum ipsū, vt ita tandem ſecluſa omni malitia, crederent, & conuerterentur.

Adducunt eum ad phariſæos qui cæcus fuerat: erat autem ſabbathum quando lutum fecit Ieſus & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum phariſei quomodo vidiſſet: ille autem dixit eis, lutum poſuit mihi ſuper oculos, & laui, & video. Hoc magnificentiſſimo opere edito quod meridiana luce clarius Chriſti diuinitatem teſtabatur, ſapientes mundi qui primi omnium rei magnitudine ſtupefacti, autoris gloriam agnoſcere debuiſſent, hærent, dubitant, inquirunt cunt atque redeunt, nullumque non mouent lapidem,ne Chriſti domini virtutē & gloriā cōfiteatur. Aiunt qui Anatomes ſcientiā profitentur,tantū admirationis & artificij in oculorū fabrica ſummum illū rerum opificem poſuiſſe, vt nō minoris virtutis & poteſtatis eſſe putent oculos cæco nato præbere, quam mortuū ab inferis excitare. Artifex enim aiunt, qui pulcherrimā ac difficillimā alicuius regiæ domus partem abſoluere poſſet, poſſet etiam reliquas eiuſdem domus partes minori negotio abſoluere. Quiſquis ergo oculos potuit fabricare,haud dubiū quin reliquas etiam corporis partes condere valeat. Is autem ſolus Deus eſt.

Dicebant ergo ex Phariſeis quidam:non eſt hic homo à Deo,quia ſabbathum non cuſtodit:alij dicebant,quomodo

poteſt homo peccator hæc ſigna facere? & ſciſma erat inter eos. Ipſe potius cuſtodiebat ſabbathũ, qui ſine peccato erat. Sabbathum enim ſpirituale, hoc eſt non habere peccatum. Denique fratres hoc admonet Deus, quãdo commendat ſabbathum: omne opus ſeruile non facietis. Hæc ſunt verba Dei cõmendantis ſabbathum, Omne opus ſeruile non facietis in eo. Iã ſuperiores lectiones interrogate quid ſit opus ſeruile, & dominũ audite; omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. D. Auguſti. ſuper Ioann. tracta. 44. to. 9.

Ex altera parte vis eos manifeſtæ veritatis vrgebat, ex altera autẽ virus malitiæ à veritatis cõfeſſione reuocabat. Vnde ſimile quiddã illis eueniebat quod in venatione canibus, qui cum varios in nemore ferarum odores præſentiũt, modo huc, modo illuc præcipiti curſu feruntur, nec certo ſciũt quo tendere debeant. Quod plane miſerrimis his hominibus contigit, quos hinc manifeſta operis dignitas ad veritatis cognitionẽ adigebat, inde vero acerbũ in Chriſtũ odiũ, malitia, auaritia, inuidia, atque ambitio, velut atræ quædam nebulæ excæcabant. *Non eſt hic homo à Deo &c.* Ita ne licet Phariſæe ſimulata pietate veram pietatem proterere? inani religione, ſolidæ & expreſſæ bellum inferre? Hoc certe Pharaonis ipſius incredulitatem & obſtinationẽ ſuperat: ille enim diuinorum operum maieſtatem & potentiã agnoſcebat, quãuis præcipienti parere recuſaret; tu vero adeo excæcatus es, vt ne hoc quidẽ mirabile opus Dei eſſe fatearis. Vnde apertiſſime colligere licet fratres, quanta ſit malitiæ & peccati cæcitas, quanta humanæ ſapientiæ obſcuritas, & quãta demũ hominis à Deo derelicti obſtinatio, ſtultitia, & ameãtia; atque adeo quanto ſtudio peccatum omne vitare, Deo ſemper adhærere, & illud Samuelis præceptum implere debeamus, quo nos iubet à tergo domini nunquam diſcedere, ne hoc certiſſimo vię duce amiſſo, in hęc adeo tremenda præcipitia deturbemur.

Super illa verba, non eſt hic homo à Deo &c. Vide D. Tho. 3. par. q. 40. arti. 4. ad. 1.

Dicunt ergo cæco iterum: tu quid dicis de eo qui aperuit tuos oculos? Ille autem dixit, quia propheta eſt. Non crediderũt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos, dicentes. Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus natus eſt: quomodo ergo nunc videt? Qui vrbẽ expugnare nititur, vbi vnam murorum partem quam proſternere atque euertere tentauit, cõſpicit adeo firmam eſſe atque compactã, vt eam diſſoluere atque ſubruere nequeat; mox ad alteram partẽ quæ imbecillior & inualidior apparet, ſuas transfert machinas, arietes & torméta, vt ea parte oppugnatam vrbẽ intercipiat. Itaque quoq; Phariſæi quia cæcum iam illuminatum attonitũ reddere non valuerunt, ſed videbant eum ſine animi trepidatione benefactorem ſuum prædicãtem: per parentes eius putabãt Chriſti miraculum obſcurare. D. Cyril. ſuper Ioan. lib. 6. cap. 18.

Super illa verba, quia propheta eſt, vide D. Tho. 2. 2. q. 174. ar. 5. ad 3. & 3. p. q. 7. a. 8. per totum. & q. 31. ar. 2. in corpo. Item de veri. q. 20. ar. 6. in corpo. & ſuper Iõã. 4. lect. 6. in illa verba, propheta in ſua patria honorem non habet. & Ioan. 6. lect. 2. in illa verba, hic eſt vere propheta, & ad Heb. 1. in illa verba, Multipharie multiſque modis.

Quia propheta eſt. Vide quã conſtantiſſimus & perſeuerans in propoſito bono, acerrimuſque veritatis propugnator, eſſet hic cæcus, adeo vt impleret illud Solonis, veritatẽ viriliter ſuſtineto atque defendito. Menander itẽ dixit, cum quid ſanctũ agis, bonam tibi ſpem propone, certus quod conatum iuſtum Deus adiuuet. Palæmon, fer mæroré & iacturam fortiter, atque certamen pro veritate. Horatius, æquam memento rebus in arduis ſeruare mentem.

Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: ſcimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt: quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis eius aperuit oculos nos neſcimus. Ipſum interrogate, ætatem habet: ipſe de ſe loquatur. Volebant iſti Phariſæi inuidia & malitia flagrantes iniuriam inferre etiam parentibus, ſi quicquam reſpondiſſent pro Chriſto: cum potius relicta omni obſtinatione deberẽt fauere eiſdem, & ſi quomodo ſibi videbantur à parentibus cæci & ab ipſo cæco offenſi, ſtatim iniurias omnes illatas exemplo Chriſti, qui eiſdem tam ſæpe iniurias remiſit, condonare. Eſt enim perhonorificum ac victorioſum illatas libenti animo contumelias atq; iniurias remittere: qua de re conſule D. Chryſoſt. homilia quadam quæ inſcribitur, Magnũ eſſe bonum non tantum exercere virtutem, ſed etiam laudare &c. prope finem tom. 1.

Quid complures Philoſophi de iniuriarum remiſſione ſenſerint, quamque eam rem commẽdauerint: lege Vincen. Belluacen. Specu. Doctrina. lib. 4. cap. 68.

Quam odioſum Deo ſit iniurias nõ condonare, Lucæ 9. G. neſcitis cuius ſpiritus eſtis.

Attende quam facilis eſſet ad remittendas iniurias Samuel, quandoquidẽ pollicebatur ſe pro eis oraturum, qui ſibi iraſcẽdi in eos maximam præbuerant occaſionem 1. Reg. 12.

Conſidera quæſo quanta facilitate ſanctus ille ſenex Tobias iniurias condonaret, quãdoquidem vix eius vxor finierat in eum cõtumelioſa iactare verba, cum ſtatim ad ſe filiũ vocauit, eundemque diligentiſſime hortatus eſt vt matrem honoraret. Vide Tobiæ. 4.

Lege obſecro mirabile illud exemplum imperatoris cuiuſdam, quod refert Seneca: qui quidem incredibili quadam animi magnitudine cuidam Cinnæ pepercit, tametſi eum ſciret de nece Imperatori inferenda tractaſſe, à quo fuerat libertate donatus, & ampliſſimis affectus honoribus. Ita enim Cinnam allocutus eſt. Cũ hoſtis mihi eſſes, in bello à me captus, & in ſeruitutem redactus es: ego vero volens te liberalitate complecti, paucis poſt diebus ſtatim libertate donaui, & ad altiſſimos quoſque dignitatis & honoris gradus euexi, adeo vt victo victores ipſi inuiderẽt: ſed ecce nũc bellum denuo mihi inferre, atque necem conatus es, pro tantis beneficiis. Quid hoc eſt mali Cinna? Quæ tanta ingratitudo? Quod ferreum pectus atque immane? Verum iam ſecundo non quidẽ merita tua, ſed imperatoriam clementiam cõtemplatus, tibi ignoſcam? tibi vitã Cinna iterũ do, prius hoſti, nunc vero inſidiatori ac parricidæ. Lege Senec. lib. 1. de Clementia cap. 9.

Quod iniuriarum illatarum remedium & medicina ſingularis ſit ipſa obliuio: lege Senecã lib. 14. epiſt. epiſt. 95.

Poteſt quidẽ aliquis mihi inferre iniuriam inquit Seneca, quæ ab illo prouenit iniuria quidem ſit, à me vero loco iniuriæ non ducetur: vt ſi quis venenum mihi propinet, quod tamen in ſtomacho meo vires ſuas non exerat: is quidem quãtum in ſe eſt, homicida eſt, ego vero propterea nil læſus ſum. Vide Senecam lib. 2. de tranquillitate ad Serenum, Quod in ſapientem non cadit iniuria, cap. 3.

Pauci

Pauci quidem iniuriam conſtantia quadam ac magnitudine animi ſuſtinent, ſed ſtatim ea illata, omnes fere perturbantur. Vide Senecam lib. 2. de tranquillitate vitæ ad Sere. cap. 9.

Non videtur viri eſſe ſapiẽtis quod aliquis cõqueratur propterea quod ſibi omnes nõ aſſurgãt: ſed ſapientis eſt potius iniurias illatas, cõuicia, & opprobria, patiẽter tolerare. Cęterũ ſapiens à nullo contẽnitur, magnitudinem ſuam nouit, & cõtumelias omnes illatas nõ ſolum diſſimulat, verũ etiam nec ſentit. Vide Senecam lib. 2. de tranquillitate vitæ ad Serenum capit. 10.

Contumelia à contemptu dicta eſt, quia nemo fere niſi quẽ cõtempſit, tali iniuria afficit. Nemo fere meliorem maioremque cõtemnit, etiamſi faciat aliquid quod contẽnentes ſolent. Nã & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit laceraúſque infans, nil tamen horum contumeliam dicimus. Cur ita? quia qui facit contemnere non poteſt. Itaque fortes ac magnanimi ea omnia cõtemnunt, quæ vulgus cõtumelias appellat, neque de his aliqua ratione ſolicitantur: non enim ſe vſque adeo vili æſtimant, vt putent in ſe contumeliã cadere poſſe, cum ea omnia fugiant, propter quæ merito digni contumelia & contemptu iudicari poſſint. Perindéque ſe gerunt cum contumeliæ ab inſipiente aliquo inferũtur, atque principes ipſi quibus ab ſcurris in os varia contumelioſa iactantur verba, propter quæ ne leuiter quidem commouentur, ſed potius ridere conſueuerunt & exhilarari. Vide Senecam vbi ſupra cap. 11.

Indignum plane eſt quod cũ ab ſcurra aliquo cõtumeliis afficimur; ne leuiter quidem indignemur, cum vero ab amicis, vel ab inimicis, offendimur, ſtatim implacabili quadam iracundia concitemur. Lege eundem vbi ſupra cap. 12.

Si medicus non iraſcitur contra phreneticum contumelioſum & maledicum: quorſum quęſo in eum vir ſapiẽs ſtomachabitur, qui iniurias & cõtumelias pergit infligere? eo enim loco contumelioſos homines ducit ſapiens, quo medicus ipſos phreneticos. Vide eundem eodem lib. cap. 13.

Idem præterea Seneca eodem lib. cap. 11. memorat de quodam Catone, quod tametſi cũ quidam in os percuſſiſſet, non tamen vel leuiter commotus fuerit, ſed iniuriam potius patienter toleranerit.

Non debet noſter animus ita eſſe diſpoſitus vt quædã patienter ferat, alia vero non: ſed omnibus ſuſtinendis ſeſe accingat oportet. Non debet ſapientis magnitudo animi intra certos quoſdã terminos cõtineri, ſed ad omnia parienter ſe habeat: vincit enim nos fortuna, niſi tota vincatur. Vide eundem vbi ſupra cap. 15.

Multi ſtatim contumeliam atque etiam iniuriam ſibi infligi putant, ſi quis eorum ſermonem imitetur, ſi inceſſum actione ſua referat. ſi deniq; vitiũ aliquod corporis vel linguæ exprimat, quaſi notiora in aliis hæc expreſſa fiant, quam in ſeipſis &c. Vide Senecam vbi ſupra cap. 17.

Hæc dixerunt parentes eius quia timebant Iudæos: iã enim conſpirauerant Iudæi vt ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra Synagogam fieret: propterea parentes eius dixerũt, quia ætatem habet ipſum interrogate. Vide quã obſtinato eſſent iſti Iudæi animo, vt non ſolum non credentes, ſed etiam propter ſuam malitiam, & quia Spiritui ſancto reſiſtebant, & agnitam veritatem impugnabant, alios etiam retraherent à Chriſti fide, & in eos qui crederent conſpirarent & coniurarent. Cæterum impij phariſæi, ſi cæci eſſetis, peccatum non haberetis: ſed quoniam dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet. Bona cæcitas eſt non videre in ſe ſublimia, & excelſa, neque alta de ſe ſentire: ad res etiam fidei cæcos nos exhibere debemus, & credere firmiter omnia, omni curioſitate expuncta, & vana ſpeculatione delera. Vide Balduinum ſuper hunc locum.

Vocauerunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, da gloriam Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. Cum in altera parte murorum ad quam factus eſt oppugnationis tranſitus, non ſatis commoda perſpicitur eſſe inuadendi vrbem opportunitas; rurſum ad priorem partem fieri ſolet regreſſus, & acriori inſultu nouiſque machinis inſtauratur ibidem oppugnatio. Quia ergo cæci nati parentes miſerunt Phariſęos ad illum qui curatus eſt à cæcitate, rurſus vocauerunt eum ſecreto. Neque ei manifeſte dicunt, Nega quoniam Chriſtus te curauit: ſed ſub præextu religionis ad hoc eum inducere volunt, dicentes. Da gloriam Deo: quaſi dicant, confitere quia hic niſi eſt operatus: nega quod accepiſti. Hoc plane non eſt gloriam dare, ſed Deũ potius blaſphemare. D. Cyrillus ſuper Ioan. lib. 6. cap. 19.

Dixit ergo ille: ſi peccator eſt neſcio, vnum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modo video. Nõ modo iſte cæcus nũc lumine illuſtratus, felicíſſimus fuit, verum etiam cum antea cæcus eſſet, non parua ei commoda ex cæcitate naſci videbantur, atque non mediocrem attenta modo quadam vrẽs conſideratione, animo cõſolationem capere debebat. Quod enim conſolationem maximam capere debere quis videatur quando corporeis oculis captus ſit, pauca ſubiiciam,

Nec dum intelligis, inquit Seneca, partem innocentiæ eſſe cæcitatem? Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat; non parua ergo ex oculorum cæcitate naſci commoda videntur, ſi patienter ſuſtineatur. Vide Senecam lib. de remediis fortuitorum ad Gallionem.

Noli teipſum affligere quod in cæcitatẽ deueneris, ſed potius vel illa conſolatione animum nõ mediocriter reficere debes: quod Deus opt. max. nõ paruis, ſed maximis beneficiis extulerit ipſum Iſaac & Iacob, ac ſimiles cęcos & caligãtibus oculis: quorum nomina ad totius poſteritatis memoriam celebrabuntur. Vide D. Hiero. epiſt. ad Caſtrutium to. 1.

Percontatus eſt idem Hiero. à Didymo, qui cęcus erat felicíſſimo quodã prędituſ ingenio: Nunquid molęſtia aliquam ſentiret? qui reſpondit ſe tantum exactione carnis externus aliquo modo cruciari. Cui Hieronymus: quanto tu felicior, qui cum oculis carnis exterius priuatus ſis, quos natura etiam formicis & huiuſmodi animalculis communes fecit, interius tamẽ oculos mentis habeas ſplendidiſſimos. Vide D. Hiero. in epiſto. ad Caſtrutium to. 1.

Ille inſignis Aſtrologus Democritus, & Chaldæorum diſcipulus, quos tantopere Plinius commendat, ſibi oculos eruit quo melius Philoſophię vacaret, vt referunt Aulus Gellius, Liberius, Lucretius, Marcus Tullius, & plures alij. Cæcus item fuit Aſclepiades Philoſophus, Diodorus Stoicus, & Caius Durius iuriſconſultus: & nihilominus viri præclari ac celebres extiterũt. Apius Claudius Romanus poſtquã cæcus factus eſt, fuit creat' Cẽſor, & mirabiliter rempublicã gubernauit. Homerus

cęcus fuit,quemadmodum prodiderunt Herodotus,Martianus, & Petrarcha: & tamen tam elegantissimus & grauissimus poëta fuit, vt variæ nationes eum sibi ciuem certatim postularent atque repeterent.Nam Chij suum esse dicebant,Salaminij repetebant, & sic de aliis nationibus, quemadmodum refert. M. Tullius in oratione pro Archia poëta. De Didymo præterea Alexandrino sibi contemporaneo affirmat D. Hiero. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, quod ad vbera materna cæcus factus fuerit: & tamen Dialecticam didicit, Geometriam nouit, & denique Theologus adeo pręclarus euasit,vt eruditissimos Commentarios in Psalmos ediderit, in Esaiam etiam & Oseę,super Euangelia, & denique contra Arianos etiam inuectus fuerit. Qui de aliis insignibus cæcis plura nosse voluerit,legat officinam Textoris.

Animæ cęcitas est ea quidem quę valde pertimescęda est & deplorãda.Aliquãdo etenim prius oculus intellectus obtunditur, & post modũ captus animus per exteriora desideria vagatur,vt cęca mens quo ducitur nesciat, & carnis suæ illecebris sese libenter subdat.Prius oculos rationis dęmon obcæcat, & postea cæco ac misero abutitur prout vult:in cuius rei typũ Philistæi prius Sãsoni oculos eruerunt,deinde eũ molere fecerunt. Lege D.Gregorium.7.Moral.capit.16.

Dixerũt ergo illi,quid fecit tibi?quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: dixi vobis iam,& audistis; quid iterum vultis audire?nũquid & vos vultis discipuli eius fieri? Vide quæso quam molestissimi essent isti suis interrogationibus ex multa obstinatione procedentibus,cum potius debuissent viso tanto miraculo statim in lachrymas prorumpere, ad scelera sua abluenda.Si quidem lachrymę sunt aquę quibus verè pœnitentes abluere delicta debent,quibus purgari cõsciẽtia debet,& extingui in ea peccatorum incendia.Nam quemadmodum cum domus aliqua incendio flagrat, consueuimus statim ad aquam citi concurrere, qua totum incendium extinguamus: ita plane quoties peccatorum incendio conscientiam nostram viderimus succensam,toties ad lachrymarum ex vero corde manãtium aquam concurrere debemus,vt iis tanto incendio succurramus. Et sicut si in pelui argẽteum nummum statuas,illum quidem ex remotiori loco videre non poteris:sin autem aquam infuderis, mox eiusdẽ aquæ beneficio,qui antea conspicuus non erat numus cernitur: sic profecto Dei imaginem propter peccatorum nostrorum obicem vix in nobis agnoscimus, at vero si lachrymarũ aqua media interuenerit,tunc quidẽ deletis peccatis eã per diligenter cõtemplamur.Vide Hecto. Pintum super Ezechie.40.

Maledixerunt ei,& dixerunt:tu discipulus eius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est dominus,hunc autem nescimus vnde sit. Maledictum hoc,tu discipulus illius sis,veniat super nos Christianos: quemadmodum Rebecca dixit filio suo Iacob timẽti maledictionem sibi pro benedictione illatum iri à patre suo Isaac, si deprehenderet simulationem illã qua fingeret se esse Esau: in me sit ista maledictio,fili mi.ita sane & in nos sit hæc Phatiſæorum maledictio: si quidẽ cor intuearis eorum, maledictio est: si inquam cor intuearis eorum peruersissimum.D. Cyrillus super Ioan.lib.6.cap.20.

Moysi locutus est dominus. Animaduertite quæso qua arte callidus ille serpens suos illaqueat. Proponit enim illis verissimas atque certissimas sententias,quæ apud omnes in confesso sunt;ex illis vero malè collocatis, pestilentissimos errores inferr,quibus eos miserrime decipit.Quid enim verius,quã quod Moysi locutus sit Deus? Ex hac autẽ cõstanti veritate,hoc tam impudens mendaciũ collegerunt.Hunc nescimus vnde sit. Hic est fratres dæmõ ille meridianus,& sagitta in die volãs, à qua electos suos dominus paterna cura & pietate liberat.Hę nam que sunt periculosissimæ dęmonis sagittæ,quæ partim imagine virtutis, partim aliquibus verissimis sententiis interiectis, lethali plerumque vulnere incautos sauciant, ac illos maxime, qui nil aliud quam virtutẽ & veritatem omnibus rebus anteferunt.

Respondit ille homo,& dixit eis:in hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit,& aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus nõ audit: sed si quis Dei cultor est,& voluntetem eius facit,hunc exaudit. A seculo nõ est auditum quod aperuit quis oculos cęci nati:nisi esset hic à Deo,non poterat facere quicquã. Super illa verba, quia Deus peccatores non audit,cõsule D.Tho.2. 2.q.83.ar. 16.per totum.& q.178.ar. 2. ad 1.& in 4.senten.dist.45.q.2.ar.1. quæst.3.ad 1.& de poten.q.6.ar.9.ad 5.

Responderunt & dixerunt ei: in peccatis natus es totus,& tu doces nos?& eiecerũt eum foras. Solet maiorũ cõsuetudo à minoribus aliquid discere dedignari, quod nimirum ex latente morbo superbiæ proficiscitur, quo sibi animus falsam scientiæ opinionem ascribit,& erubescit ab eis qui inferiori gradu vitæ,aut dignitate sunt,quidpiã percipere, ne ignorasse videatur idipsum, aut minor illo in doctrina appareat à quo discit, cum cupit omnibus supereminere. Sed si animus quidem noster vera esset humilitate munitus, non erubesceret etiam à puerulo quicquam quod ignoraret addiscere. A quocũque enim percipi potest veritas, amplectẽda est & capessẽda. Exẽplo nobis est dominus noster vberrimus sapiẽtię fons,qui duodecim annos natus,vt Lucas scribit,inuentus est in tẽplo inter legis peritos & doctores interrogãs & audiẽs eos. D.Cyrillus super Ioan.lib.6.cap.21.

Donec eum negaturum sperarunt,dignum cui crederent existimarunt, & semel atque iterum eũ vocarunt. Quod si ei non credendum ducebatis, cur aduocastis?cur iterũ interrogastis? Cum vera locutus est,& ideo maxima erat admiratione obseruãdus,tũc accusant.Quid autem signat,in peccatis natus es totus?Exprobrãt ei cæcitatem, ac si dicant.A prima ætate in peccatis es, quasi ideo fuisset cæcus; quod non sequebatur:& ideo eum statim consolatur Christus.D.Chrysost.super Ioã. homi.57.to.3.

Et tu doces nos? Statim iactabant se sapientes, & tamen de virtute parum curabant,cũ tamẽ literæ ipsæ multo magis reluceãt in fundamẽto virtutis. Et sicut Athenięses vt testis est Anacharsis Philosophus,pecuniis ipsis admodũ gloriabãtur,& eas sibi tantũ ad cõputandũ sæpe ac sæpius habebãt, eáque dũtaxat inanitate pascebantur: ita isti Phariſæi literas ipsas & scientias solum habebant ad ostentationẽ,non autem vt inde meliores fierent, sed solam sibi ostẽtationem studio habebant. Cęterum quemadmodum malum ipsum medicũ per se quidem insuaue est,at vero si adhibeatur perdicibus aut eiusmodi aliis ciborum lautitiis,delectabilem quendam ingerit gustũ:ad eundem modũ scientię ipsæ nisi virtuti admisceantur,& quasi condimentum quoddã ab ea accipiant,insipidissimæ esse videntur. Vnde Christus dixit Lucæ 19. negotiamini dum venio:non dixit studete, aut literas dicite, sed negotiamini, hoc est vt virtutem ipsam complecterentur, sine qua quidem literæ non admodum videntur proficere.

Literæ sine virtute quam parum conducant Esa.29. E.sapientia à sapientibus.

Literę in vitioso homine quasi offuscatæ apparent Eccles. 21.C. cor fatui quasi vas cõfractum.

Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei, tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: quis est Domine,vt credam in eum? In hac re fides & benignitas domini erga eos qui propter eum afflicti & ab hominibus proculcati sunt,magnopere elucet: ne pij inpiorum persecutiones extimescant, per quas illis ad maxima Dei munera aditus aperitur.Si enim Propheta ,pe esse Dominum ait his qui tribulato sunt corde; & ipse itẽ Dominus,Cũ ipso sum in tribulatione, quæcunque illa sit & vndecunque orta, quam præsens iis aderit, qui ob eius confessionẽ & fidem ab impiis vexantur, & variis iniuriis afficiũtur?Cuius rei in numera extant in literis sanctis exempla. Paulus & Silas propter fidei confessionem in carcerem coniecti,& flagellis cæsi;in ipsa nocte ab Angelo soluuntur & portæ illis carceris aperiuntur, ipsi vero Dei laudes alacriter concinebant. Carceri Hieremias mancipatur, sed ibi tamen clauso Dominus ait,Clama ad me, & exaudiã te, & annunciabo tibi grãdia & firma quæ nescis. Mittitur Daniel in lacum leonum, & per Abbacuc prophetã Angelo monente ac ducẽte, prandium ei à Iudæa in Babylonem vsque adfertur.Mittuntur tres pueri in fornacem Babylonis, eóque descendit angelus domini, & solutis, ipsorum vinculis cum eis pariter laudes domino decantat. Ad hunc ergo modũ eos dominus visitat & consolatur,qui pronominis sui confessione & iustitiæ amore variis premuntur ærumnis:quod videmus,& in hoc cæco quem cum eiecissent foras, dominus statim consolatus est. Magnos siquidem labores magna Dei solatia & auxilia consequuntur,quæ maximã nobis diuinæ bonitatis & paternæ eius prouidẽtiæ significationem præbent.Vnde est illud Apostoli,sicut abundant pationes Christi in nobis,ita & per Christum consolatio nostra.

Et dixit Iesus: & vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At ille ait, credo Domine, & procidens adorauit eum. Porro huius quidem cęci exemplo discimus quod qui propter veritatem & Christi confessionem, malo & contumelia aliqua afficiuntur; hi maximè à Deo honorantur. Vt enim qui propter Deum pecunias dispergit, eas maxime inueni; & qui odit animam suam, is vel in primis amat: ita contumelia affectus propter Deum, is plurimum honoratur à Deo,quod de cæco vsu venit. Eiectus est de templo à Iudæis, & à templi domino inuẽtus est. A pestifero consilio liberatus, salutiferum est fontem consecutus. Contemptus à contemptoribus Christi, ab angelorum rege honoratus est. Hæc sunt veritatis præmia, quæ assecutus est is qui pro veritate fortiter decertauerat. D. Cyril. super Ioan.lib.6. cap.21.

De cæco illuminato vide Hugonẽ de S. Victo. lib. 1. Allegoria. in Ioann.to.1.capit.9.

De cæco nato vide Ioan. Gersonem 4. p. fol. 86.

Super Episto. & Euang duos habet sermo.D. Antoni.initio 1. par.Theolo.

Vide eundem prima parte historia. tit.5. §. 18.

Quod lumine cælesti, mentis oculi illustrandi sint, ne obdormiant in morte peccati. Vide Lauren.Iusti. lib.de perfectio. gradi. cap.1.

Quam detestabilis sit voluntarie delinquentium cæcitas. & in qualem peccatorum miseriam labantur,vide Lauren.Iusti.vbi supra cap.2.

Feria quarta, post quartam Dominicam Quadragesimæ.



BAT *Iesus in ciuitatẽ quæ vocatur Nayn & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Luca 7.* In hoc Euangelio aperte videmus quantum nobis misericordiæ exercendæ exemplum det Christus dominus, qui viduæ compassus,filium ei vnicum defunctum restituit.Debemus itaque nos exemplo ipsius Christi compati in calamitatibus & afflictionibus proximorum,atque misericorditer cum eis nos gerere. Et certè qui erga egenos & afflictos misericordiam non exercent, sunt tanquam flumina quædam quæ quamuis circa aliquas regiones curant, tamen ipsis incolis minus sunt vsui, quin potius per secreta loca in mare ipsum influunt, vbi falsa illa aqua statim corrumpuntur: ita enim hoc hominum genus licet circa afflictos multos versetur, cum eis tamen beneficentiam ac liberalitatem non exercet, sed diuitias suas omnes salsugine immisericordiæ, cæterorúmque vitiorum contaminant:& cum breui ad mortem ipsam deuenturi sint tanquam ad mare quoddam turbulentum & amarum, quando nil diuitiæ proderunt; nolunt tamen pecuniam suam pauperibus & inopibus, quos quotidie clamantes vident communem facere. Et quibusdam quidem diuitibus videtur propterea bona sua augeri magis, quod ea pauperibus non impertiantur,qui tamen vel ex eo longe falluntur; quia quemadmodum frumentum in granario diu asseruatum, & terræ ipsi minus mandatum, potius decrescit atque corrumpitur quam crescat & augeatur: ita diuitis ipsius bona pauperibus minus communicata, minuuntur potius, quam suscipiant incrementa. Et quemadmodum putealis aquæ quo frequentius hauriuntur, eo præstabiliores fere fiunt, largiúsque fluere solent: ita quo liberalior quis fuerit in pauperes, eo magis rem faciet, ac locupletabitur: cum etiam hic accipere centuplum soleat, & illic in patria præmium recipiat sempiternum.

Hodie beatus Euangelista quia viduæ matris vnicum iam funeris vinculis illigatum, lamentabili impositum iam pheretro, prosequẽtibus turbis eúntem iam carceris ad sepulchrum, per Christum vitæ redditum nuntiauit;omnium concussit corda,mouit mentes,stupefecit auditum. Sed hoc gentes mirentur, Iudæi stupeant, mundus pauescat: nos autem qui omnes à seculis mortuos ad vnam vocem Christi sepulchris excitandos credimus, cur miramur? Exurgent inquit Esaias mortui, & resurgent qui in monumentis sunt. Et dominus, veniet hora quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Ad hæc Apostolus ita ait. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Quæ est ista tuba quæ inferis infert bellum, sepulchri resoluit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum? Quæ est? Illa quam superius Dominus dixit. Mortui audient vocem filij? Dei. Tuba non quæ arctaro spiritu per concauum cornu ligni vel æris tristem bellantibus dat mu-

gitum: sed quæ de corde patris, ore filij, vitalem & inferis & superis dat clamorem. Et in nouissima tuba: tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo, ipsa in nouissimo mũdum reuocabit experdito: & quæ initio hominem suscitauit ex limo ipsa in fine hominem resuscitabit ex puluere. Fratres sic credimus, quia tuba diuinæ vocis chaos diuisit, collegit orbem, mundauit elementa, distinxit mundum, suspendit cælum, fundauit terram, mare vinxit, mersit inferos, dedit ordinum vices, iussit rerum continuam seruitutem, ac ne vacuus horreret orbis, aptauit habitatores, habitacula sic discreuit, in cælo posuit angelos solo spiritu viuentes, in terra constituit vitas varias terrenorum, in aëre dedit animas aligeras peruolare, in aquis tam pusilla quam magna fecit vt viueret animantium multitudo, ac miro modo sic ex disiunctis partibus iunxit compagem mundi, vt nec commixtio discreta confunderet, nec discretio rerum inscinderet vnitatem &c. Petrus Chrysolo. sermo. 103.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Habemus quidem portas per quas mortui efferimur corporis videlicet sensus: de quibus ait propheta, Qui exaltas me de portis mortis. Hæ sunt enim portæ per quas mors ingreditur, & per quas mortuus effertur. Nam quod per illas mors ingrediatur, testatur alius propheta qui ait, intrauit mors per fenestras nostras. Qui enim vidit mulierem ad cupiscendam eam, mortem per oculorum fenestras admisit. Qui vero seminat inter fratres discordias, & iniquitatem in excelso loquitur, per oris portam mortuus effertur. Et quidem mihi hoc significare videtur iuuenis extra ciuitatis portam delatus, quem suscitauit Iesus. Signat enim hominem delectatione mortuum & per praui operis iudicia iam extra portas perlatum. Obsecro domine Iesu vt cunctas meæ ciuitatis portas iustitiæ facias, vt ingressus in eas confitear nomini tuo tuæque maiestati, cum iustis per eas intrantibus, vt mors ibi aditus ingressum non habeat, passio non dominetur, sed occupet salus muros eius, & portas illius laudatio. Vide D. Grego. super Psal. 5. A voce gemitus mei adhęsit os meũ carni meæ.

Ecce defunctus efferebatur. Ad sepeliendum: antiquitus enim loca sepulturæ erant extra ciuitates, ne ex ea daueribus inficerentur habitatores ciuitatum Lyra. super Luc. 7.

Multi quidem defuncti efferuntur ad tartara vsque nimium de misericordia Dei nimium seu inordinate confidentes. Confidunt siquidem sine vllis meritis suis, sine vlla virtutis exercitatione saluos se omnino esse futuros. Cęterum quemadmodum iis qui flumen aliquod per ponticulum traiiciunt conspiciliis vtentes quæ grandiora quam sint referant corpora, accidere plerúmque solet, vt propter defectum illum conspiciliorum eorundem ex ponticulo præcipitentur, putantes illum ampliorem esse: ita profecto his hominibus qui inordinate & inique de diuina semper cogitant misericordia, contingere solet vt præcipitentur in tartareas illas sempiternásque pœnas. Quocirca nos hac de re monitos reddidit Spiritus sanctus Ecclesiastici 5. cum dixi, de propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum, & ne dicas miserati domini magna est &c.

Ecce defunctus. Si velis agere de morte, de eius miseria, de moriendi necessitate, & quod mors omnia æquet, & similia tracta re secundum Philosophos & Poëtas, vide Vincen. Belluacen. Specu. Doctrina. lib 5 cap. 107. vsque ad 118.

Mortui humandi sunt 2. Reg. 21. C. tulit ossa.

Multum æstimat Deus quod defunctos sepeliamus. 2. Reg. 2. B. Benedicti vos à domino.

Vide etiam concordan. verbo sepelire, sepultura, sepulchrum, & similibus.

Quod non debeamus inconsiderate nimium deflere mortuos, etiam Philosophi nos videntur adhortari: si quidem Polyenus quidam Philosophus dixit, propter morientes ne tristeris, est enim necessarijũ, sed propter turpiter è vita decedẽtes. Phocylides etiam ad defunctos humãdos nos videtur adhortari, cum ait: terram impartire in in sepeliendis mortuis. Quod mors quodammodo timenda non videatur, etiam monuit Diphilus dicens, cum sis natus mortales, mori ne timeas. Epicurus etiam dixit, cogita te mortalem esse. Euripides dixit, mortalis existens, mortalia quoque passurum te expectes. Simonides, memento te esse hominem. Musonius, postremum vitæ diem tibi semper instare propone. Aesopus, vitæ finem spectato.

Vide Concor. verbo mori, moriendum moriens, moriturus, mortui, mors, mortalis &, similibus.

Ipsi quidem qui adolescentia florent, vt plurisolent quodammodo maiori cum cruciatu dissolui, quam qui senes sunt. Et sicut fructus qui ad maturitatem nondum peruenerunt, ægre ab ipsa arbore diuelli possunt, qui vero maturuerũt, facile statim sequi solent, ita adolescentes maiori cum difficultate ac labore videntur de vita decedere, senes autem facilius multo dissoluit.

Quemadmodum qui in mari longa quadam nauigatione varie iactati atque concussi sæpe fuerunt exoptant tandem ad portum ipsum securissimum appellere: ita qui in hac vita laboribus variis propter Deum iactati sunt, ac cruciatibus diuexati, tandem in mortem ipsam, ceu in portum quendam, deuenire vehementissime desiderant.

Quemadmodum auiculæ ipsæ auiariis conclusæ, quamuis cedrina quidem sint auiaria, & cibus redundanter suppeditetur, nihilominus tamen perpetuo per rimulas ipsas explorant & insidiantur qua tandem commode exitus sibi offeratur, vt carcere solutæ libere expatiari per arborum amœnitates possint: sic plane serui Dei in hac vita se æstimant tanquam carcere conclusos & captiuos, & quamuis omnia hic eis affatim concedantur, nihilominus tamen ex hoc corporis ergastulo dissolui cupiũt, vt tandem sempiterna felicitate fruantur.

Oculi quidem ipsi sese contueri non possunt, suásque maculas dignoscere, nisi ante speculum ipsum apponantur: ad eundem modum vix nostros defectus posse agnoscere videmur, nisi mortem ipsam ipsis temporis momentis impendentem, tanquam speculum quoddam nobis ante oculos constituamus.

Ferũt naturales Philosophi quod si forte murmur siue lis quædam inter apes ipsas exoriatur, præsens remedium sit ad earundem sedandum murmur, puluere apes ipsas conspergere: sic vt turbationes quandóque nostræ contentionésque inanes cessent: operæ pretium est considerationem perattẽte ineamus quod mortales simus, & mortem ipsam iamiam instantem expectemus.

Defunctus efferebatur. Hunc quidem varij baiuli ad sepul

sepulturã efferebãt, ita varia vitia animã ipsam ad interitum & sepulturam adigunt: quin & sufficiens est vitium vnum vt animæ interitum necémque inferat. Sicut enim auis quæ vnico tantum pede vincitur, quamuis alas ipsas solutas habeat, & pedem etiam alterum, non potest tamen in volatum sese abripere, sed satis est ipsi venatori si solo pede vincta sit: ita quamuis varia quis præstare nõ videatur vitia, si vnico dúntaxat grauissimo irretitus fuerit, illud quidem sufficientissimum est vt à dæmone tanquam venatore astuto vinciatur & colligetur.

Quemadmodum si forte duo occurrerent homines nece perempti, alter quidem qui solo ictu trãsfixus esset & interfectus, alter vero variis ictibus punctim cæsimque peremptus, nil quidem propterea quod primus solum excepisset ictum, consolationis esset eius coniugi aut amico, cum præsertim ex eo vnico etiam interierit: ad eundem modum tametsi aliquis vnico dúntaxat pestifero vitio infectus sit, non propterea sibi debet adblandiri quod multis aliis non abunder, cum præsertim vnicum illud sufficientissimum sit vt homo æternum moriatur, nisi inde resurrexerit.

Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Multi quidem comitabãtur viduã istã siue consolabantur eam, quæ filium vnicum miserabiliter lugebat, quem quidem præclare instituerat, sicuti par est institui adolescẽtes: hi enim maximo pudore, castitate, vrbanitate, modestia, cæterísque virtutibus, præditi esse debent. Omnis porro defectus & vitium in hac ætate periculosum est maxime, ne forte sic imprimatur & inhæreat in tenera ætate, vt ex longa tandem consuetudine conuertatur tanquam in alteram naturam. Quod si adolescentes omni fulgere virtute debent & exornari, quid de viris dicemus, & his qui prouectioris sunt ætatis? an non par est vt isti omni etiam eniteant virtutum ornamẽto? Cæterum tametsi nulla ætas secura vsque adeo sit vt omnem effugere posse omnino videatur infirmitatem, aut simile aliquod infortunium; sed potius sicut vasa fictilia seu vitrea? siue noua sint siue vetera, omnia exponuntur fractionis periculo, ita etiam pariter iuuenésq; senésque veruntamen adolescentes ipsi quodãmodo videntur magis eiusce modi periculis obnoxij, propterea quod minus fere incolumitatis suæ rationem gerant, sed in mille se potius periculà imprudenter coniiciant. Proinde sint cautiores ipsi adolescentes: discant prudentiam, virtutem diligentissime percipiant, vt de his qui se ita gesserint, merito dici illud possit: cor canum in iuuenili pectore.

Quemadmodum si quis vasa vatia fictilia siue vitrea diuendat; tametsi alia ex eis grandiora, alia vero minora sint; alia artificiosius constructa, alia vero crassius: nonnulla pulcherrima forma prædita, nonnulla contra deformi non potest is inquam certo confirmare quod tandem ex eis diutius duraturum sit, si nil vitij in omnibus pariter ineisse sciat: cum præsertim re ipsa sæpissime expertus fuerit illud diutius durare, quod minus duraturum putarat; & illud quod recentissimum à fornace siue rota eduxerat, minus perdurasse, quàm vetustissimum aliquod vas. Ad eundem modum nullus est in hac fragili vita constituus, quamuis adolescentia floreat, & optimam contemperationem sortitus fuerit, qui sibi certo polliceri possit se longiorem esse vitam protracturum, quam senem aliquem virum ætatéque cõfectum.

Quemadmodum plerique iter conficientes, vsque adeo sui obliuiscuntur, vt minus in solem ipsum sæpe ac sepius oculos coniicientes, omnino negligant coniicere de hora, quo sibi oportune antequam nox humida & obscura cælo præcipitet de hospitio prouideant: ita multi in hac peregrinatione constituti, ita negligenter oscitantérque viuunt, vt oculos non coniiciant in solem iustitiæ Christum, eius præcepta obseruando, quo sibi de hospitio cælesti prouideant, antequam cõtenebrescat, quin potius inopinata præoccupati morte, cæca sceleratáque mente in tenebras exteriores pertrahuntur.

Poteris porro quodãmodo hac ratione non omnino inelegãter adolescentibus persuadere, & cuiusuis ætatis hominibus, vitæ breuitatẽ maximam, vt inde omnes sibi quam diligentissime consulant, atque virtutes ipsas exerceant. Age igitur, vis videre quam concisa quámque perbreuis sit vita nostra? an non breuissima quæso iudicanda est, quæ vix qualemcunque agas ætatem, etsi infantilem, recipere non possit tuorum annorum numerus, vnum, o, quod in numerando prope inutile iudicatur? Nam si 25. agis annum, recipiet ne hic numerus vnicum, o? minime id quidem. Quid si 15. agas annum? nequaquam. Age vero, 10. habeas tantum annos, admittes ne vnum, o? non certe: esset enim centenarius numerus, ad quem pauciissimi perueniunt. Denique etiamsi infantulus primum tantum ætatis suæ agat annum, non poterit etiam hic numerus vnum o, certo recipere, adeo non modo breuis, sed etiam incertissima est hæc hominum vita. Proinde ad vitam illam beatam ac sempiternam, nostra omnia dicta, facta, & cogitata referamus.

Porro si velis agere de institutione vitæ adolescentulorum, & quo pacto educandi sint, vide Vin. Bell. Spe. doct. lib. 5. cap. 12.

Quid senserint Philosophi eundem lege Specu. doctri. lib. 12. cap. 32.

Vide etiam eundem Specu. doctri. lib. 5. cap. 13. & 100.

Et turba multa ciuitatis cum illa. Isti qui sequebãtur consolandæ viduæ, & funeris gratia, constipabántque pheretrum ipsum, videbantur quidem id habere alta mente repositum, quòd scilicet non longo ab hinc tempore eodémque incertissimo, ipsorum funus esset & suorũ etiam domesticorum, procurandum, corpúsque ipsum terræ commendandum: ac propterea vicissim pietatis, minimæ, atque humanitatis iura cum aliis exercebant, vt ab iis paulo post eadem reciperent. Cęterum plurimum refert habere sibi semper ante oculos constitutam memoriam & recordationem ipsius mortis, vt isti quandammodo facere videbantur, vt hac recordatione frequentata, à mundana vanitate inanitatéque secedentes, ad cælestium & immortalium cogitationem contemplationémque conuertamur. At longe secus faciunt plerique, præferentes potius inanium rerum & mundanarum assiduum studium, curam, & solicitudinem, rebus illis sempiternis, & nunquam perituris. Qua in re persimiles esse videntur cribris quibusdam, quæ cum lectissimum triticum transmittant & transfundant, solas sibi paleas, & sordes, reseruare solent & retinere: ita enim hi mortis memoriam & recordationem, quæ tanti facienda est, euanescere in se sinũt, cum interim purgamenta rerum mundanarum, earundémque vanitatem & inanitatem, colligant, congerant complectantur. Cęterum adolescentis obitus no

tus nobis ante oculos in Euange. proponitur, vt intelligamus nemini parcere mortem, neminémque debere in florente ſua ætate confidere. Et certe ſicut vineæ alicuius dominus ſæpe ſolet immaturas colligere vuas, eiſdémq; pro omphacio vti, metuens ne aliquis eas ſibi forte ſuffuretur: ita Deus ipſe vitæ noſtræ dominus, miſericordiæ nobis indulgens, eam nobis ſæpe aufert ante ſenectam maturámque ætatem, præuidens nos in ſceleribus noſtris viuentes, ſi vlterius progederemur, æternum fore cruciandos.

Et turba ciuitatis multa. Defuncti honorifice comitandi ad ſepulturam. 2. Reg. 3. G. rex Dauid ſequebatur pheretrum.

Quam cum vidiſſet Ieſus miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: noli flere. Tum quia erat vidua, tum quia non habebat alium filium à quo poſſet in ſenectute ſuſtentari. *Noli flere.* Quaſi dicat, cito conſolata eris. Lyranus ſup. Luc. 7.

Miſericordia motus ſuper eam. Vide benigniſsimus dominus quam cito compaſſus fuerit miſeriæ huius mulieris, indéque contemplabere eriam quam miſericors nobiſcum ſit, & quantopere ſuccurrat & ſubueniat ipſis temporis momentis miſeriis noſtris: in quarum miſeriarum multiplicitatem & varietatem ita maximam ſi velis paululum excurrere, vt inde in admirationem & laudem venias miſericordiæ infinitæ Dei, qua erga nos in dies vtitur, copioſiſſimos tibi quoſdam indicabo fontes.

De magna igitur hominis miſeria vide D. Bernar. in ſuis deuotiſſimis Meditationibus cap. 2.

De ingenti huius vitę miſeria conſule eundem de interi. domo cap. 33.

Permagna quidem hominum miſeria, variæque calamitates, vide Lauren Iuſtini. lib. de caſto connubio verbi & animæ capit. 1. circa initium operum.

Quod homines mutuis viciſsim auxiliis ſubdiiſque egeant, lege eundem de perfectio. gradi. cap. 12.

Tractatum quendam habet Anſel. de miſeria hominis inſcriptum prope finem operum.

De humana miſeria conſule Vincenti. Belluacenſem Specul. Doctrina. lib. 1. cap. 1, 2, 3, 4.

Miſeria humana Eſa. 40. B. Omnis caro fœnum.

Ingens eſt hominis miſeria Eſa. 41. F. Ecce vos eſtis ex nihilo.

Conſideremus noſtram miſeriam atque fragilitatem Hiere. 18. A. Surge & deſcende in domum figuli.

Agnoſcamus miſeriam noſtram & abiectionē Iob 6. C. Nec fortitudo lapidum &c. quæ eſt enim fortitudo mea &c.

Maxima eſt miſeria noſtra Iob 15. B. Quid eſt homo vt immaculatus ſit?

Humana miſeria Eccleſi. 10. B. Cum enim morietur homo hæreditabit ſerpentes.

Permagna eſt miſeria noſtra Eccleſi. 40. A iugum graue ſuper filios Adam.

Idem fere accidere videtur rebus mortalium, quod horologiis illis quibus ex arenæ defluxu tempus ipſum metimur: vt enim videas in his viciſsim altera parte exinanita alteram plenam atque confertam fieri, ita in mortalium rebus vſu venit vt obeunte vno ſuum diem, alter hæreditatem, eius adeat, conficiente vno magiſtratum ſuum, alter ei ſufficiatur ſiue ſuccedat. Et quemadmodum ſi eiſdem horologiis diuturnum aliquod tempus menſurare velis, illa neceſſe eſt & volui & reuolui, ita ſi vitæ tuæ diutius conſulere velis, in neceſſariis prouidendis, ſedulus ſis ac perdiligens neceſſum eſt.

Quemadmodum in antlia ipſa contingit, vt vaſculis aliis depletis alia ſubinde impleantur, neque perpetuo aliqua ſint plena aut perpetuo depleta, ſed maxima quadam viciſsitudine modo onerentur, modo deonerentur: ſic plane res mortalium incertæ ſunt ac variæ, nec facile quis ſemper poteſt felici, quod aiunt, ludere dextra.

Quemadmodum obiectum ipſum videri nequit niſi inter id & potentiam viſiuam diſtantia aliqua intercedat; ita mundani homines præſentis miſerias ſeculi vix noſſe queunt, cum inter ipſos & mundum nulla fere interueniat diſtantia, adeo eum ſibi coniunctum ſuiſque cordibus inſertum habent: at qui ab ipſo mundo animo quam longe abſunt, ea interpoſita diſtantia eiuſdem mundi miſerias clare apertéque agnoſcunt & contuentur.

Sicut cum quis aquam haurit, ipſius ſitulæ etiā pleniſsimæ vel ingens pondus non ſentit quandiu intra aquā manet: & qui per flumē ipſum ingentē quandam trahit trabem, eius grauitatem non agnoſcit, donec tandem & ſitula de puteo, & trabs de flumine extracta ſint: ita plane pondus miſeriarum, calamitatum, infortuniorum præſentis ſeculi, niſi quis à mundo animum cogitando auocet, vix fere ſentire poteſt; at ſi minus his mundanis immerſus, illa cogitet, næ is ſtatim ingentiſsimam eſſe hominum miſeriam iudicabit, & quæ magna indigeat & infinita Dei miſericordia: tūcque vel maxime id iudicabit, cum mortem ipſam iamiam faucibus inſtantem viderit, ac impendentem.

Sicut vrtica ipſa oculis quidem grata eſt viriditate illa ſua & peramæna, at ſi eam tangas, moleſtat pungítque manus: ſic ſecularia iſta ac mundana quamuis nos delectare ſuo aſpectu videātur, attamen nos maxime pungunt, laboribus vrgent, calamitatibus vexant, & curis denique variis ſolicitant.

Maxima quidem mobilitate vigent res mundanæ, fugaces ſunt, flexibiles ſunt atque fallaces. Et quemadmodum tandiu te aſſectari vmbra videtur, quandiu ſolis illuſtraris radiis, illis ſiquidem obſcuraris, ſtatim vmbra non apparet: ita plane deficiente luce proſperitatis, deficit vmbra & ſocietas amicorum; adeo nil firmum, nil ſolidum, nil permanens, continere videntur.

Quemadmodum hedera ſeſe arboribus amicam exhibens, eaſdem quantum poteſt cingit atque complectitur; & primo quidem viriditate ſua eaſdem exornare videtur, at ſenſim furtimque eas potius findit & deuaſtat: ita profecto hæc mundana ſua quaſi viriditate & aſpectu oculis primo blandiuntur, at vbi ſemel animum complexa ſunt, ita eum ſæpe deuaſtant, vt quæ antea plauſibilia videbantur, poſtmodum pernicioſa experiantur, & vnde auxilium relaturus videbare, inde potius excidium miſeriámque reportes.

Quemadmodum miricæ flores quidem producunt aſpectui delectabiles, at guſtui tamen ſi admoueantur iidem, peramari inſipidíque ſunt: haud ſecus plane diuitiæ, mundani honores, mundanæ voluptates, præſeferre videntur pulchritudinem quandam, & montes aureos, quod eſt in prouerbio, polliceri; ſi autem attento animo conſiderentur, & ipſa experientia tententur, inſipidiſſima apparent ac peramara.

Quemadmodum cum ſentimus domum aliquam minari ruinam multíſque hiſcere partibus, quo

quo maius nobis præbet ruinæ indicium, & quaſi ſtrepitum mouet, tanto velocius ad fugam accingimur: ita quo plures ac grauiores huius ſeculi miſerias exploramus, eo diligentius animo ſecedentes à mundo, virtutum quæ firmæ & ſtabiles ſunt, exercitationi nos tradere debemus, quo tandem ad gratū ſecuriſsimúmque beatitudinis portum perueniamus.

Tot tantíſque laboribus & miſeriis mundus abundat, vt aſſerat D. Auguſtinus in hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, eſſe impoſsibile. Vide D. Auguſtinum lib. Epiſt. epi. 82. to. 2.

Idem etiam alibi ex mente Apuleij in lib. de mundo, plenam eſſe ait ac confertam vitam hanc mille miſeriarum calamitatúmq; generibus, mille mutationibus expoſitam, tempeſtatibus ſubiectam, internecionibus obnoxiam, terræmotibus, incendijs: de quibus mirabilia extant exempla li. 4. de Ciui. Dei cap. 2. to. 5.

Eſt adeo miſerabilis hæc vita noſtra ait idem guſt. vt qui recte de ea ſentiunt, affirment potius eſſe appellandam mortem quam vitam. Vnde & ſuper hunc Auguſt. locum obſeruat Ludo. Viues ſic appellari à Cicerone in 6. lib. de Repu. ex mente Platonis, nimirum in qua quotidie moriendo verſamur, & momentis ſingulis cruciamur. Vide Auguſtinum libro 12. de Ciuitate Dei capit. 20.

Miſericordia motus ſuper eam. Hic viciſſim etiam rurſus poſteaquam de miſeria diximus humana, de miſericordia diuina aliqua dicamus, quanta ſcilicet ſit & quam opportuna ad miſerias noſtras ſubleuandas quam obuia & expromptа ad eos eripiendos & conſolandos, qui à mundo derelicti, ab hominibus afflicti, in maximáſque miſerias coniecti ſunt. Hic igitur vt paululum commorari poſſis, aliqua ſubnectam loca & indicabo.

Vide quæſo quam opportune quamque miſericorditer apparuerit Deus ipſi Iacob fugiēti à facie Eſau fratris ſui, & conſolatus fuerit eum Gene. 33.

Abraham poſtquam exiuit de terra ſua iuxta mandatum domini, dominus conſolatus eſt eum variis quidem apparitionibus Gene. 15. & 17.

Filios Iſraël per deſertum proficiſcentes in terram promiſſionis ſecundum Domini voluntatem conſolatus eſt dominus, ipſis præbendo manna de cælo & carnes Exo. 16.

Luctum Iudæorum dominus conuertit in gaudium quando per Eſther à tanto fuerunt periculo liberati Eſther 9.

Notandum plane quod filij Iſraël tempore tribulationis videlicet captiuitatis Babylonicæ, plures habuerint prophetas quam tempore Salomonis, in quo magna in proſperitate & tranquillitate fuerunt. Habuerunt namque Hieremiam in Iudæa, Ezechi. & Daniel. in Chaldæa &c.

Multas porro Paulus atque innumerabiles perſentiebat conſolationes diuinas in ſuis tribulationibus, vnde & dicebat, & ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra 2. Cor. 1.

Eliam in torrente coruis præcepit Deus vt paſcerent 3. Reg. 17.

Ioannes exul & afflictus in inſula Pathmos plures fere cōſolationes & viſiones habuit quam in proſperitate cum Chriſto habuerat; vide per totam Apoca.

Diſcipulis in tempeſtate poſitis ſuccurrit Chriſtus dominus Matt. 8.

Ioſue magno in diſcrimine conſtituto apparuit Deus ac conſolatus eſt eum Ioſue 1.

Attende quantum dederit auxilium Deus Machabæis magno in conflictu poſitis 2. Machabæ. 11.

Apoſtolo Paulo magna procella tempeſtaréque iactato, Dei angelus apparuit ac ſolatus eſt eum, eíque promiſit nullum ex illis qui cum eo in naui erant periturum Act. 27.

Conſidera quam conſolationem miſerit Deus regi Ezechiæ, quantámque victoriam tribuerit contra potentiſſimum Sennacherib exercitum 4. Regum 19. & 2. Paralipomenon 32.

Vide quam tulerit opem ipſi Bethuliæ in tanto diſcrimine conſtitutæ Iudith 13.

Beatum Petrum Apoſtolum in vincula coniectum cateníſque conſtrictum, admirabiliter liberauit Acto. 12. Paulum item & Silam Acto. 16.

Contemplare qua ratione Saram à dæmonibus liberauerit, Tobiam iuniorem à piſce, ſenem à cæcitate: Danielem item bis in lacum leonum immiſſum, & denique Suſannam à falſo teſtimonio.

Noli flere. Nimium plorare mortuos non decet Chriſtianos, vide Hierony. circa medium to. 1. vbi habet epiſto. ad hoc inſtitutum facientem miſſam Paulæ de obitu Bleſillæ filiæ.

Turpe eſt defunctos incōſiderate plorare, vide D. Hieronymum in Regula Monachorum, vbi agit de patientia, reconciliatione, & mortuis non lugendis.

De lugendis amicis perditis vide Vincentium Belluacenſem Specu. Doctrina. lib. 4. capitulo & 139. & 140.

Quomodo ſint mortui deplorandi cum moderatione, & alia huc ſpectantia, vide etiam Senecam lib. 8. epiſt. epiſto. 64.

Noli flere. Si ad vnius viduæ lachrymas temporales ſic motus eſt Chriſtus, vt occurreret in vita: vt ex oculis ſtillantia dolorum fluenta reſtingueret, vt recurreret mortem, reduceret hominem, reſuſcitaret corpus, vitam reduceret, planctum verteret in gaudium, & exequias lugubres in feſtiuitatem natalitiam commutaret, & pheretro datum matri viuum redderet ex morte: quid modo faciet quando inardeſcet viribus ſuis ad Eccleſiæ ſuæ lachrymas diuturnas, ad ſpōſæ ſuæ ſanguineos ſudores? Nam per ſupplicantem Eccleſiam lachrymas fundit iuges, & per martyres ſacrum ſanguinem ſudat, donec vnicum ſuum, hoc eſt populum Chriſtianum, quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Chriſtus de mortali pheretro perpetuæ vitæ reddat, in ſupernæ matris gaudiū ſempiternum. Chryſol. ſermo. 103.

Miſericordia motus &c. Non memini me legiſſe inquit Hier. periiſſe infelici aliquo exitu miſericordem piúmque hominem: habet ſiquidem is deprecatores varios qui pro eo intercedant: vix autem fieri poſſe videtur, vt multæ aſſiduæque talium ac tam multorum preces, non exaudiantur. Vide D. Hieronymum in Epiſtola. ad Nepotianū.

Noli flere. Si tanti aquam roſaceā facimus propter odorem illum exiguum ſiue qualemcūque quem præſefert; quanti quæſo facere lachrymarum aquam ad peccata commiſſa deflenda manantem debemus, quæ ea ipſa peccata mūdat & abſtergit?

Quemadmodum ſæpe poſt largiſſimos quoſdam imbres, aura quædam exoriti ſalubris ſolet, ſerena, & ſuauiſsima: ad eundem modum poſt lacrymarum imbrem oriri ſolet ſerenitas quædam in ſpiritu, quies atque hilaritas *maxima.*

Quemadmodum vlcus ipſum pure vndequaque

que turmens, affligit maxime infirmũ, at si deoneretur & exinaniatur, solet quies quædam statim, enasci: ita animus peccatorum vlceribus afflictus, magnum quendam haurit persentitque dolorem, nisi in contritionis lachrymas tantus erumpat tumor.

Quemadmodum cum domus aliqua incendio flagrat, omnes statim citi ad illud incendium extinguendum concurrunt, aquam propinantes; ita cum invitiorũ versamur incendio, accurram us necesse est ad lachrymarum fontẽ, quibus lachrymis peccata ipsa extinguamus.

Quomodo mortuos ipsos cum moderatione lugere debeamus, quando firmiter credimus resurrectionem mortuorum, vide Conci. Tole. 3. cap. 21. & vide 13. quæs. 2. Qui diuina vocatione.

Mortui honorifice sepeliendi Gene. 50. B. Quo ascendente ierunt cum eo.

Mortui honorifice humandi 3. Reg. 13. G. Et posuit cadauer eius.

Sepulturæ etiam oblationibus propter defunctorum salutem exornandæ. Tobiæ. 4. C. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam.

Cæterum hęc mulier existimabat se relicturam esse filium post se hæredem, cum tamen ipsa relicta sit hæres post filium: propterea etiam videant sibi homines ne affectent vt quocunque modo, quo iure quaque iniuria sibi relinquant locupletissimos hæredes, præsertim cum circa id sæpissime fallantur: de quo argumento vide Ecclesiastes. 2 C. rursus detestatus sum.

Et accessit, & tetigit loculum: hi autem qui portabant fleterũt. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuũ guttur est. Sepulchrum enim patens est guttur eorũ, vnde verba mortua proferũtur. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo resurges, si audias verbum Dei. Etsi graue peccatum est quod pœnitentiæ lachrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro vnicis filiis vidua mater interuenit. Compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cum suos liberos lethalibus vitijs ad mortem cernit geri. Viscera sumus de visceribus eius. Sunt enim & spiritalia viscera quæ habet Paulus, dicens. Ita frater ego te fruar in domino, refice viscera mea in Christo. Nos ergo viscera sumus Ecclesiæ, quoniã mẽbra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius D. Ambrosius lib. 5. super Lucam cap. 7.

Et tetigit loculum. Idest pheretrũ: ad hoc enim tetigit, vt ostenderet quod corpus suum diuinitati vnitum, erat instrumẽtum diuinitatis etiam in miraculis faciendis. Lyranus super Lucam. 7.

Anima in peccato constituta defuncta dicitur, quam quidem deplorare debemus, siquidẽ Deus consolatur eos qui peccata sua deflent. Cæterum tangit Christus loculum, & hi qui portant stant sistuntque gradum, vbi significatur quod Deus variis laboribus & calamitatibus pulsat cor nostrum & statim sistitur à vitijs, & fit cessatio à peccatis, quæ ducunt hominem ad gehennam. Vide Eusebium super hunc locum.

Et ait, adolescens, tibi dico, surge: & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. & dedit illum matri suæ. Si factus ille Dauid animum & voluntatem induisset interficiẽdi inimicum Saulem, potuisset quidem id facere, cum eum dormientẽ inuenisset, at vero quia viscera pietatis habebat, quamuis Abisai ad id eũ induceret, noluit tamen Saulem interficere, imo potius clamando eum à somno excitauit. Aduerte igitur ô homo qui peccati somno indulges, & cõfidis in hasta tanquam Saul, hoc est in viribus & adolescẽtia, inquiens, in senectute ad pœnitẽtiam me conuertam; iustitia vero Dei, vt Abisai aduersus Saulem, dicit quòd moriaris, siquidem in obliuione & somno peccatorũ manes: quod Christus tamen tanquam pijssimus & clementissimus dominus, qui propitiatio est pro peccatis nostris; ceu alter Dauid, iram & vindictã patris detinet & protendit: cumque ipse sit offensus, nihilominus semper ad te clamat, dicens, Tibi dico peccator surge. Ideo aufert tibi hastam & vas aquæ, & immittit tribulationes & labores, vt cognoscas malitiam tuam, & ad Deum te conuertas misericordiam petiturus, vt Saul dixit, peccaui. Aduerte ergo ne dominus veniens, te inueniat vt Isboseth etiã dormientẽque latrones interfecerunt si enim veniẽte Christo in hora mortis fueris dormiens morte æterna morieris. Quare si ad ea quæ incerta sunt te prę paras, quorsũ obsecro ad mortẽ, quę certissima nos manet, te nõ pręparabis? Si rex beneficium in te aliquod cõferre vellet, vt ciuitatem aliquam dare, diceretque profecturũ se esse peregrè post vnam horam transactam: nonne citissimè priuilegium ipsum scriberes, vt illud ipse sua manu designaret? Quod si tunc amicus aliquis tibi diceret, ludamus quæso parumper animi gratia: nonne illum à te proijceres & semoueres? neque certe manducationi dares locum, neque somno indulgeres, sed potius omni cura ac solicitudine regium chirographum curaresimpetrandum, priusquam proficisceretur rex. Quanto ergo excellentior & opulẽtior est illa cęlestis Hierusalẽ nobis promissa, omnibus ciuitatibus & regnis mũdi? Si igitur regnũ quod dominus promittit ita magnum est & opulentum, tempus verò ita breue in quod illud possimus promereri: quid est quod in huius vitæ nænijs, atq; vilibus rebus, animũ sistis? Si propter bonũ temporale somno teipsũ priuas, cibo, ac quiete: cedo quæ causa sit, cur id non facias propter diuinum & nunquam perituru bonum? præsertim cum rapidissimum sit vitæ nostræ tempus, atque ignores quando inopinata subibit mors. Sanæ profecto mentis non est, in eo viuere statu, in quo nolis à mortę ipsa deprehendi: id circo parendum est Christi præcepto dicentis, Estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est. Sæpe etiam pœnitentia quę in horam mortis differtur, inutilis esse solet. Semei quidem cum redeuntem vidisset Dauidem cum triumpho, quem offenderat; obuiam ipsi exijt petiturus veniam, quod potius necessitate coactus fecit, quàm amore commotus, ac propterea etiam si tunc Dauid dissimulauerit, nihilominus postea illum interfici iussit. Talis fere est multorum sæpe pœnitentia, qui cum iamiam morti se esse proximos videant, quasi necessitate coacti, & potius timore quodam quàm amore, ad pœnitentiam se conuertere videntur. Cæterum latrones feré non nisi tormentis & cruciatibus veritatem confitentur, & illa confessio non liberat eos à pœna, sed potius ad mortem adducit. Ita non festinant prope impij ad bonum peragendum, nisi quando iam vires deficiunt ad peccandum, & quando vitæ tempus finitur. Pharao cum vidit se morti propinquum, vitam in melius voluit traducere, & desistere à persequendo Israelitico populo: at sero huius consilij recordatus est, erat siquidem iam clausum iter maris rubri aquis. Quid de virginibus

est, erat. siquidem iam clausum iter maris rubri aquis. Quid de virginibus illis fatuis dicemus, quę sero sibi oleum quęsierunt? Age vero, si homines cum ignorent se vel hodie, vel hoc etiam temporis momento, esse morituros, audent plerique in lethali peccato viuere: quid facerent si certo scirent longæuam se vitam esse habituros? Vtique si quis impius sciret se statim esse morituru, fortasse eius pœnitentia eo tempore facta periculosa videretur: & si sciret post longum tempus transactum se esse morituru, hinc maiorem occasionem peccandi sibi forte assumeret, differens pœnitentiam in illud tempus: idcirco dominus voluit vt hora mortis incognita tibi esset & occulta. Certe si ægrotans quis certo sciret infirmitatem illam non esse vltimam, fortasse de peccatis non confiteretur, nec multa etiam alia bona opera faceret.

Tibi dico surge. Nobis perpetuo ne surgamus à vitiis, & opera bona exerceamus, obsistit vltro desidia quædam, inuaditque nos torpor. Etenim vel si quis egregie literis insudet, statim ex desidia excusatio illa adfertur, quod oculi lædantur valde ex nimia lectione. Si lachrymis assiduis peccata defleamus, illa exoritur illico excusatio, quod fortasse in cæcitatem incidemus. Si somno paulominus indulgere velimus, protinus obiicitur quod forte de sua sede mens ipsa deturbari possit: si necessarios subeamus corporis labores, repente opponitur quod præstabilius sit contemplationi vacare. Atque ita in cæteris nobis pugna infertur, quominus surgamus à vitiis, virtutemque sequamur. Vide D. Augustinum lib. de Conflict. vitiorũ & virtutum to. 9.

Adolescens tibi dico surge. Vide super hęc verba D. Gregorium libro 11. Moralium. capit. 25. Explicãtem verba illa Iob 13. Et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum. Hic si voles de timore Dei disserere, leges D. Basi. lib. Regula. fusius dispu. cap. 4. to. 2.

Qua ratione timorem Dei assequaris, deq; eius magnis vtilitatibus, consule Laurentium Iustinianum in lib. qui lignum vitę inscribitur, in tractatu de timore domini.

De Dei timore consule D. August. de tẽpo. sermo. 213. & 214. inter medium & finem tomi 10.

Quomodo possimus Dei iudicia pertimescere, consule D. Basi. lib. Regu. breuio. interro. 209.

Timor domini in causa est vt homo bene operetur & diligat Deum: & hac de causa voluit Deus filiis Israel timorem incutere, & legem cum tonitruis & igne dare Exo. 19.

Sicut miles amissis armis in prælio, & nucleus effracto clauo, sunt in graui ac manifesto quodam periculo pereũdi: ita qui in huius seculi versatur militia & prælio spirituali, timore domini neglecto, magno pereundi discrimini manet expositus.

Quemadmodum vt filiũ introducatur in acũ, prius sępe acus ipsa perforanda est tita in plerisque videtur quod priusquam timor filialis introducatur, sit timor ipse seruilis introducendus, vt postmodum timor ille charitatiuus infigatur atque resideat.

Deum eiusque supplicia timeamus Esa. 2. C. ingredere in petram.

Quantum noceat non habere timorem domini Esa. 28. D. Audite verbum domini viri illusores.

Deum timeamus, quamuis ipsum silere ac dissimulare videamus Esa. 42. C. tacui semper silui.

Deum verum pertimescamus quando idololatræ falsos deos timent Hiere. 2. C. transite ad insulas.

Deũ timeamus qui terribilis est Hiere. 4. B. C. F. G. Ascendit leo de cubili suo.

Deum pertimescamus & eius comminationes Hiere. 9. D. quia dereliquerunt legẽ meam. E. Ecce ego cibabo.

Deum timeamus ne irascatur nobis Amos 5. C. Qui vocat aquas maris.

Deum reuereamur ac formidemus quãdoquidem nullus est qui manus eius effugiat. Amos 9. A. B. Si descenderint vsque ad infernum.

Deum timeamus quoniã terribilis est Michæe 5. C. Quasi leo in iumentis syluarum.

Deum timeamus quoniam terribilis Nahum 1. A. B. Dominus in tempestate & turbine.

Deum eiusque indignationẽ formidemus Iob 9. A. Qui commouet terram de loco suo.

Dei maiestatem timeamus Iob 11. B. Excelsior cælo est.

Si timent Deum sancti, timere certe magis debent peccatores Iob 26. D. Columnæ cæli contremiscunt.

Multæ sunt causæ ob quas Deũ timere debeamus Ecclesiastes 9. A. nescit homo vtrum amore &c.

Deum qui terribilis est formidemus Hebrę. 10. E. Horrendum est incidere.

Quanta nobis adsit occasio Deum timendi 1. Petri 4. D. Si iustus vix saluabitur &c. 2. Petri 2. B. C. Si enim Deus angelis &c.

Dicentes, quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia dominus visitauit plebẽ suam. Super epist. & euãg. duos habet sermones. D. Antoninus initio 1. par. Theologa.

Eundem vide prima part. historia. cap. 1. §. 20.

Feria sexta, post quartam Dominicam Quadragesimæ.

LAzarus quidem languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento & exterfit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Ioan. 11. Multi cum aliquem bonum & Deo acceptum, mali aliquid, vt morbum, vt paupertatem, & huiusmodi perpeti vident, perturbantur; sane ignari hoc maxime Dei amicis contingere. Nam & Lazarus & amicus Christo & ægrotus erat, vt ex mittentibus intelligitur. D. Chrysosto. super Ioan. ho. 61. tom. 3.

Inter omnia miracula quæ fecit dominus noster Iesus Christus, Lazari resurrectio præcipue prædicatur. Sed si attendamus quis fecerit, delectari debemus potius quam mirari. Ille suscitauit hominem, qui fecit hominem, ipse enim est vnicus patris, per quem sicut nostis, facta sunt omnia. Si ergo per illum facta sunt omnia, quid mirum est si resurrexit vnus per illum, cum tot quotidie nascantur per illum? Plus est homines creare, quã resuscitare: dignatus est tamen & creare & resuscitare: creare omnes, resuscitare quosdam. Cæterũ si attendamus mirabiliora opera Christi, omnis qui credit resurgit, si attendamus omnes, & intelligamus detestabiliores mortes, omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo

timet,mortẽ animæ pauci.Pro morte carnis, quæ sine dubio quãdoque ventura est, curãt omnes ne veniat,inde est quod laborãt: laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus, & cum laborat ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit vt multum mors differatur, non vt euadãtur: si autem peccare nolit, non laborabit,& viuet in æternum. O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari,vt tales essemus amatores vitæ permanẽtis,quales sunt homines amatores vitæ fugientis.Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente ceruicibus,prodiderunt homines quicquid sibi vnde viuerent reseruabant. Quis non continuo prodidit ne percuteretur?Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non vt viueret, continuo perdere voluit vnde viueret, eligens vitam mendicantem, quam celerem mortem? Cui dictum est,nauiga ne moriaris,& piger fuit? Leuia Deus iubet,vt in æternum viuamus, & obedire negligimus:non tibi Deus dicit, perde quicquid habes vt viuas exiguo tempore in labore solicitus; sed da pauperi vnde habes, vt viuas semper sine labore securus. Age vero, qui peccat & continuo corrigitur, cito reuiuiscit, quia nondum est implicatus, consuetudine non est sepultus: qui autem peccare consuevit, sepultus est, & bene de illo dicitur: fœtet: incipit enim habere pessimam famam, tanquam odorem teterrimum, tales sunt omnes assueti sceleribus,perditis moribus.Dicis ei,noli facere:quando te audit quẽ terra sic premit, & tabe corrumpitur,& mole consuetudinis pregrauatur? D.Augusti.super Ioan.tractat.49.to.9.

Inter omnia miracula quæ Dei filius vt suam panderet diuinitatem operatus est, supereminet hoc, & quasi quendam obtinet principatũ,quod circa Lazarum fecit.Quem idcirco mori permisit, vt eum nouo & omnibus seculis admirando ordine suscitando,sese vitæ mortisque dominum declararet. D. Cyrillus super Ioannem lib. 7. cap. 14.

Suscitauerat dominus filiam Iairi principis Synagogæ,sed adhuc funere calente, sed adhuc mediante morte, corpore adhuc præsente, adhuc inter homines homine morante. Suscitauit & vnicum matris,sed sic vt retineret pheretrum, vt anticiparet sepulchrum, vt corruptionẽ suspenderet & præueniret fœtorem,vt ante mortuo vitã redderet, quam tota mortuus iura mortis intraret.Circa Lazarum vero quod geritur, totum singulare est,cuius mors,cuius resurrectio, cõmune nil habet cum prædictis: quem circa & vis tota mortis impleta est; audeo, & dico totum rapuisse resurrectionis dominicæ sacramentum, triduanus ab inferis Lazarus si rediisset: nam Christus rediit triduanus vt dominus,Lazarus reuocatur quatriduanus vt seruus. Cæterum & ideo mortem Lazari vsque ad quatriduanum tempus protendit,vsq; ad fœtorem prçualere permittit,vt discipuli dubiũ non haberent, posse dominũ post triduum adhuc recẽtem surgere, cum seruum vidissent post quatriduanum surgere iam fœtentem: & crederent illum facile posse sibi vitam reddere, qui alium taliter reuocarat ad vitam. Petrus Chrysologus sermo.63.

Maria autem erat quæ vnxit dominum. Prudenter historiæ diuinæ scriptor proprio cognomine Mariæ prætermisso, ab insigni virtutis officio illam cognominauit.Familiare enim est his qui præclaris facinoribus nomen suum clarius reddiderunt, omisso proprio cognomine, ab egregio virtutis opere nouum sortiri cognomen. Sic enim apud Romanos Scipio ab Africa deuicta Africanus est appellatus.Sic etiam M.Fabius maximus,quia cũctatione sua Annibalis vires fregit, & Rempub. periculo liberauit, Cunctator est appellatus. Atque vt de nostris exemplum illustrius commemorem,sic etiam Paulus qui se in literis suis Apostolum cognominare solebat, vbi propter Euangelij prædicationem in carcerem & vincula coniectus est,prætermisso Apostoli nomine,quasi vinculorum nomẽ esset illustrius, vinctum se Christi Iesu in epistolis inscripsit. Sic ergo Maria nostra ab illo singulari pietatis officio, quo dominicos pedes lachrymis lauit,capillis terſit, & vnguento vnxit, non modo nomen, sed etiam honorem & gloriam nulla vnquam obliuione delendam, adepta est.

Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes:domine ecce quem amas infirmatur. Dominus nuntiata infirmitate Lazari, quo vsque quattriduum post mortem eius compleretur, sanare distulit, vt mirabilius suscitaret. Permisit vt expiraret & sepeliretur, & dicerent quoniam fœtet: vt nullus posset dicere quoniam nondum defunctum eum suscitauit, sed stupor fuit, & non mors. D.Cyril.super Ioan.lib. 7.cap.15.

Ingraueſcente igitur in dies Lazari morbo legationem sorores ad dominum his verbis misere. *Domine ecce quem amas infirmatur.* Breuis quidem oratio, sed fide tamen & dilectione longa.Magna enim fiducia orationem fecit breuiorem: neque enim crediderunt longis verborum ambagibus, multisque aut rationibus aut obsecrationibus, opus esse ad eius misericordiã excitandam,qui intra se miserendi & beneficiendi in ipsa sua bonitate causam habebat. Sic regius propheta cũ delictorum suorum veniã peteret,nõ in meritis suis, sed in illo ipso quem orabat, miserandi rationem ponit, cum ait; Quia apud te propitiatio est.Hoc est,domine in te quidẽ ipso causam habes cur mei miserearis. Etsi enim ego cõmisi vnde me dãnare possis,tu nõ amisisti vnde saluare soles,nempe naturalem bonitatem &clementiam,quarum officio maxime delectaris.Qua enim liberalitate fons infinit,sol illuminat, terra germinat;eadem ille misericordię parens omniũ miseretur,& omnes suppliciter ad se confugientes benigne respicit Cuius rei sorores istæ non modo fidem habebãt,sed etiã frequenter periculum fecerant.

Ecce quem amas infirmatur. Perinde est ac si dicerent, Tua hic domine causa agitur,amici tui salus periclitatur:amici ergo fidem & veræ amicitiæ leges æquum est te seruare,& hanc salutis causam tuam ducere, quando quidem amicorum omnia sunt communia vt fertur,siue illa secunda siue aduersa sint, maximeque proprium vere amicitiæ sit,amicis in rebus afflictis non deesse. Hinc Demetrius Phalereus dicere solitus erat, amicos in rebus lætis adesse vocatos debere, in aduersis,nõ vocatos. Quo circa merito Epicurus à Seneca reprehenditur,qui amicum quærẽdum esse dicebat, vt haberet homo qui sibi ægrotanti assideret, qui succurreret in vincula coniecto. Imo vero ait Seneca, amicum quæram cui ægrotanti ego assideã, & circumuentum hostili custodia liberem, vt habeam pro quo mori possim, quem in exilium sequar,cuius me morti opponam & impẽdam. Hoc enim veræ amicitiæ proprium est.

Hic iam aperte vides quomodo Deus discipulis suis afflictiones tribulationesque maximas immit

immittat. Sed dices, cur ita id facit? quia infirmitatem nostræ carnis cognoscit, & intelligit multoties homines fauoribus& honoribus superbire, & hac de re funditus interire. Age vero,siquis nobilis vir accipitrem habeat quem permagni æstimet,eum cõpedibus quibusdã deuincit,oculisque capitium apponit.Quod si quæras quorsum id faciat,statim respondebit ne scilicet accipiter quem tanti facit, anolet, iremeabiliterque aufugiat. Ad eundem modum Deus amicos suos vincit cõpedibus,affligit laboribus, afficit infirmitatibus,premit calamitatibus,solicitat ærumnis; ne scilicet in soleſcant fortasse interdum pro maximis muneribus quibus cælitus afficiuntur, vel deniq; ne aliquis patere videatur aditus,quo à Dei amiticia dissocientur ac diseludantur. Hoc quidem expressũ videmus in ipso Dauide, quem cum multis beneficiis exornasset dominus, cum eum ad regiã dignitatem euexisset, cum propheticum sermonem infudisset, cum triumphum de Goliath indulsisset, cum encomium illud à mulieribus decantari permisisset; Saul percusit mille, & Dauid decem millia:attamen ne aliquo modo propter tãta munera insoleſceret, ne tot fauoribus elatus fortasse superbiret,datus est illi ipse Saul in persecutorem. Ioseph quidem quemadmodum patri suo Iacob amabilis fuit,ita etiam non minus iucundus gratusque extitit oculis domini sui Phutipharis;at ne tantus amor & indulgentia,illum forte perderet,à fratribus fuit vẽditus,& in Aegypto etiam in carcerem cõiectus,atque compedibus vinctus.Familiarissimus certe erat domino propheta Elias,atq; idcirco ne forsitan insolentia efferretur, immisit in eum dominus persecutionem Iezabel. Audi porro Paulum ita de se loquentem: ne magnitudo reuelationum extollat me &c. Propheta item Ezechiel ne forte multis reuelationibus elatus insoleſceret, vocatur, & sæpe quidem, à domino filius hominis. Quamobrem non incommode illud eiusdem Ezechielis huc etiã poterit applicari, nimirum quod de igne egrediebatur fulgur: quia ex amoris igne, egreditur fulgur calamitatis. Et quemadmodum fulgur terram ferit, cælum vero illustrat:sic afflictio propter Deũ tolerata, corpus quidem debilitat ac fatigat, mentem autem purificat clarioremque reddit, ac denique maxime humiliat.

Audiens autem Iesus, dixit eis: infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eã.Diligebat autẽ Iesus Martham,& sororem eius Mariam, & Lazarum. Admiratione dignum est quod audientes sorores infirmitatem illam non esse ad mortem,inde mortuum videntes, non sunt scandalizatæ, cum contra accidisset quam dixerat: sed ei obuiam factæ sunt, neque mentitum putauerunt. D. Chrysostomus super Ioann. hom. 61. to.3.

Talis glorificatio ipsius nõ ipsum auxit sed nobis profuit:hoc est ergo quod ait,non est ad mortem;quia & ipsa mors nõ erat ad mortem,sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum,& vitarent veram mortem.D.Augus. super Ioan.tracta.49.to.9.

Quomodo intelligatur illud, hæc infirmitas non est ad mortem, consule D. Ambro. lib.4.de fide ad Gratianum Augustum cap.6.to.3.

Diligebat autem Iesus Martham &c. Hic si voles, agere poteris de ipsis amicis, deque amicitiis, quales esse vel non esse debeant: qua item ratione parandæ & conseruandæ sint, & denique de aliis huc spectantibus.

Amici & amicitiæ sunt in multiplici differentia ac propter varios fines,vide Lauren.Iusti.lib.de triumphali Christi agone cap. 14. circa medium operum.

Amor est triplex,carnalis,sensualis,spiritualis; vide Lauren.Iusti.in lib. qui inscribitur fasciculus amotis cap.3.inter initium ac medium operum.

Qualis esse debeat amicitia inter veros amicos,quam fidelis,quam firma,quam cõstans,& de aliis huiusmodi:vide Vincen.Belluacen.specu.doctri.lib.5.à cap.82.vsque ad 93.

Qualiter seligendi amici ex Philosophorũ placitis,lege eundem specu.doctri.lib.6.cap.14.

Qua ratione amici deligẽdi ac conseruãdi sint, vide Senecam lib.1.epist.ad Luci.epistо.3.initio.

Quantum referat bonos habere amicos, vide eundem eodem lib.epi.9.

Amicus quomodo & in quo dignoscatur & quod non perinde in prosperis probetur ac in aduersis; quodque magna videatur ignorãtia existimare quempiam mihi esse posse amicum, cui ego non sim quoque amicus:consule eundẽ lib.2.epist. epist.19.in fine.

Quod in absentia per epistolas possit amicitia conseruari: & quod amicitia in animo potius firmiter debeat cõseruari,etiamsi amicus absit:intus enim conseruatur,est præsens, mecũ incedit, colloquitur, cænat &c. vide eundem lib.7. epist.epist. 56.in fine.

Cum bonis habere debemus familiaritatem,vt & in negotio virtutis acquirendæ nobis opem ferant; quoniam bonus & prudens diligit eos per quos hoc tuto facere licet, solũque illis gratuitum testimonium reddit &c. Idem Seneca lib. 10.epist. epist.74.circa initium.

Multum mihi ad bonam cõtulerunt valetudinem amici ait Seneca, quorum adhortationibus, vigiliis,sermonibus,alleuabat.Nil æque Lucili virorum optime,ægrum reficit atque adiuuat,quam amicorum affectus. Idem lib.11.epist.79.

Amicum perdidi;alium quære:& ibi eum quæras, vbi inuenire possis: quære in laboribus &c. Fortem animum habe si vnum. Quid tu,in tanta tẽpestate ad vnam anchoram stabas?Seneca de remediis fortuitorum ad Gallionem.

Amicorum iacturã facile incurrimus,quod fidẽ adhibeamus his qui de amicis falsa sæpe nobis referũt.Quanto animosius inquit Seneca,Alexãder; qui cum legisset epistolam qua admonebatur vt à veneno Philippi medici caueret,acceptam potionem non territus bibit,plusque sibi de amico credidit. Vide eundem lib. 2. de ira ad Nouatum cap.23.

Qua ratione nos gerere debeamus in amicos, & quid circa amicitiam senserint philosophi nonnulli:ex his quæ subiiciam deprehendes.Amicorũ non minus absentium quam præsentium,memores nos esse oportet,inquit Thales. Diogenes etiã dixit, amico non te solum præbeas comitem, sed comitati comitem adiunge benignitatem ac liberalitatem. Demonax,constans sis,& constanter vtere amicis. Cleobulus,citius ad infortunatos amicos,quã fortunatos proficiscere. Plautus,bene si amicos feceris,ne pigeat feciſſe,&potius pudeat si non feceris. Anacharsis,rebus in aduersis,amicos beneficiis affice. Phocion, ne fuge socium in malis constitutum. Isocrates, sic autem quam rectissime tractabis amicos, si non expectes dum te rogent, sed vltro potius cum tempus postulet, eis opem feras. Solon, amicis succurre. Periander, amicis aduersa fortuna vtentibus, *idem* esto.

Eusebius,amicum propter iram rebus in aduersis noli negligere. Alexander Magnus, stude amicos donis retinere, & inimicos beneficiis amicos reddere. Valerius Flaccus, tu semper amoris sis memor, & chari comitis ne absedat imago.

Super illa verba,hęc infirmitas non est ad mortem, inuenies multa accommodatissima apud Ambro. lib.3. de fide cap.6. & inscribitur, de solutione obiectionis quam Arriani sumunt ex hoc quod dominus dixit, hæc infirmitas non est ad mortem.

Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus: deinde posthac dicit discipulis suis, eamus in Iudaam iterum. Cur non statim accurrit vt amicis supplicantibus opem ferret? In promptu ratio est:euentus namque consilium domini facile declarat.Si enim statim abiisset, nõ vitam mortuo, sed salutem ægro reddidisset, quam alius naturæ,alius medicinæ,alius etiam casui tribueret: pauci diuinæ virtuti. Atque ita opus hoc nec tam magnifice gloriam Dei illustrasset,nec tãtum homini beneficium contulisset. Ideoque dedita opera distulit remedium, vt maius impenderet beneficium.En quo tendat diuinę miserationis dilatio,quantũque vtilitatis ex ea dilatione sequatur. Medicus enim ille cælestis sicut potest sanare, ita scit quando vtiliter sanare debeat. Frequenter enim cito concessa nocẽt, quæ diu dilata profuissent. Hinc discamus fratres, patienter misericordiam domini præstolari. Non enim tardat dominus,saluti nostræ magis hac mora consulit. Ideoque pij omnes propheticum illud in mẽte semper habere debent. Qui crediderit, non festinet:& si moram fecerit,expecta eum,quia veniens venit & non tardabit. Quod quidem sanctus ille Iob tot modis à Deo specie tenus destitutus adeo constanter faciebat,vt vere dicere potuerit: Etiamsi occiderit me,sperabo in eum.Hoc est, poterit quidem mihi mors vitam eripere; spem eripere nullo modo poterit.

Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare,& iterum vadis illuc? Hoc quidem Lazari miraculum,maximum diuinitatis Christi testimoniũ dabat, adeo vt omnes Iudæorum tenebras atque perfidiam tanquam splendidissima quædam lux discutere debuisset. Ea tamen populi cæcitas extitit, vt hoc maximo signorum non modo perfidiam non deposuerint, sed,proh scelus infandum, hinc etiam dominum crucifigendi occasionem sumpserint. Quemadmodum enim in desperata ægritudine in venenum sæpe remedia vertuntur : ita mentes peccatis obduratæ, remediis interdum deteriores fiunt. Ideoque orandus semper est Deus, ne nos in reprobum sensum cadere permittat.

Respondit Iesu, nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulauerit in die,non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte,offendit,quia lux non est in eo.hæc ait. Quasi dicat, si voluntatem habebãt tunc me lapidandi, modo tamen non facient,quia mutato tempore potest voluntas mutari. Erat enim prouerbium apud Iudæos, & adhuc est apud nos; quod loquendo de mutatione propositi dicitur;duodecim horæ sunt diei,& ideo saluator vsus est tali modo loquẽdi.Et ostẽdit vlterius quod deberent esse securi,dicens.*Si quis ambulauerit in die,* Id est sancte & iuste:vel aliter,in die,id est mecum qui sum lux mundi,faciens diem diuinæ gratiæ.*Nõ offendit.* Id est securus debet esse. *Quia lucem huius mundi videt.* Id est meipsum, qui possum eũ saluare. Lyranus super Ioan.11.

Nonne duodecim &c. Vide Hugo.de sancto Victo. Annota.in D.Ioan.Euange.to.1.

Si quis ambulauerit in die non offendit. Id est qui Christum in omnibus sequitur, per eius vestigia vsque ad æternę lucis solium trãsmeabit:sicut ipse patrem pro nobis adhuc in corpore constitutus orat,dicens,pater, volo vt vbi ego sum ibi sint & hi qui me crediderunt.Vide D.Ambro,lib.de mysterio Paschæ cap.5.

Vide etiam super prædicta verba August.lib. Soliloqui.animæ ad Deum cap.17.to.9.

Et post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Mortuus quidem erat Lazarus, sed Christo dormiebat. Nullus quippe tanta facilitate posset aliquem excitare à somno, quãta Christus Lazarum resuscitare valebat à tumulo.Denique & omnes defuncti,si potentiã Dei considereas,à quo in nouissimo die sunt resuscitandi,dormitores possũt vocari.Iuxta quod Apostolus dicit ad Thessa. Nolo vos ignorare fratres de dormitibus.Et eodẽ loco,nos qui viuimus,qui residui sumus,non præueniemus eos qui dormierunt. D.Cyrillus super Ioann.lib.7.cap.16.

Cur dormitẽtem appellat quem mortuum sciebat?Causam ipse insinuat, cum amicum nominat; Dei enim amici non mori, sed dormire dicuntur, cum extremum diem claudunt, ô vere beati & felices, quorum mors non mors, sed somnus appellatur!

Super illa verba, Lazarus amicus noster dormit,consule D. Tho.in Psalm.3. in illa verba, ego dormiui & soporatus sum, & super epis.ad Rom. 13.lect.3. in illa verba, hora est iam nos de somno surgere.& 1.Cor.15. in illa verba, quomodo quidam dicũt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?

Amicus vocatus est Lazarus, & postea resuscitatus est fœtidus & quatriduanus à mortuis, ostẽdens quod quantumcumque peccet homo etiam postquã fuerit amicus Dei, viuere poterit eius spiritus;sed valido Dei clamore & multorũ fletu foras à peccato vocabitur. Prius tolletur lapis desuper ab ipso, quia cordis duritia proiicietur ex animo:quam tollent intercessores & prædicatores labore suo.Vide D.August.lib de vera & falsa pœniten.circa finem cap.3.to.4.

Dixerunt ergo discipuli eius: domine si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Non intelligebant carnales adhuc discipuli cælestis Philosophiæ idiomata, in qua iustorum mors non mors appellatur, sed somnus. Sicut enim qui dormit, post modicũ tempus excitatur, vt ad intermissum vitæ vsum redeat: ita iustorum corpora exiguo tẽporis spatio in terræ gremio condita,velut in lecto consopita iacent, quæ paulo post in resurrectione futura ad intermissam vitam redibunt.Quam vero exiguum sit somni huius spatium, declarat plane responsio illa quæ sanctis in Apocalypsi corporum suorum resurrectionem desiderantibus, data est, qua modicum expectare iubentur, donec fratrum suorum numerus impleretur. Itaque totum hoc spatium quod ante futuram resurrectionem interiectum est, modicum appellatur. Quid enim totum hoc si cum æuo illo sempiterno conferatur, nisi modicum aut etiam momentum est? Hinc in Ecclesiast legimus, dies hominis vt multum cẽtum anni:quasi guttæ aquæ maris deputati sunt,& quasi calculus arenæ, sic exigui anni in die qui. Vnde ergo in tã breui vita tã lõgę vitę opinio? sæpe hoc eũ animo meo cogitaui, causamq; huius cæcita

cæcitatis inquirens, deprehendi, vehemens diuturnæ vitæ desiderium has menti nostræ tenebras offundere. Desiderium enim & spes adeo inter se coniuncta sunt, vix vt alterum separari ab altero possit. Quæ enim bona speramus, eadem etiam desideramus:& quæ item desideramus, futura quoque speramus. Quia ergo plerique mortales quã diutissime viuere desiderant, ideo quam longam esse vitam cupiunt, tam lõgam etiam futuram sperant. Desiderium igitur vitæ nobis imponit,desiderium spem decipit & fallit, nobisque persuadet lõgum esse futurum, quod auiditas nostra longum esse desiderat.Qua in re cæcitas atque dementia nostra vehementer accusãda est, quæ desideriis nostris fidẽ adhibet: cum vix aliud frequentius in vita contingat, quam desideria nostra frustrari,conatus impediri, & spes irritas ac fallaces esse. Accedit hostis antiqui fallacia,qui mẽdax est & mendacij pater, quo ad fallendos nos semper vtitur,vtpote qui præstigiis suis nobis persuadet quam longissime abesse, quod vnicuique nostrum proximum est. Certe vt D.Bernar.ait,Mors senibus quidem in foribus,iuuenibus autẽ in insidiis est. Quid enim quæso mortalibus morte ipsa vicinius atque propinquius? At vero plerisq; adeo longe posita esse videtur, vt hac spe freti se totos cupiditatibus dedant,felicitatẽ in hoc exilio quærant, opes, dignitatesque ad eam tuẽdam inexplebili auiditate cõquirant: & ita in omne genus flagitiorum se præcipites agant, ac si nullus vitæ finis eos maneret, nullaque vnquam ab eis factorum ratio esset exigenda; adeo vt ne quotidiano quidem morientium conspectu aut se morituros, aut certe mortales credant.

Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos vt credatis, quia non eram ibi. Sed eamus ad eum. Scio inquit quia mortuus est: æger enim non mortuus fuerat nũtiatus.Sed quid lateret eum qui creauerat, & ad cuius manus anima morientis exierat? Hoc est quod ait, gaudeo propter vos vt credatis,quia non ibi eram; vt iam incipiserent admirari, quia dominus potuit dicere mortuum, quod nec viderat nec audierat.D. August.super Ioan.tracta.49.to.9.

Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos:eamus & nos, & moriamur cum illo. Calamitates quidem,afflictiones,& persecutiones,nos ad Deũ ipsum reducunt, atque compellunt, efficiunteque ne his terrenis allecti nimium detineantur ac retardentur animi,quo minus ad Deum ipsum recta pergant. Contingit siquidem persæpe viatoribus, vt si forte viderint amæna aliqua & opaca loca,ad ea ab ipsa itineris sui rectitudine, amænitate illa oculis adblandiente allecti, vel leuissimo statim impulsu, diuertant ac digrediantur: ita etiam in hac vita multi sæpe allecti harum rerum mundanarum pulchritudine fallaci,in eisdẽ rebus commorantur & conseneſcunt.Quod ne præstẽt electi sui,immittit eis dominus calamitates, quibus vrgentibus ab iis rebus animum auocãtes,cælestem recta semper teneant callem ac persequãtur.Quod olim in filiis Israel adumbratum videmus, quos dominus permisit vt Pharao persequeretur, vt ea persecutione ardẽtius ad terram promissionis apporerent. Et certe si quis vel in insulam aliquã maxime solitariam secessisset, vbi tamen sibi omnia necessaria & accommodata redundantur suppeditarentur, is fere nullo desiderio teneretur redeundi in patriam: at vero si ibidem fame cruciaretur,si laboribus opprimeretur,si in omnium rerum indigentia versaretur; tunc certe, & magnis equidem suspiriis, natale solum exoptaret. Nam & Iacob tandiu in domo Laban commoratus est, quandiu ad palatum suum geri omnia conspexit, nunquãque de reditu in patriam cogitauit:at vero vbi res ex voto suo minus gerebantur, statim ad viam ipsam se accinxit.

Venit itaque Iesus,& inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem:erat autem Bethania iuxta Hierusalem quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariã,vt consolarentur eas de fratre suo. Quatuor dies dicit, ad certitudinẽ mortis; quia licet sint aliquæ infirmitates latentes, quibus videtur aliquis mortuus ad tẽpus, hoc tamen non durat per quatuor dies.Lyranus super Ioann.11.

Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Aduerte quæso quam gratum sese exhibuit Deus suo isto aduentu,Marthæ & Mariæ, à quibus benigno sæpe hospitio exceptus fuerat. Hic ergo si voles parumper commorari in ipsa gratitudine persuadẽda,aliqua subnectam.

Ac primum quidem quod quã gratissimos nos Deo exhibere debeamus pro suis in nos amplissimis beneficiis,consules D.Bernar. sermo.13.super Canti.

Quod grati Deo esse debeamus,sermonem habet D.Chrysosto.quem inscripsit de gratiis reddẽdis Deo,non solum verbis,sed etiã operibus,inter initium ac medium tomi.5.

Quomodo gratos tum Dei, tum proximorum beneficiis nos exhibere debeamus,videD.Ambro. lib.1.offici.cap.31.

Beneficiis à Deo in nos collatis grati simus,quãdo per illa quantum diligamur à Deo tam aperte cognoscimus:lege Lauren. Iustinia.lib.qui inscribitur fasciculus amoris cap.9.

Quam oprima sit gratitudo,vide Vincen. Belluacen.Specul.Mora.lib.1.par.3.dist.74.

Quid de ea senserint philosophi vide eundem spe.doctri.lib.4.cap.50.

Vt Deo grati simus, monet Seneca etiam, quod reuocemus in mentem excellentiora quæ nobis ipse quodammodo præ cæteris beneficia contulerit: vide Senecam lib.2.epis.epi.15. circa finem.

Deo grati simus Esa.44.D.Formaui te.

Gratos nos Deus vult esse,quandoquidem quę pro nobis fecerit cõmemorat Esa.45.A.Accinxi te & non cognouisti me.

Vult Deus nos esse gratos Esa. 46.C. recordamini.

Deo gratos nos exhibere cõuenit Esa. 38.B.C. Ego dixi in dimidio.

Vult Deus existere nos gratos Ire. 3.A. leua oculos tuos.

Deo grati simus pro tot tantisque beneficiis Iere.10.D.Scio domine.

Vide quam gratus extiterit Ieremias erga Abdemelech Iere. 39. vade & dic Abdemelech Aethiopi.

Animaduerte quam gratos velit Deus nos esse Ezechie.16.A.B.radix tua.

Deo grati simus Amos 2.C.ego sum qui ascendere vos feci.

Deus vult vt grati simus Michææ 6.B.C. eduxi te de terra Aegypti.

Grati simus Gene.39.B.ecce dominus meus.

Gratitudinis non obliuiscamur Exod.2. D.vocate eum vt comedat panem.

Gratitudo res laudabilis Iosue 6.D. Raab vero meretricem,

Grati existamus 1. Regum. 1. D. idcirco & ego commodaui eum domino.

Gratitudo res laude digna 1. Reg. 15. B. tu enim feciſti miſericordiam.

Magna Dauid gratitudo 2. Reg. 9. per totū. nūquid ſupereſt aliquis de domo Saul?

Gratitudo 2. Reg. 10. A. faciam miſericordiam.

Grati eſſe debemus in eos qui pro nobis laborant 2. Reg. 19. A. confudiſti hodie.

Gratitudo 2. Regum 22. per totum.

Grati existamus 4. Reg. 4. B. C. voca ſunamitidem iſtam.

Gratitudo res laudabilis Tob. 3. A. ſi me ipſum tradam.

Grati ſimus erga eos qui nobis boni quidpiam conferunt Tob. 12. A. pater quam mercedem dabimus.

Maxima gratitudo Eſther 2. D. inſſit rex vt in libro.

Deo gratiſſimus Roma. 5. B. cum inimici eſſemus.

Deo gratias agamus pro tātis in nos beneficiis Coloſ. 1. C. cum eſſetis aliquando alienati & inimici.

Gratus quidem exiſtebat Apoſtolus 2. Timo. 1. D. ſed miſericordiam Dei.

Vult Deus nos gratos eſſe Eſa. 63. C. vbi eſt qui eduxit eos de mari.

Dixit ergo Martha ad Ieſum: domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio quia quæcūque poposcieris à Deo, dabit tibi Deus. Verū enimuero etiam cum aliis malis hic muliebris morbus iam prævaluit, oſtētat planctus & dolores ſuos, cruentant brachia, ſcindunt capillos, laniant genas, partim ob dolorem, partim ad oſtentationem. Nonne te Deum offendere arbitraris? Quænam inſania? nonne ridebunt gentiles? nonne fabulam noſtram putabūt religionem? Dicent enim nullam eſſe reſurrectionem, illuſiones omnia Chriſtianorū dogmata & fallacias putabunt. Haud enim aliter quā ſi nil poſt mortem remaneat, mulieres lamentantur, non attendunt ſcripturis, omnia illa figmenta ipſæ credere videntur: ſiquidem ſi crederent mortuum non eſſe mortuum, ſed ad meliorem vitam tranſlatum, non vtique tāquam nil eſſe deplorarent, non adeo indignarentur, non tantas efferrent voces incredulitatis indices. Nunquam te amplius videbo. Non ita gentiles effæminantur: multi apud eos philoſophati ſunt, & cum audiſſet mater filium in prælio cecidiſſe, mox rogauit quomodo ſe reſpub. haberet. Et alius philoſophus coronatus cum audiret pro patria filium cecidiſſe, vt fortiter occubuiſſe cognouit; in caput ſtatim coronam repoſuit. Spartanæ autem mulieres hortātur filios vt clypeum è prælio referant, aut ſuper eo occumbant. Ideo pudet me gētiles hæc ſapere, nos imprudentes eſſe: qui de reſurrectione nil intelligunt, intelligentium opera faciunt: qui intelligūt, ignorantium, & quod propter Deum non faciunt, homines reueriti faciunt ſæpenumero. Vis mortuum honorare? alia via aggrediēdum eſt: fac eleemoſynas. Quæ tibi ex multis fletibus vtilitas? Ego & aliud malum audiui, quod multę etiam amatores per fletus alliciunt, maritalis amoris opinionem, lamentationum vehementia de ſe confirmātes. ô diabolicam mentem! ô ſatanæ cogitationem! Quandiu & terra & puluis, quādiu caro & ſanguis erimus? Cælum tandem ſuſpiciamus, intelligamus ſpiritualem noſtri partem. Quomodo gentiles arguemus? Quomodo qui hæc faciunt, conſolabimur? Quomodo cum his de reſurrectione diſputabimus? Et quomodo poteſt inquit non dolere, qui filium vel vxorem amiſit? Nō dico ne debeat, ſed ne immodice. Nam ſi intelligeremus Deū illum abſtuliſſe, quem mortalem virum ac filium habebamus, mox conſolaremur. D. Chryſoſto. ſuper Ioann. ho. 61. to. 3.

Mulier & Deum confiteris, & dicis, ſi hic fuiſſes. Deum nec abſentant loca, nec tempora repræſentant. Non moreretur Lazarus ſi dominus fuiſſet ibi, qui erat ibi, ſed ſi in paradiſo tu mulier non fuiſſes. Mulier tu quæſiſti lachrymas, tu inueniſti gemitus, tu mortem gulę pretio comparaſti, & accuſas abſentiam Dei, quando cauſam mortis fuiſſe tuam præſentiam non recuſas? Chryſologus ſermo. 63.

Dicit illi Ieſus: reſurget frater tuus. Vide obſecro quantam dilationem, quantas interrogationes & reſponſiones, præmittat dominus, quam varias etiam conditiones, antequam in hanc vitam Lazarum reduceret & reuocaret. Non ita equidem ſe geſſit in duobus illis prioribus mortuis reſuſcitādis, nempe filia Archiſynagogi, & filio viduæ. Hic etenim Lazarus quatriduanus in monumento iacens, vetus peccatum diuturna conſuetudine firmatum figurat. Cum ergo priores illos duos mortuos dominus ſimplici verbo vita donauerit, hunc autem quatriduanum tam noua & inſolita ratione excitauerit, non obſcure declarauit quantum hoc peccati genus ab aliis differat, ſiue peccati grauitatem, ſiue remedij difficultatē ſpectare velis. Voluit igitur cæleſtis magiſter tot ſignis ac cæremoniis ingens prauæ conſuetudinis & vetuſti ſceleris periculum deſignare. Cum enim duos illos mortuos vnico verbo, hunc autem quatriduanum tot ante rebus editis ſuſcitauerit, ſatis aperte huius miſerandi ſtatus periculum declarauit. Veriſſime enim dictum eſt, languor prolixus grauat medicū, breuem languorem præſcindit medicus. Sicut enim vt Chryſoſt. ait, facile eſt riuulum cum primū à fonte ſcaturit, quocunque volueris flectere; at vbi aliorum fluminum acceſſione auctus eſt, vix vlla arte poſſis eius impetum reprimere, aut curſum aliò deflectere: ita facile eſt vitium recens adhuc natum abſcindere, at multorum annorum cōſuetudine auctum & roboratum, quis facile ſuperare queat? Quam leui opera nouellam ſtirpem & vix dum radicibus hærentem, euellere poſſumus, annoſam tamen & diuturno tempore firmatam, quis ſine maximo labore eradicare valeat? Idem igitur de vetuſto ſcelere ſentiendum eſt, quod quo diutius animo hæſit, hoc altiores in eo radices egit, difficiliuſque auelli poteſt. Hinc formidanda illa D. Grego. ſententia, tenent prauæ conſuetudines quem ſemel ceperunt, & quotidie duriores exiſtunt, & non niſi cum peccatoris vita finiuntur. Idemque rurſus, ſępe nonnulli exire à prauis actibus cupiunt, ſed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malę conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt. Conſulto autē vir ſanctus ponderis nomine vtitur. Vt enim infirma iuměta ſub graui onere ruentia, niſi ab aliis iuuētur, exurgere nequeunt: ita quicunque in peccato iacent, atque hi præcipue qui ſceleribus diu aſſueuerunt, prauæ conſuetudinis pondere preſſi, niſi ſingulari Dei ope atque beneficio, à peccati onere ſurgere non valent. In quo quidem ſtatu miſeri non iam de peccati remediis, ſed de ſolatiis cogitant, quemadmodum idem Grego. teſtatur his verbis. Eneruis animus cum ſolui non vult, ad quædam ſe ſolatia falſæ conſolationis inclinat.

Recte

Recte autem eneruem ſiue eneruatum animum appellat eum, qui praua peccandi conſuetudine debilitatus & fractus, difficilime ad ſanitatem perducitur. Itaque cum huiuſmodi homines ea vitia quibus aſſueuerunt, quæque magno amore amplectuntur, à ſe abdicare nolunt, ad quædam ſe ſolatia vertūt, quibus ſe in malis ſuis conſolentur. Ali quando enim ad praua aliorum exempla, aliquando ad miſericordiam domini, quandoque ad meritā dominicæ paſſionis confugiunt, nonnūquam vero ad futura tempora pœnitentiæ propoſitū differunt, quo minori moleſtia in ſceleribus ſuis requieſcere valeant. Adeo enim cæci atq; dementes ſunt, vt cum deſolis morbi remediis agere ſemper deberent, nō de remediis, ſed de ſolatiis cogitent, quibus vim morbi augeant. Tanto enim periculoſius morbus ingraueſcit, quanto maiora peccator in eo ſolatia inuenit. Veriſſime enim ab eodē D. Grego. dictū eſt, Creſcit culpa fauoribus nutrita. Hoc eſt non modo externis adulantium vocibus laudata, quando videlicet laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, ſed etiam cum his rationibus amens & cæcus homo ſibi ipſi blanditur, & inania hęc ſolatia captat. Huiuſmodi autem homines vſque adeo à ſalute diſtare idem ſanctus ait, vt ad ipſos illa domini verba pertinere dicat: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortuos enim appellat, qui ſine vllo peccādi ſenſu, in ſceleribus ſuis tota vita perdurant.

Super illa verba, reſurget frater tuus, conſule D. Thom. in 4. ſenten. diſt. 43. ar. 3. per totum. & ſuper Iob. 19. in illa verba. ſcio enim quod redēptor meus viuit: & in 4. ſenten. diſt. 44. & 1. p. q. 12. ar. 3. ad 1. & in 4. ſenten. diſt. 49. q. 2. ar. 2. ad 2. & 2. 2. q. 175. art. 4. in cor. & 2. ſen. diſt. 8. ar. 6. in cor. & 4. ſen. diſt. 48. q. 2. ar. 1 in cor. & lib. 3. contra gen. cap. 51. in fine.

Dicit ei Martha ſcio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. Peruerſe quidem viuere & in peccato mori, res eſt lachrymis digniſſima: cæterum qui bene viuentes decedunt à vita, non eſt cur nimium lugeantur, & quod in eorum morte imprudenter excedamus. Dauid quidem non deflecuit obitum infantis, quem ex Berſabee ſuſceperat: & tamen fleuit mortem infelicem & peccato obnoxiam Abſalon filij ſui. Qui olim inter Ethnicos ſapientes habebantur, doloris quidem exceſſum nō oſtendebant in morte filiorum, & tamen carnis reſurrectionem non ſperabant in nouiſſimo die: cur ergo vir Chriſtianus qui eam firmiter credit ac profitetur, nimium exceder, & in bonorum præſertim morte deflenda? De quadam Ethnica muliere proditum eſt, quod cum ei de obitu quorum filiorum nuncium allatum eſſet, qui obierant in prælio, poſthabita natorum ſuorū morte, quæſierit ſtatim potius ab ipſo nūtio, quinam euaſiſſent victores, & in vtram potius partem victoria inclinata fuiſſet. Significans ſcilicet ſe non multum ſollicitari de morte filiorū, modo ſtrenue depugnaſſent pro repub. & modo reſpub. ipſa ſalua perſiſteret. Cum etiam ad regem quendam de filij ſui interitu in bello nuntium eſſet allatum, ſtatim de capite diadema depoſuit: ſed tamen poſtmodum percontans num quando filius occubuit, viriliter animoſéque decertaſſet, reſciſſétque ipſum ſtrenue ſe geſſiſſe magna edita ipſorum hoſtium ſtrage: hercle inquit, iure poſſum diadema capiti reſti tuere, quādoquidem plus cōparatum eo interitu, quam amiſſum eſt.

Quantam Deum immortalem, adhibemus curam ac ſolicitudinem in vita ipſa corporea conſeruanda, quæ tot tantiſque miſeriis expoſita eſt! quā caro nobis conſtat! interdum ſcilicet venarum inciſionibus eam procuramus ſanguinis minutionibus, variis aſſiduiſque dietis, longæ famis patientia, accurato ciborum potionúmque delectu, magno quodam medicorum, Pharmacopolarum, chirurgorúmque cenſu, magno quodā examine quātitatis, qualitatiſque ipſius victus, obſeruato etiā tempore horáque opportuna cibi capiendi: & tamen vix eam nobis conſeruare poſſumus hac tanta etiam cura, vſque adeo tutam & illæſam, quin & capitis doloribus, & ſtomachi cruditatibus, inteſtinorúmque cruciatibus, & aliis huiuſmodi ſubiiciatur, vt interim omittam curas ſolicitudinéſque varias quibus exterius vrgemur. Et in tanta nihilominus viræ noſtræ corporeæ miſeria quam in nobis experimur, volumus ſæpe, cupimus, expetimus, deprecamur, vt amici aliqui, vt cognati, vt affines, reuiuiſcant, & in tam miſerabilem lucem denuo reuocentur. At vero, quod ſine lachrymis multis dici non poteſt, pro vita ſpirituali ipſius animæ recuperanda, pro eáque conſeruanda quam tam facile nobis benigniſſimus pater indulget, quam tam vili & nullo pretio concedit, minimā quidem adhibemus diligentiam, vel negligentes potius ſumus & oſcitantes.

Dixit ei Ieſus: ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. & Credis hoc? Audite fratres, audite quid dicat; certę tota expectatio erat circunſtantium, vt reuiuiſceret Lazarus, vnus mortuus quatriduanus; audiamus, & reſurgamus. Quam multi ſunt in hoc populo, quos premit conſuetudinis moles, forte audiunt me quidam quibus dicitur, Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria, dicunt, non poſſumus. Forte audiunt me aliqui immundi, laſciuiis & flagitiis inquinati, quibus dicitur, nolite id facere ne pereatis; & reſpondent, non poſſumus tolli à conſuetudine noſtra: ô domine iſtos reſuſcita, &c. D. Auguſt. ſuper Ioann. tracta. 49. tomo. 9.

Ait illi: vtique domine, ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundū venisti. Et cū hæc diciſſet, abiit & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: magiſter ad eſt, & vocat te. Qui ad Lazarum venerat, quid ſic occupatur in Martha? Quid? vt ante iſta in fide edoceretur, quam ille reſuſcitaretur in carne. Sic facit qui & viuis & mortuis conſultus aduenit; nec pertimeſcit faciendi moras, pernes quem facti & effectus permanet & poteſtas. Chryſolo. ſermo. 63.

Exemplū

Illa vt audiuit, ſurrexit cito, venit ad eum: nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam quia cito ſurrexit, & exiit: ſecuti ſunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria & Martha ſuorum labōrum ſuique mœroris ſolatium niſi in Chriſto inuenire non poterant. Hic ergo poteris differere quod vt verum comparemus in miſeriis noſtris calamitatibúſque ſolatium, ad Chriſtum ſtatim confugere debeamus. Qua de re vide Laurent. Iuſti, in tracta. qui inſcribitur faſciculus amoris cap. 5. inter initium & medium operum.

Maria ergo cum veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum cecidit ad pedes eius, & dixit ei. Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus. Si placet noſſe varias opiniones inter Orige. Auguſt. Hierony. Chryſoſto. vtrum hæc Maria Magdalena fuerit illa peccatrix, & quod indubie tenendum ſit eſſe illam peccatricem, de qua Luc. 7. cum aliis huiuſmodi; conſule

sule D. Thom. super Ioann. cap. 11. à lect. 1. vsque ad. 7.

Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit. Vbi posuistis eum? Dicunt ei, domine veni, & vide: & lachrymatus est Iesus. Scisti quia mortuus sit, & vbi sit sepultus ignoras? sed ista significatio est, quia sic perditum hominem quasi nescit Deus: non ausus sum dicere nescit, quid enim ille nescit? Sed quasi nescit: vnde hoc probamus? Domino audi dicturum in iudicio, non noui vos, discedite à me. Quid est non noui vos? non vos video in luce mea, non vos video in illa iustitia quã noui: sic tanquam nesciens talem peccatorem, dixit: vbi posuistis eum? Talis est vox Dei in parabolis posteaquam homo peccauit. Adam vbi es? *Domine veni & vide.* Quid est vide? miserere: videt enim dominus quando miseretur, vnde illi dicitur, vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea D. August. super Ioã. tracta. 49. to. 9.

Mariæ loquenti nil Christus loquitur, neque ea dicit quæ sorori dixerat, turba enim aderat multa, & non erat tempus illorum verborum, sed condescendit & humiliatur humanam naturam denudans. Quia enim miraculum magnum erat futurum, & multos per id lucraturus, sua condescensione attrahit testes, & humanam monstrat naturam, infremendo & seipsum turbando. Porro fremitus iste in Christo processit ex eius indignatione contra diabolum, cuius inuidia & suggestione mors intrauerat in orbem terrarum, quem breui erat debellaturus, & aculeum mortis sua morte destructurus. Infremuit igitur quasi minas Satanæ & morti intentans, quæ & ipsum Lazarum straurerat. *Lachrymatus est.* Erudiit nos dominus suis lachrymis quonam modo charos nostros vita defunctos, moderatis & lege rationis temperatis lachrymis flere debeamus. Nam ex toto nec compati, nec mærere, ferinum est & durum: horum vero exuberantia muliebre. Et cum graui contabescimus luctu, ob ademptum morte nobis amicũ, & solis indulgemus lachrymis, indolere videmur aut animam eius simul interisse cum corpore, nec post dissolutionem carnis manere superstitem, aut ipsam nunquam iterum coniungendam corpori in consummatione seculi. Sed impias has cogitationes compescuit Paulus ita ad Thessa. scribens, Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Insuper nec est viri prudentis & maturi opus, assiduo luctu eum deplorare, qui lachrymis ad vitam reuocari non potest, nec fletibus sepulchro eruitid siquidem vano est labore consumi ad id, quod recuperari non potest nec emendari. Quod apud se prudenter attendens Dauid. cum resciisset filium suum mortuum, pro quo adhuc viuente, ieiunio & fletu grauiter se afflictauerat, depositio luctu iussit cibum sibi apponi, & epulatus est. Cyrillus super Ioan. lib. 7. cap. 20.

Vbi posuistis eum? Cum dicit vbi posuistis eum, mulieres increpat, mulieres arguit: hoc est, quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos vbi posuistis eum. Chrysolo. sermo. 64.

Age vero paulo altius huius dominici fletus causæ indagandæ sunt. Magnam siquidem rem esse necesse est, pro qua rerum omnium dominus lachrymas fundit. Homines enim temere frequenter lachrymari solent, qui vt propheta ait, frustra pro rebus nihili conturbantur: Dei vero filium, hoc est Dei sapientiam, quis frustra lachrymari credat? Cum is præsertim nec flagellis cæsus, nec spinis coronatus, fleuisse legatur? Ter enim illum fleuisse sacræ literæ produnt. Primum quidem cũ à Martha hodie audiuit vbi Lazarus esset positus: deinde quando videns ciuitatem, futurã eius cladem lamentatus est; ac postremo cum pro nobis in cruce cum clamore valido & lachrymis orauit. Qua quidem in re immensa eius charitas elucet, qui in suis doloribus nunquam, pro nostris autem sæpe lachrymatus sit. Ad huius igitur diuini fletus causam intelligendam, sciendum est inter alia sapientum & stultorum discrimina, hoc vel præcipuum esse: quod rudes & insipientes homines in rebus quas cernunt nil aliud quam res ipsas, hoc est, externam earum faciem & imaginem cernunt: subtiles autem atque diuini viri, ex rebus omnibus quas vident philosophandi ansam arripiunt: dum ex iis quæ vident ea quę non videntur, vel ex causis effectus, vel ex effectibus causas agnoscunt. Hoc igitur in loco dominus cum de morte & sepultura sermo incidisset, in mortis causam videlicet peccatũ, oculos coniecit, quæ huius tanti mali origo extitit. Inuidia enim diaboli peccatum in troiuit in mundum, & per peccatum mors. Cum ergo tumuli ei locus ostensus esset, eius sententiæ quæ aduersus hominem propter peccatum lata est, illi venit in mentem, Puluis & in puluerem reuerteris. Non ergo propter viri iusti mortem, quæ prętiosa *in cõspectu domini est*, lachrymatur, quæ ne humanis quidem lachrymis digna est: sed quoniam mors primogenita peccati filia, & effectus eius erat; in effectu causam, & in filia matrem, hoc est peccatum à quo mors processit, contemplatus est. Vtrámque igitur Christus hominis miseriam deflet, peccatum scilicet, & peccati pænam: in cuius deformitate, causæ suæ, hoc est peccati deformitatem vidit. Quid enim est cadaueris horrifica specie vel odore tetrius, vel aspectu truculentius, vel contagio pestilentius? In hac igitur horrenda specie, peccati fœditatem & vidit & horruit. An non igitur hæc causa digna fuit, quæ ipsi quoque salutis & vitiæ fonti lachrymas excuteret?

Et turbauit seipsum. Consule D. Thom. in 3. senten. dist. 13. q. 2. ar. 2. & Ioan. 12. lect. 4. initio. & Ioan. 13. lect. 4. initio.

Et lachrymatus est Iesus. Consule eundem in 4. senten. dist. 17. q. 2. ar. 3. quæsti. 1. ad 2.

Dixerunt ergo Iudæi: ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt, non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere vt & hic non moreretur? Consuetudo est hominibus mortuos lugere, quos prius charos habebant & amore coniunctos. Secundũ hanc consuetudinem Iudæi dominum flere putabant. Cum tamen potius humanam dominus miseriam deplorabat, duræ mortis seruituti subiectã, & tristem Lazari deflebat sortem, ad hanc vitam mortalem plenam miserię & dolorum reuocandi. D. Cyrillus super Ioannem lib. 7. cap. 21.

Iesus rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum: erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Super hæc verba, & lapis super positus erat ei: age re poteris de duritia cordis & obstinatione, quam scilicet lethalis sit: ad quod instituendum ampliandum, aliqua insinuabo loca.

Duritia & obstinatio quo exitu claudantur Iere. 25. A. B. & misit dominus ad vos omnes seruos. Vide etiam Iere. 15.

Duritiam cordis auferre solus Deus potest Ezech. 11. D. & auferam cor lapideum.

Duritia cordis quam pestifera Osee 4. D. populus non intelligens vapulabit.

Duritia

Duritia cordis Osee 7. C. nec reuersi sunt ad dominum.

Duritia & obstinatio Iere. 44. D. sermonem quem locutus es ad nos in nomine domini, non audiemus ex te.

Duritia mentis Iere. 36. E. rex autem sedebat in domo hyemali.

Duritia & obstinatio Iere. 18. B. post. cogitationes enim nostras ibimus.

Duritia atq; cordis proteruia Iere. 17. A, peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo.

Obdurati atque proterui eo miseriæ tandem deueniunt, vt in suis laboribus clamãtes ad Deũ, non exaudiantur tamen Iere. 11. B. C. ecce ego inducam super eos mala.

Duritia cordis & obstinatio contra Dei præcepta Iere. 11. B. inuenta est coniuratio.

Duri ac proterui eo sæpe deueniunt. vt non sinat Deus amicos suos pro illis orare. Ie. 7. D. tu ergo noli orare pro populo hoc.

Permagna quidem obstinatio est, diuinis non emendari flagellis Amos 4. C. D. percussis vos in in vento vrente &c. misi in vos mortem &c.

Duritia cordis Zacha. 1. A. ne sitis sicut patres vestri ad quos clamabant. & 7. C. & noluerunt attendere &c, & aures suas aggrauauerunt.

Duritia cordis Iob. 21. B. qui dixerunt. Deo recede à nobis.

Mentis obduratio quo redigatur Prouerbio. 1. C. quia vocaui & renuistis. & 5. D. iniquitates suæ capiunt impium.

Hebræorum grauissima induratio Numer. 16. F. murmurauit autem omnis multitudo.

Induratio mentis & obstinatio 1. Regum 8. D. nequaquam, rex enim erit super nos, & 1. Regum 18. E. imo audiui vocem Domini. & 3. Regum 13. G. post verba hæc non est reuersus Ieroboam.

Cordis obduratio Acto. 6, D. &. intuentes eum Matt. 12. B. concilium faciebant. & 28. pecuniam copiosam.

Mentis obstinatio quo tandem deueniat Rom. 1. D. tradidit illos Deus in reprobum sensum.

Quam pestifera sit animi obstinatio, vide etiã Vin. Bell. spe. Mora. lib. 3. p. 3. dist. 31.

De mala item consuetudine per quam tandem ad obstinationem iter est, quod sit statim à teneris fugienda vnguiculis, & bonis potius assuescendũ: monuit nos etiam Aristippus ille philosophus, cũ dixit: disce puer quæ viro sunt vsui atq̃ honori futura. Tibullus dixit, at tu dum primos flores tibi temporis ætas dedit, rectum iter tene.

Quemadmodum consuetudo assiduúsque in malis vsus, animos sæpe tandem obfirmat siue obstinatos reddit: ita consuetudo quæ rerum est bonarum, assidua & frequentata, efficit vt tandem actiones studiosæ mira quadam facilitate à nobis exerceantur, nec perinde difficulter à nobis fiant, atque initio. De qua re vide Vin. Bell. spe. doct. lib. 5. cap. 43.

Ait Iesus: tollite lapidem. Sed quare dicet quispiã, non lapide iacente resuscitauit eum? nonne poterat qui corpus mouit mortuum voce, etiam multo magis lapidem mouere? Non autem hoc fecit, vt eos testes facit miraculi, vt non dicant quod in cæco dixerat, Non est hic. Manus enim & accessus ad monumentum, testabantur quod ipse est. D. Cyril. super Ioan. lib. 7. cap. 21.

Inter diuinas virtutes humanum Christus requirit auxilium? nõ sufficit amouere lapidem, qui mortem sufficit effugare? sepulchri claustra reserare non valet, qui portas tartari præualet aperire? Dixerat per prophetam, Auferam cor lapideũ de carne eorum, & dabo eis cor carneum: præcipit ergo vt Iudæi ex se cor lapideum tollant, euoluant perfidiæ saxum, silicem duræ incredulitatis excludant, quatenus animę per infidelitatem mortuæ, de sepulchro pectoris prosilirent. Chrysologus sermo. 65.

Super illa verba, tollite lapidem, vide D. Ambro. lib. 1, Hexamerom cap. 7. circa finem.

Dicit autem Martha soror eius qui mortuus fuerat, domine iam fœtet, quatriduanus enim est. Quo pacto nos cõsolari debeamus in morte fratris, cognati, seu amici lege D. Ambro. lib. lib. 2. epis. epi. 8. in fine to. 3. & in lib. qui inscribitur de excessu fratris eodem to.

Consolatio in vxoris obitu, filiorum, in bonorum amissione, extat apud Hiero. in tracta. ad Iulianum medium to. 1.

Quod patienter sustinere debeamus aduersa, sermonem composuit D. Chrysost, qui inscribitur de amore Dei & tolerantia in aduersis, inter initium ac medium to. 5. Bonis quidem sæpissime immittuntur afflictiones, vnde dixit Christus, in mundo pressuram habebitis. Tobiæ item dixit Angelus: quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Huc etiam spectat illud, tanquam aurum in fornace probauit illũ. Indicium porro quoddam esse videtur Deum nobis subiratum esse, si laboribus & calamitatibus minus nos visitet, Ezechi. 16. iam non vltra irascar super te &c. vide Horozcum in declama. Quadra.

Quatriduanus enim est &c. Hic denotari potest peccator ipse qui vsque adeo obstinatus est, vt propter eam obstinationem iuste quidem fœtere dicatur apud Deum, & destituatur eius particularibus fauoribus, citra vllam Dei culpam. Vt enim infirmus sibi ipse denegat salutem, si præscripta à medico pharmacha renuat accipere: ita nó est quod impius de Deo cõqueratur si minus eum suis specialibus prosequatur auxiliis, propterea quod ipse Deum repellit, ipse eius salutem reiicit, præceptis diuinis contradicendo ac reluctando.

Quemadmodum tametsi sol ipse splendidissimos immittat radios suos, si quis tamen fenestras ei & aditus ipsos intercludat atque obseret, is quidem sponte sua in tenebris versabitur, nulla in sole adhærescente culpa: ad eundem modum tamesit suas nobis Deus subinde idẽtidémq? inspirationes immittat, si nos animum ipsum obfirmamus, si aures occludimus, si in vitiis consenescimus, si obsurdescimus omnino, ipsi quidem in tenebris versabimur, & nostra prorsus duntaxat accidet culpa, vt diuinæ inspirationes minus effectum suum sortiantur.

Domine iam fœtet &c. Si voles differere de fœtore & turpitudine animæ quæ in peccatis volutatur, & quod tametsi quis fœtorem maximum propter sua scelera præse ferat, non tamen propterea diffidere ac desperare de diuina misericordia debeat vide Chrysost. super Matth. circa finem ho. 7. to. 2.

Dicit ei Iesus: nonne dixi tibi quoniam si crediderís, videbis gloriam Dei? tulerunt ergo lapidem. Deus quidem sæpe immittit suis calamitates & persecutiones vt ipsius gloria ostendatur, tum etiam vt eos postea maioribus beneficiis cumulet, exornet, & illustriores reddat. Permisit enim olim ipsum Iacob sustinere exilium illud propter Esau, & vide post modum quam ditissimus opulentissimúsque redierit. Tobiam item excæcari permisit, quem postea illuminatũ amplissimis beneficiis collocupletauit. Iob præterea tantopere affligi, extremá-

que

que cruciari inopia permisit : cui tandem bona priora duplicato restituit, vide Iob per totū. Longo porro tempore permisit ipsum Dauidem persecutionem à Saule sustinere, quem tamen in regem post Saulem sublimauit 1. Regum 18. &c. Bethuliam per Holofernem obsideri diuexarique permisit, quam postmodum glorioſe opantérque vindicauit Iudith 13.

Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit : pater gratias ago tibi, quoniam audisti me ego autem sciebam quia semper me audis : sed propter populum qui circumstat, dixi, vt credāt quia tu me misisti. In primis gratias agit de præteritis, quod cum audiuerit pater, erudiens nos & de acceptis à Deo beneficiis enixe gratias agere debere, vt ad maiora postmodum suscipienda beneficia efficiamur idonei. Cyrillus super Ioan. lib. 7. cap. 22.

Iesus autem eleuatis sursum oculis. Consule supra Domi. 4. Quadra. citationes D. Tho. in illa verba, aspiciens in cælum.

Tu me misisti. Consule supra feria 3. post. 4. Dom. Quadra. citationes ex D. Thom. super illa verba, sed eius qui misit me.

Obserua ex Origene mirabile quidpiam ; nempe quod simulatq; sublatus est lapis ille magnus ab ostio sepulchri, regressa est anima Lazari in corpus ipsius : ita vt quando Christus dixisset gratias ago, &c. iam erat effecta Lazari suscitatio. Vnde inquit Origenes, si homines Deo inseruientes ita Deus exaudit vt quando vocatur ab eis, statim dicat, ecce adsum, quid de oratione Christi dicendū erit? Certe vel antequam preces incipiat, suscitationem Lazari concedit pater. Erat igitur oraturus pro Lazari resurrectione Christus, & ecce præcurrēs pater audiuit statim quæ in oratione dicēda erant : & idcirco propter id gratias Christus agit patri. Orationem quidem adiunxit, sed præcurrēte eius orationem eo qui ei dixerat ; ante quā loquaris, dicam ecce adsum ? pro oratione quæ per prothesim pronūtiata est, gratias agit ei qui orationē præcurrerat, & quasi auditus in his quæ cogitasset quidem, sed minime protulisset. hæc ait : pater gratias ago tibi quoniam audisti me. In quo duo simul facit, dum & gratias agit pro his quæ consecutus erat in Lazari causa, & circunstantē populū ad fidē deducit. Se autem auditum esse cognouit, quoniam spiritu intellexit animā Lazari restitutam esse, cum ad corpus missa esset ex animorum regione & loco, & cum eam intrantē per eum locum vnde lapis sublatus fuerat vidisset : pater ait gratias ago tibi quoniā audisti me. Preces ad gratiarum actionem traduxit, quod sensisset Lazari animam in corpus intrasse. Itaque postea quam patri egisset gratias, magna voce vsus est, quæ Lazaro vim adhibuit vt de sepulcho egrederetur, quod quidem fuit & alterum miraculum. Et aduerte quod voce sublata non postulat à patre vt Lazarus viuat, sed viuenti potius iam Lazaro imperat vt egrediatur foras. Vide Orige. super Ioan. to. 28.

Hæc cum dixisset, voce magna clamauit : Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus institis, & facies eius sudario erat ligata. Fremuit, lachrymatus est, magna voce clamauit. Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit, sed tamen surgit, occulta gratia intus viuificatur, surgit post vocem magnam. Quid est factum? *Et statim prodiit &c.* Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non mirariſ quia surrexit quatriduanus? In vtroq; potentia domini erat, non vires mortui. Processit, & adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces : & si tanta quanta dixi contemnis, sepultus iaces : quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? sed vt confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est magna gratia vocando : ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, cōfitens & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit dominus, soluite illum. Quid est hoc? Quæ solueritis in terra, soluta erūt in cælo. D. August. super Ioan. tracta. 40. tom. 9.

Lazare veni foras. Mortuo Lazaro qui magna mole premebatur, nequaquam dicitur, Repiuisce, sed veni foras. Ex qua scilicet resurrectione quæ gesta in illius est corpore, sinatur qualiter nos resuscitemur in corde : cum videlicet mortuo dicitur, veni foras : vt nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem malę cōsuetudinis iam sepultus, qui intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à seipso foras exeat per confessionē. Mortuo enim veni foras dicitur, vt ab excusatione atq; occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire prouocetur. Vnde Dauid propheta ab illa tanti mole facinoris reuiuiscens, ad vocem domini quasi foras exiit, dum per Nathan correptus, quod fecerat accusauit. Quia igitur hæc occultationis culpa in humano genere vehementer excreuit, bene beatus Iob cum diceret, si abscondi peccatum meum, interposuit, Quasi homo. Hominis quippe esse proprium conspicit, quod ex parentis veteris imitatione descendit. D. Grego. lib. 22. Mora. cap. 13.

Exiit autem ligatus, vt non putaretur esse phantasma. Sed & hoc quod exibat ligatus non videbatur minus esse miraculum, quam eum resuscitare. Iussit autem dominus eum solui, vt videlicet tangentes & ei appropinquantes, videant quia vere est ille. Demum iussit quod sinerent eum abire, propter humilitatem : non enim ducit eum, neque iubet secum ambulare, ad sui demonstrationem, exemplum nobis reliquens, quod ex bonis operibus non debemus nostram gloriam quærere aut ostentationē, sed solum Dei honorem, & cū propheta orare : Nō nobis domine nō nobis, sed nomini tuo da gloriam D. Cyril. super Ioan. li. 7. cap. 23.

Lazare veni foras. Tunc tartarus ligatis manibus & pedibus Lazarum retulit ad superna, timēs & tremens ne dum soluit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert vnum, omnes cogeretur afferre : sic factus est viuorum relator, qui raptor esse consueuerat mortuorum. Chrysolo. sermone. 65.

Voce magna clamauit. Hanc diuinæ virtutis vocem audiuit terra, audiuit cælum, audierunt inferi manes, audiuit etiam surdissima & inexorabilis mors, & tantæ vocis tonitru perterrefacta, præcipienti paruit, & depositum quod seruandum acceperat, reddidit. Adhuc teter cadaueris fætor in naribus astantium erat, cum ad hanc vocem vident (mirabile dictu) rediuiuum corpus attolli, & in sublime à terra erigi, cui nec mors, ne vincula quibus ligatum erat, impedimento fuere, quo minus è tumulo prodiret, & coram astantibus ambularet. Itaque inferi animam, terra corpus, mors vtrumque restituit.

Facies eius sudario erat ligata. Hic potest significari peccator qui iam tandem propter lōgam peccandi consuetudinem frontem perfricuit, & citra vllam verecundiam procacissime fertur per omnia vitiorum genera. Si voles ergo de verecundia, quæ custos virtutum est, hic aliqua disserere consule Bern. super Canti. sermo. 86. & incipit, Non est

est quod à me verbum.

Vide de eodem argumento Vincen. Belluacen. specu. doctri. lib. 4. cap. 91.

Quod plerique in bonis operibus exhibendis, verecundiam nescio quam habere videantur. Vide Vincen. Bell. spe. mora. lib. 3. par. 3. dist. 18.

Commendatur nobis maxime verecundia ipsa virtutum omnium custos, ab Ambro. lib. 1. Offi. cap. 18.

Super illa veba. Lazare veni foras, habes multa apud Ambro. In lib. de fide resurrectionis circa medium libri.

Dixit eis Iesus : soluite eum, & sinite abire. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durū quippe est vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ. Et plerúmque contingit vi hic iudicij locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Ac proinde sæpe agitur vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat : sæpe in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, nō autem causarum merita sequitur. Vnde fit vt ipsa ac ligandi & soluendi potestate se priuet : qui hanc pro suis voluntatibus & non pro subiectorum moribus exercet. Sæpe fit vt erga quemlibet proximum odio vel gratia moueatur pastor. Iudicare autē de subditis digne nequeunt, qui in subditorū causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Vnde recte per prophetam dicitur, Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morietem quippe mortificat, qui iustum damnat. Et non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpā : vt quos omnipotēs Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur iudicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quę videlicet demonstrat quia prius dominus mortuum vocauit & viuificauit, dicens, Lazare veni foras ; & postmodum is qui viuens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est ; cúmque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis suis : soluite eum, & sinite abire. Ecce illum discipuli iam viuentem soluunt, quem magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerant, fætorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem autoritatem soluere, quos autorem nostrum cognouimus per suscitantem gratiam viuificare. Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis, in ipsa iam cognoscitur confessione peccati. Vnde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuisce, sed veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foras ; acsi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intra conscientiam abscondis ? foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator : venientem vero foras soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit. Vide D. Grego. super Euange. ho. 26.

Soluite eum &c. Solicite quidem curare debet qui soluit & ligat, vt norit qua ratione soluere & ligare debeat, quemadmodum monetur & in 4. Concil. Tole. tempore Honorij 1. celebrato 181. cap. 24. quod ita habet : Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei cui tanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt ? Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter, admonet. Paul, dicens, Attende lectioni & exhortationi. Sciant ergo sacerdotes scripturas sanctas, & canones meditentur : omne opus eorum in prædicatione diuina & doctrina consistat, atque ædificet cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Soluite &c. Quod his verbis significatur quædam potestas quam Christus dedit sacerdotibus ad peccatorem absoluendum ; vide D. August. lib. de vera & falsa pœniten. cap. 10. tom. 4.

Multi ergo ex Iudæis qui venerāt ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt eum. De tribus mortuis quos suscitauit dominus, vide Hugo. de S. Victo. lib. 4. Allego. in Euange. secundum Lucam capit 10. tom. 1.

Vide D. August. de tempore sermo. 104. vbi agit de hoc Lazari miraculo, circa medium to. 10.

Consule D. Anton. 1. part. histo. titul. 5. cap. 1. §. 21.

De Lazaro suscitato vide Ambro. lib. 2. de potentia cap. 7.

Si lubet videre miram quandam allegoriam super resurrectione Lazari, vide August. li. 83. quæst. q. 65. to. 4.

De Lazaro suscitato homi. habet Chrysosto. quæ quinta est in ordine post commentarios super Ioan. to. 3.

Sabbatho post quartam Dominicam Quadragesimæ.

DICEBAT *Iesus turbis Iudæorum, ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ioan. 8.* In hac via præsentis vitæ difficili, salebrosa, & aspera, mille occurrunt pericula, discrimina mille, quæ impedimento plerúmque sunt nobis, ne optatam nostri callis contingamus metam ; sed alio nos diuertunt & deducunt in perditionem. O mitto diuerticula in quæ facile ferimur, à via plena & regia declinantes ad dextram aut sinistram. Prætereo latronum insidias, & obsidētium omnes viæ nostræ partes, & in exitium nostrum toto annixu conspirantium. Itaque summopere opus est nobis ad peragrandam huius nostræ peregrinationis semitam, recto duce & bono, qui & viæ non sit ignarus, & libens velit nos omnibus his exemptos periculis, incolumes ad cōstitutam nobis ciuitatem perducere. Verum quod multis optandū nobis esset votis, & ingenti labore perquirendū, vltro nobis offertur. Ecce Christus se nobis ducem prompte & alacriter exhibet, vtque ipsum sequamur dulciter inuitat : quinimo quanta ipsum sequentibus ducem proueniant commoda, declarat dicens. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. De malis quidem & peruersis dictum est in Psalm. Nesciuerunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant ; ignorantiæ videlicet & vitiorum. Et quanti hoc sit periculi atque detrimenti, in Euangelio Christus nobis testatur, cum ait. Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Et si quis ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Tantum autem incommodum

modum euitat, quisquis Christum sibi ducem constituit: nam qui illum sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet mandata ipsius tanquam ardentem faculam viæ suæ indicem, & cum prophe ta Deo lætus concinit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Consequetur etiam ex assiduo Christi consectatu lumen vitæ quod interius animam illuminans, perducet illam tandem ad lucidam viuorum regionem. Et cum lumen vitæ promittit dominus habituru illum qui ipsum secutus fuerit, non de lumine isto corporeis spectando oculis verba facit, neque de vita hac corporali, sed de spirituali solum lumine & vita cælesti atque perpetua loquitur: quinimo hisce verbis seipsum pollicetur asseclis suis & sectatoribus, qui est lumen vitæ, sicut & fons vitæ, & panis vitæ; imo autor vitæ, vitam suis largiens æternam. Sequamur igitur indefesse Christum ducem, vt tantis ab eo bonis locupletemur. Diuus Cyrillus super Ioannem lib. 5. cap. 18.

Non ambulat in tenebris. Ignorantiæ, quia ego sum veritas: nec culpæ, quia ego sum via, neque damnationis æternæ, quia ego sum vita. Dicit autem, qui sequitur, quia sicut quicunque non vult errare in tenebris, oportet vt sequatur eum qui lumen portat, ita quicunque vult saluari, oportet quod sequatur Christum qui est lux, credendo & amãdo, & sic Apostoli secuti sunt eum Matthæ. 4. D. Thom. super Ioan. 8. lect. 2.

Ego sum lux mundi. Non vtique visibilis, sed animarum quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo; quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ, & vt prædicatur in Euange. incorporeæ virtutis inflammans vapore secreta mentium, animorúmque penetralia. D. Ambro. lib. 3. epist. epis. 11. circa finem.

Qui sequitur me. Sequitur autẽ Christum q insistit mandatis eius, qui per viam doctrinæ eius ambulat, qui per vestigia & per vias eius currit, qui imitatur illa quæ Christus fecit & docuit: sicut Aposto. Petrus suader & præcipit, dicens. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Vide D. Chrysost. de eruditione disciplinæ homi. 7. inter initium & medium to. 5.

Ego sum lux mundi. Consule D. Thom. 2. senten. dist. 13. ar. 2. &. 3.

Antequam filius Dei fieret homo, omnia erant in tenebris, & quousque tandem splendidissimi radii de pulcherrima aurora sacratissima virgine egrederentur, omnia in tenebris densissimis caliginéque versabantur, & quidem in paucis admodum, perexigua etiam lux elucebat. Vide D. Bernar. super Cantic. sermo. 33.

Qui sequitur me. Nisi Christum sequamur rectam tenere viam non possumus. Vnde Psalm. 142. spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. & Psal. 118. deduc me domine in semitam mandatorum tuorum. Christus ergo nos deducere debet, & eũ sequi debemus, si nolumus aberrare. Quod etiam significabat olim columna illa ignis, quæ per noctem illuminabat filios Israël, eisque viam præmonstrabat. Hinc & Moyses dicebat, si non tuipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Et Esa. 52. dicitur, præcedet vos dominus, & congregabit vos. Vide Hecto. Pin. 50. super Ezechi. 13.

Christum perpetuo sequi debemus, adeo vt neque diuitiæ, neque cupiditates nostræ, nec mundani honores, aut quicquam præterea, nos impedire valeat quo minus eius vestigiis iugiter insistamus. Res siquidem istæ mundanæ viles ac perexiguæ, multos sæpe vsque adeo remorantur, vt eisdem sponte sua Christi viam intercludãt. Et quemadmodum pisciculus quidam marinus eius est quasi proprietatis & ingenij, vt prodiderunt Plinius etiam nauem plenis sinibus nauigantem, non minus remorari soleat & obfirmare, quam si pluribus anchoris funibúsque constringereturitia in plerisque accidit vt perexiguæ vilissimæque res mundanæ eorundem retardent cursum cœlestémque nauigationem, qua quidem Christum sequentes, ad optatissimum felicitatis portum peruenire, & ardentissimis quidem votis, exoptant. Quod quidem olim deplorabat propheta, dicens. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt dominũ, blasphemauerũt sanctum Israël abalienati sunt retrorsum. Cæterum perfacile nobis fere apparet malum sequi, & perdifficile sectari bonum. vide enim quanta hominum multitudo Absalon sequeretur, & quam pauci ipsum Dauidem &c. Vide Hecto. Pin. super Echechie. 1.

Concionator quidem vel maxime est, qui homines ipsos vt Christum sequatur instruere debet, qui perditos & à via veritatis deerrantes, erudire debet qua sit flectendum, quæ via tenenda, ne omnino hallucinentur, & intereant. Quocirca reprehendendi sunt illi maxime, qui concionem negligunt audire, quique præmonstrantem concionatorem iter, omnino à se repellunt: præsertim cum non soleamus iter facientes atque in biuiis hæsitantes, negligere infimi etiam pastoris monita ac documenta, quanto igitur magis complecti debemus oracula pastoris hominum, in tam variis præsertim vitæ nostræ biuiis, in quibus longe periculosius erratur? Hęc poteris tuipse fusius protendere.

Christum sequere, mundanos honores sperne, cupiditates reiice, diuitiis noli cor apponere, quæ inconstantes sunt, & quasi hyemalis quædam serenitas mutabiles: ceu maris tranquillitas instabiles, tanquam luna ipsa flexibiles siue quid aliud habeas his omnibus longe mobilius. Si ergo tantam patiuntur opes ac diuitiæ mutabilitatem, quid de illo animo sentiendum erit, qui eisdem adhæserit, & se ipsum quasi mancipauerit?

Ego sum lux mundi &c. Quemadmodum lux hæc corporea grata illa quidem est, & iucunda oculis: ita nil plane Deo ipso gratius, nil eius amore iucundius, & amabilius, fingi excogitarique potest. Quid igitur tantopere obdormimus? cur diuino amore penitus non inflammamur? certe quantum coniicio, hoc ex eo fit, quod minus Dei contemplationi inuigilemus, minus eius cognitioni studeamus. Hinc, hinc inquam fit, vt propter tantam ignorationem, minus Deum qui lux est mundi, diligamus, & quia eum non diligimus, neque etiam sequamur. Hic igitur si velis paulo copiosius in Dei dilectionem excurrere, vt homines ad eam succendas & inflammes, nonnulla tibi deserebam.

De dilectione Dei sermonem quendam compositit diuinus ille Bernar. circa medium operum, & incipit, Nolite diligere mundum.

Quendam idem Bernard. satis copiosum tractatũ de diligendo Deo conscripsit, circa finem operum, & incipit, vultis ergo à me audire.

De amore Dei consule eundem super Can. sermo. 7. 20. & 79. & 83.

Quam excellenter se intus exerceat, qui diuini amoris succensus est flamma, consule Laurent. Iust. lib. de triumpha. Christi agone cap. 27. circa medium

medium operum.

Deum incessanter amemus, & quo eum magis amabimus, eo magis in eius amorem accendemur: præsertim cum etiam videamus in mundanarum diuitiarum amatoribus, quod quo pluribus abundant diuitiis, eo ardentius eas sitiant. Vide eũdem lib. de obedientia cap. 21. circa finem operum.

Quendam composuit sermo. D. Chrysosto. qui inscribitur de amore Dei, inter initium ac medium to. 5.

Quemadmodum nauigandi acus recta semper polum ipsum contueri solet, atque ipsi nautæ eiusce modi gubernaculo ac regimine, nauigationem suam moderantur: ita plane & vitam nostram præclare instituamus, vt cogitationes, dicta & facta moderemur, Dei semper amorem tanquam polum quendam nobis ante oculos proponamus necesse est.

Sicut pulli ipsi tandiu securi sunt, quandiu matris alis fouentur, vel ei proxime adhærent, tunc enim nullos reformidant rapacis milui incursus, neque irremeabiles timẽt errores: at vero si à matre paulo longius euagentur, tunc quidem in maximo versantur periculo, ne scilicet à circunuolante miluo abripiantur: ita qui à Dei amore non recedunt, sed idem potius semper inhærent, Christi que vestigia sequuntur, liberi quidem sunt à rapacitate & laqueis hostis antiqui: sin autem à Deo per vitæ peruersitatem ac scelerum atrocitatem elongentur, vsque adeo periclitantur, vt inter eos & infernum ipsum, solus interesse videatur incertissimæ fragilisque vitæ murus.

Si graue centrum petit, & leue supernum locũ; si auis aerem concupiscit, si pisces aquã quod hæc scilicet sint commodissima singulorum loca. Quid nos tantopere torpemus, vt Deum ipsum nõ quęramus, vt eius vestigia non sequamur, vt eum feruentissime non diligamus? Est enim in eo noster conseruatiuus locus, est in eo nostrum firmissimũ præsidium, quo ab impugnationibus multis ac magnis infensissimorum hostium, dæmonis, mũdi, carnisque, defendimur & vindicamur.

Qui sequitur me &c. Inter cætera vitia quæ nos impediunt quo minus Christum sequamur, vnũ est cæca auaritia, quod maxime vulgo viget: hanc igitur si velis hoc loco detestari, aliqua insinuabo loca.

De auaritia vide D. Ambro. in lib. qui inscribitur opus sermonum, sermo. 60. in fine tomi. 3.

De auaritia cõsule D. August. de tempo. sermo. 196. inter medium ac finem to. 10.

De eadem consule eundem D. Augusti. ad fratres in eremo sermo. 62. iuxta finem tomi. 10.

De eodem vitio multa habes apud D. Anto. 2. p. Theolo. titu. 1. cap. 1. 2.

Consule eũdem 1. par. histo. titu. quinto cap. 3.

De auaritia lege Vincen. Belluacẽ. Specu. mora. lib. 3. p. 7. dist. 1. & 2.

Quid senserint philosophi & poetæ, lege eundem spe. doctri. lib. 4. cap. 144. 145. 146. & 147.

Contra auaritiam consule etiam Senecam lib. 10. epis. epis. 74. circa medium.

Nulla auaritia sine pœna est, quamuis satis sit ipsa pœnarum. ô quantum lachrymarum, ô quantum laborum, exigit! Adiice quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Maiori tormento pecunia possidetur, quam quæritur. At felicem illum hominem & diuitem vocant. Vtinam qui diuitias appetituri essent, cum diuitibus deliberarent: profecto vota mutassent &c. Vide Senecam lib. 21. epis. 116. iuxta finem.

Insaturabile vitium est auaritia: qui multũ habet, plus cupit; quod est argumentum nondum illum satis habere: nunquam parum est, quod satis est &c. vide eundem lib. eodem epis. 120. circa medium.

O quantum studẽt homines omnia possidere, quanta solicitudine ac diligentia congregant, accumulant, recondunt, totum percurrentes orbem auaritiæ causa. Non vultis cogitare quam patua vobis corpora sint? nonne furor & vltimus mentium error est, cum tam exiguum capias, cupere multum? licet itaque augeatis cẽsus, promoueatis fines, nunquam tamen corpora vestra laxabitis; non habebitis vbi istos apparatus vestros collocetis &c. vide Senecã lib. de Consola. ad Albinam matrem cap. 10.

Quod auaritia sit maxima quædam generis humani pestis, lege eundem eodem lib. cap. 13.

Animus auari inexplebilis est, vnde Plato & Architas Tarenti. cõparant auarum clepsydræ seu vasi inferiori parte cõstanti variis foraminibus, in in quod quãtumcumque copiosam aquam infundas, nunquam tamẽ impletur. Et quemadmodum si in vase rotundo & orbiculari apponãtur res alterius figuræ, aliqui remanere perpetuo consueuerunt inanes sinus & anguli: ita quantacumque pecunia in auari marsupium immittatur, nunquam tamen eius animus satiari potest, sed alias semper atque alias desiderat opes.

Auari crumena quasi sepultura quędam est bonorum pauperum, semper enim eorum bonis inhiat: atque ita cum ibi habeat thesaurum suũ, habet etiam voluntatem omnem & cor defixum. Et sicut terra auri productiua, rebus aliis infæcunda est & sterilis: ita cor auari diuitiis tantum terrenis inhians, in virtutum ferendis fructibus infæcũdissimum est.

Quid quæso congregas auare? quid accumulas, atque recondis, cum breuissima tellus te maneat in sepulturam? cum non longo ab hinc tẽpore humandus sis, & breui tumulo contegendus? Quid igitur iam tandem non desistis à tam inexplebili auaritiæ siti, vt terram possis promissionis ingredi? Olim quidem filij Ruben nimis dediti pecoribus nutriendis atque pascendis erant, quæ quidẽ eis poterant impedire terræ promissionis ingressum: ita auari nil aliud assidue petunt, postulant, flagitãt, quam cumulum atque amplitudinem pecorum & diuitiarum, atque ita quasi dicere vidẽtur, nolumus in terram promissionis, hoc est patriam cælestem, ingredi atque intrare.

Sicut nauem quæ nimiũ onerata est, ingruente tẽpestate, ne homines ipsi pereant; exonerare diuitiis mercibusque nautę solent, vt mercium potius, quam hominum iactura fiat: ad eundem modum auari ipsi diuites ne suis fortasse contractibus illicitis, negotiationibusque iniustis, in barathrum sempiternum demergãtur, pecunias suas iuste distribuãt necesse est, & pauperibus ipsis etiam erogent oportet: quo proiectis tandem mercibus hac tanta commoditate, ipsi salui & incolumes ad securissimum beatitudinis portum enatare possint ac valeant.

Sicut fragmentum alicuius metalli si integrum in vas aliquod & minime liquefactum immittatur, tametsi vas ipsum variis rimulis dehiscat, ibi tamẽ semper persistit; at si liquefiat, huc statim illucq; diffũditur & procurrit: ita plane auari ipsius

diuitiæ, quamdiu peccati glacie animum congelatũ quasi habet, minus in pauperes ipsos diffunduntur; si autem auaritia extirpata, charitatis igne liquefiat, subito quidem diuitias, suas pauperibus erogat, bonaque omnia communia eisdem facit.

Qui sequitur me. Deum sequi debemus, & is quærendus est debito tempore, modo, & loco: vide Bernar. super Canti. sermo. 75. & incipit, in lectulo meo.

Deum sequamur, & quæramus: is siquidẽ nobis statim obuiam fiet, animumque addet vt seipsum diligamus: vide eundem ser. 84. super Can. & incipit, in lectulo meo.

Si salutis nostræ studiosi sumus, Christum quidem sequemur: vide D. Bernar. de gemitibus animæ suspirantis ad cælestẽ patriam, qui est sermo. 59. super Cant. & incipit, vox turturis.

Deum non sequi quam perniciosum sit, Osee 7. D. væ eis quoniam recesserunt à me.

Incommodissimum quidem est Deum non sequi, Osee 9. C. sed & væ eis cum recessero ab eis.

Non sequuntur impij Deum verum, cum tamẽ idololatræ falsos deos suos sequantur & reuereãtur: Iere. 2. C. transite ad insulas & videte.

Peruersissimum quidem est, Deum ipsum non sequi, propter cupiditatem rerum temporalium. Iere. 2. C. obstupescite cæli super hoc. & D. quare ergo factus est in prædam.

Quantum incommodet Deũ non sequi 2. Parali. 28. A. tradiditque eum dominus.

Derelinquunt homines viam veritatis & Christi, & sequuntur res mundanas vanas ac ludicras. Dequarum vanitate & inanitate, pauca subiiciã.

Vide cui tandem rei cõparentur res mundanæ, vt inde intelligas earundem inanitatem. Esa. 59. A. B. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.

Vanitates sectari mundanas, turpissimum est. Prouer. 1. C. Vsquequo paruuli.

Ridiculum plane est res mundanas sectari Ecclesiastici 40. B. & 41. B. Omnia enim quæ de terra sunt.

Quantæ leuitatis sit res mundanas consectari, Ecclesiastes 1. C. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole.

Nil tanti facere debemus, vt eo allecti Deum derelinquamus: neque enim potuerunt mugitus natorum impedire, quominus vaccę per rectũ iter arcam Dei portarent 1. Reg. 6.

Qui sequitur me. Maxime homines multi sequũtur terrenos reges, & eorundem aulas frequẽtant, negligentes interim præcepta Dei. Quod non ita præstabat Berzellai cùm rogaretur à Dauide vt in aula regia apud se maneret, sed potius id facere recusauit 2. Regum. 19.

Monet Deus homines per Zachariam, vt se sequantur, & conuertantur à via mala, diligẽterque considerent quam citissime prætereant & præteruolent res mundanæ, & quod nõ minus cito ætas nostra, quam maiorum nostrorum auolabit. Vide Zacha. 1.

Non debemus sectari res mundanas, & peccatores homines; vanissimi enim sunt, & tanquã fumus quidam, aut etiam stercus. Vide 1. Macha. 2.

Omnes quidem expetunt ardenterque desiderant, vt salutares habeant euentus res suæ familiares, & itinera sua. Vnde Esdras & principes qui cũ eo ituri erant, se ieiuniis & orationibus muniebãt & præparabant, vt Deus eisdem felicissimum iter annueret, vt constat 1. Esdræ 8. Multo ergo magis Christum sequendo nos debemus præparare, vt recta in cælum ipsum, quod expetimus, proficiscamur.

Super illa verba, Qui sequitur me, amplissima quidem sese tibi offeret dicendi & digrediendi seges, si voles paulo fusius persequi, quod homines consueuerunt derelicto Deo, sequi vitiorum varia genera: alij enim auaritiam sequuntur, alij vindictam propriam, alij luxuriam, & ita in cæteris: atq; hoc modo per singula horum excurrẽdo, vel illud dumtaxat vitiũ dissuadendo & detestando, cui auditores tuos deditos magis videris, poteris quam diutissime perutiliterque commorari.

Videbis etiam Concordantias, & multa reperies accommodatissima, verbo derelinquere, derelinquens, & similibus.

Qui sequitur me. Cum his ambulato, cum quibus cõspectus non mutes colorem, inquit Hippocratides. Periãder etiam dixit, à vitiis abstine. Menander, à rebus malis manum liberam habe. Chilon, fuge turpia. Bias, in speculo teipsum contemplare, & si formosus apparebis, ages que deceant formam: sin deformis, quod in facie minus est, id morũ pensato pulchritudine. Xenophanes, meticulosus esto, sed aduersus in honesta. Euripides, morbum morbo ne addito. Pythagoras, quæ vncis sunt vnguibus, ne nutrias. Theophrastus, reuerere teipsum, & non erubescas corã aliis. Horatius, teipsum discute, cum tibi quid vitiorum inseuerit consuetudo: nãque neglectis vrenda filix innascitur agris. Socrates, voluptates omnes veluti sirenes fuge. Claudianus, Tu licet extremos late dominere per Indos: te Medus, te mollis Arabs, te Ceres adorent: si metuis, si praua cupis, si accenderis ira, seruitij patiere iugum, tolerabis magnas interius leges. Tunc omnia iura tenebis, cum poteris rex esse tui.

Dixerunt ergo Pharisæi: tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Quasi dicant, ex hoc ipso quod tu de teipso testificaris, testimonium tuum nõ est verum. In hominibus enim nec acceptum nec cõgruum est, quod homo se laudet, Prouer. 27. laudet te alienus, & non os tuum: quia non commendabilis redditur, sed si à Deo commendatur. 2. Cor. 10. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commẽdat; quia solus Deus perfecte eum cognoscit. Deũ autem nullus potest sufficienter commendare, nisi ipse seipsum, & ideo oportet quod ipse de seipso testificetur, & etiam de hominibus. Iob 16. Ecce in cælo testis meus. Et ideo Iudæi decipiebantur. D. Tho. super Ioan. 8. lect. 2.

Respondit Iesus & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni, & quo vado: vos autem nescitis vnde veniã, aut quo vadã. Nesciebant quidem isti perfidi & obstinati Phatisæi, vnde veniret aut quo tẽderet Christus dominus: viam eius ignorabant, quia eum nõ diligebant, sed mortem potius eidem intentabãt. Cum tamen tantus perpetuo existat Dei in nos amor, & præsertim seorsum quodammodo in Iudæos ipsos maximus esset, vt omnem quidem matris cuiusuis amorem in natos suos quam longissime superet & euincat. Aduerte enim quid per Esaiam dicat dominus: nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum &c.

Considera porro homo, quid clamet Deus per Hieremi. 3. E. Conuertimini filij &c. & F. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum.

Sed ad quem fideliorem poteris amicum accedere, quam ad Deum? qui populum suũ de Aegyto contra

contra crudelissimi Pharaonis volũtatem, gloriosissime eduxit, & in terram lacte melleque manãtem introduxit.

Quemnam tui studiosiorem, fortiorẽque ducẽ ipso Deo, poteris deligere? qui quidem assumpto infimæ sortis homine, frumentaque purgante Gedeone, populum suum à Madianitis & Amalechitis felicissime vindicauit, atque ea ratione potentatus omnes humanos, humanasque vires, prostrauit, enerauit, confudit.

Cuinam quæso potentiori, res tuas committere poteris, quam ei qui & infimum mira facilitate de puluere subleuat, & diuitem de summa dignitate non minori facilitate etiam deturbat, deiicit, percellit, prosternit? Etenim ad Dei dumtaxat imperium, imo ad imperium Elisei ex mandato Dei, filius quidam prophetarum adolescentem illum Iehu de medio fratrum eductum, ad regni solium euexit, qui rex vnctus, tantum assumpsit roboris, vt reges duos, Israel videlicet regem, & Iuda, expugnauerit, & interfecerit.

Errat quidẽ miserabiliter, vagatur, dissoluitur, profligatur, quicunque se à Dei amicitia amoreq; disiungit. Quod in Saulis fluctuationibus postquã se à Deo disiunxit, expressum quidem videmus. Furebat enim, hallucinabatur, debacchabatur, cõtra Dauidem præsertim, quemadmodum scribitur 1. Reg. 18.

Sed quis audeat se à Dei amicitia disiungere? cum præsertim tam benigno tamque dulcissimo affectu nobiscum loquatur per Zachariã prophetam cap. 10. C. dicens: sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos.

Non in mũdo veras ac sempiternas quæramus amicitias, sed in Christo potius. Vide enim quid dicat Abdias cap. 1. C. Qui comedunt tecum, ponẽt insidias subter te. & Michæas cap. 7. A. B. Omnes in sanguine insidiantur. Queritur etiam Iob cap. 6. Dicẽs, necessarij mei recesserũt à me. & cap. 19. C. Dereliquerunt me propinqui mei.

Quænam sit vera amicitia, & quantum referat amicum habere maturi consilij atque prudentem, leges etiam Senecã lib. 4. epist. epist. 35. initio.

Si bonum est ac iustũ, vel eodem Seneca teste, lib. 8. epist. epist. 64. circa medium, vt bonis amicis oblectemur, eosdemque quam diligentissime conseruemus, siquidẽ ignoramus quanto nobiscũ tempore perdurabunt: quãto melius ac iustius est vt Dei ipsius tam fidelissimi amici, amicitiam diligentissime conseruemus? quippe quæ, si nos modo volumus, sempiterna est futura & immortalis.

Non debemus neglecta Dei amicitia, mundanas quærere amicitias: quæ quidem fallaces sunt, & ocyus ipsis hirundinibus à nobis præteruolant, & sæpe in mediis calamitatum procellis deserunt ac derelinquunt. Vide enim quid referat Iustinus lib. 22. de Carthaginiensibus, qui fortuna afflante & matre, omnes propemodum nationes sibi societate deuinxerant, at vbi cæpit reflare fortuna, & nouerca fieri, idem certe eis accidit, quod quotidie nobis accidere videmus, nimirũ vt omniũ ope & auxilio destituerentur.

Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam, & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Quasi dicat, ego vniuersorum redemptio, ego peccatorum remissio: non iudico, qui libenter indulgeo: ego nõ iudico, qui sanguine meo redimo peccatores: ego non iudico, qui deleo iniquitates, & memor non ero: ego non iudico, qui malo vitam quam mortem peccatoris: ego non iudico, quia non damno, sed iustifico peccatores. D. Ambro. lib. 5. epist. epist. 20. in fine.

Vos secundum carnem iudicatis. Noli vnquam leui statim de causa aliquem iudicare & condemnare, sæpe enim humanum fallitur iudicium, insontem interdum damno virum, & eum qui quamuis hodie malus sit, crastina tamẽ die bonus erit. In Ecclesiastico enim dicitur, facile est in oculis domini subito honestare pauperem. Et rursum, à mane vsque ad vesperã immutabitur tempus. Teipsum igitur iudica potius & damna, non autẽ alios, ignoras si quidem quid de illis dominus facturus sit. Quod si proximi tui opus non potetis fortasse excusare, intentionem interim excusabis, quæ recta esse potuit: vel dices per ignorantiam eũ, seu fragilitatem, non per malitiam lapsum esse quod si nulla ex his ratione eum poteris à peccato excusare, tecum cogitare debebis illum grauissime à dæmone tentatum forte fuisse, & quod si tu tam graui tentatione expugnatus fuisses, deterior fortasse extitisses. A postoli item dictum memoria semper volues, Qui stat, videat ne cadat. Si enim elatus in superbiam, seueriissimus iudex aduersus fratrem tuum fueris atque iniquus, permittet fortasse Deus, vt in illud peccatum incidas de quo alterum condemnas, vt vel sic iniquitatis tuæ & insaniæ pœnas luas. Vide enim quid contigerit vel etiam ipsi Petro, qui cum plus quam de cæteris, de se quodammodo præsumere videretur dominum negauit. Cæterum quemadmodum oculus omnia circumcirca respicit, seipsum tamẽ non cõtuetur: eodem modo illis contingit quos nimia tenet solicitudo aliorum vitas & facta perscrutãdi, & suis interim supersedendi ac eã dissimulandi, vt scilicet minus seipsos contueantur, atque defectus suos explorent, sed quouis talpa cæci magis certe sint. Et sicut qui debili sunt aspectu, sæpius libentiusq; conspiciliis vtuntur, quam speculo, quoniam speculum inspicienti ipsius formam & lineamenta multo explicatiora & viuidiora reddit, conspicilia vero non referunt ipsum inspicientem, sed alia omnia clarius videri faciunt: ita propemodũ euenit illis qui charitatis luce carent, ea enim solicitudine aliena rimãtur vitia, vt alios nouis quodammodo oculis intueri videantur, se autem nullis: proprio enim excæcati amore, speculum ipsum respuũt, hoc est seipsos nõ contuentur. Vnde & sapienter quidem antiqui Philosophi dixerunt quẽuis hominem duas humeris gestare manticas, in quarum posteriore sua, in anteriore vero aliena, portaret vitia. Quod præclare etiam Poëta quidam expressit his verbis: vt nemo in sese tentat descendere, nemo; sed præcedenti spectatur mantica tergo. Aliena etiam vitia in crystallino intuemur speculo; cuius natura est omnia maiora quam sint facere; nostra vero in vitreo, quod rerum etiam magnarum, paruam quandam repræsentat imaginem. Idem præterea euenire plerisque solet, quod iis qui eminus oppidum aliquod cõtuentur, visu venit: nam vt illis apparet oppidum ipsum paruum, quamuis amplissimum sit: ita arde lionibus, & hominibus qui aliena curiosè perscrutãtur, sua vero parum curant, propria delicta atrocissima & maxima, minima apparent, aliorũ vero vel minima facinora intolerabilia iudicãtur, quia scilicet in propriis delictis interpositum est ingens illud interuallum amoris proprij. Cæterum præcipiebat in lege veteri Deus, vt sacerdos coram speculo quod in sanctuario appensum erat ornaretur, ne fortasse quid indecorum aut ineptũ

in ornatu ipso esset: ità & tu si vis exacte tui cultum speculari animi, indue tertiam quandam personam, eisdem ac tu moribus instructam, & tunc quidem quasi in speculo quodam, poteris te exactissime componere, ipsi Deo placiturus animæ tuæ sponso: nam ita demum quæ reprehensione digna duces, tibi ipsi imputabis. Moses quidem manu sua virgam tenens quandiu eam tenebat, virgam esse iudicabat: simulatque vero eam deponebat, in anguem conuersam statim videbat: ad eundem plane modum se habent erga autorem suum vitia, siquidem quamdiu ea penes nos morari sinimus, placida esse videntur ac blandientia, sin autē à nobis propellantur, & in propria appareant figura, sæua quidem iudicantur ac venenosa. Vnde cum Nathan ex Dei præcepto in tertia quadā persona parabolice Dauidis vitium depinxisset: Dauid statim, qui in propria causa illud minus cōcernebat, exclamauit: Viuit dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc: non potuit enim magnitudo criminis in tertia persona depicta, aliquo modo occultari.

Vos secundum carnem iudicatis. Neminem quantumcunque peccatorem, statim condemnemus ac contemnamus: fieri enim potest vt qui hodie peccator est, cras sanctissimus euadat. Quis enim quæso quōdam Paulum vidit, tantum scilicet Ecclesiæ aduersarium, qui eum iudicaret talē esse futurum vt electionis vas & sanctitatis merito nuncuparetur? Quis obsecro eum cuius vita rapinis fœdissimisque latrociniis consumpta fere fuit, ad eam aliquando viuendi conditionem peruenturū putasset, vt tantam felicitatem ex Christi oraculo consequeretur? Quis olim putasset mulierem illam peccatricem, in Dei Ecclesia & futuram & vocādam ad memoriam sempiternam, totius exemplar sanctitatis, speculum pœnitentiæ, errātiumque ipsorum splendidissimum quoddam lumen?

Super illa verba, Ego non iudico quenquam, consule D. Tho. 1.p.q.42. ar.6. ad 2.& contra gen. lib.4.cap.8.

Iudicium meum verum est. Vide eundem 1.p.q.16. ar.5.per totum. Et 1.2.q.3.ar.7.in cor.

Qui misit me pater. Vide supra feria 3.post 4.domini. Quadrag. annota. D. Tho. super similia verba.

Vos secundum carnem iudicātis. De aliis quidē censuram ferimus, nos vero minus diiudicamus. Ezechie. 12.A. Oculos habent ad videndum.

Alios temere iudicamus Iob 4.B. Vbi est timor tuus, fortitudo tua &c.

Quam malum sit aliū temere iudicare Iob 11. A. Nunquid qui multa loquitur &c.

Pessimum est alios temere iudicare Iob 34. A. Quis est vir vt est Iob &c.

Alium leuissime iudicare secundum quasdam apparentias exterioraque signa, magnus est error. Ecclesiastici 11.A. Non laudes virum. Item breuis in volatilibus apes.

Alium leuiter statim iudicare, ignorantia quędam est 1.Reg.1.C. Vsquequo ebria eris?

Iudicia temeraria valde noxia Acto.2.B. musto pleni sunt isti.

Multi falluntur temere alios iudicando Acto. 28.B. vtique homicida est homo hic.

Dementia quædam est aliū leui statim de causa iudicare. Matthæ.7.A. Quid autem vides festucam. Et 9.A hic blasphemat & 12. B. hic non eiicit dæmones &c.

Et in lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est: ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Super illa verba, in lege vestra scriptum est, cōsule D. Tho. 1.2.q.105.a.2.ad 8.& 2.2.q.7.ar.2.per totum. Et ad Heb.10.lect.3.in illa verba, duobus vel tribus testibus moritur.

Duorum hominum testimonium. Hic si voles agere poteris de toto testium genere, quales scilicet esse debeant.

Testes falsi Danie.13.D. cum deambularemus. Et 2.Reg.16.A. Remansit in Hierusalem.

Falsi testes quid faciant Matt.28.C. Illi accepta pecunia.

Duo falsi testes producti contra Naboth, eum iniuste lapidati fecerunt, quod blasphemasset mēdaciter asserentes.3. Reg.21. Vide etiam quid fecerint falsi testes contra beatum Stephanum, & contra Christum dominum.

Perpetuo quidem veritatis amator esse debet testis, & quiuis alius: & quamuis interdum liceat eam obtegere, nunquam tamen licium est mēriri. Vide quid dixerit Hieremiæ Sedechias quod dicturus esset, si forte principes peterent ab eo quid cum rege tractasset. Hiere.38.

Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Ignorabant isti patrem Christi, quia sciebant dæmonem patrem eorum, & eius familiaritati se totos permiserant, atque aliis huiusmodi tererrimis & diabolicis societatibus. Si vis ergo dissertere quanta diligentia ac solicitudine prauam societatem fugere debeamus, consule D. Basi. lib. Regu. breuiorum interroga.26.to.2.

Familiaritas si noxia videbitur, omnino fugiēda est, quāuis ea sit cū hominibus qui alias docti & quodāmodo prudentes appareāt. Vide D. Ambro. lib.2.offi.cap.12.& 13.

Quod multæ sint viæ ad noxias familiaritates declinandas, & Dei vestigia insequenda, consule Lauren. Iusti. lib. de obedi. cap.19. & 20. circa finē operum.

Attende quātum profit & valeat bonorū consuetudo & societas, quandoquidem si inter vrbes Sodomorum decem tantum viri boni reperti fuissent, vrbes illæ de cælo tactæ seu incendio cōflagratę non fuissent. Porro homines de Lais occisi sunt, quia non habebant societatem cum aliquo bono. Vide quantum profecerit ipsi Tobiæ Raphaelis societas. Tob.5. Occasione Danielis boni & prudentis, pepercit Nabuchodonosor ariolis & sapientibus Babylonis, vt pater Danie.2. propter societatem Pauli, omnes qui erāt vna in naui, fuerunt à naufragio liberati. Ditatus est Laban, propter consortium ipsius Iacob. Benedixit dominus domui Aegyptij, propter Ioseph. Propter Iosaphat bonū, impetrauit Eliseus aquā & alia, regi & exercitui malorum. Saul inter prophetas prophetabat. Homines Deū timētes in sua societate habere volebat Tobias. Quādiu Petrus cū discipulis fuit, bonus erat, at vero cū fuit Iudæis sociatus, Christū negauit. Paulus post suam cōuersionē, Apostolis se iungere volebat, quo melior semper redderetur.

Prauam societatem fugiamus, vel exemplo ipsius Abraham, qui noluit in Chaldæa commorari, quod ibi essent idololatræ. Gen.12. Noluit Iacob ambulare cum fratre malo, licet is placatus videretur, & signa dilectionis quodammodo præseferret. Gen,33. Hostes filiorum Israel voluerunt cum eis ædificare, sed ipsi bono vsi consilio, renuerunt. Cum irent cæteri ad falsa simulachra, Thobias fugiebat solus in Hierusalem ad templū domini, vitans illorum consortia. Dum Abraham extitit inter Chaldæos, non videtur aliquas cōsolationes

lationes habuisse, illis vero relictis, complures habuit. Iacob fugientem fratrem suum Esau: dominus multipliciter consolatus est. Propter habitationem cū Sodomitis, Loth ipse debellatus est, in captiuitatem redactus, & alia sustinuit mala. Idcirco præcepit Moyses populo recedere de tabernaculis impiorum, ne scilicet cum eisdem periret. Iosaphat parum abfuit quin periret, quod iter cū Ioram filio Achab fecerit in prælium. Homo Dei dixit ad Amasiam, quod debellaretur si iret cum Israel, qui tunc erat malus. Quando Iudas Machabæus sociatus est cum Romanis, tunc quidem debellatus fuit. Amicitia quam habuit Amnon cum Ionadab, visa est ei dedisse quodammodo occasionem vt opprimeret Thamar sororem suam. Ozias fecit malum coram domino, quod esset socius scelerati Achab. Amicitia illa & mutua societas perueršissimorum senum, causa quædam fuit falsi criminis impositi ipsi Susannæ, subindéque mortis ipsorum.

Quemadmodū fundus aut hortus aliquis quātumcūque fertilis sit, optimis consitus arboribus & fœcundissimis, si non adhæreat fonti alicui, vel alio modo aliunde imbrem cōcipiat, sensim squalet, & deuastatur: ita tametsi aliquis bonus sit & candidis exornatus moribus, semper tamen optimis quibusque adhærescere debet, ne forte alicūde tandem corrumpi possit.

Quemadmodum planeta aliquis tametsi felicissimus videatur, si tamen cum aliis deterioris influentiæ concurrat, videtur etiam ipse corrumpi: sic plane quamuis aliquis probus sit & studiosus, si tamen malorū vtatur consuetudine, deterior tādem & improbus euadat necesse est, nisi maximā quandam Deo fuerit propitio firmitatem consecutus.

Respondit Iesus: neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. In hoc contendere animi nostri neruos omnes debemus, vt rerum diuinarum scientiæ contemplationique inuigilemus, vt Christum noscamus, & Christum sapiamus. Certe tametsi Iacob pro Lia septem seruierit annis, eius tamē scopus semper fuit pro formosissima Rachele famulari, per quam quidē cōtemplatio significatur, & in quam omnia nostra opera dirigere debemus, etiam si Lia, hoc est vita actiua, nobis detur, cum qua dumtaxat contenti esse non debemus, sed vlterius ad maiora quasi progredi, & Rachelem desiderare, opera nostra in contemplationem ipsam eleuando diuinam. Machabæi quidem manibus viriliter dimicabant, at corde dominum perpetuo inuocabant, atque ita ouantes victoriam de Nicanore cæteris que aduersariis reportarunt. Nos igitur tametsi corporis laboribus vndique immersi simus, quamuis victumque cultumque maximo conquiramus labore; at certe in mediis harum occupationū fluctibus, semper in corde cęlestē illam Hierusalem feramus, de patriáque superna noctes diesque meditemur. Nam sicut igne ipso tandē concocti cibi, salutares sapidissimique fiunt; ita hac assidua meditatione, hac vna rerum diuinarum contemplatione, calamitates nostræ occupationesque multiplices, quam suauissimæ redduntur, & leuissimæ apparent. Seruiuit quidem ipsi Labam Iacob pro Rachel multis annis, & videbātur ei pauci admodum præ amoris magnitudine. Filij item prophetarum exclamauerūt, mors in olla: at vero vbi primum medicinam fecit Eliseus, nil amaritudinis relictū est: sic plane labores & calamitates quibus hic vrgemur, adhibita rerum diuinarum meditatione, diuinoque amore interposito, quam dulcissimæ redduntur.

Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius. Super Episto. & Euange. duas habet conciones D. Antoni. initio 1.p. Theologa.

Vide eundem 1.par. histo. titu. 5. capit. 3. §. 9.

Super illa verba, nondum venerat hora eius, vide D. Tho. 3. p. q.46. ar.9. per totum & ar. 10. in cor.

Dominica in passione.

Dicebat Iesus turbis Iudæorum & principibus Sacerdotum: quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Ioan. 8. Sane si rerum naturam attendimus, omnia ex Deo sunt, quia ab eo ortum habent & existunt omnia. Si vero spiritualem generationem, qua filij Dei gignuntur, & ex Deo nascuntur: ij soli ex Deo nascuntur, qui fidem habent in eum & recte credūt. Et tales vtique verba audiunt, non solū auribus corporis, sed & mētis affectu & executione operis. Si quidem audire verba Dei, est præceptis illius quæ per scripturas loquitur, obedire: qui autem dumtaxat exteriorem sonum verborum Dei auribus percipiunt, sed ea neque menti infigunt neque ad opus accommodant, verba Dei audire dicendi non sunt, neque fructum aliquem salutis suæ referunt. Quemadmodū semen quod cecidit secus viam: & conculcatum est aut à volucribus cęli comestum, nullam attulit segetem aut frugem. Eam ob rem dominus cum viam salutis nobis ostenderet, inquit: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et Deiloquus Paulus ad Romanos scribens: non, inquit, auditores legis iusti sunt &c. Beatus quoq; Iacobus in Epist. sua. Estote ait, factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & nō factor, hic comparabitur viro considerāti vultum natiuitatis suæ in speculo: cōsiderauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, nō auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Quid enim prodest cibū corporis sumere, & vix bene receptū stomacho, per vomitum reiicere? verbum Dei cibus est animæ, quod si mentem subierit, & continuo obliuione deleatur, aut non compleatur opere, nō affert animæ salutem, quinimo grauiorem illi & duriorem parit damnationem. Nempe scienti bene agere, & non facienti, peccatum est illi; multoque melius erat veritatem non agnoscere, quam post ipsam agnitam retro conuerti. Quamobrem dominus terribiliter auribus nostris inclamat, seruus non sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit paucis: sciens autem voluntatem domini & non faciens, vapulabit plagis multis. Et de Iudæis loquens, quotidie verba eius, sed inutiliter, audientibus, ait. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Idcirco & hoc loco ex aduerso præcedentis proloquij, de Iudæis colligit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Audierūt quidem Iudæi aure exteriori verba domini, sed ea neque mentis penetrabilibus infixerunt, neque opere

exercere contenderunt; & eam ob causam verba Dei non audire hic dicũtur, neque ex Deo esse per fidem & imitationẽ, licet ab eo sint per naturam. D. Cyrillus super Ioannem lib. 6. cap. 8.

Si ipse verba Dei audit qui ex Deo est, & audire verba eius non potest quisquis ex illo non est: interroget se vnusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget vnde sit. Cælestem patriam desiderare veritas iubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena nõ appetere, propria largiri. Penset ergo apud se vnusquisque vestrum si hæc vox Dei in cordis eius aure cõualuit, & quia iam ex Deo sit agnoscit. Nam sunt nonnulli qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli qui libenter verba Dei suscipiunt, ita vt etiã in fletibus cõpungãtur, sed post lachrymarum tempus, ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui hæc exercere in opere contẽnunt. Vitam ergo vestram fratres charissimi ante mentis oculos reuocate, & alta considerationẽ pertimescite hoc quod ex ore veritatis sonat: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. D. Gregori. super Euãge. homi. 18.

Qui ex Deo est verba Dei audit. Gaudet vnusquisque si bona præclaraque gesta suorum audit: at si coram aliquo. Gallo, Vngarorum facta quis narret, nullam is fere attentionem præbebit, ita qui sunt de genere & prosapia Dei, quæ Dei sunt audire gaudent: at qui ex Deo non sunt, sed patrem diabolum habent, quales erant isti Pharisæi; hi nõ gaudent sermonibus Dei. Cæterum vnum ex præcipuis fere signis, quibus vtcumque deprehendi potest an quis prædestinatus sit, illud est; si gaudeat vel non gaudeat Dei audire verba.

Nos Ecclesia hactenus ad deflẽdam animę nostræ mortem per pœnitentiæ lamenta, & peccatorum confessionem, incitauit: nunc ad deflẽdam sponsi sui ac Saluatoris nostri mortem, quæ ex peccato quoque nostro originẽ duxit, incipit exhortari. Vnde præsens dies Dominica in Passione appellatur, quod ab eo Ecclesia vsque ad sacratissimum Paschatis diem, dominicę Passionis mysterium celebrer. Ad quod etiam sacri huius temporis ieiuniis, orationibus, & lachrymis, nos exerceri ac parari voluit; quo maiori pietate & religione tantum hoc mysterium recoleremus, & pro hoc inæstimabili beneficio meritas Redemptori nostro gratias ageremus. Itaque sicut medici ieiuniis, inedia, sanguinis effusione, ægrotantium corpora debilitant, priusquam ea pharmaca porrigant quibus omnis noxij humoris vis euacuãda est: ita plane Ecclesia voluit nos toto hoc Quadragesimalis pœnitentiæ tempore, ieiuniis & macerationẽ carnis præparare, vt dominicæ passionis mysterium digne celebremus, quo beneficio nihil ad animæ nostræ expiationem ac purgationem efficacius est, nilque potentius. Quid enim ait Bernar. tam efficax ad purgandam mentis aciem, quam vulnerum Christi sedula meditatio? Hinc colligere licet quo affectu, qua deuotione, quaque animi submissione atque mœstitia, hisce diebus incedere debeamus, in quibus acerbissimæ passionis domini miseriam recolimus. Vulgo dicitur, res incõmodas & aduersas quinam ficti & qui veri sint amici, indicare. Quod quidem mors præcipue amicorum ostendit, quæ veris amicis vel inuitis etiam & reluctãtibus, lachrymas excutit. Quisquis igitur verus Christi amicus est, in promptu posi-

tam habet occasionem, qua amicitiam suam doloris communione declaret: quod qui non facit, non video quo indicio charitatem suam erga illum ostendat, quando illo moriente & cruciatus acerbissimos sustinente, hic ridet, otiatur, & ludit. Cum caput dolore afficitur, cætera quoque membra condolent; & fundamento domus conuulso, reliquas quoque domus partes concuti necesse est. Qua ergo fronte ipsa corporis Christi membra, deliciis nunc soluũtur? Si totius Ecclesiæ atque adeo totius mũdi fundamentum, hoc tempore nutat; quomodo partes eius inconcussæ atque immotæ maneant? Quod si domino moriente, omnis cum eo creatura ingemiscit, sol obscuratur, petræ scinduntur, terra horrifico motu contremiscit, elemẽtaque omnia eo moriẽte, illi quodammodo commoriuntur: qui fieri potest vt solus homo, pro quo solo Christus patitur, illi nõ compatiatur? Hoc est plane, saxis duriorem, & elemẽtis ipsis insensibiliorem esse. Denique vsque adeo dies istos in mærore & luctu à nobis agi cupit Ecclesia, vt versiculum illum quo gloriam patri, & filio, & spiritui sancto, tribuimus, ab exordio Missæ subtraxerit. Quo indicio facile quis intelliget quam longe hoc tempore à vana mũdi lætitia abesse nos velit, quibus diuinas eas laudes quæ sunt cum alacritate coniunctæ, aliqua ex parte interdicat. Olim dominus in lege paschalem agnum qui quartadecima luna erat immolandus, decima luna domum infetri præcipiebat, vt toto hoc tempore Iudæi & agni conspectu & balatu, veteris illius beneficij quo ab Aegyptiaca seruitute per sacrificium agni liberati sunt, admonerẽtur, & pro liberatione sua gratias agerẽt. Si tot igitur diebus illius beneficij memoriam quotannis dominus refricari volebat: quid mirum si Ecclesia his diebus eandem à nobis grati animi memoriã, pro hoc tanto beneficio exigat, quo non à Pharaonis, sed à diaboli tyrannide, non agni, sed Christi sanguine, liberati sumus?

Quis ex vobis arguet me de peccato? In sacra huius Euangelij lectione dominus & innocẽtiam suam, & aduersariorum suorum perfidiam atque malitiam, apertissima oratione demonstrat. Sed quoniam is qui aliorum mores castigare studet, omni culpa vacare debet: ideo quemadmodum olim Samuel Iudæorum ingratum animum & peruicaciam increpaturus, prius integritatem suam ipsorum etiam testimonio comprobauit: ita quoque in præsenti lectione dominus innocentiam suam priusquam Iudæorum scelera traduceret, eorundem quoque voce testatam esse voluit. Vnde ait. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quanto aliter faciunt qui parum de integritate sua soliciti, & vitia sua minime considerantes, in aliorũ delicta seueriissimi iudices sunt, qui nunquam non in ore aliorum crimina habent, cum tamen seipsos nõ inspiciant, neque sua ipsi scelera, quæ erunt fortasse multo graviora, videant. Itaque ad aliena delicta lynceos; ad sua vero contemplanda talpæ oculos habent. Curiosum enim ait Bernar. genus hominũ ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Qua in re senibus quibusdam similes plerique mihi esse videntur, quorum acies oculorum sic affecta est, vt cum res à se distantes videant, tamẽ propè positas minime videant. In templo quidem erat Pharisæus orans, qui tamen inde quotquot in plateis erãt, raptores, iniustos, & publicanos videbat: cum tumorem tamẽ suum quem intra se habebat, minime cerneret, trabemque in oculo suo gerens, nec videns de publica

publicano solitus erat: qui omnium aliorum oblitus, totus in scelerum suorum cogitatione versãbatur. Solus vero ille ad aliena vitia carpenda maxime idoneus est, qui nil habet quod vere reprehendi possit? Quam rem exemplo suo dominus in præsenti lectione confirmat, qui priusquã Phariseos obiurgaret, innocentiam suam ostendit, dicens. Quis ex vobis arguet me de peccato? His autem verbis dominus se omni culpa vacare ostendit, cum ipsos etiam inimicos integritatis suæ testes citet. Sunt enim perspicacissimi inimicorum oculi ad eorum delicta peruidenda, quos acerbo odio prosequuntur. Qua de re sic Plutar. ait: inimicus semper aduigilans obseruat quid agas, & ansam captans calumniæ, lustrat ac circunspicit vndique vitam tuam: non tantum quer eus, testas, ac laxa, oculorum acie penetrans, sicut narrant de Lyceo, verum & amicum, famulũ, & quisquis tecum habet consuetudinem; vt quoad potest, deprehendat quid agas, perfodiens atque scrutans tua consilia &c. Ex quibus verbis intelligimus, quod quemadmodum homines amore sui impediuntur quo minus delicta sua videant, ita contra inimici, qui hoc impedimento carent, semperque quid accusare valeant inquirunt, ad ea inspicienda oculatissimi sunt. Vnde est illud Diogenis Cynici dictum; ad salutem opus esse homini aut fidis amicis, aut acribus inimicis: quod intelligeret inimicos ad aliorum delicta obseruanda diligentissimos esse.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Val de profecto mirandum, quod creatura rationalis adeo veritati nõ consentiat, vt illam etiam vehemẽter impugnet. Si enim veritas obiectũ & perfectio humanæ rationis est, cur Pharisæi apertissimæ veritati refragabantur? Huius rei ea mihi causa esse videtur, quod quemadmodum vbi gustandi sensus morbo infectus est, dulce iudicat amarum, & amarum dulce; ita cum intellectus spirituali morbo laborat, vehementer in spiritualium rerum iudicio hallucinatur. Adde huic aliã causam: vt enim membra ægrotare solent aut quia in seipsis male sunt affecta, aut quia vicinum aliquod membrum male habet, sunt enim vicinis membris omnia siue mala, siue bona communia: ita plane intellectus noster ęgrotat, vel quia praua doctrina corruptus, erga synceræ fidei dogmata caligat, quod hæreticorum est, vel certe quia affectu aliquo vehementi, velut ardentissima febri, voluntas æstuat: tunc enim propter maximam inter intellectum & voluntatem cognationem, ipse quoque intellectus simili morbo laborat. Tanta enim affectuum vis atque potestas, vt quemadmodum supremus cælestium orbium incitatissima conuersione cæteros orbes quamuis in aduersum tendentes, secum rapit: ita plane quo vehemens aliquis affectus propendet, eo quoque omnes animæ nostræ vires, ac totam pene huius minoris mundi machinam inclinat: neque ni si ægre sibi quisquam aduersatur, suisque cupiditatibus obstat. Quin potius ipsa quoque intellectus acies, in eo maxime acumẽ suum exercet, vt rationes excogitet, quibus id quod affectus cupit probare possit. Hinc illa vulgo iactata sententia, quod vult, non qđ est, credit, qui cupit errare.

Qui ex Deo est &c. Ille dicitur ex Deo esse, qui spiritum Dei in se habet: ille vero ex Deo non est, qui cum hoc cælesti spiritu careat, ab immundo spiritu agitur, Apostolo dicente: si quis enim non habet spiritum Christi: hic non est eius: quod si non est eius, cuius nisi dæmonis erit? Qui spiritus vbi primum mentis arcem occupauit protinus inter execranda opera sua, quæ ibidem molitur, hoc ante omnia diligentissime curat, ne qua fieri possit, vt præda hæc semel capta, è manibus elabatur. Ad hoc autem omnes aditus obstruit, per quos lux aliqua menti hominis affulgere possit, quæ illi captiuitatem & miseriam suam deregat, & ad defectionem soliciter. Quemadmodum enim vbi potens aliquis tyrannus arcem aliquã expugnauit, curat inprimis omnes muroruni aditus diligenter occludere atque munire, ne alicui patere possit clandestinus ingressus: ita plane spiritus ille nequissimus mirabili quadam arte & aures & oculos infelicis animæ claudit, ne fulgeat illi illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Quo fit vt qui his sunt lethalibus compedibus astricti, vix tandem consiliis admonitionibus, concionatorũmque vocibus ad virtutis & & pietatis studia adhortantium, flectantur. Quorum peruicaciam regius propheta describit, cum eos dicit esse sicut aspides surdas, & obturantes aures suas, quæ non exaudiunt vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, hoc est doctoris qui cælesti fretus sapientia, diuinorum eloquiorum incantationibus sopire lethalia horum aspidum venena nititur, ne videlicet & sibi & aliis virulentis suis moribus noceant. Vnde sicut aspides alteram aurem terræ affigentes, & alteram implicita cauda obstruentes, ad incantantium voces obsurdescunt: ita isti partim terrenorum bonorũ amore quibus affixi sunt, partim draconis cauda in aurem alteram immissa, surdi prorsus ad concionatorum voces efficiuntur. Vehemens enim terrenorum amor, hominem ad infima trahit. Dæmõ vero eũdẽ à Deo auocat, quibus duabus rationibus velut insensibilis homo ad omnes Dei voces, ad omniaque eius promissa, blandimenta, flagella, minas, & terrores, redditur. Quidquid enim horum clames, quidquid de gehenna, de morte, & iudicio, de regno cælorum inculces, sic audit vt non audiat; sic intelligit vt non intelligat; quia dæmone id operante, omnis spiritualis sensus expers est. Quam rem legatio illa Giezi Eliśei serui satis aperte indicat, qui à domino suo cum baculo missus, vt eum super pueri mortui faciem collocaret, nil illi opis contulit. Non enim erat vox neque sensus. Quare reuersus ad dominum suum ait, non surrexit puer. Idem quoque nos domino fratres, quibus similis legatio commissa est, referre possumus. Fecimus domine quod iussisti, baculum tuum hoc est potentiam tuam, virtutem tuã, iustitiæ tuæ seueritatem, suppliciorum magnitudinem, pœnarum æternitatem, mortis ineuitabilem necessitatem, ante oculos multorum qui in peccatis mortui sunt, hoc tempore posuimus: sed tamen nullam in eis confessionis vocem, nullum doloris sensum adhuc percepimus, nec vllam vitalem operationem vidimus, quæ nobis spiritualis resurrectionis, & nouæ vitę præberet argumentum. Quis igitur nobis obsistit? nempe malorum omnium autor dæmon, cui homo per peccatum potestatem contulit. Cum hæc igitur ita sint, non ne verissime à domino dictum est: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis? At contra de piis qui longe alio spiritu ducuntur, sic ait: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Quia nimirum illis pascitur, delectatur, & miro modo reficitur. Hinc de D. Augus. & sanctissima eius matre legimus,

quòd positi apud ostia Tyberina colloquebantur, soli valde dulciter, & inhiabant ore cordis in superna fluenta fontis vitæ, vilescebátque illis mundus iste inter verba cum delectationibus suis. Similíque modo legimus Scholasticam virginem cum fratre suo D. Benedicto de diuinis rebus loquentem, tanta suauitate perfusam, vt cum frater imminente nocte in monasterium suum redire vellet, illa fusis ad dominum precibus tantam vim imbrium cælo sereno imperraret, vt fratre in monasterium rediret prohibito, totam illam noctem insatiabili quadam voluptate in diuinis colloquiis cum illo transegerit. Quid vero dnos illos Anachoritas memorem? quorum cum alter alterum de diuinis rebus collocuturus inuiseret, & lenticulas interim dum loquuntur, igni admouerent, quibus post colloquium reficiendi essent: vbi totum diem huic studio impēdissent, corporeæ refectionis obliti, à se inuicem discesserunt.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Vnaquæque enim res suo simili gaudet: miles armis, studiosus libris, auarus pecunia, ambitiosus honore. Quisquis ergo ex Deo est, hoc est qui spiritu Dei afflatus, diuinæ naturæ consors existit, gaudet vtique rebus diuinis, vt pote quæ illi similes & cognatæ sunt: quo fit vt sanctis viris nil sit in vita iucundius, quam de Deo semper audire, de ipso loqui, agere, & meditari.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Magna plane innocentiæ dominicæ approbatio, quòd ipsos etiam inimicos suos in hac causa iudices eligit. Sic Scipio ille asiaticus referente Plinio, innocentiam suam ostendit dicens; vel ab inimico iudice approbari posse. *Si veritatem dico vobis &c.* Sicut enim flagitiosi homines cum in tenebris fœdū aliquid operantur, maxime iniuriæ loco ducunt, siquis eo tempore lucernam adhibeat, quæ eorum facinus prodat, ita plane improbi omnes veritatis eius prædicationem molestissime ferunt, quæ velut accensa quædam facula eorum turpitudinem atque fœditatem detegit. Quid etiam in causa est quod oculis ægris odiosa sit lux, quæ puris est amabilis? non alia plane nisi quod quemadmodum ægris pedibus ingredi, ita ægris oculis videre molestum est: quod enim pedibus ambulare, hoc ipsum oculis cernere est, nec minus ægri oculi videndo, quam infirmi pedes ambulando fatigantur. Eo fit vt quo tempore oculi ægrotant, lucem oderint, quoniam lux eos videre facit, quod illis per id temporis ingratius est. Cum igitur peruersi homines ita animo ægrotent, vt nec ipsi quidem scelera sua videre, ne ab aliis videri velint: grauiter & iniquo animo ferunt si quis veritatem mores ipsorum accusantē, proferat, quæ vt iam diximus lux quædam est, quæ latentem in tenebris fœditatem, & autori suo & cæteris conspicuam facit.

Qui ex Deo est verba Dei audit. Vide Vincen. Bell. Spe. Mora. lib. 3. par. 1. dist. 10.

Quare non creditis mihi? Amor proprius in causa erat quo minus crederent Christo: qui quantum nocent atque desipere soleat, lege D. Bernar. de interio. domo cap. 66. circa finem operum.

Quendam habet dialogum D. Leo papa inter amorem mundi & amorem cæli, circa medium operum.

De amore proprio lege Vincen. Bell. Specu. doct. lib. 4. cap. 121.

O qualiter oculos claudit liuor! ô quam dure amputat obstinatio rationem! Sensus humanus peruersus audire non potest, quod semel statuit odisse. Malis bonitas exosa: iustitia, iniustis inimica. Hinc est quod homines mendaces cognoscere nequeunt veritatem: inuenire verum non possunt inter nuntia falsitatum: quod vult, non qđ est, audit semper qui decreuit errare. Vide Petrum Chrysolo. sermo. 131.

Quis ex vobis arguet me &c. Si opera quæ ego facio talia sunt atque adeo bona, vt neque vos, neque aliquis etiam naturæ vestræ, defectum in eis vllum valeat inuenire: cur mihi non creditis? atque vt de hominibus taceam, nec etiam dæmones in me quiequam reprehensione dignum poterunt inuenire: quo spectat illud Ioan. 14. Venit enim princeps mundi huius &c. Exemplo igitur Christi niti debemus, vt opera nostra bona omnibus spectanda proponentes, dicamus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Cæterum si lignum plantatum secus decursus aquarum, fructum suū dat tempore suo: quid aliud speraretur à Christo domino, qui est arbor vitæ, nisi vt nullum eius folium decideret & ex eius sacratissi. ore nullum prodiret verbum, quin totum & sanctitas esset, & totius virtutis exemplar? vide Ori. su. Io. to. 20.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Non inelegánter quidem & incōmode poteris hinc salutationem ipsam texere, dilatans & amplificans hunc animi conceptum, quod scilicet post Christum nullus præter virginem hominum, possit verius & accōmodatius illis vti verbis? Quis ex vobis arguet me de peccato? nam nos si dixerimus quia peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus &c. 1. Ioā. 1.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Non est quod magnopere se cruciet concionator & angat, si minus impij & obstinati homines sibi credant, & eius dicta complectantur, modo ipse suo perpetuo rite fungatur officio. Ecce enim aperte in Euangelio quod summo principíque concionatori Christo, Iudæi non crederēt neque parerent. Vide etiam quid dicat dominus per Ezechielem; nolunt audire te, quia nolunt audire me. Quod etiam in Samuele adumbratum videmus, quem populus audire contemnebat & despicabatur. Hanc autem cōcionatoribus factam iniuriam, sibi Christus fieri testatus est, cum dixit. Qui vos spernit, me spernit &c.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Totis viribus cōniti debet qui aliis præest, & in dignitate constitutus est, vt suo optimo exeēplo dicere possit subditis. Quis ex vobis arguet me de peccato? ex bono siquidem superioris exemplo, vberrimus manat in ipsos inferiores fructus atque vtilitas. Et certe qualis erat virgarū ipsius Iacob color, talis erat & conceptorum animalium color: ita qualis est color operum prælati & superioris, talis fere esse solet color subditorum, hoc est mores eorundem.

Quod qui aliis præsunt, se in humilitate continere debeant, atque pectus suum perdiligenter examinare: consule Lau. Iust. lib. de Triumphali Christi agone cap. 12. circa medium operum.

Quales esse debeant prælati, vide eundem de contemptu mundi cap. 15. circa medium operum.

Quod virtutibus exornari debeat prælatus, vide eundem lib. de Institu. & regi. præla. cap. 20. in ter medium & finem operum.

Quales esse debeant prælati, vide D. Basi. lib. Regu. fusius disputa. cap. 43. 45. 46. & 51. to. 2.

Prophani prælati reprehenduntur à D. Bernar. super Canti. sermo. 77.

Vitiis dediti prælati quantum afferant nocumenti suis prauis exemplis, etiam iuxta Philosophorum & poëtarum sententiam: consule Vicen. Belluacen.

Belluacen. Specu. Doctri. lib. 5. cap. 4. & 5. & quantum afferant emolumenti virtutibus dediti, exemplorum suorum candore, vide cap. 6.

Concionator, doctor, & prælatus, præue viuentes, quantum noceant, etiam iuxta Philosophos, vide eundem Spe. do. lib. 5. cap. 56.

Multum refert prælatum ipsum bonum esse, quoniam statim subditi ad eius imitationem sese componere consueuerunt. Et sicut si columna recta sit, recta etiā erit eius vmbra, sin autē curua & gibbosa, itidem vmbra: ita fere in prælatis & subditis vsu venire solet, vt scilicet hi suam morum curuitatem aut rectitudinem, ab illis fere deriuare soleant. Vnde Moyses statim obiecit ipsi Aaró, quando popu. adorauit vitulum, in hunc modum. Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Et sicut horologij inordinatio, ipsius moderatori attribui solet: ita perturbatio inordinatióque reipub. eius ducibus & gubernatoribus fere ascribi cōsueuit. Et vt ex corde promanat totius tranquillitas seu contemperatio pulsus, ita ex prælatis enasci consueuit totius constitutio populi.

Vt piscis seu cuiuslibet alterius animalis capite corrupto, corrumpitur & fœtet reliquum quodāmodo corpus: ita corrupta & deprauata prælati vita, statim fœtor ille diffunditur & distēditur per reliquum totius reipub. corpus.

Quemadmodum quamuis aqua alicuius lacus ex se sit quodammodo tranquilla, ventorum tamen vi & impetu mouetur maximè & perturbatur: ita multæ hominum congregationes quæ alioqui ex se sunt pacificæ & tranquillæ, aduentante prælato aliquo inquieto & seditioso, totæ turbantur ab imo.

Quemadmodum aqua illa præstantior censeri solet ac iudicari, quæ minus terreum quendam saporem participare ac retinere videtur: ita ad gubernandum tanto aptior quisque videtur, quanto remotior est à terrenarum rerum ambitione, inanitate, & vanitate.

Quemadmodum qui fidibus nesciunt, aut tyrones in ea exercitatione sunt, dum prætentant pollice chordas, eas inscire nimiúmque contendendo aut remittendo; non modo insuauem quendam omnium auribus influunt sonum, sed etiam chordas multas sæpe confringunt: ita qui regendi artem non norunt, aut parum in ea exercitati sunt, dum rigide nimium, nimiúmve remisse, se gerunt erga subditos, nō solū spectatores omnes offendunt ignara sua gubernatione, sed etiam status omnes reipub. seu communitatis, deuastare plerúmque solent atq; destruere.

Cæterum quantum referat vt doctor, prædicator, & alij huiusmodi, totius virtutis & probitatis exemplar quoddam præseferant: & quod lōge efficacius opere, quam verbo ipso doceant. Videre poteris etiam Senecam li. 7. epist. ad Lucili. epist. 53. circa medium.

Qui ex Deo est verba Dei audit. Ex peruersa quidem ac pestifera cōscientia prouenit quod quis nolit omnino audire verbum Dei: ac propterea in conscientiæ curam & puritatem incumbendum nobis esse, etiā Philosophi nos olim monuerunt. Si quidem Democritus dixit, animæ potius quam corporis curam habeto. Idem etiam, dignum te Deo reddideris, si nullum facinus eo indignum admiseris. Phocion, multo satius esse putato humi cubantem viuere, ac bono & quieto animo esse, quam perturbato in aureo lecto.

Qui ex Deo est verba Dei audit. Quemadmodum aliquas res plurimi facere solemus non solum propter earundem rerum præstantiam, sed etiam qđ ex disiunctissimis regionibus aduectæ sint: ita plurimi facere doctrinam Euangelicam debemus, tum propter eius præstantiam & dignitatem, tum quod eam Christus in orbem inuexerit ex remotissimis, & disiunctissimis locis, nempe ex supero cælo in inferum solum.

Vt verba Dei commode audiamus, necesse est vt Deus nobis ipse auditum patefaciat Esa. 50. B. C. erigit mane, mane erigit.

Quomodo vsurpentur in sacris literis, audire, auditus, & similia, vide prolo. su. Ioel.

Responderunt ergo Iudei, & dixerunt: nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Iracundi & præcipitis animi indicium est, correptionem leniter mansuetéque illatam non ferre, sed illico in conuicia & contumelias erumpere, & cum vera non adsint quæ recte obiici possint, etiā falsa confingere quæ alteri impingat. Si dæmonium habet dominus, ô Iudæi, cur ergo rugientes dæmones clamabant ei, venisti ante tempus torquere nos? Cur rogabant ne ab eo torquerentur, vt mitterentur in porcos, ne expelleret eos extra regionem; ne ipsos in abyssum mitteret? Procidunt dæmones supplices ad pedes eius, & horrendo clamore intonant, Quid mihi & tibi Iesu fili altissimi? scio quia sis sanctus Dei. Et vos diabolo patre vestro duriores, negatis filium Dei, execrandam illi infertis blasphemiam, quod dæmonium habeat, q in aliis potestatem dedit eiiciendi dæmonia, qui solo verbi imperio eos expellit. Dæmones confitentur eum vel inuiti, vos erecta ceruice, & corde incredulo illi in faciem resistitis, discipuli vestro magistro deteriores. Samaritanum etiam eum vocant, quasi abiectum & despicabilem, quasi legis transgressorem, inuisum ipsis & odiosum. Iudæis enim Samaritani erāt exosi, quemadmodum superius dixit Euangelista quod nō coutuntur Iudæi Samaritanis, ipsóque vt nullius pretij homines, & Mosaicæ legis præuaricatores aspernabātur. Cū igitur aliquē quamuis genere Iudæum, cōtemptibilē significare volebāt, & eorum societate indignum, Samaritanū ipsum per contumeliam vocabāt. D. Cyril. super Ioan. lib. 6. cap. 8.

Dæmonium habes. Graue quidē est & miserabile vt ex correctionibus & reprehensionibus non solum non emendemur, sed etiam eos qui nos benigne corripiunt, contumeliis & iniuriis prosequamur: quod faciebant isti pharisæi. Et certe quemadmodum cultellus aliquis non bonus esse arguitur, si quo magis mundatur, rubigine magis magisque obducitur: ita alicuius animus prauus & iniquus esse deprehenditur, si quo benignius corrigitur, eo deterior efficitur.

Nonne bene dicimus nos &c. His verbis aperte innuunt se iampridem hæc tam dira conuicia in dominum iecisse, quorum vsque adeo illos nos pœnitebat, vt nunc denuo eadem repetant, atque confirment. His autem similes mihi esse videntur illi, qui cum iamdiu in multis criminibus versati sint, tam longa peccandi licentia non contenti, statim à confessione eadem repetunt quæ commiserunt. Quos ego viperis quam simillimos esse iudico, quas ferunt in littore maris positas, si bilo ad se ex profundo gurgite murenulā euocare, vt eius opera fœtus concipiant: quæ cum ad hoc venenum deponant, vbi à consorte recesserunt, venenum iterum resumunt, quo solito more noceant. Hoc idem isti facere videntur, qui ad horam dum sacerdotes adeunt, peccati virus quodammdo reponunt,

reponunt, peracta vero confessione vires iterum quod euomuerant resorbent, quo & aliis & sibi ipsis mortem inferant: in quo quidem periculosissimo statu mors sæpe illos intercipere solet. Tales quantum coniectura colligere possum, nescio an virtute sacramenti, charitatem recepissent, qua vere Deum super omnia diligerét, quomodo enim rem adeo charam tam vili pretio, támque sine vllo doloris sensu amitterent? Quis vnquam filium alacri animo vili pretio commutauit? aut si ne doloris sensu amisit? præterea lex est vt medicus qui accepta pecunia pactus est ægroto salutem dare, si vbi primum sanitatem æger recepit, protinus in morbum relabitur, eundem rursus curare teneatur. Quia non præsumitur vere sanus, qui tam facile sanitatem amisit. Quod si ita est, quo indicio te veram animæ sanitatem consecutum esse credam, quem vix dum finita confessione, eodem ipso morbo laborare video? At inquis, exigua mihi gratia collata est, quæ me in semel accepta sanitate conseruare non potuit. Verum minima gratia vt D.Tho.ait, Deum diligit supra omnia, & peccatum item supra omnia detestatur: ideóque ad peccatum prorsus ab anima exterminandum, quamlibet minima sit, sufficiens est. Qui medicatam potionem ebibit, qua noxium à corpore depelleret humorem, quamuis eam protinus vt potauit euomat: id tamé paululum quod ventriculo adhæsit, noxium frequenter humorem à corpore protrudit. Idem etiam accidit his qui pransum cibum propter imbecillitatem stomachi retinere & concoquere diu nequeunt, reliquiis enim quæ supersunt, aluntur & viuunt. Non minus ergo vel exigua gratia posset homines in vita spirituali sustentare, & noxios peccatorum humores ab anima pellere, quòd istis minime contingit. Quamobrem verisimile est eos qui se ita gerunt, nunquam diuinam gratiam assecutos. Quo quid miserabilius, quid infelicius, dici potest? Atque vtinam nil aliud in hac re incommodi esset nisi oleum tantum & operam perdidisse, frustráque totius pudorē ac laborē confessionis sustinuisse. Hoc enim malum vtcumque tolerari posset; cui tamen alia longe grauiora adiuncta sunt, nempe ingratitudo aduersus Deum peccata condonantem, & mendacium, quo meliora ante illius ministrum proposuimus, neque præstamus: & prauæ consuetudinis confirmatio, quæ indies hoc modo inualescit, animúmque in peccatis obfirmat. Quæ quidem mala adeo grauia sunt, adeóque salutem nostram in discrimen vocant, vt inter reprobationis æternæ signa hoc etiam numeretur. Quamobrem? Quia verisimile est te eundem futurum postea, qui hactenus fuisti, cum præsertim praua consuetudo sit quotidie potentior, quo diuturnior. Quid enim de te aliud sperare possum, quam quòd hactenus fuisti? Ex præteritis enim futura æstimare facile possumus. Hinc Salomon ait, Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Cæterum si scire cupis an peccata tibi in cōfessione dimissa sint, vide an ipse à confessione transacta peccata dimiseris. Hoc enim inter omnia gratiæ & charitatis indicia non postremum mihi esse videtur, quamuis huius rei euidentiam habere nemo possit. Prauos enim mores deponere, & peccata relinquere, diuinæ gratiæ opus est. Quæ vero gratia peccata dimittit, eandem etiam facit ne illa iterum committas: quòd si commitas, indicium est te eam vel non recepisse, vel acceptam protinus amisisse. Et quidem hoc argumento vellem vt misericordiam domini æstimarent, qui ab ea peccandi licentiam arripientes, facilem sibi veniam pollicentur. Non dubium enim quin eiusdem misericordiæ opus sit à futuris peccatis per gratiam præseruare, & præterita condonare. Si ergo hactenus nunquā eo vsque misericordia Dei, te repugnante atque obsistente progressa est, vt te à peccatis immunem conseruaret: quomodo eam tibi tam facile polliceris, vt peccata condonet. cum præsertim tu tibi semper desis, sine quo Deus non operatur? Vnde apparet in homine fratres, non vanam modo, sed pernicioſissimam quoque hanc esse fiduciam, quæ tamen non fiducia sed præsumptio à diabolo in mundum inuecta, nominanda est.

Dæmonium habes Cum illorum cogitationes reuelaret, & diceret id quod ipsi in cordibus suis cogitabant, atque in angulis secretis suísque conciliis occultis pertractabant: idcirco eum dæmonium habere dicebant. Cæterum sicut boni reduntur meliores, affecti etiam contumeliis: ita è contrario impij deteriores sunt, quamuis verba eis dulcia mitiáque reddantur. vide D. Tho. super Ioannem. 8. lec. 6.

Nonne benedicimus nos &c. Ex superbia quidem, præsumptione, & arrogantia, tumentia quidem hæc & contumelioſa prodibant verba. Quo loco si paulo fusius in horum vitiorum detestationem excurrere voles, nonnulla subiiciam atque subscribam.

Superbia quam odioſa sit ac detestabilis, lege Lau. Iusti. lib. de humilitate cap. 1. & 2. prope finē operum.

Quantum superbia noceat, vide. D. Ber. lib. de interio. domo cap. 41. & incipit, superbia &c.

Quendam habet dialogum inter superbiam & humilitatem D. Leo papa circa medium operum.

Quibus notis ac signis dignoscatur superbia, & qua ratione talis morbus curari valeat: lege D. Basi. lib. regu. breuio. interroga. 35. to. 2.

Fuse quidem refellitur ac confutatur superbia à D. Ambro. lib. 10. epiſ. epiſ. 84. ad virginem Demetriadem to. 3.

De superbia & humilitate consule D. Augus. ad fratres in eremo sermo. 12. to. 10.

De superbia eiusque gradibus vide Vincen. Bel luacen Spe. Mora. lib. 3. par 3. dist. 1. &. 2.

De eadem secundum philosophorum placita. consule eundem Spec. doctri. lib. 4. cap. 122.

Quemadmodum fulmina, ipsa montium cacumina, excelsas turres, proceras arbores, altas domos, magis inuadunt, acriúsque feriunt, quā tuguria, locáque humilia: ad eundem modum diuina indignatio vehementiſſima quidem erit nouiſſima canente tuba, in elatos, superbos, & arrogantes: in humiles vero maxima vtetur Deus clementia, misericordia, & benignitate.

Quemadmodum accipitres interdum vsque adeo in volatum abripiuntur longiorem & excelsum, vt facilem postmodum reditum regressúmque non inueniant: ita plerique homines vsque adeo in superbiam sese attollūt, vt cum ad se ipsos redire volunt, & propriam miseriam contemplari, vix reditum vllum inueniant, víxque mortalitatē ipsam in se agnoscere videantur.

Quemadmodum mercatores ipsi suas merces his hominibus conspiciendas offerre recusant, quos satis sciunt empturos non esse, imo vero eadem merces contempturos: ita Deus opt. maxim. mysteria sua & arcanos sensus reuelare superbis & arroganribus recusat, quos nouit eorum potius contemptores, quam laudatores & conseruatores esse futuros; quales erant isti Pharisæi, dicentes: nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Quemadmodum signum ipsum & album in quòd sagittarius sua tela extorquet, quo elatius & amplius, eo frequentius ab eodem sagittario icitur atque percutitur: ita quo amplius quis in superbiam dilatatur atque extollitur, tanto vehementius à dæmone ipso icitur, transuerberatur, transfigitur, sauciatur: quo vero humilior est, eo minus læditur, afficitur, attingitur. Vnde & Christus dixit Lucæ 12. Nolite timere pusillus grex &c.

Quo pacto Deus superbos prosternat, vide Esa. 45. A. Portas æreas contreram.

Deprimit Deus ac deiicit elatos Esa. 47. A. Descende, sede in puluere.

Quomodo superbos humiliet Deus Esa. 30. C. Et comminuetur sicut conteritur lagena.

Quomodo coerceat Deus superbiā Hiere 22. G. Terra, terra, audi sermonem domini.

Superbi & elati qua ratione deprimantur Hiere. 49. D. Cum exaltaueris quasi aquila nidum.

Qui tractentur superbi Hiere. 51. G. Sic submergetur Babylon.

Superbi & elati qua ratione deturbentur & deiiciantur Ezechie. 6, A. A. Montes Israël.

Qua ratione superbis comminetur Deus Ezechiel. 18. G. Et scient omnia ligna regionis quia ego dominus &c.

Quo pacto deiiciantur elati & tumidi homines Daniel. 4. F. Fœnum quasi bos comedes.

Superbi deiecti & abiecti Osee 13. A. erunt. quasi nubes matutina.

Superbos deuastat Deus ac destruit Ioel. 1. D. ignis comedit speciosa deserti.

Tumidos & arrogantes deprimit Deus Amos 2. C. Ego exterminaui Amorrhæum.

Elatos humiliat abiicítq; Deus Michææ 4. A. & corripiet, gentes fortes.

Arrogantes & elatos quo pacto deturbet Deus Nahum 2. D, Vbi. est habitaculum leonum.

Superbi deiiciuntur Sopho. 2. D. Attenuabo robur eius.

Proprietates superborum Iob 15. D. Cucurrit aduersus eum erecto collo.

Superbi & elati qua ratione tractentur Esa. 41. D. triturabis montes.

Respondit Iesus: ego dæmonium non habeo, sed honorifi eo patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. Beatus Petrus mansuetudinem domini nostri declarans, dicit de eo, quod cum malediceretur, non maledicebat. Quod cum alias, tum hoc loco dilucide nobis est perspicuum. Accepit enim grauem ab æmulis iniuriam, & falso quidē illatam, quā si in eos retorquere voluisset, vere de eis dixisset quod dæmonio erant pleni. Ab illis tamen temperauit etiam veris contumeliis, & mansuete vnū eis obiectum negauit, dicens. Ego dæmonium non habeo, hac dulci verborum mansuetudine eos ad lenitatem animi reducere curans. Vt enim testatur sapiens. Responsio mollis frangit iram, durus autem sermo excitat furorem. Et idem alio loco, verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Ad alterum vero eidem obiectum minime respondit, & tacita confessione id verum esse de se significauit, quod scilicet secundum spiritalem sensum Samaritanus esset. Nempe Samaritanus tantundem valet atque custos. Ipse autem dominus custodit nos ab omni malo; & secundum

psalmi sententiam custodit dominus omnes diligentes se, atque custodit animas sanctorum suorum. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Hinc in parabola descendentis ab Hierusalem in Hiericō, & incidentis in latrones, dominus noster se Samaritano comparat, exhibenti misericordiam saucio. D. Cyrillus super Ioan. lib. 6. cap. 9.

Ego dæmonium non habeo. In his verbis quid aliud nisi superbia nostra confunditur? quæ si exagitata vel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit quam acceperit: facit mala quæ potest, minatur & quæ facere non potest. Ecce iniuriam suscipiens dominus, non iracitur, non contumelioſa verba respondet. Ex qua re quid nobis innuitur, nisi vt eo tempore quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne ministerium iustæ correptionis, in arma vertamus furoris? sed quia quisquis Dei zelo vtitur, sæpe à prauis hominibus dehonestatur, in semetipso nobis dominus patientiæ præbuit exemplum qui ait: sed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me. D. Gregori. super Euangeli homilia 18.

Ego dæmonium non habeo. Debemus nos exemplo Christi iniurias & persecutiones patienter sustinere, considerare que quid nobis perpetuo in aurem cordis ipse dicat. Fili mi, parce quæso iis qui in te contumelioſi iniuríque sunt: ego siquidem liberaliſſime etiam tibi ignoscam, tuáque scelera condonabo. Aequum plane est vt à me præsertim rogatus id facias, qui p te tot tantáque sustinui & perpessus sum. Cæterum si cultellus totus ferreus sit statim rubigine obduciturita si quis ferreo fuerit & immiti animo, ilico rubigine impatientiæ & immisericordiæ inuoluetur. Age vero qui spatiū aliquod maris nauigant, ne forte capite sensibúsque conturbentur, oculos in litus ipsum coniiciunt, non autem in aquam: ita tu si oculos coniicias in aquam turbidam persecutionis inimici, perturbaberis vtiq;, adeo vt præceps in interitum etiam fortasse ruas: oculos igitur tuos in litus illud cæleste, saluberrimúmque portum, conuertere debes, præmiúmque tibi illud sempiternum ante oculos constituere, quod dominus paratum habet iis qui patienter contumelias, iniurias, & persecutiones tolerant. Non debes iniuriam iniuria vindicare, neq; calumniam calumnia, quod faciunt plerique, propagantes etiam lites iniquas in foro ad omnem posterorum suorum memoriā. Quos certe vel siquis Ethnicus, audita illa Christi sententia qua nobis præcipit vt, inimicos diligamus, tumultuantes ita inique & furentes per forum videret: vereor ne forte diceret, aut quod non crederent Euangelio, aut quod sponte sua in gehennam viui videntésque præcipitari exoptarent. Non interim negamus pium esse velle vt delicta puniantur, ne scilicet Deus à quoquam offendatur, sed monemus vt caueat sibi quisque ne iniuriā iniuria, calumniā, calūnia odiū odio, compensare velit. Sed in patientia potius se exerceat, eámque vsui quotidiano & assiduo habeat, Nam certe quemadmodum gladius si per negligentiam rubigine obducatur, cum poscit vsus, vix è vagina educi potest, quin potius priúsquam educatur, ab aduersario sæpe vulneraris: sic patientia minus exercitata, sæpenumero vsque adeo tarda est, vt locum diabolo concedat miseram vulnerandi animam. Vt igitur in ea te diligenter exerceas permitit Deus vt iniuriis & aliis huiusmodi persecutionibus afficiaris.

Ego

Ego dæmonium non habeo. Hanc tantam domini mansuetudinem Petrus Apostolus nobis imitandam proponit, cum ait. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum &c. Quas enim ille in passione sua contumelias non accepit? quæ opprobria non sustinuit? quæ ludibria non pertulit? Denique tam multa & varia pro nobis passus est, vt Tertullianus dicat, ipsum virtute patientiæ, dum à nobis discederet, saginari voluisse. Ad huius autem virtutis imitationem, non video qua potissimum ratione carnales præsertim homines incitare possim, quam si ostendero hoc non ad animæ salutem modo, sed ad corpus etiam, hoc est ad omnem eius molestiam excutiendam, plurimum iuuare. Quid enim ad hoc conducere magis poterit, quam vt tu conuiciatorem conuiciúmque ipsum nihili pendas? Quisquis enim conuicia in te iactat, hoc in primis desiderat, vt te mærore afficiat. Quod si tu hunc eius conatum parui pendas, & negligas; is vtique qua te molestia afficere cupiebat, afficietur: cum videat se quod tam valde cupiebat, non impetrasse: atque hac ratione non ille quidem de te, sed tu de illo supplicium sumes. Quemadmodum enim vt Tertullia. ait, qui telum in materiam lenem & blandam iacit, illam quidem penetrat & lædit: si vero in ferrum aut materiam aliquam duriorem iecerit, in iacientem protinus telum reflectitur, & illum frequenter vulnerat: ita plane conuicia in infirmum animũ iaculata, illum vulnerant & sauciant, quæ vero in fortem ac constantem animum sunt contorta, adeo illum non lædunt, vt in autorem suum retorqueantur. Verissime enim à Chrysost. dictum est, neminem lædi nisi à seipso. Non enim ad inferenda vulnera districtus gladius satis est, nisi corpus nudum & inerme sit: at ferro & clypeo tectum, quis gladius lædere possit? Si tu igitur patientiæ clypeo armatum pectus gestes, quæ te conuiciorum tela sauciare poterunt? Quid vero si fortitudinem illam habeas, quam dominus Ezechi. contulit, cum ait: Ecce dedi frontem tuam vt frontem silicis? Et quasi hoc parum esset, adiecit; vt adamantem quippe dedi te. Adamas autem ea natura est, vt ferro ictus ferrum potius frãgat quam ipse frangatur. Quo fit vt qui tales sunt, patientia sua conuiciatorum impetum retundentes, lædant potius eos quam lædantur.

Ego dæmonium non habeo. Vide quanta cum mansuetudine suauit atéque respondeat, vt inde discas tu qua ratione debeas aduersariis respondere. *Honorifico patrem meum.* Hoc est dicere, istas contumelias non modo mihi, sed etiam patri quem ego honorifico, obiicitis. Ex qua miti responsione nõ depositerunt adhuc suam pertinaciam & obstinationem, vt intelligas quantum inuidia malitiáque possit, vbi semel alicuius animum excæcauit. Vide D. Chrysost. super Ioan. homi. 54. to. 3.

Ego dæmonium non habeo. Quod iniuriæ patienter sustineri dissimularíque debeant, etiam Philosophi nos adhortantur. Nam Eraclitus dixit iniuriam tanquam incendium patientia extinguito. Pythagoras mendacium quod in te dicatur, æquo animo feras. Perian. iniuriam patienter sustineas Epicte. siquis ad te deferat quòd ille de te male dicat & loquatur, patienter sustineto. Herodotus, ne malum malo medicare.

Concionem habet D. Chrysost. quæ tractat quod benedicamus maledicentibus, inter initium ac medium to. 5.

Ego non quæro gloriam meam. De vanitate gloriæ mũdanę Esa. 1. G. Et erit fortitudo vestra vt fauilla. Vana & caduca huius mundi gloria Esa. 29. F. Nonne adhuc in modico.

Cui rei comparetur mundana gloria Esa. 40. B. Omnis caro fænum.

Quam cito prætercat mundana gloria Iob 24. D. eleuati sunt ad modicum.

Quam mutabilis mundana gloria Actò. 14. D. lapidantes Paulum.

Amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Non hoc de sola æterna morte, quæ in Apoca. appellatur mors secunda intellexit; sed simpliciter diuinarum legum obseruantes, non esse morituros dixit: quæ quidem promissio vt præstantissima, ita & certissima est. Vere enim dici potest, viros iustos non videre aut gustare mortem. In morte enim duo maxima acerba & hominibus formidabilia sunt, alterum rationis reddendæ & sortis futuræ metus, quæ improbi homines vehementer timent; alterum abdicatio voluptatum omnium atque deliciarum, quibus in hac vita fruuntur, à quibus in morte spoliantur. Hæc enim duo si demas, non est cur mors, hoc est commune humanæ naturæ debitum timeri debeat. At vero Dei seruos nihil horum cruciare solet: spes enim quam velut anchoram animæ tutam ac firmam habent, eos à priori illo metu liberat. Cæterum ab altera timoris causa multo magis pij omnes immunes sunt. Hi námq; opes omnes & voluptates sua in vnius Dei cognitione, amore, fruitione, & iustitiæ cultu constitutas habent. At ista omnia in eorum morte non modo non finiuntur, sed etiam miro modo cumulantur & perficiuntur. Quis enim dubitat eos post mortem Deum longe clarius cognoscere, ardentius amare, eóque iucundius frui, illíque plenius obtemperare? Itaque hac de causa tantum abest vt mortem timeant, vt illam etiam vehementius optent. Optabat illam sane D. Basi. cum à Valente Cæsare in exilium pro fide ageretur. Positus enim ante tribunal præfecti, terroribúsque & minis maximis actus, vt principis imperio pareret, nisi vellet extremum supplicium subire; intrepidus & absque vlla animi perturbatione respondit. Vtinam mihi aliquid esset digni muneris, quòd offerrem ei qui maturius Basilium de nodo follis huius absolueret. Cúmq; daret ei nox, quæ erat media, ad deliberandum, denuo respondit: Ego crastino idem ero qui nunc: tu te vtinam non mutares. Quid vero D. Cypria. an non simili mortis desiderio flagrabat, qui carnifici iugulum petenti, non modo iugulum præbuit, sed etiam viginti auri minas illi, p hoc tanto beneficio dari iussit? plura forsitant daturus, nisi cætera pauperibus reseruasset. Cúmque tabella ex more recitata esset, in qua hæc verba scripta erant: Statius Cecilius Cypria. gladio feriatur, sanctus dei respondit, Amen. Qua voce desideriũ quo dissolui cupiebat, & esse cum Christo satis aperte declarauit: hac enim voce vti solemus, cum stitienter aliquid optamus. Hoc est ergo fratres, præmium quòd seruantibus Christi sermonem hodie promittitur; vt si nil aliud esset, hoc solum profecto satis esse deberet, vt nos totos diuinę legis studio addiiceremus, quo pessimam peccatorum mortem vitare, & pretiosam sanctorũ mortem oppetere liceret. Quos enim æstus, quos mærores, quem metum, improbos homines cum morti inm proximi sunt, perpeti credendum est? Quos fluctus ac procellas in illorum pectore concitari cum hinc præsentium voluptatum abdicatio, quas deserunt, inde reddendæ rationis suppliciorúmque metus eorum animos

animos quatiant? frequẽter etiam illos adeò acriter morbus ipse torquet, vt mortem etiam quò doloribus careant, desiderare cogantur. Cum vero futurorum tormentorum, quæ vel in gehenna, vel certè in purgatorio, passuri sunt, magnitudinem atque acerbitatem considerant: tum qui exire desiderabant, manere iterum cupiunt, atque ita & præsentium dolore, & futurorum metu, grauissimè anguntur.

Dixerunt ergo Iudæi: nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & prophetæ: & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Sicut accepta cõtumelia, bonus fit melior, ita malus de beneficio fit peior. Neque id abre, diligentibus enim Deum, omnia etiam mala cooperantur in bonum. Odientes vero Deum, omnia etiam bona conuertunt in malum. Ecce Iudæi non veritatem audire aut discere student, sed aperta illi impugnatione resistere & cõtradicere. Locutus fuerat modo Dominus de morte, qua anima hic separatur à Deo fonte vitæ, per culpam, & in futuro per gehennam: Iudæi autem oculis mentis caligantes, & lucis splendorem non percipientes, quam veritas illis exhibuit, de morte corporis locutum Dominum autumant, & inde materiam calumniæ sumunt, obiicientes & Abraham mortuum esse, & prophetas; quos tamen constat verbum Dei seruasse, colligere inde volentes, falsum id esse quod antea Dominus dixerat. Abraham quidem secundum corpus emortuus est, & prophetæ: non tamen animæ mortem senserunt, sed secundum illum Deo viuunt. D. Cyrill. super Ioann. lib. 6. cap. 10.

Patre nostro Abraham. Iactabant se isti quod descenderent de stirpe Abraham, nolentes intelligere eiuscemodi nobilitatem corporis apud Deum sine virtute, quæ vera nobilitas est, parum æstimari; cuius quidem virtutis isti non studiosi sed contemptores erãt. Quin & nobilitas quæ ex patentibus ducitur, videtur quodammodo cogere posteros ipsos, ne ab ea turpiter vsquam degenerent, & ne suis flagitiis illius splendorem obscurent. Vt enim in bono viro, ceu splendidissima quædam gemma in aureo locata anulo enitet: ita in improbo est tanquam gladius quidam in manu furiosi. Multi enim sunt nobiles qui nobilitate sua abutuntur ad crimina potius perpetranda, ad superbiæ tumorem, ad tyrannidem exercendam, ad pauperes contemnendos. Quare hæc sit summa: si obscuro forte genere fueris, enitere vt tua virtute tuisque præclarè factis, illud illustres: sin autem ex nobili sis progenie, noli tuis vnquam vitiis & sceleribus eam nobilitatem maculare: neque etiam tam ex maiorum factis, quam ex tuis propriis virtutibus, te omnibus prædicabilem ostendas. Et certè ad videndum, lucem non quæris in alienis oculis, sed in propriis. Noli igitur videri alicui fortasse, maiores tuos ostentando, & ex te ipso nil virtutis promendo, eorum potius facta obscurare. Adde quod si meram tãtum eorum nobilitatem iactaueris, iam hæc aliena ope, non tua, parta & conquisita est: quæ verò tibi tantùm laus inde propria, vel quæ merita tua propria, ex meritis alienis? Quare si quando inde te iactantia aliqua forte inuaserit, eam primo quoque tempore à te repelle: illam ineundo cogitationem, quod puluis sis ac cinis, & quod breui vermium esca futurus sis: atque ideo tibi virtutibus esse incumbendum, vt hac potius ratione immortalem vitã consequare & nobilitatem etiam illustres.

Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Hoc blasphemum dictum proueniebat ex odio intestino, quo Christum prosequebãtur, & ex maxima cordis obstinatione, & duritie. Porrò de obstinatione videre poteris Vincen. Bellu. spec. Moral. lib. 1. par. 1. dist. 12. & lib. 3. p. 4. dist. 7. & secundum philosophos vide eundem specul. doctri. lib. 4. ca. 135.

De proteruia etiam & obstinatione, vide Iere. 2. G. & dixisti absque peccato.

Obstinatio maxima, Iere. 44. D. Et sermonem quem locutus es ad nos, &c.

Quo deueniat animi obstinatio, Prouerb. 2. C. qui lætantur cum malè fecerint.

Obstinatio peruersa, Iob 34. C. qui quasi de industria recesserunt ab eo.

Obstinatio in peccato, Iosue 11. D. Domini enim sententia fuerat.

Obstinati quo tandem deueniant, 1. Reg. 31. B. arripuit itaque Saul gladium.

Obstinatio maxima, Act. 6. D. & intuẽtes eum.

Respondit Iesus, si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est: & non cognouistis eum, ego autem noui eum. Vide quam mansuete quamque patiẽter Christus semper loquatur: de quo argumento si aliqua hic requiris, hæc paucula accipies.

Vide quam deuincti simus iniurias propter Deum patienter sustinere. Isa. 50. C. corpus meum dedi percutientibus.

Pati contumelias animo se propter Deum debemus, 2. Reg. 16. B. egredere egredere.

Patiamur viriliter propter Deum, quoniã ipse retribuet nobis. Apoca. 2. A. scio opera tua.

Contumelias & iniurias patiẽter sustineamus: Deus enim patrocinium nostrum causamque suscipiet. Isa. 51. C. nolite timere opprobrium.

Patiẽtiam habeamus in alienis defectibus supportandis. Galat. 6. A. si præoccupatus fuerit homo.

Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Sane vidit diem Domini Abraham, quando in spiritu cognouit Christum ex sua stirpe in carne nasciturũ; quod significabat cũ seruo suo Eliezer, quem mittebat ad accipiẽdam filio suo Isaac vxorem, ait: Pone manum sub femore meo, & iura mihi per Deum cæli. Ergo quæ fuit illa iuratio, & quare hoc modo facta, nisi quia significabatur, de genere Abrahæ venturus in carne Deus cæli? Aut vt alij non ineptè sentiũt, tunc diẽ Domini Abraham vidit, cum in figura summæ Trinitatis tres Angelos hospitio recepit. Quibus profecto susceptis, sic tribus quasi vni locutus est: quia etsi in personis numerus Trinitatis est, in natura tamen vnitas est diuinitatis. Vel diem suum dicit diem crucis, quem Abraham oblatione arietis & Isaac præfigurauit. Verum missa faciamus hæc, dicẽtes; Abraham vidisse diẽ Domini, quãdo iam in placida sanctorum patrũ requie positus, cognouit filiũ Dei esse incarnatum. Erat enim illa dies Domini, quo carnis nostræ substantiam pro nobis assumpsit. Et id quidem cognouit Abraham cõpletum esse, per testificationem iusti Simeonis, qui post Dominum susceptum in vlnis requieuit in pace, & intimauit sanctis patribus eum natum. Aut per

denuntiationem Angelorum, ſanctos patres viſitatium ſæpiùs, & quæ conſolationé eis afferrent; ſpemque propinquæ liberationis præſtarent, beniguiter ipſis ſignificantium. Cum itaque editus eſt in mundum virgineo partu Dominus noſter, quis addubitauerit, Angelos antiquis illis patribus annuntiaſſe Saluatoris ortum, ſicut & in terris nuntiauerunt paſtoribus? & tunc ſanè Abraham vidit diem Domini, de quo dicit Pſalmus 117. Hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lętemur in ea. Et gauiſus eſt illum diem ſalutiferum tandem aduenisse, quem vt videret multis ante ſeculis & annis exultauerat; cum ſcilicet adhuc in carne poſitus repromiſſionem accepit Chriſtum ex ſe naſciturum eſſe, cuius complendæ promiſſionis diem cum gaudio expectabat, ſperabatq; venturum. D. Cyril. ſuper Ioan. lib. 6. cap. 11.

Abraham pater veſter exultauit, &c. Vide D. Tho. 1. 2. q. 98. art. 4. in corp. & 3. par. quæſt. 31. artic. 1. per totum.

Vidit & gauiſus eſt. Cur non diem Chriſti intelligimus tempus Chriſti, quo erat vęturus in carne: quod & Abraham, ſicut & alij Prophetæ, in ſpiritu potuit videre, atque gaudere? Vide D. Auguſt. lib. 3 contra Maximinum Arrianorum epiſt. cap. 26. circa finem to. 6.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum, quinquaginta annos nõ dum habes, & Abraham vidiſti? Iſti ſe maximè iactabãt quod filij eſſent Abrahæ, & tamen eius fidem & virtutem imitari nõ ſtudebant. Cæterùm quid prodeſt ſtumini ex limpido dulciq́ue exoriri fonte, ſi quia per loca immunda labitur & pertranſit immundum ſalſumq́ue redditur? Quid prodeſt quempiam ex bonis eſſe prognatum, ſi ipſe ſuis vitiis ſeſe inficiat atque contaminet? Quid proderit coruo ſeſe gloriari de pſitaci plumis ſibi affixis quando omnes norunt illum eſſe nigri atriq; coloris? Vide Hecto. Pin. ſuper Ezechie. 16.

Veram nobilitatem inquit Seneca, ſibi quiſq; inchoare poteſt: virtus ſiquidem ipſa eſt quæ vnũquemque illuſtrem reddit. Sic nobilitatem quandam aſſecutus eſt Socrates, Cleantes, Plato, & alij huiuſmodi. Vide Senecam lib. 5. epiſt. epiſt. 44. circa medium.

De ſanguinis nobilitate inſoleſcere vanum eſt. Gal. 6. D. in Chriſto enim Ieſu.

De proſapiis ſe iactare vanitatis eſt. Gal. 5. B. in Chriſto Ieſu neque circumciſio.

Propter generis nobilitatem inſolentia efferri turpe eſt. Roman: 11. C. tu autem cum oleaſter eſſes.

Vide etiam de hoc argumento 1. ad Timo. 1. A. fabulis & genealogiis. ad Ephe. 2. A. B. C. cum eſſetis mortui. & 5. C. eratis aliquando tenebræ.

Quemadmodùm ex fœcunda etiã terra ac fertili, ſæpè enaſcuntur noxiæ herbæ & peſtiferæ, vt cicuta, & aliæ id genus; & ex ſterili ſæpè exoriuntur ſalutares atque odoriferæ plantæ: ad eundem modum ſæpè videas vt ex nobilibus parentibus & virtutis ſtudioſiſſimis, gignantur ſceleratiſſimi liberi, & contra ex ſceleratis parentibus, filij virtute probitateq́ue præcellentes.

Dixit eis Ieſus: amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Deo magis proprium & peculiare eſt nomen ſubſtantiæ: ideò & ad Moyſen ait: Ego ſum qui ſum. Cæterum in ſacris literis vt inquit D. Hieron. in Commenta. Abdiæ, ea quæ pereunt quæque peritura ſunt, nõ eſſe meritò dicuntur. Vnde Abdias inquit, bibent omnes gentes iugiter, & erunt quaſi nõ ſint. Et in lib. Eſther legimus, non tradas Domine regnum tuum his qui non ſunt. Item, ipſi me irritauerunt in his qui non ſant dij, ego eos irritabo ſuper gente quæ nõ eſt. Si igitur nil in mundo ſtat, ſi omnia continue currunt, quorſum fiduciam rebus mundanis adhibebimus? Homo etiam inquit Iob, fugit velut vmbra, nõ dixit, fugit velut corpus, ſed vt vmbra: quia nil inconſtantius, nilq́ue fugacius. Porro nec dicit, homo mouetur, ſed fugit; vt innuat velocitatem & breuitatem vitæ. Si curſor quidam maxima cum celeritate ciuitatem quandam pertranſiret, & magnis vocibus atque ſublatis clamaret: mea eſt hæc ciuitas, mea eſt hæc ciuitas: protinus autem ab eadem ciuitate exiens, nũquam amplius appareret: nonne huius imperium ridiculũ exiſtimaretis? Tália igitur ferè imperia & poteſtates huius mundi debetis iudicare. Iob. 9. dies mei velociores tranſierunt curſore. Dixit autem velociores, quia etiamſi maximam adhibeat celeritatem in currendo aſſiduus curſor, tamen nõnihil temporis tum in dormiendo tum in comedendo, & aliis id genus conſumit. At vero dies hominis, ſiue comedat, ſiue dormiat, celeri ſemper curſu in mortem ipſam tendunt. Cæterum illum non eſſe hominem vulgo dicere cõſueuimus, qui in rebus peragendis inconſtans mutabilisq́ue ſit: ob quam cauſam etiam eius amicitia & ſocietas à nobis reſpuitur. Tales ſunt res mũdanæ, inconſtantes atq; mobiles, tales ferè hominum vulgo amicitiæ: nã ſi hodie diligeris, craſtino die odio habbeeris. Itaq; cautio tibi eſſe maxima debet, vt eum deligas, diligasq́ue amicum, qui amicitiæ ipſius iura veriſſime conſtantiſſimeq́ue ſemper ſeruet: talis eſt Deus ipſe, cuius præceptis ſi vigilanter & neruoſe inſiſtas, immortali te ſibi amicitia amoreq́ue deuinciet.

Antequam Abraham fieret ego ſum. Vide D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 10. per totum. & in 1. ſenten. diſt. 8. q. 1. ar. 1. & 3. per totum. & de poten. q. 2. art. 1. per totum. & ſuper D. Diony. cap. 5. lect. 3. initio.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Nõ autẽ abſcondit ſe in angulo templi, quaſi timẽs; aut in domũculam fugiens; vel poſt murum aut columnam diuertẽs: ſed cælica poteſtate inuiſibilem inſidiantibus ſe conſtituens, quemadmodùm cum ſui de ſupercilio montis præcipitare eum voluiſſent, ipſe tranſiens per medium illorum ibat. Vnde nobis memorabile relinquit exemplum, vt etiam cum reſiſtere poſſumus, iram ſuperbiẽtium humiliter declinemus. Vt enim ſubtractione ligni extinguitur ignis, & diminuitur: ita abſentia eius in quẽ quiſpiam ira inflammatur, ſedatur & mitigatur efferuentis iræ incẽdium, & ad lenitatem reuocatur ebulliens animus. Sane cum effectus iræ immoderatu ſuo ruat impetu in multa facinora, hominemq́ue cæcum trudat in varia ſcelera, quorum deinde amara & ſera ducitur pœnitudine; optimum eſt ad rectam vitæ inſtitutionem documentum, vt hanc immanem belluam vinclis fręnemus & catenis, ipſamq́; effrenẽ intra rectæ rationis metas atque leges cohibeamus. Quo vero pacto violentiam iracundiæ, & exæſtuantem flammam coerceamus, Dominus præclara nobis documenta ſuo exemplo tradidit. In primis quidem quod iniuriis etiam falſo illatis laceſſiti à proximis, eorum etiam vera mala quæ noſcimus, taceamus; neque pro contumelia reddamus contumeliam, ne conçitatum iracundiæ in proximo æſtum magis ac magis excitemus, atque nos

nos ipſos vlciſci reciproca illatione contumeliæ contendamus. Quod quidẽ Apoſt. ad Roma. Scribens præclarè admonuit, nulli malum pro malo reddentes, nec maledictum pro maledicto, non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Deinde iniuriantium nobis animos exhibitione beneficiorum frangere atque nobis beneuolentia deuincere annitamur. Cum enim iracundus animus perſpexerit nos pro maleuolentia & maledicto referre beneficium atque officium, niſi ferreus fuerit aut adamãtinus, flectetur ad lenitatem ipſam & manſuetudinem. Id quod beatus Paulus nos edocuit ad Romanos dicens, ſed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eis. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Demum cum perſpectum habemus, nec mitia verba commotos animos lenire poſſe, quæ tamen magnam habere ſolent ſedandæ iræ efficaciam, cum dicat Sapiens, Reſponſio mollis frangit itam, durus autem ſermo ſuſcitat furorem: Et rurſum, verbum dulce amicos multiplicat, & mitigat inimicos: neque beneficia pro cõtumeliis retributa, furorem iræ temperate valere; ſecedere ab iratis, & noſtram ſubmouere præſentiam debemus, vt ſaltem abſentia noſtri, æſtuantis animi & ebullientis paulatim reſidat indignatio. Nempè exemplo Domini noſtri longè glorioſius eſt irã tacendo fugere, quam loquendo ſuperare. Et id fortis animi indicium eſt, vt accepta contumelia nequaquam commoueatur: melior enim eſt patiens teſte Sapiente, vito forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium. D. Cyrill. ſuper loann. lib. 6. cap. 12.

Mirum valde eſt fratres chariſſimi, cur perſecutores ſuos Dominus ſe abſcondendo declinauerit qui ſi diuinitatis ſuæ potentiam exercere voluiſſet, tacito nutu mentis in ſuis eos ictibus ligaret, aut in pœnam ſubitæ mortis obruerer. Sed quia pati venerat, exercere iudicium nolebat. Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, niſi vt etiam cũ reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus? Vnde & per Paulum dicitur, date locum iræ. Quanta humilitate iram proximi ferre debeat, perpendat quidem homo, ſi furores irascentium abſcondendo ſe, declinauit Deus. Nemo ergo ſe contra acceptas contumelias erigat, nemo conuiciis conuicium reddat. Imitatione etenim Dei, glorioſius eſt iniuriam tacendo fugere, quam reſpondendo ſuperare. Sed cõtra hoc ſuperbia dicit in corde. Turpe eſt, vt accepta iniuria taceas. Quiſquis conſpicit quia contumeliam accipis, & taces; non putat quia patientiam exhibes, ſed crimina agnoſcis. Sed vnde vox iſta in corde noſtro contra patientiam naſcitur, niſi quia in imis cogitationem fiximus, & dum in terra gloriam quærimus, placere ei qui nos de cælo conſpicit, nõ curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei: ego non quæro gloriam meam eſt qui quærat & iudicet. Hoc autem quod de Domino ſcriptum eſt; abſcondit ſe, intelligi & aliter poteſt: Multa quippe Iudæis prædicauerat, ſed prædicationis eius verba deridebant. Deteriores quoque ex prædicatione facti ſunt, qui vſque ad iaciendos lapides peruenerunt. Et quid abſcõdendo ſe Dominus ſignificat, niſi quod eis ipſa veritas abſconditur, qui eius verba ſequi cõtemnunt? Eam quippe quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. D. Greg. ſuper Euang. hom. 18.

Ieſus autem abſcondit ſe. &c. Quid eſt ergo quod tu ignominiam exiſtimas, fugere ab homine furioſo, qui nil ferè differt à feris animãtibus? Quãdo feruet olla, & ius totũ diffunditur, præſens eſt remedium ſi à prunis eam abſtuleris: ſic furioſis hominibus ne debacchẽtur, auferre debes & ſubtrahere preſentiam tuam. Vnde Sapiens ait, honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus. Sic Iacob fugit à præſentia Eſau: & Moſes ab Ægypto; Dauid à Saule, Elias à Iezabel: & Paulus Damaſci ſubmiſſus eſt in ſporta. Interim tamen non defuit eis refugium & conſolatio diuina. Nam Iacob inuenit ſibi in domo Laban refugium, Moyſes eodem modo ſocerum inuenit principem & ditiſſimum, Dauid regnum, Elias angelum, & Paulus diuinas conſolationes. Imitandum eſt ergo exemplum Chriſti, & illa etiam eius amplectenda ſententia: ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.

Vide Ioannem Gerſonem 4. parte fol. 88.

Super epiſt. & Euang. duas habet conciones D. Antoni. initio 1. p. Theolog.

Vide eundem 1. par. hiſt. tit. 5. cap. 3. §. 8.

Tres habet conciones D. Thom. ſuper hanc domi. iuxta finem to. 16.

Conſule homil. Euſebij ſuper hoc Euangelium.

Lege D. Chryſoſto. ſuper Ioannem. homi. 53. tom. 3.

Ieſus autem abſcondit ſe, &c. Vide D. Thom. 3. p. q. 44. ar. 2. ad. 1.

Conſule D. Auguſt. ſuper Ioannem tract. 42. & 43. tom. 9.

Tulerunt ergo lapides, &c. Si Chriſtus modo voluiſſet, facillimo quidem negotio eos proſtrauiſſet, & confudiſſet, adeò vt cum ad lapides colligendos ſeſe inclinaſſent, in medio ipſo barathro ſe potius conſtitutos vidiſſent: ſed exemplum clementiæ & patientiæ, non autem vindictæ nobis relinquere voluit. Cæterum quot peſtifetas animo voluis cogitationes, tot lapides vt in Chriſtũ iacias apprehendis: quod ſi conceptas eas cogitationes etiam ad opus referas, tunc quidem quodammodo lapides iacere videris. Porro abſcondere ſe Chriſtum, ſignificat quod veritas ab illis abſconditur, qui deprauatos ſuos errores complectuntur, & peruerſam degunt vitam: inde etiam diſcimus, quod licet de illatis contumeliis & iniuriis vindictam ſumere poſſimus, eas potius ſecedendo euincamus. Vide D. Thom. ſuper Ioannem 8. lect. 7. & 8.

Tulerunt ergo lapides. Impij & obſtinati cor, quouis lapide etiam adamantino durius eſt: nam & adamas humana molleſcit induſtria, at vero de proteruo & obſtinato dictum eſt: Sciui quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Ieremias etiam ait, indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerũt reuerti. Et rurſum, peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino. Cæterũ Plinius narrat lib. 2. eſſe in quadam prouincia flumẽ eius quidem naturæ & proprietatis, vt in ſe decidentes frõdes duras reddat vt lapides. Albertus etiam Magnus ait in Germania fontem eſſe, in quem quæcũque cõiicias, obdureſcunt veluti lapides. Ita quæcunque ſana conſilia dederis obſtinatis hominibus, ea conuertunt in lapides quoſdam, & obſtinationem maiorem. Vide Hecto. Pin. ſuper Ezech. 1.

Tulerunt ergo lapides, &c. Satis apertè iſti hoc facto declarant quanta flagarent iracundia, quanto que furore excæcati eſſent: quod vitium ſi hic deteſtari voles, aliqua ſubiungam.

Primos quidem iræ motus comprimere ſtatim

debemus,nullaque interposita mora, priusquàm altas in animo agat radices: vbi enim semel firmata est,& animum omnino occupauit, magno quidem imperio dominatur, ægreque auelli potest.Hæc rationem perturbat,sensus euertit,& voluntatem suo premit imperio. Vide Senecam lib. 1.de ira,cap.8.

Et iracundia quidem atrocissima bella, durissimæ captiuitates,crudelissimæ interneciones,ingentissima incendia,& alia id genus mala,oboriri solent.Vide Senec.lib.1.de ira.cap.2.

Imperator quidam vt refert idem Seneca vsq; adeò iracundia exæcabatur,vt cum aliquando ad negotium pertractandum legatos duos misisset, alterque citius altero rediisset, iusserit statim eum capite plecti: propterea quod falsa, iracunda, & precipiti ratiocinatione collegerat exhuius celeri aduentu,alterum ab hoc interfectum fuisse. Cæterùm cum miser legatus supplici prece postularet,vt saltemperbreue aliquod tẽpus supplicium differretur; quo alter rediret, ne minimum quidẽ concedere voluit,sed de supplicio inferendo duci cuidam mãdauit.Cùm igitur iam ad supplicij locum ventũ esset, gladiusque faucibus impenderet: ecce socium eius redeuntem,mutuoq; ipsum cum lachrymis præ nimio gaudio amplexantem: quo euentu populus non mediocriter lætatus,inde cum iucunditate illico abscessit. At imperator in quo iracundia tam altas egerat radices, ex rei euentu magis excæcatus, tres simul interfici iussit,ducem videlicet ipsum, & vtrumque socium: ita dicens. Te quidem interfici iubeo, quia iam damnatus es: te vero quod socio dãnationis causa extiteris: & te ducem, quod iniunctum mandatum minus obieris, ô diritatem & immanitatem ne belluis quidem tolerabilem! finxit, finxit tria ibi crimina iracundia,vbi clementia rectaque ratio, ne vnum quidem inuenisset.Lege Senecam lib.1.de ira cap.16.

Ira turbat rationem inquit D.Augustꝰ. æqualitatem ignorat, superioritatem nescit, amicitias frangit, sapientes stultos reddit, consilium non admittit.Vide D.Aug.ad fratres in eremo sermo. 9.tomo.10.

Cùm aliquando Philippus Macedoniæ rex iracundia affectus iniquam contra subditum sententiam tulisset, subditus videns iniquitatem ipsam, & quod rex per iracundiam in eam incidisset,statim subiecit: appello ô rex ab hac sententia. Quẽ cum Philippus derideret,dicens: ad quem appellabis, cum superiorem non habeam?subdidit ille, ad teipsum inquam appello, vbi primum iracundiam deposueris.Quo audito,rex intellexit se per iracundiam iniustam tulisse sententiam: atque ita eandem illico reuocauit.

Refert Valerius Maximus de Theodosio imperatore,quod cum nosset se paulò propẽsiorem esse ad iram edictum quoddam emisset, nequis quam ipse sentẽtiam tulisset, ante crastinum executioni mandaret,sub mortis interminatione.

Ælianus refert,quod Cambyses rex Persarum iracundum quendam iudicem billiq́ excæcatũ iusserit excoriari,eiusq́ pellem apponi & affigi iudicum tribunali, vt inde cæteri iudices exemplum sumerent,sibiq́ consulerent.

Sustine paululum modo inquit Seneca, venit ecce mors, quæ nos pares faciat: quid nobis cum dimicatione, & insidiis?nunquid amplius isti cui irasceris, quam mortem optas?etiam te quiescẽte morietur:perdis operam,facere vis quod futurum est &c.Vide Senecam lib.3.de ira cap.vltimo.

Nonnulli iracundi illud sibi refugium ridiculum si quando reprehendantur vsurpãt, quod scilicet eo tantùm vitio laborent, & quod pluribus quidem aliqui præter iracundiam dediti sint vitiis. Tum præterea, quod eorum iracundia non multum duret, sed sit breuis tantum quidam furor,& quod postmodum humanissimi sint.Hi certè ridiculi sunt,propterea quòd non minùs is suũ obiisse diem dicatur qui ex vnico tantùm vulnere occubuerit, quã qui centũ transfixus vulneribus interemptus sit.Tum etiam quia non multum refert voracissimo quodam incendio domus ne cõbusta sit breuissimo tempore,an vero longissimo, modo combusta sit & omnino deleta. Hæc fusius tuipse persequi poteris,& applicare.

Quemadmodùm fur ad furandũ noctem quandam obscurissimam ac densissimis offusam tenebris deligit; & lupus turbulentum expectat tempus quo gregem inuadat; piscator item fluuium quærit turbidum ad rete tendendum:ita dæmon rapacissimus prædo, voracissimus lupus, astutus piscator, iracundiæ expectat turbinem, imò ipse quantum in se est animum cuiusque conturbat & ad iracundiam exacuit,qua tandem interueniente alia atque alia suggerat mala,& in mille præcipitia iracundos homines coniiciat.

Quemapmodùm si sera aliqua interiores machinas luxatas conturbatasque habeat,neq; apertilis est, neque facilis vt claudatur:ita certè si præ iracundia interius animus ipse conturbetur, neq; facilis est ad ea quæ rationi consentanea sint percipienda, neque ad verum ipsum discernendum ac dijudicandum.

Quemadmodùm arboris trunco commoto & agitato, & frondes & rami mira statim celeritate conturbantur atque agitantur:sic corde ipso per iracundiam bilemque turbato, illico & brachia ipsa, & crura, oculi, lingua, & cætera denique membra ceu rami quidam & frondes,conturbantur,& commouentur.

Iracundia & furor quantum incommodet, lere.1.C.ollam succensam ego video.

Quam noxia sit implacabilis ira. Esther 5. C. indignatus est valde.

Fugiendum est ab iracundo.Prouer.26.C.sicut qui apprehendit auribus canem.

Feria secunda post Dominicam in Passione.

MISERVNT *Principes & Pharisæi ministros,vt apprehenderent Iesum. Ioannis 7.* Nihil magis animum torquet inuidum, quam audita illius laus & præconia, in quem stimulatur inuidia. Nam cum in illum maligno afficiatur animo, & ipsum perditum iri summopere affectet, si contra audiat eum laudibus extolli, id venenatum excruciat animũ, & acrioribus dolorũ stimulis peruget. Hoc morbo graui laborabant Pharisæi, ægre ferentes turbam tacitis etiam verbis, & prelis ferè labiis sub silentio, id de Christo testificari, quod eorum re pugnaret sententiæ. Hinc grauius solito sæuientes, ministros miserunt qui comprehenderent Iesum, Miserunt autem ministros Pharisæi,vt si aliquis suboriretur in populo tumultus contra volentes comprehendere Iesum,ministri quidem essent illi periculo obnoxij, ipsi autem exempti, & à discrimine tuti. D. Cyrillus super Ioann.lib.5. cap.7.

Hi quidẽ ministri quamuis intenderent Christum

stum Dominum apprehendere, nihilominus tamen eo audito,subito voluntatẽ suam immutarũt atque ab incœpto destiterunt: ita nos cum aberramus,nos gerere debemus.Qua de re etiam philosophus ille Periander nos monitos voluit, dicens: cum erraris, muta consilium. Philippides dixit: cum peccaris in re aliqua,libenter vinci te sinas. Huc etiam spectat illud Demosthenis, rationem cupiditatum dominam custodito,conseruatoq́ue ab errore.

Vide quæso quam temerarij essent isti, qui in Christum Dominum innocentissimum sacrilegas iniicere manus vellent. De temeritate porro siue audacia procacissima,si agere voles,videbis Vinc. Bell.spec.doctr.lib.4.cap.123.

Considera quã hostiles haberent animos Pharisæi, qui in Christum Dominum tantopere debaccharentur, vt non solùm eum comprehendere iuberent, sed etiam tandem inueterata inuidia ei necem inferrent: à quibus inimicitiis & animis hostilibus quãtopere nobis fugiendum sit, vide etiam Cõci.Prouin.Agathen.celebratum sub. 35. epis.cap.22.vbi dicitur.Qui inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu iustissima excommunicatione pellantur. Vide item dist.90.placuit etiam.

Hi ergo Phatisæi conspirauerant & coniurauerant in Christum Dominum,adeò vt de nece ei inferenda omnes malitiosè procurarent modos. Cæterùm & in Apostolum Paulum tale quidpiã etiam præstitum fuit vt constat,Act.23. & videbatur quidem eis quod id præstare deberent necessario,quando ita coniurauerant & quodammodò vouerant.Tales enim sunt plerique,vt tametsi iniustissima omnino vouerint & iurauerint, nihilominus tamen illa obstinate exequi velint:quod grauissimè reprehenditur in Conci.8. Toleta. celebrato tempore Martini Papæ cano.2. vbi inter alia quæ adferuntur, ita dicitur. Deus multoties comminatoria mutabat soluebatq́ue iuramenta: hoc in Niniuitis patet.Similiter in Israëlitico populo sæpè vltio promissa suspenditur. Iere. 18. si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo,quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam,&c.Si ergo nostra cõuersio sic diuinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lachrymæ, vel pressuræ, tam crudam non temperent ex miseratione vindictam?Cæterùm cum iuramus aliquod flagitium, creatorem quidem offendimus, sed nos solummodò maculamus: cum verò noxia promisse exequimur, & Dei iussa superbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliori gladio trucidamus. Vide insuper de hac materia D. Ambro.lib.1.offi. cap.50. & 22.q.2. non semper pro.& 22.q.4. non est ob.

Dixit eis ergo Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscũ sum, & vado ad eum qui misit me. Missi quidem sunt ministri ad apprehendendum Iesum, sed ipse salutaria eis verba profundit quibus è diuerso capiantur.Missi sunt ad eum ligandum: sed ipse cõtra felicibus doctrinæ suæ vinculis eos adstringit: prædicit eis quod modicum adhuc tempus cum ipsis futurus sit, scilicet vsque ad horam suæ passionis,& consummationem mysterij redemptionis humanæ, quo peracto, se rediturum dicit ad patrem per ascensionem,à quo missus est. D. Cyrill.super Ioan.lib.5.cap.8.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Hic pertractare poteris, si voles, de vita hominis breui ac misera.

Volens D.Ioannes Damascenus ostendere miseriam hominis,quamq́ue sit plena eius vita periculis,adducit quandam similitudinem,quę etiam refertur à D.Antonino in suis partibus Theologalibus. Similitudo ergo in hunc modum habet. Quidam fugiens ferocissimum quempiam horribilemque draconem, ne deuoraretur ab eo, casu infelici cecidit in profundissimum puteum, cumque deorsum ad ima putei tenderet, forte apprehendit ramum cuiusdam arbusculæ, quæ in ipso medio itinere putei fuerat procreata. Huic itaque manibus pedibusque innixus, & aliquantulum ab animi perturbatione sedatus atque quietus, ecce inspexit in radice ipsius arbusculæ duos grãdes hærere vermes, alterum album, alterum vero atrum eandem corrodentes maxima cum sedulitate radicem.Vnde miserus homo considerans sibi magnum imminere periculum, exhorrens casum profundum, oculos forte suos ad putei ima direxit, vbi etiam quendam immanem horrendumque serpentem oculis terribilibus, flammasque emittentibus, ore aperto expectantem eum quando caderet, intuitus est, timoreque correptus grauissimo, in sublime suspexit, & heu iam peruenerat draco ille terribilis, & in ore putei miserrimum hominem expectabat.Ille itaque in hac tanta animi perturbatione & perplexitate positus, rursus arbusculam intuitus est, viditque in quodam eius ramo pendentem fauum mellis,quẽ ibi examen apum pepererat, & manum extendẽs, accepit de eo partem aliquam, comedensque statim oblitus est miser periculi in quo versabatur. En igitur,vermes in ipsa maiori saporis oblectatione penitus radicem corroserũt arbusculæ, atq; subito ad putei ima delatus homo,in os serpentis horrendi decidit deuorandus. Draco quidem iste mors est, quæ hominem deuoratura persequitur: puteus vero est iste mundus;arbuscula, singulorũ vita:duo autem lethales vermes sunt dies & nox, qui vitam nostram sine intermissione corrodunt atque præcidunt. Serpens horrendus est infernus ac barathrum,quod aperto ore cadentem præstolatur vt deuoret,illum inquam deuoret,qui gustu mellis,hoc est mundanarum voluptatum & gaudiorum, illectus ac consopitus, maxima segnitia atque socordia vitam tandem in vitiis traducit. Vide etiam Hecto.Pintum super Ezech.28.

Mundana quidem stulte multi complectuntur quod cum ipsa propè intueantur, magna eisdem videantur: at cum diuina & cælestia à longè prospiciant,apparent eis parui momenti, exiguique ponderis. Quod si proximè accendentes animo à vitiis purgato inspicerent,aliud certè lõgèdiuersum iudicium proferrent.Id poteris fusius expolire.

Dixit ergo eis Iesus,&c. Aduerte quæso quam dulciter Christus Dominus eos qui eum apprehendere volebant, induceret ad vitæ emendationem, quamque potentia sua effecerit, vt minus se apprehenderent, licet ipsi adeò duri essent, vt nunquam ad fidem propenderent. Cæterùm si prurit animis videre singularem quendam attrahendi modum, quo vtitur Bernardus ille ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio,ad quendam à prauo itinere reuocandum, consules quandã ipsius epis. ad Robertum, cuius exordium est, satis & plus quàm satis; & alteram quæ inscribitur, ad Fulconem puerum,cuius initium est:bonæ indolis adolescenti Fulconi.

Verba Dei efficaciam magnam habent.*Ierꝰ.23.* nunquid non verba mea sunt *quasi ignis?*

Vide quod robur obtineant verba Dei & quomodo corda molle faciãt. Baruch 1. A. qui audientes plorabant.

Verba suauia mitigant iram ac furorem, Iudic. 8. A. requieuit spiritus eorum.

Verba mollia iræ extingunt incendium, Iudicum 12. A. disceptatio erat mihi.

Dulcia verba quantum possint, 1. Reg. 1. B. C. nequaquam Domine mi, &c.

Blanda dulciaque verba quam efficacia sint, 2. Reg. 19. C. & inclinauit cor.

Verba Dei quantum roboris habeant, Act. 2. F. quid faciemus viri fratres?

Dei verba maximam cõtinent efficaciam, Lucæ 3. C. quid ergo faciemus? Item magister quid faciemus?

Adhuc modicum tempus, &c. Præterquam quod vita nostra perbreuis sit, est etiam variis cõferta miseriis. Vt enim fluuius ab ortu suo, quoúsque tandem mare ipsum ingreditur, perpetuo suo cursu offendit interdum conualles, nunc præcipitia, iam prætupta & immania saxa, offendit etiam opposita sibi flumina, alia quidem turbulenta, alia amarissima: ad eundem modum miser homo à primo suo ortu, quoúsque tandem animam ipsam efflat, variis obiicitur fortunæ telis, multis calamitatibus, innumeris laboribus.

Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego vos non potestis venire. Non dixit, non poteritis venire, sed non potestis. Tales enim tunc erant qui non possent: nam vt sciatis nõ hoc ad desperationem dictum, & discipulis suis dixit tale aliquid. Quo ego vado, non potestis venire; cum pro illis orans dixerit, Pater, volo vt vbi ego sum; & ipsi sint mecum. Denique hoc Petro exposuit, & ait illi. Quo ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea. D. Aug. super Ioan. tract. 31.

Ne autem negligentes sint ad eum quærẽdum cum adhuc sese eis exhibet præsentem, sed sequantur Esaiæ monitum dicentis, Quærite Deum inueniri potest, inuocate eum cum prope est: prænuntiat eis quod cum abierit, magno quidem desiderio quærent eum, petentes videre vnum diem filij hominis; sed non inuenient. Sanè post ascensionem quæsiuerunt eum illi pio affectu, qui Petro prædicante compuncti sunt corde, dicentes. Quid faciemus viri fratres? non tamen corpore præsentem inuenerunt, quamuis secũdum diuinitatis præsentiam eis non defuit secundum quam nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. In miserabili etiam exterminio vrbis Solymæ, facto à Romanis paulò pòst Christi passionem, Iudæi qui tum superstites erant, & miracula Christi viderant, vbi eis in mentem venit præclaræ suæ virtutis & signorum: optabant quidem Christum habere tunc præsentem, ad sui liberationem ab imminenti excidio, quod satis animo coniectabant sibi immitti, ob iniustam mortem Christo illatam. Non tamen eum propugnatorem aut auxiliatorem inuenerunt: quia iam derelicta eis fuerat domus sua deserta. *Et vbi ego sum.* Non vbi ero dixit, quia ad humanam duntaxat conditionem attinuisset, qua iturus erat ad patrẽ: sed vbi sum, secundum deitatis substantiam, qua semper in patre & cũ patre est, neque à patris gloria discedit vnquam, quemadmodum prius apud hunc Euangelistam dicitur: vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit, & filius hominis qui est in cælo. Ad hanc ergo gloriam in qua Christus inseparabiliter est cum patre, non potuerunt Iudæi peruenire. Aut tunc cum eis loqueretur, si qui forte ex eis erant crediturí, & postea illud peruenturi, quia nondum erat aperta ianua cæli. Aut nunquam propter incredulitatem eorum, qui ad finẽ vsque in suo peccato erant perseueraturi. Non enim potuerunt hi peruenire ad gloriam cælestem, quia noluerunt pœnitentiam agere de malis suis: quorum grauitate viam sibi cæli præclusérũt obstaculumque posuerunt propria sponte, ne ad vitam ingrederentur. D. Cyril. super Ioan. lib. 5. c. 8.

Quæretis me, & non inuenietis. Non inueniemus quidem Deum, si vitiis perpetuo insistamus. Et certè mirùm est, quod si vrgente te siti in sylua aliqua, cuperes ex inuento potare fonte, videres tamen in eo animalia quædam venenosa, malles tolerare potius sitim, quam ex eo fonte bibere, idq; ne mortis tibi causam dares: videns vero vitia animæ tuæ interitum afferre, eligas potius in vitiis viuere, quàm ab eisdem animum tuum continere. Fluuiorum aquæ dulces fere sunt, in fine tamen cursus, amarissimæ reperiuntur & salsæ, ingredientes mare ipsum: ita vitia & flagitia initio dulcedinem quandam præse ferre videntur, at finis eorum interitus. Vnde etiam Euripides ille dixit, breuis voluptatis delectatio, tristitiam parit sempiternam. Quare cogitare debes de fine sine fine, vt viuas in æternum absque fine. Propones tibi etiam sententiam illam Amos 8. conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: proculdubio enim si perseueraris in vitiis, luctum tandem planctumque sempiternum sustinebis. Cæterùm statua illa à Nabuchodonosor in somno visa, ex capite aureo, pedibus vero terreis constabat: ita in vitiis principia pulcherrima aureaque peccatori videntur, at vero fines ipsi terrei sunt, & pernicioſissimi. Plorabat etiam Ieremias dicẽs, sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis sui. Quare quære Deum, & veniam postula antequam tenebrescat sol, & sensus obscurentur, antequam præoccupatus die mortis, locum quæras pœnitentiæ quando inuenire non possis.

Quæretis me, & non inuenietis. Nunquid fortasse vt conuertaris, expectas vt morbus te inuadat? expectas vt fiat medicorum consultatio de tua valetudine, quo ex corde tandem reuertaris ad Deũ? nunquid præstolaris vt te tanquam incurabilem & sine spe reparandæ sanitatis & vitæ, relinquant ac deserant medici, dicentes te tantùm ea nocte victurum? num expectas illos terribiles mortis indices qui horrendam atque tremendam mortem præcedunt? Præstolaris fortasse vt faciei color variè immutetur, vt illa te cordis deliquia vallent, illi lethales sudores inuadant, illæ mortis stimulationes cingant, atque dolores? Præstolaris vt pedes tuos pertententent, experientes sis ne morti vicinus? vt naribus speculum admoueant etiam, quo videãt num fortè halitu aliquo illud conturbes?

Deum quærere debemus, vt immortalem contingamus vitam, & nobis consolationem dẽt etiã in hac vita, quę plena mille miseriis est. Vide Lauren. Iusti. de contemptu mundi cap. 21. circa medium operum eius.

Quam tristis ac misera sit vita præsens, lege D. Augus. ad fratres in eremo ser. 49. circa finẽ to. 10.

Qua ratione traducere vitam debeamus, iuxta ea etiam quæ multi philosophi atque poẽtæ tradidere: consulito Vincen. Belluac. Specul. doctri. lib. 5. cap. 31. & 32. nonnulli item illorum referuntur qui vitam agebant temperate ac modeste, cap. 33. & 34.

Cum vita sit adeò breuis ac miserabilis, operæ pretium

pretium est vt nobis diligenter cõsulamus. Faciebat hoc Sextius ait Seneca, vt consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte meliores? desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionẽ sui sequitur, quam tranquillus, altus, ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus vt speculator sui censorque secretus, cognoscens de moribus suis! vtor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum ablatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor, facta ac dicta mea remetior, nihil mihi ipse abscondo, nil transeo &c. Vide Senec. lib. 3. de ira ad Nouatum cap. 36.

Hoc nos pessimo reddit, quod nemo vitam suam respicit, quid facturi sumus vix cogitamus, & raro: quid fecerimus non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit &c. Vide Senecam lib. 12. epist. ad Luci. epist. 84. initio.

Vitam emendemus, quamuis iam simus proiectiores ætate: ad quam sanè rem proderit valde reuocare in mentem & ob oculos ponere grauem quempiam studiosumque virum, & opera nostra facere eo modo, ac si præsens adesset institutor noster vel pædagogus. Vide Senecam lib. 3. epistol. ad Luci. epist. 25. per totam.

Vita nostra breuis ac miserabilis existit. Iob. 8. sicut vmbra dies nostri sunt.

Vita nostra misera est, Sapien. 4. C. fascinatio enim &c.

Quæretis me, & non inuenietis. Hoc loco differere poteris quantum nostra interfit in tempore conuerti ad Deum.

Quo pacto cõuerti peccator ad Deum debeat, vide apud D. Bern. sermo. 9. super Cant.

Quod necessarium sit nũc cũ tẽpus habemus, ad Deum ex corde vero conuerti, consule eundem super Cant. ser. 75.

De peccatoris & impij conuersione componit sermo. quendam D. Lau. Iust. quem inscribit, sermo exhortatorius ad conuersionem, & ad emollienda obdurata corda: existit autem non longè à suorum operum medio.

Quantum oporteat cito conuerti ad Deum, consule D. August. ad fratres in eremo sermo. 71. iuxta finem to. 10.

Conuertamur ad Deum qui vocat nos, Isa. 46. D. audite me duri corde.

Conuertamur ad Deum, neque flagella eius contemnamus quæ ad id nobis immittit. Iere. 5. A. percussisti eos, & non doluerunt.

Conuertamur ad Deum ni volumus deuastari Iere. 6. B. erudire Hierusalem.

Deus minatur illis qui non conuertuntur, Iere. 25. B. pro eo quod non audistis verba mea.

Reuertatur à via praua ad Deum, & ipse à supplicio conuertetur. Iere. 26. A. noli subtrahere verbum &c.

Conuertamur ad Deum, quoniam ipse nos benigne recipiet. Iere. 29. Cum quæsieritis me in toto corde vestro.

Conuertamur ad Dominum Threno. 3. E scrutemur vias nostras.

Vera conuersio ex corde vero promanãs, à Deo deber deriuari. Ezechiel. 11. D. dabo eis cor vnum.

Parum proderit conuersio, postquàm ingruerit definita calamitas à Christo Domino prænuntiata, qui dixit; quæretis me, & non inuenietis. Ezec. 33. G. & cum venerit quod prædictum est.

Conuertamur ad Deum qui nos vocat, Amos 5. B. quærite me, & viuetis.

Conuertamur ad Deum, & nobis clementer indulgebit. Michææ 7. B. educet me in lucem.

Nunc quoniam opportunum est tempus, ad Deum verè conuertamur. Sopho. 2. A. quærite iustum, quærite mansuetum.

Dum tempus est conuertamur ad Deum, ne forte nobis ianua occludatur. Prouerb. 1. C. D. vocaui, & renuistis.

Ab ineunte ætate conuertamur ad Dominum. Ecclesiastes 12. A. memento creatoris tui.

Sera conuersio Sapien. 5. A. ergo errauimus. C. talia dixerunt in inferno &c.

Quantum valeat in tempore conuerti ad Deũ, Ecclesiastici 6. B. fili à iuuentute tua.

Nobis consulentes conuertamur ad Deũ Gen. 30. E. iustum est igitur, vt aliquando &c.

In tempore conuertamur ad Deum in hac vita præsenti, quandoquidem in altera non erit locus. Ecclesiastici 41. B. non est enim in inferno &c.

Conuersionem nostram ne differamus, Lucæ 13. B. ecce anni tres.

Nullus est homo quantumuis senio confectus qui sibi non promittat ac persuadeat, se annum viuere posse: & hac quidem spe longioris vitæ, vita ipsa multis procrastinantibus sine emendatione vlla pertransit, morsque pallida imparatos atque inopinantes inuadit, sic adeò vt cum ad Deum cõuerti velint, & eum quærere, vix iam locus detur & commoditas. Sed sint potius quasi extra se positi, tot tantisque miseriis ex omni parte circundati, cincti, & vehementer oppressi.

Aduersus eos qui multa inutilia ac in longum protracta excogitãt, seque talia facturos pollicentur & sperant, dicentes illuc ibimus, ibi substantiã nostram atq; pecuniã distrahemus ad tales emendas merces, ex quibus plurimum referemus lucri, cum interim nõ considerent vitam nostram fumũ esse breuemq; vaporem, lege Iacobi cap. 4.

Ita sæpè perdite mundum desideramus, sectamur, complectimur, vt Deum quærere obliuiscamur. Necesse autem est mundum deseramus, atq; contemnamus, vt in nobis ad Deum quærendum illique ex corde libentissimo inseruiendum, excitetur affectus.

Quod Dominus Iesus exhortationis verbo, atque remunerationis promisso, præsens seculum docuit esse spernendum, consule D. Laur. Iust. lib. de vita solita. cap. 6. circa medium operum.

Ad præsens seculum spernendum, plures offeruntur occasiones, exẽpla, & rationes quibus moueamur. Lege eundem de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis cap. 1. & 2. ferè in principio operum eius.

Qua ratione temporaria ista contemnere & quærere debeamus æterna, consulito D. Ambros. lib. 3. officio. cap. 2.

Composuit quendam lib. D. Ambro. quem inscripsit de fuga seculi: existit in 1. tomo. operum ipsius.

De fallacia mundi & eius detestatione, propter tria præcipuè mala quæ in eo sunt, lege D. August. ad fratres in eremo sermo. 31. circa finem to. 10.

Quis sibi firmitatem pollicetur in mundo perituro? quis est adeò demens, vt velit inuenire constantiam in parte eius, cuius totum *existic* inconstans ruinæque proximum? Cæterum maximum solatium est cogitare *id* sibi accidisse, quod

ante se passi sunt omnes, omnesque passuri, &c. Vide Senec. lib. de consolat. ad Polybium cap. 21.

Sicut nemo sanæ mentis potaret ex fonte, in cuius imo videret colubros, bufones, & alia animalia id genus immunda, & venenosa: ita si homo per diligenter consideraret huius mundi mala, labores, infelices successus, tremendas miserias, quanis grauissima terrenorum premeretur siti, nollet tamen ea gustare, ac ne videre quidem.

Quemadmodùm pueri suis ludis interdũ sibi quendam regem eligunt, qui ludo durante iuxta lusionis leges aliis imperat, atque præscribit agenda, ipsique reliqui parent; at finito ludo solent ei qui regem egerat capillos euellere, eum percutere palmis, tanquam suæ regiæ potestatis imperium quod exercuerat despicientes; ita ferè solet mundus, qui quosdam in perniciem humanis honoribus, rebusq; secundis extollit, & exornat, tamen terminato ludo, finitaque fabula vitæ præsentis, eis illudit, eos subsannat, bonisq; omnibus & honoribus spoliat atque denudat.

Apud Scythas est flumen quod in ortu suo dulce est ac suaue, sed tamen postmodùm illi coniungitur fons quidam adeò amarus, vt & illud reddat amarum, atque morbiferum. Talis est mũdus, qui initio se suauem atque præclarum quodammodò exhibet: sed in exitu patefacit suam amaritudinẽ, atque venenum.

Vt bombyx quasi sedulo de suis visceribus deducit fibram, qua mira solicitudine & arte quadam, intexit & conficit sibi inuolucrum, in quo incluſus, tandem moritur, atque ita quasi ignarus sua diligentia sibi componit carcerem, ac sepulchrum: ita qui rebus mundanis nimium inhæret, & mancipatur, seipsum irretit velut ignarus, carcere quodam premit, atque concludit.

Quando in papyro quadam depingitur orbis sciographica descriptio, seu vt vulgus appellat, mappa mundi, in qua loca varia vrbes, turres castella, tractusque pinguntur, si forte aqua made fiat papyrus, facillimè rumpitur prædicta pictura, ac subinde altæ turres in terram cadunt, & vrbes pedibus proteruntur: pari ratione mundanæ se habere solent prosperitates & felicitates, tumores hominum, elationes humanæ, præaltæque cogitationum inanium turres; hæc enim omnia vno tantũ morbi flatu aut vno fauoris humani deficiente remusculo, prostrãtur, & vertuntur in nihilũ.

Quemadmodùm rota quanto minus solum tangit, tãto velocius mouetur, ac voluitur leuius; quoniam sic non hæret aut mergitur: ita bonus quanto leuius ista mundana contingit & hæret ipsis, tanto celerius in virtute progreditur. Et sicut rheda quamuis multum de figatur in terram, maiorem tamen partem quæ terram ipsam non tangat, habet eductam, ea tãtummodò parte contingens terram, qua tangere necesse est ad sustentandum suum pondus. Sic etiam vir prudens & & verè sapiens quamuis mundum tangat, quia dũ in hac vita mortali moratur, sine mundo esse nõ potest: tamen ita tenuiter eum attingit, & tam exiguam de mundo sustinet curam, vt cælestia potiùs perattente contempletur.

Sicut qui noctu transiens iuxta lacum aquam claram ac quietem continentem, splendentem lunam stellasque in aqua ipsa contuetur, in qua tamen reuera non sunt illa quæ videt, sed in cælo potius: ita licet Dei seruos in mundo manere videamus, sunt tamen in cælo cogitatione defixi, in quo est ipsorum conuersatio.

Quo pacto mundanæ vanitates contemni à nobis debeant, vide D. Ambros. lib. 1. officio. cap. 18.

Vbi sum ego vos non potestis venire. Populus quidẽ iste verè non quærebat Christum, ac proinde neque poterat ad eũdem venire. Siquidem Christus Dominus contemptor erat mundi atque diuitiarum, cæterum illi mundo diuitiisque inhiabant, quæ quidem multis intercludere solent viam ad Deum. Hic si voles differere hac de re, pauca subiiciam.

Quod quo plura quis possidet & locupletior est, tanto magis indigere videatur, & quod omnibus congregandis inhiantes, vitam inquiete traducant, deque ipsorum in pauperes impietate, ob duratione, & de aliis id genus: consule D. Amb. in lib. quem inscripsit de Naboth Iezraelita, qui exiſtit iuxta finem to. 1.

Comparationem de camelo & foramine acus, adductam à Christo Domino cõtra diuites Matt. 19. inuenies explicatam à D. Ambro. in lib. qui inscribitur opus sermonum cap. 8. circa finem to. 3. Tum illud de diuite qui fructus vberes messuit, Lu. 12. explicatur in eodem lib. ser. 83.

De diuite qui plures messuerat fructus, horreaque sua maiora facere volebat, sed repentina mors id illi facere non concessit, cõsules etiam D. Aug. ad fratres in eremo sermo 75. prope finem to. 10.

Quod diuitias temnere debeamus, etiam iuxta philosophorum sententiam, vide Vincen. Bellua. spec. doctr. lib. 4. cap. 148.

Quod diuitiæ fallaces sint ac deceptrices etiã iuxta philosophos, & quid præterea senserint philosophi de eisdem, consule eundem specu. doctri. lib. 5. cap. 72. 73. 74. 75. & 76.

Vide eundem spec. hist. lib. 15. cap. 79. & 80.

Quæretis me & non inuenietis. Quæ fuerunt eum quemadmodùm inquit, Lucas 23. cap. videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat: & omnis turba eorum qui simul aderãt ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.

Quæretis me, & non inuenietis. Vulgatum quidem illud est, tum demum boni præstãtiam deprehendi, cum nobis perierit, Nunc cum homines tantopere possunt ex diuinæ misericordiæ largitate sibi magnoperè consulere, eam quidem plerique eorum paruipendunt; at olim in iudicio extremo, impij tametsi illam maximè desiderare videãtur, non tamen consequentur. Saul quidem Dauidem fortissimum ducem parum æstimabat, qui tamen columna erat totius imperij eiusdem, at in Gelboe cum eo maximè indigeret, habere eundem tamen non meruit.

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid in dispersionem gentiũ iturus est, & docturus gentes? Hoc est quod Iudæi dispersionem gentes appellabant, quia vbique dispersæ essent, & promiscuè inuicem miscerentur, quam ignominiam ipsi postmodùm subierunt, ipsi namque facti sunt dispersio. Antiquitus enim Iudæorum natio in sola Palæstina, & nusquam alibi inueniebatur. Propterea dispersionem gentiles vocabant, eis exprobrando, se iactando. Quod autem dicit, quo ego vado, vos non potestis venire, illi: omnes tunc commixti erant & vbique terrarum erant Iudæi. Non ergo si gentes significaret, diceret: Quo vado, vos non potestis venire. Nam illis dicentibus nunquid in dispersionem gentium iturus est? non vt offenderet, sed doceret, his vsus est verbis, quibus sedata ira crediderunt: neque

neque enim aliter quæsissent inuicem quid dicerent. D. Chrysost. super Ioann. ho. 49.

Id incõueniens censeri non debet, si dixerimus Iudæos ipsos cum in hæc proruperunt verba de Christo, nunquid in dispersionem gentium iturus est, aut docturus gentes? nescisse quidem quid dicerent: sed quia Deus voluit ipsos prophetasse, diuinoque quodã instinctu prædixisse quod futurum erat. Quemadmodùm & Caipham pontificem omnino ignarum mysterij passionis dominicæ, & quantus ex illa penderet humanæ salutis fructus, Euãgelista prophetasse scribit quod Iesus moriturus erat pro gente, cum hæc protulit verba: Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Siquidem iturus erat Dominus ad gẽtes, non præsentia corporis sui, sed discipulorum suorum pedibus, in quibus & ipse fuit, & docuit gentes, cum dicat Euangelista de discipulis. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. D. Cyril. super Ioann. lib. 5. cap. 9.

Quis est hic sermo quem dixit, quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire? Apostolus ad Corin. scribens, inquit: carnalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Nam quia carnaliter affectus est, secundum carnem quoque omnia diiudicat. Ita Iudæi more suo carnaliter Dei verba intelligentes, neque capientes eum de reditu ad cælestia regna vnde ad nos descenderat, sermonẽ agere: ad terrenum labuntur sensum, à vera intelligentia longè abhorrentem. D. Cyrill. super Ioan. lib. 5. cap. 9.

In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Hoc est nemini vim facio, neminem traho: sed si quis libens & promptus accedit, si quis ardet desiderio, hunc ego aduoco. D. Chrysost. super Ioann. ho. 50. to. 3.

Festum illud celebrabatur septem diebus & primus & vltimus dies solenniores erant, sicut & apud nos primus dies festi & octauus solennis est magis. D. Thom. super Ioann. 7. lect. 5.

Rectè dicit Ecclesiastes, omnia tempus habẽt, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo. Tempus enim tacendi, & tempus loquendi. Quam temporis opportunitatem commode hic seruauit Dominus: nempe primus dies solẽnitatis paucos adhuc habuit præsentes exteros, & infrequens auditorium. Medij dies festi, voluptatibus & mundi negotiis potius, quam Dei cultui adhibebantur. Nouissimus autem dies & maiorem habuit præsentem auditorum numerum, & deliciis finem imposuerat, cum iam de reditu foret cogitandum. Itaque eo die tanquam cæteris commodiore, ipse fons vitæ exuberantissimus, omnes veram sitientes doctrinam, & Dei cognitionem habere desiderantes, dulciter inuitat vt ad se veniant, & bibant potum illorum salutarem qui animam reficiat, & omnem æstum cupiditatum huius mundi restinguat. Neque modica breuique mensura se illis quod bibant præstiturum pollicetur; sed in tanta affluentia, vt de ventre intimoque cordis arcano, flumina aquæ viuæ, varia scilicet sancti Spiritus dona & gratiarum charismata, in alios profluant. Enimuerò argumentum abundantiæ interioris, est copiosa in exteriora deriuatio. Namque cum fontem videmus vicinos agros suis irrigantem fluentis, illum fœcundum & aquis exundantem, eo signo cognoscimus. Cum itaque tanta futura sit aquæ viuæ in credentibus in Christum copia, vt instar fluminum emanet & defluat in alios, quãta putandum est largitate, quãta vbertate, aquam illam spiritualem & mysticam in intimis credentium visceribus scaturire? Nomine autem aquæ viuæ Dominus hoc loco, vt exponit Euangelista, Spiritus sancti dona gratiamque significat, sicut ipse alio loco ad Samaritanam dicit. Si quis biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Qui hanc aquam parui faeit, neque curat haurire, aridus relinquitur, & omni virtutis fructu priuatur, vt populus Israeliticus, de quo per Hiere. cõqueritur Domin⁹, duo mala fecit popul⁹ meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. D. Cyrillus super Ioann. lib. 5. cap. 10. Hiere. 2.

Si quis sitit veniat ad me. O liberalitatem immensam! omnium, si dici potest, & prodigus pater æternus: dat in pretium filium, spiritum vero sanctum vt nos adoptet in filios. Attende etiam filium qui seipsum dat, omnes vocat, inuitat omnes. Tantum petit vt sitiant, atque desiderent ex suis proficere donis. Vide Vuerricum super hunc locum.

Si quis sitit, &c. Non aquam visibilem commendat, sed aquæ nomine inuisibile Dei donum, sanctum spiritum, commendabat, sicut euidenter Euangelista testatur, adiungens. Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Vide D. Aug. lib. 2. cõtra Cresconium Grammaticum cap. 14. to. 7.

Tu enim dixisti, inquit idem Augustin. ore tuo sancto & benedicto 3 siquis sitit, veniat ad me & bibat. Fons vitæ, da sitienti animæ semper bibere ex te, vt secundum sanctam & veridicam promissionem tuam, de ventre meo fluant aquæ viuæ. Fons vitæ, reple mẽtem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscat quæ vana sunt & terrena, & te solum iugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est Psal. 76. Memor fui Dei, & delectatus sum. Da mihi spiritum sanctum tuum, quem significabant illæ aquæ, quas sitientibus daturum te promiseras, &c. Vide D. August. lib. 1. Medita. cap. 37. to. 9.

Si quis sitit. Semper quidem seruus Dei sitit in hac vita, desideratque patriam illam cælestem. Vnde Dauid, quemadmodùm desiderat ceruus, &c. Item tunc satiabor, cum apparuerit gloria tua. Cæterùm si fusius de hac siti differere voles, vide D. Augustinlib. 1. Medit. cap. 26. to. 9. vbi hymnum quendam habet de gloria paradisi, in quo quidem describit eius præstantiam, quamque merito debeamus omnes eam sitire: exordium vero est, Ad perennis vitæ fontem, &c.

Qui credit in me sicut dicit scriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ventrem cor dicit, vt alio in loco: Et legem tuam in medio ventris mei. D. Chrysost. super Ioan. ho. 50. 3.

Fructus inuitationis Christi est redundantia bonorum in alios: vnde dicit, Qui credit in me, &c. Quod quidem secundum Chrysost. legẽdum est sic. Qui credit in me, sicut dicit scriptura. Hic subdistingue punctuando, & posteà subsequitur, flumina, &c. Nam si dicis, qui credit in me, & posteà subsequatur, sicut dicit scriptura, flumina &c. non videtur conueniens, quia hoc quod dicitur, flumina de ventre &c. non inuenitur in aliquo lib. veteris testamẽti; hoc ergo modo dicatur. Qui credit in me sicut dicit scriptura, id est secundum scripturę documenta. Supra 5. scrutamini scriptu-

ras.

ras, ipſæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Et tunc flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et dicit,qui credit in me,cum ſupra dixerit,qui venit ad me,quia idem credere & venire,Pſal.33.accedite ad eum & illuminamini,Secundum Hiero, vero aliter pũctuatur ſic. Qui credit in me:& poſteà ſubditur, ſicut dicit ſcriptura, flumina &c, Quod vt ipſe dicit de Prouer. ſumptum eſt. Prouer,5.bibe aquam de ciſterna tua,& fluentia putei tui;deriuẽtur fontes tui foras.D.Tho. ſuper Ioan. 7.lect.5.

Flumina de ventre eius, &c. Qui de nouo teſtamento biberit, non ſolum flumen eſt,ſed flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: flumina intellectus,flumina cognitionis,flumina ſpiritualia,&c. Vide D.Amb.lib.10.epiſt.82.

Flumina de ventre eius,&c. Quod promiſſum tunc audiuimus,inquit D.Gregorius,etiam nunc completũ videmus:ecce enim in ſanctis prædicatoribus per cunctam Eccleſiam in toto orbe diffuſam fluenta cæleſtium mandatorum vbertim manant, ore gentilium,&c.Vide D.Greg.lib.18.Mora.cap. 22.& lib.1.ſuper Ezech.ho.10.Vide item D.Baſil. explicantem Pſal.45.ſuper illa verba,fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, vide Gloſſ. incogn. verſi.758.

Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum. Super epiſ.& Euang.Duas habet concliones D.Antoni.initio.1.par.Theologa.

Feria tertia poſt Dominicam in Paſſione.

AMBVLABAT Ieſus in Galilæam,nõ enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere: erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum Scenophegia. Ioannis 7. Poſt hæc inquit quæ facta dictaque ſunt vt in ſuperioribus patuit, ambulabat, id eſt conuerſabatur in Galilæa, quod non vltro nec libenter, ſed neceſſario factum adiecta cauſa oſtendit. Idcirco enim inquit in Galilæa cum alienigenis longo tempore fuit, quia Iudæi quærebant ipſum vt interficerent.Magna profecto hæc rurſum Iudæorum accuſatio eſt, quorum crudelitate fiebat vt apud alienigenas degeret.Quod futurum Ieremias prædixit. Dereliqui enim, inquit, domum meam,dimiſi hæreditatem meam, dedi animam dilectam in manus inimicorum eius. Gentes enim quoniam creatore neglecto creaturas colebant,inimici Dei erant.Qui enim inquit, mecũ non eſt, contra me eſt.Ante vero Chriſti tempora Deum verum gentes ignoraſſe nemo vnquam dubitabit.Erant ergo contra Deum,& in inimicorũ loco conſtitutæ.Magna igitur illorum fuit crudelitas,qua fiebat vt conuerſari cum inimicis,quam cum ſuis viuere mallet, qui ſaltem quoniam carne coniunctus ſecum erat, diligere ipſum debebant. Iure igitur ad gentes ſe poſteà tranſtulit, quod ſe facturum iam reipſa minabatur: magna quaſi voce clamans,niſi perſequendi finẽ faciant, omnino ſe ad gentes abiturum.Quod autem modo reipſa minari videtur,id priſcis temporibus figura quadam ſuboſtẽdebat,occultè per ænigmata relicturum ſe Hieruſalem ſignificans.Nam quando de ſacrificiis leges ferebat,vt in leuitico ſcribitur,vitulum Domino munus in figura Chriſti ad holocauſtum primo iuſſit offerri. Deinde, ſi vero de pecoribus oblatio eſt, inquit; de agnis & hædis ad holocauſtum maſculum, & abſque macula offeret,ponetq; manus ſuper caput hoſtiæ, & immolabit ad latus altaris quod reſpicit ad Aquilonem coram Domino.His verbis ad gentes myſterium Chriſti ſignificabatur tranſlatum iri: quod facilè patebit, ſi templi ſitum prius atque altaris diſpoſitionẽ paulò fuſius declarabimus. Sic enim apertum fiet quid ſibi voluerit quod non rectè, ſed ad latus atque ad aquilonem oblatum pecus reſpiceret.Iudæorum igitur regio in auſtralibus ſita partibus eſt, templum autem quod Hieroſolymis fuit,orientem ita reſpiciebat,vt orientis ſolis radios ſtatim admitteret.Altare quoque ipſum rectè ingredienti faciem offerebat: vnde alterum latus ad Aquilonem, alterum ad auſtrum reſpiciebat. Hæc non alio modo ſe habuiſſe, ſpiritali Ezechielis viſione comprobantur. Et videbam inquit, & ecce viginti quinque viri, quorum terga ad Domini templum,& iſti adorabant orientẽ ſolem.Nempè qui orientem ſolem adorat, faciem adorat,faciem ad ortũ vertit, cuius terga ſi facies templi reſpicit,neceſſe eſt facies & portas templi ad orientem ſolem reſpicere. Hoc poſitionis modo altare quoque conſtitutũ erat,quare tam templi quam altaris facies ad ortum,latera vero alterum ad auſtrum,alterũ ad Aquilonem, poſterior pars ad occaſum reſpiciebat.Hæc cũ ita ſe habuerint,Galilæa id eſt gentium regio,ita enim de ipſa ſcribitur,ab Aquilone Iudææ coniungitur.Quoniam igitur poſt paſſionem Saluator noſter à Iudæa in Galilæam,id eſt ad Eccleſiã gentium tranſiturus erat, idcirco ad latus altaris,quod Aquilonem & Galilæã reſpiciebat, immolabatur. Quod etiam Pſalmiſta cecinit:oculi enim eius inquit,ad gentes reſpiciunt.Declinabat igitur Iudæam Dominus non quaſi formidoloſus, ſed quoniam congruum crucis tempus non aderat.D.Cyrillus ſup. Ioann.lib.cap.31.

Nil liuore,nihil inuidia grauius,per eam mors in mundum venit.Nam cum hominem honorari diabolus conſpexiſſet, eius boni impatiens, omnia molitus eſt vt eum perderet, ſemperq; ex hac radicè hunc fructum erupiſſe videri licet.Propter hanc Abel interemptus eſt; propter hanc Dauid cædis periculum ſubiit;propter hanc & alij multi perempti ſunt. Hinc Iudæi Chriſtum interfecerunt.Quod his verbis Euangeliſta ſignificat, poſt hæc ambulabat Ieſus in Galilæam, non enim habebat poteſtatem in Iudæam ambulare,quia quærebant eum Iudæi interficere,&c.D. Chryſoſt. ſuper Ioann.ho.47.to.3.

Ierem.12.

Dies feſtus Iudæorum ſcenophegia. Quid ſit ſcenophegia, ſcripturas qui legerunt, nouerunt. Faciebant die feſto tabernacula ad ſimilitudinẽ tabernaculorum in quibus habitauerunt cum ex Ægypto educti peregrinarentur in eremo.Iſte erat dies feſtus & magna ſolennitas : celebrant hoc Iudæi velut reminiſcentes beneficia Domini, qui occiſuri erant Dominum. Hoc ergo die feſto,quia plures erant dies feſti : ſic enim appellabatur apud Iudæos dies feſtus, vt nõ eſſet dies vnus ſed plures.Locuti ſunt fratres eius ad Dominum noſtrũ. Fratres eius ſic accipite ſicut noſtis, nõ enim nouum eſt quod auditis. Cõſanguinei virginis Mariæ, fratres Domini dicebantur.Erat enim cõſuetudinis ſcripturarum,appellare fratres quoſlibet conſanguineos & cognationis propinquos,& extra vſum noſtrum, non quo more nos loquimur, nam quis dicat fratrem auunculũ filium ſororis? ſcriptura tamen etiam huiuſmodi cognationis fratres appellat:nam Abraham & Loth fratres ſunt dicti,cum eſſet Abraham patruus Loth:& Laban & Iacob fratres ſunt dicti,eum eſſet auũculus Laban Iacob.Cum ergo auditis fratres Domini,Mariæ cogitate conſanguinitatem,non iterũ parientis vllam propaginem.Sicut enim in ſepulchro vbi poſitum eſt corpus Domini,nec antea nec poſtea mortuus iacuit : Sic vterus Mariæ nec antea nec poſtea quicquam mortale concepit. D.Augu. ſuper Ioann.tract.28.

Scenophegia Græcum eſt compoſitum ex ſcenos,quod eſt vmbra,& phagin quod eſt comedere : quaſi dicat, erat tempus in quo comedebant in tabernaculis. Dominus enim mandauit filiis Iſrael, Leui. 23. quod menſe ſeptimo per ſeptem dies habitarent in tabernaculis , in memoriam quod quadraginta annis habitauerunt in tabernaculis in deſerto. Et hoc feſtũ tũc celebrant Iudæi. D.Tho.ſuper Ioan.7.lect.1.

Non enim volebat, &c. Non tamen timens, quia habet poteſtatem,ſed infirmis dat exemplum, ne eis obiciatur latibulum. Gloſſa interlinea. ſuper Ioan.7.

Erat autem in proximo,&c. Vide Hugo de S. Vict. annot.in D.Ioan.Euang to.1.fol.242.

Quærebant eum Iudæi interficere. Mali opportunũ tempus quærunt & expectant quo malitiam ſuam exerceant.Ita impius Cain tempus opportunum quæſiuit quo fratrem ſuum Abel interficeret:Vnde & duxit eum in campum , vt ibi ſine teſtibus nefarij delicti, necem fratri inferret. Vxor Phutipharis expectauit etiam tempus , in quo caſtum Ioſeph ſolum inueniret.Iudas etiã quærebat opportunitatem, vt Ieſum traderet.Dæmon cum videret Chriſtum eſurientem, tentatione gulæ eum aggreſſus eſt : ſimili contra nos vtitur arte aduerſarius iſte quotidie : cum enim videt nos ſaturos & bene potatos,de luxuria nos tentat.Si fame opprimimur,gula & impatientia nos vrget.Cũ proſperos florentesq́ue conſpicit , ſuperbia & ambitione inuadit.Filij quidem Iacob diſtrictis gladiis irruerunt in Sichimitas, quando grauiſſimus erat vulnerum dolor : ita dæmon cum virtus in nobis debilior & infirmior eſt , nos tentationibus ſuis perurget : nouit ſiquidem tempus operiri aptum ad tentationem infligendam , malumque ſuggerendum.Vtinam boni ſibi ſemper cõſulerent,quo minus occaſionem admitterẽt boni faciendi.Sanctus quidem Abrahã in ipſo meridie pro foribus tabernaculi ſedebat, expectans an aliquis veniret peregrinus cui cibum miniſtrare poſſet.Loth etiã nutritus in domo vna cum ſanctiſſimo patriarcha Abraham, ex eo didicerat, qui & veſperi hoſpites expectabat, quando iam itineris finem facere conſueuerant.

Erat in proximo dies feſtus Iudæorum ſcenophegia. Conſule D.Tho.1.2.q.102. atti.4.ad 10.& q. 103, ar.3.ad 4.& ſuper Ioan.7.lec.5.initio,circa illa verba,in nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis.

In hac ſcenopegia ſeu feſto tabernaculorum, præter alia monumenta, videtur ſignificari etiam lætitia illa maxima quam Iudæi habuere poſt cõſtructionem templi Salomonis , & futura item quies quã iuſti & ſancti olim habituri ſunt, poſt conſummationem ædificij conſcientiæ ſuæ , quæ templum eſt Spiritus ſancti,& poſt varios perpeſſos labores ad huius templi ædificationẽ : quo loco de vtilitate laborum ſi voles, diſſerere poteris. Tum etiam de vitæ noſtræ breuitate & vilitate quadam , præſertim ſi comparetur cum beata & æterna : quod videtur ſignificari etiam per tabernacula illa & vmbracula quæ ædificabant Iudæi, humilia & parum duratura.Quæ certè preſens vita ſi breuis adeò exiſtit,non eſt quo nimium cruciemur animo in laboribus & calamitatibus ſuccedentibus, cum præſertim breui finiẽdæ ſint:nec eſt etiam quod in tanta breuitate, longas eſſe futuras ſeu diuturnas humanas voluptates nobis perſuadeamus,licet ſuis præſtigiis & technis nobis aliter dæmõ conetur ſuadere.Quin potius attendamus quid Apoſt.dicat Heb.13. nõ enim habemus hic manentem ciuitatem &c. & Propheta Pſal.118. incola ego ſum in terra,&c.

Quærebant eum Iudæi interficere. Hic agere poteris contra homicidas & crudeles homines,de quo ſcelere conſules Vincen.Belluacen. ſpecu. doctri. lib.10.cap.1.&c.

Contra crudelitatem & immanitatem homicidarum, poterit applicari illud Senecæ : tempeſtas quidem minatur antequam ſurgat , crepant ædificia antequam corruant,prænũtiat fumus incendium, ſubita vero eſt ex homine pernicies : & eo diligentius tegitur, quo propius accedit : erras ſi iſtorum tibi qui occurrunt vultibus credis, hominum effigies habent, animos ferarum , & multo peiores ac fæuiores. Hæ namque fame & timore coguntur ad pugnam,non autem ſic homo &c. vide Senec.lib.17.epiſt.epiſt.104.

Crudelibus ac homicidis cõminatus eſt Deus, Exod.21.ſi quis per induſtriam,&c,

Variæ crudelitates & inſidiæ 2.Reg.3. fac mecum amicitias,&c.

Doli atque inſidiæ 2.Reg.4.B.ecce caput.

Plures doli ac laquei latent in mundo 2.Eſdræ 6.A.veni & percutiamus fœdus.

Blandis quibuſdã ſermonibus proditores homines decipere conſueuerunt, 1. Machab.1.D. & locutus eſt ad eos verba pacifica.

Proditores in quem exitum deueniãt, 1.Mach. 5.& recordatus eſt malitiam filiorum.

Multi inter Iudæos proditores, 1.Machab.6.C. adiunxerunt ſe illis aliqui impij ex Iſrael.

Mali homines & crudeles, 1.Mach.7.A.viri iniqui & impij.& B verbis pacificis.

Proditiones ac doli, 1.Machab.10.E.& conuenerunt aduerſus eum.

Vix ferè iam inuenias cui tuto fidas,adeò inſidiantium plena ſunt omnia, 1.Mach.11.A.apetiebant ei, &c.

Proditiones plurimæ, 1.Macha.12.F.G.quærebat comprehendere eum.

Inſidiæ variæ, 1.Machab.16.& cum inebriatus eſſet Simon.

Proditorum magna copia, 2.Mach.12.A. Ioppitæ vero.

Crudeles & inſidiatores quo termino claudantur, 2.Machab.13.B.in cinerem deiici iuſſit.& F. Rhodochus quidam.

Vide quæſo quantũ per Ioelem minetur Deus gentibus quæ venerant ex longinquis regionibus & diſiunctiſſimis ad Hebræos affligendos & interimendos.

Cæterum & conciues quidem atque eiuſdem patriæ homines, imo & domeſtici Chriſti Domini, eidem necem procurabant : quod quotidianũ ferè malũm eſt.Sic Menelaus aduerſus Hebræos truculentior erat atque crudelior,quam alienigenæ tyranni,2.Machab.5.

Dixerunt autem ad eum fratres : tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis. Nondum verbum Dei qui ſaluatoris fratres pũtabantur, inhabitare in eo cognoſcentes, cõmuni opinione ferebantur, putãtes à Ioſeph ipſum natum fuiſſe.Miracula vero videntes occultius ab eo in Galilæa fieri,ad inanẽ gloriam hortantur:quaſi vero

vero ad hoc ille signa faceret, vt laudem ab hominibus consequeretur. Cæterùm hoc Ieremias sermone ad Christum verso sic prædixit: fratres inquit etiam tui, & domus patris tui, spreuerunt te, & ipsi clamauerunt post te; noli credere quia loquentur ad te bona. D. Cyrillus super Ioan. lib. 4. cap. 32.

Vt discipuli tui videant, &c. Multi quidem solent nobis ante os applaudere, qui tamen à tergo nos subsannant; & si videant calamitatibus oppressos gaudio exiliunt incredibili. Ipsi quidem Aman omnes applaudebant cum gratiosus esset apud regem Assuerum, at vbi regi odiosus esse cœpit, nō defuerunt qui dicerent Assuero; En lignum quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman. Cæterùm quemadmodùm si quis morbo forte annisue confectus, infirmo inuitatur baculo, nunquam ei ita confidit, vt reuera toto corpotis pondere in eundem incumbat, ne fortasse oneris magnitudine confractus baculus, innitentem deludat ac deiiciat: ita quoniam aura popularis fauores que mundani quouis arūdineo baculo fragiliores videntur, non debet quis toto pectore totoq; amore eisdem incūbere, ne vbi defecerint, ipse simul corruat, deficiat, ac collabatur.

Dixerunt autem ad eum fratres. Lege D. Tho. 3. p. q. 28. ar. 3. ad. 5. & super Matth. 12. in illa verba, ecce mater tua & fratres tui. & Gal. 1. lec. 5. super illa verba, Iacobum fratrem Domini.

Transi hinc & vade, &c. Isti ex suo ingenio ex suisque moribus, Domini ingenium metiri volebant, putantes quod quēadmodum ipsi inani gloriolæ & iactantiæ dediti erant, vmbrasq; omnes ostentationis sectabātur, ita & Dominus esset eiusdem auidus. Quibus merito respondit, tempus suum nondū adueniſſe: quale responsum nos etiam dare debemus, cum instant atq; vrgent cognati & amici, vt populares rumusculos cōquiramus, vt ambitioni inuigilemus, vt populi autam conciliemus: tempus scilicet nostrum nondum adueniſſe. Hoc est, vere quidē dicitis gloriā esse quærendā, quietem esse expetēdam, honorem esse conciliandum; sed nō hæc mundana gloria & quies, quin diuina illa potius & immortalis: quàm vt consequamur, hanc mundanā & falsam temnere debemus, quēadmodum nos docēt sacræ literæ, & sancti] omnes suo exemplo testificati sunt. Neq; enim nos Deus in hac mortali vita collocauit vt corpori tantum indulgeremus, vt somno & otio vacaremus, vt oscitanter viueremus & debaccharemur: sed vt laboribus ærūniſq; patienter toleratis, vt virtute exercitata, æterna præmia & gloriam consequeremur. Gloriam huius mundi quærere, est fructus acerbiſſimos & immaturos velle decerpere & degusta re: maturi enim & suauiſſimi tunc colligētur fructus, cum aduēniente Christo Domino, sibiq; ac suis pedibus orbem vniuersum subigente, electis ipsis sempiternam felicitatem impartietur.

Iere. 12.

Vt & discipuli tui videant. Miserabile quidem est honores mundanos consectari, neglectis cælestibus bonis, Vide D. Basi. lib. regula. breuio. interroga. 36. to. 2.

Qua ratione spernendi sint mundani honores, etiam iuxta philosophos, vide Vincen. Bellua. spe. doctr. lib. 4. cap. 127.

Honores & laudes cuinam fundamento inniti debeant, vide Senecam etiam libro 5. epiſt. epiſto. 41.

Quemadmodum astutus luctator conatur aduersarium suum complexum in altum extollere atque sublimem, quo deinceps valentius & vehementius eundem prosternat: sic mundus euehere plerosq; ad honores solet, & altiſſimos quosque dignitatis gradus, vt eosdem inde deturbet atque percellat.

Ceu arbor quo procerior est & in eminentiori sita loco, hoc vehementorum flatibus, fulminibus, & aliis huiusmodi cæli iniuriis est magis exposita, ita quo quis in altiori locatur honoris gradu, tanto magis variis periculis, fluctibus, ac fortunæ telis, obnoxius esse videtur.

Quemadmodùm bucephalus ille Alexandri Magni equus, cum sine freno erat, ephippie, antilena, postilena, atque cæteris id genus pretiosis phaleris, quemcunque perfacilè sustinebat sessorem; at vbi exornatus eisdē erat, solùm Alexandrū præterea neminē admittebat, quemadmodū prodidit Plinius lib. 8. Ita pleriq; cum nulla dignitate nulloque magistratu conspicui sunt, omnibus sese affabiles, familiares, perhumanos que exhibēt: at si aliquo honoris gradu afficiantur, illico cæteros despiciunt, eisdemque se inexorabiles reddunt, neminemque ferè admittunt & reuerentur præter Alexandrum, hoc est eum per quem in tali dignitate fouentur & conseruantur.

Sicut gemmæ ipsæ splēdorem suum in obscuro loco longe melius emittunt, quam in meridiana luce: sic multi cum priuatam agunt personam, longè præclariùs se gerunt, & odorem quendam suauiorem boni nominis redolent, quam cum publicam obtinent dignitatem: tunc siquidem indignius agunt, & plures incurrunt lapsus atque defectus.

Sicut accipiter dextræ insidens ipsius aucupis, forte viderit aut persenserit volantem ardeam, strictis dētibus alis ad volatum quidem gestit, at quia pedibus vinctus est, non potest liquidum per aëra labi: haud secus planè multi cum dulcedinem quandam persentiunt rerum cælestium, gestire videntur ad earum contemplationem & amorem, sed cū vinctos habeant pedes, & affectus suos immersos honoribus mundanis, terrenisq; dignitatibus, nequeunt diuinorū contemplationi verè & ex animo vacare, atque incumbere.

Quemadmodùm in latrunculorum ludo dum apparantur, & per acies quasdam disponuntur, ac denique quamdiu ludus ipse durat, ordo quidam dignitatis seruari videtur, & alij aliis præstant: at finito ludo, vbi in sacculum quendam immittuntur, citra vllum delectum alij cum aliis confunduntur & permiscentur. Ad eundē modum multi in hac vita variis quidem honoribus & dignitatibus distinguntur à vulgo, at vbi communis mors singulos occupauerit, nemini quidem parcet propter honores & dignitates, sed æquali omnes iure metietur.

Ceu in Comædiis & Tragædiis dū fabula ipsa peragitur, aliqui regem agunt, aliqui vero pastorem, alij herum, nonnulli autem seruum repræsentant: finita tamen fabula, honor ille omnis & vilitas cessat, quæ erat in theatro, & frequenter accidit vt qui regem egerat, pastor relinquatur. Non secus profecto cōsummata vitæ præsentis Tragædia, cessant humani honores ac dignitates, sæpeque euenit vt vices commutentur, & qui hic inglorij atque ignobiles vixerāt, postmodùm plerosque superent, qui dignitatibus & honoribus præcellebant.

Quemadmodùm tutior ille & securior à casu est, qui celsiſſimam turrem conscendere noluit, quam qui in eam conscenderit, quantumuis sensibus suis integrè vigeat, & assuefecerit seipsum

ipsum in ea exercitatione. Sic tutior est ille & securior qui magistratus dignitatesq; respuit atque fugit quam qui eosdem ambit sibique procurat, quamuis ad easdem gubernandas egregie habilis sibi videatur.

Honores humani quam sint periculosi Daniel. 6. A. Porro rex cogitabat &c.

Mundani honores quā momentanei sint Iob. 24. D. Eleuati sunt ad modicum.

Honor in fatuo homine indecens Prouer. 26. A. Quomodo nix in æstate.

Honores humani non querendi Eccleſiast. 7. A. Noli quærere ab homine ducatum.

Multi ad honores euecti, eos despiciunt per quos euehuntur. Gene. 16. A. Despexit dominam suam.

Multi honoribus magis deprauantur Gene. 40. D. Et tamen succedentibus prosperis.

Honores in impio indecentes videntur Iudicum 9. A. Locutique sunt fratres.

Contemnendi sunt mundani honores 2. Reg. 19. F. Non indigeo hac vicissitudine.

Honores humani periculosi 2. Paralipo. 1. C. Non postulasti gloriam.

Mundani honores quam mutabiles Acto. 14. C. D. Viri quid hæc facitis? lapidantes Paulum.

Mundani honores quam parum durent. Iacobi 1. B. Sicut flos fæni transibit.

Honores humani parui pēdendi sunt, quando quidem tanta cum felicitate pereūt, & sæpe etiam peruersis mediis obtinentur. Vide Senecam lib. 4. epiſt. epiſt. 29. in fine.

Quantum adferre nocumenti soleant mundani honores, quodq; nihilominus multi sint qui eosdem ambiant, & se de eisdem laudari appetant, vide Senecam lib. 8. epiſt. epiſt. 6.

Quomodo possit quis captandæ humanæ laudis vitium declinare, consule D. Basi. lib. Regu. breuio interro. 34. to. 2.

Si te inuisuri aliqui venerint ait Seneca non sinas vt de te ante eos magna loquantur & prædicēt. Satius est vt qui tecum fuerit locutus, abscedat dicens: ego istum beatum hominem putabam, & eruditum, arrexetam aures, destitutus sum, nihil vidi, nihil audiui, quod concupiscerem. Vide Senecam lib. 9. epiſto. epiſt. 69. Qui si intelligendus est propter pericula quæ quodammodo occurrere posse videntur circa eam rem, vel inuidiæ ex vna parte, vel inanis gloriæ ex altera, vel denique propter alia pericula vitanda, quæ occurrere possent, manifestando propria bona, ea ratione est perfectionis summæ consilium.

Sicut qui audierunt symphoniam inquit idem Seneca lib. 22. epiſt. epiſt. 124. ferunt se cum in auribus modulationem illam ac dulcedinē: sic adulatorum sermo diutius hæret quam auditur, nec facile est animo dulcē illum sonum excutere, prosequitur, & durat: ideo claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis, &c.

Vides tu istos qui eloquentiā laudant, qui opes sequuntur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam extollunt? Omnes hostes aut sunt, aut esse possunt. Quam magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus est, &c. Vide Senecam lib. de vita beata ad Gallio. c. 2.

A turba quantum potes te separa, nec adulatoribus latus præbeat, artifices sunt ad captandos superiores: qui tibi adulabitur, dicito vt accedat ad alterum qui tali re magis oblectabitur: ego nec decipere volo, nec decipi possum. Laudati me à vobis, nisi laudaretis malos, vellem, &c. vide Senecam lib. 4. natura. quæst. in præfatione.

Adulator similis est vmbræ, quæ quidem si sedeas, simili modo est: sin autem stes, idem præstat. Si ambulas, vna ambulat, si quiescas, etiam quiescit. Ita enim adulatores quale tuum viderint ingenium, quale palatum, quales mores, ad eosdem se totos componunt atque effingunt. Si loqueris, dicta collaudant: si taces, etiam silentium commendant. Si lætus fueris, hilarem præbent aspectum, si tristis, tristitiam simulant.

Quemadmodum quamuis vmbra pro varietate situs alicuius, dilatetur, aut contrahatur, nil tamen eidem addere solet, aut detrahere: ita plane ex adulantium vocibus, & eorum hominum qui ad aurium voluptatem, non ad rei veritatem loquuntur: nihil tibi laudis, solidæque gloriæ, accreſcit & accumulatur.

Sicut qui fistulas illas seu organa quæ inflatis follibus sonum edunt, ad numeros vocare vult, id quidem facere recusat, nisi folles inflentur: non secus plerique vani homines nisi adulantium vocibus inflentur, nihil sibi præclari videntur posse præstare.

Sicut apes quidem ore flores melque ipsum gestāt, at vero aculeus in earum cauda latet: ita adulatores homines, qui interius ceu Neroneș quidam sunt, foris vero Catones se simulant, ore ipso dulcia præseferunt verba, vt vero in corde eorum venenum latet, cum sint ex omni fallacia, dolo, fraudibusque concreti.

Adulatoribus comminatus est Deus. Esa. 5. E. Væ qui dicitis malum bonum.

Adulatores quantum noceant Hiere. 14. B. Ah, ah, ah, domine Deus.

Adulatores quam pernicioſi sint Threno. 2. E. Prophetæ tui.

Adulatores quam deceptores sint atque fallaces. Esa. 9. C. Erunt qui beatificant populum istum &c.

Adulatores Esaiæ 3. C. Populе meus, &c.

Adulatores detestabiles. Ezechie. 13. B. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, &c.

Prohibetur adulatio. Prouer. 24. C. Nec lactes quenquam.

Adulatores quantum nocumenti inferāt quantumque decipiant 3. Reg. 22. A. Ascende & dabit eam dominus.

Adulatoribus claudendæ sunt aures. Prouer. 1. A. Fili mi si te lactauerint.

Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Tametsi ita aspere Christo loquerentur fratres eius, & cum incredulitate, nihilominus tamen Christus maxima cum manſuetudine eis respondit: vt inde discamus benignitatem, & manſuetudinem eruditamur: Discite inquit à me, quia mitis sum & humilis corde, & omnem molestiam abscindamus, & si quis nobis insultauerit, humiliemur: si quis exasperatur, mitigemus: si quis mordet & lacerat, & contumeliis prosequitur, nolimus commoueri, ne victi nos ipsos perdamus. Etenim ira fera est vehemens & furibunda. Incantemus eā diuinæ scripturæ carminibus, terra & puluis es, & quid superbit terra & puluis? Et impetus iræ eius casus eius: & vir iratus immodestus est. Nil turpius aspectu irati, nil visu grauius. Quod si aspectus, multo magis anima. Quemadmodum enim cænum si cōtrectetur grauis olet, ita & anima cum perturbata est, & multis intrinsecus fluctibus agitata. Sed non possum inquis, inimicorum contumelias tolerare.

Qua gratia ? nam ſi vere accuſaris, etiam coram compungi deberes,& gratiam ei habere. Si falſo, deride: dixit pauperem, tide: dixit mendicum,tide:dixit degenerem vel ſtultum, iam illum defle. Nam qui dicit fratri ſuo, fatue, reus eſt gehennæ ignis.Iniuria ergo effectus,in mẽtem veniat quod illi ſupplicium maneat:& non modo nulla in proximum ira fereris,ſed deplorabis vicem eius. Neque enim febribus laboranti,neque tumido,quiſquam iraſcitur, ſed his morbis affecti, ſui miſericordiam & lachrymas mouent:huiuſmodi eſt irati animus, qui ſi in te proſiliret, tace, & opportunam ei plagam infliges. Si contumelia proſequeris,ignem excitabis. Sed puſilli animi arguemur inquies,ſi tacebimus,imo tuam admirabuntur ſapientiam.Quod ſi contra contumelioſe reſponderis,materiam dabis vt vera putentur quorum argueris. Quare diues,ſi pauper appellatur, ridet? quia falſum id nouit.Itidem ſi nos iniurias ridebimus,magnum erit argumentum quod falſo reprehendamur.Ad hæc quouſque hominũ iudicia formidabimus ? Quouſque cõmunem dominũ deſpicemus,& carni vocabimus? Donec enim inter vos contentio eſt & æmulatio,& ſeditiones nõne carnales eſtis ? Fiamus igitur ſpirituales,& ſæuiſſimã hanc beluam fræno cohibeamus.Inter iram & inſaniam nihil differt,ſed breuis quidem dæmon eſt, imo quam qui dæmonio vexatur grauior.Ille enim venia dignus eſt,iratus nulla, ſed ſuppliciis innumeris, ſpõte ſua in profundum perditionis defertur,& etiam ante futuram gehennam pœnat dat. Tumultu enim quodam & æſtu intolerabili die noctuq; variis cogitationibus anxius iactatur. Vt igitur & præſenti ſupplicio & futuro liberemur, abiecto penitus hoc affectu omnes manſuetudinem in duamus,& modeſtiam,vt & in hac vita, & in regno cælorum,tandem animis noſtris requiem inueniamus. D. Chryſoſto. ſuper Ioan. hom. 47. tomo 3.

Quare in eum non credebant fratres?Quia humanam gloriam requirebant. Nam & quod eum videntur monere fratres,gloriæ ipſius conſulunt, facis mirabilia, innoteſce, id eſt appare omnibus,vt laudari poſſis ab omnibus.Loquebatur caro carni,ſed caro ſine Deo,carni cum Deo.Loquebatur enim prudentia carnis verbo quod caro factum eſt,& habitauit in nobis, &c. D. Auguſt.ſuper Ioannem tracta.28.to.9.

Manifeſta te ipſum mundo. Hi populari ducebantur aura,& eam maxime ſitiebant, contra quam ſi velis agere,videbis Auguſtin. ad fratres in eremo ſermo 58.circa finem tomi 10.

Quanta exoriri ſoleant mala ex ambitione & arrogantia, vide etiam decreta quædam Damaſi papæ 1.an.371.& Conci.Lugdunẽ. ſub Grego.10. vbi dicuntur multa huc ſpectantia, quæ contigerunt tempore Bonifacij 8.& Celeſtini.

Sibi perſuadebant iſti Chriſtum dominum capi inani gloria & laude, qua ipſi tantopere ducebantur, cum tamen ab ea inanitate quam longiſſime abhorreret.Matt.enim 6.A.dixit,ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus & 8. A. Vide nemini dixeris.& 9.D. Videte ne quis ſciat. & 16. C.vt nemini diceret,17.B.Nemini dixeritis viſionem.23,A.Vt videantur ab hominibus.Item Marci 1, C. Et comminatus eſt ei Ieſus D. Nemini dixeris.Et 3. B.Vehemẽter comminabatur eis. Tum Luc.5.C.Vt nemini diceret.& 8. F. Redi in domũ tuam.Vt ergo & nos ſimus filij patris noſtri qui in cœlis eſt,quam longiſſime ab hoc vitio abhorrere debemus.

Dicit ergo eis Ieſus: tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe vos,me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo,quod opera eius mala ſunt. Fuit Saluatori noſtro conſuetudo,parua cauſa data, multa vtiliter audientibus dicere.Semper igitur,inquit, ſimile ſibi quiſque amare ſolet, & morũ ſimilitudo mirifice ad amorẽ conglutinat.Videtis quia mundus non odit vos:ſentitis enim vt ipſe, me autem odit,quia perperam operantem accuſo:quare vos abſque periculo in ſolennitatem iſtam proficiſci poteſtis,ego autem minime. Loquar enim omnino ſi venero,quæ illi conducunt. Sed veritas odiũ parit,& irã voluptuoſi animi incendit, cum nolit delicioſam vitam contemnere.Hinc diſcimus non inconſiderate arguendum eſſe, neque coram hominibus increpandum.Non argue,inquit, malos, ne te odio habeant.Non enim abſque detrimento eſſe odium poteſt: quare dicendum potius eſt ad audientium aures, pronus enim ad peccandum mundus eſt,peccata vero redargutione relinquũtur,quorum vel nominatio ſola,redargutio quẽdã eſt.Nam qui prauitatem ipſam vituperat,illos reprehendere videtur qui praui ſunt.Quando igitur ad arguendum neceſſario doctor vocatur,cũ aliter curatio haberi poſſe nõ videatur,tũc quia moleſte fert qui reprehenditur, multa ex odio mala naſcũtur.Propterea Chriſtus ait, odio ſe haberi à mundo, quia mundus monitionem, quæ increpationis aliquid ſemper habet, ferre non poteſt. Animus enim voluptati dedit9, grauiter fert ſi à voluptate reuocatur.Hæc dixit ſaluator, non quia nullo ſe modo in ſolennitatem aſcenſurum oſtendere velit,nec quia ab vtili redargutione animũ remouerit,ſed quia opportuno tempore cuncta erat facturus. Simile quid etiam diſcipulis dixit: cum enim eos conſolaretur propter futuras aduerſus eos in prædicatione veritatis tentationes:ſi de mundo inquit fuiſſetis, mundus quòd ſuum erat diligeret,quoniam vero de mundo non eſtis, propterea mundus vos odit.Mundum vero in his omnibus non viſibiles creaturas appellat:ſed eos qui res caducas atque inſtabiles toto animo amplectuntur,qui virtutis amicos quaſi hoſtes oderunt. Diligunt autem omnes qui cum ſimili turpitudine teneantur,virtutis inimici ſunt.D.Cyrillus ſuper Ioan.lib.3.c.34.

Vide quam accommodate, non dixit,qui eſtis vos qui mihi conſulitis,& me docetis?ſed tempus meum nondum aduenit.Hic & aliud quiddam videtur poſſe ſignificari. Fortaſſe enim eum tradere Iudæis conſultabant, & ob hoc reſpondit, Tempus meum nõdum aduenit,hoc eſt crucis & mortis,Quid ante tempus vt moriar properatis ? Rurſus etiam hinc itam vincere, & non indignari etiã ſi abiecti ſint qui nobis conſulant,erudimur.Nam ſi non credentium & iniquum & à charitate abhorrens conſilium æquo animo tulit; quam nos conſequemur veniam, qui terra ſumus & puluis, cum conſulentes iniquo animo ferimus, maxime ſi paulo abiectiores ſint,tanquam indignum arbitrantes ? Conſidera hic quæſo quam benigne dominus illatam confutat contumeliam; dicentibus illis, manifeſta teipſum mundo, reſpondit,me mundus odit.Tantum enim abeſt inquit, vt quæram ab hominibus gloriam, vt non deſiſtam eos reprehendere, & cum ſciam vt odium ex hoc mihi & mortem comparari.D.Chryſoſto.ſuper Ioan. homi.47.

Tempus meum nondum venit. Quod eſt hoc? nondum venerat tempus Chriſti?quare ergo Chriſtus venerat,

venerat, ſi tempus eius nondum venerat ? Nonne audimus Apoſtolum dicentem, Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum? Si ergo in plenitudine temporis miſſus eſt, quando debuit miſſus eſt,quando oportuit venit : quid ergo eſt,tempus meum nondum venit?Intelligite fratres quo animo illi loquebantur, qui quaſi fratrem ſuum monere videbantur : dabant ei conſilium conſequendæ glorię,veluti ſeculariter & terreno affectu monẽtes, ne eſſet ignobilis & laitaret. Quod ergo ait dominus, tẽpus meũ nondum venit,illis reſpondit qui ei de gloria conſilium dabant,tempus gloriæ meæ nondũ venit.Videte quã profundum ſit,de gloria illi admonebant, ſed ille voluit altitudinem humilitate præcedere,& ad ipſam celſitudinem per humilitatem viam ſternere: nam & illi diſcipuli vtique gloriam requirebant, qui volebant ſedere,vnus ad dexteram eius, & alter ad ſiniſtram.Attendebant quo, & non videbãt qua via dominus eos vt ordinate venirent ad patriam,reuocauit ad vitam.Excelſa eſt enim patria, humilis via patria eſt vita Chriſti, ita paſſio Chriſti. Qui recuſat viam,quid quærit patriam ? Denique & illis hoc reſpondit, quærentibus altitudinem:poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?Ecce qua venitur ad celſitudinem quam deſideratis, calicem quippe commemorabat humilitatis atque paſſionis. Ergo & hic, tempus meum nondum venit,tempus autem veſtrum, id eſt mũdi gloria, ſemper eſt paratum, hoc eſt tempus de quo in prophetia loquitur Chriſtus,id eſt,corpus Chriſti:cum accepero tempus,ego iuſtitiam iudicabo.Modo enim non eſt tempus iudicandi, ſed iniquos tolerandi,&c.D.Auguſt. ſuper Ioan.tract. 28.to.9.

Tempus veſtrum ſemper eſt paratum. Quaſi diceret, vos artogãcia veſtra & ambitione popularem hic quæritis gloriam quacunque hora, quocunque tempore : non expectantes maturum fructum, & maturam gloriam. *Non poteſt mundus vos odiſſe.* Cur hoc dicitur,cum contra accidere videatur? vt ſcilicet ſeculi amatores variis immergantur contentionibus,variis implicentur odiis & diſſidiis, pro vario ipſorum palato : & denique pro meritis ſuis varia ab ipſo mundo,cui tantopere ſeruiunt,ſuſtineant tormenta. Cæterum quamuis hæc ita ſeſe habeant,nihilominus tamen mundus eos non habet exoſos,ſed his maxime delectatur hominibus, eos amat,eos diligit, qui ambitioni ſeruiunt, qui diuitiis inhiant,qui honoribus ſuis mancipantur, non autem contemptores honorum & popularis auræ,ac denique Dei ſeruos,non mundi. Quod ſi eos variis exagitat tormentis, ſi cruciatibus innumeris affligit,ſi odiis & diſſenſionib. diuexat, hoc quidem eo fit, quod alia nõ habeat præmia mundus,quibus ſuos afficiat. Hoc ſtipendium ſuorum militũ,hic ornatus famulorum, hæc merces mercenariorum:mutuis ſcilicet odiis,mutuis inimicitiis,& internecionibus,ſuos tandem conficere,diſperdere,deuaſtare. Quam enim tranquillitatem, pacem,& ſecuritatem,is tribuet, qui quãtus quãtus eſt, totus turbulentiſſimus eſt, & ſeditioſus? Quam mercedem dabit,qui veris diuitiis opibuſque indiget? Quam ſalutem,qui pharmaca continet lethalia ? Vulgatum certe illud eſt, nemo dat quod non habet.D.quidem Petrus pronuntiauit, argentum & aurum non eſt mihi,quod autem habeo,hoc tibi do:mũdus vero dicere poterit, quietem, ſolatium,ſecuritatem,firmitatem, non poſſideo,quod autem habeo,hoc tibi do, nempe pericula, odia, inimicitias, ſeditiones,interneciones.

O miſerabilem crudelemque remuneratorem, qui tam exitioſe ſuos remuneratur!eos inquam ſuos,qui nil dubitant,nil verentur,inconſiderate & ſtulte pro mundo pandemonium vniuerſum profundere,atque adeo vitam ipſam in diſcrimen vocare.

Me autem odit,&c. Odit Dei ſeruos mundus,propterea quod eius ſcelera arguunt,atque reprehendunt.Pauços enim reperias qui non ſtatim vbi reprehenduntur,in conuincia, contumelias, iniuriaſque prorumpant. Et certe mirabile illud eſt, quod ſi de indecenti ornatu moneantur, ſi de ſordido pileo,ſi de pallio fædato,& aliis huiuſmodi nullius ponderis rebus gratias ſtatim & agant, & habeant ampliſſimas:ſin vero de vitę emendatione,quæ res eſt omnium vtiliſſima, deſpiciant, ludibrio habeant, atque cõtemnant:aut ſi tunc ceſſent quidem à conuiciis, iracundiam in aliud ſibi reſeruent tempus,atque iniuriam. Quæ cõtra mala plerique declinare cupientes, atque impiorum odium effugere omnino volentes, deſiſtunt à reprehenſione omni,cum tamen ipſi propterea ſcelus incurrant,debentes potius eos cõmode increpare & opportune : operibuſque præclaris errorũ ſuorum admonere,& miſerię in qua verſantur.Eſt ſiquidem viri boni vita, reprehenſio quædam tacita malorum hominum ac deprauatorũ:eius eſſe moſinæ,improborum auaritiam incuſant,morum compoſitio,diſſolutionem:charitas,inuidiã : modeſtia,inuerecundiam,temperantia, voracitatem. virtutũ denique cumulus, vitiorum aceruum atque ſentinam. Cæterum & de toto hoc argumento legere etiam poteris Sapien.2.

Tempus meum nondum aduenit, &c. Vide quæſo quam tranquille & manſuete reſpondeat, quamuis illi moleſtiam & iniuriam exhiberent, vt inde diſcas qua ratione te gerere debeas in iniuriis quæ tibi inſtiguntur:debes enim eas benigne ſuſtinere ac condonare. Et certe ſi filius lectiſſimi alicuius viri ac præſtantiſſimi,tibi iniuriam aliquam inflixiſſet,aut contumelioſis te verbis affeciſſet,paterque reſciſcens, ſtatim eo comprehenſo, verberibuſque affecto,aut aliter caſtigato,ſubiungeret, ſe nolle filio parcere quin prius tu placatus eſſes, ſiue tibi ſatisfactum eſſet, adireſque patrem vt eidem ignoſceret: annon miſero adoleſcenti condoleres,& iniuriæ oblitus,peteres à patre vt filio indulgeret?Ecce igitur Deus ſibi aſſumit vindictam eius qui te iniuria affecit,ille ſupplicium ſumprurus eſt:cur ergo non condonabis?cur non accedes petiturus à Deo vt ei indulgeat, qui tibi fuit iniurius? Quin certe maximo quodam afficeris honore,in eo quod Deus te quaſi ſubſtitutumquendam elegiſſe videatur,vt fratri ignoſcas,& pro eo magnis precibus intercedas.

Tempus veſtrum ſemper eſt paratum. Habet hic quidem impius tempus ſuum, ſed bono etiam ſuum aduenit.Et certe quemadmodum ſi pauperis alicuius hominis filius eleganti quodam atque ſplẽdido indumento ornatus procederet, videretque eum diuitis alicuius natus minus eleganter amictus,ſtatimque ad patrem accederet,dicens, nonne vides mi pater, quam vili ego vtar indumento præ filio illius cerdonis,inopiſque hominis? an non pater tunc ſubiungeret,tace fili,tempus enim tuum aduenit,cum tandem ampliſſima à me tibi hæreditate patrimonioque relicto, maxima cum iucunditate perfrueris : hic vero inopis hominis filius,fame cõficietur,qui dũtaxat ad modicum quoddam tempus eo indumento lætabitur, cum poſt patris obitum extrema inopia cruciãdus ſit?

Ad eundem modum quamuis impij hic florere videantur,& boni despici atque contemni, attamen fortes tandem commutandæ sunt, & tempus bonorum succedere debet, quo in sempiterna constituti prosperitate, impios videbunt extrema affici infelicitate atque miseria.

Tempus autem vestrum semper est paratum. Debemus quidem tempus bene vtiliterque impendere, cum adeo pretiosissimum sit. Vnde Bias ille dicebat, ita dispēsa tempus, quasi & diu victurus, & mox moriturus. Anaxilaus, rosam quæ præterierit, ne quēras iterum. Huc etiam spectat illud Ouidianum, iam veniet tacito, cutua senecta pede.

In hac quidem vita tempus suum traducunt impij in falsis gaudiis & vanis voluptatibus, de quo vide dialogum quendam Leonis papæ inter immoderatam lætitiam & moderatam, circa medium operum.

De vana hilaritate & falso gaudio, vide Vincen. Belluacen. Spe. Mora. lib. 3. par. 3. dist. 4. & secundum Philosophos, Specu. Doctri. libro quarto capitulo 159.

Imperij quidem homines volentes hic frui suo tempore, se totos dedunt mundanis gaudiis & cōsolationibus, quibus magis potius seipsos consumunt, perdunt, dilacerant. De qua re vide D. Bernardus libr. de interi. domo cap. 58. circa finem operum.

Suum tempus traducunt impij citra vllam considerationem temporis futuri, vide Lauren. Iusti. lib. de contemptu mundi cap. 16. & 17.

Cur in hac vita mali sæpe in prosperitate degant rerum mundanarum: vide Ambro. lib. 1. Offi. cap. 16.

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum: quia tempus meum nondum impletum est. Apertissime modo nolle se vna cum Iudæis festum agere diem, & vmbras cum illis sequi, dominus, affirmat. Nam quod ad paucos & ad fratres dictum est, ad totum genus Hebræorum pertransit. Non enim societatem fratrum spreuit, quippe qui cum eis in Galilæa versabatur: nec dubito quin propter opinionem cognationis etiam conuiueret. Sed per fratres totum Iudæorum genus intelligit, quibus cum solennem festumque diem per vmbras negat se celebraturum, vt prophetica quoque voce prædixit. Odi ac repuli festiuitates vestras, & si obtuleritis mihi holocausta & sacrificia, non accipiam. Remoue à me sonum concentuum tuorum, & psalmos organorum tuorum non audiam: spiritus enim Deus est, & adorantes eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Spiritus ergo Deus cum sit, spiritali honore gaudet. Legales etiam boum atque pecudum cædes, thuris, similæ, vini, oleique oblationes, varios spirituales virtutis numeros figurate significabant. Vos igitur inquit, qui vmbris adhuc inhæretis, qui Iudaice affecti estis, ascendite in hunc festum diem per vmbras celebraturi. Ego vero cui vmbræ iam cordi non sunt, non ascendo: quia per figuras celebrare iucundum non est. Expecto autem veræ solennitatis tempus, quod nondum impletum est &c. vide D. Cyrillum super Ioan. lib. 4. c. 35.

In die festo hoc gloriam vos humanam requiritis: meum vero tempus, id est gloriæ meæ, nondum venit. Ipse erit dies festus meus, non diebus istis percutrens & transiens, sed permanens in æternū: ipsa erit festiuitas, gaudium sine fine, æternitas sine labore, serenitas sine nube. D. Augustus. super Ioan. tracta. 28. to. 9.

Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa: vbi autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Quanquam dixerit non ascensurum se in illum diem festū, quoniam tempus suum nōdum impletum erat fratribusque permiserit vt si vellent ascenderent: ascendit tamen post eos, nec aliter dixit, nec aliter fecit. Quomodo enim, cuius, in ore mendacium inuentum non est? sed non ascendit festum diem acturus, sed admoniturus potius, & ad vitam æternam doctrina illos sua reuocaturus. Dixisse vero ipsum quod non ascēdet, & tamen ascendisse, in lib. Exo. priscis temporibus figura significatum inueniesi Nam cum Moses in cacumine montis diutius moraretur, legem à Deo expectans, cumque vitulum Dei pietate neglecta Hebræi colerēt, nequitia hominum irritatus, perdere genus eorum minatus fuit. Et tādem dixit ad Mosen: vade & ascēde hinc tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, ad terram quam iuraui Abrahę, dicens: semini tuo dabo ipsam, & mittam ante faciem tuam angelum meum. Respondit Moses, nisi tu nobiscum venias, non educes me hinc. Et quomodo cognosci poterit inuenisse me, ac populum tuum apud te gratiam, nisi nobiscum veneris? Tunc dicit dominus ad Mosen: & hoc verbum quod dixisti faciam, inuenisti enim gratiam apud me. Vides prius dictum esse à Deo propter populi peccatum non ascensurum se cum illis, sed angelum quendam missurum, postea vero propter Mosen & patrum memoriam venia data, cum illis seipsum præsentem fore promittit. Similiter igitur etiā hic, cum propter incredulitatem Iudæorum iturum se negauerit, tamen propter sanctos paucos & solicitationes suas ascendit: non vt ad festum diem, sed vt salutarem illis doctrinam proponeret, nec angelo ad hoc ministerium vtitur, sed ipse salutaris doctrinæ minister fit. D. Cyril. super Ioan. lib. 4. c. 36.

Sed cur ascendit, cum ascensurum negasset? Nō dixit simpliciter, non ascendam: sed adhuc, id est vobiscum, quia tempus meum nondum impletū est. Cur clam, cum aperte posset in medio eorum esse, & iram & furorem sedare, quod sæpe fecit? Noluit frequenter hoc facere, fuisset sane maius diuinitatis argumentum, sed cum metu remansisse putaretur, & incarnationem & fiduciā confirmauit: quod cum passionis tempus præuideret, id maxime eligeret, vt ascenderet Hierosolimam. D. Chrysost. super Ioan. homi. 47. to. 3.

Quæ secundum humanā imbecillitatē à Christo facta sunt, non tantum incarnationem confirmant, sed ad virtutē instituunt. Nam si omnia tanquam Deus fecisset, quid scire potuissemus in humanis rebus incidentes, quid facere nos oporteret? vt exempli gratia, si hoc in loco homicidis Iudæis obuius iram sedasset, & hoc frequenter fecisset, nos autem idem non potentes, offenderemus, Vnde nobis constaret quid esset faciendum, vtrū interimere eos an docere oporteret? Hoc nos Christus docet, cum inquit: Hæc cum dixisset Iesus mansit in Galilæa, &c. D. Chrysost. super Ioan. homi. 48. tomo 3.

Non vacat, quod latenter ascendit Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo. Adhuc ego quòd dixi in latibulo est: manifestetur ergo, tollatur velū, & appareat quod erat secretum. Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici scriptura sanctæ legis quæ agerent, siue in sacrificiis, siue in sacerdotiis, siue in diebus festis, & omnino in quibuslibet rebus quibus Deum colebant, quæcunque illis dicta & præcepta sunt, vmbræ fuerunt futurorum. Quorum futurorum?

rorum? Quæ implentur in Christo: vnde dicit Apostolus. Quotquot enim promissiōes Dei sunt, in illo est, idest in Christo impletę sunt. Deinde dicit in alio loco: omnia in figura cōtingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Dixit & alibi: finis enim legis Christus est. D. August. super Ioan tracta. 28. tomo 9.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: vbi est ille? & murmur multus erat de eo in turba. Difficile semper inuentu bonum est, & veritatis pulchritudo plurimos latet: non enim possunt indoctiores, qui quodcumque sibi visum fuerit absque diligēti examinatione sequuntur, veritatem rerum recte intelligere, nec dicentem Paulum audiunt, sitis probi numularij, omnia enim probanda noueris, vt certius veritatem consequi possis. D. Cyrillus super Ioan. lib. 4. c. 38.

Et murmur multus, &c. Amicissimi erant Iudæi murmurationum & detractionum de vita aliena, quemadmodum constat Matthæ. 9. B. Quare cum Publicanis. & 12. A ecce discipuli tui. Marci 2. A. Quid hic sic loquitur? Luc. 13. C. Indignans quia sabbatho curasset. Est ergo à nobis hoc pestiferum malum fugiendum, vel ne Iudæis similes videamur.

Quidam enim dicebant quia bonus est, alij autem dicebant non, sed seducit turbas: nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Audiant quæso atque attendant quicunque Iesum ex arrogantia non admirantur. Gustate & videte quia suauis est dominus. Nam quemadmodum qui gustu præcipuam mellis qualitatem probāt, ex minima quam gustauerunt particula totum cognouerunt: sic qui vel parum saluatoris verba intellexerunt, bonum esse ipsum cognoscent, & cognoscentes admirabuntur. Prudentiores igitur Iudæorum Christo adsunt, & pene rectam de illo sententiam efferūt: non posse putantes opera Dei quenquam facere, nisi aut Deus ipse natura sit, aut Dei particeps & gratiæ plenus, & idcirco bonus. Lóge autem à veritate aberrant, qui non erubescunt seductorem appellare, qui merito audient: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, qui putatis tenebras lucem, & lucem tenebras. In eodem enim loco constitutus est, qui probitatem accusat, & qui adest improbitati: qui turpia quasi plena pulchritudinis admiratur, & pulchris sordes imponere conatur. Sed hæc opprobria Iudæorum, prædicta iam à prophetis erant, Ve inquit eis qui resiluerunt à me: redemi eos, ipsi autem aduersus me falsa locuti sunt. D. Cyrillus. super Ioan. libr. 4. cap. 38.

De omnibus seruis eius hoc dicitur modo. Quicunque eminuerit in aliqua gratia, spiritali profectu, alij dicunt quia bonus est, alij quia non, sed seducit turbas, vnde hoc? Quia vita nostra abscōdita est cum Christo in Deo: Ideo licet dicere hominibus per hyemem, mortua est ista arbor, verbi gratia arbor fici, arbor pyri, & huiusmodi pomorum, similis est enim aridæ, & quandiu hyems est non apparet, æstas probat, iudicium probat. Æstas nostra reuelatio Christi est, deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit: ignis ante eum præibit. Iste ignis inflammabit inimicos eius. Aridas arbores ignis comprehendet, tunc enim aridæ apparebūt, quādo eis dicetur. Esuriui enim, & nō dedistis mihi manducare. In alia vero parte, hoc est dexteta, apparebit fæcūditas fructuū, dignitasque foliorum, viriditas æternitas eis erit. Illis ergo tanquam aridis, dicetur: ire in ignē æternū, eēce enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum, excidetur: & in ignem mittetur. Dicant ergo de te si proficis in Christo, dicant homines, seducit turbas. De ipso toto corpore Christi hoc dicitur. Cogita corpus Christi adhuc in mundo, cogita corpus Christi adhuc in area, vide quemadmodum blasphemetur à palea: simul quidem triturantur, sed paleæ conteruntur, frumentum purgatur. Quod dictum est ergo de domino, valet ad consolationem, de quocunque hoc dictū fuerit Christiano. *Sed seducit turbas.* Dictum hoc est ad eorum solatium, qui postea prædicantes verbum Dei, futuri erant vt seductores, & veraces. Si enim seducere decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli eius, nec quisquā seductor debet esse Christianus: si autem seducere, aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quærendum est vnde & quo? Si à malo ad bonum, bonus seductor est: si à bono ad malum, malus seductor est. In hac ergo parte qua seducuntur homines de malo ad bonum, vtinam omnes seductores & vocemur & simus, &c. D. Augustin. super Ioan. tracta. 28. & 29. to. 9.

Feria quarta post Dominicam in Passione.

ACTA sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat: & ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis Ioannis 10. Facta quidem sunt encænia, id est festum & memoria dedicationis templi. Nam quando de nouo aliquam Ecclesiam diuino cultui dedicamus, agitur festum consecrationis eiusdem, & eadem die singulis annis in memoriam ipsius. Hoc modo Iudæi singulis annis encænia faciebant, in memoriam dedicationis templi. Ad sciendum autem rationem festi consecrationis, & causam, notandum est quod omnia festa celebrantur in Ecclesia in commemorationem diuinorum beneficiorum. Esa. 63. Miserationum domini recordabor, &c. Et in Psal. 117. postquam Dauid commemorauit multa beneficia Dei dicens, Confitemini domino quoniam bonus, &c. subdit: Constituite diem solennem in condensis, &c. Recolimus autem diuina beneficia nobis exhibita tripliciter. Quandoque quidem vt exhibita nobis in capite nostro domino Iesu Christo: & sic celebramus festum Natiuitatis, & Resurrectionis, & huiusmodi. Quandoque vt exhibita nobis in membris nostris, scilicet in sanctis, qui sunt membra Ecclesiæ. Et hoc congruenter, quia vt dicit Apost. 1. Cor. 12. Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Et sic celebramus festa sanctorū Petri & Pauli, & aliorum sanctorum. Quandoque autem prout sunt exhibita toti Ecclesiæ, puta in ministerio sacramentorum, & in aliis communiter Ecclesiæ collatis. Et quia domus materialis est quasi signum collectionis Ecclesiæ fidelium, & etiam in ea omnia sacramenta gratiæ dispensantur: ideo in memoriam ipsorum beneficiorum festum dedicationis Ecclesiæ celebramus. Quod quidem festum maius est, quā festum alicuius sancti: sicut & beneficia toti Ecclesiæ collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficiū collatum alicui sancto, quod in festo eius recolitur. Sciendum est tamē, quod templum erat Hierosolymis tribus vicibus consecratū. Primo quidem à Salomōe. vt habetur 3. Reg. 8. secūdo tempore Esdræ à Zorobabel, & Iesu sacerdote magno, vt habetur 3. Esdræ 5. Tertio à Machabæis, vt docetur 1. Mach. 4. quod ascenderunt

Hierosolymam renouare sancta. Hæc autem in cænia non sunt facta in memoriam dedicationis quæ facta fuit à Salómone, quia hæc fuit in autũno, scilicet mense septimo: nec in memoriam dedicationis quæ facta fuit tempore Esdræ, quia illa fuit in vere, scilicet 9. die Martij sed in memoriam dedicationis quæ facta fuit à Machabæis in tempore hyemali: & ideo ad hoc designandum describit tempus in speciali, dicens *Et hyems erat*. Quod etiam causam mysticam habet, vt Grego. dicit 2. Mora. Idcirco Euangelista hyemis curauit tempus exprimere, vt inesse auditorum cordibus, scilicet Iudæorum, malitiæ frigus indicaret. Hiere. 6. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, ita frigidam, &c. De hac hyeme dicitur Canti. 2. Iam enim hyems transit, &c. Locum autem describit cum dicit, *Et ambulabat Iesus, &c.* Et primo quidem in generali cum dicit in templo. Psalm. 10. Dominus in templo sancto suo, &c. secundo vero in speciali dicens. *In porticu Salomonis.* Sciendum est enim quod templum non dicitur solum corpus ipsius, sed etiam porticus circunstantes, in quibus populus stabat ad orandum. Nam in templo soli sacerdotes orabant. Dicitur autem porticus Salomonis solus ille in quo Salomõ stetit quãdo peracta dedicatione templi orauit. 3. Reg. 8. stetit ergo Salomon in conspectu &c. sed cõtra, templum quòd Salomõ ædificauerat, destructum fuit, & similiter porticus illa. Non ergo debet dici porticus Salomonis. Responsio, dicendum quod templum reparatum fuit ad similitudinem prioris, & ideo sicut antea porticus illa dicebatur Salomonis, ita & postea, ob eius reuerentiam. D. Tho. super Ioan. 10. lect. 5.

Et hyems erat, &c. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Euan. cum prædicante domino nullos tunc ex Iudæis credituros diceret, præmisit dicẽs, Hyems autẽ erat. Scriptum nãque est, quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Idcirco ergo hyemis curauit tempus exprimere, vt inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est quòd de negaturo Petro præmittitur, Quia frigus erat, & stans ad prunas calefaciebat se. Iam namque intus à charitatis colore torpuerat, & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas infirmitate æstuante, recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Iudas exiisse perhibetur, cum egrediente illo ab Euangelista dicitur, Erat autem nox. Hinc enim & iniquo diuiti dicitur, hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe quę ad tenebras ducitur: nõ in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon qui sapientia non perseueraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt, puniturí autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur. Quia igitur beati Iob tentatio ad victoriam deducitur, à die cæpta perhibetur, cum dicitur, quadam autem die, &c. vide D. Grego. lib. 2. Mora. cap. 2.

Seruata veritate historiæ, diuina eloquia aliquando ex tempore, aliquando ex loco, causas designat, quas aperto sermone non indicant. Ex tempore etenim, sicut prædicante Iudæis domino, per Euangelistam dicitur, Hyems erat. Inter illa enim mysteria quæ veritas loquebatur, quæ causa fuit vt nomen hyemis adderetur, nisi vt per qualitatem temporis, ostenderet frigus cordis? quia & cum verba veritatis acciperent, frigida Iudæorum corda remanebant. Aliquando vero ex loco, sicut carnali Israelitico populo, descendente de monte Moyse, lex in campestribus data est, & sanctis Apostolis dominus in monte sedens, summa & spiritualia præcepta locutus est: vt ex locis vide licet monstraretur quia & illis tanquam carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum, & isti tanquam spirituales & sancti in monte mandata cælestia audirent, quatenus aperte monstraretur quòd ascendentes corde ad cælestia, infirma mundi relinquerent, & in mentis culmine starent, &c. D. Grego. libro 1. su. Eze. hom. 12.

Facta sunt encænia, &c. Quamuis Christus dominus ad festiuitates accederet docturus Iudæos, nihilominus tamen his sceleratis hominibus iniquis perpetuo erat, propterea quod vehementer illis dissimilis esset. Hinc enim in lib. sap. impij dicunt de viro iusto: grauis est nobis etiam ad videndum. Causaque huius odij subditur, Quoniam dissimilis est aliis vita eius. Hæc autem dissimilitudo improbitatem impiorum maxime detegit ac declarat. Sicut enim recta linea iuxta obliquam posita, obliquitatem eius apertius ostendit: ita puritas & rectitudo bonorum, facile malorum turpitudinem & prauitatem oculis spectãdam proponit. Qua ex re acerbum illorum in pios odium sequitur. Vnde concludunt, circunueniamus iustũ, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Sed quid mirum est spirituales homines à carnalibus infestari, cum caro ipsa spiritum cui alligata est, quem plusquam germana charitate diligit, à quo & vitam, & decorem atque vigorem omnem recipit, mortiferis cupiditatibus perpetuo infectare non cesset? si igitur in vna eademque persona adeo acriter & hostiliter caro aduersus spiritum pugnat, quod futurum putamus inter duas personas, quarum altera spiritus legem, altera motus omnes & impetus carnis pro lege habet? Caro enim vix vnquam naturæ suæ obliuiscitur. Vt enim ignis in quacunque materia sit, naturam semper suam retinet, quod in aqua calorem ignis concipiente apparet, quæ & amore ignis vrit, & cum grauis natura sit ac deorsum feratur, ignis tamen calore percepto, sursum ebulliens, eius quoque leuitatem quodammodo imitatur: sic plane caro nostra vix vnquam naturam suam omnino deserit, sed ad ea quæ sibi similia & cognata sunt, nempe carnalia, repudiatis spiritus legibus, semper aspirat. Cuius etiã rei fraterna illa pugna, qua Iacob & Esau in matris aluo constituí inter se certabant, typum tenet. De qua A. August. sic ait: sicut duo paruuli in vtero Rebecæ collidebantur, sic in vtero Ecclesiæ duo sibi populi iugiter aduersantur. Bonorum desiderium est vt qui mali sunt, corrigantur: malorum est vt qui boni sunt consummantur. Si quidem Christus dominus dixit, si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea oditvos mundus. Quæ quidem domini sententia adeo vera est, vt inter clarorũ virorũ Apophtegmata referatur, principem quendam virtutis laude præstantem, cum ab improbo quodam homine laudaretur, ad comites conuersum interrogasse: num mali aliquid designasset, quod ab improbo laudaretur? adeo illi persuasum erat, sceleratos homines nihil nisi quòd ipsi faciunt probaturos. Quod si quæras cur piis hominibus detrahere improbi soleant, hanc etiam

Sapien.

etiam causam addo, quam D. Hiero. exprimit his verbis. Solatium malorũ est, bonos carpere: dum peccãtium multitudine, culpam putant posse minui delictorum. Suæ namque existimationi præclare consultum putant, si nullus in ciuitate vir bonus reperiatur, cuius exemplo eorum improbitas magis conspicua fiat. Hinc vbi forte vir aliquis pius, vt est humana infirmitas, in crimen aliquod lapsus fuerit, exultant improbi atque triumphant, & illud vbique decantant & prædicant, vt hoc videlicet indicio appareat, eos qui pietatem per bona opera promittunt fallaces esse & hypocrisis vitio inquinatos. Quã sit autẽ hoc à Christiana charitate alienum, ostendit præclara illa Constantini Magni sententia, si viderem inquit, sacerdotem aliquem Christo dicatũ delinquere, pallio meo illum operirẽ, ne a b aliis cerni posset.

Facta sunt encænia. Festum erat hoc solẽne, quo purgatio & renouatio templi ab Antiocho Asiæ rege prophanati, & à Iuda Machabæo instaurati, diebus octo celebrabatur.

Et hyems erat. Quoniam hoc festum in mense Casleu, qui apud nos est Nouẽber, agebatur, quo hyemis frigus vigere solet. Quod quidem tempus non otiose sanctum Euangelistam descripsisse putandum est. Hoc enim Iudæorum frigiditati maxime conueniebat, de quibus apud Hiere. scriptũ est, quod quemadmodum cisterna frigidam facit aquam, ita illi frigidam fecerunt malitiam suam. Qua quidem loquendi ratione significare diuinus vates voluit, charitatis ignem apud illos extinctum prorsus fuisse, solúmque ardentissimum sui amorem in illis viguisse. Hi namque duo amores ita sibi aduersantur, vt quo magis amor sui feruet, eo magis fraternæ charitatis amor frigeat.

Hiere. 6.

Et hyems erat. Quemadmodum auxillam suaui aliquo liquore confertam, nisi ignis adhibeatur, varia muscarum agmina inuadere solent, at vero admoto igni, cessantéque frigiditate omni & algore, statim auolant & aufugiunt: ad eundem modum si frigiditate & tepiditate quadam alicuius animus propter charitatis absentiam obrigescat, aggrediuntur eum illico & circumueniunt varij cogitationum inanium fluctus, sin autem charitatis igne inflammetur, abscedẽtibus illis inanibus & inutilibus, succedunt cogitationes solidæ, firmæ atque sanctæ. Vide etiam Hecto. Pint. super Ezechie, 10.

Facta sunt encænia. Gratitudinem quandam animi præ se ferre videbantur in celebratione huius festi, de qua si voles, poteris aliquid edisserere.

Grati quidem esse debemus in Deum propter tot tantáque beneficia ab eius liberalissima manu nobis collata, cum etiam de paruis pleriq; olim sapientes gratitudinem maximam præ se ferre viderentur. Vide etiam Senecam lib. 10. epist. epistol. 74.

Quemadmodum cum quis magna diu multúmque procella ac tempestate iactatus, tandem diuino beneficio ad portum enatauit sospes & incolumis, volens ingratitudinem quandam animi præ se ferre, monumentum quoddam tanti beneficij, vt depictam tabellam, vt nauiculam appensam vel simile quidpiam Deo sacrare solet, & tem plis ipsis appendere: ita certe cum à peccatorum procella in dies liberemur, quæ grauior est & periculosior, an non gratitudinem tantã animo continere debemus: vt eam nulla vnquam deleat obliuio? At contra plerique faciunt, omnem statim ex animo gratitudinem abicientes: similes illis plane, qui posteaquam tegmine opacissimæ alicuius arboris ab ingruente pluuia liberati sunt, eandem arborem præscindunt. Tum illis qui vbi primùm ex hostium faucibus beneficio velocissimi cursus generosi equi effugerunt, eundẽ interimunt. Item illis qui cymba quadam seu scapha sospites enauigarũt, & postmodum eam cõburunt. Ita enim hi omnem obliuiscuntur grati animi recordationem, & quæ beneficia concessa sunt ad salutem, iis abutuntur in iniuriam creatoris.

In porticu Salomonis. De hac porticu quænam esset, consule etiam Titelmannum super Ioan.

Et hyems erat. Hic fuse si libuerit, disserere poteris de amore Dei, de charitate, de amore erga proximos: quo homines ad hæc cohorteris & inflammes, ne scilicet hyeme peccati ac tepiditate quadam obrigescant, & pereant, quod faciebant Iudæi.

De amore Dei & proximi consule Vincẽ. Belluacen. Spec. natu. lib. 30. cap. 60. 61. & 62.

Circa finem operum D. Bernar. extat liber de amore Dei, & incipit, venite ascendamus, postmodum etiam reperitur alter qui agit de natura & dignitate diuini amoris.

De Dei amore & proximi vide Laurent. Iustinia. lib. qui inscribitur de disciplina & perfectione monast. conuer. cap. 4.

De variis affectibus & sublimitate amoris Christi, vide eundem in lib. qui inscribitur fasciculus amoris cap. 6.

Amor præcellens quidem atque incomparabilis est ille quo nos Deus prosecutus est atque prosequitur, vide eundem lib. de triumpha. Christi agone cap. 5.

Quemadmodum arbor tanto procerior fit, & aspectui iucundior, quanto plures eius ramusculos suppullulantes & renascentes præcideris: ita quo pluribus quis afficitur calamitatibus & ærũnis tanquam incisuris quibusdam, tanto magis in diuino amore & virtutum progressu crescere videtur. Et vt arca Noe quo magis aquę inundabãt, eo magis eleuabatur & extollebatur: ita quo bonus aliquis pluribus abũdat afflictionibus, eo altius in diuini amoris profectu excrescere videtur atque extolli.

Sicut flumina ipsa nos ducunt ad fontes ex quibus originem ducunt: ita creaturæ nos quasi manu prehensos ducunt ad creatoris sapientiæ admirationem, eiusdémque amorem: & quamuis varię sint ambages ipsius fluminis, nihilominus tamen rectum semper & copiosiorem insequentes fluxum, ita demum ad fontes ipsos deuenimus: sic etiam quamuis varias videamus in creaturis affectiones, semper perfectiones ipsas insequentes, & quidquid perfectionis est in eisdem, secluſa omni imperfectione Deo tribuentes, tandem in eius cognitionem deuenimus, atque eiusdem amore succendimur.

Quemadmodum ex duro frigidóque ferro nil potest fabricari politum, nil elegans atque venustum, nisi ignis admoueatur, quo concepto tãdem paucis quibusdam ictibus præstatur, quod antea nec multis quidem præstari poterat: haud secus tametsi variis ictibus tum aduersæ tum prosperæ fortunę aliquis concutiatur, nisi ignem charitatis amorísque diuini conceperit, non potest ex eo quidquam fabricari, quod vitæ æternæ meritorium sit atque dignum.

Quemadmodum aqua parem habet ascensum ipsi descensui, & non minus attolli consueuit, quã fuerit depressa, nisi aliquę lateãt rimulæ siue scrobiculi per quos subterfugiat: ita vniuscuiusq; ani-

mus ad Deum ipsum ex quo manauit, per amorem assurgit, nisi aliqua sint latibula fallacia & peruersa rerum terrenarum inanium ac perniciosarum,in quibus occupetur.

Cæterum de virtute charitatis lib. habet D. Bernar. circa finem operum, & incipit: Memini me dudum ad sanctos fratres &c.

Consule D.Lauren.Iustinia.in lib.de ligno vitæ in tractatu qui inscribitur, vnde oriatur charitas.

De perfectione charitatis Dei & proximi consule eundem lib.de Casto connubio verbi & animæ cap.21.

De charitate eiusq; effectibus vide eundem libro de Triumpha.Christi agone cap.11.

Charitas quot quantáque possidenti adportet bona,vide eundem lib.de obedientia cap.22.

Qualiter per dilectionem ordinetur charitas, vide D.Bernar.super Cantica sermo.49.& 50.

Quo pacto misericordes esse, atque charitatis viscera gestare debeamus,composuit D.Chrysost hom.quandam quam inscripsit,de habenda cura salutis proximi,prope finem to.1.

Quendam idem habet sermonem de charitate quæ cuncta dirigit & perficit, inter initium ac medium to.5.

Philo etiam habet lib. quendam quem inscripsit de charitate inter medium & finem operum.

De charitate præterea multa reperies apud D. Basilium in lib.Regula.fusius disputa.cap. 2. & 3. inter initium ac medium tomi 2.

Vide D. Ambro. lib. 1. de Iacob & vita beata cap.7.prope finem to.1.

De charitate & pace lege D. Hiero, in regula. Monacho.to.4.

De charitate & amore vide D.August. lib epis. epist.144.to.2.

De charitate consule Vincen.Belluacen.Spec. Mora.lib.1.par.3.dist.24.

In templo. De tertia templi ædificatione vide Iosephum Antiqui.lib.12. cap. 14.

Et hyems erat. Desides homines & frigidos ad bona quæque præstanda,videtur etiam Poeta ille reprehẽdisse,cum dixit: Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

Periculosum est desidem & frigidum sese exhibere in actionibus cum virtute coniunctis obeundis.Vide Hiere.24.A.& calathus vnus &c. Itẽ Nume.22.obsecro vt hic maneatis &c.Huc etiam spectat illud quod Iacob filios suos argueret negligentiæ atque desidiæ Gene.42. Tum etiã quod nautæ reprehenderent Ionã propterea quod dormiret tempestate procellaque sæuiente. Christus etiam discipulos suos increpauit, cum dixit: non potuistis vna hora vigilare mecum?Mat.26.Somnolentia illa Sisaræ,eidem necem intulit,vitamq; ademit, Iudicum 4. Reprehendit Dauid ipsum Abner, propterea quod somno indulgeret quo tempore vigilantissimum se custodem Saulis exhibere debebat 1.Reg.26.Quod Isboseth dormiret,interfectus fuit à latronibus 2.Reg. 4. Desidia denique illa & negligentia virginum fatuarum,in causa fuit vt sponso suo non fruerentur.Mat.25.

Circundederunt ergo eum Iudæi,& dicebant ei: quousque animam nostram tollis?si tu es Christus,dic nobis palam. Vbi primo attende illorum peruersitatem:nã quia indignantur contra Christum,quod se diceret filium Dei, sup. 5. non interrogant eum an sit filius Dei, sed dicunt, si tu es Christus,dic nobis &c.Vt per hoc possent habere materiã accusandi eum ad Pilatum, sicut seditiosum & appetentem regnum.Quod erat contra Cæsarem, & odiosum Romanis. Vnde & Pilatus quando Iudæi accusabant Christum,quod filium Dei se faceret,parum curauit.Dum vero dixerunt, omnis qui se regem facit,contradicit Cæsari,magis cæpit contra eum solicitari,& ideo dicunt.Si tu es Christus, vel rex vel vnctus &c.Secundo considera illorum æquitiam,quia dicunt,*Palam* quasi dicant vsque modo non docuit publice,sed quasi in occulto, cum tamen ipse palam omnia diceret, in festiuitatibus semper assistẽs,& nihil occulte loquebatur, infra 18.Ego palam locutus sum mundo, in occulto locutus sum nihil.D.Tho.super Io.10.lect.5.

Si tu es Christus &c. Non veritatem desiderabãt, sed calumniam præparabant.Hyems erat & frigidi erant.Ad illum enim diuinum ignem accedere pigri erant.Si accedere est credere, qui credit accedit,qui negat recedit: non mouetur anima pedibus,sed affectibus.Friguerant diligẽdi charitate,& ardebant nocendi cupiditate.Longe aberãt, & ibi erant:non accedebant credendo, & premebãt persequendo D.Augu.super Io.tract.48. to.9.

Si tu es Christus &c. Id quidem ficto & duplici animo dicebant, non desiderio proficiendi, sed exteriori quodam zelo falso obtendere] volebant inuidiam,malitiam, & obstinationẽ qua interius laborabant. Tales sunt plerique, peccatores esse cupientes,& tamen ab hominibus boni existimari exoptantes,& malitiam suam simulatione quadam religionis & virtutis contegentes. Cum impius Absalon aduersus patrem decreuit insurgere ita ait: vadam ,& reddam vota mea quæ voui domino in Hebron.Sic Aman sumpturus de Mardochæo supplicium,impietatem vexit,dicẽs regi Assuero,est populus per omnes prouincias regni tui &c.Pharisæi dicebant,Venient Romani &c.

Filij Iacob volentes se iustificare apud patrem, ostenderunt ei tunicam sanguine tinctam. Babylonij religionis zelum finxerunt dicentes Nabuchodonosor,trade nobis Danielem &c. Herodes denique volens Christum occidere, cũ magis deuotionem finxit,dicens:cum inueneritis, renunciate mihi,vt & ego veniens adorem eum.

Circundederunt ergo eum Iudæi. Ex rodente quidẽ inuidia ducti, quæ eos miseris modis cruentabat. Vt enim vipera tales in se concipit fœtus,à quibus consumatur & intereat,ita inuidi tales pariunt cogitationes, videntes alterius res florentes atque fecundas, vt illis miserabiliter discrucientur, vexentur,ac tandem intereant.

Quousque animam nostram tollis? Videntur isti infensissimi virtutis Christique hostes se quodammodo excusare velle his verbis: quod scilicet minus crederent, propterea quia seipsum dominus non manifestaret.Quasi vero,si modo excæcatos mentis oculos aperire voluisset, non potuissent ex Christi operibus præclarissimis & innumerabilibus,qualis esset apertissime videre. Cæterum de pernicioso excusationum genere, si voles hic pertractare,nonnulla subiiciam.

Excusatio in peccatis reprobatur à D. Bernar. in tracta. de gradibus humili. in sectione quæ incipit,multis vero modis.

Quam pernicioſa sit de peccatis excusatio,cõsule eundem lib. Medita. cap: 10. & incipit, vbi peccata mea.

Vndenam enatum sit quod in peccatis nos excusare soleamus,lege Lauren.Iustinia.lib.de triũpha.Christi agone cap.21.

Nos in peccatis excusare delictum quoddam est,vide D.Basi.lib.Regu.breuio interro. 7.to.2.

Quid

Quid senserint Philosophi hac de re,vide Vincen.Bellua.Spec.doctr.lib.5.cap. 18.

Sæpe si nobis obiicitur cur flagitium aliquod perpetremus,inquit Seneca,respondere solemus, sic esse in vsu.Et certe inde prouenit nos minime sanari, quod morbum nostrum agnoscere nolimus.Vide Senecam li.6.epist.epist.5.

Scis quare non possumus ista? quia nos posse non credimus.Vitia nostra quia amamus, defendimus,& malũt excusare illa,quam excutere. Satis natura dedit homini roboris,si illo vtamur, si vires nostras colligamus,ac totas pro nobis certe, non contra nos concitemus.Nolle in causa est,nõ posse prætenditur &c.Vide Senecam lib. 21. epist.epist.117.

Non est quod longas quasdam confingamus excusationes,cum nihil Deum ipsum lateat. Hiere.2.E.Vidi vias tuas &c.

Frustra excusationes fingimus apud Deum Hiere.23.E.Putas ne Deus è vicino ego sum &c.

Non est cur nectas excusationes,siquidem Deo nil occultari potest.Zacha.4. C. septem isti oculi sunt domini qui discurrunt in vniuersam terram.

Ne te excusa, quoniam Deus intelligit & videt omnia.Iob 35.D.etiam cum dixeris.

Quorsum excusationum ambages quærimus, cum Deus cuncta prospiciat?Eccles.23.C. Tenebræ circundant me &c.

Si tu es Christus, die nobis palam. Dolose quidem & fallaciter id quærebant Iudæi:quo loco si voles fusius contra fraudulentos & deceptores homines excurrere,aliquos indicabo fontes.

Quod varij sint doli in mundo atque laquei. Hiere.9. B. vnusquisque se à proximo suo custodiat.

Variæ in mundo deceptiones Hiere.9.C.In ore suo pacem cum amico.

Doli quam plurimi latent in hominibus Osee 12.B.Statera dolosa.

Deceptores Micheæ 2. C. desuper tunicam pallium sustuliſtis.

Doli complures in hac vita Abacuc 2. C. Væ qui potum dat amico suo.

Dolosi detestabiles Prouer.18. A. Verba bilinguis quasi simplicia.

Dolosorum magna copia Prouer.20.C. Malum est,malum est,dicit omnis emptor.

Deceptorum proprietates.Prouer.26.C. Sicut noxius est qui mittit sagittas.

Dolosis sit comminatio Ecclesiastici 2. C. Væ duplici corde.

Fallaces quo claudantur fine, Iudicum 15. A. Putaui quod odisses eam &c.

Varij in mundo doli 1.Reg. 18. Loquimini ad Dauid. Vix inuenias cui tuto fidas 2. Reg. 11. B. Mitte ad me Vriam.

Multi inter homines doli 2.Reg.15.A. B. Fecit sibi Absalon.

Dolosi homines 3.Reg.13.D.& Angelus locutus est mihi.

Quam varij sint in mundo doli 3. Reg. 21. C. Prædicate ieiunium.

Vix aliquis tutus in mundo versatur,adeo plena sunt omnia laqueis 2.Esdræ 6.A.Veni & percutiamus fœdus.

Vix fidelem inuenias virum 1.Macha.12.F.Veni mecum Ptolæmaidam.

Deceptores 1.Macha.13. B. Pro argento quod debebat frater tuus.

Dolosi & crudeles 2.Macha. 4. E. Statim eum peremit.

Vndique latent insidiæ Matt.2. B. Ite & interrogate diligenter de puero.

Quo tempore occupari Pharisæi in diuino cultu debuerant,eo fraudes dolósque machinantur detestabiles.Vide Arboreum super Ioan.

Si tu es Christus &c. Adulatores homines, quales erant isti,etiam philosophi iam pridem reprehenderunt:nam Philon dixit,fraudulentos adulatorum sermones auersare. Diogenes, blandam adulantium orationem, mellitum laqueum existimato. Antisthenes, satius esse putato in coruos, quam in adulatores incidere: nam illi mortuum exedunt,hi vero viuum etiã. Horatius, nec te fallant animi sub vulpe latentes. Anianus, calidum & frigidum ne eflato.

Si tu es Christus &c. Vide quam leuissimi essent isti & inconstantes, qui nunc videntur quadam cum reuerentia & vrbanitate Christo loqui,& tamen postmodum mutata subito voluntate,sustulerunt lapides vt lapidarent eum. Cæterum si voles hic disserere quam dedeceat eiusmodi mutabilitas & inconstantia virum bonum, videbis Bernar.lib,de gradi.humili.in nota.incipiente,Monachus enim &c.Item consules Vincen. Belluacen. Spe.Mora.lib.3.lib.par.3.dist.3.& 4.

Respondit Iesus, loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei,hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Vnusquisque seipsum introspiciat,& qua ratione sacris cõcionibus audiendis assistat,quidque ex illis profectus audiendo capiat, diligenter inquirat,vt aliquo modo cognoscere possit, sit ne ex ouibus Christi. Sunt enim quidam qui viginti fortasse annis, & eo amplius, sacras conciones in templis audierunt,à quibus tamẽ si roges an hoc tam longo tempore tantóque studio, aliquid de prauis suis moribus detraxerint: hoc est an is qui passim mentiri,deierare,cõuiciari,detrahere, male precari vindictã expetere,& concupiscere quęcunque collibuisset, in vsu habebat, aliquod ex his vitium à se abdicauerit,vel aliquod saltem pietatis officium amplexus fuerit, hoc est si orare, si meditari, si pios libros legere, si ieiuniis carnem macerare,si diuina sacramenta paulo frequentius sumere, si laborantes proximos charitatis operibus iuuare, si denique aliquid horum designare tot concionibus audiendis statuerit, multos inuenemus qui si verum fateri velint,se nil horum effeciſſe,sed frustra toto hoc tempore Dei verba audiuisse,fatebuntur.De his ergo quæ spes certa salutis esse poterit?Quid aliud de te mihi in sequẽtibus annis polliceri potero, quam quod tot annis hactenus prestitisti?Quid enim est quod futurum est,nisi id quod ante præcesſit? Imo vero tãto minus de te sperare potero, quanto difficilius est inueteratam consuetudinem,quam adhuc nouam & recentem,superare.Scio nil diuinæ gratiæ esse impossibile, hæc tamen vehemens apud me perditionis tuæ coniectura est,atque eo vehemẽtior,si tu,quisquis in hoc periculo modo degis,dũ hæc audis,nihilo magis cõmoueris, quam si hoc nil ad te pertineret.Hoc enim non leue cæcitatis & obstinationis,ac proinde reprobationis, indicium est.

Loquor vobis & non creditis. Hic agere poteris quantum expediat bona ac salutaria amplecti ociſilia,noxiáque declinare.

Angeli salutare dederunt consilium Loth & vxori eius, quod tamen quia vxor non seruauit, in statuam salis conuersa est. Gene. 19.

Attende in quod se periculum coniecerunt

fratres

fratres Ioseph, quia sequi noluerunt consilium Ruben.Gene.42.

Filij Beniamin credere noluerunt filiis Israel, idcirco vastati sunt,Iudicum 20.

Quia filij Israel obtemperare Moysi salutariter consulenti renuerunt, ideo victi fuerunt. Nume. 14.

Vide quo deuenerit Roboam propter peruersa consilia 3.Reg.12.

Longe vtilius fuisset ipsi Nabuchodonosor,salutari Danielis vti consilio.vide Danie.4.

Iosephus & Azarias non crediderunt consilio sapientis Iudæ, & idcirco amiserunt duo millia virorum 1.Macha.5.

Vtilissimum quidem dabat consilium Achior ipsi Holoferni,quod quia non est complexus, tãdem ignominiose occubuit.

Godolias quia non paruit Iohanan, idcirco mortem incurrit.Hiere.40. & 41.

Noluit Iudas parere consilijs residuorum & interfectus est.1.Mach.9.

Quia Asael consilium ipsius Abner contempsit,vitam amisit 2.Reg.2.

Nonnulli consilia quidem petunt,sed si minus ea quæ dantur arriserint, & secundũ eorum desideria non fuerint, eadem abiiciunt quamuis bona Hiere.42.Gadat oratio nostra &c.

Consilia,pleriſque non placent,nisi eorundem deprauatis affectibus respondeant. Vide Hiere. 43.

Praui consiliarij quantum noceant 2. Regum 10.A.Putas quod propter honorem.

Praua consilia plerique statim complectuntur 2.Reg.13.A.Cuba super lectum.

Peruersa consilia multi illico sequuntur Iudith 2.A.Quod dictum cum placuisset omnibus. Esther 1.C.D. Non solum regem &c. & 3. C. Est populus.&c.

Romani vsque adeo sibi videbantur maturi consilij amicissimi, & eiusdem cultores sediuli, vt magnificum quoddam templum Deo consilij erexissent.

Græcus ille Agamemnon quemadmodum prodidit Homerus,dicere solitus erat,se delectari magis sapientibus ducibus,quam fortissimis : plusq; à se diligi & æstimari sapientem Nestorem, quam robustissimum Achillem.

Cato ille Censorinus affirmare solitus erat,respub. non tam perire indigentia fortium ducum & militum,quam sapientum.

De Appio Claudio refert Mar. Tull.quod quãuis extrema senectute confectus esset, oculisque captus,nihilominus tamẽ nõ minus libentissime quam frequẽtissime à senatu ipso euocaretur, propter consilij maturitatem.Vide etiã Iusti.lib.31.

Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Bona pascua vita æterna dicitur, ibi nulla herba aresçit,totum viret,totum viget.Solet quędam herba dici semper viua,est herba quę semper dicitur viuere:ibi solum viuere inuenitur. *Non rapiet eas quisquam.* De illis ouibus de quibus dicit Apost.Nouit dominus qui sunt eius:& quos præsciuit,ipsos & prædestinauit, quos autem prædestinauit,ipsos & vocauit,quos autem vocauit, illos & iustificauit,quos autem iustificauit,ipsos & glorificauit. De ouibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit,nec latro interficit. Secutus est de numero earum,qui pro eis nouit quod dedit, & hoc est quod ait, non rapiet eas quisquam de manu mea.D.August.super Io.tract.48.to.9.

Et sequuntur me. Sicut enim qui nauigant mare, ad certissimum & immobilem mundi polum oculos conuertunt,& iuxta illius præscriptum nauigationis cursum diriguntiita Christus dominus in turbido huius vitę pelago nauigãtibus,seipsum ne aberremus ducem exhibet, qui non verbis modo,sed exemplis etiam iter nobis in cælum monstrat.Hũc enim ducem cælestis pater per prophetam pollicitus est,cum ait.Ecce testẽ populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Cum vero absolutissimum virtutum omnium in Christo exemplar habeamus, in eo tamen mãsuetudo & innocentia,quæ ouium propria sunt, maxime elucent,quas quidem virtutes pios omnes imitari vult,quando eos oues & agnos appellat.

Oues meæ vocem meam audiunt. Reprobi etenim adeo cælestis doctrinæ fastidio laborãt,vt frequẽter ne aure quidem corporis verba Dei audire dignentur.Quod si aliquando audiant, non in hoc audiunt vt meliores euadant,séque doctrinæ præceptis formandos præbeant,sed in alios vsus qui nil ad hoc conducant. Quidam enim in hoc audiunt,vt quæ audierint vel legerint, ad alios perferant,seque harum rerum prædicatione venditent.Hi vero gallinæ pullos educanti similes esse videntur,quæ si quid sibi inuenerit,pullos conuocat vt edant,ipsa interim ieiuna manens.Sunt vero alij,qui solam voluptatem ex sententiarum acumine,aut verborũ nitore,aut alia simili re, quæ vel voluptatem vel curiositatem alat, captare solent, ipsi nil quod ad mores suos componendos pertineat decerpentes. Hos autem Plutarchus iis similes esse ait,qui ex floribus solo odore & calore capiuntur,nec aliam ex eis vtilitatẽ percipiunt, cum tamen & apes dulcissima inde mella sugant, & pharmacopolæ varia ex eis medicamẽta variis profutura morbis conficiant. Hoc autem pij omnes facere solent,qui ea mente concionatoris vocẽ, qua ęgroti salutis cupidi medici præcepta auscultant. Hi enim non minus in exequendo quæ medicus præcepit soliciti, quam in eo audiendo attenti sunt.Ob hoc enim audiunt, non vt discãt, sed vt id quod audiunt exequantur. Hoc igitur modo audiunt quicunque ad æternam salutem cooptati sunt.

Oues meæ, Vocat quidem dominus electos suos oues, propter mansuetudinem qua exornantur. Quod si causam quæras cur tantum ad æternam salutem hæc virtus conducat, ea mihi vel præcipua causa esse videtur,quod cum vitæ Christianæ summa in charitate posita sit;qui enim diligit, legem impleuit,mansuetudinis placabilitas ad huius virtutis custodiam maxime conducit. Hoc enim naturæ conditor in operibus suis prouidit,vt quæ essent in humano corpore præcipua, & propter teneritudinem suam iniuriæ magis obnoxia, pluribus integumentis vallauerit, quibus extrinsecus illatas iniurias propulsare facile possent. Quibus enim vt ita dicam,vallis,teneram cerebri massam muniuit? primum eam tegit carnosa cutis,capitis cæsarie vestita. Deinde cranium ex ossea eadémque durissima materia constans, tum deinde tunicæ duæ consequuntur,quarum altera paulo rigidior,quæ cranio hæret, altera mollior, quæ ipsam cerebri massam mollissimo complexu ambit & fouet:cuius rei gratia congruis nominibus altera dura mater,altera pia mater, appellantur.Iam vero de oculorum septis quid dicam? Sũt enim primum palpebræ, quæ pro voto nostro & aperiri & claudi ad nutum possunt ; sunt item cilia,ac

lia, atque supercilia, quæ suo quæque modo ad oculorum custodiam deseruiunt. Ipsi vero oculi velut in speciebus inclusi,fornicibus superne impendentibus muniuntur. Quam ergo rerum prouidentiam in operibus naturæ gerit dominus,eãdem in gratiæ operibus cõseruat,vt videlicet quæ præstantissima ad spiritualem vitam sunt, ea munimentis firmioribus tueatur.Charitati ergo quæ inter virtutes omnes principem obtinet locum, præter aliarum virtutum munimenta, quæ vt ab illa profluunt ita illi famulãtur, duas potissimum virtutes gratiæ autor ad eius custodiam destinauit,videlicet mansuetudinem,& pacem.Quę efficiunt vt electi improborum iniurias & contumelias facile ferant, neque vnquam à charitate ipsa diuellantur.Sicut enim in expugnatione vrbium solent qui obsidentur, saccis molli lana oppletis muros tegere, quibus multo melius quam duris lapidibus,iaculorum ictus cedendo sustinent : ita plane mansueti homines turbulentos improborũ impetus lenitate sua facillime perferũt.Quare nõ mirum est si quod tantopere ad charitatem & innocentiam tuendam iuuat,inter electionis diuinę signa computetur,cum innocentia & charitas sit, cui æterna salus & vita tribuitur.

Vitam æternam do eis. Vide quam præclare & paterne tractet Deus suos, quibus vitam æternam misericorditer largitur,& gratiam suam communicat:at non id impij propter sua demerita & flagitia promeriti sunt,sed potius æternam mortem. Et certe quemadmodum spiritus vitales membris abscissis non communicantur, neque in separata & amputata influunt:ita gratia ipsa & diuina beneficia non perinde impiis,atque electis ipsis cõmunicantur, propter eorundem impiorum culpam & separationem à Deo.

Pater meus quod dedit mihi maius est omnibus, & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Quasi dicat, ideo non rapiet eas quisquam de manu mea,quia ego & pater vnum sumus, scilicet vnitate essentię:nam eadem est natura patris & filij.Per hoc autem excluditur duplex error,scilicet Arrij,qui diuidebat essentiã, & Sabellij, qui confundebat personas , vt sic & à Charybdi & à Scylla liberemur.Nam per hoc quod dicit vnum, liberat te ab Arrio,nam si vnum, non ergo diuersum. Per hoc autem quod dicit,sumus; liberat à Sabellio,si enim sumus,ergo pater & filius est alius, & alius.D.Tho.super Io.10.lect.5.

Pater meus quod dedit mihi maius est omnibus. Consule D.Tho.lib.4.contra gen.ca.8.

Super illa verba,ego & pater vnum sumus,cõsule D.Tho.1.p.q.42.ar.5.per totum : & super Io. 16:lect.7.in illa verba,exiui à patre,& 3.p.q. 2. ar. 9.ad 3.& in 1.sen.dist. 19.q. 3. ar. 2. per totum. & opusc. 9.q.56.

Ego & pater vnum sumus. Vnum dixit, ne fiat discretio potestatis:sumus addidit,vt patrem filium que cognoscas,quo perfectus pater perfectum filium genuisse credatur &c.D.Ambro. lib.1. de fide cap. 1.

Cum enim dicit,ego & pater, reuelatur æqualitas:cum dicit vnum sumus,vnitas declaratur:æqualitas confusionem excludit, vnitas separationem &c. Vide D. Ambro. de spiritu sanct. lib. 3. cap. 18.

Sustulerũt ergo lapides Iudæi,vt lapidarent eum. Quia enim duri erant,& profunda domini verba intelligere non poterant, lapidibus similes ad lapides currunt.Psalm.119.dum loquebar illis,impugnabant me gratis.D.Tho.super Io.10.lect.6.

Sustulerunt ergo lapides. Præ iracundia quidem: iracundiam vero & furorem, iam pridem multi etiam Philosophi atque poetę detestati sunt:nam Democritus dixit,sis ad iram nõ celer, sed tardus. Ouidius,vince animos irámque tuam, qui cætera vincis. Athenodorus,cum fueris iratus, nequid dixeris feceríue,priusquam Græcarum literarũ viginti quatuor nomina apud te recensueris. Terentius,quod ferẽdum est,feras; minuę iram. Syllius, Ocyus iræ viri nascentem extinguite flammam, ne seræ redeant post aucta pericula cure. Phocylides,ne sis ad pugnam præceps, compesce furorẽ. Aristippus,ne verba per iram proferto,sed verbis iram compescito.Epicharmus,ne teipsum ob rem leuem iracundum exhibeas.

Respondit eis Iesus:multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Quasi dicat,benefactorem oportebat honorare, non lapidare.Simile dicitur Hiere.18.nunquid redditur pro bono malum &c. D. Thom. super Ioann. 10. lect. 6.

Multa bona opera ostendi vobis. Vide quam mitia det illis verba,quo furorem eorum retardaret,atque comprimeret,quæ magnam ad eam rem efficaciam secum continere solent. Sicut enim aqua gelida efferuenti iniecta,cõtinuo totum illius feruorem ac ebullitionem sedat,residentémque reddit illam quæ prius rapido æstu intumuit: haud secus placida verba & mitia,iracundia cõcitatum animum mitigare solent,& ad mãsuetudinem reducere.Quod nobis ipse Dauid suo prodit exemplo,cuius districtum mucronem in totius domus Nabal exterminium, ipsa Abigail vxor eius sua suauiloquentia & humanitate,vagina recondidit, & à cruoris effusione immunem reddidit.

Propter quod eorum opus me lapidatis? Iustissima profecto querela.Quid enim indignius,quid mõstruosius aut execrabilius, quam lapidibus eum petere,qui tot beneficiis,tot miraculis, tot maximarum virtutum exemplis, tot cælestis vitæ documentis,eos ad sanitatem perducere conabatur? Quis enim adeo inhumanus & ferreus fuit, qui pro summis beneficiis lapides redderet,quibus scrilegi in Deum homines in lege olim obrui iubebantur?sed Iudæos missos faciamus, quos ad hoc tam immane facinus sua impulit perfidia. Quãto vero grauius & intolerabilius est,eos qui fidei lumine instructi sunt,lapidibus quotidie dominum petere?Lapidibus enim illũ petit quisquis fideles, hoc est eius membra,variis iniuriis & cõtumeliis afficit,quemadmodum Apost. ait:sic autẽ peccantes in fratres,& percutientescõscientiam infirmã, in Christum peccatis.Lapidibus quoque illũ petit,qui beneficiis diuinis elatus,donis ẽius aduersus illum pugnat,& laudis atq; dilectionis materiam,in superbię & contemptus materiam vertit. Lapidibus etiam illum petit,qui sanctissimũ eius nomen passim deierando lacerat,atq; is præcipue qui furore & insania percitus, sacrilegas in eum voces iactat:qui eius misericordiam,iustitiam, & prouidentiam,male sanus accusat,& vitam ab eo clementer impensam,crudeliter abrumpere desiderat.Quod quidem scelus non hominibus solũ, sed multis etiam fæminarum,cum rebus aduersis premuntur, familiare est: quo tempore de Deo queruntur,& cum eo disputare cupiũt,& causam inquirere cur ita deserantur, & cæteris fæminis miserabiliores esse patiatur. Quanta vero sit criminis huius grauitas & indignitas,D.Chrysost.de prouidentia Dei hom.1.hoc exemplo declarat.In lege inquit veteri scriptum est, qui maledixerit

patri

patri vel matri, morte moriatur. Hoc in veteri testamento quando puerilia præcepta, quando lac, quando pedagogus, quãdo figura & vmbra. Quid igitur dicemus de his, qui nunc in gratia & rerum ipsarum veritate sunt, non patri aut matri maledicentibus, sed ipsi vniuersitatis rerum Deo? Quo enim supplicio afficientur? qualis animaduersio? quis igneus amnis? quis vermis sempiternus? quæ tenebrę exteriores? quæ vincula? quis stridor? quis ploratus scelerum magnitudini satis esse possit? Omnes cruciatus qui nunc sunt, quique futuri sunt, minores iusto sunt animo ira affecto, ac eo vsque improbitatis prolapso. Hactenus ille. Quãobrem merito dominus cum his simili oratione poterit expostulare. Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum vultis me lapidare? Quod perinde est, ac si diceret. Ego vos ad imaginem meam condidi, ego vos innumeris suppliciis vestra causa toleratis, ad vitam reuocaui, ego bona ipsa quibus aduersus gloriam meam abutimini, largitus sum, ego os ipsum & linguã qua aduersum me insanitis, contuli: ego membra vestra quibus mihi bellum infertis, & condidi, & condita seruo: propter quod igitur horum munerum vultis me lapidare? Quis autem hac iustissima domini expostulatione non erubescat? non elinguis fiat? non se innumeris suppliciis pro hoc tanto scelere dignum putet? Quanto rectius, quãto iustius, sanctus martyr Polycarpus, qui ante iudicis tribunal positus, cum à perfido iudice hanc vocem audisset, iura fortunam Cæsaris, & dic cõuicia in Christum, & dimitto te: ille contra sanctissime respondit, octoginta annis seruio Christo, & nil me læsit vnquam, quomodo possum maledicere regi meo, qui vitam mihi donauit?

Responderunt ei Iudæi: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Tales sunt plerique hodie ingratissimi contra Deum, quamuis ab eo amplissimis affecti sint beneficiis: qui vitiis suis eundem quodammodo lapidare videntur, nolentes omnino in memoriam reuocare vitæ incertitudinem, & suppliciorum certitudinem, quæ supplicia impios manẽt. Age vero, si ingens alicuius magnæ vrbis platea esset hominibus refertissima, & omnes oraculo diuino admoniti certo scirent magnam vim fulminum super omnes illos ruituram, quibus tota illa hominum turba, paucis solum exceptis, fulminibus icta conflagraret, quis non expauesceret? quis non trepidaret, séque totum eo tempore diuino numini supplicem exhiberet? Quis denique in tãto omnium tremore, cibum, quis potũ, quis somnum, capere quietus posset? sed quid omnes dico? Imo vero si vnus solum ex tanta illa multitudine cælesti igne conflagrare deberet, omnes illi merito trepidarent, suam quisque sortem formidãtes. Quid autem hoc repentinæ mortis periculum, cũ ęternę mortis periculo comparatum, nisi somnus & vmbra est? Cum ergo sciamus infinitum esse stultorum numerum, ac proinde etiam innumerabiles esse, qui hoc superni iudicis fulmine feriẽdi sint, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius; quomodo nõ hoc tantum salutis nostræ periculũ formidamus? quomodo adeo securi in vtramque aurẽ dormimus? quomodo voluptatibus & cupiditatibus nostris obsequentes, damnationis nostrę causas quotidie cumulamus? quomodo denique in tanto rerũ discrimine cõstituti, stertere, ridere, ludere, deliciari, sine vllo doloris aut timoris sensu possumus? Vnde hic tantus stupor, tam obscura caligo, tantúsque salutis nostræ neglectus, cum viri etiam sanctissimi nil magis in hac vita, quam ancipitem hanc animarum sortem formidarent?

Non lapidamus te sed de blasphemia. Cum ipsi blasphemi essent, conabantur blasphemiam inurere Christo domino: quod malum quotidianum fere est, vt scilicet plerique cum se affines sentiunt alicuius criminis, illud statim alteri inurant, antequam de eo reprehendatur. Cæterum hoc loco si voles contra blasphemos dicere, aliqua indicabo scripturæ loca.

Filius mulieris Israelitidis quia Deum blasphemauerat, iussus est à populo lapidari. Leuit. 24.

Vide quantum displicuerint domino blasphemiæ Sennacherib & seruorum eius, quantumque eas castigauerit. 4. Reg. 19.

Vir Dei dixit ad regem Israel, quia dixerũt Syri Deus montium est dominus, & non est Deus conuallium, dabo multitudinem hanc grandem in manu tua. 3. Reg. 20.

Dixit Heli filiis suis, si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2.

Grauiter aggrauauit Nathan peccatũ Dauid, quod fecisset inimicos blasphemare nomen domini 2. Reg. 12.

Vide quantam blasphemiam excogitasset Iezabel, vt Naboth faceret lapidib. obrui. 3. Reg. 21.

Blasphemia procedere videtur ex quodam Dei contemptu, vnde Nabuchodonosor dicebat tribus illis pueris, quis est dominus qui eripiat vos de manu mea?

Quod blasphemia peccatum esse videatur in Spiritum sanctum, vide D. Anto. 1. p. histo. titu. 5. cap. 1. §. 15.

Blasphemi quanto amplius reprehenduntur, tanto fere amplius blasphemare consueuerunt: propter quam causam prohibuit Ezechias ne populus aliquid responderet blasphemiis Rabsacis.

De blasphemia etiam vide Vincen. Belluacen. spe. mora. lib. 3. par. 5. dist. 6. vsque ad 11.

Respondit eis Iesus: nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi dij estis? si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Sciendum est quod hoc nomen Deus tripliciter accipitur. Aliquando enim significat ipsam diuinam naturam, & sic dicitur singulariter solum. Deute. 6. audi Israel, dominus Deus tuus vnus est. Quandoque autem dicitur nuncupatiue, & hoc modo dicuntur idola dij. Psal. 95. omnes dij gentium dæmonia. Quãdoque autẽ dicitur aliquis Deus participatione aliqua diuinitatis, seu excellentioris virtutis diuinitus infusæ. Et hoc modo & iudices dicuntur dij in scriptura. Exo. 22. applicabitur ad Deos, id est ad iudices. Item diis non detrahes, id est prælatis. Et hoc modo accipitur hic hoc nomẽ Deus cũ dicit, Ego dixi dij estis, id est participãtes aliquã virtutẽ diuinam supra humanã. *Quem pater sanctificauit.* licet enim omnes qui sanctificantur Deus sanctificet, infra 17. sanctifica eos in veritate; Christum tamen specialiter sanctificauit. Nam alios sanctificat vt sint filij adoptiui. Roma. 8. accepistis spiritum adoptionis filiorum. Christum autem sanctificauit, vt esset filius Dei per naturam, vnitus in persona verbo Dei. *Quia dixi filius Dei sum.* Quasi dicat, multo magis possum hoc dicere, qui sum vnitus verbo in persona, quam illi ad quod sermo Dei factus est. D. Thom. super Io. 10. lect. 6.

Si illos dixit Deos &c. Si sermo Dei factus est ad homines

homines vt dicerentur dij, ipsum verbũ Dei quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dij; si participando fiunt dij, vnde participant non est Deus? Si calefacti quodammodo igne salutari dij efficiuntur, vnde calefiunt non est Deus? si lumina illuminata dij sunt, lumen quod illuminat non est Deus? si ergo vos Deos facit sermo Dei, quomodo non est Deus verbum Dei? D. Augustin. super Ioan. tracta. 48. to. 9.

Ego dixi dij estis. Vide D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 9. & 10. per totum. & lib. 4. contra gen. cap. 4. & super epis. ad Heb. 1. lec. 1. vsque ad 6.

Non potest solui scriptura. Vide eundem de poten. q. 4. ar. 1. in cor.

Quem pater sanctificauit. Vide eundem in 1. sen. dis. 15. q. 5. ar. 1. quæstiun. 4. ad 2. & in 3. sen. dis. 3. q. 5. ar. 3. per totum.

Et misit in mundum. Consule supra feriam 3. post. 4. Domini. Quadrage. in illa verba, sed eius qui misit me.

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia in me est pater, & ego in patre. Hoc quod dicitur, quia in me est pater, & ego in patre; Hilarius bene exponit, dicens, quod differentia est inter Deum & hominem. Nam homo cũ sit compositus, non est sua natura. Deus autem cũ sit simplicissimus, est suum esse sua natura. In quocunque ergo est natura Dei, ibi est Deus. Cum ergo pater est Deus, & filius est Deus, vbicunque est natura patris, ibi est pater, & vbicunque est natura filij, ibi est filius. Cum ergo natura patris sit in filio, & è conuerso: Ergo pater est in filio, & è cõuerso. Sed vt dicit Aug. licet Deus sit in homine, & homo in Deo, vt dicitur. 1. Ioã. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; non est intelligendum per essentiæ vnitatem, sed homo in Deo est, id est sub diuina cura & protectione, & Deus in homine, per similitudinem suæ gratiæ. Vnigenitus autem filius est in patre, & pater in illo, tanquam æqualis. D. Thom. super Ioan. 10. lect. 6.

Super epis. & Euange. duas habet conciones D. Anto. initio 1. par. Theologa.

Vide eundem 1. part. histo. titu. 5. cap. 3. §. 7.

Si non facio opera patris mei. Vide D. Tho. 3. p. q. 43. ar. 1. & 4. per totum. & lib. 4. contra gen. cap. 55. nota. 8. & quodli. 2. ar. 6. ad 4.

Pater in me est &c. Consule eundem 1. par. q. 42. ar. 5. per totum. & 3. p. q. 2. ar. 9. ad 3.

Feria quinta post Dominicam in Passione.

ROGABAT *Iesum quidam pharisæus vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit, Luc 7.* Ad prandium, & ad Pharisæi prandium, venisse Christum, solicitus forsitan miretur auditor. Pharisæi domũ Christus intrauit, non accepturus Iudaicos cibos, sed diuinam misericordiam largiturus: neque accẽbuit pocula saporata melle, floribus odorata, sumpturus, sed pœnitentis lachrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum. Petrus Chrysologus sermo. 93.

Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi; attulit alabastrum vnguenti. Pharisæus ad manducãdum vocat Christum; quid ibi quærit mulier non vocata? Quid facit domum lætitiæ domum lamentationis & planctus? fratres non rogata venit illa, sed iussa: intrauit exhibita, non præsumens; ipse sic fecit eã sisti sibi, qui illam cælesti sentẽtia iussit absolui. *Ecce mulier.* Exaggerat euangelista mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris. *In ciuitate peccatrix.* Ciuitate peccauerat, quia famam sua fama totius tetigerat ciuitatis: sicque iã non peccatrix solum, sed ipsius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatũ. Hæc cognouit quia nisi ab eo solo ciuitatis pecatum posset auferri, qui solus mũdi venerat abolere peccatum. *Vt cognouit quod Iesus accubuisset.* Non ad stantem, non ad sedentem audet venire peccatrix: Deus cum stat corripit, cum sedet, iudicat; prostratis coniacet cum accumbit. Inclinem ad miserandum supernam didicit maiestatem, & idem credidit quod esset ad veniã sibi prõptus, qui pharisæi venerat tam promptus ad mensam. *Attulit alabastrum vnguenti.* Portauit oleũ, quia medicinam lethali vulneri à superno medico perquirebat. Petrus Chrysolo. ser. 93.

In ciuitate peccatrix. Si in pago aliquo vitam degeret, vbi raro fiunt conciones, tolerabile videretur; sed in ciuitate vbi tam multa habentur, vbi tot sunt templa, tot sacerdotes & religiosi homines; id quidem detestabile apparet.

Vt cognouit. Quasi tacita mente apud se volueret; non repellet me iste quamuis peccatrix sim, quandoquidem cum suis inimicis, & cum peccatoribus conuersatur. Benignitas quidem illa qua cum Pharisæis hostibus suis superbis vtitur, me maximopere incitat & impellit. *Attulit alabastrum.* Hactenus Euangelista huius mulieris peccata narrauit: ecce iam incipit eius conuersionem admirabilẽ atque virtutes nobis exponere. Et quemadmodum pictores cum insignem aliquam imaginem depingere parant, prius quidem carbone eam deformãt, quo tẽpore rudis, indigesta, oculisque iniucunda apparet, at vero postmodum viuos superaddentes colores eandem maxima venustate spectabilem omnibus proponunt: ita beatus Euangelista hactenus veluti carbone quodam depinxerat & delineauerat Magdalenam, vocans eam peccatricem, nũc vero incipit iam eius virtutes persequi, dicẽs quod attulit alabastrum &c.

Vt cognouit &c. Age mulier, cur Christum dominum tuam non ducis? cur eum in domo tua non quæris? Matthæus & Zachæus peccatores erant, & duxerunt eum domum. An ignoras quod peccatores recipiat, & manducet cum illis? Scio inquit ista; sed adeo sum peccatrix, vt non merear eius ingressum in tectum meum. Quæ enim communicatio lucis ad tenebras? mihi certe sufficit, si tanquam caniculæ concedatur esse ad pedes eius sub mensa idque domi alienæ.

Videtur sentire D. Hiero. in Commenta. super Marcum, si verum est eius esse, beatam Magdalenam viro fuisse in matrimonium copulatam. Nam exponens verba illa Marci 15. erant autem & mulieres de longe aspiciẽtes, inter quas erat Maria Magdalenę &c. ait. Sicut non excluditur muliebris sexus à salute per Mariam virginem, ita non repellitur à mysterio crucis scientiæ & resurrectionis per viduam Mariam Magdalenam, & cæteras matres.

Vt cognouit quod Iesus accubuisset. Merito quidem accommodari poterit illud Iob 28. Lapis solutus calore, in æs vertitur. Quod tunc fit, cum cor durum & adamantinum, diuini amoris igne liquefit, quando verbis quæ antea minime sentiebat, postmodum mollesit, & ita mutatur, vt sicut in amore seculi durum erat, ita postea quoque in Dei amore

reddatur robustissimum. Sicut antea lapis erat sine sono, ita postea vocem habeat sonoram, & fortem, iuxta illud Esa.40. Qui confidunt in domino, mutabunt fortitudinem. Tum mutamus fortitudinem, quando tanta cum diligentia ac solicitudine quærimus res diuinas, quanta antea despiciebamus: & ita sedulo vitia declinamus, sicut prius solebamus sectari, vt & illud impleatur in nobis Ephesi. 5. eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino &c. Vide D. Grego. lib. 18. Mora. cap.16.& 17.

Attulit alabastrum vnguenti. Hic significatur bonum exemplum quod quis dare debet, iuxta illud 2. Corint.2. Christi bonus odor sumus &c.

Exempla & actiones sanctorum nos vehementer ad virtutem inflammant, & vt eorundem insistamus vestigiis inuitant, vide Lauren.Iusti. lib.de institu.& regi.præla.cap.13.

Quod bonum præbere debeamus exemplũ, & quod præclaris factis efficatius quis docere videatur quam verbis, vide etiam Senecam lib. 1. epis. epis.6.& lib.3.epis.20.& lib.7.epis.53.

Quemadmodum salutarium arborum non modo fructus, sed etiam frondes, & quicquid præterea continent, vtilitatem maximam præseferre videtur: ita vnusquisque tanquam bona arbor niti debet, vt non tantum præclaris operibus, sed dictis etiam prudentibus, moderato incessu, decenti gestu, & omnibus denique motibus suis, lucidissimum quoddam atque splendidissimum præseferat exemplum.

Sicut sol quacunque pertransierit, lucidissimos quantum ex se est emittit radios, sic bonus vir quã se cumque in partem conuerterit, probitatis suæ, benignitatis, patientiæ, mansuetudinis, cæterarumque virtutum, lucem quandam præferre debet eximiam.

Et ecce mulier. Multi quidem sunt qui differunt conuersionem suam & accessum ad Christum, & eandem procrastinant, dicentes nondum sibi videri tẽpus opportunum, vel se variis rebus occupatos nondum posse commode huic studio vacare, vel cupere prius à miseriis & doloribus quibus vrgentur liberari, & alleuari; iis enim immersi nõ videntur sibi posse conuersioni suæ & animæ saluti excubare. Cæterum quantum isti errent & decipiantur, vel ex eo fit manifestũ, quia latro in Cruce pendens, tot vulneribus doloribusque saucius, tamen suæ conuersioni inter tantos gemitus & suspiria vacauerit. De quo ita D. Grego. ait. Libet inter hæc mentis oculos ad illũ latronem reducere, qui de fauce ascendit Crucẽ, de Cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, & à patibulo qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruẽtus, sed interna gratia est mutatus in Cruce: & ille qui mortem fratri intulit, morientis domini vitam prædicauit, dicens. Memento mei domine dum veneris in regnum tuum. In Cruce claui manus eius pedesque ligauerant, nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserãt. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum inuenit, vt iuxta hoc quod scriptum est, Corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem. In corde autem fidelium tres summopere manere virtutes, testatur. Aposto. dicens, nũc autẽ manent Fides, Spes, Charitas. Quas cunctas subita repletus gratia, & accepit latro, & seruauit in Cruce. Fidem namque habuit, qui dominum regnaturum credidit, quem secum pariter moriẽtem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit, dicens. Memento mei domine dum veneris in regnum tuum. Charitatem quoque in morte sua viuaciter tenuit, qui fratrem & collationem pro simili scelere moriẽtem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam quam non cognouerat, prædicauit, dicens. Neque tu times Deum, qui in eadem es damnatione, & nos quidem iuste: nam digna factis recipimus, hic vero nil mali gessit. Ille qui talis ad Crucem venit ex culpa, ecce qualis à Cruce recedit ex gratia. Confitebatur dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum, quem miracula viderant diuina virtute facientem. Vide D.Grego.lib. 18.Mora.cap.25.

Et ecce mulier. Corde compuncta maxime, & cõtrita, maximaque cum deuotione accessit: quod si agere voles fusius de compunctione cordis, videbis D.Chrysosto. tractatus duos eo nomine inscriptos, circa initium tom.5.

Hæc quidem mulier cũ penitus immersa esset gustui rerum spiritalium & cælestium, non fuit admodum solicita quanam mundana vrbanitate, quave elegantia verborum, conuiuas ipsos salutaret: ea enim est suauitas & delectatio rerum diuinarum, vt terrena ipsa obliuisci faciat, de qua re videbis Lauren.Iusti. lib. de vita solita. cap. 17. tum præterea de contemptu mundi cap. 13.& 14.

Et ecce mulier. Expectat nos quidem Deus patiẽter, vt ad eum tandem reuertamur. Isa.30. D. propterea expectat dominus.

Expectat Deus vt conuertamur 2. Petri. 3. C. non tardat dominus.

Concedit nobis dominus benigne spatium pænitendi. Sapien. 12. C. dans tempus & locum per quæ possent mutari.

Vitam tandem emendemus, & ad Deum conuertamur. Gene.30. E. iustum est igitur vt aliquando prouideam domui meæ.

Accipit Deus perbenigne ad se reuertentes, quamuis sceleratissimi fuerint. Iere. 3. A. vulgo dicitur.

Et stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat. Retro stat mulier, quia reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam nouit se vultus fiduciam perdidisse. Venit satisfactura Deo, non homini placitura, cum venit: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium. Denique & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in mensura, & ad delicias deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam, organi planctibus dat clamorem, cytharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, & dum pectus ipsam conscientiam arguens, sæpe percutit, facit placitura Deo cymbala personare: dum quæ taliter adportat diuinis oculis cibos, totas misericordiæ copias sic reportat. *Secus pedes eius.* Ad pedes tendit semper, citam veniam qui requirit. Et bene stans, quia iam cadere non potest, qui ad pedes Christi meruit peruenire. *Stãs retro &c.* Vt Christi vestigiis innixa, percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. *Lachrymis cœpit rigare.* En mutatur ordo rerum, pluuiam terræ cælum dat semper: ecce nunc rigat terra cælum, imo super cælos, & vsque ad ipsum dominum, imber humanarum prosilit lachrymarum, vt iuxta Psalmistam & de aquis fletuum cantetur illud, Et aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen domini. O quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extingunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiã

Et capillis

Et capillis capitis sui tergebat. Dominicos pedes lauat lachrymis, crinibus tergit; vacat ab excusatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit, quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium creatoris. Cæterum in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat vnda, vt suo fonte mulier in nouum baptisma suorum dilueret illuuiem peccatorũ. *Et capillis capitis sui tergebat.* Vt iuxta Psalm. Verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret seruitute. Petrus Chrysolo.ser.93.

Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pænitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus, ille huius peccatricis lachrymæ, ad exemplum pænitendi non emolliant? Considerauit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est, nõ iussa venit; inter epulas lacrhymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas nõ erubescit. Sed ecce quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauãda ad fontẽ misericordiæ cucurrit, cõuiuãtes nõ erubuit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intus, nil esse credidit quod verecundaretur foris. D. Grego. super Euange. homi.33.

Et stans retro. Sicut publicanus qui nõ audebat præ verecundia oculos suos ad cælum tollere: impediebatur autẽ Magdalena Christi pudore. Et quamuis coram omnibus est ingressa, tamen post Christi terga dũtaxat aufugit; cum tamen nos non Dei, sed hominum pudore capiamur. *Cœpit rigare.* Stans in tantum prorupit fletum, vt antequam se inclinaret, inceperit rigare lachrymis pedes eius: vide quæso qualem quantumque dolorem hæc mulier animo suo contineret. Si quidem stans, cum magno esset corpore, tanta fuit lachrymarum copia, quod cum ab oculis per totum corpus defluxissent, fuerint satis ad abluendos pedes Christi. Itaque stans cæpit rigare, & postmodum perfecte rigauit. Genuerat siquidem gelu quoddam intra pectus, ex peccatorum frigore conglaciatum; sed accedẽte diuino igni liquefactum est gelu, & magno impetu procurrit vnda: ideo merito quidem de ea dicetur, magna est sicut mare contritio tua. Cæterum mirum est quod in conuiuio, in festo letitiæ, inter tot epulas, tantas fuderit lachrymas. Plorauit quidẽ Petrus; sed egressus foras fleuit amare; hæc autem inter epulas flere non erubuit. Quid hoc est rei? In Nume. legimus, quod in maxima solennitate præcipiebat dominus offerri hircũ pro peccato. Sed cur queso id sciebat; nisi vt intelligas nullam solennitatem, nullum conuiuium, nullum denique gaudium esse, in quo non sit Deo grata memoria peccatorũ? Adde quod Christus in die palmarum, in tanta illa pompa & apparatu, lachrymatus est, atque defleuit aliena vitia & peccata.

Simile. Math.16.

Lachrymis cœpit rigare. Nemo dicat inquit D. Basili. sibi non esse quod defleat, sed se ipsum potius accuset. Vide D. Basi. lib. regula breuio. interroga. 301.to.2.

Qua ratione pænitentes recipi debeat, & quod suas deflere culpas debeat qui diu in earundem cæno volutatus fuerit. Vide eundem lib eodem interroga. 8.10.11.12.13.& 14.

Quandoque facile mouetur in lachrymas quãdoque vero ægre; & quid sit quod nonnunquam animus nullo fere adhibito studio tanquam si ei dolor aliquis incidisset, compungatur, nonnunquam minime: vide eundem lib. eodẽ interro. 16.

Quantum intersit post peccatum ex vero corde conuerti ad Deum, vide D. Hiero. in epis. ad Oceanum epitaphium Fabiolæ circa medium to. 1.

Lachrymis cœpit rigare. Hæc mulier imitata est aquilam, quæ rostrum suum renouat, in petra illud exacuens, sic enim hæc Christi diuinæ petræ pedibus prouoluta, lachrymisque eosdem rigans, damnum suum reparauit, tota que renouata est. Aquila etiam plumas antiquas excutit, se aquæ immergendo: sic hæc mulier lachrymarum imbre veterem vitam expulit, atque abstersit. Vide Glos. in cogni. super Psal. versi. 1736.

Multi quidem lachrymas fundunt, sed nõ vtiliter, neque ad pedes Christi, sed propter suos appetitus, aut propter lucra mundana. Ille quidem ad Christi pedes lachrymas effundit, qui ex vero corde atque contrito, peccata deflet sua; atque suam ipsius miseriam agnoscens, consideratione prouoluitur ante pedes saluatoris, veniam delictorum cũ emendationis vitæ protestatione postulans. Cæterum cur quæso mulier sancta, tantam lachrymarũ copiam tam cito abstergis, ne compareant? quia scilicet nõ studet hominibus placere, sed Deo; neque quærit vt lacrymarum vbertas ab hominibus commendetur: nec denique opera sua facit, quod faciunt hypocritæ, vt videatur ab hominibus. Vsurpabat autem apud se tacita, siue sibi posse accommodari intelligebat, quæ sunt dicta per Ezechie. omnibus meretricibus datur mercedes; tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis &c. Tum illud Iere. 3. tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Condole igitur benignissime pater, mihi perditissimæ ac miserrimæ mulieri; & vt fiat hæc mutatio à dextera tua potentissima, opem tuã auxiliũque imploro. Tu quidem variis me dotibus exornaueras, ingenium dederas splendidum, memoriam exprompram atque tenacem, integros sensus, vegeta membra, diuitias non mediocres: ego tamen his tantis beneficiis abusa sum, & vnde te amandi ansam arripere debebam; inde potius contra te factorem meum arma sumpsi, tibique bellum intuli infensissimum. Mihi certe propheticum illud quadrat, decora facta es vehementer nimis, & egressum est nomen tuum in gentibus, propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit dominus Deus, & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa &c. Quamobrem pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui dixisti, tamen reuertere ad me, cõplectere me peccatricem tua misericordia; recipe infirmam tua medicina, dita inopem tuis diuitiis, vt tandem merear in tuorum numerum aggregari.

Matth. 6.

Lachrymis cœpit rigare. Lachrymæ quantum valeant Isaiæ. 38. A & fleuit Ezechias fletu magno.

Quã sint vtilissimæ lachrymæ. Iere.31. B. in fletũ venient, & in misericordia reducam eos.

Lacrymæ & suspiria quantum possint Iosue.15. D. da mihi benedictionem.

Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Præcesserant interuenientes lachrymæ, vt oscula deuota sequerentur; quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum, oscula sunt reconciliationis indicia, Petrus Chrysolog. sermo.93.

Liquet fratres quod illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pænitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes domini osculans,

hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pænitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa. D. Grego. super Euange homi. 33.

Et vnguento vngebat. Ea quæ mortis erant instrumenta, in vitæ medicamentum traduxit: & quemadmodum theriaca quæ de veneno venenosa ipsa conficitur, arte tamen præstantissimum contra venena medicamẽ redditur, sic mulier hæc ornatum suum, mundumque muliebrem, quo abusa fuerat, in cultum Dei conferens, medicinam quasi de veneno confecit. Vnde Apostol. sicut exhibuistis mẽbra vestra seruire immunditiæ &c. Hebrei quomodo vulnerati fuerant, sanabantur: serpens momorderat, serpens curauit. Cum Philisthæi arcam domini cepissent, propterea que à domino essent percussi in secretiori parte natium, & mures vastarent terram edocti à diuinis, fecerunt anos & mures, quibus pro peccato suo oblatis, dominum placauerunt. Filij Israel sicut inaures antea obtulerant vt conflarent vitulum, ita postea obtulerunt ad opus tabernaculi: quod dederat ad idolum fabricandum, postmodum dant ad opus domini, & quibus antea diabolo inseruierant, eisdem Deo postea inseruiunt.

Mirabile quidem est quod commemoretur in hoc Euang. plurima quæ fecit hæc mulier & non recenseatur quod locuta vnquam sit: vt intelligas præ virtute & ornamento silẽtij, quam absorptus esset eius animus, quam intenta mens atque confixa cum sensibus omnibus, in meditatione internoque dolore suorum peccatorum. Quo loco si voles agere de vtilitate præstantiaque silentij, non nulla subiungam.

Quam necessarium sit silentium, & quam perniciosum nimium loqui, vide Lauren. Iusti. in lib. de discipli. & perfectione monasti conuersa. cap. 15.

Quantum conducat silentium, vide eundem lib. ne vita soli. cap. 4.

De silentio vide etiam D. Basil. lib. regu. breuio. interroga. 208.

De oportunitate temporis ad loquendum, vide eundem lib. constitu. monasti. cap. 11.

Quendam habet dialogum D. Leo Papa inter multiloquium & breuiloquium, circa medium operum.

Consule eundem in lib. de conflictu vitiorum & virtutum cap. 21.

De silentio, ac de modo in eo seruando, vide D. Ambro. lib. 1. officio. à cap. 1. vsque ad 5. & cap. 10. & 22.

Vide D. August. ad fratres in eremo sermo. 3. circa finem tom. 10.

Lege Vincen. Bell. specu moralis lib. 3. par. 1. dis. 3. 4. & 5.

Quid censerint philosophi, vide eundem spe. doctri. lib. 4. cap. 92.

Mirabile silentium cuiusdam philosophi nomine Secundi, vide apud eundem specu. histo. lib. 10. cap. 70. & 71.

Lege eundem specu. histo. lib. 15. cap. 84.

Chilon etiam Philosophus dixit, linguam perpetuo compesce, in conuiuiis vero maxime. Chilipides, linguam nitere cohibere. Demonax malori studio auribus, quam lingua vtere. Pericles, non solum manus, sed & linguam habeto continentem. Sophocles, ô puer tace, multa continet bona silentium. Horatius, Quid de quoque viro, & cui dicas, sæpe videto. Isocrates, quæ factu sunt turpia, ne dictu quidem decora esse puta idem. quicquid dicturus es, prius cum animo tuo reputa; multi enim sunt quorum cogitationi lingua anteuertat. Epictetus, silentium sit plurimum, loquere necessaria, & paucis. Idem, Quam minima loquens, quam plurima audito. Musonius, vel dic quidpiam silentio melius, vel siletõ. Socrates, tria hec in omni vita tibi parato; vt in animo scilicet prudentiam, in lingua silentium, & in vultu verecundiam habeas.

Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicens. Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Mulieris malæ tactus, vsit male conscium, parem polluit, suspectum notat, hominem malæ voluntatis infamat: cæterum peccatrix sit bona, sit sancta sit innocens, cum tetigerit veniæ largitorem. Stercora cõtingũt, sed non inquinant solem medicũ cũ tangit vulnera, putredo non polluit: iudicem quamuis tangat reus, non potest maculare cum supplicat: sic peccator cum dominum tangit, non dominum sordidat, sed ipse & peccato caret omni, & rapit subito sanctitatem. Probat hoc mulier in profluuio sanguinis constituta, quæ vt tangit fimbriam domini, non fimbriam polluit, sed ipsa mox inquinamento vetustæ caruit passionis. Cæterum mulier habebat vulnus, sciebat illud & ideo taliter tanti vulneris medicum perquirebat. Pharisæus perfidiæ morbo saucius, superbiæ flamma febriens, & per phrenesim se nesciebat insanũ. Hinc est quod Christus illuc primum curam vertit, vbi ignota sæuiebat infirmitas, vt cælestis medicus vno medicamine duos curaret ægrotos. *Ait intra se.* Cui, quia intra se cogitauerat pharisæus. Christus publica voce respondit, & dum pharisæi cordis patefecit arcanum, ipsum fuisse totius prophetiæ demonstrat auctorem. D. Chrysolo. sermo. 94.

Ecce pharisæus veraciter apud se superbus & fallaciter iustus, ægram reprehendit de ægritudine, medicum de subuentione, qui ipse quoque de elationis vulnere ægrotabat & ignorabat. Inter duos autem ægros medicus aderat, sed vnus æger in febre integrum sensum tenebat, alter vero in febre carnis & sensum perdiderat mẽtis. Illa quippe flebat quod fecerat, Pharisæus autem de falsa iustitia elatus, vim suæ inualetudinis exaggerabat. In ægritudine ergo & sensum perdiderat, qui hoc ipsum quoque quod à salute longe esset ignorabat. Sed inter hæc nos gemitus cogit quosdam nostri ordinis viros intueri, qui sacerdotali officio præditi, si quid fortasse iuste exterius vel tenuiter egerint, protinus subiectos despiciunt, & peccatores quosque in plebe positos dedignãtur, eisque compati culpam suam confitentibus nolunt, ac veluti pharisæi more, à peccatrice muliere tangi despiciũt. Quæ profecto mulier si ad pharisæi pedes venisset, nimirum calcibus repulsa discederet: inquinari enim se alieno peccato crederet. Vnde semper necesse est vt cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus si lapsi non sumus. Et si censura magisterij debet semper virtute disciplinæ vitia persequi, oportet tamẽ vt solicite discernamus: quia districtionem debemus vitiis, compassionem naturæ. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus. Cum vero iam per pænitentiam percutit ipse quod fecit, iam noster proximus peccator non est: quia cum Dei iustitiam contra se dirigit, & hoc in se punit quod iustitia diuina reprehendit D. Grego super Euange. homi. 33.

Erra-

Errabat siquidem qui tanquam adhuc peccatricem horrebat, quæ diuinis inhærens vestigiis, rigabat fletibus, tergebat crinibus, osculo premebat, vngebat vnguento. Quis enim crimina iam deleta recenseat? quis tãgenti succẽseat? quis eam peccatricẽ cẽseat, quæ dum commissa deplorat, odit iniquitatem? dum osculatur pedes domini, diligit iustitiam? & rursum dum tergit crinibus, exhibet humilitatem: dum vngit vnguento, mansuetudinẽ præfert? Nunquid possibile est regnare peccatum in animo contritio, & spiritu ingemiscenti? an non multa charitas operit multitudinem peccatorum? Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Merito proinde iam peccatrix iuxta tuam pharisæe sententiam, sed sancta & discipula Christi vocabitur, à quo etiam didicit in tam breui esse mitis & humilis corde. Nimirum hoc est quod in propheta legisti, sed forsitan neglexisti; verte impios, & non erunt. D. Ber. sermo. 4. in dedicatione Ecclesiæ.

Hic si esset propheta. Satis aperte pharisæus stultitiam suam ostendit, quia bene poterat Christus esse propheta, & illam nõ cognoscere. Deus enim solus est qui omnia cognoscit homines autem licet prophetæ sint, multa ignorãt. Samuel quidem ignorabat quisnam ex filiis Isai esset electus in regem. Nathan consulens Dauid vt ædificaret templum, errauit: quoniam voluntas Dei erat vt Salomon ædificaret illud. Eliseus dixit Giezi: Dimitte illam, anima enim illius in amaritudine est, & dominus celauit à me, & non indicauit mihi.

Hic quidem Pharisæus similis esse videtur illi alteri de quo habetur Luc. 18. qui cæteros præse vno despiciebat, omnesque superbe contemnebat ac præsertim in publicanũ debaccabatur: ita enim iste in mulierem inuehebatur, neque considerabat peccatores non esse ab eo repellendos, qui pro eisdem moriturus aduenerat: neque attendebat congruum illud esse, vt quando hæc mulier Christum tantopere diligebat, à Christo etiã diligeretur: nec denique aduertebat eam esse medici naturam, vt infirmos ad se venientes, benignissime ac misericorditer excipiat.

Hic si esset propheta &c. Temeritatem similium hominum, deprauataque iudicia, etiã philosophi detestantur: nam Cleobulus dixit, noli temere iudicare, sed quod iustum æquumque fuerit. Item Chilon testimonium falsum fugito.

Hic si esset propheta &c. Videtur velle Magdalenã repellere & excludere, quo minus ad Christum accederet; vt intelligas quanta & statim obiiciantur obstacula, quantæque contradictiones, iis qui virtuti, rebusque heroicis, incumbere instituunt, Deoque vere & ex animo inseruire. Cui instituto poteris accommodare illud Nume. 13. nequaquam ad hunc populum &c. Item videbis 1. Esdræ 4. per totum & 2. Esdræ 4. & 6. per totum. Tum Tobiæ. 2. B. arguebant autem eum, &c.

Quia peccatrix est. Vide quam non solum statim ad perperam iudicandum procliuis fuerit, quod malum quotidianum est; vt scilicet ad mala quæque vel minimo quodam impulsu illicò feramur, vbi potest applicari insignis ille locus Exod. 32. F. Quis vestrum habet aurum &c. Verum etiam præ insolentia & fastidio mulierem despexerit atque contempserit: de cuius morbi pernicie si plura requiris, videbis Vincen. Bellua. specu. histo. lib. 15. cap. 94.

Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simeon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait magister dic. Et respondens Iesus dixit: duo debitores erant cuidam fæneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Tibi quidem habeo dicere, cui opus est medicina, & nescis quærere medicinam: tibi qui Deum magistrum vocas, & Dei deseris disciplinam. Petrus Chrysologus sermo. 94.

Non materialem fæneratori huic debemus pecuniam, sed meritorum examina, ære virtutum: quarum meritum grauitatis pondere, iustitiæ specie sono confessionis, expenditur. Væ mihi si non habuero quod accepi, quia dificile quisquam est qui fæneratori huic integrum debitum possit exoluere. Væ mihi si non petiero concedi mihi debitum. Non enim nos ita dominus orare docuisset, vt peteremus, dimitte nobis debita nostra, nisi sciret difficile aliquos fore idoneos debitores. Sed quis est populus iste qui amplius debet, nisi nos quibus amplius creditum est? Illis credita sunt eloquia Dei, nobis creditur partus virginis. Habes talentum virginis partum, habes fidei centesimum fructum. Creditus est Emanuel nobiscum Deus, credita Domini crux, mors, resurrectio. Etsi Christus pro omnibus mortuus est, pro nobis tamen specialiter passus est, quia pro Ecclesia passus est. Itaque nõ est dubium quod plus debeat, qui plus accepit, Et ideo quoniam nil est quod digne Deo referre possimus, (Quid enim referamus pro susceptæ carnis iniuria? Quid pro verberibus? Quid pro Cruce, obitu, sepultura?) væ mihi si non dilexero. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio. D. Amb. li. 6. super Luc, cap. 7.

Et respondens dixit ad illum. Accusantibus Christum scribis & phariseis coram Pilato, nihil respõdit, adeo vt ipse magnopere miraretur: nunc vero ille qui famam & honorem suum videtur non curasse tuendum, contra importunissimos calumniatores peccatricis mulieris eius iniuriam non sustinet, sed potius patrocinio suscepto, conuinciatoris argumenta diluit. Quare in hoc vno confidamus fortissimo propugnaculo, quo muniti omnes mundi machinas atque minas contemnere valeamus. Etenim vt Paulus ait, si Deus pro nobis, quis contra nos? sanctus quoque Iob inquit, pone me domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cõtra me. Et regius vates: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Duo debitores erant. Omnes nos sumus debitores, cum simus peccatores, circa quod vide etiam Conci. Mileuita. sub Innocen. 1, quod quidem cap. 6. ita habet. Placuit quod ait sanctus Ioannes 1. cap. 1. Canoni. si dixerimus quia peccatum non habemus &c. Quisquis vero sic accipiendum putauerit, vt dicat propter humanitatem non oportet dici nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Poterat enim Aposto. dicere, si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est; verum non id dixit, sed nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Et cap. 8. inquit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus sed ipsi domino mentientẽ, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & & corde dicit quæ sibi dimittantur, debita non habere?

Simon habeo tibi aliquid dicere. Vide quam misericorditer & opportune pro suis Deus respondeat atque satisfaciat, quem locum poteris varietate exemplorum nusquam non occurrentium, cõquisita, fusius persequi: applicabis etiam illud Esaiæ. 60. C. pro eo quod fuisti derelicta &c.

Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eũ plus diligit? Audistis quemadmodũ

cælestis creditor totum debitum charitate cõpensat,& ad incrementum totius fœnoris, amoris solius exigit & requirit vsuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suã negligit redimere cautionem. Vis scire homo quid Deo debeas? quod factus es. Dei creditum est: quod es rationis capax, Dei fœnus est: quod discretionẽ mali boniue possides, accepisti: & quod viuendi normam acceperis per chirographũ legis stipulanti Deo spopondisse te non potes differi. Sed dũ te per vitia carnis in lutũ instar suis demergis, & quadrupedum more viuens qua præditus es ratione priuaris, & in gurgite criminũ boni maliue perdita discretione cõfundis, & diuinæ legis substantiam dissipas, mundana voluntate captiuus, factus es glorioſi fœnoris debitor luctuosus, cui deficientibus virtutũ lucris, criminum multiplicatur vsura. Sed licet in hac re ceciderís, licet fueris in ista deuolutus, vide ne desperes: homo remansit tibi vnde pio satisfacias creditori. Absolui vis? ama, charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante domino cum dicit, Petre amas me? Inter omnia Dei præcepta, amor obtinet principatum. Diliges dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Ama ergo homo Deum, & ama totus, vt possis omnia sine labore vincere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. Petrus Chrysologus sermo. 94.

Non habentibus illis vnde redderent. Nemo ex suis viribus, secluſa Dei benignitate, soluere Deo potest: nemo potest ex se satisfacere pro peccatis, nisi illi gratia Dei suppeditet vires & præsidium. Non enim sumus sufficientes ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et iterum, nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos &c. Et alibi, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

Respondens Simon, dixit: æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei, recte iudicasti. Qua in re notandum est quia dum sua sententia Phariſæus cõuincitur, quasi phreneticus funẽ portat vnde ligetur. Enumeratur ei à domino bona peccatricis mulieris, & enumerantur mala falsi iusti, cum dicitur. Intraui in domum tuam &c. D. Grego. super Euange. homi. 33.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem rigauit lachrymis pedes meos, & capillis ſuis terſit. Quid est quod conuersus ad mulierem, Simoni loquitur Christus? quia cum pœnitentem respicit, arguit oblatrantem. Petrus Chrysologus sermo. 94.

Capillis pedes mulier quos rigauerat terſit. Capilli quippe superfluunt corpori. Et quid abundãs terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quæ dũ ad vsum necessitatis superfluit, eriã abscisa non sentitur. Capillis ergo pedes domini tergimus, quando sanctis eius quibus ex charitate compatimur, etiam ex his quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenus sic mens per compassionem doleat, vt etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lachrymis redemptoris pedes, sed capillis suis nõ tergit, qui vtcunque proximorum dolori compatitur, sed tamen eis ex his quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat, & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quæ desunt, vim doloris minime abscindit. D. Gregorius super Euangelia homi. 33.

Vbi sunt nostræ lachrymæ? vbi gemitus? vbi fletus? Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Deum qui fecit nos. Lachrymis cõfitere delicta, dicat de te quoque iustitia illa cælestis, Lacrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis terſit. Et fortasse ideo non lauit pedes suos Christus, vt eos lachrymis nos lauemus. Bonæ lachrymæ in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est ipſorum. Iusti enim vox est, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Expande capillos, sterne ante eum omnes tui corporis dignitates. Non mediocres capilli sunt, qui possunt tergere pedes Christi. D. Ambro. lib. 6. super Luc. 7.

Et capillis ſuis terſit. Hoc loco si voles agere poteris de eleemosyna, quæ quidem fieri solet & debet ex his quæ super fluunt, tanquam capillis quibusdam. His ergo capillis hoc est diuitiis, tergere quis debet pedes Christi, hoc est pauperes reficere, & eisdem subuenire.

Eleemosyna maxime commendatur à D. Chryſosto. in quodam sermo. post explanationem epiſt. 1. ad Corin. inscribitur autem sermo de eleemosyna & collatione in sanctos to. 4.

Alium etiam habet sermo. de eleemosyna inscriptum, inter initium ac medium tomi. 5.

Alium item habet sermo. de dispensatione rerum inter initium & medium to. 5.

Eleemosynam largiri debemus non perscrutantes nimium solicite conditionem & statũ pauperis, vide eundem in sermo. quem inscribit, quod ne scrutemur pauperes curioſe, inter initium ac medium to. 5.

Vide eundem in vltima homil. eiusdem tom. 5.

De eleemosyna quinque habet sermo. D. Leo Papa. initio operum.

Consule D. Auguſt. sermo. 60. de tempo. 61. 76. & 227.

Quod eleemosina fieri debeat in secreto vide D. Antoni. 1. par. histo. titu. 5. cap. 1. §. 7.

De eleemosyna consule Vincen. Bellua. Specul. Mora. lib. 3. par. 10. dist. 18. & 19.

Quemadmodum ingens aliquis funis non potest integer per acus foramen intrare, at si extenuetur & texatur, tandem commode immitti poterit: ita diues suis onustus diuitiis & nolens eas cũ necesse est pauperi communes facere, sibi intercludit aditum regni Dei, at si opes suas pauperibus elargiatur, easque in eleemosynas extenuet, quem antea intercluſerat aditum, recludit, reſerat, atque aperit.

Sicut triticum in horreis diu asseruatum non accreſcit, at vero si terræ mandetur, fructus maximos reddere solet, ita plane pecunia diuitis in arca asseruata concluſa, nullum affert animæ eiusdem fructum, quod si indigentibus erogetur, thesauros congerit eximios atque celestes.

Quemadmodum puteales aquæ nisi hauriantur, & sæpe commoueantur, tandem minus salutares reddi consueuerunt: si vero frequentato haustu versentur, salubriores efficiuntur: ita diuitiis aurum & argentum si pauperibus fame confectis non expendantur in eorundem vſus seu commune eis fiat, inutile certe redditur ipſi animæ, & lethale potius.

Sicut cor spiritus suos vitales non immittit ad reliquas corporis partes, actum esse de illius hominis salute iudicamus: ita cum quis præ auaritia renuit egenti pauperi subuenire, & opes suas inter membra Christi distribuere, illius salutem periclitari asseueramus.

Oſcu-

Oſculum non dediſti, hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Vide quam mire Christus dominus mulierem laudet, ad quam sanandã curandamque accesserat. Vt enim periti atque experti medici solent cum ad aliquã ciuitatem accesserunt, varios curare infirmos, & in illis præsertim peritiam suam exercere qui morbos quodammodo incurabiles continent: ita Christus dominus potentiam suam in hac tanta peccatrice ostendere voluit. Cæterum medici humani alias infirmitates curant, alias vero non, quia nec omnia norunt, nec omnia possunt: at vero de Christo ait regius vates, Qui sanat omnes infirmitates tuas. Tũ præterea vulgares medici sanitatem inducunt sanguinem ex ipſis infirmis emittendo. venas scinden do, amaras potiones propinando, & præter hæc omnia grandem pecuniam exigendo; at vero cælestis medicus ipſe p otius amaras potiones suscipit, ex ipso sanguis elicitur, ipsi venæ scinduntur. Sic enim ait Esa. vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Nos vetitos edimus fructus, ipse vero felle & aceto in Cruce potatur: nos malis humoribus pleni eramus ipse vero in horto sanguineo sudore pro nobis madefit.

Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Legimus quæ fecerit Magdalena, nõ quæ dixerit: quod dixit mhil fuit, quod autem fecit multum: perfectio siquidem Christiana maxime splendet in præclaris operibus, neque cælum verbis elegantibus emitur, sed sanctis operibus. Cæterum quando princeps aliquis vir, vel quispiam ex optimatibus populi, aliquod illustre exẽplum virtutis edit, magnum cõmodum vtilitatẽque adfert popularibus hominibus. Cum enim cõuerteretur Matthæus, vt cæteros taceam, multos secũ traxit: ita etiam Magdalena hoc suo. præclariſimo exemplo, vtilitatem maximam peperit. Contra vero si viri indignitate constituti & nobilitate, prauum quidpiam perpetrauerint, multos in interitum adferre solent. Ita Ieroboã secum tulit plurimos in perditionem aureis suis illis vitulis quos conflauit. Tum præterea cum Abimelech scidit arboris ramum, & dixit. Quod me vidiſtis facere, cito facite, secuti sunt cæteri ducem ipsum.

Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit. Quid est hoc quod dicitur, cui minus remittitur, minus diligit? Ergo peccandum satis est, vt maior charitas cõparetur? absit. Charitas nescit peccare cum diligit: charitas non est charitas si delinquit: charitas Dei custos est sanctitatis. Fratres si nos esse peccatores nouimus, & esse nolumus peccatores, pedibus Christi demus lachrymas spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota deuotione fundamus, vt dicatur nobis, dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexiſtis multum. Imitetur hanc mulierem, quam conſpicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem peruenisse. Petrus Chryſosto, sermo. 94.

Propter quod dico tibi remittuntur ei, &c. Ac si aperte dicat: & si durum est valde quod coquitur, abundat tamen amoris ignis, quo etiam dura consumãtur. D. Grego. super Euangelia. hom. 33.

Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cælestis ille conuentus aspergitur, saluantemque & saluandam tota misericordiæ dulcedo pertingit. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: & numeroſitatem criminum, præponderans pietas intercludit. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, in peccatricis confeſſione, quam iusta reprehenſio in Phariſæi superbia & abusione. Enumeratur obsequentis obsequium, & per obliquum tangitur indignantis iniquitas, tota literali cohærentia Simonis inuidiam impugnante: Et quia vbi spiritus domini, ibi libertas: immittũtur illi qui multum negligit. Non erat satiatus ab vberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum, legem regens quæ misericordiam neſcit, nouit iustitiam. Lex dura duris & lapideis promulgata: parata per cutere, neſciens misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum & acidum, de botris amariſſimis eliquatum, conſeceratum feritati, deriuatum Iſraeli, saluatori propinatum, vinum de quo dẽtes bibentium obſtupeſcunt: non de genimine vitis illius, quod Saluator bibit nouum in regno patris sui. Vere meliora sunt vbera sponsæ vino iſto. D. Bernar. sermo in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ.

Remittuntur ei peccata multa &c. Vide D. Thom. 1. p. q. 21. ar. 4. ad 1. & 3. q. 49. art. 1. in cor. & 4. ſen. diſt. 22. q. 1. ar. 1. & 2. quæſtiun. 3. de veri. q. 28. ar. 1. ad. 3.

Quoniam dilexit multum. Amor Dei in nos, causa est nostræ dilectionis erga ipſum: qua de re conſule Lauren. Iusti. in lib. qui inscribitur fasciculus amoris cap. 8.

Quod amori vehementia succenſus & inflammatus animus, quieſcere vix queat, vide eundem lib. de triumpha. Chriſti agone cap. 24.

De amore, eiusque causis & effectibus, conſule Vincen. Bellua. ſpecul. mora. lib. 1. p. 1. diſt. 9. 10. & 11.

Quid, ſenſerint Philoſophi, vide eundem ſpecu. doctri. lib. 4. cap. 109.

Dixit autem ad illam, remittuntur tibi peccata tua. Et tu plurimum dilige, vt tibi remittatur plurimũ. Multum peccauit Paulus, qui etiam perſecutor fuit: ſed multum dilexit, qui vſque ad martyriũ perſeuerauit. Remiſſa sunt ei peccata multa, quia & ipſe multum dilexit, qui sanguini proprio pro Dei nomine non percepit. D Ambro. lib. 6. ſuſuper Lucam cap. 7.

Remittuntur tibi peccata tua. Quemadmodum Salomon reginæ Sabba multo plura quam attulerat, largitus est? ſic Christus Mariam simili liberalitate proſecutus est.

Vide quam benignum & misericordem ſeſe Deus exhibeat huic mulieri, cum ipſa adeo mutata eſſet à priſtina sua vita. Vt enim columna nũc ſiniſtram ſeſe nobis exhibet, pro mutatione tantum noſtri, cum ipſa maneat immobilis: ita Deus optimus maximus pro mutatione & conuerſione noſtra, nulla in eo mutabilitate adhærente, interdum nobiſcum iuſtitia, interdum vero miſericordia vtitur, prout viderit nos mutari ſiue à virtute ad vitium, ſiue à vitio ad virtutẽ. Et sicut sol oculis quidem ægris odioſus est sanis autem delectationem maximam adfert, cum ipſe idem permaneat: ita Deus iis qui ad se redeunt benignitatem ſuam & miſericordiam largitur, duris autem & obſtinatis iracundum ſe exhibet atque ſeuerum. Cæterum admirabilis fuit hæc Magdalenæ conuerſio, & quæ Dei potentiam maxime manifeſtaret. Vt enim ſi peritus aliquis artifex ex vili aliqua materia inſigne aliquod & perpolitum opus fabricaret, is quidem laudabilis ab omnibus iudicaretur; at ſi ex confracto vaſe, comminuto, & in nihilum prope redacto, pretioſiſſimum & elegãtiſſimum aliquod effingeret vas & efformaret,

næ ille laudabiliorem multo & mirabiliorem omnibus theatris sese exhiberet. Ita certe quod Maria Magdalena ex nihilo creata esset, quod variis dotibus exornata, id quidem Dei potentiam ac sapientiam manifestabat: at vero quod eã perditam reuocarit, quod tam multis peccatorũ generibus sædatam emundauerit, quod denique ex inferni faucibus eripuerit, id vero est in quo eius omnipotentia, & bonitas, & sapientia, splendidissime reluxerunt.

Huius quidem mulieris pœnitentiam sibi peccatores omnes ad exemplum proponere debent, hoc est vt quemadmodum ipsa relicta peccatorũ suorum cæcitate, & tenebris, ad Christum veram lucem confugit, & eius lumine illustrata peccata à se quàm longissime protulit; ita & peccatores ipsi ad eius imitationem tum peccatorũ onus deponant, tum etiam virtutũ studio inuigilent. Quá diu enim in cæcitate cimmeria vitiorum suorum volutantur, sunt veluti capti corporeis oculis, qui nec pulchritudine picturarum, nec splẽdida luce titania, & aliis huiusmodi, oblectantur: ita enim ipsi virtutis pulchritudinem non conspiciunt, neque cælestium bonorum gustum aliquem habent, sed potius cẽu furiosi quidam sibi ipsis nocent, interimumque adferunt. Et certe vel si nulla alia sese offerret vitiosis hominibus causa, qua se à vitiis vindicarent, præter eam quod nunquam depraua to suo appetitui satisfacere valeant, ea quidem sufficiens esse illis deberet, cum videant nulla se vitiorum additione & cumulo, beluinæ vnquam appetentiæ satisfacere. Nam vt mare quamuis in ipsum varia & multiplicia influant flumina nunquã tamen ita expletur, quin alia atque alia recipere paratum sit; ita vitiosus homo nunquam sibi videtur vlla flagitiorum perpetratione, libidinem satis suam explere, & satiare.

Remittuntur tibi peccata tua. Tantum quidem potuit gratia diuina in hac muliere, vt non solũ peccata omnia deleuerit & abstersérit, verum etiam eandem euexerit ad altissimum quendam virtutis ac sanctitatis gradum. Cæterum de gratiæ viribus ac præstantia videre poteris si voles, decreta quædam Cælestini 1. vbi plurima inuenies huic instituto accommodata.

Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: quis est hic qui etiam peccata dimittit? Cum mulier esset taciturna, seu silentio se contineret: Pharisæus quidem & sui similes conuiuæ garruli nimium erant atque loquaces. Porro si vdles hic etiam de virtute silentij atque ornamento tractare, quædam alia subiiciam.

De excellentia silentij, & quod magna cum moderatione loquendum sit atque prudentia, pluribus differit Seneca lib. 5. epist. ad Luci. epist. 40. fere per totam: tandemque rationes subducens, inquit; summa ergo summarum hæc erit, tardiloquum te esse iubeo.

Silentium plurimum conducit ad bonarum literarum attentissimum studium; vnde & Pythagoras discipulis suis quinque silentij annos indicebat: vide Senecam lib. 7. epist. epist. 53.

Si imperitis prodesse videtur silentium, vt eo occultent ignorantiam suam, quanto magis ipsis sapientibus loco importuno profuturum est? nã opportuno loco & tempore loquendum quidem est, & locutio ipsa vniuscuiusque animum qualis sit deregere solet & explicare. Vnde dicere solitus erat Themistocles, quod quemadmodum inuolutas imagines & picturas in tela aliqua aut papyro, explicatione ipsa solemus manifestare: ita etiam per verba vnusquisque quid in animo ipso lateret, explicaret.

Quemadmodum frigida aqua in feruentem infusa, eius tumorem retardare solet atque comprimere: ita prudẽs & circumspectum silentium, iracundia concitatum animum placare solet ac mitigare.

Quemadmodum si suauissimus aliquis liquor in retecto aperto que vase diu permanserit, tãdem odorem omnem amittit atque deperdit; ita pretiosum deuotionis vnguentum in multiloquio & negligenti silentij obseruatione, tandem euanescere videtur atque perire.

Sicut numus ille præstãtior est, qui licet magnitudine minor existat, pretiosior est, tamen, hoc est maioris pretij: ita confabulatio illa & colloquium præstabilius est, non quod longos verborum anfractus atque ambages inutiliter persequatur, sed quod breui rotundoque sermone, & quasi sub silentio quodam grandia concludat sensa, atque vtilia.

Hoc quidem duplici gubernaculo seu fræno lingua nostra moderanda est, vt & de se quisque modeste loquatur, & de alio nihil mali proferat. Si monides quidem quemadmodum prodidit Plutarchus, dicere solitus erat: tacuisse nunquam me pœnituit, locutum vero fuisse sæpe.

In lib. de institutione & educatione principũ ait Plutar. silentium bene ordinatum magnam esse sapientiam. Discipulorum etiam Pythagoræ vt refert Aulus Gellius 1. lib. noctium Attica. quidam seruabant silentium per biennium, alij vero per quinquennium.

Maxime quidẽ silentij ornamento claruit beata Magdalena: nam non solum ex præsenti Euangelio commendabile eius silentium nobis reddi videtur, verum etiã ex 10. cap. Lucæ. vbi quamuis fuerit reprehensa à Martha, nihil tamen legitur fuisse oblocuta. Item cum effudit pretiosum illud vnguentum super caput Christi, nihil etiam legitur respondisse, tametsi reprehensa quoque fuerit. Vnde Christus eius patrocinio & causam semper suscepit, partesque benigne tutatus est.

Silentium commendabile Iob. 13. A. atque vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.

Nimium loqui Deo displicet. Iob. 38. A. Quis est iste qui inuoluit sententias.

Laxas nimis loquacitati permittere habenas, noxium est. Prouer. 14. C. vbi autem verba sunt plurima.

Maximum quidem ornamentum, moderate ac opportune loqui Prouer. 15. sermo oportunus est optimus.

Silentij negligens custodia quantum noceat. Prouer. 25. D. sicut vrbs patens &c.

Silentium quam sit necessarium. Ecclesiastici 14. beatus vir qui non est lapsus verbo.

Chara admodum nobis esse debet silẽtij obseruatio. Ecclesiastici 19. C. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua?

Cordate ac circumspecte loquendum. Eccle. 21. D. Verba prudentium statera ponderabuntur.

Oportune quidem loquendum. Eccle. 22. A. musica in luctu. & D. quis dabit ori meo custodiam!

Nimium loqui quantum officiat. Ecclesiastici, 36. D. vbi non est sepes, diripietur possessio.

Silentium obtinetur, communicando cum Deo. Exod. 4. C. obsecro domine &c.

Negligentia silentij noxia. Numero 19. C. vas quod non habuerit operculum.

Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Aequum quidem erat vt hi statim conspecta tanta pœnitentia tantisque lachrymis gloriosæ Magdalenæ, conterterẽtur, & sibi proponerent ante oculos extremum illum iudicij diem, quo ratione districte omnes reddituri sunt, non modo factorum, & dictorum, sed etiam cogitationum. Quod tempus vigilanti secum mente ipsi electi apud se meditantur. Vnde inquit D. Grego. super illa verba Iob. 17. spiritus meus attenuabitur &c. in hunc modum Attenuatur spiritus timore iudicij, quia electorũ mentes quo amplius extremo iudicio se propinquare sentiunt, eo ad discutiendas semetipsas terribilius contremiscunt: & si quas in se carnales vnquam cogitationes inueniunt, pœnitentiæ ardore consumunt: nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt, quia eo semetipsas diiudicantes subtilius feriunt, quo districtum iudicem præstolantur vicinum. Vnde fit propinquum sibi semper exitum suspicentur. Nam reproborum mentes ideirco inulta nequiter agunt, quia hic se viuere diutius arbitrantur. Iustorum ergo attenuatur spiritus, sed crassescit iniquorum. Quo enim per elationem tument, eo attenuationem spiritus nõ habent. Iusti vero dum breuitatem suæ vitæ considerant, elationis & immunditiæ culpas declinant. Vnde & subditur, dies mei breuiabũtur, & solum mihi supereſt sepulchrum. Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione. Vide D. Grego. lib. 13. Mora. cap. 15.

Dixit autem ad Mulierem: fides tua te saluam fecit, vade in pace. Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit & abstergit, & hoc quidem festinanter, quia sine vllo interuallo coniunguntur & lachrymæ peccatricis & misericordia Saluatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur, vt & de præterito nõ sit solicita & secura de futuro. Pedes. isti sunt misericordia & iudiciũ, quorũ alterũ sine altero osculati, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugiẽda. Quis enim Dei misericordiã in desinẽter attendens, nõ statim tepidioris vitæ quiẽ exõptet? Cũ enim recogitat vniuersitatis dominũ formã serui pro seruis suscipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram in medio terræ huius, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum; statim deceptoria spe sibi blanditur & alludit, gaudet obseruari in misericordia & miserationibus: iudicium nescit, ignorat iustitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat; qui totum de misericordiæ pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit &c. D. Bernar. ser. in festo beatæ Mariæ Magdalenæ.

De muliere & Simone leproso. vide Hugo. de S. Victo. Allegoriarum in Euange. secundum Luc. lib. 4. cap. 7. & 8. to. 1.

De epist. & Euang. duas habet conciones D. Antoni. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem 1. par. histor. titu. 5. cap. 1. §. 8. & cap. 2. §. 13.

Fides tua te saluam fecit. Vide D. Tho. 22. q. 178 ar. 1. ad 5. & contra gen. lib. 3. c. 154. & de poten. q 6. ar. 4. in cor. & ar. 9. per totum & in 1. sen. dis. 43 q. 1. ar. 2. ad 3. & Ioan. 9. lect. 3. super illa verba, scimus quia peccatores Deus non audit. & Gal. 3. lect. 2. in illa verba, ex operibus legis an ex auditu fidei.

Feria sexta post dominicam in Passione.

GOLLEGERVNT *Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Ioannis 11.* Videbant vnde conuerti debuerant, atque exinde peruersiores fiebant. Quærebant extingue re, quem cernebant mortuos viuificare. In ore tenebant legem, sed legis persequebantur autorem D. Grego. lib. 18. Moral. c. 19.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Granis quidem affectus est inuidia, & plenus simulatione. Hic orbem terrarum inumeris impleuit malis, hinc iudicia complentur, hinc liuores, & pecuniarum amor, & principatus, hinc inanis gloria, hinc viæ obsidentur, hinc mare pyratæ percurrũt, hinc per orbem terrarum cædes, hinc genus nostrum dissipatur. Quodcunque videris malum, ab inuidia prouenit. Hic morbus auaritiam peperit, quæ omnia confudit, iustitiam corrupit. Dona enim sapientum oculos excæcant, & tanquam fræna ori auertunt, & cohibent testimonia. Hæc pro liberis seruos reddit. De hac quotidie loquimur, & nil proficimus, feris peiores efficimur, orphanos nudamus & viduas, pauperibus vim inferimus, & eorũ augemus miseriam. Hac periit pietas è terra, & nihil nobis nisi fletus relinquuntur, & hoc singulis diebus dicendum est. Nil precando, nil consulendo, nil monendo proficimus, relinquitur fletus. Hoc & Christus fecit cum multa Hierosolymis sine profectu admonuisset, eorũ lachrymatus est calamitatem. Hoc propheta faciunt, hoc & nos faciamus, fletus iam tempus est, & lachrymarum & lamentationum. Nunc dici potest, vocate flẽtes, & ad sapientes mittite, & loquãtur. Hoc fortasse pacto morbum qui claras domos habitat, qui agros rapina complectitur, eiicere poterimus. Lugendi tempus est, sed opitulamini mihi vos qui iniuriam accipitis, qui spoliati estis; opitulamini, lugete, & lachrymarum mearum socij estote. Verum non nos, sed illos lugeamus: non nobis iniuriam intulerunt, sed perdiderunt seipsos. Nos enim pro accepta iniuria regnum Dei, illi gehennam pro lucro assequuntur. Ideo melius est iniuriam accipere, quam facere. Lugeamus eos non communi luctu, sed quo sacræ nos literæ docent Prophetas luxisse. Lugeamus cum Esa. dicente, væ coniungentibus domum domui, & agrum agro adiicientibus vt à vicino aliquid auferant. Nũquid habitabitis soli in terra? Domus magnæ & pulchræ, & non erunt qui eas habitent. Lugeamus cũ Nahum, & dicamus cum eo: væ qui ædificant in altum domum suam: imo lugeamus eos Christum imitati, dicentem. Væ vobis diuitibus, quia sitietis, quoniam accepistis mercedem vestram & consolationem. Lugeamus sine intermissione, & nisi turpe sit etiam plangamus, dicamus cum propheta. Nolite lugere mortuum, sed raptorem, auarum, cupidum, insatiabilem. Quamobrem mortuos lugemus, cum iam nihil proficere possumus? Hos lugeamus qui mutari possunt. Sed nobis lugentibus, ipsi fortasse rident: etiam & hoc lugendum, cum rident quod flendum esset. Si lamentationibus nostris quid mouentur, cessandum est à luctu, tanquam corrigendi sint. Verum cum nullo doloris sensu tanguntur, perstemus in dolore. Lugeamus non diuites simpliciter, sed auaros, cupidos, raptores. Possunt etiam diuitiæ recte & laudabiliter expendi cũ in egenos eas conferimus. Auaritia autem crimináda est atque accusanda,

accusanda. Lugeamus igitur, sequetur fortasse interim aliqua emendatio. Et licet qui in hunc morbum inciderint non liberentur, alij tamen in eum non incident, sed mundi seruabuntur. Vtinam & ipsi liberentur, & nemo amplius tali peste comprehendatur, vt simul omnes promissis nobis bonis perfruamur. D. Chrysosto. super Ioan. homi. 63. to. 3.

Quia hic homo multa signa facit? Hominem eum adhuc per abiectionem quādam vocant qui tantā susceperant deitatis eius demonstrationem. Tamē velint nolint confitentur, quia ille quem quasi hominem despiciebant, sicut Deus signis & miraculis coruscabat. Hoc torquebat inuidum eorum animum hoc male eos habebat, quod tot fulgeret miraculis, quibus splendor sui nominis magis ac magis hominibus innotuit. Id solum in crimē adducitur, quare captandum sit de morte eius consilium, quia signa multa facit: & si hoc pacto dimittatur, liberius agere quæ voluerit sine cuiusquam obstaculo, quod omnes crederent in eum. ô inuidiam bonis semper operibus æmulam! ô liuorem nil nisi quod rectum est & bonum obliquo dente rodentē! Inuident Soli, quod in plures suæ lucis distribuit radios. Aemulantur hominibus, quod à veri solis luce illustrentur, & ad fidē adducantur. Quare? quia vellent suam doctrinam & paternas traditiones ab hominibus potius susci pi, atque in admiratione honoreque haberi. D. Cyrillus super Ioann. lib. 8. cap. 1.

Collegerunt concilium. Audierant si quidem à peruersis delatoribus quibusdam de miraculo Lazari qui vsque adeo eos incitarunt, vt concilium cogerent contra eum. Vt inde intelligas quam fugiendum sit tale hominum genus, qui discordias seminare solent & zizania. Contra quos videtur quodammodo alludere illud Horatianum, percontatorem fugito, nam garrulus idem est. Tum illud Pythagoræ, hirundinem sub eodem tecto ne habeas.

Quid facimus &c. Dolebant hi quidem & affectabant exterius videri probi, & studiosi salutis reipub, cum tamen interius depraua tum haberent animum & peruersam intentionem: quæ quātum nocere soleat, quamque solicite propelli à nobis debeat cum suis desideriis omnibus noxiis & mordinatis: vide D. Basi. lib. regu. breuio. interro. 30.

Vide Vincen. Bell. spe. mora. lib. 1. par. 1. dist. 13.

Collegerunt concilium. Multi quidem diuino beneficio ex resurrectione Lazari profecerunt, hi vero impij propter suam obstinationem maius sibi nocumentum genuerunt. Si quidem eam sibi duntaxat pœnam imputare debent, cum oblata salutis præsidia obstinato animo repulerint, & oculos suos ad manifestissimam lucem clauserint. Liquet enim pios beneficio domini seruari, malos vero sua culpa perire. Cuius rei commodissimum in Colonien si Conci. subiicitur exemplum. Si enim duobus hominibus aut in mari aut puteo, vnde per se exire nequeunt, periclitantibus, funem demittas, cuius ope emergere inde possent, quorum alter oblato auxilio diligēter vtatur, alter vero eo vti nolit: non dubiū quin alter alieno beneficio viuat, alter vero suo vitio & socordia pereat. Vtriusque autē rei D. August. in Pharaone & Nabuchodonosore appositissimum proponit exemplum. Hi namque quod ad fortunam quidem attinet, ambo reges erant, quod ad culpam vero, ambo Dei populum captiuum tenebant, quo ad pœnam, ambo grauissimis à domino plagis ad pœnitentiam excitati sunt. Nabuchodonosor enim toto septennio sub hominis imagine bouis cor gestauit, fœnum vt bos comedit, & rore cœli tinctus est. Pharao autem variis à domino plagis vapulauit: quorum tamen ille diuino iudicio & castigatione eruditus, Deum agnouit, adorauit; & cælestem potentiam regna omnia continentem & moderantem confessus est: hic autem è lima ipsa rubiginem contrahens deoque obfirmato animo repugnans, morte tandem multatus est. Ille igitur diuino munere adiutus, & voluptatis suæ libertate recte vsus, seruatus est, hic vero eiusdem domini ope adiutus, sed libero arbitrio suo abusus, prauitate sua damnatus fuit.

Quid facimus quia hic homo multa signa facit? Si igitur vestro etiam iudicio hic multa signa, hoc est multa opera diuina facit, quanto certius & verius erat ex hoc antecedente, vt dialecticorum more loquamur, illud concludere quod Nicodemus intulit: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: Nemo enim potest hæc facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo? si ergo Deus cū illo est, si legatus & magister à Deo missus est, si diuina virtute & potentia suffultus est? Quid attinet Romanorum arma formidare, cum omnis humana potentia diuinæ comparata, nulla sit? Si Deus cum illo est, suscipite ergo & veneramini hominem in quo Deus est: qui & vitæ & mortis, & ipsius naturę dominus est, quique ad salutem vestrā à Deo missus est. Hæc igitur omnia ex illa positione aptissime sequebantur. Quæ ergo mente, quo consilio, concluditis, mortis supplicio esse multandum, quem tot diuina testimonia commendant? Certe vnde alij vitam isti mortem hauserunt: vnde alij fidem, isti perfidiam conceperunt; quod aliis lucem attulit, istis tenebras & caliginem offudit. Quos plane noctur nis auibus merito comparare possumus, quæ propter oculorum imbecillitatem, splendorem solis ferre non valentes, vnde cæteræ aues videdi facultatem accipiunt, ipsæ cæcutiūt, & volantes passim offendunt. Qua in re liquido apparet ingens inter probos improbosque discrimen. Probi namque alienis etiam peccatis ad humilitatem & prudentiam eruditur. Improbi autem alienis virtutibus propter inuidiæ & maleuolētię virus, deteriores sępe fiunt. Sic enim apes noxias herbas in suauissimum mel, aranei vero salutares etiam & innoxias in lethale venenum vertunt. Cęterum simili cęcitate atque isti Iudęi, dives, ille ex Euangelio deceptus est, de quo saluator ait. Hominis cuiusdā diuitis ager vberes fructus attulit, & cogitabat intra se dicens. Quid faciam? Magna sane cura anxius distineris, quid in tanta frugum vbertate facere debeas? Si veritatem scire desideras, si quid ratio, quid pietas, quid humanitas, quid diuina lex, quidque Deus ipse à te exigat inquiris, inpromptu responsio est. Age gratias Deo qui tuos auxit prouentus, quanto vt Apostolus ait, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Vtere parce & sobrie his que tibi diuina largitas donauit, dispēsatorem te bonorum, nō prorsus dominum esse cognosce; quæ conseruis partire. Fac tibi sacculos qui non veterascunt: fac amicos de mammona iniquitatis, qui te cum defeceris recipiant in æterna tabernacula. Congrega tibi thesaurum indeficientem in cælis: eo trāsfer patrimoniū tuum vbi nec ærugo consumit, nec tinea exedit, nec fures effodiunt & furantur, & vbi in æternum victurus es. Quandoquidem non habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. Si consilium quæris, hoc est

1. Cor. 3.

est maxime salutare consilium. At is longè diuersa ratione ductus: destruam inquit horrea mea, & maiora faciam, & illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ. Habes anima mea multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, & epulare. Dixit autem illi Deus, stulte hac nocte repetent à te animā tuam: ea quæ parasti cuius erunt? Hæc sunt fratres humana consilia futuri nescia & diuinorum decretorum ignara, à quibus quid aliud quam infelices & inopinati exitus expectari possunt?

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent locum nostrum & gentem. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac si vtrumque amiserunt. Nam Romani post domini passionem & glorificationem, tulerunt eis & locum & gentem, expugnando & transferendo. D. August super Ioann. tracta. 49. tomo 9.

Si viderint inquiunt, Romani turbam ipsum sequentem, sub tyrannide propriique regis principatu nos esse constitutos arbitrabuntur, & diruēt nostram ciuitatem ac populum. Et quanam gratia dicant quæso, putabunt Romani Christum sibi Iudæorum regnum ac tyrannidem vendicare velle? Nunquid seditionem docebat Christus, aut discessionem à Romanis nunquid dissuadebat censum dari Cæsari, aut pendi illi tributum? Nonne regem ipsum facere voluisti, & renuit? Nonne humilem & abiectam in paupertate vixit vitam? Nōne & domo & aliis huiusmodi ad vitam necessariis caruit? Hæc ergo sine ratione vlla dicebant, sed inuidia tantum. Erant quæ faciebat Christus minime formidanda, nec vllam tyrannidis suspicionem habentia. Qui enim ægrotos sanabat, qui optimam docebat vitam, qui principibus suis subditos parere iubebat, non confirmabat, sed propulsabat tyrannidem. Non Christi doctrina, conuersatio in terris, miraculorum operatio, & credentium in ipsum multitudo, vobis ô Iudæi captiuitatis causa fuit, sed longe alia. Huius namque captiuitatis à Romanis factæ, & ante captiuitatis Babyloni cæ, & Antiochenæ quæ sub Antiocho facta est, nō fuit causa quod apud vos boni viri diuersabantur, sed quod mali & iniusti, & Deum prouocantes, inter vos habitabant: ob quorum scelera venit super vos Dei indignatio. Verum enimuero iniuidia nil videt, sed cęcat animā. Vide enim obsecro quā inopes sint consilij, & quam imprudenter futura metiantur & prospiciant. Proponunt ipsi quod si dominus sic dimitteretur, venturi essent Romani & deleturi locum & gentem. Res autem ipsa contrarium omnino & oppositum habuit exitum. Nam quia non dimiserunt dominum sic, sed tanquam malefactorem in crucem crudeliter egerūt: venerunt tandem Romani, & sustulerunt locum & gentem. Nempe secundo & quadragesimo anno post eius passionem, simulque gloriosam ascēsionem, venientes Romani sub Tito & Vespasiano principibus, locum simul regnum, & gentem, illis abstulerunt illoque excidio, ferro, fame, & captiuitate deleuerunt. Et qui in pascha Christum occiderant, in eadem solennitate ab hostibus obsidione cincti sunt. Quique iniuria filij patrem offenderant, ipsi à patre & filio, Vespasiano & Tito deleti sunt. Sicque rei & miseri ad æterna supplicia transierunt, iuxta quod dominus alibi de eis dixerat. Ecce relinquetur domus vestra deserta, & filij regni huius eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. D. Cyril. super Ioan. lib. 8. cap. 1.

Et venient Romani &c. Diabolus semper molitur vt omnes cogitationes nostras, omnia opera, omnia denique vestigia nostra in terrenis figamus neglectis cælestibus bonis, tanquam sequentes quodammodo illud Pythagoricum, quæ supra nos, nihil ad nos, ita Iudæos incitauerat, vt propter cupiditatem terrenæ suæ dignitatis, sacrilegas in Christum manus iniicerent.

Veniunt Romani &c. Hi quidem sub pacis & trāquillitatis reipub, prætextu, venenum suum & inuidum animū tegebant & occultabant. Est quidē etiam iuxta Philosophos procuranda concordia; nam Antisthenes dixit, tutiorem quouis muro fratrum concordiam putato. Pericles, lites componito pro virili. Phocylides, fuge discordiam & seditionem. Verum isti suo concilio sibi potius discordiam conflabant, & sui expugnationem. Adde etiā quod non solum ex iodente inuidia & inueterata prouenirent eorum sacrilegum concilium, sed etiā ex cæca auaritia & cupiditate, ne deturbarentur de sua re familiari: contra quod pestiferum vitium videre poteris si libuerit, D. Ambro. lib. 2. offici. cap. 26.

Quendam habet dialogum D. Leo papa inter cupiditatem & contemptum mundi circa medium operum.

De varietate cupiditatum, & diuersis earūdem finibus. Vide Laurē. Iusti. in lib. qui inscribitur fasciculus amoris cap. 15. de diuersis hominum cupiditatibus.

Quid senserint Philosophi, vide Vincen. Bellua cen. Specu. Doctrina. libr. 4. cap. 146. 147. & 148.

Et tollent nostrum locum & gentem. Hoc est, honoris & dignitatis locum in hac republi. amittemus. Videte quid ambitio, quid auaritia, quid cupiditatis immanitas efficere solent! verissime enim ab Apost. dictum est; radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, circa fidem naufragauerunt. Hi autem non modo circa fidem naufragium fecerunt, sed autorem etiam fidei & consummatorem Iesum è medio tollere decreuerunt. Qua in re aperte liquet quantum inter Dei amorem terrenarumque rerum cupiditatem, discriminis sit. Dei namque amor vsque adeo diuinarū rerum studio intentus est, vt terrena omnia præ illarū amore facile contemnat: contra vero immoderata cupiditas & amor sui, aduersa ratione tāto ardore terrenis opibus inhiant, vt præ illarū desiderio nulla neque salutis æternæ neque rerum diuinarum cura tangantur. Quam rem Vrbanus papa in epist. quadam testatur his verbis: cupiditas hoc inprimis malum haber, quod dū ingerit transitoria, abscondit æterna: & dum a foris condita conspicit, intra sa latentia non introspicit: & dum aliena quærit, sectatorem suum à semetipso alienum facit.

Et venient Romani &c. Quorsum quæso Romani ex eo suspicionem vllam tyrannidis percipere poterant, qui duodecim tantum discipulis eisdemque inermibus constipabatur? Qui consulebat vt si tunicam quis auferre vellet, eidem etiam palliū traderent? Si quis dexteram percuteret maxillam, etiam alteram eidem præberent? qui non habebat vbi caput suum reclinaret? non domum non agrū, non simile quippiam possidebat? Age vero, nonne apertum est antea à Romanis inquirendum fore: quibus militibus vteretur, quodnam haberet armorum genus, quæ præsidia, num censum dissuaderet dari Cæsari? Sed vestra inquam inuidia, inueterataque malitia, ac cæca cupiditas hæc figmenta, somnia & deliramenta, excogitabant.

Metue-

Metuebatis amittere temporalia, atque ita omnia amisistis. Prouer. 10. quod timet impius, veniet super eum.

Præponunt isti humana diuinis inquit Origenes, nam ob cupiditatem rerum temporaliū, Christo domino necem intētant eundemque quasi per contemptum quendam, hominem vocant. Plura vide apud Origenem super Ioan. 10. 28.

Si dimittimus eum sic &c. Vide quæso quòd sibi figmentum machinarentur & parerent, quo rudē & imperitam plebeculam deciperent, vt tandem crederet iuste intulisse ipsos necem Christo propterea quod seditionem concitaret in plebe & tyrannidem quandam minaretur, vt ipsi fingebant. Hoc igitur loco si voles paulo copiosius agere de dolis & fraudibus, atque fraudulentis hominibus & impostoribus, nonnulla describam.

Dolosi quidem & fraudulenti homines imitari videntur dæmonem ipsum, qui suis dolis & insidiis in vniuersum genus humanum maximam intulit plagam decipiens olim in paradiso protoparentes nostros Gene. 3.

Vide quæso quam callidis artibus & technis idem hostis noster infensissimus vsus fuerit, vt ipsum patientissimum Iob perderet atque deciperet. Iob. 1.

Astutiis quidem multis vsus est olim Laban cōtra Iacob, tum alteram vxorem pro altera supponendo, tum etiam in mercede eum sæpe fraudando, & aliis huiusmodi Gene. 29.

Vide quā astute & dolose patentem suū Iacob, fratres Ioseph decipere conarentur tincta sanguine eius veste, quo senex crederet Ioseph à fera pessima deuoratum fuisse. Gene. 37.

Arte & dolo vsi sunt Gabaonitæ cum Iosue, fingentes se ex longinquis aduenisse regionibus, vt cum eo fœdus inire possent. Iosue 9.

Vide quibus artibus Simeon & Leui aggressi fuerint Sichimitas propter scelus in sororem commissum Gene. 34.

Sedecias fecit sibi cornua quædam ferrea, verum prophetam se simulans, vt regem Achab deluderet dicens ei: his Syriam ventilabis. 3. Reg. 22.

Callide insidiatus est Saul ipsi Dauid cum dixit se velle ei filiam vxorem dare 1. Regum 18.

Philistæi moliti sunt ne faber ferrarius reperiretur in Israel qui gladios & arma fabricaret, vt ita facile superaretur 1. Reg. 13.

Dolosum quidem conuiuium parauit Absalon fratri suo Amnon. Item satrapæ Danieli inuidentes, moliti sunt vt tale à rege exiret decretum, quale certo sciebant Danielem non seruaturū. Dauid astute voluit celare adulterium cum imperauit vt Vrias remitteretur, quo cum coniuge sua dormiret. Perpende etiam quonam dolo vsus fuerit Amnon vt Thamar sororem suam comprimeret. Vide quas insidias & machinas moliretur Absalon contra patrem suum, incipiens primo lenocinio quodam verborum accedentes omnes demulcere, & conciliare.

Aduerte quibus dolis & artibus nitebantur Pharisæi cæcum illum illuminatum in suam sententiam pellicere. Ioan. 9. Item quam dolosè accederent ad Christum dicētes, Magister scimus quia verax es &c. Matt. 22. Recordare denique callidita tem Herodis. cum reges Magos conaretur deludere Mat. 2.

Multi quidem in mundo doli, & plerique etiā perfacile eisdem se illaqueari & irretiri patiuntur. Vide Lauren. Iusti lib. de obedien. cap. 25.

Nil inhumanius est ait Seneca quam alium fallere, & sub specie præsertim boni cōferendi. Quid enim obsecro magis inhumanum excogitari potest, quam cruentos esse beneficiorum exitus? &c. Vide Senecam lib. 3. de benefi. cap. 9.

Vix firmitatem, securitatem, & certitudinem, in mūdo quisquam inuenire potest. Quis enim polliceatur serenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito pudicam vxorem, patri pios liberos? &c. Vide Senecam lib. 4. de benefi. cap. 33.

Et tollent locum nostrum & gentem. Si voles hoc loco paulo fusius contra cæcam cupiditatem atque auaritiam, qua isti occæcabantur, disserere, plura quædam subiiciam.

Auaritia hominem deprauare solet & perdere quem complexa est. Nume. 22. D. surrexit Balaam mane.

Auaritia pernicioſum malum Prouer. 11. D. Qui abscondit frumenta.

Auaritia turpissimum vitium Ecclesiastici 4. D. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum &c.

Auari diripiuntur. Sopho. 1. C. Disperierunt omnes inuoluti argento.

Auarus sua relicturus est Eccles. 14. C. Nonne aliis relinques dolores & labores tuos?

Quemadmodum quo plus quis salsum biberit mare & copiosius, eo magis in eo accenditur crescitque sitis: ita quo auarus pluribus abundat opibus, tanto magis aliis atque aliis congerendis inhiare videtur & occupari.

Multi quidem inquit Seneca, fortissimos muros propugnaculaque expugnant, tamen cæcam suam cupiditatem & auaritiam expugnare nunquam queunt. Vide Senecam lib. 14. epist. epist. 95.

Alexander Magnus præ nimia cupiditate auaritiaque cecus, querebatur sibi non satis quadrare cognomen illud Magni, propterea quod totum sibi orbem subiectum non haberet. Quid enim esse magnum potest, aiebat, in tam pusillo homine, & impetio tam paruo? Vide Senecam lib. 14. epist. epist. 92.

Quemadmodum quo magis augetur & ingrauescit splenis morbus in corpore, eo magis cætera membra affliguntur & cruciantur: ita quo copiosius alicuius auari marsupium impletur & collocupletatur, tanto etiam vehementius cruciari videntur & torqueri ab eo pauperes & egeni occurrentes, cum inanes ab eo redeant sæpissime & vacui. Et sicut rapidissima flumina quo magis exūdant, eo vehementius nocent vicinis aruis, prædiis, hortis, & arboribus: ita plerique quo pluribus abundant diuitiis, tanto magis pauperum si aliqua sunt bona, & absorbere solent, & ad se quo iure quaue iniuria attrahere & aggregare.

Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis. Vos nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Expedit vt vnus pro omnibus deni gretur similitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine eondemnetur peccati. Splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in forma serui, pro vita serui. Candor vitæ æternæ nigrescat in carne, pro carne purganda. Speciosus homo præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte. Ex toto non sit ei species neque decor, vt sibi speciosam atque decoram æquirat sponsam Ecclesiam, sine macula & sine ruga, D. Bernard. super Canti. sermo. 28.

Subori-

Suboritur hoc loco quæstio non perfunctorie prætereunda, quomodo hic dicatur pontifex anni illius ipse Caiphas, cum dominus in lege præcepisset, vt vnus duntaxat esset summus sacerdos, cui mortuo filius succederet, & loco patris sacerdotium administraret. Sed responsio adhibenda, quod illo tempore lex illa domini non obseruabatur apud eos, abrogata per ambitionem ludæorū, & auaritiam Romanorum, qui in annos singulos summum sacerdotium tunc pecunia venditabant. Erat itaque illa tempestate pontificatus duntaxat annuus, & translato anni curriculo vni succedebat alter, qui pontificalem dignitatem sibi pecunia comparasset. Nempe de hoc Caipha referunt probati historici, quod prētio sibi vnius anni sacerdotium redemerit ab Herode. Et hanc morum corruptelam tum Synagogæ irrepsisse; haud difficile est ex Machabæorum historia deprehēdere, vbi nonnulli memorantur ad summum sacerdotium data grandi pecunia contendisse. Cum autem refert Euangelista de Caipha quod erat pontifex anni illius, magnitudinē impietatis, & grauitatem sceleris eius perspicue demonstrat. Quia enim cæterōs dignitate pōtificali præstabat & autoritate, debuisset maiori pietate & religione in Deum effulgere, quo cæteris exemplo esset virtutem colendi, & diuina mandata seruandi. Ipse vero reliquis immanior, præcipitatior ad scelus, & ad cædem paratior, alios quasi tardius agētes hortatur ad facinus, dicens. Vos nescitis quidquā, nec cogitatis quia expedit vnius hominis salutem pro tota repub. negligi, quandoquidem bonum priuatum publico est posthabendum, & commune bonum priuato atque particulari est præferendum. D. Cyrillus super Ioan. lib. 8. cap. 2.

Vnus autem ex ipsis Caiphas &c. Hic qui erat in dignitate constitutus, ac propterea salutariter suis subditis & inferioribus consulere debebat, potius plusquam cæteri debacchatur & insanit peruersa mente & animo suam proferens sententiam, Tales sunt plerique, qui cum clauum alicuius gubernationis & regiminis teneant, peruerso animo suis consulunt ac deprauato, in tenebris ambulantes & cæcitate, cū tamen cæteris oculatiores & perspicatiores quidem esse debeant qui aliis præsunt & supereminent. Vt enim caput ipsum quod cæteris corporis partibus supereminet, oculatius est, imo in ipso duntaxat oculi conspiciuntur: ita quicunque aliis præficiuntur, cæcitate omni expulsa perspicacibus esse debent oculis & intelligentia. Prælatus enim non debet esse cæcus, sed lumine intellectus egregie pollere. Vnde in Leuiti, præcepit dominus, ne offerretur sibi animal cæcum. Bases etiam templi Salomonis habebant Cherubim, ita Bases sunt prælati qui sustinent ędificium spirituale, qui non debent esse sine cogitatione & intelligentia, quæ designatur per Cherubim. Moses itidem volens constituere gubernatores populi, dixit Hebræis: date ex vobis viros sapientes &c. Salomon non postulauit diuitias, sed prudentiam & sapientiam: siquidem gubernator sine ea, est tanquam nauis sine clauo. Dominus dicebat per Hiere. introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores qui pascant vos scientia & doctrina. Et Paulus cū loqueretur de officiis Ecclesię quosdam inquit dedit Apostolos, quosdam prophetas &c. cum autem locutus est de prælatis, inquit, alios autem pastores & doctores: adiungens doctores cum pastoribus, vt insinuaret prælatos scientia esse debere præditos. In Exo. præterea legitur, prouide de omni plebe viros sapientes. Cæterum sunt quidam etiam ex iis, qui licet polleant aliqua eruditione, sunt tamen paulo crudeliores, neque imitantur peritum tōsorem: qui quidem priusquam capillum scindat, abluere eūdem suauiter solet, & sua instrumēta ité omnia, ad suauitatem disponere ac præparare: ipsi siquidem nimia vruntur asperitate & austeritate, & cū vitium aliquod volunt euellere, hominem etiam sæpe ipsum destruūt crudeliter atque inique. Alij ité sunt qui non minus quā Caiphas ipse per ambitionem & grādem pecuniam prælaturas sibi ipsās ambiūt & acquirunt, nolentes agnoscere quātum sit onus prælaturæ, & quod prælati sint in eminentiori loco constituti, in quos omnium oculi facile statim coniiciantur, & reprehēsiones etiam ipsæ incidāt. Vnde Christus discipulis dormientibus in horto, Petrum statim increpauit. Et certe quamuis omnes sint in eodem crimine, tamen cæteris paribus maiori semper dignus videtur reprehensione prælatus, quam subditi. Insuper tot se onerat crimi-
nibus, quot suo pernicioso & pestifero exemplo subditos deprauat. Filij quidem Iob in domo fratris sui maioris interierunt, ita subditi ob malum exemplum sui prælati, tāquam fratris maioris, sæpe intereunt. Contra vero bonis prælatorum exēplis, subditi diriguntur & illustrantur. Cum nubes incedebat, quæ populum Israel ducebat, populus sequebatur; cuius autem cessabat, sistebāt etiam ludæi & comprimebant gressum. Ita tenente prælato & cāpessente virtutis iter, sequuntur fere subditi. Quare consulant sibi illi qui quo iure quaue iniuria prelaturas ambiunt, & eas inique sibi procurant, cogitent prius diligenter quantum oneris suscipere cupiant, nempe vt non solum pro se, sed etiam pro aliis reddituri sint rationem. Meminerint illius Abimelech, qui septuaginta fratres vt imperaret occidit, quāto scilicet cum labore principatum suū tenuerit, & quā cito infelicique exitu occubuerit. Meminerint Absalonis, qui etiā ignominiosa morte interiit. Meminerint quid acciderit Adoniæ, quid Athaliæ, quid Aman, quid denique ipsi Zambri, qui Ela regem occidit vt ipse regnum obtineret, & tamen vltra septem dies regnum suum non obtinuit. Reuocent etiam in memoriam inconstantiā & mutabilitatē ipsius mūdi cōmunis hostis, qui plurimos ad altissimos quosque euehit gradus, vt eos indę pernicioſius & ignominioſius deturbare possit. Est etiam per sapiētem vita nostra rotæ comparata super cisternā positæ. Vnde & Boetius dixit, hæc est nostra vis, hunc cōtinuo ludum ludimus, rotam volubili ordine versamus, & infima summis, & summa infimis mutare gaudēmus.

Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo. Cum alij in varias sententias scinderentur, & mitiora forsitan morte cōsilia excogitarent, hic vnus crudelissimam aduersus innocentissimum dominum sententiam tulit. Videte quæso quo mundi sapientia atq; prudēntia affectibus obcæcata, & nō Dei luce sed horrendis tenebris circunfusa ducta sit; quādo ex clarissimo omnium miraculorum, ad terrimum omnium facinorum occasionē sumpsit. Quis ergo iam aut ætati, aut autoritati, aut scientiæ, aut humanę prudentiæ, Dei ope nudatę, nimium fidere audeat? Quod si exemplum aliud desideratis, in Salomonem illum oculos conijcite; qui sapientes omnes qui illum præcesserunt, ipsius domini testimonio superauit. Qui tamen vbi paululum sibi ipsi relictus fuit, in eam mētis cæcitatem cecidit, vt vero Deo neglecto, finitimarū gentiū idola coleret, aras erexerit, tēpla

construxerit, thus accéderit: quodque mirabilius est, nec à domino quidem admonitus, ab hac tãta insania & sacrilega impietate recessit. Quo quid esse formidabilius potest? Quis igitur his exẽplis nõ facile humanæ mentis ignorantiã cernat? Quis pranorum & scelestorum hominum consilia, quã libet prudentes sint, suspecta non habeat? His igitur exemplis admonemur: primum quidem vt sceleratorum consilia declinantes, proborum hominum monita amplectamur: verum esse intelligẽtes quod sapiens ille ait, Anima viri sancti enũtiat aliquando vera plusquam septem speculatores sedentes in excelso ad speculandum. Deinde etiam vt nullum opus moliamur, in quo non patrem luminum consulamus, & ab ipso res nostras dirigi assiduis precibus postulemus. Sũt enim decreta nostra ac prouidentiæ, quarum felix euentus frequenter ex futuris casibus pendet: quid ergo certi habere possunt? Recte enim Salomon, Multa inquit hominis afflictio, quia præterita ignorat, & futura nullo scire potest nuntio. Quod igitur in tantis humanæ mentis tenebris remedium? non aliud certe quam quod ille sanctus rex Iosaphat designauit, cum ait; cum enim ignoremus quid facere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. De iis autem qui Dei consilio neglecto, totos se ad humana consilia cõferunt, conqueritur per Esa. his verbis, væ filij desertores dicit dominus, vt faceretis consilium & non ex me, ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, hoc est vt veteribus flagitiis, hoc etiam superbiæ & contemptus adderetis. Adeo enim humana consilia dubia & incerta sunt, vt Iosue vir alioqui sanctissimus, cuius imperio sol in cælo stetit immotus, Gabaonitis in consortium populi receptis, in magnum errorem lapsus sit, quoniam vt scripturæ sacræ produnt, os domini non interrogauit. Hanc autem esse causam reor fratres, quod frequẽter in diuersum atque putabamus, negotia nostra cadant, atque vt expectationes nostræ ita frequenter nos fallant, vt pro sperata pace bellum, pro lucro damnum, pro quiete tumultus & solicitudinis materiam inueniamus, ac postremo vt inde lachrymas colligamus, vbi lætitiæ semina iecisse nos credimus. Cuius rei non aliam arbitror fuisse causam, quam quod prudentiæ nostræ nixi, diuinum consilium & auxilium implorare negleximus. Hac enim pœna dignum est vt puniantur: qui Deum consiliorum suorum participem & vitæ ducem efficere nolunt. Vt autem hæc ipsa quæ diximus euidentius appareant, huius tandem Pharisaici cõcilij exitũ videamus. Concilij ergo huius commune decretum fuit expedire, vt vnius capitis periculo totius gentis saluti consuleretur. Quæ res adeo in diuersum accidit, vt qua ratione populi salutem stabiliri posse putauerant, eadem extremum exitium miseræ genti attulerint, quandoquidẽ propter hoc teterrimũ facinus, ea funditus vastata & euersa est. Quo quidem exemplo apparet quanta sit Dei potẽtia atque sapientia, quæ ita prauorum hominum consilia inuertit, vt non modo prauis eorũ conatibus obsistat, sed etiam quibus ipsi rationibus res suas confirmare nituntur, eisdem ipsis illas euertat. Sic enim decet summam illam maiestatem iniurias suas à vilissimis homũculis illaras vlcisci: sic dignitatem & honorem suũ tueri, nequis vnquam aut in malefactis glorietur, aut salutare sibi præsidium in sceleribus constitutum esse putet. Sic filij Iacob innocentem Ioseph inuidia stimulati in Aegyptum vendiderunt, vt hac ratione omnem illi somniorum suorum spem adimerent. Qua autem ratione principatum illius euertere moliebantur, adeo assecuti non sunt quod volebãt, vt eadem ipsa principatus illi occasionem dederint, & regium illi thronum manibus suis erexerint. Quid hic Ieroboam regẽ Israel cõmemorem? qui vitulis aureis contra Dei præcepta fabricatis, regnum suum stabilire conatus, tantum abfuit vt hoc consilio regnum firmaret, vt eodem sibi liberisque suis, vniuersæ familiæ atque ipsi regno, vastitatem & exitium nullis vnquam temporibus resarciendum attulerit. Simili ratiocinatione sapienter se agere Pharao putauit, cum filiorum Israel infantes in flumen proiici mandauit, vt hoc consilio tyrannidem qua illos oppresserat, perpetuo conseruaret. Hac autem carnali & diabolica prudentia id effecit, vt vastata vniuersa Aegypto, filiisque omnibus natu maximis vna nocte extinctis, ipse cum toto exercitu aquis submersus interiret, qui aquis innocẽtes Hebræorum pueros interire præceperat.

Vnus autem Caiphas. Hic pestilentior cæteris erat & immanior; vide quæso quãtopere dignitates & magistratus plerosque insolentiores reddãt. *Expedit vt vnus moriatur.* Et plane multũ expedit, aliter nullus ingredietur in cæleste regnum: verum tu deprauato & peruerso animo loqueris &c. Vide Horozcum in declama. Quadrag.

Expedit vobis vt vnus moriatur homo. Quæquidem verba alium intellectum habent secundum intentionem Caiphę & alium secundum expositionem Euangelistæ. Vt ergo primo exponatur secundum eius prauam intentionem, sciendum est quod vt dicitur Deute. 13. Mandatum est domini, si fuerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & voluerit te à domino retrahere, propheta ille vt fictor somniorum interficiatur. Secũdum hanc ergo legem credebat iste quod Christus auerteret populum à cultu Dei. Luc. 23. hunc inuenimus subuertentem gentem nostram. Et ideo dicebat iste, vos nescitis, scilicet legẽ, nec cogitatis quia expedit vobis &c. scilicet vt vnus, idest iste homo moriatur; ne totus populus seducatur. Quasi dicat, vnius hominis salutem pro communi repub. oportet contemnere. Vnde sequitur Deute. 13. & auferes malum de medio populi tui. 1. Cor. 5. auferte malum ex vobis &c. Sed aliter Euangelista exponit dicens. Hoc autem à semetipso non dixit &c. D. Tho. super Ioan. 11. lect. 7.

Vt vnus moriatur homo. Dedecet plane omnis crudelitas prælatum, & eum qui in dignitate constitutus est. Vnde ait Seneca, est quidem clementia hominibus omnibus secundum naturam, maxime tamen decora imperantibus. Vide Senecã lib. 1. de clemen. capit. 1.

Idem etiam ait, proderit tibi princeps potentissime, vt clementia vtaris in subditos tuos, considerare & dicere: ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum qui in terris deorum vice fungerer, ego vitæ necisque gentibus arbiter, qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est &c. Vide Senecam lib. 1. de Clemen. cap. 1.

Quod prælatus quandoque clementia, quãdoque etiam quadam seueritate vti debeat. Vide D. Ber. super Canti. sermo. 44.

Quod vigilantissimi quidem esse debeant prælati, non tamen crudeles & inhumani, vide eundẽ super Canti. sermo. 76.

Qua

Qualiter pro conseruanda subditorum pace se habere debeant qui præsunt, consule Lauren. iust. de triumpha. Christi agone cap. 26.

Quod ad instar eorum qui belli tempore vrbium excubias faciunt, super intendere præsules Dominicis gregibus debeant, & de se perfectionis lumen quoddam eis exhibere, vide eundem lib. de institu. & regi. præla. capit. 11.

Quod exemplo ducis exercitus visibilis incũbat spiritualibus pastoribus, Dei populum in prælio spirituali gubernare, vide eundem eodem lib. cap. 17.

Crudeles quidem principes & prælati similes esse videntur erinaciis, quæ animalcula interius mollitiem quandam siue lenitatem & suauitatem præseferre videntur, at vero exterius aspera sunt, aculeata, & spinosa: ita enim ipsi sibi quidẽ nimiũ adblandiuntur & indulgent, at vero erga alios inhumanitate quadam vruntur & crudelitate.

Quemadmodum in suprema aeris regione non perinde grando, procellæ, & similes tempestates, atque in media & infima generantur, ita in statu prælatorum nõ perinde debent vigere seditiones, turbines, & perturbationes, atque vigent in plebe ignara & rudi, sed potius esse debent qui aliis præsiciuntur, tranquilli, mites, & mansueti.

Sicut vulnus aliquod & cicatrix fædior quidẽ atq; deformior apparet in facie, quã in cæteris mẽbris, propterea quod statim aspectui omniũ obiiciatur, & omnes illico in ipsam faciem oculos cõiiciant: ad eundem modum longe deformior esse crudelitatis macula videtur in his qui locantur in celso dignitatis gradu, quam in cæteris, propterea quod omnium statim oculi in eos coniiciantur.

Sicut ex arboris radice in ramos omnes & frõdes virtus diffunditur, & deriuatur: ita trãquilitas, mansuetudo, & recta cõpositio in subditis, ex mãsuetudine & trãquillitate prælatorum deriuari videtur, atque enasci.

Ceu corpus luminibus cassum oculisque captum, errat maximopere, & vagatur tenebris circũfusum; ad eũdem modum corpus reipub. si oculis orbatum sit, hoc est prudẽtibus, mansuetis, & tẽperatis pastoribus destitutum, in tenebris ambulet, cæcutiat, & hallucinetur necesse est.

Expedit vt vnus moriatur pro populo. Si voles hoc loco tractare contra eos qui peruersa dant cõsilia, quandoquidem iste deprauato quidem animo hoc suggerebat consilium, nonnulla indicabo loca.

Vide quæso quam pestiferum filij Ammon darent consilium regi suo, vt scilicet nuntios Dauidis cum tanta illa ignominia & dedecore à se dimitteret. 2. Reg. 10. Elymas magus peruerse quidem consulebat pro consuli, vt non crederet verbis Pauli Acto. 13. Quando Saul in primo prælio victoriam obtinuit, quidam peruerse ei suadere videbantur vt se vlciscereturde murmuratoribus quibusdam. 1. Reg. 11. Propter deprauatum consilium misit Demetrius Nicanorem cõtra Iudæos, atque ita infeliciter vastatus est. 2. Macha. 14. propter prauos quosdam & inuidos consiliarios, fecit rex Artaxerxes cessare Iudæos à sua ædificatione 3. Esdræ 2.

Prauum consiliũ suggerebat ipsi Iob vxor eius, sed ipse illud renuit accipere Iob 2.

Herodias pestilens dedit ac lethale consilium filiæ suæ, vt scilicet caput Ioannis postularet Mat. 14. In diebus Antiochi regis peruersi quidam cõsulebant filij Israel vt desererent dominum, dicẽtes: eamus, & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt 1. Macha. 1. Attende etiã quantum noceant mali consiliarij ex Esther 5. Assuerus præterea declarauit rem esse satis antiquã quod plerique reges decipiantur per prauos consiliarios. Esther 16.

Nonnunquam etiam aliqui qui videntur docti & prudentes, peruersa cõsilia dãt: Sic Achitophel male consuluit ipsi Absalon 2. Reg. 17. Rectores populi & sapientes consuluerunt Sedeciæ, vt occideret Hieremiam. Vide quam prauum dederit consilium Andronico Menelaus auaritia permotus; vt sacerdotem Oniam interficeret. 2. Mach. 4. Consilia salutaria complectẽda sunt, vide Vincen. Spe. Doctri. lib. 4. cap. 26. 27. & 28.

Qualiter consilium & petere & accipere debeamus, consule D. Amb. lib. 2. Offi. cap. 11. & 17. & 18.

Quemadmodum nauis moderator ab ipsa puppi tanquam à fine quodam, optimam suam gubernationẽ ordiri solet atque disponere: ita plane in rebus gerendis, atque in consiliis suscipiendis, in finem ipsum oculos confixos atque intẽtos habere debemus: eumque præclarum atque præstantẽ nobis deligere. Et quemadmodum statua illa Nabuchodonosor quamuis caput haberet aureum, quia tamen pedes habebat terreos, tota ab imo corruit atque euersa est; ita quamuis quæ tractamus & gerimus videantur vtilia primo aspectu & aurea, nihilominus tamen sæpissime propter defectum ipsius finis nobis pereunt, atque infeliciter obtingunt.

Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Hic docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere, quod tamen Euangelista diuino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, & summus sacerdos. Potest autem mouere, quomodo dicatur pontifex anni illius, cum Deus vnũ constituerit summum sacerdotẽ, cui mortuo vnus succederet. Sed intelligẽdum per ambitiones & cõtentiones inter Iudæos, postea constitutum vt plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exiit vt incensum poneret, ingressus in templum domini. Vnde apparet plures eos fuisse, & vices suas habuisse. Nam incensum non licebat ponere nisi summo sacerdoti, & forte etiam vnũ annum plures administrabant, quibus alio anno alij succedebãt, ex quibus sorte exibat quis vt incensum poneret. D. August. super Ioan. tracta. 49. to. 9.

Cum esset pontifex anni illius. Dominus autem præceperat esse tantum vnum summum sacerdotem, & per totam vitam suam: quo moriente alius sibi succederet, vnde & in morte eius reuertebantur fugitiui. Sed propter cupiditatem & ambitionem suam statuerunt inter se illi qui erant de genere sacerdotali, vt quolibet anno vnus esset qui illo officio fungeretur. Aliam autem rationem assignat Iosephus, dicens ià tẽpore Herodis Ascalonitæ, qui auxilio Romanorum occupauit regnum Iudææ, sacerdotium cõmuniter vendebatur: & sic propter maius lucrũ temporale summus sacerdos frequenter mutabatur. Lyranus super Ioan. 11.

Cur autem potius Caiphas quam alij, prophetauerit, & verba futurorum prænuntia dixerit, assignat Euãgelista rationem, quia erat põtifex anni

illius. Magna plane est pontificalis potestatis virtus. Quum enim pōtifex esset, licet indignus, prophetauit: nescius tamen quid diceret, & os tantum gratia spiritus, non autem sceleſtum cor attigit. Idcirco non simpliciter, sed quo ad hoc propheta Caiphas dici posset, cum in litera prophetasse dicatur, ideſt verbum protulisse propheticum: quāquam idipsum verbum in prophetico sensu minime intellexit. Non enim ad prophetæ rationem id semper exigitur, & necessarium est, vt quæ futura denūciat, intelligat. Habuit enim Daniel cōplures visiones, & propheticas protulit denuntiationes; quas primo non intellexit, sed eorum intelligentiam postea ab angelo est edoctus, & tamen prophetici nominis rationem simul & denominationem proinde non deperdidit. Neque idcirco quis recte negauerit Caiphā fuisse hic prophetā, quia prauus fuerit & iniquus. Ná & Baal nefarius erat, & tamen inter prophetas connumeratur. Et dominus noster de extremi iudicij die loquēs inquit. Multi dicent mihi *in illa die*: domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & signa multa fecimus? & tunc cōfitebor illis quia nescio vos: discedite à me omnes operarij iniquitatis. D. Cyril. super Ioan. lib. 8. cap. 3.

Cum esset pontifex. Hic certe qui in superiori loco constituus erat, pestilentior tamē cæteris erat: ita enim accidere plerisque videmus. Vt enim paleæ in lata area nō quod præstantiores sint & meliores, super ponuntur & super eminent ipsi tritico, sed quod agiliores sint & leuiores: ita multi dignitatibus quidem & honoribus funguntur, non quod meliores sint cęteris, sed quod agiliores fuerint ad eos sibi comparandos, suis dolis, artibus, & technis, qualis erat ipse Caiphas.

Hoc autem à semetipso non dixit &c. Si velis disserere quod sæpe Deus permittat vt qui in dignitate constituti sunt, multa futura prædicant, secretaque & abdita pandant, quamuis ea ipsi non intelligāt: multa suppeditabit August. lib. 2. ad Simplicia. quæst. 1. to. 4.

Cum esset pontifex prophetauit. Vide D. Tho. in 4. senten. distinctione 19. & quoli. 9. articu. 16. incor. & 1. Corinthiorum 12. lectio. 2. in illa verba, Alij prophetia. & lect. 3. super illa verba, secundo propheras. Item nunquid omnes prophetæ?

Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Nō quod & antea iam id non cogitassent, cum superius in eius necem conspirasse, & eum comprehēdere sæpius voluisse legantur. Sed quia nunc firmiter & fixo animo se sceleře perficiendæ mortis eius constrinxerūt, & quam citissime possent, iniqua sua consilia perpetrare decreuerunt. D. Cyrillus super Ioannem lib. 8. cap. 3.

Cogitauerunt vt interficerent eum. Quis in huius sceleris perpetratione, non aperte mentis cæcitatē & obdurationē horum videat? Hæc est maxima pœnarum, qua dominus inueteratos dierum malorum plectere solet: qui etiam quādiu viuunt, ad maiorem damnationis suæ cumulum viuunt, quia peccata peccatis addere nunquam intermittunt. Et quemadmodum monachorum statuta, monachum professionis suæ leges facile violantem, iterum atque iterum legitimis pœnis sæpe repetitis coercere iubent; quem tamen si nihilo melior euadat, desperata salute à contubernio suo eiiciūt: sic plane summus ille humanarum rerum moderator ac dominus: quos multis modis ad se vocatos & monitos nihil profeciſſe videt, tandem deserit, & vel è medio tollit, vel sibi ipsis relinquit. Hoc autem indicant illa Esa. verba, quibus dominus respondet Iudæis querentibus quod eos à se proiecisset, & libellum repudij tradidisset, & à se abalienasset. Ecce inquit in peccatis vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestrā, quia veni, & non erat qui audiret: vocaui, & non fuit qui respōderet. Videtis hic aperte dominum primo quidem rebelles homines vocasse, ac tandem in scelere obstinatos deseruisse? Simili quoque ordine extrema huius populi captiuitas atque vastatio quæ à Romanis illata est, processit. Quod saluator ipse apertissima oratione indicat, cum ait: ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & flagellabitis &c. Quid igitur post hanc rebellionem superest? nimirum quod protinus subdit: ecce relinquetur domus vestra deserta. *Hoc autem ita futurum*, Hieremiæ quoque dominus ostendit, his verbis. Tonde capillum, & proiice, quia proiecit dominus & dereliquit generationem furoris sui. Hac igitur de causa Adrianus pontifex ait. Horribile esse peccata peccatis addere, quia incertū est pro qua culpa sit nos Deus in præsenti seculo deserturus. Quare pōtifices & Pharisæi qui tot Christi vocibus, tot clarissimis virtutum exemplis, tot admirandis signis & prodigiis, resipiscere noluerunt, iusto Dei iudicio sibi ipsis relicti, & excæcati, ita demum in vltimum supplicium adducti sunt.

Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum discipulis suis. Nō quia potentia eius defecerat, in qua vtique si vellet & palam Iudæis conuersaretur, & nihil ei faceret: sed in hominis infirmitate viuendi exemplū discipulis monstrabat. In quo apparet nō esse peccatum si fideles eius qui sunt membra eius, oculis persequentium se subtraherent, & furorem sceleratorum latendo potius deuitarent, quam se offerendo magis accederent. D. Augustinus super Ioannem tracta. 49. to. 9.

In hoc significat quod illos qui quōdam plebs Dei & populus acquisitionis fuerant, propter eorum perfidiam esset relicturus, & ad gentes transiturus. Cyril. su. Ioan. li. 8. ca. 4.

Super Epistо. & Euangel. duas habet cōciones D. Antonin. initio 1. par. Theologalis.

Vide eundem 1. par. histori. titulo 5. capit. 5. §. 4.

Sabbatho post Dominicam in Passione, secundum vsum Romanum.

Cogitauerunt principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent, quia multi propter eum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum, & reliqua Ioan. 12.

Ex omnibus à Christo domino factis miraculis, nullum ita Iudæos vsit & percussit, vt suscitatio Lazari, quoniam multis fuit insignibus circūstantiis illustrata. Lazarus siquidem vir erat insignis & nobilitate præclarus, miraculū fuit euidentissimum, non fuit in sabbatho factum, ne calumniandi illis ansa vlla daretur: fuit etiam paschæ valde propinquum: vnde & permultis ex aliis vrbibus atque regionibus qui ad paschæ solennia conuenerant, notum fuit: & hac de causa multi adibant Lazarum, veritatem cogniturі. Hinc proueniebat ira, dolorque maximus, atque furor in Lazarum, ipsum occidere procurando. Vide D. Chrysost. super Ioan. homilia. 65. to. 3.

Excitata nouitate miraculi Lazari, turba venit Bethaniam, & vt Iesum tanti signi autorem videant, & Lazarum etiam resuscitatum cernant, vt cum oculis etiam testis fuerit eorum quæ auditu percēperunt, firmiores in eis radices fides agat, & indubitatior fiat. Principes autem suis sceleribus in Christum non cōtenti, etiam Lazarum interimere cogitabant. Sed quid Lazarum possunt accusare, vt de eius cogitent interitu? nunquid beneficium accipere crimini dandum est? considera quæso quantum studebant cædi & occisioni. Porro multa signa fecerat Iesus, sed nullum ita eos efferauit, non paralyticus, non cæcus curati. Hoc enim natura admirabilius erat, & post multa factum, & mirandum erat mortuum quartiduanum ambulantem & loquentem videre: idcirco quam plurimi etiam omisso festo, Bethaniam ad ipsum visendum concurrebant. Hoc eos angebat, quod Lazari occasione multi Iudæorum discedebant ab eorum secta & traditionibus, & credebāt in Christum: inuidebant enim gloriæ Christi, & non mediocri dolore torquebātur, quod populus in eum credebat. Itaque succidere volentes & subſtollere materiam illam credendi in Christum, cogitarunt interficere & Lazarum, vt eo interempto non amplius ipsius occasione populus ad Christum conuerteretur. O inuidiam omni fera crudeliorem, & exitium omnibus intentantem! quem autor vitæ reduxit ad vitam, ipsi liuore stimulati perdere volunt. Charitas enim viuificat & beneficia largitur, at liuor edax pernicię infert & mortem, suique tabe veneni omnia commaculat & enecat. Ista trunculenta belua perpulit Ioab principem militię Dauid, in subdolam fraudulentamque cædem Amasę, quem præfecerat etiam rex ipse suæ militiæ: quod inuideret illum sibi designatum collegā in eodem magistratu, timerētque ne tādem sibi præferretur Amasa, & solus militiæ regiæ præficeretur. Vide D. Cyrillū lib. 8. super Ioānem cap. 8.

Cogitauerunt principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent. O stulta cogitatio, & cæca sæuitia! dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, nō possit occisum? Quando Lazaro inferabatis necē, nunquid auferebatis domino potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus: ecce dominus vtrumque fecit, & Lazarum mortuū, & seipsum suscitauit occisum. Vide D. August. super Ioā. tracta. 50.

Ex vno eodemque suscitato varij effectus extiterunt, quidam enim vitam receperunt, alij vero moriendi occasionem: quidam credendo vixerūt, alij autem odio habendo perierūt. 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Consule eundem tracta. 51. super Ioannem to. 9.

Isti inquit D. Tho. volūtati diuinæ resistere conabantur, de quibus optime Iob ait. Currunt aduersus Deum erecto collo. D. Tho. lect. 12. super cap. 12. Ioan. Quocirca agere hic poteris rem esse frustraneam atq; impossibilem resistere posse diuinæ voluntati.

Nemo diuinæ potest resistere voluntati. Esa. 44. D. Qui dico Hierusalem habitaberis.

Frustra diuinæ conamur resistere voluntati 3. Reg. 22. E. vir autem quidam tetendit arcum.

Nemo est qui diuinæ queat obsistere voluntati Tob. 7. C. propterea alius non potuit habere illam.

Voluntati Dei resistere nemo potest. Acto. 5: D. Ite & stantes loquimini. & G. Si vero ex Deo.

Volebat rex Israel Deo resistere dum resistebat illius prophetæ Amos, sed nihil illi profuit. Amos 7.

Parum possunt & valent humanæ industriæ, contra id quod Deus ipse decreuerit, & ita parum profuit Achab regi Israel ingredi prælium alieno ornatu simulato 2. Para. 18.

Quis diuinæ resistet voluntati, eiusque oculos fallet? præsertim cum in tanta hominum multitudine deprehēsus fuerit reus Achan, sorte super ipsum cadentes? Iosue 7.

Explicās diuinus ille Grego. vērba illa Iob quæ dicunt cap. 3. Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat, dicit: nónulli impij quamuis sentient Deum rebus quas ipsi obtinere & explere nituntur, obsistere, procurant tamē pertinaciter perseuerare in prauo suo proposito, & noua quædā excogitare pergūt media ad illud implendum quod volunt. Veruntamē dominus omnia ista solet machinamenta destruere, & in flagella conuertere & damna, vt ipsi cadāt in laqueos quos instruxerunt: Lege D. Grego. lib. 6. Mora. cap. 11.

Aduerte quot media inquisiere germani Ioseph, vt eius gloriā & nomen obscurarēt, & quod ipsi acceperunt vt ipsius nomen obruerent, atque prorsus è mundo delerent, accepit Deus vt illum maxime exaltaret. Perpēde quos laqueos instruebat, quæ machinamenta parabat Saul aduersus Dauid. Considera quid Ionas excogitauit, ne iret quo Deus illum mittebat. Contēplare quot quantasque cōsiliorum machinas excogitarunt aduersus Christum dominum peruersi Iudæi, dicentes expedire vt vnus moreretur pro populo: & in presenti Euangelio dicunt videtis quia nihil proficimus? &c. Cæterum hæc omnia in illius maiorem cessere gloriam nostrumque commodum. Cōprehendit ergo dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc ad pietatis suæ obsequium redigit, quod contra illum humana crudelitas exarsit. Alia plura comperies apud eundem lib. 6. Mora. cap. 12 & 13.

Idem D. Grego. prædicta prosequitur, dicens, alia cōcedit propitius, alia permittit iratus: atque ea quæ permittit, sic tolerat, vt hæc in sui consilij vsum vertat. Vnde miro modo fit, vt & quod sine voluntate Dei agitur voluntati Dei contrariū non sit: quia dum in bonum vsum male facta vertuntur, eius consilio militant etiam, quæ eius consilio repugnant. Id quod docet Psal. magna opera domini, exquisita in omnes voluntates eius. Quæcunque itaque homines operātur, tandē eo deuoluuntur, vt Dei & fiat voluntas & impleatur. Sæpe inde perficitur, vnde repelli putabatur. Sic Psal. 134. omnia quæcunque voluit dominus fecit in cælo & in terra. Hinc Prouerbio. 21. non est sapientia, non est prudentia, non est consiliū contra dominum. Plura alia vide apud eundem lib. 6. Mora. cap. 14.

Quot inuestigauerit modos rex Astyages ne Dei voluntas impleretur in Cyro, & quam vanæ exciterint omnes illius cogitationes atque conatus, lege Iustinum lib. 1. suæ historiæ.

Remus ac Romulus infantes expositi morti, fuerunt à morte liberati, lupa quadā illos nutriēte, quemadmodum Titus Liuius asserit, atque refertur à Iustino lib. 43. suæ historiæ, & ab aliis etiam grauissimis periculis liberauit eosdem

Deus, qui Romæ fundatores fuerunt.

Hieron existens adhuc infans, proiectus in cãpum fuit, vt ibi moreretur, vel eum canes aut aliæ bestiæ deuorarent, & id fieri pater ipsius mãdauerat, quoniam illum ex quadam serua susceperat, cum tamen ex antiqua ac regia stirpe descenderet, sed ibi tamen apes infantem nutrierũt, & fuit rex Siciliæ, sicut idem Iustinus affirmat lib. 23. suæ historiæ.

Cogitauerunt principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent. Non poterant Christum dominum, & volebant occidere Lazarum. Saul etiam cum Dauid comprehendere non poterat vt eum occideret, occidendum curauit Achimelech, quia cõfortauerat Dauid, similiter & alios sacerdotes, cum mulieribus & paruulis eorundem 1. Reg. 22. hic agere poteris si libuerit, de homicidiis, quantum Deo displiceant.

Homicidium res est quæ Deum vehemẽter offendit, nam homicidiũ Cain puniuit acerbe, quod adhuc lege scripta prohibitum non erat. Gene. 4.

Volens Deus ostendere quantum sibi homicidium displiceret, illud inhibuit etiam sub hoc velamine atque figura, ne cum sanguine carnes ederentur Leui. 9.

Homicida reputandus est mortuus in anima & occisus: ideo Rebecca timens ne Esau occideret filium suum Iacob, dicebat cur orbabor vtroque filio vna die? videlicet vno in anima, & altero in corpore.

Adeo Deo displicuit sanguinis humani effusio, vt Dauid qui sanguinem innoxium effuderat, noluerit vt ædificaret sibi templum 1. Parali. 22.

Quia Ioas fecit occidi iniuste Zachariam, grauiter fuit punitus à domino: nam diuina permissione occisus fuit, neque in sepulchro regio est sepultus 2. Paralipomenon 24.

Considera cæcitatem istorum hominum qui Lazarum nihil omnino culpatum, occidere volebant: ira enim non discurrit, neque considerat, sed præcipitanter irrumpit: quo loco de ira etiam disserere poteris.

Ira nihil habet vtile, inquit Seneca, nec acuit animum ad res bellicas: nũquam enim virtus vitio adiuuãda est. Ira inquit Aristote. necessaria est, nec quidquam sine illa expugnari potest, nisi illa impleat animum & spiritum accendat. Vtendum autem illa est non vt duce, sed vt milite. Quod est falsum inquit Seneca: nam si exaudit rationem & sequitur, qua ducitur, iam non est ira &c. Itaque si modum adhiberi sibi patitur, alio nomine appellanda est. Desinit ira esse, quam effrænatã indomitãque intelligo. Hic erit vtilis miles, qui scit parere consilio, affectus quidem tam mali ministri sunt, quam duces. Absit hoc à virtute malum, vt vnquam ratio ad vitia confugiat. Vide Senecam lib. 1. de ira ad Nouatum cap. 9. & 10. cap. ait, non pudet virtutes in clientelam vitiorũ demittere?

Ira vel magna vel parua bona nõ est inquit Seneca; non est bonum quod incremento malum fit. Vtilis inquit Aristo. ira est, quia pugnaciores facit: isto modo & ebrietas ipsa, facit enim proteruos & audaces, isto modo & phrenesim atque insaniam viribus necessariam dicas, quia sæpe validiorem furor reddit &c. Vide eundem lib. 1. de ira ad Nouatum cap. 13.

Aliorum vitia non sunt in ira castiganda ait idem, inde est quod Socrates seruo ait, cæderem te, nisi irascerer. Cuius erit temperatus affectus, cum Socrates non sit ausus se iræ cõmittere? ergo ad correctionem errãtium sceleratorumque irato castigatore non opus est: nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccãtem. Vide Senecam eodem lib. cap. 15.

Cura ab illorũ cauere consortio, quos nosti eo præditos ingenio vt tuam excitẽt iram, bilemque succendere possint: & conuersare cum hominibus mansuetis, benignis, atque pacificis, modestis tamẽ, ne sint forsan adulatores. Hi enim quoque tibi adulatione nocere poterunt. Idem lib. 3. de ira ad Nouatum cap. 8.

Non vis esse iracundus? ne sis curiosus, qui inquirit nimiũ quid in se dictũ sit, discutit, præponderat, & exaggerat, sese ipse inquietum reddit.

Mille modos oportet inquirere ne sentiamus iniurias, & irascamur: vt illatã iniuriam accipiendo velut iocosam sententiam, vel illam non attẽdendo. Socratem aiunt colapho percussum, nihil aliud dixisse, quam molestum esse quod nescirent homines quando cum galea prodire deberẽt. Vide Senecam lib. 3. de ira cap. 11.

Absurda maxima atque crudelitates factæ fuerũt à regibus tyrannis per iram: nam ira commoti quosdam quidem laniarunt, alios pugione confoderunt, nonnullos proiecere leonibus, cum tamen & amici essent, & nullam penitus offensionem vel minimam incurrissent. Alios etiã abscissis primũ auribus & naribus punierunt, monstruosa ira mõstruosas res quoq; cõficiẽte: alios fractis cruribus, erutis oculis, abscissis & obtrũcatis manibus, & sic paulatim mẽbris cæteris, interemerunt. Idem Seneca lib. 3. de ira ad Nouatum cap. 17. & 18.

Contumeliam tibi fecit aliquis? nũquid maiorem quã Diogeni Philosopho? cui de ira differenti cum adolescens proteruus inspuisset, tulit hoc leniter ac sapienter. Non quidem inquit irascor, sed dubito an irasci oporteat. Cato noster melius, cui cum causam agenti in frontem mediam quantum poterat attracta pingui saliua inspuisset Lẽtulus ille patrum nostrorum memoria factiosus, & impotens, abstersit faciem; & affirmabo inquit omnibus Lentule, falli eos qui te negant os habere. Idem Seneca lib. 3. de ira ad Nouatum cap. 38.

Vide quanta ira exardescebat Saulis animus, cum audiebat commendari & laudari Dauidem 1. Reg. 18. & 20.

Considera quanta ira & furore repletum fuit pectus Antiochi, quando audiuit Hebręorum virtutes atque victorias 1. Mach. 3.

Isti Iudęi inducere nõ valẽtes Lazarũ vt taceret tantũ tamque mirabile beneficium, ipsum interficere cogitabant, grauissima ira succensi. Propriũ siquidem est impiorum & antiqua cõsuetudo, bonos ad suos prauos mores inducere, & quidem si consentire renuunt, statim illos maximo odio prosequi. Attende enim quam vehementer iratus est Balac contra Balaam, quia noluit maledicere populo Dei. Nume. 24.

Vide magistratus Holofernis quam sint vehemẽter irati & indignati aduersus Achior, quod noluerit in aliorum venire sententiam, vt statim expugnare Bethuliam pararent, & ipsum occidere etiam voluerunt Iudith 5.

Considera irã Achab, quia obtinere non potuit à Naboth vt sibi venderet vineam 3. Re. 21.

Vide quanto fuit furore repletus Holofernes, quia inducere nequiuit Hebræos, vt suo statim subderent sese imperio Iudith 5.

Quanta etiam fuit iracundia inflammatus Aman

Aman contra Mardochæum, quia se adorare nolebat. Esther 3.

Quam grauiter indignatus sit atque furibundus effectus Nabuchodonosor, quia inducere nequiuit pueros, vt statuam adorarent. Danie. 3.

Attende quanto quámque satanico furore exarserunt & Anthiocus & ministri eius, in illos omni laudum genere prosequẽdos septem Machabæos, cum matre sua mirabili, varia in ipsos horrendáque tormenta exercentes 2. Macha. 7. insuper & in optimum illum mirandúmque senem Eleazarum, quoniam carnes cõesse porcinas noluit 2. Mac. 6.

Media quibus homines vtuntur ad Dei iudicia impedienda, ipsa quidem assumit Deus ad illorum confusionem. Sic filij Iacob vendentes fratrẽ Ioseph in Aegypto, hac via sumpta Dei iudicia arcere putabant, vt scilicet ab adoratione fratris sui excusarentur. Parum vero id illis profuit, nam eadem via qua recusabant, eadem factum est vt illum adorarent. Sic Saul vt honorem Dauidis regis aufugeret, cuius mortem multo plus optabat, centum Philistinorum præputia ab eo petiuit, dominus autem victoriam illi contulit. Itaque rem assumptam à Saule in ignominiam ac interitum Dauidis, eandem Deus assumsit in amplitudinem vitæ & honoris illius. Ionas Tharsis nauigationẽ dirigit, Deus autem iter illud in Niniuem ducit, à qua propheta fugiebat. Vnde Iob ait, Qui comprehendit sapientes in astutia sua: ideo & Paulo Christus dixit, durum est tibi contra stimulum calcitrare.

Cogitauerunt Iudæi vt Lazarum interficerent. Attende quam grandi odio non solum Christum dominum isti Iudæi, sed etiam Lazarum prosequerentur. O quantum incommodum adfert odium, discordia, & dissensio voluntatum & animorum! Si diuisio atq; discordia linguarum in Babel illa turre adeo magnam confusionem atque dissidium peperit, vt ab opere cæpto desistere cogerẽtur quanto maiorem efficiet discordiam maioráque gignet odia dissensio animorum? Cæterum amicitiam habere cum bonis, & iis qui nobis beneficia contulere, non videtur magnum quidpiam: non enim est mirabile si ex delicatissimo auro pretiosum quoque pulchrúmque numisma conficias? mirabile vero esset si ex plũbo gemmam efficeres magni valoris, sic adeo vt tanti esset pretij, quanti est pretiosum illud aurum. Ita ex bonis bonum elicere non videtur res magni momenti, ex malis vero bonum elicere, res est maximi ponderis atque momenti: pari etiam ratione ex inimico amicum facere, & ex creduli reddere humanum atque clementem, & ex vitioso studiosum, res est maxime heroica. Quod si delictum est inimico non bene facere: quanto quæso delictum grauius erit istorum Iudæorum, qui cum essent in dignitate constituti, & Reipub. moderatores, positique tanquam aliorum exemplar, incurrerent tamen in tam immane crudelitatis peccatum, vt propter odium quod in Christum dominum habebant, ciuem beneficum & clarissimum vellent interficere?

Cogitauerunt vt & Lazarum interficerent. Cum antea ad sorores itum esset, vt condoleretur de Lazaro mortuo apud eosdem, ecce iam subito mutata voluntate, Lazari noua vita ad perdẽdum quæritur. Porro si de mutabilitate & incõstantia eiuscemodi hominum agere voles, vide D. Ber. lib. Medita. cap. 9. & incipit, nihil. est. in corde meo fugacius. & de intere. domo cap. 25. & incipit, Nõ inuenitur. Item cap. 54. & 55.

Præterea si de æmulis & inuidis, quales isti erant, agere voles, déque incommodis quæ inferuntur ab hoc vitio, videbis Grego. Nazianze. ora 25. de seipso ad eos qui illum cathe. Constantinopolitanam concupiscere diuulgabant.

Porro de stomachabundis & ira concitatis, quales etiam isti erant, vide Vincen. Bell. Spe. Mora. lib. 3. p. 3. di. 14.

Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post ipsum abit. Super illud, videtis quia nihil proficimus agere poteris quod nonnulli putant, proficere esse situm tantum in ætate, vel canis, aut antiquitate; vnde cum se ad senectutem peruenisse conspexerint, omnia esse tutissima arbitrantur. Vnde & poteris hoc loco disserere de senibus, eorúmque proprietatibus, vt malos reprehendas.

Senes superbe gloriari se diu vixisse, vanissimum est: non enim tam viuere optandum est quã bene viuere. Cogita potius semper qualis vita, non quanta sit: citius mori vel tardius, ad rem ita non pertinet ac bene viuere. Vide Senecam lib. 10. epist. ad Luci. epi. 71. inter initium ac medium.

Quemadmodum incendia periculosiora sunt in veteribus ædificiis, quam in nouis: ita scelera in senibus deteriora & curatu difficiliora, quam in iuuenibus videntur.

Nihil proficimus. Cur non contendimus contra vitia, & prauas inclinationes, quæ nos in omni ætate molestant? in ipsa quidem iuuentute carnis incendia, in senectute vero licet tale quodammodo sit extinctum incendium, accenditur tamen, inflammatur, & ardet in quibusdam senibus rerum temporalium cupiditas, & inexplebilis sitis in aliis autem gula atque nimia compotatio dominantur: dicunt enim arborem siccam seu virtute debilitatam, assidua irrigatione esse fouendam ac conseruandam, & ita nituntur amissas per ætatem vires nimia vini copia recuperare. Quid vero rursus dicendum de nimia rerum omnium auaritia, qua plurimi senes inflammantur & ardent? & in quibus quo magis terminus, quo cuncta relinquere cogantur, appropinquat; eo magis auaritiæ sitis accrescit? plura docebit te D. Augustinus de tempore sermone 246. to. 10.

Si senes in virtute profecerint, sunt Reipub. maxime vtiles: nam quemadmodum aqua infusa temperat vini ardorem, ita senes suis optimis monitis atque consiliis, impetus, efferatósque animos iuniorum comprimunt, contemperãt, ac moderantur.

Secundus abusionis gradus est senex absque religione & sanctimonia: in senibus enim quo magis corporeæ deficiunt vires, eo amplius spirituales augeri, renouari, crescere, atque corroborari deberent. Et certe quemadmodum illam arborem malam quodammodo iudicamus quæ post flores nullum producit fructum: ita inter homines ille qui post florẽ iuuentuti, non exhibet fructus virtutis, prudentiæ, modestiæ &c. summopere vituperandus videtur, Quin potest esse magis ridiculum, quam quo tempore aures agrauantur, visus turbatur, defluunt capilli, facies corrugatur, corpúsque curuũ efficitur, pedes torpent, pectus fit raucum, & tussis molestat, tunc nihilominus homo interior fit intemperatus, effrænis, & prauis affectibus ac iuuenilibus ad hunc intricatus & plenus? Quid senem decet, nisi diuinis inhærere mandatis, in Deique obsequiis occupari? Iuuenis quidem mori potest, senex tamen diu viuere non potest. vide plura apud D. Cypria. lib. de

duodecim abuſionibus ſeculi abuſione.2.

Res eſt miranda, quoſdam ſenes in ipſis carnis motibus, & prauis inclinationibus,ætate tam proiecta nequaquam ſeneſcere, neque in malitiis ſuis, & ſuſpicionibus prauis.In ipſis enim prauis affectibus & ſuſpicionibus, quam faciles, quam loquaces! nil eis venit in mentem,quod non foras ſtatim effundant, Iuſtum plane eſſet rationiſque maxime conſentaneum, vt ſuæ ætati conſulentes, eam grauitatem atque compoſitionem morum, quam tam veneranda depoſcit ætas, præferrent &c. Idem Cyprianus eodem loco.

Cum multi ſenes nil aliud faciant, neque alteri rei intendant; quã nimiæ compotationi, ſit inde vt & grauiſſimis ſuccumbant morbis, & mille miſeriis, ac ſubinde nulla alia in re quam in murmurando tempus inſumant. Non ſunt plane vt illi centum ſenes grauiſſimi, qui tempore Epaminondæ Tebanorum ducis floruerunt:qui cum Lacedæmoniæ inuenirentur, quindecim mille Thebanis qui vrbem doloſe capere nitebantur, viriliter & glorioſiſſime reſtiterunt, vt refert Iuſtinus lib. 6.

Græcus ille Themiſtocles centum & ſeptem annos natus, cum ſe iam morti vicinum cerneret, cæpit cõtriſtari,& dicere, ſibi moleſtum eſſe quod tunc temporis è vita diſcederet, quando ſapere cæpiſſet: & certe ille multum profecerat, & tamẽ non erat adhuc contentus,tu vero quod ſenex es, omnia ſcire arbitraris. Plato etiam octoginta vnũ annos natus, ſcribens legénſque mortuus eſt. Similiter & Socrates qui vixerat nonaginta nouem annos, & hi quo ſaniores erant, eo meliores ſibi videbantur. Idem quoque faciebant Pythagoras, Democritus, Xenocrates, Zenon, Homerus, Simonides: qui quidem omnes tanquam cygni, vrgente morte ſuauius cecinerunt.Idem Sophocles, idem Cato fecerunt. Multi autem non ſunt huius opinionis, quippe qui ſimulátque prouectiore aliquanto ætate grauantur, ſibi amplius ſtudendum non eſſe ſtatim iudicant. Et hinc fit vt relinquantur egeni & pauperes, tum virtute, tum literis, conſilio,prudentia, viribúſque, & reliquis fere omnibus Vide D. Hierony. ad Nepotianum de vita clericorum & ſacerdotum epiſt. to.1.

Lõgioris vitæ ſpe promiſsiſque decipimur,nemo enim tam fractis viribus, & ſic decrepitæ ſenectutis eſt, quin putet vnum ſe adhuc annum ſuperſtitem eſſe futurum.Vide D.Hieronym. epiſto. ad Gerontiam viduam to.1.

Nobis ne ſuadeamus in canis tantum conſiſtere ſapientiam, Moyſi præceptum eſt vt ſenes eligeret, ex his quos nouerat eſſe ſenes, hoc eſt cordatos & ſapientes. Daniel puer erat, ſed ſenes iudicabat. D. Paulus nouiſſimus in ordine,quantus quæſo fuit in meritis! Vide D.Hiero.epiſt.ad Paulinum de inſtitutione monachi. to.1.

Senes nõnulli imprudentes & fatui.Eſa.65. D. quoniam puer centum annorum morietur.

Sabbato poſt Dominicam in Paſſione ſecundum vſum fratrum Prædicatorum.

SVBLEVATIS *Ieſus oculis in cælũ, dixit:pater, venit hora,clarifica filiũ tuum, vt filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternã.*Ioãn. 17. Poterat dominus noſter vnigenitus ac cœternus patri,in forma ſeruj & ex forma ſeruj ſi hoc opus eſſet orare ſilentio? ſed ita ſe patri exhibere voluit precatorem, vt meminiſſet noſtrum ſe eſſe doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, quoniam tanti magiſtri non ſolum apud ipſos ſermocinatio, ſed etiam ipſius pro ipſis ad patrem oratio, diſcipulorum eſt edificatio, & ſi illorum qui hæc dicta aderant audituri, profecto & noſtra qui fueramus conſcripta lecturi. Cæterum quod ait, *Pater venit hora, clarifica filium tuum*; Si intelligendum eſt tanquam dixerit, venit hora ſeminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis *Vt filius tuus clarificet te.* Merito quæritur quomodo patrem clarificauerit filius, cũ ſempiterna claritas patris nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in ſua perfectione diuina, ſed in ſeipſa claritas patris nec minui ne augeri poteſt. Apud homines autem proculdubio minor erat, quando in Iudæa tantummodo Deus notus erat:nondum à ſolis ortu vſque ad occaſum laudabant pueri nomen domini. Hoc autem quia per Euangelium Chriſti factum eſt,vt per filium pater innoteſceret gentibus, profecto patrẽ clarificauit & filius:ſi autem tãtummodo mortuus fuiſſet filius, nec reſurrexiſſet, proculdubio nec à patre clarificatus eſſet, nec patrem clarificaſſet: nunc autem reſurrectione clarificatus à patre, reſurrectionis ſuæ prædicatione clarificat patrem.*Dediſti ei poteſtatem omnis carnis.* Omnem carnem dixit omnem hominem, à parte totum ſignificans,quemadmodũ rurſus à parte ſuperiore ſignificatus eſt homo totus, vbi ait Apoſt. omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.Quid enim dixit omnis anima niſi omnis homo Et hoc autem qđ poteſtas Chriſto à patre data eſt omnis carnis, ſecundũ hominem intelligẽdum eſt:nam ſecundum Deum, omnia per ipſum facta ſunt, in ipſo condita ſunt omnia in cælo & in terra viſibilia & inuiſibilia? ſicut ergo dediſti ei poteſtatem inquit omnis carnis,ita te glorificet filius tuus,id eſt notum te faciat omni carni quam dediſti ei: ſic enim dediſti, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternã. D. Auguſt.ſuper Ioan.tracta. 104.& 105. Roma.

Pater venit hora &c. Poſt hanc admonitionem ad orationem conuertitur, etudiens nos vt in tentationibus, omnibus omiſſis, ad Deum confugiamus. Cum enim dixiſſet in modo tribulationem habituros, & eorum mouiſſet animos,eos rurſum per orationem erigit. D. Chryſoſtomus ſuper Ioã. homilia 79.

Subleuatis oculis in cælum &c. Cum quaſi viaticum ad ſalutem, veritatem dogmatis Apoſtolis ſuis Chriſtus tradiderit,& fortiores ad tentationes reddiderit, continuo ab hac collocutione in orandi habitum ſe conuertit. Nec vllum tempus inter ſermonem ad diſcipulos, & Deum patrẽ, interuenire paſſus eſt, præcipue viuendi diſciplinæ regulam ſe nobis in hoc etiam conſtituens. Opus enim eſt non ignorare ſi quis pie ac ſanctè viuere velit, aut ad fratres vtiliter loqui oportere, aut in orandi opere ſermonis vſum adhibere, ne inanis verboſitas locum habere videatur. D. Cyrillus ſuper Ioann. lib. 11. cap.14.

Subleuatis oculis. Multi quidem cum orant habent vocis & oris orationem tantum, non autem cordis. Similes admodum ſunt leoni illi quem interfecit Samſon, qui habebat in ore mel, & ipſe non comedebat: ſic enim multi canunt ſuauiter in choro, & habent mel in ore, ſed ipſi non percipiunt internam animi dulcedinem.

Pater clarifica filium &c. Vide D. Thom. contra gentes

gentes lib.4. cap.8. & in opuſcul. de Trinita 12.9. tom.17. & ſuper epiſ.ad Heb.2. lect.2.

*Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.*Hic diſſerere poteris de poteſtate quã exercebit Chriſtus dominus in illo extremo vniuerſalíq; iudicio ſuper vniuerſum orbem, ac de ipſo iudicio.

Quis accuſabit in vltimo iudicio Hiere.2.D. arguet te malitia tua.

Horribile extremum iudicium Hiere.4.B. C.A ſcendit leo de cubili ſuo. & D. Ecce quaſi nubes aſcendet & quaſi tempeſtas. E.F.Non tacebo quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea.

Iudicium Dei horribile Hiere.10.B.ab indignatione eius commouebitur terra.

Iudicium Dei formidandum Hiere.25.F.G.Dominus de excelſo rugiet.

De extremo iudicio vide Ezechie. cap. 7. per totum.

Vltimum iudicium terribile Ezechi. 32. B. Et operiam cælos, & nigreſcere faciam ſtellas eius.

Extremum iudicium horribile Ezechie. 38. F. G.& erit in die illa &c.

Vltimum iudicium diſtrictum Oſee 10. C. & dicent montibus operite nos.

Horrendum iudicium finale Amos 1.A. Dominus de Sion rugiet.

Extremi iudicij dies tremenda Amos 5. F. Væ deſiderantibus diem domini &c.

Dei horrendum iudicium Michææ 1.A. B. Audite populi.

Terribile extremum iudicium Eſa. 9 D. in ira domini exercituum turbata eſt terra.

Extimeſcendum vltimum iudicium Nahum 1. A.B. Dominus in tempeſtate & turbine.

Extremum iudicium terribile, & ignominioſum impiis. Nahum 3.B.& reuelabo pudenda tua.

Non deerunt teſtes rerum occultarum in extremo iudicio. Abacuc 2. C. lapis de pariete clamabit.

Horribile extremum iudicium Sopho.1. congregans congregabo &c.

Extremum iudicium Zacha. 9. D. & dominus in tuba canet.

Iudicium extremum præfiguratur Zachariæ 14. B. C.

Vltimum iudicium horrendum Iob 9. A. Si voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere ei.

Hotrendum finale iudicium Iob 10.per totum.

Extremũ iudicium Iob. 16, D. ecce in cælo teſtis meus.

Iudicium Dei formidandum Iob 26.columnæ cæli contremiſcunt.

Subleuatis Ieſus oculis in cælum &c. In quo datur nobis exemplum,vt quos inſtruimus verbo, iuuemus orationum ſuffragio,quia ſermo diuinus maxime habet effectum in cordibus auditorum, cum oratione fulcitur, per quam diuinum auxilium imploratur.2.Theſſa. vltimo, orantes ſimul etiam pro nobis,vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis &c. *Venit hora.* Non dixit venit tempus aut venit dies,ſed hora, hoc eſt quod in breui venturi erant ad ipſum comprehendẽdum. De hac hora dixerat etiam Ioan.2.nondum venit hora mea. Cæterum orabat antequam comprehẽderetur,vt & inde diſcamus nos orationem munire antequam ſuperueniant anguſtiæ,iuxta illud 2.Para.20.Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui &c. vide D. Thom. ſuper Ioann. 17.lect.1. & 2.

Orationes cum praua conſcientia non perinde proſunt.Eſa. 1. C. quo mihi multitudinem victimarum.

Oratio quantum poſſit Eſa. 58. C. tunc inuocabis, & dominus exaudiet.

Obſecremus Deum cum fiducia Eſa.1.E.& venite & arguite me &c.

Qua ratione fieri debeat oratio Eſa.64. C.D.abſcondiſti faciem tuam à nobis &c,

Quandoque Deus non vult orationes & preces admittere Hiere.11. B. C. Ecce inducam ſuper eos mala.

Quomodo eſſe debeat oratio Hiere. 14. ſolij gloriæ tuæ recordare.

Qualis eſſe debeat oratio Baruch 2.C.D.

Oratio cum animo contrito multum poteſt Baruch 3. A.& nunc domine.

Attenta quidem eſſe debet oratio Ezechie. 2.A. Sra ſuper pedes tuos &c.

Oratio res eſt maxime neceſſaria Danie. 6.C.tribus temporibus in die flectebat genua.

Qualiter preces noſtras fundere debeamus. Danie. 9.A & poſui faciem meam ad dominum.

Humilis oratio multum placet Deo Danie. 10. C. noli timere Daniel.

Oratio ex vero corde procedere debet Oſee 7. D.& non clamauerunt ad me in corde ſuo.

Qua ratione eſſe debeat oratio Michææ 6.B.C. curuabo genua Deo excelſo.

Quod in occulto orare debeamus. Mich. 7. B. Cum ſedero in tenebris dominus lux mea eſt.

Oratio ſit perſeuerans Zacha. 1. C. Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis.

Pauperes audiendi,& oratio noſtra exaudibilis erit Zac.7.D. & facta eſt indignatio.

Alios pro aliis inuicem orare quantum interſit. Prouer.18.C. frater qui adiuuatur à fratre.

Oratio paucis contineatur.Eccleſiaſtes 5.A. ne temere quid loquaris.

Oratio quantum poſſit Exod.18.C. cúmque eleuaret Moyſes manus.

Oratio iuſti quantum valeat Numer. 14. D. dimiſi iuxta verbum tuum.

Oratio in anguſtiis refugium quoddam eſt ac maxima conſolatio Ioſue 7. B. pronus cecidit in terram.

Humilis oratio multum impetrat 1. Reg. 7. C. tulit autem agnum.

Oratio iuſti quantum poſſit 1. Reg.12.C.& dedit dominus voces & pluuias.

Humilis oratio Deum placat 2.Reg. 24. C. ego ſum qui peccaui.

Oratio iuſti quantum impetret 3. Reg. 18. G. pronus in terram.

Qualis oratio eſſe debeat Dan. 3. C. peccauimus, inique egimus &c.

Quantum poſſit humilis oratio 2. Paral.12.B. conſternatíque principes.

Oratio quo pacta eſſe debeat 1. Mach. 13. G. non nobis reddas ſecundum malitias noſtras.

Magna quidem virtus ait Seneca, nõ admittere in animo mala conſilia, puráſque ad cœlum manus tollere,nullum petere bonũ quod vt ad te tranſeat, aliquis poſſit amittere, optare bonam mentem &c.Vide Senecam lib.3.Natura. quæſ.ad Lucili. in præfa.

Hæc eſt autẽ vita æterna,vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Ego te clarificaui ſuper terram,opus conſumaui quod dediſti mihi vt faciam. Origo nobis & exemplum diuinæ diſciplinæ Chriſtus conſtitutus, quomodo recte viuendum ſit, opere ſimul & verbo docuit.Idcirco diligentius & facta

facta & dicta eius Euangelistę conscripserunt. Docet igitur nos istis verbis, quia cum vnusquisque nostrum datum sibi diuinitus ministerium consummauerit, perfecerit q; quæ sibi à Deo commissa sunt, tunc inquam operibus suis Deum glorificat, non quia gloriam affert non habenti (plena enim gloriæ deitas (sed quia operibus suis alios ad glorificandum adduxit. Luceat enim lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Viriliter enim ac probe propter Deum facientes, nostrum operum gloriam non nobis, sed Deo acquirimus. Nam quemadmodum cum sordide turpiterque viuamus, iure plectimur: quia nomen eius vt ait propheta, in gentibus propter nos blasphematur; eodem certe modo glorificatur à nobis, quando recte viuentes præcepta eius seruamus. Opere igitur nostro consummato, ad libertatem filiorum Dei perducti, à glorificato Deo gloriã repetere audebimus. Viuo enim ego dicit dominus, quia clarificantes me clarificabo, & spernam quicunque me spernit. Vt ergo ostendat nobis Christus congrue tunc gloriam futuri seculi nos petituros quando ministerium nostrum absque culpa consummauerimus; glorificatum esse à se patrem ait, quia opus quod sibi dederat in terra consummauerit. D. Cyrillus super Ioan. lib. 11. cap. 17.

Hæc est vita æterna. Cõsule D. Thom. 1. par. q. 10. ar. 3. in cor. & q. 31. ar. 4, ad 1. item contra gen. lib. 4. cap. 8. initio, & de poten. 10. ar. 4. ad 2.

Vt cognoscant te solum verum Deum. Ex effectibus quidem Dei assurgimus in cognitionem eiusdem; ad quos contemplandos paululum ingrediamur, præsertim in operibus & effectibus benignitatis eius misericordiæque infinitæ commoremur.

Vide igitur quam benigne consolatus fuerit Iacob fugientem à facie Esau, apparens ei tum in ipso egressu, tũ in regressu, eundémque vehementer subleuans à mœrore, laboribus, & periculis, vt constat Gen. 28. & 33.

Considera quam clemẽter subuenerit ipsi Eliæ cum fame premeretur, coruis præcipiens vt ipsum pascerent 3. Reg. 17. Tum præterea cum defatigatus esset ac maxime debilitatus 3. Reg. 19. angelũ ad eundem misit qui ipsum confortaret.

Vide quã benigne pueris illis in horribilẽ fornacem coniectis succurrerit, angelo misso qui eosdẽ ibi consuleretur Dan. 3.

Daniel quidem in lacum leonum immissus, ibidem à Deo illæsus conseruatus est atq; incolumis. Dan. 14. Petrus etiam magna pressus tempestate atque periculo, liberatus est. Matth. 14.

Opportune quidem ac misericorditer, Stephanus consolatus fuit visione illa Iesu, cælorúmque apertorum, cum in maximis esset constitutus laboribus atque agone Act. 7.

Vide quam benigne & humane conuersaretur Deus cum suo Mose, à quantísque eum periculis & incommodis liberaret. Numero. 14. &c.

Attende quanta cum benignitate se gereret in multiplicatis illis precibus Abrahami pro sodomorum gente fusis. Gen. 18.

Vide quam misericordem sese exhiberet cum dixit Moysi, dimittte me, vti rascatur furor meus; & deleam eos, quasi benigne diceret, tu tenes me, pro eis intercedendo. Exod. 32.

Idem gerere videbatur cũ Hieremia, cum suis precibus oraret ne Hebræi punirentur & castigarentur. Vide Hiere. 7.

Considera quam oportuno tempore Susannam Deus liberauerit Dan. 13. quam benigne etiam quámque celeriter latroni in Cruce succurrerit Luc. 23. Quam misericorditer cum Iona se gesserit, tum præparando illi cetum, tum etiam inde eum eruendo, quamuis inobediens Ionas extitisset. Ionæ 1. &c.

Quantopere porro reluxit Dei benignitas erga ipsum Iosue, cum ad eius imperium sol stetit in cælo! Iosue 10. Quanta vsus est misericordia & clementia cum Tobia, vniuersáque eius familia! Tob. 5. &c. Item cum Gedeone illo qui postulauit signa in vellere Iudicum 6.

Attende fauores illos maximos, opémque & auxilium collatum Machabæi, quo contra hostes bellissime inuictéque se gererent 1. Macha. 10. &c.

Contemplare quanta fuerit benignitate vsus Christus dominus cum Zachæo, cum nil minus Zachæus fortasse cogitaret. Luc. 19. Item quam benigne voluerit tangi à Thoma qui dicitur Didymus Ioan. 20. vix etiam leprosus ille dixerat, domine si vis, cum respondit Christus dominus, volo. Matth. 8. Ex his igitur, similibus, quis non assurget in cognitionem Dei, & eius quem misit, Iesu Christi, vt tandem vita æterna frui possit, quæ in tali cognitione consistit?

Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Hac nos claritate proportione nostra donabimur, si virtutem amplectemur. Ideo Paulus inquit, si tamen compatimur, vt simul glorificemur. Et profecto innumeris sunt lachrymis prosequendi, qui tanta proposita gloria, desidia & somno sibi ipsis deficiunt. Et si gehenna non esset, adhuc omnium essent miserrimi, quibus cum liceat vnà cum Dei filio regnare, & glorificari, tantis seipsos bonis defraudant. Nõne si laboribus confici, si innumeras mortes mori, si innumeras animas & totidẽ quoti die corpora traditum iri oporteret, nonne inquam omnia pro tanta gloria ponenda essent? Sed nos neque pecunias contemnimus, quas vel inuiti paulo post relinquemus. Non contemnimus inquam pecunias, quæ nos tot malis exponunt, quæ non nostræ sunt, sed hic remanebunt: ministramus enim quæ nostra non sunt, etsi à maioribus nostris relicta. Cum vero etiam gehenna nos maneat, & vermis perpetuus, & ignis inextinguibilis, & stridor dentium, quomodo hæc feremus dilectissimi? Quoúsque hæc non considerabimus, sed in bella & contentiones, & inania verba, omne tempus consumemus? Terram nutrimus, corpus saginamus, animam vero contemnimus. Rerum necessariarum nullam rationem, superfluarum & inanium plurimam habemus. Magnifica struimus sepulchra, splendidas domos ædificamus, seruorum caterua constipamur, & varios excogitamus dispẽsatores agrorũ, domus, pecuniarum, & principes principum constituimus, animã omnino deserimus relinquimus. Et quis horum modus? nõne ventrem saturamus? nonne vnum corpus induimus? Quæ hæc tanta rerũ perturbatio? Quid tandẽ vnã quam accepimus, animam diuidimus & in tot rerum curas distrahimus, molestã nobis seruitutem ex cogitantes? Qui multis indiget, multorum seruus est, etsi ea possidere videatur. Nam & seruorum seruus dominus est, & magis quam illi seruitium subit. Præterea sine seruis in forum ire non audet, non in balneum, non rus. Seruis autem sine domino liber est aditus quo placet. Sed qui dominus videtur, nisi serui adsint, exire domo non audet, & si exierit, ridiculus sibi esse videtur. Fortassẽ

tasse aliqui nos irrident cum hæc dicimus, qui propterea magis deplorandi sunt. Nam quod hæc seruitus sit, libenter te interrogarem, an velles ege re aliquo, qui ori tuo panem, vel poculum admoueret? nonne hoc miserabilem duceres seruitutem? Quid ergo si indigeres qui te semper deserent, nonne te miserum, nonne infelicem prædicares? nonne & hoc simile est? Nihil etenim refert an homines te, an tumenta ferant. Quid quæso, nonne in hoc ab angelis differimus, quod non egent vt nos? Igitur quanto paucioribus indigemus, tanto magis illis appropinquamus: quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus. Liberemus igitur nos hac graui seruitute, & tandem in libertatem nos vendicemus. Quid tot, & tam varia nobis vincula excogitamus? Non sufficit tibi naturæ vinculum, & vitæ necessitas, & tot rerum turba, sed & aliis te rebus intricas? Et quando poteris de cælo cogitare, & eius altitudinem speculari? satis erit, satis, si his omnibus præcisis vinculis, supernam ciuitatem adire poterimus, tot alia restant impedimenta, quæ vt superemus, pauperatem amplectamur. D. Chrysost. super Ioan. homi. 80.

Manifestaui nomen tuum hominibus &c. Vide D. Thom. 2. 2. q. ar, 8. ad 2. & contra gen. lib. 4. cap. 7.

Et nunc clarifica me. Quam pauci olim dixissent, ex morte Christi tam ignominiosa, ex tantis contumeliis, laboribus, iniuriis, & opprobriis, tantam in Christum gloriam, tantúmque in nos commodum prouenturum? Quo loco si de calamitatum vtilitate & fructu agere voles, & quantam consolationem in eisdem constituti, animo capere debeamus, pauca quædam describam.

Quandam C. Cyprian. epist. scripsit quibusdam Dei seruis in calamitatibus cõstitutis, & in carcere vinctis cuius titulus est, Moysi & Maximo presbiteris, & cæteris confessoribus fratribus salutem. Et postmodum aliam mittit consolatoriam quibusdam aliis sanctis confessoribus in vincula coniectis, & incipit, saluto vos fratres charissimi. Tum alia deinceps reperitur adhoc institutum faciens, & incipit, Quanquam sentiam.

Quendam idem sanctus tractatum habet inscriptum, Ad Martyres & Confessores in metallo constitutos, & incipit, Gloriam quidem vestram, circa medium operum.

Consolationem quandam in calamitatibus, leges apud Gregorium Nazian. Orati. 13.

Quandam D. Hiero. conscripsit epist. ad Pammachium cosolatoriam, super obitu Paulinæ vxoris, circa medium to. 1. & postmodum reperitur alia de eadem materia differens, ad Theodoram epitaphium Lucinij Betici.

Quandam idem sanctus episto. habet ad virginem in exilium missam consolatoriam quæ iuxta initium to. 4. cernitur, & sequens etiam epist. ad idem institutum facit, quæ inscribitur, Ad amicum ægrotum.

Grauissimum iudicabis malum inquit Seneca, aliquem ex his quos amabis amittere; cũ interim hoc tam ineptum erit, quam flere quod arboribus amænis, & domum tuam ornantibus, decidant folia &c. Vide Senecam lib. 18. epist. epist. 105.

Nil miremur eorum ad quæ nati sumus Est hyems, pati frigora debemus: est æstas, subiecti sumus æstibus. Impij sunt homines, ab ipsis pati debemus iniurias, ac sustinere labores. Verum tandem nubilo serena succedunt, quiescunt maria cum turbata fuerint, flant inuicem venti, noctem dies sequitur. Pars cæli consurgit, pas mergitur. Optimum est pati quod emendare non possis, & Deum quo autore cuncta bona proueniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur &c. Vide Senecam lib. 18. epist. epist. 108.

Paternam quidem Deus bonorum curam gerit, vnde & cum illos maxime amet, dat eis opera in quibus se exerceant, immittit calamitates, labores & afflictiones, vt verum colligant robur. Languent enim per inertiam saginata: non fert vlla ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit, nec vlli malo cedit. Quid ergo miraris si Deus bonorum amantissimus, qui illos quam optimos atque excellentissimos vult, fortunã illis cum qua exerceantur assignet? &c. Vide Senecam lib. de diuina prouidentia ad Luci. cap. 2.

Quemadmodum peritus equorum domitor, aspero acríque fræno comprimit, regit, ac modera tur equum indomitum atque effrænatum: ita etiam solet Deus ad veritatis viam homines laboribus, calamitatibus, afflictionibúsque reducere, ne forte tandem in vitiis suis persistentes, æternam sustineant gehennam atque tormenta.

Consuerunt opifices vt ex metallo aliquo pulcherimam quandam magníque pretij efforment imaginem, illud sæpe prius metallum in fornacem immittere quo ignem concipiat, deinde illud etiã crebris malleorum ictibus tundere & retundere, ac tandẽ miro artificio exornare & expolire. Pari ratione solet Deus cũ suis se gerere, vt eis scilicet immittat calamitates variásque ærumnas, quo tandem perfecti euadant, omnibúsque numeris absoluti.

Sicut arbores aquilonis flatibus expositæ, firmiores multo redduntur, robustiores, & solidiores, quam quæ subsolano exponũtur aut austro: ita profecto homines assuefacti variis tentationibus, ærumnísque tolerandis, fortiores quidem reddun tur, valentiores, ac robustiores, quam qui nullas vnquam senserunt ærumnas, atque labores.

Quemadmodum voces in Musica neque omnes graues sunt, neque omnes acutæ, sed ex istis permistæ suaue quoddam cõflatur melos: ita vita serui Dei neque semper prospera, neque semper aduersa est, sed vicissitudine quadam tum aduersorum, tum secundorum, contemperatur, & commoderatur.

Sicut fulmen ipsum, atque fulgur, partim quidem feriunt, partim vero etiam illuminant, & splendorem emittunt: ad eundem modum calamitas ferit quidem, vrit, ac premit corpus, at vero animum patiẽtem illustrat, splendidiorémq; multo reddit, & clariorem.

Sicut sartor pannũ quidẽ ipsum in varias scindit partes atque diuidit, id faciens tamen quo in pulchram quandam formam illum tandem redigat, assuat, atque coniungat: sic benignissimus pater scindit quidem nos & affligit calamitatibus, & ærumnis, vt tandem pretioso quodam vestiamur indumento charitatis, atque exornemur.

Quemadmodum cum quis vult ignem accendere ingentem, solet flatibus variis eum conflare, atq; suscitare, vt tandẽ mire splendeat, & incaleat: ita certe flatus varios tum afflantis tum reflãtis fortunæ permittit Deus, vt tandem singularis ille charitatis amorísque diuini ignis, in nobis suscitetur, incrementa suscipiat, & augeatur.

Magna quidem elicit Deus commoda ex bono rum calamitatibus. Sapien. 3. A B. visi sunt oculis insipientium mori.

Conso

Consolatur nos Deus in laboribus Iob 35. C. dedit carmina in nocte.

Cum impij arbitrantur bonos illata morte periisse, tunc boni viuere incipiunt, Sapien. 5. stabunt iusti in magna constantia &c.

Consolatio in calamitatibus Michææ 4. D. ipsi autem non cognouerunt &c.

In laboribus consolatio Michææ 5. C. exaltabitur manus tua.

In angustiis solatium Michææ 7. B. ne lęteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam &c.

Solatium in laboribus 2. Corin. 4. D. sed licet is qui foris est &c.

In angustiis cõsolatio 2. Cor. 5. A. scimus enim &c.

Consolatio in calamitatibus 1. Timo. 4. in hoc enim laboramus, & maledicimus.

In persecutionibus consolatio 2. Timo. 2. fidelis sermo.

Consolatio in angustiis 2. Timo. 4. bonum certamen certaui.

Consolatio in calamitatibus Heb. 10. G. nolite itaque amittere confidentiam.

Consolatio in persecutionibus Heb. 12. B. non dum enim vsque ad sanguinem restitistis &c.

In laboribus consolatio Iacobi 5. B. ecce agricola expectat.

Consolatio in calamitatibus 1. Petri 2. D. in hoc enim vocati estis. & 2. Petri. 2. B. nouit enim Deus pios de tentatione eripere.

Consolatio in pressuris Matth. 10. C. non est discipulus super magistrum. & D. nonne duo passeres &c. Item. Ioan. 3. A. nunc filij Dei sumus. Baruch 4. E. Animæ æquiores. F. qui induxit.

Super illa verba, manifestaui nomen tuum hominibus, vide Sixtum Senen. Biblio. san. lib. 6. Annota. 214.

Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Super illa verba, & cognouerunt quia à te exiui, cõsule D. Tho. 1. par. q. 42. ar. 5. ad 2. & 2. sen. dist. 10. ar. 4. ad 1.

Super illa verba, & crediderunt quia tu me misisti, consule citationes D. Tho. in illa verba. mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, in feria 3. domi. 4. Quadra.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Etiam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Mediatorem seipsum rursum vt hominem facit. Dei enim est & hominum reconciliator, magnus vere & sanctus pontifex noster, qui suis interpellationibus genitorẽ proprium placat, seipsum pro nobis offerens. Ipse namque hostia, & ipse sacerdos, ipse mediator, ipse agnus verus, qui tollit peccata mundi. Sane figura & vmbra mediationis Christi, mediatio prisca Mosis fuit: & pontifex secundum legem, pontificem qui super legem est figurauit. Moses enim atque Aaron inter Deum & Iudæorum multitudinem continue mediabantur, modo iram dei peccatis populi concitatam placantes, & superiorem gratiam imbecillibus impetrantes, modo rursus benedicentes, & secundum legem deo sacrificia offerentes, aut pro peccatis populi, aut vt gratias deo pro beneficiis agerent. D. Cyrillus super Ioan. lib. 11. cap. 19.

Et mea omnia tua sunt. Vide D. Tho. contra gen. lib. 4. cap. 7.

Ego pro eis rogo. Vide qualem habeamus aduocatum apud patrem, qui tantum postulat, vt virtutem excolamus, non autem pecunia ducitur & auaritia vt pro nobis intercedat, & aduocatus noster sit, quod faciunt plerique aduocati fungentes munere nostro seculo, contra quod vitium si agere voles, videbis Vincen. Bellua. specu. mora. lib. 3. par. 7. dist. 13.

Dominica in Ramis Palmarum.

CVM appropinquasset Iesus Hierosolymis & venisset Bethage ad montem Oliueti, tunc misit duos Discipulos dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est. & statim inuenietis asinã alligatam & pullum cum ea: solute, & adducite mihi. Matthæ. 21. Marc. 18. Luc 19. Ioan. 12. Tu vero subitã pulli dominationẽ admirare, quomodo dum esset indomitus, & frẽni omnino expers, non resiliit, nec reluctatus est, sed quiete quasi assuetus ferebatur. Gentium enim obedientia hinc significatur & repentina in meliorem vitam mutatio: quæ omnia illis verbis facta sunt, soluentes adducite mihi: ita inordinata in ordinẽ, & immunda ad munditiẽre dacta sunt. D. Chrysosto. super Ioan. ho. 67. tom. 2.

Inuenietis asinam alligatam &c. Anima quidem per culpam mortiferã alligata manet. Nam omnes homines ante quam peccemus liberum quidem habemus arbitrium si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quod si semel peccantes obligauerimus non operibus eius, iam nostra virtute euadere non possumus. Sed sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur vbi tempestas voluerit: sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum agit perperam seu non meritorie ad vitam æternam. Et nisi Deus valida manu misericordiæ suæ soluerit eum, vsque ad mortem in peccatorũ vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate & negligentia alligamur, sed per Dei misericordiam absoluimur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis, quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regem quem elegerit: cum rex ille fuerit factus & confirmatus in regno, iam habet potestatem in hominibus, & non potest populus iugum eius de ceruice sua repellere. Nam primum quidem in potestate populi est facere sibi regem quem vult: factum autem de regno repellere iam non est in potestate eius, & sic voluntas populi postea in necessitatem conueritur. Sic & homo priusquam peccet, liberum habet arbitrium vtrum velit sub regno esse diaboli, cum autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, iam nemo potest eum de potestate diaboli eripere, nisi solus Deus. *Soluite inquit.* Quomodo? per doctrinam vestram, per miracula vestra, quia omnes Iudæi & gentes per Apostolos sunt liberati. Adducite vero mihi, per mini sterium, id est ad gloriam corrigite illos. Duos autẽ misit Apostolos, quia per duo generalia mãdata omne genus hominũ de peccato absoluitur. Qualia? Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuũ sicut teipsum. In his duobus mandatis omne peccatum expellitur, & omnis iustitia consummatur. Aut certe alia duo, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Item quod vultis vt faciant vobis homines, facite & vos similiter. Quidam autem istos duos Petrum & Philippum Apostolos exponi & intelligi oportere, quoniam hi primum transgredientes Iudaicos fines, gentes adduxerũt ad Christum, Philippus quidem Samariam quã ipsam Samariã asinã esse interpretatur. Petrus autem

autem gentes, accipiens Cornelium ex gentibus, quasi Samarię pullum. D. Chrysost. in non absolu. homi. 37. to. 2.

Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis. Præceptũ legis erat vt decima luna primi mensis agnus siue hædus in domo occluderetur, vsque ad lunam decimam quartam eiusdem mensis, quãdo ad vesperam immolabatur. Vnde & verus agnus ex omni grege sine macula electus, pro populi sanctificatione immolandus, ante quinque dies, id est decima luna Hierosolymam ascendit. Et appropinquante hora passionis, appropinquare voluit & loco passionis: vt etiam per hoc clarescceret, quia non inuitus, sed sponte pro humani generis salute mortem pateretur. Ante quinque dies Paschæ, vt ex hoc loco constat, Hierosolymam venire voluit, vt etiam per hoc ostenderet se esse agnũ immaculatum, qui peccata tolleret mundi, & agni illis typici qui in lege immolabatur, exemplar & veritatem D. Cyrillus super Ioan. lib. 8. c. 9.

Et statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea. Nunc consideremus qui fuerint illi qui errore detecto de paradiso deiecti, in castellum sint relegati. Et vides quemadmodum quos mors expulerat, vita reuocauerit. Et ideo secundum Matthęũ & asinam & pullum legimus, vt quia in duobus hominibus vterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus vterque reuocetur, &c. D. Ambro. super Luc. lib. 9. c. 19.

Asinam alligatam & pullum cum ea. Aperte in plerisque hominibus videmus quod ad diuina percipienda, rudissimis his iumentis similes existant. Quod malum vtinam quotidie non experiremur. Sed tolerabilius forsitan esset, si non tarditas hæc malitia & feritate indomita cumularetur. Cuius rei gratia non solum iumentis insipientibus, sed etiam pullis iumentorum indomitis, atque adeo truculẽtissimis feris, homo in literis sacris assimilatur. Hac enim de causa dominus ad Ezech. ait. Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Et in Euange. nolite ait dominus, sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Et sanctus itẽ Iob, frater inquit fui draconum, & socius struthionum. His enim adeo tetris nominibus scelerati homines appellantur, quod harum ferarum mores imitentur. Sed ita tamen imitantur, vt ipsas etiam feritate & immanitate vincant. Nam cum ratio & ingenium libidini, aut crudelitati, aut eiuscemodi motibus ferinis seruit, atque ad omnia flagitia industriam exacuit, tantum necesse est omnes belluas feritate vincant, quantum cupiditas instructa & armata, cupiditatem nudam & inermem ad facinus antecellit. Vnde Aristo. improbum hominẽ inter animalia cuncta nocẽtissimum esse, ait, quod improbitas ingenij acumine munita, maximas rebus humanis clades inferre possit. Arma namque omnia siue virtutis siue cupiditatis, sunt in rationis solertia, & ingenij acumine constituta. Ita fit vt scelerati homines & immanes, eo sint feris omnibus immaniores, quo sunt rationis & cõsilij participes. Sic igitur fit vt nullus sus lutulentior, nulla vulpes fraudulentior, nulla leæna truculentior, nulla tigris immanior, homine scelerato & cupiditatibus suis addicto, possit reperiri. Cæterũ solent iumentorũ sessores calcaria & frænum gestare, quorum altero tarditati, altero præcipiti iumentorum celeritati consulant. His etiam adiumentis dominus Iesus piorum mentibus insidens vtitur. Nam & morantes atque negligentes, secretis inspirationib. velut calcaribus ad cursum acuit, & frænum etiam sensibus nostris, ac præcipue cordi ac ori iniicit. Hæc enim duo omnium fere scelerum seminaria sunt. Felices autẽ inquit Ambro. qui talem internis renibus meruerunt habere vectorem. Felices quorum ora ne multiloquio soluantur, cælestis verbi habena restrinxit.

Mittit duos discipulos Christus vt soluant asinam, id est peccatorem, nempe mittit spem & metum. Inuenietis etiam asinam, hoc est carnẽ lasciuam, stolidam, bestialem, alligatã prauis antiquisque cupiditatibus, concupiscentiis, & consuetudinibus, aliisque huiusmodi peccatorum funibus. Vide plura apud Galfridum super hunc locum.

Inuenietis asinam alligatam & pullum, &c. Propter quasdam similitudines, animalibus his assimilati sunt homines Deum? vel Dei filium non cognoscentes. Vnde & Apostolo. ad Corin. dicit, videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi fortes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt elegit Deus, vt cõfundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia: & ignobilia & contemptibilia mũdi elegit Deus, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. At vbi Christus super eos ascendit, & induxit in templum, loti per Baptismum, facti sunt de immundis animalibus, homines sancti. Percepta enim verbi ratione atque sapientia Dei, facti sunt homines rationabiles & prudentes, & inuenta est irrationabilitas eorũ esse simplicitas, & stultitia eorum mansuetudo. Nam simplicitas sine ratione verbi, hominis irrationabilis est: & mansuetudo si non fit propter Deum stultitia est. Adhuc autem accepta gratia & recognita generatione sua cælesti, facti sunt de infirmis & ignobilibus fortes & nobiles: & quæ videbatur infirmitas, innocentia inuenta est in eis, ignobilitas autem humilitas. Nam innocentia sine Deo infirmitas æstimatur, & humilitas non propter Deum, ignobilitas iudicatur, &c. Chrysost. ex variis in Matth. locis. hom. 23. to. 2.

Ite in castellum quod contra vos est. Peccator ipse est castellum quod contra Deum est, idcircoque necesse est vt catur ad hoc castellum, & variis quidẽ machinis impugnetur, vt tandem capi possit & in Dei seruitutem redigi. Vnde Apostolo. ista opportune, importune argue, obsecra, increpa &c. Huc etiam spectat illud, quod Deus præciperet Ezechi. vt specularetur tam solicite & diligenter abominationes illas. Tum etiam adhibẽdum est illud medium ad hoc castellum expugnandum, vt scilicet proponatur oculis peccatoribus & describatur cælestis illius Hierusalem gloria atque maiestas. Quod insinuari videtur Ezech. 4. cum dominus præcepit prophetæ vt describeret in latere ipso Hierusalem. Siquidem in latere, hoc est in corde peccatoris duro, proponere & manifestare deberemus gloriam illam cælestis Hierusalem. Aliæ sunt etiam adhibendæ machinæ ad expugnandum hoc castellum, nempe proponenda sunt ob oculos tormenta illa perpetuo duratura ipsius gehennæ. Quod significari etiam videtur in eo quod præceptum fuit eidem prophetæ, vt sumeret sibi sartaginem: sartago enim ad eum vsum comparata est, vt in ea decoquantur & exurantur quę volumus: ita igitur gehenna in qua impij exuruntur, proponenda est ob oculos peccatoris, vt hoc etiam medio simul cum aliis compluribus, tam ferreum castellum, tam duraque præcordia, mollescere possint, & expugnari.

Misit duos de discipulis suis. Duo quidem mittuntur discipuli, vt nobis cõmendetur mutua frater-

nitas & beneuolentia,& quod mutuis nobis opitulemur auxiliis. Duo etiam missi sunt Moyses & Aaron;ad educendos Hæbræos ex seruitute illa Ægyptica. Duo referuati sunt ad terram promissionis ingrediendam. Discipuli bini item mittebantur à Christo.Ex quibus & similibus intelligitur, quantum Deus ipse mutuam charitatem nobis commendatam esse velit, & quod mutuo alij alios iuuemus.

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Ne dicatis, dominus tuus, neque dominus noster,neque dominus iumentorum, vt intelligant omnes quia ego solus dominus,non solum animalium, neque solum eorum qui mihi subditi sunt,sed omnium hominum,etiam qui mihi contrarij sunt.D. Chrysosto,in non abso.homi.37.to.2.

Et confestim dimittet eos. Mouit enim cor possessoris asinæ,vt simulatque audiret,dominus his opus habet,illam præberet. Idem contigit cum petiit hospitium ad celebrandum conuiuium vltimę cænæ. Nam cum cænaculi dominus audiret, Magister dicit,statim omni remoto obstaculo cænaculum tribuit Hoc etiam contigit cum iussit Deus populum Israel exire de Ægypto,præcepitque, vt vasa argentea & aurea exigerent. Vbi ne Hebræi diffiderent, addidit dicens. Dabit dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis.

Quia dominus his opus habet. Vide origę.tomo. 10. super Ioannem.

Si voles agere qua ratione domini erga sibi subditos se gerere debeant, vide Vincen. Belluacen. specul. doctri.lib.6.c.11.12.& 13.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem.Dicite filiæ Sion,ecce rex tuus venit tibi mansuetus,sedēs super asinam & pullum filiū subiugalis. Mihi vero non idcirco solum in asina sedisse videtur, verum etiam vt viuendi philosophia nos erudiret,ira simul & prophetias adimplebat, & dogmata veritatis plantabat, & vincendi præcepta exemplis præbebat & affirmabat. Regulas enim nobis præbet, ne maiora quam necessarius vsus exigat requiramus. Itaque quando etiam nascebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem,sed paupertrimam & fabro desponsatam elegit, & in tugurio nascitur,& in præsepio ponitur. Sic discipules non oratores aut prophetas voluit,nec genere aut fortuna claros, sed inopes valde atque ignotos, Mensa sua hordeaceis nonnunquam panibus, nonnunquam quos discipuli è foro emerent,referta erat. Recumbebat præterea in fœno, vestes viles, nec conditionem vulgi excedentes, induebatur. Domum nullam habebat, cumque de loco in locum transeundum erat, pedibus iter faciebat,& sic faciebat,vt labore plerumque conficeretur, Nunquā in sede,nec in puluinari,sed in ipsa superficie terræ,modo in montibus,modo apud fontes solus sedebat & mulierem Samaritanam alloquebatur: sic mediocritatem in mercenda nos docens,quando res postulabat, lachrymas effudit, terminos nobis in omni re constituens,vt quousq; progrediendū esset non ignoremus.D.Chrys.super Matth.ho.67.to.2.

Dominus noster ascendens Hierosolymam ad mortem,magnā gratiam pacis & concordię mundo vniuerso quasi in testamento reliquit. In mysterium enim gentium futurum, sedens super asinam & pullū eius intrauit in templum,& sic gentes Iudæis coniunxit. D.Chrysosto.in non absolu. homi.37.to.2.

Venit tibi mansuetus. Hoc enim est quod potissimum in regibus desiderare homines solent, ne in superbiam elati,cum austeritate imperent & cum potentia.Vt enim Salomō ait, misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.Hæc ergo prima regis nostri laus est, quam ipse quoque suis imitandam proposuit,cum ait.Discite à me quia mitis sum,& humilis corde. Si talis ergo rex noster est, merito de illo Zacha. ait,venit tibi māsuetus,māsuetus inquā,non terribilis ac metuēdus. Nō enim ad hoc venit vt bella suscitet, vt tributa populis imperet, vt eos molestis oneribus premat,nec vt terrena bona auferat, qui cælestia donat.*Venit tibi mansuetus.* Videlicet ad improperia,ad contumelias,ad plagas, & verbera sustinenda.Corpus enim suum dedit percutientibus,& genas suas vellentibus. Denique tanta regis huius mansuetudo extitit, tantaque per eam nobis contulit,vt cum Apostolus vellet obnixe ab hominibus aliquid petere, eos per mansuetudinem Christi adiuraret. Obsecro vos inquit per mansuetudinem Christi. Non enim credendum erat huic virtuti aliquid negaturos eos, qui eius merito seruati & redempti erant.Si ergo tantum huic virtuti debemus qua seruati sumus, cur non eam in nostris moribus exprimere studeamus? ū regis ad exemplum totus componitur orbis, cur non ad regis huius mansuetudinem vitam nostrā componamus? Quid facit in pectore Christiano ferarum iracundia,serpentum furor, vindictæ cupiditas & viperea lingua, quæ tota die detrahit, subsannat,irridet,maledicit & male precatur?

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, &c. Quis non facilem sibi esse putet accessum ad eum regem,qui & mitis & pauper est, & tam humili vehitur iumento? si feroci & habenarum impatienti equo insideret,si triumphali curru,& armatorum militum manu stipatus incederet,timeret vtique pauperum & infirmorum hominum turbā ad illum accedere.Nunc autem cum totus paupertatis, humilitatis,& lenitatis insignibus, velut gemmis & purpura ornatus veniat: quis adeo pauper erit, qui non ad pauperem? quis adeo abiectus qui non ad humilem? quis adeo timidus qui non ad mansuetū accedere confidenter audeat?præsertim cum is sit,cui nil aliud magis quā humiliū & māsuetorū placeat deprecatio?Si enim similitudo, amoris causa est,quid magis humili regi quam humilitas? quid mansueto quam mansuetudo placere potest?Cęterū & tā humili iumēto vectus est,vt pompas ac fastū mundi mandaret,& humilitatem virtutum omnium fundamentū & custodē,regnique sui præcipuum decus & ornamentū, cōmendaret.Lex enim huius noui regni,professio est veræ humilitatis.Quæ virtus adeo propria Euangelicæ professionis est, vt quemadmodū gētiles philosophi tres illas theologicas virtutes, fidem scilicet, spem, & charitatem, quæ maxime propriæ Christianæ religionis sunt, non agnouerunt: ita etiam humilitatem ignorarunt.Cuius rei illud argumento est,quod hæc virtus proprio apud Latinos nomine careat.Quemadmodum enim ea quæ apud veteres non erant in vsu, qualia sunt instrumenta illa quæ sulphureo puluere ferreos globos iaciunt nomine Latino carēt,& aut ex similitudine ænęæ fistulæ,aut vulgari nomine bōbardæ dicūtur;ita virtus hæc à Christianis humilitatis nomine cęlebrata,nullū apud philosophos nomē habet,vtpote quæ ab eis pene incognita fuerit. Hoc enim humilitatis nomen non virtutis insigne, sed abiectionis dedecus Latinis significat. Quæ tamē virtus adeo propria Christianæ religionis est, vt eam

eam Dei filius vbi primum in hunc mundum venit,in stabulo natus,& in præsepio reclinatus, ostendere atque stabilire voluerit, eamque natiuitate, vita, & morte, ita commendauerit, vt huic virtuti celebrādæ,& mētibus hominū trabali clauo infigendæ totū incarnationis & passionis mysteriū Ecclesia in huius diei oratione tribuat, cum ait.Omnipotens æterne Deus,qui humano generi ad imitādum humilitatis exemplum, &c.Vnde sicut priusquam ad crucis supplicium prodiret,discipulorū pedes lauit,vt eis humilitatem cōmendaret: ita humili nunc videtur asello, vt inanem hominū fastum & superbiam exemplo suo deiiceret.Nouerat enim ceruicis nostræ duritiem,nouerat humanæ naturæ morbum, qui à superbia initium sumens,eodem nos morbo semper infestat. Nouerat etiam hominis ingenium,parendi,atque aliis sese submittendi nescium,memineratq; se dixisse. Nisi cōuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli,non intrabitis in regnum cælorum, ideoque tā multa excogitauit exēpla, quibus nos ad huius tam necessarię virtutis amorē incitaret.Vera enim illa Senecæ sententia est:nunquam nimis dicitur, quod nūquam satis discitur. Quibusdam remedia monstranda,quibusdam inculcanda sunt.Interrogatus quidam quis potissimum commeatus nauigaturis in longinquas regiones necessarius esset, aquam respondit.Rursusque rogatus quid secundo loco necessarium esset,aquam iterum respondit:tertio quoque idem rogatus,eodem modo respondit.Qua loquēdi figura quam esset huius elemēti copia nauigaturis necessaria declarauit.Quia ergo summus ille humilitatis magister huius virtutis dignitatem & necessitatem adeo probe tenebat, ideo quandiu inter homines versatus fuit nunquam destitit siue in vita siue in morte variis eam documentis & clarissimis exemplis commendare, vt vel hoc argumento intelligerent homines,præstantissimum illud esse quod æterna sapientia tot modis in omni vita animis hominum infigere voluerit. Cum æstate incipiente præmaturas ficus homines solicite inquirunt, si quam forte viderint passerculorum morsibus ac delibatiōe ab aliis distinctam, protinus eā velut iam maturam abripiunt, quod intelligant auiculas quæ certo naturæ instinctu erudiuntur, in huiusmodi electione non decipi.Si ergo tantum apud te auiū electio & iudicium valet, cur non idem apud te authoritatis pondus Christus habeat, vt ea tibi maxime amplectenda esse statuas, quæ is amplexus est,ea vero repudianda quæ ipse repudiauit?Si is igitur terrenas opes,si fastum & superbiam mūdi calcauit, & ab ipsis incunabilis labores,inopiam,& humilitatis officia sectatus est,cur non id maxime probādum esse credamus quod ipse probauit, qui vel hoc nomine à propheta commendatur,quod sciret reprobare malum,& eligere bonum? His ergo de causis vt alias omittamus, tam humili apparatu voluit dominus hodiernam solennitatem celebrare,qua ad nuptias Ecclesiæ in crucis thalamo consummandas properabat.

Vt adimpleretur quod dictum est. Vide quam firmiter & constanter impleat Deus quæ dixerit atque promiserit,vt inde discamus ita nos gerere in licitis honestisque pollicitis nostris: qua de re videre etiam poteris Ambro. lib. 3. offi. cap. 10. Democritus etiam philosophus dixit: ad largiendum sis propensus,quæ honesta promiseris.Syllius, fœdera mortales ne sæuo rumpite ferro, sed castam seruate fidem. Isocrates, In promittendo tardus esto, in exequendis promissis celer. Periander, Quod promiseris æquum, facito.Idem, pollicitis stare te oportet. Phocylides, vbique seruato fidē.

Venit tibi mansuetus. Mansuetudo quidem atque clementia maximum est hominis ornamentum, maximeque viros in dignitate constitutos exornat atque illustrat. Vnde Agesilaus dixit, erga rebelles potentia, erga subiectos vero mansuetudine & clementia vtitor.Demonax, vitia cum mansuetudine, exemploque medicorum sanato, qui non indignantur ægrotis, sed medentur morbo. Antonius Verus, in maxima potentia & licentia, tibi ipsi cum omni mansuetudine moderationem adhibeto.Æsopus, in rebus secundis ne fis ferox, & iniurius cæteris, sed mansuete te gerito, ne aliter si vultum mutarit fortuna,se vlciscātur quos læsisti.Aristippus magistratus cum fis,ita tuis imperato vt pater filiis.Cato,tua mansuete vtere potestate,quo diutius ea vti possis.Philonides, simul cum potentia mansuetudinem ferua, vt non tam timendus,quam reuerentia dignus videaris & amore.Cleobulus,quanto maior es,tanto clementius te gerito.Epicharmus,colāt te serui mansuete agentem,potius quam timeant.

Vt adimpleretur quod dictum est. Varia extant in scriptura loca quibus scilicet ostendas quantum expediat vt licita honestaque promissa impleantur. Sed interim hæc ad tuos vsus quodammodo applicare poteris.2.Reg.3.G.& cognouit omne vulgus.& 21. A.quia occidit Gabaonitas. Iosue 6. D. ingredimini domum mulieris.& vide Iosue.9.per totum.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus: & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Sed qua re digni erimus, cum alij asinam vestimentis suis Christi sessuri gratia ornarent, alij indumenta humi sternerent, si nos nec nudum ipsum videntes, à reconditis pro eo quicquam impendere volumus? Et cum illorum alij præcedant, alij sequantur, nos aduenientem repellamus atque cōtemnamus,quo putas hæc supplicio digna esse?Accedit ad te dominus indigens, tu ne supplicantem quidem audire poteris,sed accusas, & increpas, præsertim cum talia verba perceperis.Quod si ad paululum argenti offerendum, & frusta panis præbenda,adeo tenax,auarus,& piger es, quid faceres si vniuersa tibi essent, euacuanda? non vides quot quantaque hi qui se munificos vulgo appellari volunt, scortis in theatro largiuntur? illorum tu nec centesimam quidem partem dare sustines.At quanto diabolus quibuscunque obuiis dare iubet, etsi huic rei gehenna imminet, iucunde tamen illi obtemperas: cum vero Christus regnum si indigentibus obtuleris, tibi retribuat, non modo nihil præstas, sed insuper etiam petentes contumeliaris, sic aperte mauis obedire diabolo vt puniaris quam Christo parere vt saluēris. Qua quidem ve cordia nescio si quid vesanius vnquam possit excogitari. Gehennam ille, hic regnum pollicetur: & vos hoc neglecto, ad illum accurritis: & hunc venientem repellitis, illum etiam cum longe absit vocatis. Non aliter ergo fit, ac si cum diadema & purpuram rex afferret, sperneretur: latro autem qui acutum quo te interficias mucronem largiatur, facile persuadeat. Quæ intelligentes charissimi, aperiamus oculos aliquando, & vigilemus oro. Ego enim iam erubesco cum toties locutum de eleemosina sciam, & nihil exhortationibus meis dignum confecisse videam: & factum quidem esse aliquid non ignoro,

non tamen tantum quantum optabam. Sed cerno quidem vos seminantes, non tamen plena dextera: quare timeo ne parce quoque metatis. Cumque plurimi sint qui possint famescentes saturare, multi tamen esuriunt, non quia non possumus illis satisfacere, sed quia duricies & inhumanitas corda nostra occupauit. Nã si locupletes & illi qui mediocris fortunæ sunt, cibo & vestitu indigentes inter se partiantur, vix centum aut quinquaginta viri vnum pauperem sortientur. Et in tanta eorum multitudine qui subuenire possunt, egentes pauperiem suam quotidie famescentes deplorant. Sed vt apertissime inhumanitatem eorum videas, vnius diuitis nec valde locupletis hæc Ecclesia fructus colligens, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat. Iam enim numerus eorum in catalogo ascriptus, ad tria millia peruenit, & præterea multis qui carceres habitant auxiliatur, multis in hospitali laborantibus, multis aduenis, multis leprosis, omnibus qui altari assistunt, cibaria & indumenta præbet, multis etiam qui quotidie ad petendum accedunt, nec tamen Ecclesiæ opes idcirco diminutæ sunt. Quare si decem solummodo viri hoc impendio in pauperes sic vterentur, nullus in vrbe fame aut nuditate laboraret, &c. D. Chrysostomus super Ioannem homilia 67. tomo tertio.

Euntes autem discipuli, &c. Quoniam euntes Apostoli soluerunt asinam alienam, ministerium quidem fuit eorum, virtus autem & autoritas Christi. Nec enim potuissent tollere iumentum alienum ab illo domino, qui eos non cognoscebat vnde essent, nisi præueniens spiritus Christi cor domini eius præparasset ad dandum. Sic quòd Apostoli soluerunt Iudæos vel gentes de vinculo inimici, in prima quidem facie eorum videbatur opus, reuera autem fuit virtus & gratia Christi. Nec enim à Christo duodecim constituti totum mundum ligatum sub potestate diaboli soluere potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem inimici. *Et imposuerunt vestimenta sua.* Vestimenta sunt præcepta diuina & gratia spiritualis. Sicut enim turpitudo nuditatis vestimento tegitur, sic naturalia mala carnis nostræ, præceptis & gratia diuina teguntur. Omnis homo enim naturaliter non solum peccator est, sed etiam totum peccatum, dicente Apostolo. Eramus natura filij iræ, sicut cæteri. Vnde & Adam ideo se vidit nudum, id est peccatorem, & ideo foliis fici, id est mandatis asperæ legis, cooperuit nuditatem suam. Et alibi promittens Deus iustitias suas, & gratias ablaturum de gente Iudæa, sicut dicit dominus per Osee prophetam. Et auferam vestimenta mea & linteamina, & ostendam gentibus turpitudinem tuam. Ergo imposuerunt vestimenta sua super eos, id est mandata & gratias quas ipsi acceperunt à Christo, super Iudæos & gentes imposuerunt, id est tradiderunt, nec enim requieuisse in eis potuisset Christus, nisi mãdata eius fuissent in eis. D. Chrysosto. in non absol. hom. 38. tom. 2.

Et eum desuper sedere fecerunt. Non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens, neque ascendit super equum feruidum, amatorem discordiæ & litis, qui iactantia gloriæ pectus habet repletum, qui de longinquo odoratur bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, bene factum: sed sedet super asellum, tranquillitatis & pacis amicum, oneris patientissimum & laboris. D. Cyrillus super Ioan. li. 8. cap. 10.

Et adduxerunt asinam & pullum. Nec illud prætereundum, quòd mox remittendos asserit qui dirigendi erant, qui dominum Iesum in finibus gentium prædicarent. Illi ergo directi cum soluerent pullum, nunquid suis verbis vsi sunt? Minime. Sed dixerunt sicut dixerat illis Iesus, vt agnoscas quòd non suo sermone, sed Dei verbo: nec proprio, sed Christi nomine, fidem populis infudere gẽtilibus: atque aduersariæ potestates quæ sibi nationum obsequia vendicabant, mandato cessere diuino, &c. Ambro. lib. 9. super Luc. cap. 19.

Fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Cum discipuli imperium Christi exequerentur, non defuerunt qui dicerent, Quid facitis soluentes pullum? Quæ verba non otiose à Marco Euange. relata sunt: iis enim significare voluit, nunquam defuturos qui & Apostolis, & Apostolorum sectatoribus, & omnibus qui in Christo pie viuere vellent, importunis vocibus obstreperent, & à virtutis studio auocare niterentur. Sic enim scriptum est: Contra malum bonum, & contra vitam mors: sic contra virum iustum peccator. Accedit huc quòd hostis ille antiquus dæmon, nos semper ex insidiis aggrediatur: cumque omnes omnium generum homines adoriatur, in iuniorum tamen auribus, qui magis mundi amore æstuant, hæc verba insusurrare solet. Iuuenis es, satis superque restat temporis quo castam & sobriam vitam degere valeas: interim florida & iuuenili ætate fruere. Vbi vero ad maturiorem ætatem peruueneris, aut ad vitæ finem appropinquaueris, pietatem sectari sufficiet. Est enim misericors dominus, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, vt Ioel Propheta clamat. Quam multos enim ex adolescentibus his mendaciis dementauit, quando & Dauid iuuentutis suæ delictorum veniam petit, & innocentissimus Iob peccatis adolescentiæ suæ se à domino consumi lamentatur? Si horum ergo sanctorum iuuentus periculo non vacauit, in quanto quæso vos periculo iuuenes versamini, nisi solicite vobis prospiciatis? Quam multi autem sunt quos hoc tempore à veræ pœnitentiæ proposito his verbis dæmon auocare solet, cuius illa præcipua pars est pristinos mores deponere, & nouam vitam inchoare? Quam pauci vero sunt qui ad fraudes istas cum propheta respondeant, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.

Et imposuerunt super hos vestimenta, &c. Quid hoc habet mysterij? nimirum si velis vt tibi Christus dominus insideat, in te habitet, teque ductu suo dirigat: si illum habere cupis, sessorem gubernatorem, ductorem, oportet vt Apostolicis vestimentis, hoc est Apostolicis virtutibus quantum tibi per gratiam domini licuerit, exorneris. Quod plane à discipulis suis Apostolus exigebat, cum dicebat. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hoc est enim Apostolicis vestibus ornari. De quibus etiam vestibus in Salomone legimus: omni tempore vestimenta tua candida sint: hoc est da operam omni tempore ne candorem innocentiæ per lethale peccatum amittas. Sed quoniam hanc vestem multi post sacrum Baptisma variis criminibus sordidãrunt, eadem hoc ipso Quadragesimalis pœnitentiæ tempore, Sacramentorum virtute instauratur. Itaque fratres si priorem illum nitorem perdidistis, posteriorem hunc seruate modo curate: illud vobis certissime persuadentes, quòd si vos sine hac veste pater familias hora mortis inue-

tis inuenerit, ligatis manibus, & pedibus in exteriores tenebras extrudi iubebit.

Fecerunt sicut præcepit eis Iesus. Non discutiamus iussa Dei, sed simpliciter illi obediamus. Mirabile vero etiam cuius rei exemplum habemus in Isaac, qui cum vt Iosephus libr. 1. Antiq. capit. 12. ait, iam esset 25. annorum, vel saltem adultus esset, quandoquidem ligna humeris ferebat in sacrificium, poterat quidem resistere patri, quo senio confecto fortior erat: nihilominus tamen cum intelligeret à voluntate domini illud prouenire, humiliter obediuit Deo. Cæterum cum inseritur virgultum minus fructiferum cum optima arbore, fructuosum reddi cõsueuit: ita & nos voluntatem nostram terrenam & minus frugiferã, inseramus prompte & accommodemus voluntati iussisque diuinis, vt tandem fructus virtutis & probitatis copiose ferre valeamus.

Et eum desuper sedere fecerunt. Cæsar quidem Romam ingressus est cum maximo triumpho, cuius triumphalis currus à 40. elephantis ducebatur. Pompeius ille Magnus etiam egregio cum triumpho de Africa rediit Marci Antonij currum leones, Aureliani cerui vehebant. Cæterum hæc omnia nullius sunt momenti, præ triumpho singulari, & ingressus redemptoris nostri admirabili: quòd ex iis quæ Euangelistæ referũt, apertissime liquet. *Et adduxerunt asinam & pullum.* Vide quæso quanta cum humilitate sancti Apostoli ducerent tam vilia iumenta, & Christo parerent in eiusce-modi mãdato: tu vero parere recusas, nisi iussa ipsa & imperia plena sint honoris & dignitatis. Saul quidem asinas patris agebat & curabat, sed inde ad regiam dignitatem euectus est: ita tu humilitatem sequi debes atque complecti, vt inde tandem ad cælestes opes & dignitates possis conscendere.

Christum dominum asina & pullo vehi in die tantæ solennitatis & triumphi, significat eiuscemodi tempore & tali oblata nobis occasione splẽdere maxime in nobis debere humilitatem. Cæterum ornabatur quidem asina vestibus apostolicis, vt inde etiam discamus quam bene cohæreant & superponantur honores & dignitates ipsi humili. Vide Richar. super hunc locum.

Cur quæso domine tanto cum triumpho & gloria hodie ingrederis Hierosolymam, cum tam breui hic status immutandus sit? vt scilicet nobis insinuet, honores ipsos proximos sæpe esse atque finitimos infamiæ, dedecori, ignominiæ, afflictionibus, & aliis huiusmodi. Vide Palacios super Matth.

Natus quidem fuit Christus in Bethleem, sed postmodum fugere eum oportuit in Ægyptum ita hoc loco lætanter quidem excipitur & gloriose, sed paulo post videbis quid ei accidat. Si ergo in viridi ligno hoc fit, in arido quid fiet? hoc est, si seculum nequam factori suo fidem non seruauit, quid quæso nobis de illius fide sperãdum erit? Lege Galfri. super hunc locum.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Multi autem vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam domant vt eis iter ad mentem parent, & exempla bona sequentibus præbeant. Alij autem ramos vel frondes de arboribus cædunt, & sternunt in via, quia in doctrina veritatis, verba atque sententias patrum ex eorum eloquio decerpunt, & hæc in via Dei ad auditoris animum venientes, humili prædicatione submittunt. D. Gregorius super Ezechie. lib. 2. homi. 17.

Vestimenta sunt mandata sicut diximus, frondes autem speciem tenent pietatis. Quoniam ergo mãdata legis & species Iudaicę religionis, à Christianis fuerunt conculcanda in via id est in Christo, ideo tunc illa sub pedibus iumenti sternebant in via. Et vide quoniam super iumentum quidem Apostoli posuerunt vestimenta sua, sub pedibus autẽ iumenti cætera turba Iudaica: quoniam mãdatis Apostolorum sternuntur quidem Christiani & adornantur, legis autem mandata conculcant. quotiescunque enim circuncisionem spernimus, sacrificia Iudæorũ pro nihilo æstimamus, & cæteras consuetudines Iudaicas reprobamus: vestimenta Iudæorum quibus ipsi induebantur, nos qui sumus ex gentibus sub pedibus nostris conculcamus. D. Chrysosto. in non absol. homil. 37. to. 2.

Rami Palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Solẽt enim victores palma victrice coronari. Et in Apoc. beati illi & sancti ciues supernæ Hierusalem, qui hoc in mundo legitime certauerunt contra multiformes hostes, palmas manibus tenere describuntur. D. Cyrill. super Ioan. lib. 8. cap. 9.

Strauerunt vestimenta sua in via. Hoc quidem obsequium spiritualiter domino exhibent qui veterem hominem exuentes, pristinos mores propter Christi gloriam deponere conantur. Quod quamuis alias semper, hoc tamen potissimum tempore faciendum est, quando pœnitentia omnibus Christi fidelibus indicitur, vt peccata cum Christo crucifigentes, & vna cum illo resurgentes, in nouitate vitæ ambulemus. Quisquis igitur hoc obsequium domino præstare cupis, depone odium, respue libidinem, extingue vindictæ cupiditatem, amoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. Si alienis opibus viuis, his etiam te spoliare debes, ac dominis suis reddere. Si periculosa aliqua familiaritate aut conubernio ad malum traheris, hæc quoque diaboli vincula solue. Quod si hoc tempore non facis, quando tam multos habes quorum exempla secteris, quando facere præciperis atque teneris, quando te sacratissimi huius temporis ratio inuitat, quando tot Ecclesiæ voces & preces, quando ipsius Christi domini mors, crux, claui, lancea, flagella, sputa, opprobria, vincula, & ipse propter te effusus sanguis, ad veteris vitæ pœnitentiam vocant, si hoc inquam tempore ad pœnitentiam non flecteris, quando quæso illam amplexurus es? Quomodo tibi credam in aliud tempus pœnitentiam differenti, quam agere hac tãta temporis opportunitate recusas? si vis ergo passionem atque resurrectionem domini deuote celebrare, si dominum ad salutem tuam venientem digne suscipere, depone veteris hominis vestimenta, hoc est pristinos mores & cupiditates conculca, & ita grauissimum ei obsequium præstitisti. Cæterum si cum tanto hodie gaudio propter salutem nostram Christus dominus pergit ad supplicium, quid miramur si internam eius lætitiam ramis palmarum & olinarum, & multitudinis acclamationibus, voluerit celebrari? Sic parentes natales filiorum, sic coniuges nuptialem diem, sic imperatores qui ingentes populos magnasque vrbes bello domuerũt, triumphum agere solent. Seruatori autem nostro nullus trium-

phus maior nullum festum celebrius, nulla dies felicior, quam quæ illi suæ mortis, & salutis nostræ occasionem præbuit. Ideo nihil mirum si hanc tantam suam gloriam atque lætitiam, triumphalibus palmis, & magna totius populi gratulatione voluerit non adumbrari, sed etiam celebrari.

Plurima autem turba strauerunt, &c. Quid quæso hac vita instabilius? omnia plane in ea mutabilia & momentanea sunt. Testatus est hoc Amam ille, qui cum regi Assuero iucundissimus esset & gratissimus, cumque conuiua solus admitteretur cum regina Esther, eodem tamen conuiuij die in supplicium & patibulum actus fuit. Testatus est hoc Holofernes ille Assyriorum dux fortissimus, qui cum maxima cum iucunditate cubitum concessisset, mane tamen iugulatus, ignominioseque interfectus apparuit. Testatus est hoc etiam Philippus ille Macedo oratione sua, qui cum eodem die tria faustissima accepisset nuntia, duo quidem de parta victoria, & tertium de filio recens nato, sciens quod aliqua perpetuo amara & aduersa succedere solerent & permisceri prosperis, Deos comprecabatur, vt moderato saltem casu lætitia tanta temperaretur. Contrario etiam modo vitæ statusque humani instabilitatē Ioseph ille testatus est, qui cum in exilium relegatus esset à fratribus, venditus, & carcere vinctus, ecce præter opinionem ad amplissimos regiosque honores euectus est. Et certe quemadmodum sol interdum matutino tempore rutilans ac formosissimus exoriri solet, postmodum tamen variis statim obnubilatur offunditurque tenebris: ita sæpe res mortalium cum maxime florere videntur, tunc succedentes quasdam patiuntur aduersitates & ærumnas, & contra etiam cum aduersæ sunt, inopinatis sæpe quibusdā euentis felicibus permiscentur. Sed quorsum tam multa? quia certe in Euangelio suo nobis mire hanc terrenam mutabilitatem & mūdanam Euangelista expressit, cum dixit Iudæos mira quadam serenitate pompa, apparatu, & iucunditate, Christum excepisse, quem tamen paulo post cruci crudelissime affixerunt. Quis igitur non inde apertissime discat, neque in prosperis nobis esse insolescendum, neque in aduersis animo cadendum, cum videamus mutua vicissitudine hos duos status tam facile sibi inuicem succedere? Erit ergo potius à nobis amplectendum illud quod mulier illa sapiens Dauidi regi dixit: sic est dominus meus rex sicut angelus domini, qui nec maledictione nec benedictione mutatur: ita enim nos neque in prosperitate animum extollere, neque in ærumna eundem deprimere penitusque abiicere debemus. Cæterum ad hoc institutum amplificandum de tanta mutabilitate & inconstantia rerum mundanarum, nonnulla subiiciam.

Homines Lystris Paulo & Barnabæ immolare voluerunt, sed tamen paulo post lapidabantur. Acto.14.

Populus Hieremiæ dicebat, omne verbum ad quod misit te dominus faciemus: & post aliquot dies dixit, dominus te non misit. Hieremie 42. & 43.

Maximo quidem cum gaudio Hebræi receperunt Moysen ipsum & Aaron in Ægypto, eisque de aduentu gratulati sunt: sed breui mutauere sententiam, murmurantes & obloquentes contra ipsos. Exod.5.

Audientes gentes prædicationem Pauli & Barnabæ, eos cum lætitia exceperunt, sed peruersi quidam eosdem postea de finibus suis expulerunt. Acto.13.

In præsentia Moysi dixit populus, cuncta quæ præcepit nobis Deus faciemus, at vbi recessit ab eis Moyses, vitulum conflauerunt, eumque adorauerunt. Exod.24.& 32.

Filij Israel cum manna habebant, carnes postulabant à Moyse, & suspirabant propter cepas illas, cucumeres, & pepones, quibus vescebantur in Ægypto, atque inde sæpe ei detrahebantur. Numero 11.

Filij Israel se cōtra Holofernem viriliter & animose accinxerunt, sed postmodum contra Oziam principem insurrexerunt, & dixerunt: iudicet dominus inter te & nos, &c. Iudith.7.

Cum Gedeon populum de manu Madiam liberasset, dixerunt. Dominare tu nobis & etiam filij tui, &c. Sed ipso mortuo obliuiscebatur promissi Iudicum 8.

Samuel recuperatis vrbibus de manu Philistinorum populum liberauit: sed postmodum populus mutatus est, & regem sibi præesse ac dominari voluerunt contra voluntatem Samuelis, & Dei 1. Reg.8.

Quem poterant præstantiorem sibi regem ipso Dauide Hebræi optare? sed breui tamen eum de regno deponere voluerunt, & occidere, alterumque sibi deligere 2.Reg.15.

Quando Christus multiplicatis panibus pauerat turbas, eum regem constituere voluerunt, at vero statim beneficiorum obliti, signa ab eo fieri postulabant. Ioan.6.

Maximis quidem beneficiis propter quietam & pacificam gubernationem affecti fuerunt Hebræi à Salomone, sed tamen propter verbum inconsideratum Roboam filij eius beneficiorum obliti, ab eius imperio defecerunt, sibi regem Ieroboan præficientes 3.Reg. 12.

Populus apprehendit Ieremiam, dicens. Morte moriatur: & post dixerunt: non est dignus mortis Iere.26.

Vide quam subita fuerit mutatio populi in euētu illo Susannæ. Danie.13.

Hebræi cum in rubro mari ex aduerso intercluſi essent seu premerentur à Pharaonis exercitu, cæperunt ipsi quidem murmurare contra Moysen: verum cum postea rei euentum admirabilem viderent, Domino crediderunt, & Moysen eius seruum plurimi fecerunt. Exod.14.

Considera quid Paulo contigerit quando eum vipera inuasit, tunc enim homicidam esse dixerunt: sed cum excussa fuit, & ipse illæsus remansit, Deum esse eum prædicabant Acto.28.

Dementia quidem est spem suam omnem atque fiduciam in hominibus confixam habere atque locatam. Damascus enim in qua Israel confidebat, vastata fuit. Iudæa etiam confidebat in Ægypto, & pariter diruta est. Ægyptij in Æthiopia fiduciā habebat, & illa quoque destructa est atque deleta ab Assyriis. Item Assyrij à Babylonis hi rursus per Persas & Medos expugnati sunt. Persas vero & Medos Alexander Magnus deuicit. Alexander denique Magnus veneno interiit, & regnum eius diuisum fuit.

Quemadmodum cælestis machina in orbem continuo cursu ferri consueuit, ita etiam res mortalium maxima volubilitate cientur, mouentur, & agitantur.

Sicut accipitres ipsi magno in pretio habentur quamdiu viuunt, at vero vbi primum mortui sunt, illico in sterquilinium deiiciuntur, gallinæ vero

vero contra, vbi eas occideris, in regiis etiam mensis cernuntur, quæ viuæ ipsum palatium non ingrediebantur: ita in plerisque ea mutatio contingit, vt hic viui cum cōtemnerentur, postmodū tamen propter sua merita, egregiásque virtutes, inter angelos ipsos collocentur, & contra multi qui viui in pretio habebantur, mortui ab omnibus vituperentur ac contemnantur.

Quemadmodum apparentia nobis in nubibus castella, arces, turres, & aliæ huiusmodi figuræ, letissimo quodam & rapidissimo boreæ flatu, maxima celeritate dissipantur & euanescunt: ita spes nostra si penitus in hominibus confixa fuerit, tandem irrita fiet, vana, & inanis.

Quemadmodum in mari ipso varietas maxima in fluctibus vndisq; cernitur, ita vt interdum extollantur & intumescant, nonnunquam vero deiiciantur & deprimantur: ita in rebus mortalium accidere videmus, vt nonnunquam prospera aflante fortuna floreant & vigeant, nonnunquam vero aduersante & contraria, marcescant & conturbentur. Et sicut idem mare nonnulla quidem ad ima deiicit & demittit, alia vero foras expuit: ita etiam mundus quosdam quidem deprimit atque contenīnit, alios vero effert & extollit, sic tamen vt paulo post sit eosdem depressurus & penitus abiecturus.

Cum tanta sit in rebus mundanis mutabilitas inquit Seneca, animum conuertamus & referamus ad solida, sublimia, & alta. Vide Senecam lib. 5. epis. epis. 59.

Sed quænam inquit idem Seneca, in mundo constantia inueniri potest, in quo tot tantæq; mutabilitates & inuentæ sunt, & in dies inueniūtur? Quod si plenius videre voles, percurre quæso varias historias Græcorum, Persarum, Schytarum, & alias huiusmodi. Vide Senecam lib. de Conso. ad Albinam matrem cap.6.

Variæ quidem in mundo mutationes atque labores Isa.45.C. labor Ægypti.

Varia mutabilitas mundana Isa.14.A.B.& posfidebit eos domus Israel.

Res mortalium mutabiles Isa.44. quia deserta tua & solitudines tuæ.

Varia mutabilitas Isa. 60. C. & venient ad te curui.

Variantur quidem res istæ Isa. 65. ecce serui mei comedent.

Rerum mundanarum mutatio Threno. 1. A. facta est quasi vidua.

Mira rerum mutatio Ezechie.27.B. omnes naues maris.

Varia mutabilitas Ezech.31.per totum.& 32.A.

Aperte quidem rerum mundanarum inconstantia & instabilitas reluxit in sancto Iob. Vide Iob per totum.

Rerum mundanarum mutationes Ecclesiastici 11.A. multi tyranni &c.

Vide quo tandem deuenire solēt fauorum hominum mutatio atque volubilitas 3.Regum 1.G. tenuítque cornu altaris.& 4.Regum.14.E.

Mundani fauores quem sæpe habeant exitum 4.Reg.25.B. apprehensum ergo regem.

Vide quanta sit rerum istarum mutatio 1.Esdræ.6.per totum.

Mundi volubilitas Esther 6.D. & Aman. festinauit. Item 7.D. appendite eum. & 16. A. rex magnus.

Varia in præliis mutabilitas 1.Mach.6.F. comprehendit rex Bethsuram.& 11. B. & fugit Alexāder.& 14.A. comprehendit eum. præterea 2. Macha.8.per totum.

Tres habet libros Inno.3. de contemptu mundi siue de miseria humanæ conditionis, circa medium operum, quorum primus incipit, Quare de vulua matris egressus sum &c.

Manifeste quidem mutabilitas & inconstantia rerum mundanarum in crudelissimo illo Nerone apparuit, qui cum vsque adeo sibi omnes subiectos haberet, vt parte etiam quadam vrbis succensa, nullus auderet illi obloqui & obmurmurare: adeo tamen fortuna eius postea mutata est atque reflauit, vt ab vrbe fugiens, suis se tandem manibus interfecerit.

De Polycrate fertur, quod tam prospere ei cūcta succederent, vt cum aliquando anulum etiam quendam pretiosissimum data opera proiecisset in mare, vt aliquo modo aduersis etiam vteretur, eundem tamen paulo post in piscē ante se posito, qui anulum absorbuerat; inueniret. Sed cum tāta sit in mundo mutabilitas & inconstantia, nō passus est vt in tāta prosperitate è vita decederet. Siquidem captus est ab hostibus, & obscurata amissáque gloria sua omni & regno, in crucem & patibulū actus fuit, cadauéreque eius expositum, & obiectum auibus, canibúsque dilaniādum ac deuorandum, quemadmodum prodiderunt Strabo lib.14.& Valerius Maximus libr.6. & complures alij historici scriptores.

Belisarius dux quidam Imperatoris Iustiniani, postquam expugnasset & superasset Vuandalos, Italiam victoriosē liberasset, de Persis etiam triūphum reportasset, tandem mundo eidem inuidēte, omni honore spoliatus fuit, oculisq; priuatus, & eò miseriæ redactus, vt in pauperrimo quodam tugurio secus publicam quandam ac frequentatam viam, sibi victum emendicaret, diceretque, obolum porrigite Belisario, quem non culpa, sed inuidia cæcauit. Vide procopium, & Textorem in sua officina.

Philosophi etiam nonnulli qua ratione tum in prosperis tum in aduersis nos gerere debeamus, nos instruxere. Nam Cleobulus dixit, rebus secūdis ne efferaris, aduersis vero ne deiiciaris. Periander, si fortuna iuuat, cauero tolli, si tonat, caueto mergi. Plato, vituperatus ne irascitor, laudatus ne extollitor. Epictetus, Æquum memineris seruare animum in vtraq; fortuna. Horatius, rebus in angustis, animosus atque fortis appare.

Qua ratione nos gerere in prosperis debeamus secundum Philosophorum sententiam etiam, & Poetarum aliquorum, vide Vinc. Belluacen. spec. doctr. lib.5.cap.120.vsque ad 132.

Cæterum illud non erit obseruatione aliqua indignum, quod scilicet cum inter cetera trophęa imperatorum, regum, & ducū ingressus hic Christi principatum tenuerit, nihilominus tamē ipsius capiti super positum non fuerit pallium aliquod, siue vmbella & velamen illud honorificum, quod apponi solet ingrediētibus regibus in vrbes cum maiestate. Verum hoc si perpendamus, eo fortasse dicendum erit factum fuisse, quod scilicet cum Christus dominus rex sit non solum terræ, sed etiam cæli, idcirco velamen nullum habuerit supra se, quo cælum ipsum ab eius conspectu arceretur: cum autem terreni reges imperium nullum habeant in cælestia, sed solum in hęc mundana, ideo terrestria quidem illis manifestantur, at vero supra caput velamen quoddam habent quo cæli ipsius prospectus occultatur.

Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant dicentes: osanna filio Dauid, benedictus qui

venit in nomine domini. Latina lingua osanna salua nos dicitur:ab ipso enim salutem & priores quæsierunt,& presentes quærunt; & benedictum qui venit in nomine domini confitentur,quoniam vna spes,vna fides,est præcedentium, atque subsequentium populorum. D. Grego. super Ezechie. lib.1,homi.17.

Clamabant dicentes osanna &c. Quod paruuli animaduertentes,parentum exempla secuti, simili voce & affectu cum illis clamabant.Qua in re videre licet quantum parentum exépla apud filios valeant. Ita enim natura comparatum est, vt pro lege accipiant liberi,quicquid in moribus parentum animaduerterint. Quemadmodum enim loquendi formam ab eis accipiunt, cum eos loquẽtes audiunt,ita etiam viuendi regulam, cum eorũ opera contemplantur. Si enim orantes viderint, ipsi orant:si facile pauperibus tribuẽtes,ipsi quoque tribuunt.Contra vero si ludentes viderint, ludunt,si peierantes,peierant: si male precantes famulis, ipsi quoque male precantur. Quo magis piis parentibus enitendum est, vt non modo suo, sed etiam filiorum nomine,se ipsos in officio cõtineant,ac linguam præcipue moderentur.

Vide Ioannem Gerso.4.par.fol.90.91.& 97.

Vide præterea duos sermo.D.Brun.Carthusianorum patris de hac solennitate.

Vide supra domini.1. Aduentus secundum vsum fratrum prædicatorum.

Quendam habet serm.D.Berna.de monte Olueti,inter initium ac medium suorum operum,& incipit.Ascenditur in montem Olueti.

Osanna filio Dauid &c. Vide Sixtum Senen. Bibli.sanct.lib.6.annota.96.

Feria secunda post Dominicam in Ramis Palmarum.

ANTE *sex dies paschæ, venit Iesus Bethaniã vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit Iesus. Ioannis* 12. Vt intelligas diem Paschæ non quidem quartum decimũ diem primi mensis, in qua ad vesperam immolabatur Paschalis agnus,vt habetur Exo.12. sed potius hic dicitur Pascha 15.dies,quę tota erat festiua.Et illo anno occurrit feria sexta, in qua passus est dominus.Ita quod sextus dies ante Paschа,fuit prima feria,id est dies dominicus,in qua dominus Ramis Palmarum Hierosolymam intrauerit.Et in die præcedenti,scilicet Sabbatho, Christus venit in Bethaniam. Et hoc est quod dicitur, Ante sex dies Paschæ. D. Thom. super Ioann. 12. lectione prima.

Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Ne putarent homines phantasma esse factum, qui à mortuis resurrexit vnus erat ex recumbentibus, viuebat,loquebatur,epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas Iudæorum confundebatur. D. Augusti.super Ioan,tracta.50.to,9.

Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi,& vnxit pedes Iesu,& extersit capillis suis pedes eius,& domus impleta est ex odore vnguenti. Can.1.Dum esset rex in accubitu suo,nardus &c,Est autẽ nardus herba brevis & spicosa,& nigra,ex qua fit vnguentum, quod vim confortandi habet ex sua aromaticitate,Compositionis formam ostendit cũ dicit, pistici pretiosi. Et secundum Augustinum dicitur pistici à loco in quo nardus oriebatur. Sed melius est quod exponatur pistici, id est fidelis:hoc est nõ sophisticati per aliquam admixtionem,nã pistis in Græco idem est quod fides. Addit autem pretiosi, quia confectum erat ex spica nardi, ex qua pretiosum vnguentum fit, & forte admixtis aliis pretiosis rebus. In quo docemur quod ea quę pretiosissima sunt apud nos,Deo debemus offerre.Secundum illud Psal.65.Holocausta medullata offeram tibi &c. Et Mal. 1. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, offert domino debile. *Et domus impleta est.* Per quod insinuatur vnguenti bonitas, cuius odor totam domum impleuit.Cant.1.Curremus in odorem.vnguentorum tuorum.D.Tho. super Ioan.12.lect.1.

Quod ait pistici,locum aliquem credere debemus vnde hoc erat vnguentum pretiosum:nec tamen hoc vacat,& sacramento optime consonat, pistis Græce fides dicitur.Querebas operari iustitiam,Iustus ex fide viuit:vnge pedes Iesu bene viuendo,Dominica sectare vestigia,capillis terge; si habes superflua, da pauperibus, & domini pedes tersisti.Capilli enim superflua corporis videntur, habes quod agas de superfluis tuis:tibi superflua sunt,sed domini pedibus necessaria sunt. Forte in terra domini pedes indigent,de quibus enim nisi de mẽbris suis in fine dicturus est:Cũ vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? superflua vestra impendistis,sed pedibus meis obsecuti estis. *Domus impleta est odore.* Mundus impletus est bona fama:nam odor bonus,fama bona est.Qui male viuunt & Christiani vocantur,iniuriam Christo faciunt: de qualibus dictum est quod per eos nomẽ domini blasphemetur.Si per tales nomen Dei blasphematur, per bonos nomen domini laudatur. Audi Apost.Christi bonus odor sumus,inquit, in omni loco.Dicitur & in Cant.Oleum effusum nomen tuum:ad Apost.revoca intentiouem.Christi inquit bonus odor sumus in omni loco, & in his qui salui fiunt,& in his qui pereunt:aliis sumus odor vitæ in vitam,aliis odor mortis in mortẽ. Bonum odorem se dixit,non malum,& eundem bonum odorem aliis ad vitã dixit, aliis ad mortem: felices qui bono odore viuunt. Quid autem infelicius illis qui bono odore moriuntur:D.Augusti. super Ioan.tracta.50.to.9.

Quod autem Matthæus & Marcus in hac cœna in Bethania caput domini vnguento illo perfusum dicunt,Ioannes autem hoc loco pedes: non solũ caput,sed & pedes domini accipiamus: perfudisse mulierem:quorum hoc Ioannes, illud vero cæteri Euangelistæ commemorant, nullus tamen eorum à veritate discedit. D. Cyrillus super Ioan.lib.8.cap.6.

Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes,qui erat eum traditurus:quare hoc vnguẽtum non veniit trecentis denariis,& datum est egenis? Væ tibi miser, bonus odor occidit te.Quare enim hoc dixerit,Euãgelista sanctus aperuit. Putaremus autem & nos, si mens ipsius nobis per Euangelium non proderetur, pauperum cura hoc illum dicere potuisse: non ita est.Sed quid?audi testem veracem. Dixit autem hoc,non quia de egenis &c.D. Augusti. super Ioan.tracta,50.to.9.

Cæterum quod alij Euangelistæ dicunt discipulos murmurasse de vnguenti pretiosi effusione, Ioannes autem solum Iudam commemorat,putãdum est discipulorum nomine Iudam significatum,plurali numero pro singulari vsurpato,quod in scriptura sæpenumero vsu venit.Possunt etiam intelligi alij discipuli aut sensisse hoc, aut dixisse, aut ipsis illud Iuda dicẽte siue suggerente persuasum esse,atque omniũ voluntatem Matthæum & Marcum verbis etiam expressisse: sed Iudas propterea dixit,quia fur erat,& cupiditatis suæ stimulis exagitatus,cæteri vero propter pauperum curã simplici animo,& nihil mali suis verbis obuelante. Ioannes autem de solo illo id commemorare voluit,cuius ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.Cum enim ei creditum esset ministerium ea seruandi,quæ pro Christi & Apostolorũ sustentatione erant erogata,ipse cæca ductus cupiditate,illorũ aliquid furtim subtrahebat,& sibi reponebat, in proprium accommodans vsum ea,quæ in communem fuerant cõtributa.Et hac vnguẽti effusione occasionem præcipuam videtur sumpsisse, dominum Iudæis tradendi,vt pecuniam quã existimabat se perdidisse, recuperaret.Hinc nos ipsi edocti,nunquam bonis aliorum operibus obloqui aut detrahere debemus,siue sinistra quadã interpretatione indignari, quin potius admirari ea & laudare,atque imitari pro viribus anniti.Non enim ostendit sese ille virtutis amatorem,qui virtutis opus in altero reprehendit.Audiamus potius Sapientem dicẽtem, Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales & ipse benefac.D.Cyrillus super Ioan. libr. 8. cap. 7.

Quare hoc vnguentum non venijt &c. Hoc loco agere poteris,exspatiari,& digredi contra murmuratores & detractores homines;& videbis Augus. ad fratres in eremo serm.26.circa finem to.10.

Murmurationes & detractiones quantum noceant Galat.5.C.quod si inuicem mordetis.

Detractores homines fugiamus Ecclesiastici 28.D.sepi aures tuas spinis.

Detractoribus comminationes fiunt Esa. 5. E. væ qui dicitis malum bonum & bonum malum.

Detractores quantum noceant Esa.9.D.vir fratri suo non parcit.

Scelus est murmurare contra Deum & eius opera Esa. 45. B. nunquid dicet lutum figulo. & Rom.9.C.nunquid dicit figmentum.

Murmuratores patienter sustineamus Iob 31. D.Si non dixerunt viri tabernaculi mei &c.

Fugere debemus murmuratores Ecclesiastici 28.C.Beatus qui tectus est à lingua nequam.

Sicut papilio volitans circum lucernam:gestire videtur vt eam extinguat, sed tamen sæpissime tam crebro volatu & assiduo alas potius adurit, sibique tantum nocumentum adfert,permanente semper lucerna ac perseuerante in sua flamma:ad eundem modum contingit detractoribus,vt scilicet cum conentur quantum in se est alterius famã nonẽque obruere,sibi potius nocumentũ prius inferant animæque interitum, permanente sæpe magisque florente eius nomine,quem canino suo rodunt dente,quémque penitus delere moliũtur.

Quemadmodum qui fraudulenta vtuntur trutina & mensura,maximum non solum alijs, sed etiam sibi ipsis nocumentum inferunt,hoc est animæ suæ necem interitúmque adferunt: ita plane detractores homines non solum aliis, sed sibi primum vehementer nocent,dum de aliis perperam loquentes, de seipsis interim magna falso prædicant,se commendant atque extollunt: qui etiam consueuerunt ne praua eorum mensura & dolosa internoscatur,aliqua proferre simulata fucatáque verba apud aliquos,quibus videantur bona dicere potius quam detrahere, sed tamen hæc fictio & simulatio tandem detegitur & reuelatur,cum scilicet ad propria prædicanda pleno ac perliberali cernuntur ore loqui,cum interim in eorum laudibus commemorandis quibus detrahere studẽt,

parcissimi auarissimique sint.

Et datum est egenis. Si voles aliqua hic obiter dicere de misericordia & liberalitate erga egenos & pauperes,etiam philosophorum habes documẽta.Nam Epictetus dixit,memineris cum dines fueris,pauperes iuuare.Democritus, peregrinis & egentibus alimoniam ministrato.Anaxagoras, hospites pauperes ne negligas cum videris.Phocylides,dines opum cum sis,mendicis porrige dextrã. Idem,elargire manu larga miseratus egenti.Socrates,peregrinis & egentibus ex his quæ suppetunt ministra alimoniam:nam qui indigẽti victum negat,is neq; ab alio quicquam accipiet dum eguerit.Anaxagoras, quæ tibi donauerit Deus, ex iis subleua egentes.Anaximenes, de misericordia & pietate exercenda diligẽter cogita: egenum in tectum suscipe;nautas etiam mercibus amissis sparsim miserere vagantes.Pittacus,infortunatum ne irrideas.Cherontius,de pietate & loquere, & discе.Claudianus, sis in primis clemens,nec vincaris benignitate,& liberalitate. Menander,viro infortunato ne infigas malum vehementius,sed benefacito quantum potes.

Tametsi vsque adeo proterue inhumanéq; Iudas se gereret contra officiosam piámque Magdalenam,tamen Christus dominus cum eo patiẽter se gessit & dissimulanter, de quo argumento hæc paucula accipito.

Dissimulat sæpe nos seu tolerat in hac vita Deus Iob 35.D.nunc enim non infert furorem suum.

Donum quidem Dei est tolerare posse & dissimulare homines impios & dissolutos. Esa. 50. B. dominus dedit mihi linguam eruditam &c.

Dissimulat sæpe Deus nostra scelera. Ionæ 4. D.tu doles super hederam &c.

Deus quamuis hic dissimulare soleat, alibi tamen in impios ostendet iram suam.Esa.65.B. non tacebo sed reddam &c.

Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eũ, sed quia fur erat, & loculos habens,ea quæ mittebantur portabat. Portabat,an exportabat? Sed ministerio portabat, furto exportabat. Ecce audite quia Iudas iste non tunc peruersus factus est, quando à Iudæis corruptus,dominum tradidit. Plerique enim incuriosi Euangelij, existimant tunc periisse Iudam,quando accepit à Iudæis pecuniam vt dominum traderet,non tunc periit, iam fur erat, & dominum perditus sequebatur, quia non corde, sed corpore dominum sequebatur.D. Augusti. super Ioan.tracta.50.to.9.

Quod si quis inquireret quid tandem cum fur esset,loculi ei pauperum committebantur?Cur auarum fecisset dispensatorem? Illud sane dicemus Deum arcanam intelligere rationẽ. Quod si quid & à nobis est coniectandum, vt omnem tolleret proditionis materiam,neque enim poterat dicere pecuniarum id cupiditate fecisse, sufficiẽtes enim loculi esse debebant qui eius satisfacerent cupiditati,sed sola malitia.D.Chrysostom. super Ioan. homi.64.to.3.

Sed quia fur erat, & loculos habens. Vide præter cætera vitia quam excęcatum præ atra auaritia haberet etiam animum nefarius hic proditor. Contra quod execrabile scelus & longe latéque serpens,si voles paulo fusius aliquid tractare, nonnulla subiungam.

Auaritia longe latéque grassatur. Ecclesiastici 8.A.Multos enim perdidit aurum.

Vide quam cæca ac misera sit auaritia Ecclesiastes 6.A.vir cui dedit Deus diuitias.

Considera atram auaritiæ cæcitatem Eccle-

siastes

siastes 4.B.C,considerans reperi & aliam vanitatem,

Auaritia quantum noceat Ecclesiastici 31. A, Qui aurum diligit non iustificabitur.

Auari diuites,pauperes ipsos fallunt & deprædantur.Ecclesia.13.A.B.Diues iniuste egit.

Liberalitatem non auaritiam amplectamur Gene.23.C,agrum trado tibi.

Auari ingrati esse solent, minimeque beneficia accepta dignantur agnoscere.1.Reg.25. A, vir eius durus & pessimus.

Magna quidem solicitudine opibus congeren dis inhiant auari, & quandoque omnibus simul priuantur.3.Reg.22.ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad &c.

Auaritia quantum adporret mali Acto. 16. D. videntes autem domini eius.

Crudelis quidem est ipsa auaritia.Acto. 19. E. Demetrius enim quidam argentarius.

Auaritia detestabilis Michææ 3.D.Audite hęc principes.

Auaritia contemnenda Psalm.48.ne timueris cum diues factus fuerit homo.

Quam noxia sit auaritia Luc. 12. C.hominis cuiusdam diuitis.

Sed quia fur erat &c. Vsque adeo non solum auaritia huius pectus feruebat,sed etiam cor obstinatione excæcatum erat,vt neq; mitissima Christi responsione, neque benignissimis eius obsequiis,& persuasionibus, fuerit vnquam mollefactum:quo loco si de cordis obstinatione dicere aliquid voles,accipies subiecta.

Obduratio cordis contra Dei admonitiones & flagella. Esa. 9. C. D. in omnibus his non est auersus furor eius &c.

Durities cordis Esa. 30. C. Loquimini nobis placentia.

Animum quis non molliat suum,audiens tam suaues Dei monitiones?Esa.46.D.Audite me duri corde.

Induratio & obstinatio mentis Hiere. 2. E. Si laueris te nitro.F.frustra percussi filios vestros.

Cordis obstinatio Esa.65.B. vocaui & non respondistis.

Mentis durities quo deueniat Esa.6. C. excæca cor populi huius.

Animi obstinatio Esa.1. B. super quo percutiã vos vltra &c.

Animi obstinatio Hiere. 5. A. Percussisti eos nec doluerunt.

Mentis obduratio Hiere. 6, B. Sicut frigidam facit cisterna.

Cordis durities Hiere.7.C. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc &c.

Cordis durities Hier.17.A.Et relinqueris sola.

Quid accidat duris & incorrigibilibus Hiere. 25.D.sume calicem vini furoris huius.

Obstinata corda quo deueniant Hiere. 30. B. insanabilis fractura tua.

Cordis obduratio & proteruia quo exitu terminentur Hiere,39.persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum.

Obstinatio cordis Prouer. 18, A, impius cum in profundum venerit peccatorum,

Obstinatio in peccato Iosue 11. D, Domini enim sententia fuerat &c.

Fur erat. De huius scelerjs atrocitate vide Lauren.Iusti.lib.de regimi. Prælato. cap. 12. circa finem operum.

Furti flagitium etiam philosophi ipsi iampridem reprehenderunt;nam Socrates dixit,quę tua non fuerint,quorsum cum furti ignominia abripies?Tryphon etiam dixit,rapacitatem fugito atque furta.

Cæterum quia hic Iudas auaritiæ & diuitiis tantopere inhiabat, eo miseriæ tandem deuenit: tale quidpiam etiam contigit Acto.5.B. cecidit & expirauit.

Cupiditas lucri & pecuniæ Iudam ipsum furti infamauit, & solet etiam plerosque quotidie de hac infamia taxare,qui vsurarij sunt & illici.is vtuntur negotiationibus.De qua re vide Ambrosi. lib.de Tobia circa finem to.1.vbi multa huc spectantia inuenies.

Vsuræ ipse prohibentur in Conci. Nicæ. sub 318.epist.celebrato ca.18.& in Conci.Eliber.cap. 2.de quo etiam vide dist. 47. Si quis clericorum. Tum in Conci.Chalce.tempore Leo.1. cap. 3. de quo etiam multa inuenies dist. 86. peruenit ad sancta. Tum etiam in Concil. Lugdu. sub Gregor. 10.

Et loculos habebat &c. Nimia diuitiarum appetentia & cupiditas, homines pertrahere solet ad multa facinora:tum etiam impias & illicitas diuitias etiam Philosophi ipsi iampridem reprehenderunt: nam Cato dixit, honestam paupertatem impiis diuitiis longe præferto. Thales, ne quæras fraude ditescere.Menander, ne properes ditescere,ne pauper cito fias. Plato, non tam possessioni augendæ studeas, quam minuendæ cupiditati. Phocylides,ne ditare iniuste,sed iustis viue.Pythagoras, persuasum habeas tuas non esse facultates quas non concluſas animo geras.

Porro si ad consolandos etiam pauperes, hic digredi fortasse voles,consules subiecta.

Pauperes oppressos respicit Deus,& punit opprimentes.Michææ 3.A.qui violenter tollitis.

Pauperes opprimentes nõ exaudientur à Deo. Michææ.3.B.tunc clamabunt ad dominum.

Pauperes opprimere nefarium est. Malach. 3. B.& accedam ad vos in iudicio.

Pauperes oppressi ad Deum clament Iob 5. C. saluum faciet egenum à gladio eorum.

Pauperum oppressores qua ratione tractet Deus Iob 24.per totum.

Pauperes contemnere non debemus Iob 31.B. si contempsi subire iudicium cum seruo meo.

Pauperes opprimuntur in mundo Ecclesiastes 2.D.nonne melius est comedere & bibere &c.& 3.C.omnis enim homo.

Pauperes opprimuntur in mundo Ecclesiastes 4.A.verti me ad alia.

Pauperes placidiora & tranquilliora habent somnia.Eccles. 5.dulcis somnus operanti.

Pauperes contemnere non debemus. Sapiẽ. 5. A.hi sunt quos aliquando habuimus in derisum.

Multi inopes homines in substãtia à diuitibus decipiuntur Ecclesia.13.A.B.diues iniuste.

Pauperes non sunt affligendi Exod. 22. viduæ & pupillo,

Si rursus velis digredi in diuites & diuitias,vide subsequentia.

Multi quidem diuites sunt Dei amicissimi Iob 1.A.vir simplex & rectus.

Diuites maxime deuincti sunt Deo. Iob 1.B, nunquid frustra Iob timet Deum?

Diues dum quis fuerit, multos habebit amicos,at si pauper fiat, illico destituetur. Iob 19, C. dereliquerunt me propinqui mei.

Diuites auari & oppressores pauperum quo deueniant.Iob 24.per totum.

Diuitum quale sit officium in repub.Iob 29.B. C.eo

C.eo quod liberassem pauperem.

Diuites illico multos inueniunt cognatos & amicos Iob 42.C.venerunt autem ad eum omnes fratres sui.

Veræ diuitiæ à Deo impetrandæ Iob 42. C. & addit dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia.

Diuites opprimere solent ipsos pauperes Prouer.22.C.qui calumniatur pauperem.

Multi incommode festinant ditari.Prouer. 28. D.vir qui festinat ditari.

Diuites protegere debent pauperes & orphanos contra tyrannos.Ecclesiasti.4.A.B.libera eum qui iniuriam patitur.

Plerique diuites solent pauperes decipere.Ecclesia.13.C.D.venatio leonis.

Multi diuites probi Ecclesiasti. 13. D.bona est substantia cui non est peccatum.

Memor esse debet diues inopiæ in quam incidere potest Ecclesiastici 18.C. memento paupertatis.

Diuitias largitur Deus cum sibi beneplacitum est. Gene. 32. C. in baculo meo transiui Iordanem.

Diuites multos habere solent amicos & familiares 2. Reg. 19. G. quare te furati sunt fratres &c.

Diuites multi pauperes opprimere consueuerunt & bona eorum deprædari. 3. Reg. 21. A. da mihi vineam.

Diuites oppressores pauperum quo tandem deueniant 1.Macha.6.A.& rex Antiochus &c.

Dixit ergo Iesus: sine illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis, & reliqua. Videamus quid ad ista dominus respondeat : videt fratres, non illi ait,propter furta tua dicis ista : furem nouerat,& prodere nolebat,sed potius tolerabat, & ad perferendos malos in Ecclesia nobis exẽplum patientiæ demonstrabat &c.D.August.super Ioã. tracta.50.tom.9.

Atqui hoc verbum facile potuit illum in misericordiã adducere : quasi diceret, Molestus sum & grauis,sed expecta parumper,& migrabo. Huc enim respexit cum diceret.Me autem non semper habebitis.Sed nihil horum ferum & insanientem animum flexit,licet his multo plura & diceret & faceret,& pedes eius eadem nocte lauisset, & ad mensam secum adhibuisset, quod & latronum animos mulcere assolet : & alia verba locutus est quibus etiam lapides molliri potuissent.Nec multo ante sed eadem die,vt minime obliuioni mandare potuerit : sed aduersus omnia perstitit immobilis.Grauis namque morbus est auaritia,grauis inquam,qui & oculos cęcat,& aures obstruit, & fera sæuiores reddit, non conscientiam, non amicitiam,non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere sinit, sed semel ab omnibus discedens,in seruitutem sibi quos cepit, more sæuissimi tyranni vendicat. Ideo idololatriã eũ appellauit Paulus, non tamen tam formidabilis est idololatria.Sed cur ita appellauit? Habent nõnulli pecunias,& his vti non audent, sed nepotibus reseruant, & intactas ad alios transmittunt, tunc & tanquam dona Deo dedicata tangere minime audent : quod si quando coguntur,tãquam ad nefas aliquod timide veniunt : præterea tanquam quis idolum lapideum, aurum & claustris & vectibus cohibent,pro templo arcam prępara-tes,& argenteis vasis recondentes;nonne ita aurũ adorat, vt ille idolum ? Ille & oculos & animam traderet potius quam idolum. Non aliter affecti sunt auri amatores.Sed nõ adoro aurum, inquies. Neque idolum dicet,sed inhabitantem dæmonẽ. Ita & tu,licet non aurum, eius tamen aspectu & cupiditate,animæ insidentem dæmonem adoras. Dæmone enim grauior est pecuniarum cupiditas qua multi magis persuasi sunt,quam illi ab idolis, quibus non omnia parent : huic vero omnia, & quodcunque faciendum suggerit, obsequuntur.

Quid dicit auaritia?Esto omnibus inimicus,obliuiscere naturam,contemne Deum,sacrificiũ mihi teipsum offer.Dicto citius parent. Et idolis quidẽ boues sacrificant,auaritia offer mihi animam inquit,& persuadet. Sed si placet vnde malum hoc prouenerit dicam,vnusquisque maiori ęmulatus, morbum hunc auxit, & nolentem præoccupans irritauit.Cum enim splendidas domos,diffusos agros,feruorum greges,argentea vasa,vestimentorum copiam intuerentur, vt hæc superarent, pro viribus contenderunt.Itaque primi secundis causam,secundi minoribus præbuerunt. Quod si cõtinentes esse voluissent, non sane fuisset posteris cupiditatis exemplum,imo neque vlla his excusatio est,D.Chrysost.super Io.hom.64.to.3.

Vt in diem sepulturæ &c. Vide quam alta haberet mente repositum atque defixum Christus dominus diem sepulturæ suæ,quamque crebro in mortis suæ commemorationem incideret : vt inde discamus mortis diem nostrum nobis crebro ante oculos proponere,quo tandem vitia omnia detestemur, & ea à nobis quam longissime propellamus.Cum defunctum videris ad sepulturam ferri,cõsiderare debebis te perinde etiam mortalem esse,atque quod cum certissime te maneat mors, nihilominus tamen eius aduentus atque irruptio sit incertissima.Eccles.38.memor esto iudicij mei, sic erit & tuum:mihi heri,& tibi hodie.Cæterum iubebat dominus plumas auis quæ illi in sacrificium offerebatur,in cineris locum conjici ad partem orientalem:eleuantur quidẽ in altum diuitię, honores,salus,nobilitas,veluti auis cum suis plumis,vult ergo dominus vt hæc omnia coniicias in cineris locum,hoc est ex his superbe nõ efferaris, sed cum maxime affluant & floreant, tunc etiam maxime in mentem veniat mortis recordatio, & quod puluis sis & cinis.Indutus quidẽ fuit Adam mortuorum animalium pellibus,vt mortis sentẽtiam in quam per peccatum inciderat recordaretur.Singulare ergo quoddam remediũ est ad peccata vitanda,vitámque nostram in melius cõmutãdam,crebra ac sæpe repetita mortis recordatio. Iniicit siquidem hæc in ignem nostrorum appetituum quasi frigidam quandam aquam,qua reprimantur & retũdantur.Est etiam mortis memoria sæpe repetita,ceu horologium quoddam quo nostræ vitæ actiones metimur, mẽsuramus, & in meliores commutamus. Et quemadmodum Daniel cineris aspersione fraudes & machinas sacerdotũ illorum Babyloniorum deprehendit atq; aperuit: ita etiam nos consideratione mortis debemus machinas,astutias,& dolos ipsius dæmonis detegere, & aperire, nobisque ab eisdem diligentissime cauere. Quiquidem tentator & hostis infensissimus non solum in vita ipsa crudelissime, & fraudulenter nobiscum agit, sed in morte etiam multo vehementissimo, cum sciat quod si tunc non venatur, iam non concedatur vlterius venãdi locus?vnde terribiliter tunc tentat, & nullum non mouet lapidem vt prædam capiat, Cæterum solent qui ex vna prouincia in aliam migrãt,merces suas omnes & omnia quæ secum portant, in alte

alterius ingreſſu pandere,ac manifeſtare. Sic in tranſitu huius vitæ in alterius vitæ regnum,erunt qui aperiant noſtræ conſcientię ſarcinas,& opera noſtra vſque ad minimam cogitationem examinent.Erat quidem dies ille Luc.12.anxius & ſolicitus dicens, Quid faciam, quia non habeo vbi reponam fructus meos? ſtatim igitur audiuit dignam reſponſionem ſua ſtulta cogitatione, quod ſcilicet eadem nocte in obſeruatorum & ſpeculatorum manus incideret atque incurreret.

In diem ſepulturæ meæ. Quemadmodum vt inquit Ioannes Climacus,inter cibos omnes quibus vtimur ad corporis tuendam & traducẽdam vitam, panis ipſe quotidianus eſt & neceſſarius, ita ad animæ ſalutem defendendam & conſeruandam, quotidiana eſſe nobis debet mortis memoria ac recordatio.

De morte ac eius conſideratione vide D. Bernar.in lib.Medita.ca.7.& incipit, certum eſt quoniam mors vbique minatur.

Qualiter naturalem quẽdam mortis pauorem ſuperauerint ſancti,lege Lauren. Iuſ. lib. de Triũpha. Chriſti agone cap.19.

Quendam habet tracta.D.Cyprian. de mortalitate inſcriptum , & incipit , Etſi apud plurimos.

Componit lib.quendam D. Ambro. de bono mortis,qui reperitur in 1.to.ſuorum operum.

Non eſt cur mortem nimis formidemus, quãdo adeo certa eſt carnis reſurrectio. Vide D. Ambro.lib.de fide reſurrect.to.3.

De morte præterea conſule D.Auguſt.ad fratres in eremo ſermo.72.iuxtã finem to.10.

De triplici morte aliiſque huiuſmodi conſule D.Anto.1.par.Theolog.tit.4.cap.1.

De tribus nouiſſimis mortis conſule eundem 1.par.Theolo.tit.5.cap.2.

De morte timenda ex ſeptem conſiderationibus lege eundem 4. par. Theologa. tit. 14. cap.8. & 9.

Multa inuenies de morte eiuſque ſignis apud Vincen.Belluacen.Specu.natu.lib.31.cap.100. & 110.& 113.

Quod mors æquali iure tum diuites tum pauperes metiatur,neminíque parcat, vide Senecam lib.1.epiſt.epiſt.12.

Quotidie quodammodo morimur, & ſingulis diebus ac horis aufertur nobis pars aliqua vitę ſiue minuitur. Finitur quidem vita in die mortis, quæ tamen iam inde à primo ipſo ortu fluere incæperat,ceu aqua vaſe aliquo auguſti orificij cõcluſa,quæ paulatim labitur, totáque tandem exhauritur:vide Senecam lib.3.epiſt.epiſt.24.

De morte ſæpiſſime cogitare plurimum conuenit , vnde Seneca; quid inquit eſt quod nos pigros inertéſque reddit?Quia ſcilicet nemo noſtrũ cogitat tandem aliquando ex hoc corporis domicilio atque ergaſtulo emigrandum eſſe.Vis belliſſime te gerere? tanquam ſtatim migraturus viuito , proponéque tibi incertam mortis horam , & certam tamen mortem,perpetuo ante oculos.Vide Senecam lib.10.epiſt.epiſt. 17.

Mori neceſſarium quidem eſt, & quemadmodum de materno vtero tandem vbi ad certum quendam terminum deuẽtum eſt, egredimur atque erumpimus:ita certe ex hac vita termino tandem noſtro diſinito & terminato concedimus, ac ſemigramus.Cæterũ dies ille æternitatis erit, deponéſque onus hoc.Sed quid gemis?& hoc ipſum flete naſcentis eſt. Doles relinquere veſtes iſtas carnis quibus obtegeris?quid contriſtaris? ita ſolet fieri : pereunt ſemper velamenta naſcentium Vide quid illic inuenias ; illic totum lux, totum gaudium:tunc dices,viuere in hac vita eſſe veluti mancre in tenebris quibuſdam &c.vide Senecam lib.17.epiſt.epiſt.103.

Sine illam &c. Vide quanta cum patientia & manſuetudine reſpõdeat Chriſtus dominus murmuratori & detractori Iudę,vt inde diſcamus nos benigne agere & patienter;cum conſimilia nobis forte obuenerint:ad quod inſtitutum amplificandum,aliquos indicabo fontes.

Quendam habet ſermo. de manſuetudine inſcriptum D.Chryſoſto. inter initium & medium tom.5.

De manſuetudine lege D.Baſi.lib.conſtit.Monaſti.cap. 13.

Quendam habet dialogum D. Leo papa inter proteruiam & manſuetudinẽ circa mediũ operũ.

Patientia in calamitatibus quantum conducat 1.Petri 1.B.in variis tentationibus.

Patientes ſimus ad Dei imitationem Sapien. 12.B.non quia impotens eras.

Magnam Dei patientiam imitemur Eſa.57. C. & mei non es recordata &c.

Sed cur impatientes ſumus in ſuſtinendis contumeliis & detractionibus ? hoc quidem efficit amor noſtri nimius,inuiolatos nos etiam inimicis iudicamus eſſe debere : & licẽt iam nobis dari volumus in alios,non autem contra nos. Aut ignorantia nos itaque rerum,aut inſolentia iracundos facit. Si ignorantia , quid quæſo miramur malos mala facinora edere?quid noui eſt ſi inimicus noceat ? amicus enim offendit, filius labitur , ſeruus peccat. Turpiſſimã aiebat Fabius imperatori excuſationem eſſe,non putaui. Ego turpiſſimam homini puto:omnia ergo puta, & præmeditare. Cęterum expecta,& in bonismoribus aliquid exiſtet aſperius , fert humana natura inſidioſos animos, fert ingratos,fert cupidos,fert impios. Vbi tranquilla tibi omnia videntur , ibi nocitura non deſunt.Semper futurũ aliquid quod te offendat exiſtima.Gubernator nunquam ita totos ſinus expli cuit ſecurus,vt non expedita ad contrahendũ ornamenta diſponeret.Illud interim diligenter cogita,fædum eſſe & execrabile , cuiquã nocere velle,hominéque indignum & alieniſſimum , cuius beneficio etiam ſæua manſueſcunt. Aſpice elephãtorum colla iugo ſubmiſſa,tauros quoq; , leones, vrſos,iugo etiam ſubiectos. Pudebit cum animalibus permutaſſe mẽtes. Nephas eſt nocere patriæ, ergo ciui quoque,nam hic pars patriæ eſt &c. Vide Senec.lib.2.de ira cap.31.

Nullum eſt propugnaculum adeo inexpugnabile atque amor ciuium,& manſuetudo erga omnes atque clementia.Quid enim pulchrius,quam viuere optantibus cunctis ? Seneca lib. 1.de clementia cap. 19.

Quendam denique de hac feria ſermo. habet D.Anton.initio 1.par.Theolo.

Feria quinta in Cœna Domini.

ANTE diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem , cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo,in finem dilexit eos.Ioan.13. Quid eſt quod ſanctus Euangeliſta horam mortis horã eius,hoc eſt horam domini appellauit ? Ego quidem eo ſenſu hanc horam domini appellatam eſſe eredo , quo idem dominus diem mortis ſuæ, diem ſuum apud eundem Ioannem appellauit; cum

cum dixit. Abraham pater veſter exultauit vt videret diẽ meum,vidit & gauiſus eſt. Quid ais domine Ieſu?Cur quæſo diem mortis diem tuum, & horam mortis horam tuam appellas: in qua tot iniurias , tot irriſiones , tot ſputa , tot flagella, tot alapas , tot ſupplicia , ſubiturus eras ? An non magis hæc hora hoſtium tuorum , ſicut ipſe dixiſti , hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum,appellanda fuit;in qua filij noctis & tenebrarum,ſanguinem tuum,quem auidiſſime ſitiebant, biberunt,& furorem ſuum ſuppliciis tuis exatiarunt? An potius hæc hora noſtra eſt,qui per eam morte tua à morte excitati , ſanguine tuo empti, vinculis tuis ſoluti, vulneribus tuis ſanati,laboribus tuis refecti , & ſupplicio crucis in cæleſte regnum tranſlati ſumus?vere hæc hora noſtra eſt, in qua tam multa & præclara per te nobis conceſſa ſunt dona : in qua non modo ipſe tranſiſti ad patrem, ſed nobis etiam tranſitum ad eundem aperuiſti:in qua nos à diaboli tyrãnide eripuiſti,in libertatem filiorum Dei aſſeruiſti, mortem noſtram moriendo deſtruxiſti,& infenſam nobis patrẽ ſanguine tuo placaſti:in qua deniq; peccata,quę maiorum omnium cauſa erant,expiaſti,& in profundum maris proieciſti.Sicut de te olim prophetico ore prædictũ fuit.Deponet omnes iniquitates noſtras,& proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.Vere igitur hæc hora noſtra,hora ſalutis,hora redẽptionis, hora expiationis, qua in antiquum dignitatis gradum per te reſtituti ſumus. Non dubium fratres quin hæc hora noſtra ſit.Tres enim horas hic aduertere licet:eſt enim hæc hora Iudæorum,hora noſtra,& hora item Chriſti:multo tamẽ magis Chriſti domini, quam aliorum eſt, quia multo magis illius eſt qui mortem ex amore appetit , quam qui mortem ex odio & furore infert : multoque etiam magis illius , qui beneficium ex immenſa bonitate moriendo confert,quã illius qui neceſſitate conſtrictus mortis beneficiũ recipit:multo enim charitas & bonitas ad donandum,quam neceſſitas & cupiditas ad recipiẽdum propenſior eſt. Hac ergo de cauſa Saluator mortis horam ſuam appellat : quia nulla magis hora illius appellanda eſt , quam quæ neceſſitatibus noſtris cõſulit,quæ mala noſtra depellit, quæ nos bonis omnibus ornat.Nõ enim de laboribus ſuis, ſed de ſalute noſtra , nec de morte ſua, ſed de vita noſtra ſolicitus eſt. Neque triſtitiam ſuam dolorum ſuorum magnitudine , ſed ſalutis noſtræ fructu metitur : nec curat quid illi ferendum ſit , ſed quid nobis propter ea quæ ipſe pertulit, conferẽdum ſit.Sui enim quodammodo oblitus, totus in ſalutis noſtræ cura poſitus eſt.Hoc enim perfectæ charitatis eſt,vt ſui negligens,nõ quæ ſua ſunt,ſed quæ dilecti ſunt,quærat.

In finem dilexit eos. Vnico hoc verbo ſanctus Euangeliſta in præſenti lectione charitatis Chriſti magnitudinem expreſſit.Quiſquis enim attente conſideraſſet , quouſque Chriſti domini charitas hodie progreſſa ſit , facile intelliget quã potenter de illo eadem charitas triumphauerit.Cum enim ipſa hodie illum ad abiectiſſimorum piſcatorum,atque adeo ipſius Iudæ proditoris pedes abluendos deiecerit,cũ illum etiam impulit vt ſeipſum nobis in cibum traderet:cum ipſa quoque illum craſtina die per mediam Hieruſalem vinctis manibus,velut ingens dolorum atque admirationis ſpectaculum,circunducat,an non aperte de illo triumphum egit,quem ſic vicit , ſic abiecit , & ad extrema omnia perferenda propter humani generis ſalutẽ impulit?Quid igitur niſi mirabilem charitatis potentiam atque triumphum cernere licet?Cũ Romanis Imperatoribus propter ſubactas bello prouincias , & res mirabiliter geſtas triumphus decernebatur , vrbem Romam cum ſoleniſſima pompa,circunfuſis populorum turbis ingrediebantur, & reges bello domiti ante triumphantis currum vincti præcedebant. Hoc enim modo & Zenobia nobiliſſima in Aſia regina , aurea catena ligata perducta eſt , & Cleopatra Aegypti regina ne ſic produceretur , aſpidibus ſe necandam permiſit. Tum vexilla & ſigna bello capta,ad ſolũ deiecta terrãque verrẽtia trahebantur.Hæc erat illius triumphi forma.Quiſquis igitur in ſacratiſſimo paſſionis die Dominum vidiſſet vinculis ligatum,flagellis cæſum,ſpinis coronatum,ſputis illitum,Crucẽque laceris humeris per mediam Hieroſolymam infinita hominum multitudine ſtipãte baiulantem , & ad crucis patibulum hac pompa incedentem : nonne mirabilem charitatis eius triumphum his indiciis aperte cerneret? Sed hic fortaſſe quærat aliquis , cum prudentis viri amor ex præſtantia & dignitate rerum oriatur , quæ ob decus & elegantiam ſuam dignæ ſunt quæ diligãtur,homo autem res ſit viliſſima ; qui fieri potuit vt tam prudens & ſapiens amator, rem amore indigniſſimã tantopere dilexerit? Hoc enim ſanctus Iob demirabatur , cum ait . Quid eſt homo quia magnificas eum , aut quid apponis erga eum cor tuum?Huic igitur quæſtioni reſpondeo, hanc mirabilem Chriſti dilectionem non ex hominũ , ſed ex Chriſti potiſſimum bonitate manare: neque enim ſanctitas hominum,ſed Chriſti ſanctitas dilectionis huius præcipua cauſa extitit. Si enim ex ſanctis viris quo quiſq; ſanctior & virtutibus cũctis ornatior eſt,eo maiore humanæ ſalutis amore flagrat,quid de eo exiſtimandum eſt,qui eſt virtutum omnium ac totius ſanctitatis origo & fons?

Ante diem feſtum paſchæ &c. Ecce paſcha,ecce trãſitus,vnde,& quo?de hoc ſcilicet mundo ad patrẽ. Spes membris in capite data eſt , quod eſſent illo trãſeunte ſine dubio ſecutura:quid ergo infideles, & ab hoc capite atque ab eius corpore alieni?Nõne & ipſi tranſeunt, quia non permanent? Tranſeunt plane & ipſi:ſed aliud eſt tranſire de mundo, aliud eſt tranſire cum mũdo: aliud ad patrẽ, aliud ad hoſtem. Nam & Aegyptij trãſierunt,non enim perſequendo manſerũt, non tamen trãſierunt per mare ad regnum,ſed in mari ad interitum.D. Auguſt.ſuper Ioan, tracta.55.to.9.

Ante diem feſtum paſchæ &c. Quaſi ſibi velit,ante ſalutarem paſſionem cum ſciret Ieſus proxime iã tempus eſſe vt ad cælos tranſiret , perfectam erga ſuos qui erant in mundo,dilectionem oſtẽdit &c. Vide D.Cyrillum ſuper Ioan.lib.9.cap.2.

Et cœna facta,cum diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotis; ſciens quia omnia dedit ei pater in manus , & quia à deo exiuit , & ad Deum vadit:ſurgit à cœna,& ponit veſtimenta ſua. Hoc in loco merito quæri poteſt , quonam modo diabolus tantum nefas in cor hujus proditoris immiſerit,& quomodo etiam cæteros quos tentat , ſimili modo decipiat, Ad hoc dicitur,illum oratorum more cum iis quos tẽtat agere ſolitum. Quod enim iſti dicendo,ille facit repræſentando:quod iſti verbis, ille fictis imaginibus , quas menti conſpiciendas obiicit. Quemadmodũ ergo illi verbis rem aliquã aut dignißimam , aut indigniſſimam pro ratione cauſæ ſuæ facere ex arte ſolent:ita fraudulẽtus hic artifex prout dolis ſuis expedire videt , aut formoſiſſimas , aut fædiſſimas res in anima noſtra depingit , ac deinde vel ad amorem , vel ad odium

hominis animum incendit. Hac ergo arte cum infelici hoc discipulo vsus est, lucrum enim quod ex proditionis suæ mercede sperabat, adeo amplificauit, adeo illi vtile & pulchrum depinxit, vt non dubitauerit propter eius cupiditatem autorem vitæ prodere. Sic enim cum illo agebat: hac pecunia necessitatibus tuis consules, hic habebis vnde si in morbum aut discrimen aliquod incideris, commodius tibi consulere possis: ad omnes quippe vitæ vsus pecunia valet, qua etiam homo aduersus omnia fortunæ tela armatus & instructus est. Hæc & similia multa ei callidus tentator suis coloribus depingens, tandem effecit, vt omni posito pudore atque metu adeo tetrum & immane facinus moliretur: lucri commoditatem amplificans, sceleris autem atrocissimi deformitatem abscondens. Atque vt artificis huius dexteritatem & peritiam intelligatis, eandem rem modo pulcherrimam, modo maxime deformem, pro libidine sua effingit. Quod apertissime declarauit in Amnon Dauidis filio, cui sororem Thamar adeò amabilem depinxit, vt propter eius amorē in dies macie attenuaretur. Qua vbi potitus est, protinus ita deformem atque odibilem effecit, vt maiori illam odio prosequeretur, quam amore antea dilexerat, adeo vt cōspectum eius ferre non valens eā cum ingenti contumelia à cubiculo suo explodi iusserit. Quis hoc nō miretur? Quis fallacem huius pictoris artē non obstupescat? Qui non multis argumentis, non longe repetita narratione, sed momento temporis eiusdem rei duas imagines mēti repræsentauerit, alteram supra omnia amabilem, alterā supra omnia detestabilem? eadem etiā arte cum hoc infelici discipulo vsus est. Vbi enim lucrum illud quod ex magistri proditione assequebatur, amplificauit, & rem maxime omniū expetendam esse persuasit, diuersa illū ratione adorsus, adeo ei vile & execrabile lucrū illud fecit, vt nullo modo apud se retinere valens, principibus sacerdotū proiecerit. Neque hoc fecisse contentus, suspendium ita illi depinxit, vt nihil ei commodius, nil vtilius, nil pulchrius, nihil pro illius temporis ratione magis necessarium videretur, quā laqueo sibi vitam præripere. Hic igitur magnus artifex ni diligentissime caueas atque prospicias & centenis illum oculis obserues, modo nigra ex albis, modo alba ex nigris tibi frequenter efficiet. An non quotidie nos hac ratione deludit, & quocūque vult versat ac voluit? Si enim de eleemosyna eroganda, vel de pecunia restituenda cogitare incipis, pretiosissimam tibi eam, necessariamque, ne restituas, facit: si vero contra ad ludendum instigat, adeo vilem efficit, vt non dubites mille aureos vnius noctis spatio ad cartas & aleas prodigere. Sic igitur modo quidē nos pauperes, si recte largiendum est, modo vero diuites, si quando pecuniis vanitati seruiēdum est, arbitrio suo reddit. Denique ita nobiscum ludit, vt plane ridiculi esse videamur, dum ita pro libidine sua sursum ac deorsum agit, & modo huc modo versat illuc.

Et cœna facta. Non ita debemus intelligere cænam factam, veluti iam consummatam atque trāfactam: adhuc enim cænabatur cum dominus surrexit, & pedes lauit discipulis suis, nam postea recubuit, & buccellam suo traditori postea dedit, vtique cœna nōdum finita, hoc est dum adhuc panis esset in mensa. Cœna ergo facta, dictum est, iam parata, & ad conuiuantium mensam vsumque perdūcta: quod autem ait, cum iam mississet, diabolus in cor vt traderet eum Iudas: si quæris quid missum sit in cor Iudæ, hoc vtique vt traderet eū.

Missio ista spiritualis suggestio est, non fit per aurem, sed per cogitationem D. Augustinus super Ioan. tractat. 55. to. 9.

Cum diabolus misisset in cor. Vide D. Tho. 3. par. quæst. 47. ar. 3. per totum. & ar. 6. ad 2. & in 3. sen. dist. 20. ar. 5. quæst. 2. per totam. & contra gen. lib. 14. cap. 18. in fine. & quoli. 3. q. 3. ar. 3. per totum.

A Deo exiuit & ad eum vadit. Consule D. Tho. 1. par. q. 42. ar. 5. ad 2. & 2. sen. dist. 10. ar. 4. ad 1.

Et cum accepisset lintheum, præcinxit se: deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere lintheo quo erat præcinctus. Quid hæc noua rerum facies, nisi redēptionis nostræ seriem, modumque designat? surrexit enim dominus ab illa beata mensa, de qua ipse Apostolis ait: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Ab hac vero mensa surrexit non quidem locum mutādo, sed carnem pro nobis clemēter assumendo, in qua nobis proximus factus est, qui secundum diuinitatis suæ præsentiam vbique est. Posuit vero vestimenta sua, cum splendorem & gloriam maiestatis sub carnis nostræ humilitate & mortalitate celauit. Præcinxit vero se lintheo, cum purissimam & candidissimam humanitatem diuinitati suæ ita circūfudit, vt præsepio arctaretur, qui continet mundum: fasciis stringeretur, qui cælos moderatur: carne cingeretur, qui vniuersa implet. Misit vero aquā in peluim ad lauandas discipulorum sordes, cum lateris sui vndam pretioso sanguine mixtā, in Ecclesiæ peluim, cæteraque sacramentorum vasa effudit: qua non pedum sordes, sed animarum labes abluuntur. Itaque quoties fidelis quisque ad confessionis sacramentū accedit, toties intelligat se & pedes & manus in hanc sacram peluim immittere, & domino abluendos offerre. Quamuis enim sacerdos absolutionis verba proferat, hoc tamē facit vt Christi minister; Christus vero dominus tanquam prima causa, qui per sacramentorum canales salutarem gratiæ vndam ex latere suo fundit, qua scelerum nostrorum sordes abluit. Verum illud hoc loco ne gligendum non est, quod dominus præcinxerit se lintheo, & quidem adeo stricte, vt semper essent duæ extremæ partes, quæ lotis pedibus tergendis sufficerent. Quo exēplo parsimoniam nobis & vitæ sobrietatem commendauit, vt ea videlicet moderatione rebus nostris vtamur, vt semper aliquid supersit quo fratrum pedes, hoc est pauperes & abiectos homines foueamus. Si enim Apostolos laborare in hoc fideles iubet, vt habeant vnde tribuant necessitatem patienti: quid eos facere par est, qui amplum patrimonium à maioribus traditum perceperunt? quique sine suo labore, aliorum laborē & inopiam leuare possunt? Qua in re magnus pudor est, quod à plerisque Ethnicis Christiani homines in hac parte superamur. Laudat Plinius Pōpeium, quod qui tantū in repub. Romana posset, nunquam agrum conterminum emerit, ne in hoc potentia sua videretur: ita in maxima fortuna, minima licentia fuit. Laudatur & Scipio Africanus, quod tota vita nil emerit, nil vendiderit, nil ædificauerit, tenuesque admodum opes reliquerit: cum is Carthagine potitus, pluſquam ceteri imperatores milites suos ditauerit. Quid Curium memorē? qui cum forte rapula in ollis fictilibus ad cænam coqueret, Samnitibus ei post victoriam auri magnam vim offerentibus, ait. Nil opus esse auro, talem cænam cænanti. Videtis quam stricte Ethnicus hic opibus se suis cinxerat, qui ditissimorum hosti

hostium victor, tam parca mensa contentus erat? Hac autem sobrietate vixerunt, qui nec Deum pro hominibus pauperem effectū, nec diuiti epuloni ignis supplicia constituta agnouerunt qui tamen adeo sobrie rebus suis vtebantur, cum tamen cupiditatibus nostris, qui Christiani sumus, quique nudum in cruce Christum dominum adoramus, vix terræ mariaque sufficiāt. Ita enim hoc tēpore humana pectora auaritiæ pestis inuasit, vt omnes aliæ cupiditates in hanc vnam transisse videātur. Quo facile perspicitur in quam miserabili statu nunc mundus sit positus, quando radix omnium malorum cupiditas tā late dominatur, tamque in eo radices iecit.

Quamuis multū se dominus in Natiuitate, Circuncisione, baptismate, & passione, humiliauerit, dum pauperis & infirmi hominis, atque adeo peccatoris imaginem susceperit, in his tamen rebus non defuerunt clarissima dignitatis suæ testimonia, quæ humilitatem illam summa gloria decorarent. At quid in hoc officio si solam rerum faciem spectes, nisi abiectissimi mancipij seruilem formam videas? Ponit enim more famuli vestimenta sua, præcingit se lintheo, mittit aquam in peluim, & humi procumbens, cæpit lauare pedes discipulorum suorum. Quid agis domine Iesu? quis hoc tibi seruile munus iniunxit? quis te ita prostrauit atque deiecit? Ipsam credo rerum naturam si sensu prædita esset, stupefactam exclamaturam fuisse. O immensa & infinita maiestas, quæ supera & infera omnia moderaris, quæ sedes super gyrum terræ, ante quam omnes homines sunt quasi locustæ, quomodo te vsque ad infimum seruilis condicionis officium demisisti? Tu rerum conditor, naturæ rector & autor, sordidos piscatorum pedes lauare paras? Quo te domine Iesu nostri amor? quo te nostri charitas? quo veræ humilitatis ardor abiecit? vt manus illas in quibus omnia cælestis pater posuit, piscatorum pedibus subiiceres? Hoc certe fecisti vt huius nos virtutis amantes efficeres, quæ est & Deo & hominibus gratissima, & ad vitandos omnes diaboli laqueos maxime necessaria. Sed nequaquam illud silentio prætereundum est; quod dominus non modo aliorum discipulorum, sed proditoris etiam Iudæ pedes lauare nō exhorruit. Ante conspectum Christi erat homo omnium mortalium profligatissimus, & ingratissimus, qui tot ab eo beneficiis affectus, & apostolica dignitate cæteris discipulis prælatus, tam immane & inauditum facinus erat aggressus. Nihilominus tamen innocentissimus agnus ante sacrilegos eius pedes prosterni, & sacratissimis manibus non aqua solum, sed vt arbitror, profusis etiam lachrymis abluere non est dedignatus. Amantem redamare, beneficia beneficiis pensare, familiare & vsitatum apud homines est: At prosterni ante proditorem, & pedes eius abluere quem scias eo ipso temporis articulo te hostibus lacerandum & in crucem agendum vilissimo pretio tradidisse: hoc nemo nisi solus hic charitatis & virtutum omnium princeps facere debuit.

Et cœpit lauare pedes. Huius etiam tantæ humilitatis exemplo plerique didicerunt pauperū lauare pedes, & similia etiam humillima obsequia quamuis in dignitate constituti sint, exercere. De Placilla enim Theodosij maioris imperatoris vxore Ecclesiasticæ historiæ lib. 11. cap. 11. hæc scripta leguntur. Placilla non regni fastigiis eleuata est, sed potius diuino amore succensa. Beneficij namque magnitudo maiorem ei amorem benefactoris excitabat. Repente ergo vt venit ad purpuram, claudorum, atque debilium maximam habebat curam: non seruis, non aliis ministris vtens, sed per se ipsam agens, & ad eorum habitacula veniens & vnicuique quod opus haberet præbens. Sic etiam per Ecclesiarū Xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gustans, offerens cocleria, panem frangens, ciboſque ministrans, calices abluens, & alia cuncta faciens quæ seruis & ancillis mos est solenniter operari. Illis autem qui ei tales res nitebantur prohibere, dicebat. Aurū distribuere opus imperij est: ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Addam huic non admodum dissimile alterius reginæ exemplum, quæ Maximo Imperatori nupta erat, vt refert Sulpitius in vita sancti Marti. ad hunc autem Imperatorem sanctus Martinus veniens, de futuris gaudiis, de fidelium gloria, de sanctorum æternitate sermonem habebat, cum interim regina diebus ac noctibus de ore Martini penderet. Non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat. Postremo à viro suo poscit: deinde Martinum vterque compellunt, vt & remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium. Nec potuit vir beatus diutius reluctari. Componitur castis reginæ manibus apparatus, cellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum quem ipsa coxerat apponit. Ipsa illo sedente, eminus secundum famulantium disciplinam, solo fixa constitit immobilis, per omnia ministrantis modestiam & humilitatem exhibens seruientis. Misceuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit: Finita cænula, fragmenta panis absumpti, micasque collegit satis fideliter, illas reliquias imperialibus epulis anteponens. Quis igitur adeo superbia elatus erit, qui nō huius tantæ humilitatis exemplo animi tumorem deponat? Vere domine superborum & sublimium colla hac tanta humilitate calcasti, & sæuissimos leones in mansuetissimos agnos transformasti.

Ipse peluim impleuit, ipse nemine iusso omnia fecit: exemplo docens, non remisse & frigide bona opera, sed quā diligentissime facienda. Mihi videtur eum primum proditoris lauasse pedes: cæpit inquit lauare: & inde venit ad Simonem &c. D. Chrysostomus super Ioannem homilia 69. tomo 3.

Quid autem mirum si surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit? Et quid mirum si præcinxit se lintheo, qui formam serui accipiens, habitu inuentus est vt homo? Quid mirum si misit aquam in peluim vnde lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam diueret peccatorum? Cæterum tanta est humanæ humilitatis vtilitas, vt eam suo commendaret exemplo etiam diuina sublimitas; quia homo superbus in æternum periret; nisi illum Deus humilis inueniret: venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Perierat autem superbiam deceptoris secutus; ergo humilitatem redemptoris sequatur inuentus. D. Augustinus super Ioannem tracta. 55.

Cœpit lauare pedes. Quando Abraham angelos illos hospitio accepit, dixit eis: afferā paululū aquæ, & lauentur pedes vestri. Porro cum Ioseph voluit vt fratrum suorū pedes lauarentur, nō

ipſe eos lauit:at vero Chriſtus ipſe lauit diſcipulorum pedes &c. Vide Orige. ſuper Ioan. to. 32.

Cæpit lauare pedes. Diſcipulos inſtruit in humilitate, ſciens illos futuros eſſe maximi ſplendoris & nominis:cum nouiſſet inſolẽtem ambitionem, arrogãtiam, & faſtum, inuadere cõſueuiſſe & adoriri viros in dignitate conſtitutos & maximi nominis &c. Vide D. Cyrillum ſuper Ioan. lib. 9. cap. 3. & ſequentibus.

Venit ergo ad Simonem Petrum, dicit ei Petrus, domine tu mihi lauas pedes? Quid te domine in terra & in cælo ſublimius? quid vero me miſero homuncione & peccatore inter omnia vilius? quomodo ergo tu ſordidos meos pedes lauabis? Quomodo enim tu qui ſedes ſuper Cherubim, cui millia millium miniſtrant angelorum, cui aſtra cæli famulantur, ante pedes meos procumbere, eoſque famulorum more lauare velis? Ego tuos domine pedes lauare debeo, ego ante illos procumbere, ego impreſſa humi veſtigia tua exoſculari, hoc meum munus, imo mea maxima gloria eſt. Ne ergo ita peruertamus officia, vt dominus occupet officium ſerui, & ſeruus dignitatem vſurpet domini. Memento quæſo quid mihi tecum acciderit, cũ in altum nauem ducere, & laxare retia præcepiſti. Cum enim ibi magnam piſcium vim collegiſſem, qui tota nocte fruſtra laboraueram, tantus me de maieſtate tua ſtupor inuaſit, vt protinus clamarem. Exi à me domine, quia homo peccator ſum. Si ergo hoc vno ſigno conſpecto, præſentiæ tuæ maieſtatem ferre non potuit, quomodo qui tam multa & miranda poſtmodum vidi quodque omnibus ſignis maius eſt, ex reuelatione ſummi patris, te verum Dei filium agnoui, ferre potero te meos lauare pedes?

Tu mihi lauas pedes? His inquit manibus quibus oculos aperuiſti, leproſos mundaſti, mortuos reſuſcitaſti? Habet enim hæc particula magnam ſignificationem, quare non oportuit aliud dicere, quam tu, quod per ſe verbum ſufficiens fuit quo omnia demonſtrarentur. Iure autem quiſpiã quæreret, quo modo nullus aliorum lauari recuſauit præter Petrum? quod non parui amoris fuit & reuerentiæ argumentum. Quæ nam eſt cauſa? Arbitror ante omnes proditoris lauaſſe pedes, inde veniſſe ad Petrum, à quo & cæteri admoniti ſunt quid eſſet faciendum. Quod enim alium quempiam ante lauerit, conſtat cum dicit, venit ad Petrum. Sed non eſt vehemens in accuſando Euãgeliſta. Id enim verbũ, cæpit, aliũ ante lauaſſe ſignificat: quod etſi Petrus primus erat, credibile tamẽ eſt proditorẽ impudenter ante Apoſtolorum principem diſcubuiſſe. Nã & aliunde eius impudentia oſtenditur, cum intingeret cum magiſtro, & cũ reprehenſus minime compunctus eſt. D. Chryſoſto. ſuper Ioan. homi. 69. to. 3.

Venit ergo ad Simonem Petrum &c. Quod quidem tripliciter exponitur. Primo quidem ſecundũ Orige. quod dominus cæpit lauare ab vltimis, & hoc ideo, quia ſicut medicus plurimorum ægrorum intentus curæ, ab his qui magis indigent propriã curã incipit, ſic & Chriſtus qui pedes abluit diſcipulorum fædos, exordiũr ab his qui erant magis fœdi, & ſic venit ad Petrum quaſi minus aliis indigentem. Matt. 20. Incipiens à nouiſſimis &c. & hoc quidem ſonare videntur verba Euangelij. Cæpit lauare pedes diſcipulorum. Et poſtmodum ſequitur, venit ergo ad Simonem &c. Ex quo videtur quod prius lauit pedes aliorum. Si vero quæratur quare Petrus hoc præ aliis recuſauit, reſpondit Origen. quia hoc fecit propter nimium feruorem amoris quem habebat ad Chriſtum. Alij vero diſcipuli cum timore quodam reuerebantur Chriſtum, & ideo abſque diſcuſſione omne factũ ſuſtinebant. Petrus vero eis feruentior, ſecundum illud Ioan. vltimo, Simon Iona diligis me plus his &c. ex amore fiduciam aſſumens, ferre recuſat factum, & cauſam inquirit. Eccleſi. 6. amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coęqualis &c. & ideo Petrus inuenitur in ſcriptura frequẽter inquirere, & prompte proferre, quæ ſibi meliora videtur. Secundo exponitur ſecundum Chryſoſto. vt ſcilicet Chriſtus incæperit prius lauare pedes à primis Apoſtol. ſed quia proditor ille ſtultus erat, & ſuperbus; ſcilicet Iudas, prior ad pedum ablutionem recubuit ante Petrũ. Nullus enim aliorũ auſus fuiſſet Petrũ præuenire. Vnde de Iuda loquitur Euangeliſta, dicens, cæpit lauare pedes diſcipulorũ, ſcilicet Iudæ, qui quidẽ vt pote ſuperbus & ſtultus, in nullo renitſus eſt, nec recuſauit ferre, quod dominus faciebat. Sed poſtquam venit ad Petrum qui reuerebatur & diligebat magiſtrũ cũ timore recuſat, & cauſam facti inquirit, & ſimile feciſſet quilibet aliorum. Tertio vero exponitur ſecũdum Auguſt. quod ex verbis Euangeliſtæ non debemus intelligere, quod dominus lauerit prius pedes aliis diſcipulis, & poſtmodum venerit ad Petrum, ſed quod Euangeliſta ſecundum conſuetudinem ſuam primo ponit factum, & poſtmodum narrat ordinẽ facti, ſicut & ſupra ſexto facit. Vnde primo inſinuat totũ factum ſcilicet quod lauit pedes diſcipulorum, & poſtmodũ ſi quærat quomodo factum fuit, dicit quod primo venit ad Simonem Petrum. Et ideo primo ipſe recuſauit, dicens: domine tu mihi lauas pedes? &c. D. Tho. ſuper Ioã. 13. lect. 2.

Reſpõdit Ieſus, & dixit ei: quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea. Hæc verba nõ ſolum Petro, ſed piis omnibus dicta eſſe putemus. Multa enim eiuſmodi in vita cõringunt, quorum vtilitates & cauſas nõ cum fiunt, ſed vel cum facta ſunt, vel etiam cum vita functi fuerimus, cognoſcimus. Itaque piis euenire frequenter ſolet, quod Themiſtocli, viro clariſſimo accidiſſe hiſtoriæ referunt: qui cum ab Athenis apud regem Perſarum exularet, ab eoque multis eſſet honoribus affectus, animaduertens eam calamitatem magnæ ſibi felicitatis occaſionẽ præbuiſſe, ad vxorem ait. Perieramus, niſi periiſſemus. Idem etiam electorũ multos in futura vita dicturos eſſe ſcio. Aperte enim tunc videbunt ea quæ ſibi dum in viuis agerent aduerſa & nocitura videbantur, adiumento illis ad ſalutem, & maioris gloriæ cumulum extitiſſe. Cum accipiter ardeam in ſublimi volãtem cernit, non illã recta petit, ſed pernici volatu ſe læua dexterave proripit, ita vt venãdi imperitis magis eam fugere quam petere videatur. Sed non multo poſt curſum ita detorquet, vt ſuperior illa factus, præceps in eam feratur, acrique morſu impetat quam prius fugere videbatur. Sic igitur ſe interdum cum piis dominus gerit, quando quæ illi ad perniciem ſuam eſſe metuunt, ipſe ad eorum ſalutem vertit. In hoc igitur rerũ ſtatu putẽt ſibi à domino hæc eadem verba dici. Quod ego facio tu neſcis modo; ſcies autem poſtea. Intelligebat hoc ſanctus Iob: ideoque tot modis à dæmone vexatus, & ab ipſo Deo ita derelictus, vt diceret. Quaſi arbori euulſę abſtulit ſpem meam, & ſic me habuit quaſi hoſtem ſuum: tamen in ſpem quodammodo contra ſpem credens, aiebat. Etiam ſi occiderit mẽ, in eo ſperabo: hoc eſt, mori quidem potero, deſperare non potero. Poterit mihi dæmon vitam eripere,

eripere, ſpem etiam mortuo eripere non poterit. Caro enim mea requieſcet in ſpe. Idem etiam ſanctus rex Dauid ſe facere oſtendit, cum variis periculis & terroribus vallatus, ait. Ego autem ſemper ſperabo, & adiiciam ſuper omnem laudem tuam.

Dicit ei Petrus, nõ lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus, ſi non lauero te, nõ habebis partem mecum. Hæc ſumma cõminatio eſt, nulla enim pœna maior apponi potuit. Senſit profecto Petrus huius tãti fulminis vim, vt pote qui probe tenebat, quale eſſet bonum illud amittere quod tenebat.

Dixit ei Simon Petrus: domine non tãtum pedes meos, ſed manus & caput. Quod perinde eſt ac ſi diceret, totum me tibi domine lauandum, imo & laniandũ, ſi opus ita fuerit, permitto: modo me à te ſeparari non ſinas. Quid enim mihi ſalui eſſe poterit, te amiſſo? Melius eſt enim mihi non eſſe, quam ſine te eſſe: melius eſt mihi non viuere, quam viuere ſine vita.

Dicit ei Ieſus; qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet; ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes: ſciebat enim qui ſuã eſſet qui traderet eum, propterea dixit, nõ eſtis mũdi omnes. De hodierno quidẽ Euãge, habet Innocen. 3. ſermo. quendam prope initium operum, & incipit. Qui lotus eſt &c.

De ſolennitate cænæ domini inuenies ſermo. quendam apud D. Bernar. & incipit, panem angelorum manducauit homo.

De cæna domini & inſtitutione Euchariſtiæ, Vide Vincentium Belluacenſem, ſpecu. hiſto. lib. 7. cap. 37.

Quomodo nos ad tã ſacroſanctum Euchariſt. ſacramẽtum præparare debeamus, deque eius effectibus, vide Lauren. Iuſtinia. lib. de diſci. & perfect. Monaſt. conuerſa. cap. 19.

Poſtquam ergo lauit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua, & cũ recubuiſſet iterum, dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magiſter & domine, & benedicitis, ſum etenim. De lotione pedum diſcipulorum conſule D. Ambro. de myſteriis initian. capit. 7. in fine to. 1.

Cõſule D. Auguſ. de tempo. ſermo. 127, & 128, circa medium to. 10.

Vide eũdem ad fratres in eremo ſermo. 28. circa finem to. 10.

Si ergo ego laui pedes veſtros dominus & magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. En quo totum hoc domini obſequiũ tẽdebat, vt videlicet morti iam proximus, hoc nobis quaſi hæreditario iure, venerandæ humilitatis memorabile præberet exemplum. Sciebat enim quam longe lateque ſerperet ambitio, regnandi libido, atque honor quidam mundanus. Quam vero potens ſit hic affectus, vel ex eo patet; quod vehementiſſimum omnium aliorum affectuum, nempe libidinis ardorem, in qua maxime concupiſcentia ſæuit, frequenter ſubigit. Multas enim fœminas corpore pudicas, non virtutis amore, ſed honoris ſtudio, paſſim reperire licet. Naꝫ & illa rantopere laudata Lucretia, honoris magis quam pudoris rationem habuit, quando ne honorem amitteret, pudorem proſtituit: & multas quidem huiuſmodi Lucretias paſſim reperire licet. Addo & aliud huius rei firmius argumentũ: inter oẽs naturę affectus amor parentũ erga filios, & filiorũ erga parẽtes vehementiſſimus eſt. Quoties autem & parentes ipſi filios, & filij parentes, libidine dominandi incenſi trucidarunt? Athalia impiiſſima omnes ſilios & nepotes ſuos vt ſola regno potiretur interemit. Abimelech ſeptuaginta fratres Gedeonis filios, ſuper vno lapide regnandi cupidita-

te percitus, iugulauit. Sirochius Perſarum rex hoc eodẽ affectu ſuperatus, patri fratrique necem intulit. Sed ſupereſt adhuc aliquid quod vos magis miremini. Vbi primum Nero natus eſt, cum Mathematici quidam Agrippinæ matri dicerent, illum quidem imperaturum, ſed matri tamen mortem illaturum, illa flagrantiſſima dominandi libidine incenſa, reſpondit: occidat, modo imperet. Quid hac ambitione maius fingi poteſt? Ipſum amorem ſui, qui cunctorum affectuum & primus & ſummus eſt, hæc ambitionis fera ſuperauit: quãdo mater vitæ ſuæ amori, filij honorem antetulit. Sed quem tandem exitum hæc honoris appetitio in fine vitæ habitura ſit, quando vanitatis arguentur præterita, eadem ipſa Neronis mater ſatis declarat, quæ cum eiuſdem filij iuſſu occidenda eſſet, ac Centurio ferrum in mortem ſtringeret, illa ventrem oſtendens clamauit. Hunc percute, hic eſt ferro fodiendus, qui portentum illud genera-
uit. Adhunc ergo modum ſeculi amatores in fine vitæ oculos aperient quos ambitio clauſit, quibus luce clariꝰ videbunt, quam vana erant quæ illi tantopere ſitierunt, & propter quæ cæleſtis regni hæreditatem amiſerunt. Cum ergo humilitatis magiſter & ſapientia patris, omnia hæc probe teneret, nihil illi in huius virtutis commendationem nimium viſum eſt, cuius tanta erat neceſſitas, tantaque rurſus eius adipiſcendæ difficultas. Qua in re ſapientis architecti prudentiam imitatus eſt, qui cum latiſſimum in aliquo inſigni opere fornicem extruere vult, magna illum vi vtrinque è lateribus fulcit, ne pondere ſuo totam operis fabricam ſoluat. Sic igitur peritiſſimus humilitatis Architectus, magna illam exemplorum vi aduerſus impotentem hanc dominandi libidinem fulcire neceſſarium duxit. Quid enim difficilius ad aſſequendum, quam quod tam potenti defenditur aduerſario? quem quidem ſuperare, totam vitiatę naturæ vim & potentiam ſuperare eſt. Vtroque igitur nomine humilitatis virtus à domino commẽdanda fuit, quia quod ſummum erat, ſummo modo laudari debuit, vt amaretur: & quod difficillimum erat, vehementiſſime attolli oportuit, ne operis difficultate homo deterreretur. Simile quid dam facere ſolent, qui clauum quo magna pars ædificij nititur, altiſſime infigere conãtes, non cõtenti iterum atque iterum illi malleum impegiſſe, frequentiſſimis ictibus infixum iam feriunt, vt ita tandem firmiſſime hęreat immobiliſque perſiſtat. Hac ergo ratione dominus poſt innumera humilitatis exempla, hoc etiã addere voluit, quia nimirum ſciebat huic vni fundamento, totam ſpiritualis ædificij fabricam inniti, præſertim cum intelligeret, nunquam ſatis doceri, quod nunquam ſatis diſcitur. Si enim adhuc ſuperbi & elati ſumus, nec ceruices flectere, nec alteri ſubmitti volumus, ſed ſemper de primatu & honore contendimus, quid eſſet, ſi nullis ad hanc virtutem domini exemplis incitaremur?

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Vide Ioannis Gerſonis ſermo. duos in Cæna domini 2. par. fol. 227.

Vide eundem Ioann. Gerſon. 4. par. fol. 15 & 36.

Vide D. Bruno. Carthuſia. patris ſermo. quendam.

Septem habet ſermo. D. Chryſoſt inſcriptos de proditore & myſteriis cænæ dominicæ, iuxta finem to. 3.

Quendam habet tracta. D. Cypria. de cœna domini inſcriptum; & incipit; ſuſcitati Lazari &c.

& postmodum habet alterum in scriptũ, de ablutione pedum, & incipit, iam sacramenta &c.

De hodierno Euãgelio & solennitate cõposuit D. Bernard. 15. sermo. iuxta finem operum, quorũ primus incipit, paschalibus dapibus &c.

Passio Domini nostri Iesu Christi secundum 4. Euangelist.

Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum; sequuti sunt autem illum & discipuli eius. Et tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani. Vbi erat hortus in quem introiuit ipse & discipuli eius. Et cum peruenisset ad locum, dixit discipulis suis. Sedete hic donec vadam illuc, & orem. Orate ne intretis in tentationem. Io. 18. & 19. Lu. 22. & 23. Mar. 14. & 15. Mat. 26. & 27. Vide quæso quãta fuerit Christi Domini charitas in tãto passionis salutaris mysterio pro nobis incipiendo & consummando, quamque prompta & parata eius voluntas extiterit. Auget enim etiam beneficij magnitudinem donantis charitas, præter ipsam dolorum magnitudinem, & prompta donandi voluntas, quæ frequenter beneficiis ipsis ante fertur. Hæc autem in Christo domino tanta fuit, vt ne in altera quidem vita plene cognosci possit. Vt enim Apostolus ait, supereminet omnem scientiam, non solum hominum, sed etiam angelorum. Est enim diuinæ prouidentiæ atque sapientiæ proprium, quibus maximum laborem iniungit, magnum etiam amorem ingenerate quo tantus ille labor sustineri possit. Quo circa si plurimum nos Christo domino propter ea quæ nostri gratia pertulit debere fatemur: Longe plus est quod eius amori quam quod dolori debemus: plus enim amauit quam doluit. Quid autem illi huius debiti ratione debeamus, D. Chrysostomus explicat his verbis. Nunquid etiam si per singulos dies moreremur pro eo qui ita nos dilexit, meritum exolueremus? imo nec minimam meriti partem reponeremus. Cæterum si donantis charitas magnitudinem cumulat beneficij, multo magis donantis summa dignitas eandem auget. Hæc enim ita illam amplificat, vt prorsus ineffabilis & incomprehensa esse intelligatur, quemadmodum ineffabilis & incomprehensibilis est etiam qui pro nobis immolatus est: nempe Deus pro homine, vniuersorum dominus pro inutili & malo seruo.

Regius propheta demiratur qui fieri possit vt cum Deus adeo sublimis & excelsus sit, sublimia tamen & alta à longe cognoscat, & humilia respiciat in cælo & in terra: ego vero non minus miror, cum Deus noster adeo munificus & liberalis in bonorum suorũ distributione sit, adeo tamen strictus (vt ita dixerim) atque seuerus in exigendis gratiis pro impensis à se beneficiis existat. Vix enim patribus aliquod olim contulit beneficium, cuius non statim sempiternam memoriam & grati animi officium ab illis postularet. Quin & aliquando idem ipse cessantes, aut beneficiorum immemores, ad hoc excitare solet. Quod fecit cum Iacob, cui ab exilio & peregrinatione sua reuertenti, ait. Surge, fac altare Deo qui apparuit tibi in via, quãdo fugiebas Esau fratrem tuum. Iam viginti anni post hoc beneficium elapsi erant, & tamen quasi recens esset, grati animi obsequium idem ipse beneficij autor requirebat. Vbi etiam Chananæorum terram Abrahæ pollicitus est, protinus eidem præcipit vt totam illam regionem lustraret. Postquam enim dixerat, omnem terram quam conspicis tibi dabo & semini tuo, adiecit protinus. Surge ergo & perãbula eam in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam. Cuius diuini cõsilij ea vel præcipua mihi causa fuisse videtur, quod dominus volebat sanctum patriarcham totam regionis illius longitudinem & latitudinem peragrare, vt cum tot cerneret ciuitates, tot populos, tot opulenta regna, tot feraces agros, tot culta prædia, tot deniq; opes posteris suis eius beneficio tradendas, ex tam latæ regionis magnitudine atque opulẽtia, diuinę erga se beneficentiæ magnitudinem intelligens, tanto vehementius in benefactoris sui amorem exardesceret, quanto maius esse beneficium agnosceret, quod illi promissum erat. Verum hac priuata personarum beneficia sunt, vt vero de communibus aliquid etiam dicamus: eandem memoriam & gratitudinem requisiuit à populo Hebræo de seruitute Aegyptiaca liberato. Exo. 12. & 13. Cæterũ quæso fratres paulisper mecum animos erigite, & beneficij etiam huius communis comparatione, redemptionis & liberationis nostræ beneficium expendamus. Illo igitur beneficio populus à Pharaonis potestate liberatus fuit; hoc vero à diaboli tyrannide & potestate, cui veteris debiti iure traditi eramus, exempti sumus. Illo à captiuitate Aegyptiaca, hoc à peccati captiuitate & seruitute: illo à plagis & laboribus quibus populus in Aegypto premebatur, hoc ab æternis plagis & incendiis quibus damnati in gehenna torquentur. Ad illud beneficium præstãdum præcepit dominus agnum immolari, cuius sanguine postes domorum tingerentur, & Dei populus à vastatore angelo liberaretur: ad hoc vero voluit cælestis pater non pecudem aut agnum sed vnicum filium suum in sacrificium mactari, vt eius sacrificij merito ab omnibus malis connumeratis liberaremur. Si ergo adeo memorem illius beneficij animum à populo suo dominus exigebat, vt annua recordatione minime cõtentus, semper ante oculos obuersari vellet, quid quæso à nobis pro hoc tãto beneficio rependi cupiet? qua ratione huic officio respondere fragilitas nostra poterit? Ea certe, vt huius beneficij magnitudinem quantum facultas nostra tulerit agnoscamus. Fingite quæso animis insignem quendam latronem extitisse, qui multis annis vias obsidens, iter facientes spoliatos interficeret: qui tandem in præfecti vrbis potestatem veniens, hãc aduersus illum sententiam ferret, videlicet vt flagellis primũ cæderetur, deinda manus eius & aures abcinderẽtur, postea vero ignitis forcipibus eius corpus laniaretur, exinde vero per publicas vrbis vias raptaretur, ac postremo suspendio vitam finiret, & in partes discissum cadauer in editis locis suspenderetur, quo facinorosis hominibus terrorẽ incuteret. Hac igitur sentẽtia lata si amicus aliquis magnis precibus & laboribus, atq; ingenti pecunia oblata quæ in septuplum etiam illata damna resarciret, veniam illi impetrasset, & à tam multis illum cruciatibus liberasset, iam intelligitis quam multis nominibus facinorosus hic liberatori suo obnoxius esset, qui se à tot malis immunem conseruasset. Hoc exemplo vt cuique intelligere poterimus quid seruatori nostro debeamus. Cum enim peccati merito in plurima & grauissima mala inciderimus, à quibus nos Christus dominus liberauit: ideo vno liberatiõis beneficio tot bona

tot bona in nos contulit, quot erant mala à quibus nos eripuit, vt omittam interim bona quæ contulit. Longe tamen beneficium beneficio præstat, quod illic pretio dato amicus amicum liberat, hic vita impensa Dei filius inimicos absoluit.

Quemadmodum M. Ille Antonius oratione sua ad populum habita in Iulij Cæsaris interfecti morte, non tantum sua elegãtia & copia dicendi, quãtum togæ ipsius Cæsaris sanguine conspersæ ostentatione, eo tandem perpulit populum Romanum, vt interfectores ipsos & homicidas, Cassium & Brutum, ab vrbe exterminarent; ita plane facer ipse orator & concionator nõ tam fretus sua concione, quam meritis & commemoratione passionis Christi, eò tandem audientes redigere debet, vt non quidem Cassium aut Brutum expellant, sed peccata ipsa, quæ causa fuerunt vt tam vehementissimos sustineret Christus dominus cruciatus, tam dira supplicia, mortẽmque crudelem, iuxta illud Esa. 53. vulneratus est propter iniquitates nostras. Vide etiam Roma. 4. & 1. Cor. 15.

Quis quæso ex diligentia tanta Christi domini, seu tam variis laboribus & cruciatibus pro nobis toleratis, non sibi facile persuadeat ruinam nostram atque casum fuisse maximum & ingentissimum, quique tanto indigeret liberatore? Profecto quo magis nauis aliqua periclitatur & iam iam naufragium factura est, consueuerunt etiam tunc diligentius omnes eius gubernatores & nautæ remedia omnia conquirere, quibus possit à tanto naufragio liberari. Ita Christus seruator noster cum videret nos sceleribus nostris ad interitũm ruere: imo vero iam ruisse, omnem adhibuit diligentiam, omnem expertus est cruciatum, omnia sustinuit tormenta, quo nos lapsos erigeret, perditosque reuocaret; & ceu alter Ionas sua immersione nos à laboribus nostris tempestatéque vindicaret, intelligens aliter tempestatem ipsam non cessaturam.

Age vero, quis posthac audeat animam tanti pretij & valoris, vt pro ea Deus mortuus fuerit, labe culpæ lethalis contaminare atque inficere? Quod institutum si paulò fusius protendere velis, nonnulla hic attexam.

Quam magna sit excellentia animæ, vide D. Bernar. lib. de interi. domo cap. 67. vsque ad 70.

De dignitate & præstantia animæ consule eundem in lib. Medita. cap. 3. & incipit, ô anima Dei &c.

Quantam vero in miseriam tam excellens anima coniiciatur per peccatum, vide Lauren. Iustinia. lib de Spirituali animæ interitu circa medium operum.

Quanta sit hominis dignitas & præstantia; consule eundem libro de Regi. Prælat. cap. 18.

Lege eundem lib. de humili. cap. 3. iuxta finem operum.

Quosdam habet libros D. Grego. Nysse. de hominis creatione, eiúsque præstantia, atque aliis huiusmodi tractantes, inter medium ac finem operum.

De homine eiúsque dignitate, & cur alia prius Deus produxerit quam hominem; vide D. Ambrõsiũ libro 6. episto. episto. 38. tomo. 3.

De homine & eius anima, dignitate, præstantia, & aliis id genus consule Vincentium Bellouacensem Speculi naturalis lib. 23. per totum.

De hominis bonis tum naturalibus tum acquisitis &c. lege eundem Speculi Doctrinalis libro 1. capitulo 6. & sequentibus.

De hominis etiam dignitate & libero arbitrio vide eundem Speculi historia. lib. 1. cap. 39. & sequentibus.

Multa habes ad hoc institutũ spectantia apud D. August. lib. de spiritu & anima inter medium ac finem to. 3.

Quod in animæ nostræ curam magno studio incumbere debeamus, vide eundem ad fratres in in eremo sermo. 48. & 50. iuxta finem to. 10.

De dignitate hominis, & quod ab ea degenerare sæpe soleat vide Lauren. Iustini. lib. qui inscribitur fasciculus amoris capit. 7.

Quemadmodum proceres & optimates consueuerunt stẽmata sua in nobiliori aulæ suæ parte depingere: ita Deus opti. Maxi. in præstantiori hominis parte, imaginem suam depinxit atque locauit.

Sicut olim vri opulentissimi statuam suam in conspicua domus parte collocabant, vt ex ea domini ædiũ notitia aliqua haberetur: ita Deus in paradiso hominem ad imaginem suam creatum constituere voluit atque locare: & sicut illi iniuriam statuæ suæ factam, pro sua accipiebant; ita etiam Deus iniuriam à demone inustam ipsi homini, quasi sibi factam accepit, eámque vlcisci volens filium suum misit in mundum qui per Crucem suam & passionem hominem liberaret à dæmonis acerbissima seruitute atque tyrannide.

Et assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari pauere, & mœstus esse. Et tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum. Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat. Procidit super terram, in faciem suam, & orabat vt si fieri posset transiret ab eo hora. Et dixit, Abba pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: omnia tibi possibilia sunt, si vis transfer calicem hunc à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Super illa verba, cæpit contristari & mæstus esse, vide D. Tho. 3. par. quæst. 15. ar. 6. ad. 1. & in 3. senten. distin. 45. quæst. 2. artic. 2. quæst. 1. per totam.

Super illa verba, tristis est anima mea vsque ad mortem, vide D. Thom. 3. par. quæstio. 15. articu. 6. per totum. & in 3. senten. distinct. 15. quæst. 2. ar. 2. quæstiun. 1. per totam. & contra gen. li. 4. cap. 8.

Super illa verba, Et progressus pusillum &c. vide eũdem 2. 2. quæst. 83. ar. 10. ad 1. & 3. par. quæst. 13. arti. 4. ad 3. & quæst. 21. per totam. & quæst. 34. artic. 2. 2. & q. 53. artic. 4. ad 2. & in 4. senten. distin. 15. quæst. 4. artic. 6. quæstiun. 2. ad 1.

Si possibile est, transeat à me &c. Vide eundem. 3. par. quæst. 15. artic. 6. ad 4. & quæst. 18. per totam & quæst. 21. artic. 2. in cor. & ad 2. & artic. 3. in cor. & artic. 4. ad 1. & 3. sen. distin. 17. artic. 1. & 2. per totum & artic. 3. quæstiun 4. ad 2. & in 4. senten. dist. 8. quæstio. 2. artic. 2. quæstiun. 2. incor. & contra gen. lib. 4. cap. 36.

Super illa verba, omnia tibi possibilia sunt, vide D. Thom. 1. par. quæst. 25. artic. 3. per totum & 3. par. quæst. 13. artic. 1. in cor. & in 1. senten. distin. 42. quæst. 2. artic. 10. & dist. 44. per totam. & contra gen. lib. 2. capit. 22. & de poten. quæst. 1. ar. 7.

Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia: & ait illis. Quid dormitis? Et ait Petro, Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecũ? surgite, vigilate & orate, vt nõ intretis in tentationem. Spiritus quidẽ promptus est, caro autem infirma. Et iterum secundo abiit, & orabat eundem sermonem, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Super illa verba, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum &c. vide D. Thom. 3. par. quæst. 46. artic. 2. ad. 1.

Et iterum abiit, & orauit. Vides hic quomodo Christus secederet à discipulis vt oraret, vt inde discamus & nos concedere ab strepitu & consortio, vt cum quiete quadam & tranquillitate maiori, possimus orationi vacare; quem locum si velis quibusdam exemplis fusius persequi, accipies subiecta.

Sara vt commodius oraret secessit in superius cubiculum, vt constat Tobiæ 3.

Daniel domi suæ secluſus à turba orabat, ibique multa ac magna discebat mysteria. Danie. 6.

Petrus in superiori domo orabat, vbi & reuelatum ei fuit accedentes gentiles non esse abiicendos. Actō. 10.

Isaac habitans in terra australi, relicta familia egressus est in agrum ad meditandum. Gene. 24.

Post transitum fluminis, Iacob solus in meditatione erat, vbi & angelus luctabatur cum eo Gene. 32.

Eliseus volens orare pro filio sunamitidis, solus remansit, & clausit ostium 4. Reg. 4.

In solitudine montis contemplatus est Moyses & vidit ardentem rubum Exo. 3.

Cum idem Moyses legem accepit à domino, in solitudine montis fuit per quadraginta dies neq; comedens neque bibens. Exod. 24.

Danieli in solitudine oranti, dixit angelus: egressus sum vt docerem te &c. Dan. 9.

Videns Iudith afflictionem populi sui, ad orationem conceſſit in abſcondito habendam. Iudith 9. idem etiam præstitit, Esther, videns ærumnas populi sui seu gentis Esther 4.

Ezechielem in captiuitatis afflictione manentem, sæpéque ad orationem in abscondito habendam confugientem, consolatus est Dominus multipliciter.

Solitudinem postulat meditatio. Psalm. 54. ecce elogaui fugiens, & mansi in solitudine: & expectabam eum qui saluum me fecit &c.

Deprecaturus Dauid pro paruulo, solus ad orationem se recepit, iacuítque super terram 2. Reg. 12.

Et rursus venit, & iterum inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertio eundem sermonem dicens. Apparuit autem ei Angelus de cælo, confortans eum; & factus in agonio prolixius orabat, et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et tunc venit tertio ad discipulos suos, & dicit illis. Dormite iam & requiescite: sufficit, ecce appropinquauit hora; & ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet. Primus & maximus quidem cruciatus extitit sudor ille sanguineus, vi summi doloris quo interius anima illa sanctissima premebatur, expressus. Quia vero inter omnia mundi mirabilia, hoc maxime mirabile fuit, nunquam enim talis sanguinis sudor inter homines vnquam visus est, necesse est vt causas etiam inquiramus vnde tantus dolor manarit, qui tam noui & stupendi sudoris causa fuerit. Prima autē maximéq; obuia causa esse videtur, variorū cruciatuum qui iam iam illi parabantur, clarissima repræsentatio & comprehensio. Vis enim illa animæ nostræ quæ futura quasi præsentia contemplatur, in Christo perfectissima erat, qua imminentia sibi tormenta, hoc est irrisiones opprobria, alapas, verbera, spinas, clauos, corporis virginei suspendium, membrorum omnium extensionem, eorundémque extra sedes & iuncturas suas dissipationem, sitim, & fel acetum, cæteráque tormenta, adeo perfecte intuebatur, quasi præsentia oculis cerneret. Cúmque sacrum illud corpus corporum omnium quæ vnquam fuerunt, delicatissimum atque tenerrimū esset, non potuit natura illa corporea, omni diuino & humano solatio destituta, non vehementer tot mala horrere, & acerbissimo dolore ex eorum præsentia concuti. Hæc igitur prima interni huius doloris causa extitit. Secunda vero extitit piissimæ & amantissimæ matris recordatio atque compassio. Cuius animam sciebat acutissimi doloris gladio transigendam, cum se cruce inter facinorosos homines pendentem, totque plagis concisum atque deformatum cerneret; & piis auribus non solum irridentium opprobria, sed etiam malleorum ictus, clauos percutientium, vsurparet. Hic autem tantus dolor fuit, quātus erat amor quo matrem virginem prosequebatur: quam citra Deum, supra creaturas omnes quę sue in cælo sue in terra erant, diligebat. Tertia vero doloris causa & quidem vrgentior, discipulorum scandalum & ruina fuit, quos ipse tot rationibus ad certamen illud præmunierant, tot miraculis in fide cōfirmauerat, tot beneficiis sibi deuinxerat: quorum tamen alius eum negauit, alius pecunia vendidit, & osculo prodidit: cæteri autē turpissime eo relicto metu exanimati fugerunt. Quarta vero doloris causa, & ea quoque superioribus vehementior, miserandi illius populi, qui mortem illi machinabantur, peccatum simul & excidium, quod illi iamiā imminebat, extitit; & facinus illud execrandum, quod sciebat æterno exilio, captiuitate, atque supplicio multandum. Quinta autem & quidem grauissima doloris causa extitit, innumerabilium pene hominum socordia & ingratitudo, qui hanc tantam salutem, tantam gratiam, tam efficacem & salutarem medicinam, ne exiguum pœnitentiæ laborem susciperent, erant repudiaturi, quam is tot laboribus, tot opprobriis, & cruciatibus, illis peperisset. Omnes igitur hæ dolorum causę velut agmine facto, mitissimū illud atq; tenerrimum pectus impetebant, ex quibus tantus ille dolor conflatus est.

Apparuit autem ei angelus &c. Verisimile autem est quod quemadmodum Moyses & Elias in transfiguratione loquebantur cum domino excessum quem completurus erat in Hierusalem, quo salus humano generi reddenda erat: ita modo hic cælestis nuntius de copiosissimo passionis suæ, hoc est grani in terram seminati & mortui, fructu cum illo egerit. Itaque angelus hic à Deo missus, qui tanquam Dei legatus, mittētis personam sustinebat, simile quiddam mihi cum domino, atque Dauid cum Salomone filio egisse videtur: cui ante mortem, absolutissimam futuri templi descriptionem in membrana expressam atque depictam, tradidit, hoc est formam omnium celariorum, cubiculorum, exedrarum, domūs propitiationis, & omnium denique atriorum, ceterarúmque templi partium, quæ ipse ex imperio domini extruere & fabricare debebat. Omnia inquit venerunt scripta manu domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. Simile quiddam hoc tempore angelus domini cum seruatore nostro fecisse videtur.

Apparuit autem illi angelus &c. Vide D. Thō. 3. p. q. 12. ar. 4. 1. & 2. sen. dis. 11. q. 1. art. 3. & in 3. sen. dis. 14. art. 3. quæstiun. 6. ad 2. & super. epist. ad Heb. 2. lect. 1.

Et factus in agonia. Vide eundem 3. p. q. 18. art. 6. ad 3. & contra gen. lib. 4. cap. 90.

Super illa verba, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, vide eundem 4. sen. dis. 11. q. 2. ar. 2. quæstium. cu. 4. ad 2.

Apparuit ei angelus &c. Si voles hoc loco forte diſserere quod Deus opportune succurrere soleat in calamitatibus constitutis & afflictionibus, nonnulla subiiciam.

Vide quam opportune & misericorditer succurrerit ipsi Abrahamo peregrinanti ex domini mandato, Gene. 12.

Fugienti Elię à facie Iezabel, apparuit angelus, consolatúsque est eum 3. Reg. 19.

Iacob afflictus, fratrémque suum fugiens cum dormiret capiti lapide supposito, vidit scalam, & angelos ascendētes & descendentes per eam, multásque alias habuit consolationes. Gen. 28.

Ioanni in insula Phathmos exulanti, Deus benigne consolationes multas dedit, variásque reuelationes per angelos immissos. Vide Apocalyp. per totam.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum; quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Et adhuc eo loquente, ecce Iudas Iscariotes vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & scribis & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens. Quencunque, osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute. Et qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt osculareturn eum. Et cum venisset statim accedens ad Iesum, dixit. Aue Rabbi, & osculatus est eum, Iesus autem dixit illi: amice, ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis? Vt hostis antiquus acerbiorem Christi domini passionem faceret, in cor Iudæ proditoris immisit, vt vilissimi pretij cupiditate incensus, mitissimum magistrum atrocissimis hostibus proderet. Hæc prima iniuriarum atque dolorum domini. Quam miserandum vero ducimus, proditos esse nos à familiaribus & amicis quibus benefecimus? quam imploramus ad vltionē tanti facinoris fidem Dei atque hominum? Quid ergo indignius, quam ab eo pecuniā & fallaci osculo inimicis prodi, quem dominus inter duodecim electissimos Apostolos collocauerat quæ cælestis doctrinæ populo, & vitutum omnium exemplis imbuerat, cuique morbos sanandi, & dæmones expellendi potestatem, vt cæteris Apostolis tribuerat, & mēsæ suæ socium asciuerat?

Quemadmodū ille appellatur proditor & regi ipsi inimicissimus, qui propugnaculum siue arcem sibi creditam, sponte prodit hostibus, eisdémque claues tradit: ita etiam ille proditor censeri debet, & Deo infensissimus hostis, qui animæ arcem sibi creditam prodit dæmoni, per consensum letalis culpæ atque mortiferæ.

Quemadmodum maximam quidem infligit plagam in arborem aliquam, seu etiam in ensem, vt conscripsere Philosophi, vagina illæsa permanente, ipsum fulmen quasi ex insidiis quibusdam siue inopinato aduenies: ita plane fulmen lethalis culpæ talem in nobis edit stragem, vt tametsi corpus videatur quodammodo illęsum remanere, at certe anima ipsa miserabiliter intereat, suo illo consensu & proditione quadam arcis ac propugnaculi conscientiæ suæ.

Aue rabbi, & osculatus est eum. Hic agere poteris cōtra dolos & insidias multorum, qui quidem prætexu quodam & simulatione amicitiæ, & pacis, imponere solent, fallere, & perimere: ad quod in stitutum amplificandum nonnulla subiiciam.

Ioab Amasam quasi osculari volens, dixit ei, salue mi frater, & pugione eum cōfodit 2. Reg. 20.

Saul etiam prætextu coniugij filiæ suæ cum Dauide, eidem necem intentabat 1. Reg. 18.

Vide obsecro quātis blanditiis vteretur & illectamentis Dalila, vt Samsonem ipsum prodere posset hostibus. Iudicum. 16.

Sub conuiuij velamine & esca, Absalon interfecit fratrem suum Amnon 2. Reg. 14.

Thryphon sub pacis nomine Ionatham comprehendit, cúmque cum suis proditorie interfecit 1. Macha. 12.

Appolonius in Hierusalem pacem simulans venit, postmodum tamen cum Iudæos feriatos sentiret, ex insidiis adorsus, innumerabiles interfecit 2. Macha. 5.

Pacifice fuit princeps tributorum locutus, qui tamen postea stragem magnam edidit in ciuitate 1. Macha. 1.

Antiochus pacem quidem fecit cum Hebræis, sed tamen postmodum eorum muros dissipauit 1. Macha. 6.

Ismael suíque sequaces cum Godolia in signū pacis & amicitiæ comederunt, vt verum finito prādio ipsum interemerunt, cum multis aliis. Iere. 41.

Tryphon Antiochum dominum suum, regnandi cupiditate & habendi quæ ille possidebat incensus, interemit 1. Mach. 13.

Filij Sennacherib dominandi libidine incensi, patrem suum insidiose interfecerunt 4. Reg. 19.

Sellum etiam filius Iabes Zachariam dominū suum adorsus & interemit, vt ei succederet in regno, verum vno tantum mense durauit eius imperium 4. Reg. 15.

Zambri dominandi cupiditate incensus, herum suum interemit, & breuissimum etiam exercuit imperium 3. Reg. 16.

Saluatuit Dauid habitatores Ceilæ, qui tamen eum Sauli ad mortem tradere pertractabant 1. Reg. 23.

Iudas igitur ex omni fraude dolóque concretus, dominum suum à quo tam multa acceperat beneficia sub pascis osculo & insidiose Iudæis prodidit, ceu Saul ille qui cum à Dauide amplissimis affectus esset beneficiis, cum ab opprobrio Goliath liberatus, & à Philisthæis, nihilominus tamen cum hasta transfigere voluit, & sæpe mille inuentis & excogitatis insidiis, perdere atque interficere 1. Regum. 18.

Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus. ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, ego sum abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit: eos. Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: dixi vobis quia ego sum? si ergo me quæritis, finite hos abire, vt adimpleretur sermo, quem dixit. Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Super illa verba, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram, vide D. Thom. 3. p. q. 43. art. ad 1. & q. 44. ar. 3. ad 1.

At illi tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Videntes autem hi qui circa ipsum erāt, quod futurum erat, dixerunt ei. Domine, si percutimus in gladio? & ecce vnus quidem de circunstantibus ex his qui erant cum Iesu, Simon Petrus, habens gladium, extendens manum exemit gladium suum, & percussit seruum principis sacerdotum; & percutiens seruum principis sacerdotis amputauit auriculam eius dexteram; erat autem nomen seruo Malchus. Respondens autem Iesus, ait. Sinite vsque huc: & cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. De eo quod Petrus Malcho abscidit auriculam, consule

sule D. Antoni. 1. par. histo. titu. 5. capt. §. 22.

Dixit ergo tunc Iesus Petro; conuerte gladium tuum in locum suum in vaginam, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quia sic oportet fieri. Super illa verba, conuerte gladium tuum in locum suum, cõsule D. Thom. 2.2. q. 40. ar. 2. per totum.

Super illa verba, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt, vide D. Thom. 2. 2. q. 40. ar. 1. ad 1.

Et in illa hora respondens Iesus, dixit turbis, & ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, & magistratus templi; & seniores. Tanquam ad latronem existis, cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie eram apud vos, & sedebã in templo docens, & cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me, & non me tenuistis? sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Vere domine tanquam latro tractaris, quia pro latronibus pateris: ideo nihil mirum si eorundem pœnam sustineas. Quam est indignum (vt nil aliud adspiciamus) virum bonũ & honestum, vitæque inculpatæ, capi publice, vinciri, & trahi ad causam capitis è vinculis dicendam? At cælorum & angelorum dominus hæc omnia perpessus est.

Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli eius omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone nudus profugit ab eis. Discipulorum fuga maximum etiam dolorem pio magistro intulit: quibus ille erudiendis & constabiliendis tantum impendisset temporis, tantum operæ insumpsisset, quique tot domini miracula & ipsi viderant, & eius etiam virtute patrauerant. Facinus capitale est deseri in periculo patrem à filiis, dominum à subditis, magistrum à discipulis ille in se expertus est omnia, ab ipsis in manibus hostium derelictus.

Hoc loco disserere poteris quo pacto res aduersæ soleant amicos ipsos probare, & alia huiusmodi ad hoc institutum de amicitia spectantia tractare poteris. Quod vt commodius præstare valeas, nonnulla subiiciam de toto hoc genere permiste atque promiscue.

Quales esse debeant amici, inuenies apud August. in lib. quodam de amicitia inscripto circa finem to. 4.

Vide quanta fuerit amicitia illa inter Ionatham & Dauidem, & quidem maximis interuenientibus procellis ac tempestatibus 1. Reg. 19.

Ethai dixit Dauidi fugienti à facie Absalon; viuit dominus, in quocumque loco fueris siue in vita siue in morte, ero tecum 2. Regum 15.

Quemadmodum antequam argẽteum aliquem siue aureum nummum accipiamus, solemus experiri vtrum adulterinus sit, item aurum ipsum Lydio diiudicamus lapide: ita amicos antequam diligamus seu in familiaritatem nostram intimam recipiamus, deligere prius debemus & experiri, præsertímque in aduersis, num firmi ac constantes perseuerent. Et sicut antea quam epulæ regali apponantur mensæ, diiudicari solent & prægustari: ita priusquam aliquem in sodalitatem & societatem nostram admittamus, perspiciamus oportet num mensa nostra dignus sit, hoc est communicatione arcanorum rerúmque nobis charissimarum.

Sicut nonnulli torrentes hyemali tempore quo minus aqua indigere videris, magno quidem fluũt impetu, at vero tertia æstate quo tempore magis egere videris, exarescantur omnino, & si ad eos accesseris, ne guttam quidem inuenies: ita ficti ac simulati amici rebus prospere succedentibus velut agmine facto ad te confluunt, cum vero infelices sunt & aduersæ, statim aufugiunt omnes, téq; in mediis procellis derelinquunt.

Quemadmodum vmbram quandiu sole illustraris, te perpetuo assectantem vides, qui si obscuretur, aut occidat, illico vmbra ipsa euanescit & aufugit: ad eundem modum qui fingunt se esse amicos cum reuera non sint, quãdiu in prosperitate fueris rebúsque florentibus, te comitantur, tecum sunt atque versantur, si vero fortuna ipsa cæperit esse nouerca, statim auolant atque recedunt. Vnde recte cecinit poëta; Donec eris felix, multos numerabis amicos Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Sicut hirundines æstate aduentante ad nos cõuolare solitæ sunt, sæuiente autem hyeme citissime auolant & discedunt, ita certe qui verus non est amicus, secundis rebus semper præsto adest, aduersis vero aufugit atque recedit.

Sicut columbæ dealbata & candidissima amant columbaria, si vero fuligine aut fumo denigrentur, ea oderunt atque contemnunt: non secus profecto qui se amicos simulant, cum candida fuerint omnia, in tecta sese tua recepiunt, cum vero atra & inimica esse cæperint, ab eisdem quã ocyssime abeunt atque discedunt.

Cohors autem & tribunus, & ministri Iudeorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Et duxerunt Iesum ad domum principis sacerdotum, ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis quia expedit vnum hominẽ mori pro populo. Et conuenerunt omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores. Quam multis iudicibus iniquis, atque tribunalibus! rapitur enim primum ad Annam, hinc ad Caipham, tum ad Pilatum, inde ad Herodem, ab hoc rursus ad Pilatum: omnes quidem iudices iniquos & prauo affectu corruptos. Quis enim ferat iudicem ipsum descẽdere ad partes actoris, circunquirere falsos testes, & in reum subornare? Tales enim pontifices fuerunt in dominum Iesum.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus à longe & alius discipulus: discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis, Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum vsque intro in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro accenso igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se, vt videret finem.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid loquutus sum ipsis, ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Super illa verba, ego semper docui in Synagoga & in templo &c. Vide D. Tho. 3. p. q. 42. ar. 3. ad 2.

Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens. Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus: si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?

Super illa verba, si male locutus sum testimonium

nium perhibe de malo &c. vide D. Thomam. 2. 2. q. 65. ar. 2. & 3. p. q. 46. ar. 9. ad 2. & q. 83. ar. 2. ad 3.

Vide quam benigne & patienter mansuetissimus agnus tulerit tantam iniuriam illatam à sacrilego illo dæmonis ministro: quo loco si voles, disserere poteris de tolerandis condonandisque iniuriis, ad quod persequendum nonnulla describam.

Quo pacto sustinere patienter & condonare illatas debeamus iniurias, consule Petrum Chrysologum sermo. 38.

Non negamus quidem inquit Seneca, magna nobis infligi à prauis hominibus incommoda ac contumelias, sed ea tamen omnia magno sufferre animo debemus, ac patienti. Vide Senecam lib. 2. de tranquilli. Vitæ ad Serenum cap. 16.

Fallimur inquit idem Seneca eodem lib. cap. 19. si existimamus non esse libertatem patienter iniurias tolerare, imo vero libertas maxima est easdem sustinere patienter.

Græcus ille Thrasybulus, qui Athenienſibus tyrannis occisis, principatum in republi. obtinuit, vt omnis sibi adimeretur occasio animaduertendi in eos qui iniurij sibi in eo facto fuerant, legem sanxit vt nullus de antecedentibus delictis accusari posset siue puniri, quam obliuionis legem Athenienses appellarunt.

Cum Aelius Adrianus imperator esset creatus, resciuisséque sibi à quoddam necem antea intentam fuisse, eundem statim euocari iussit: qui cum formidolosus maximè & tremens accessisset, magno quodam & perbenigno eum affatus animo, subiecit. Hodie quidem præclare tecum actum est, quod ad hoc imperium euectus fuerim, aliter enim fortasse salus tua in periculo atque discrimine versata fuisset: sed nunc minus decere videtur hanc dignitatis mutationem, quod de te supplicium sumam.

Dux quidam Aurelianensis cum insignẽ quandam à nobili viro accepisset iniuriam, postmodùm que Gallorum rex creatus fuisset, & multi instarent vt se vlciscereturde inflicta iniuria, subiecit: Non decere Gallorum regem, vt vindicare iniuriam inflictam duci Aurelianensi.

Quemadmodum prunæ cinere tectæ atque sepultæ, si paululum insufflaueris siue cinerem commoueris, illico fese exerunt, & ostentantur: ita profecto plerique viri abiecto minúsque honesto nati ingenio, quãdiu in obscuritate sepulti versantur, nulláque dignitate conspicui sunt, patienter quodammodo illa as tolerant iniurias, vbi vero cinerem ipsum remoueris, hoc est obscuritate remota cæperint in aliquo dignitatis locari gradu, tunc volunt se statim inique vlcisci & vindicare: contra vero faciunt viri benenati & virtutis studiosi, qui tunc in obliuionem potius iniuria rum incidunt atque deueniunt.

Thales Milesius cum iniuste damnatus, ad mortem fuisset, per calúniatores quosdam & iniquos accusatores, nihilominus tamen patiẽti perpetuo animo dicebat sibi iniuriam nullam inflictam fuisse, siue se nullo id modo iniuriæ loco ducere.

Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem: principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum; vt eum morti traderent, et non inuenerunt cum multi falsi testes accessissent: multis enim falsum testimonium dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & quidem surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, & dixerunt, quoniam hic dixit. Nos audiuimus eum dicentem: possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Ego dissoluam templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manu factum ædificabo: & non erat conueniens testimonium illorum. Et exsurgens summus sacerdos in medium interrogauit Iesum, dicens illi. Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his, & quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Et rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei? Super illa verba, adiuro te per Deum viuum &. Vide D. Thom. 2. 2. q. 90. ar. 1. ad 1.

Iesus autem dixit illi: Tu dixisti, ego sum. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemauit, quid adhuc desideramus testes? ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? at illi omnes condemnauerunt eum esse reum mortis, & respondentes dixerunt. Reus est mortis. Et tum viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, & expuerunt in faciem eius, & velauerunt eum, & colaphis eum cæciderunt. Alij autem palmas in facie eius dederunt, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eũ dicentes ei: prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant ei, & ministri alapis eum cædebant. Petrus autem sedebat foris in atrio; & cum esset Petrus in atrio deorsum, accessit ad eum vna ancilla ex ancilli summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, & sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: & hic cum illo erat. Dixitque Petro ancilla ostiaria, Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? & tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negauit eum coram omnibus, dicens. Non sum: mulier non noui eum. Neque scio, neque noui quid dicas. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erant, & calefaciebant se: erat autem cum eis Petrus stans, & calefaciens se. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantauit. Super illa verba, negauit coram omnibus &c. Vide D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 12. ad 2. & de veri. q. 2. ar. 6. ad 2.

Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & rursus cum vidisset eum ancilla, cœpit dicere circumstantibus his qui erant ibi, Quia & hic erat cum Iesu Nazareno. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Et post pusillum alius videns eum, dixit: & tu de illis es? Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Petrus vero iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. & dixit, ô homo, non sum. Accessit nouus quidam dolor & contumelia ex discipuli amantissimi & principis Apostolorum negatione: qui non ad militum aut pontificum minas, sed ancillulæ vocem negauit, quem is tot miracula edentem viderat, quem ex summi patris reuelatione Dei filium agnouerat: cuius in transfiguratione gloriam inspexerat, & patris vocem audierat, & Mosen atque Eliam hoc passionis mysterium vaticinantes didicerat: qui tamen tot miraculis & testimoniis inspectis, non semel, sed iterum ac tertio, in ipsis oculis & præsentiã domini, cum iureiurando & exe cratione negauit. Qua in re nescio quid prius mirari debeam, an Petrum negantem, an dominum clementissimis oculis illum aspicientem? Cum is enim facinus admisisset æterno supplicio dignum, summum in eum dominus contulit beneficium, cum primam iustificationis gratiam, quæ aliarum omnium caput & fundamentum est, in illius mentem inspirauit, quando illum benignissimis oculis aspexit. Vnde factũ est vt ille foras egressus, amarissimo luctu crimen suum prosequeretur.

Et post pusillum rursus intervallo facto quasi hora vnius, alius quidam affirmabat dicens: Vere & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et accesserunt qui astabant, &

& dixerunt Petro, vere tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit, & ait Petrus, homo nescio quid dicis. Ille autem tunc cœpit detestari & iurare quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim adhuc illo loquente, gallus iterum cantauit. Et conuersus dominus respexit Petrum; & recordatus est Petrus, verbi domini Iesu quod dixerat ei: quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare. Super illa verba, & recordatus est Petrus &c. egressus foras fleuit amare. Vide D. Thom super Ioann. 13. lect. 2.

De eo quod Christus se negandum fore à Petro prædixerat, de oratione in horto, de comprehensione Iesu, de eius ludibriis, de latrone, de Longino, de lanceæ perforatione, & aliis huiusmodi, vi. Vincen. Bellua. spe. histo. lib. 7. cap. 38. 39. & 40.

Mane autem facto conuenerunt & concilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi, & scribæ aduersus Iesum, vt eum morti traderent, & duxerunt illum in concilium suum dicentes. Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis, etsi dixero vobis, non credetis mihi. Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autè erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: tu ergo es filius Dei? Qui ait, vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. Super illa verba, ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei, Vide D. Thom. 3. p. q. 57. ar. 2. ad 3. & q. 58. per. totam. & in 3. sen. dis. 2. 2. q. 3. ar. 3. quæstiun. 2. in cor. & quæstiun. 3. ad 2. & q. 4. arti. 3. & contra gen. lib. 4. cap. 8. & ad Roma. 8. lect. 6. initio. & cap. 10. lect. 6. & ad Ephe. 1. lect. 7.

Et confestim mane concilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus & scribis, & vniuerso concilio, & surgens omnis multitudo eorum, vincientes Iesum, vinctum adduxerunt eum ad Pilatum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, & dicens. Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, et abiens. laqueo se suspendit, & crepuit medius, dissuæque sunt omnia viscera eius. Vide quomodo Iudas perpetuo peccatis peccata addiderit & accumulauerit: ecce enim nunc vltimo desperationem addidit grauitati cæterorum peccatorum, vt ita demum in barathrũ sempiternum cõiiceretur: quo loco si paulo fusius de spe quanti debemus, & de ipsa desperatione quam omnino fugere nos oportet quamuis in atrocissima, & prope innumerabilia inciderimus peccata, tractare voles aliquos tibi indicabo fontes.

Quendam habet D. Leo Papa dialogum inter spem & desperationem circa medium operum.

Quam grauissimum sit desperationis peccatum quantumcunque sceleratissimi exiterimus, vide apud Chrysostо. qui duos de hoc argumento sermo. habet inter initium & medium to. 5. quorum prior inscribitur, contra desperationem & superbiam, posterior vero, ne desperemus si in bene operando tardi fuimus.

De spe consule Lauren. Iust. lib. de ligno vitæ, in tracta. de virtute spei.

De spe consule D. Basi. lib. constitu. monast. cap. 15.

De spe vide Vincen. Bell. spec. mor lib. 1. par. 1. dist. 25. & par. 3. dist. 21. & 22.

Quid senserint Philosophi, consule eundem speculo. doctri. lib. 4. cap. 110.

Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerũt: non licet eos mittere in Corbanam, qui pretium sanguinis est. Concilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, haceldema, hoc est ager sanguinis: vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem. Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati: quem appretiauerunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut cõstituit mihi dominus. Adduxerunt ergo Iesum à Caipha in prætorium: erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Super illa verba, ipsi non introierunt in prætorium &c. Vide D. Thom. 3. p. q. 46. ar. 9 ad 1. & 4. sen. dist. 11. q. 2. ar. 2. quæstiun. 3. ad 3. & contra gen. lib. 4. cap. 68.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit. Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus, accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: nobis non licet interficere quenquam, vt sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Super illa verba, nobis non licet interficere quenquam, vide. D. Thom. 3. p. q. 48. arti. 4. ad 3.

Cœperunt autem illum accusare dicentes: hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari: & dicentem se Christum regem esse. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum. Iesus autem stetit ante præsidem: & interrogauit eum præses Pilatus, & dixit illi. Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi: Quid feci sti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc. Super illa verba, regnum meum nõ est de hoc mundo, vide D. Thom. 3. p. q. 7. art. 2. ad 3. & q. 58. ar. 4. ad 1.

Dixit itaque ei Pilatus: ergo rex es tu? At ille respondens, ait illi. Tu dicis quia rex sum ego; ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus, quid est veritas? cũ hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos. Et dicit Pilatus ad principes sacerdotum & turbas: ego nihil inuenio causæ in hoc homine. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis: & cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Super illa verba, ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, vide D. Thom. super Ioan. 14. lect. 7.

Super illa verba, omnis qui est ex veritate audit vocem meam, vide eundem 2. 2. q. 180. ar. 3. ad 4.

Tunc Pilatus rursum interrogauit eum, dicens illi, Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant. Iesus autem amplius nihil respondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur præses vehementer. De accusato domino apud Pilatum, ac de Iuda Iscariote, consule D. Ambro. ser. 49. & 51. iuxta finem to. 3.

At illi inualescebat dicentes commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa, vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset: vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. herodes autem viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret

multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotũ & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum, & facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant adinuicem. Super illa verba, & facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erãt adinuicem vide D. Tho. 22. q. 23. art. 1. ad 2. & 3. & q. 25. art. 8. 1 ad 3. & in 3. senten. dist. 27. q. 2. art. 1. ad 8. & 12. & de veri. q. 2. art. 4. & 8. in cor.

Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos. Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei: emendatum ergo illum dimittam. Per diem autem solennem consueuerat, & necesse habebat præses populo dimittere vnum ex vinctis, quemcumque petissent: habebat tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis. Congregatis ergo illis, Pilatus respondit eis, & dixit. Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? Quem vultis dimittam vobis? Barrabam, an Iesum, qui dicitur Christus. Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens. Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum, & seniores, concitauerunt turbam, & persuaserunt populis, vt magis peterent Barrabam, Iesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi clamauerunt rursum omnes simul dicentes: non hunc, sed tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Erat autem Barrabas latro, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos, volens dimittere Iesum. Pilatus autem iterum respondens, ait illis. Quid ergo vultis faciam de Iesu, qui dicitur Christus? at illi iterum succlamabant, dicẽtes omnes: crucifigatur, crucifige crucifige cũ Pilatus vero tertio dixit ad eos. Quid enim malefecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant, vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum, & magis clamabant dicentes, crucifigatur, crucifige eum. Super illa verba, vt crucifigeretur, vide D. Thom. 3. p. q. 46. art. 4. per totum. & in 3. sen. dist. 20. art. 4. quæstiun. 1. ad 1. & contra gen. lib. 4. c. 55. ad 17. & quolib. 2. q. 1. art. 2.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, duxerunt eum in atrium prætorij, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & veniebant ad eum, & genu flexo ante eum, illudebant ei, & cœperunt salutare eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum, & conspuebant eum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius arundine, & dabant ei alapas, & ponentes genua, adorabãt eum. Adduntur ad tantos dolores & iniurias, verbera ipsa & flagella, quæ tẽerrimum eius corpus lacerarent. Quam vero indignum verberum supplicium, in quouis etiam homine abiectissimo? Est enim hoc omnium suppliciorum vilissimum, quo mancipia, quo latrones plectuntur: quod tamen summus ille rerum omnium dominus, qui pro latronibus patiebatur, subire dignatus est, vt verbera quæ nos pro latrociniis nostris commeriti eramus, in corpore suo susciperet, & martyres suos quos præsciebat similem pœnam subituros, exemplo suo consularetur, & ad patiẽtiam animaret. Quale autem esset corpus illud cãdidissimum & innocentissimum cernere ligatum, nudum, tot vulneribus consciscum, tot liuoribus deformatum, tot sanguinis riuis aspersum? cuius rei quæ alia extitit causa, nisi quam Propheta expressit, cum ait, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus? Hoc est, verbera quæ nostris sceleribus debebantur, ipse sustinuit, quo læsæ maiestati satisfaciens, pacem nobis & amicitiam patris conciliaret.

Exiuit ergo iterum Pilatus, & dixit eis: ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis quia in eo nullam inuenio causam. Exiuit ergo Iesus foras, portans coronam spineã, & purpureum vestimentum. Et dicit eis, ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes: crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium & dicit ad Iesum: vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Super illa verba, non haberes potestatem aduersus me vllam, &c. Vide D. Tho. 2. senten. dist. 44. q. 1. art. 2. ad 1. & opus 20. c. 1. vsque ad 8. & opus. 4. initio.

Super illa verba, qui me tradidit tibi maius peccatum habet, vide D. Tho. 1. 2. q. 73. art. 2. & 3. p. q. 47. art. 6. & art. 4. ad 2. & 2. sen. dist. 42. quæst. 2. art. 6. & contra gen. lib. 3. c. 139. & de malo quæst. 2. art. 9.

Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autẽ cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur lithostratos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis: ecce rex vester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, regem vestrum crucifigam? Respondерunt pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens. Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Pilatus autem tunc volens populo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium, & seditionem missus erat in carcerem, quem petebant Barrabam, Iesum vero flagellatum tradidit eis voluntati eorum. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Susceperunt autem eum, & exuerunt eum clamydem, & induerunt eum vestimentis eius. Et eduxerunt eum vt crucifigerent eum & baiulans sibi crucẽ, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locus, Hebraicè autem Golgotha. Exeuntes autem ducerent eum, apprehenderunt, & angariauerunt prætereuntem quempiã homine Cyreneum, nomine Simonem, venientem de villa, patrem Alexandri & Russi, hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius, & imposuerũt illi crucẽ portare post Iesum. Sequebatur illũ autẽ multa turba populi, & mulieres quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem Iesus ad illas dixit: filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosmetip-

sas flete,& super filios vestros,quoniam ecce venient dies,in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus,cadite super nos, & collibus, operite nos quia si in viridi ligno hæc faciunt,in arido quid fiet? Mos erat apud Iudæos vt in Pascha solueretur vnus ex vinctis: vnde præses eligebat ex vinctis aliquos, & proponebat populo,vnde ipsi Iudæi etiam seligebant quem volebant ex propositis. Itaque proposito Christo,& Barraba, ipsi Iudæi malitioso animo & facinoroso elegerunt potius Barrabam,quã Christum dominum,quem crucifigendum clamitarunt, & Barrabam dimittendum potius nefarium latronem.

Vide quantopere compateretur istæ mulieres Christo domino,& condolerent: quo loco si voles fusius disserere quod afflictis & in calamitatibus constitutis compati debeamus nonnulla subiiciam.

Abdemelec compassus Hieremiæ, festinauit vt liberaret eum à lacu.Hiere.38.

Abraham cum sciret Loth ipsum fuisse in captiuitatem abreptum, statim compatiens ad eum liberandum incubuit.Gen.14.

Darius cum Daniel in lacum leonum fuisset immissus, præ dolore dormire non potuit, & incænatus cubitum concessit Danielis.6.

Ruben fratri suo Ioseph compatiens,nitebatur liberare eum.Gene.37.

Cum Iezabel persequeretur prophetas, Abdias compatiens abscondit ab illa centum ex eis 3. Reg.18.

Mortis periculo se exposuit Esther populi sui miseriæ compassa, vt eundem ab interitu vindicaret Esther.4.

Discipuli Domini condolebant Chananææ,filiam deploranti Matth.15.

Christus dominus etiam dolori Marthę & Mariæ sororum Lazari compassus est.Ioan.11.

De variis præterea mulieribus aliis in sacris literis habes exempla, præter eas mulieres quæ commemorantur hoc loco,quæ compassę fuerint multorum in calamitatibus & laboribus positorum, vt videatur quodammodo sexus muliebris propensior statim ad cõdolendum & compatiendum.Nam vidua illa sareptana in Eliam peregrinum & aduenam officiosa fuit & benigna: item mulier sunamitis in Elisęum prophetam, quæ virum induxit vt accommodatum quendam domi apud se ipsi prophetæ locum appararent 4.Reg.4.

Obstetrices illæ Exod.1. piæ admodũ extitere in mulieres Hebræas. Filia item Pharaonis miserata est Mosis infantuli in scirpea scripta positi Exod.2.

Raab videns exploratores Israel ad mortem quæri eosdẽ abscõdit & occultauit.Iosue 2. Quædam etiam mulier abscondit nũtios Dauidis quos occidere volebant qui veniebant ab Absalon 2. Reg.17.Petrum eductum de carcere, quem Herodes interficere volebat, pia illa Ioannis mater hospitio suo excepit Acto.12.

Mulier illa in Euangelio, pie quidem & perstudiose dixit, beatus venter qui te portauit, &c. Luc.11.Considera præterea quanta vsa fuerit benignitate Abigail cum ipso Dauide 1.Regum.25. vide etiam Acto.9. de pietate & benignitate Tabithæ.Item quam officiosæ fuerint Mariæ illæ cũtes ad sepulchrum tam de mane Luc.24. Lydia purpuraria magnam exercuit pietatem & liberalitatem in Paulum & eius socios Acto.16.

Paupercula illa vidua magno quodam animo & pio duo minuta quæ habebat obtulit Luc.21. Martha vero & Maria quam benigno sæpe hospitio Christum dominum receperunt? Quid dicam de mulieribus illis quæ Christum pie sequebantur,eidemque diligentissime ministrabant? Luc.8. Quid vero de liberalitate & benignitate virginis matris in nuptiis illis vino deficiente? tum etiã in distribuendis in pauperes thesauris à regibus Magis acceptis? Quid de humanitate & beneficio illo Rebeccæ in seruum ipsius Abrahæ,cum & ipsi & camelis eius aquam copiose ministrauit,eandemque domum suam adduxit?Gene.24.

*Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo vt interficerentur: & perducunt illum, & venerunt in locum qui dicitur Golgotha,quod est interpretatũ Caluariæ locus, & dederunt ei vinum mirrhatum bibere, cum felle mixtum.Et cum gustasset, noluit bibere, & non accepit. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum,Et tunc crucifigunt cum eo alios duos latrones,hinc & hinc,vnum à dextris, & alterum à sinistris eius, medium autem Iesum. Et impleta est scriptura quæ dicit: & cum iniquis reputatus est.*Moris tũc erat, capitis supplicio afficiendis myrrhatum vinum propinare,quod soporato corpore, magnam adimeret doloris partem. Quid autem crudeles isti carnifices excogitarunt? Nouum certe & inauditum crudelitatis genus. Cum soporifera namque myrrha,fel amarissimum propinarunt:vt non modo supplicium mortis non leuarent, sed linguam etiam quæ intra os clausa à dolore immunis videbatur,hoc nouo dæmonis inuento cruciarẽt.Quis huius feritatis immanitatẽ satis explicare queat? Etiam latrones qui maria & terras infestarunt,qui multos adduxerunt captiuos,multos iugularunt, cum ad extremum supplicium trahuntur,parcitur eorum infirmitati,subleuatur lassitudo porrigitur sitientibus optimum quod sit ad manum poculẽtum.At seruatori nostro,nouo crudelitatis genere pro hoc poculo fel propinatur.Quid hic prius exclamem?quid prius mirer?an tantam hoc hostium crudelitatem,qui tot modis mortem domini acerbiorem reddiderunt? an tantam seruatoris nostri charitatem,qui hac noua ratione voluerit deliciarum nostrarum culpas expiare?

Et postquam venerunt in locum,qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum. Atrocissimũ illud fuit crucis supplicium,quo expensa brachia, protensa & pro tracta crura,suspenduntur in cruce, manus & pedes clauis acerbissimis configuntur. Quis vel cogitatione possit assequi, quãta sit dolorum immanitas & fœuitia,volis manuũ & pedum ferro trãsfixis?quanto maior pendente & innixa mole vniuersi corporis in manus & pedes sic affectos?delectus est autem ad supplicium illius dies festus & celebritas Iudæorum,quo hilares Iudæi ac læti ferias suas agerent,ipse vero in publica lætitia affligeretur: & quo die aliis parcitur, accusaretur atque impetereturr, & tunc eriperetur ei vita,quando aliis donabatur. Expectatum est tempus, quo ex orbe toto construerent Iudæi ad celebrationem Paschæ, vt spectaculum necis Christi esset frequentius.

Super illa verba, Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ,vide D.Tho.3.p.q.46. ar,10.ad 3.

In illa verba,crucifigunt cum eo alios duos latrones, &c. vide D. Thomam 3. part. quæstione. 46. art.11,

De monte Caluariæ sermo, quendam habet D. Bernar.inter initium & medium operum, & incipit,Exigitur etiam, &c. de Berhania etiam alium habet,

habet,qui incipit,sane non omnino.

Scripsit autem & titulum Pilatus,& posuit super Crucem.Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam.Et erat titulus causæ eius inscriptus super eum,litteris Græcis,& Latinis,& Hebraicis. Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum,quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus.Et erat scriptum Hebraice,Græce,& Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum, Noli scribere rex Iudæorum,sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi,scripsi. De passione Christi domini sermo. quendam habes apud D. Bernar. qui incipit Iesum Nazarenum,&c.

Quendam de passione domini tract.habet Grego. Nyssenus. circa medium operum, & incipit, Populus meus, &c. insuper & aliũ habet de cruce inscriptum, ac hoc institutum spectantem, cuius initium est,videbitis vitam,&c.

*Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*Vide D.Tho.3.p.q.21.art.4.ad 2. & q.47.art.5.per totum.& art.6.in cor.

Milites ergo cum crucifixissent eum,acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Diuidentes autem vestimenta eius, miserunt sortes. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit: vt scriptura impleretur dicens,per prophetam. Partiti sunt vestimenta mea sibi,& in vestem meam miserunt sortem. Super illa verba, non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit,vide D.Tho.opusc.19.cap.10.& 2.2. q.59. art.8.& opusc.25.c.5.

Sicut cum vrbs aliqua exponitur direptioni & incendio,cõsueuerũt fere milites magno quodã impetu atque furore in spolia ipsa inuolare,& inter se maxime debacchari:ita simulatq; immanissimi isti tortores Christum dominum crucifixerunt, cæperunt magis furere, in eius vestimenta inuadere,tumultuari,atque insanire.

*Et milites quidem hæc fecerunt:& sedentes seruabant eum.Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouẽtes capita sua, & dicentes.Vah qui destruis templũ Dei, & in tribus diebus illud rædificas.Saluum fac temetipsum, descendens de Cruce.Si filius Dei es,descende de Cruce.Et stabat populus spectans: & deridebant eum principes cum eis.*Super illa verba, erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum,Vide D.Thom.3.p.q.46.art.9.ad 2. & q. 82. art.2.ad 3.

*Similiter & principes sacerdotum, illudentes ad alterutrũ cum scribis,& senioribus,dicebãt.Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere? Si Christus rex Israel est,descendat nunc de Cruce,vt videamus, & credamus ei: se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Confidit in Deo,liberet nunc eum si vult. Dixit enim quia filius Dei sum. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes. Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac.*Vide quam impie & scelerate sacrilegi isti homines Christo domino illuderent: cui instituto poteris quodammodo applicare illud de Tobia,quod scilicet illuderent oculis capto, & in tanta afflictione posito,dicentes. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas faciebas?&c.Tobiæ. 3. Tum præterea quod ipsi Iob in tanta miseria constituto,eius vxor & alij insultarent.Iob.2.

Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant,& conuitiabãtur ei.Vnus autem ex his qui pendebant latronibus,blasphemabat eum, dicens. Si tu es Christus,saluum fac teipsum, & nos. Super illa verba, idipsum autem & latrones qui crucifixi erãt cum eo improperabant ei,&c.Vide D.Thom.3.p.q.46. art.11.ad 3.

Respondens autem alter increpabat eum,dicens.Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus:hic vero nihil mali gessit.Et dicebat ad Iesum, Domine,memento mei dum veneris in regnum tuum.Et dixit illi Iesus: amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Super illa verba, pomine memẽto mei dũm veneris in regnum tuum, vide D.Thomam.3.p.q.46.art.11.ad 3.

Super illa verba,hodie mecum eris in paradiso, vide D.Thom.3.p.q.52.art.4.ad 3.& 3.sen. dist.20. q.2.art.1.quæstiun.3. & 4.sen. dist.4.q.2. art.2. quæstiun.6.contra gentes lib.4.c.90.

De cruce & latrone consule D.Augustin.de tempo.sermo.130.to.10.

Vide eundem de tempo. sermo 114.117.118. 121.& 122.

*Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius,Maria Cleophe,& Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat,dicit matri suæ.Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo:ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque in horã nonam, & obscuratus est sol.*Super illa verba,tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam,Vide D.Thom.3.p.q.44.art.2.ad 2.

Super illa verba,& obscuratus est Sol, vide D. Thomam.3.p.q.44.art.2.ad 2.& 4.sen.dist.48.q.1. art.4.quæstiun.2.& opusc.10.c.36.

*Et circa horam nonam exclamauit Iesus voce magna, dicens. Eli, Eli,lamma sabachthani, quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: ecce Eliam vocat iste.*Super illa verba,Deus meus vt quid dereliquisti me,vide D.Thom.1.p.q.113.art,6. per totum.& tertia parte quæstione,47,artic.3.in corpore.& quæstione.50.art.2.ad 1.& 2.sen.dist.11.q. 1.art.4.ad 3.

Postea sciens Iesus quia omnia iam consummata, sunt vt consummaretur scriptura,dixit: sitio, Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Continuo enim currens vnus ex eis, acceptam implenit aceto, & imposuit arundini,& dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant finite, videamus an veniat Elias liberans eum. Cum dominus sanguine iam exhausto, & arentibus venis atque faucibus,ardentissima siti æstuaret,seque sitire dixisset, vinea illa à se consita, atque diligenter exculta,pro vuis labruscas,proque vino acetum cultori suo propinauit. Quid vero crudelius, quam pendenti in cruce domino, sanguine defecto,vulneribus cõciso,liuoribus deformato,& eam speciẽ referenti quæ vel ferrea corda mollire potuisset, non modo guttã aquæ denegare, sed aceti quoque amaritudinem offerre? Hæc sane crudelitas tanta fuit, vt de ea idem dominus per prophetam queratur,cum ait. Et dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerũt me aceto. Quo igitur inopiæ nostræ leuandæ gratia peruenit vnicus Dei filius, in quo sunt thesauri omnes reconditi,vt in cruce pendens, neque aquæ guttã ad sedandam sitim haberet,neque vbi caput suum spinis transfixũ reclinaret? Cur hoc, nisi vt nos omnes nuditate & inopia sua locupletaret?

Super illa verba scienis Iesus quia iam omnia consummata sunt,vide D.Tho.1.2. q.103. ar.2.ad 2.& 3.p.q.47.ar.2.ad 1.

Cum ergo accepisset Iesus acetum dixit: consummatum est.Iesus autem iterum clamans voce magna, ait

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, Et hæc dicens, emissa voce magna, & inclinato capite, expirans, tradidit spiritum. Quid mirabilius quam Deũ mori, Deum in crucem agi, Deum inter latrones pendere? Potest ne aliquid sublimius, aut mirabilius animo concipi? Regina Sabba non habebat vltra spiritum, cum Salomonis familiam, domũ, gloriamque videret, Quanto vero mirabilius est, Dei filij humilitatem, quam Salomonis sublimitatẽ cernere? Hoc certe non modo verbis exprimi, sed ne cogitatione quidem comprehendi potest. Quomodo ergo aut spiritus, aut halitus in nobis supereſt, cum adeo stupendam Dei filij humilitatem & ignominiam contemplamur? Cum dominus ad ferẽdas Hebræis leges in montẽ Sinai descẽdisset, tanto terrore Hebræorum animi audita Dei voce concussi sunt, vt ad Moysen dicerent. Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis dominus ne forte moriamur. Denique miraculi instar esse crediderunt, quod loquente Deo, & audiente homine, vixerit homo. Si ergo tantus animarum terror est Deum audire loquentem, quid vinculis ligatum, flagris verberatum, sputis illitum, alapis cæsum, spinis coronatum, & in cruce inter facinorosos & latrones appensum? Cum inimici Iob ipsum in sterquilinio sedẽtem, & testa saniem radentem vidissent, quem antea opulentissimum & multis opibus circumfluentem cognouissent, tanto stupore completi sunt, vt septem diebus & septem noctibus cum eo humi sedentes, silentium tenuerint, neque quisquam eorum ipsum alloqui ausus sit, videbant enim dolorem esse vehementem. Si ergo tanto hi stupore correpti sunt, cũ hominem sic affectum viderent, quantus quæso stupor erit non solũ hominem, sed Deũ pariter atque hominem in cruce pendentem, & leprosi speciem exhibentem, & à vertice vsque ad pedes tot liuoribus deformatum, tot vulneribus concisum, tot plagis contritum cernere? Si spectaculum illud sic homines stupefecit, vt septem dierum spatio mutos & elingues redderet, quid nos facere par est, qui tanto acerbius & mirabilius spectaculum ante oculos positum cernimus? Cum Achior caput Holofernis principis militiæ Assyriorũ abscisum vidit, æstuasse anima eius dicitur, & præ stuporis & pauoris magnitudine in terrã corruisse. Quanto ergo mirabilius est, autorẽ vitæ mori, quã tyranni caput abscindi? Quomodo ergo non æstuat & in terram corruit homo, cum hoc tantũ diuinæ pietatis opus animaduertit? Plinius senior vbi de diuinitatis natura multa eadẽque præclarissima dixisset, postremo in consolationem eorum qui non omnia possunt, duo esse ait quæ Deus ipse nó possit. Non potest inquit mẽtiri, nõ potest mori. Quæ duo non posse, summa quidem potẽtia est. Si ergo Deus neque mentiri neque mori potest, quid mirabilius quam quod fides prædicat, Deũ esse mortuum? Quãuis enim ipse secũdum diuinitatis naturam mortuus non sit, quia tamen ille homo verus erat Deus, vere cum ille homo mortuus est, Deum dicimus fuisse mortuum. Nos igitur fratres qui mysteriũ hoc firma fide amplectimur, & veneramur, illud certe fateri debemus, magnũ aliquod & ingens negotium fuisse, propter quod summa illa sapientia subire mortem dignata sit. Tanta enim res quæ omnẽ superat admirationẽ, non nisi maximi alicuius fructus causa suscipi debuit. Cum rex aliquis ingentẽ exercitũ, & classem multarum triremium apparari iubet, non alicuius vinculi, sed regni aut munitissimę verbis expugnãdæ gratia, comparare credendus est. Cum ergo nil maius humana mens quam Deum mori concipere possit, consequens erit vt nil hac ratione vel ad genus hominum salutarius, vel ad Dei gloriam sublimius, fieri potuisse credamus. Non potest enim non summum esse beneficium, quod tantis impendiis paratum fuit.

Super illa verba, clamans voce magna emisit spiritum, vide D. Tho. 3. p. q. 47. ar. 1. ad 1. & quoli. 1. q. 2. art. 2. in cor. & 3. p. q. 50. art. 4. & 5. & 3. sen. dist. 2. q. 1. art. 3. & quo lib. 2. art. 1. & art. 2. & quoli. 3. art. 4.

Et ecce velum templi scissum est medium in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Super illa verba, velum templi scissum est, &c. Vide D. Tho. 1. 2. q. 103. art. 3. ad 2, & 3. p. q. 44. art. 4. ad 3.

Super illa verba, & terra mota est & petræ scissæ sunt, vide D. Thom. 3. p. q. 44. art. 4. ad 3.

In illa verba, multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, vide eundem 3. p. q. 53. art. 3. ad 2. & in 4. sen. dist. 43. q. 3. art. 1. ad 3.

Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat, quod factum fuerat, quia sic clamans expirasset, glorificauit Deum dicens: vere hic homo filius Dei erat. Et qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: vere filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Sed iam ex cõmemoratis philosophari incipiamus: nullam enim altiorem philosophiam quam crucis Christi esse Apo. testatur: qui quamuis in tertium cælum raptus, audierit arcana verba, nil tamen se nisi Christum, & hunc crucifixum scire profiteatur. Itaque cum in hoc summo beneficio duo sint præcipue consideranda, alterum salus & redemptio parta, alterum redemptionis & salutis reddendę modus: multo mirabilior redemptionis modus, quam ipsa redemptio est. Non putauit Seneca tanti esse homines apud Deum, vt illorum gratia cælestia corpora ab eo cõdita essent, & in illorum obsequium circum agerentur. Vnde ait, nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur propter quos hæc tanta, scilicet corpora cælestia, moueantur. Suas ista leges habent quibus diuina exercentur. Qui indignum hominem credebat, cui cælestia corpora famularentur, quid faceret si non modo solem & astra, sed rerum omnium conditorem Deum in humanæ salutis ministrũ seipsum dedisse, & hominum pedes lauisse, & inter latrones eius gratia pependisse crederet? Vtinã nos hoc in loco insignis huius philosophi mentem & animam haberemus, vt qua ille fuisset admiratione perculsus, si sacramentum hoc vere credidisset, nos quoque simili admiratione concuteremur, vt tantam hanc domini erga genus nostrũ benignitatem & pietatis viscera, pro meritis obstupescemus! Non est autem cur quisquam minorẽ segratiam debere putet, quod non pro se solo, sed pro omnibus saluator calicem hauserit passionis. Vt enim omittã tantã eius charitatẽ extitisse, vt si ita res postularet, tantũ vnius animæ saluti, quantum omnibus impenderet: tamen vt sol nihil minus lucis & caloris cuius hominum tribuit, cum omnib. luceat, quam si vni alicui oriretur, ita passio Christi nihil minus prębet vnicuique, quam si pro eo solo suscepta fuisset. Quo quidem affectu erat Aposto. cum diceret, Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Sic enim illum propter hoc sa

hoc salutis suæ beneficium diligebat, ac si vni sibi fuisset impensum. Nos igitur fratres propter quorum scelera diluẽda, in hoc dolorum omnium pelagus vnigenitus Dei filius se coniecit, vt nos inde extraheret, eodem affectu atque animi gratitudine perculsi, cum D. August. his verbis dominũ pro nobis in cruce patiẽtem deuotissime alloquamur. Quid commisisti dulcissime domine, vt sic iudicareris? Quod scelus tuũ, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occasionis. ô mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! peccat iniquus, punitur iustus. Delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius. Cætetum illud etiam à nobis magnopere dominus requirit, repetit, contendit, vt peccatum quod is morte grauius habuit, summo odio detestemur, ne videlicet vlterius committamus, quòd maiorem nunc illi dolorem, si dolorib. obnoxius esset, quam mors ipsa incuteret. Vnde D. Ber. Sic dominum inducit loquentem: Nonne satis propter te vulneratus sum? nunquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionẽ afflicto? magis aggrauant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei.

Reliquum est vt Christi domini merita ante patris æterni conspectum offeramus, vt illius meritis & doloribus quos pro nobis pertulit, tribuatur, quod nostris meritis non debetur. In cunctis enim precibus nostris, nunquam ante facie patris sine mediatoris nostri patrocinio appareamus: quæ ille pertulit omnia, pro debitis nostris offerẽtes, & gratiæ ipsius auxilium postulantes. Fuerunt fœminæ, quæ sanguinolentas virorum suorum vestes, quos inimici occiderant, asseruarunt, quas adultis filiis ostenderent, quo eos ad sumendam de patris nece vindictam incitarent. At nos cõtra facere debemus, qui Iosephi nostri tunicam, hoc est immaculatũ Christi domini corpus proprio sanguine cruentatum, ante patris æterni conspectum offerentes, non illum ad iram & vindictam, sed ad misericordiam & pietatem inclinemus.

Quendam sermo. composuit Inno. 3. inscriptũ, In sancto parasceues, & incipit, Quem vultis dimittam vobis, &c. circa initium operum.

Quantum conducat meditatio passionis Christi, vide D. Bernardum sermo. 43. super Canti.

Quid in contemplantis animo meditatio passionis Christi efficiat, vide Lauren. Iustin. libr. de triumpha. Christi agone cap. 20.

Quemadmodum si ferrum ignitum in aquam immittatur, extinguitur ipse ignis, & permanet ferrum ipsum: ita passus quidem & mortuus est Christus dominus, permanente semper diuinitate illæsa.

Quemadmodum si annulus plumbeus carbũculo pretioso exornatus, in ignem coniiceretur, annulus quidem liquefieret & destrueretur remanente semper ipso carbunculo: ita Christus secũdum humanam naturam passus est ac mortuus, remanente illæsa & intacta diuinitate ipsa, tanquam carbunculo quodam pretiosissimo.

Sicut mercatores consueuerunt sæpe cum amplissimas aliquas emunt merces, non statim omnino totam exoluere & numerare pecuniæ summam, sed partem aliquam dare, siue etiam symbolum solutionis: ita Christus dominus volens per totum suam passionem redimere genus humanũ de seruitute diaboli, quasi partem aliquam redemptionis visus est persoluisse in circumcisione ipsa, at vero nunc tandem in consummatione passionis, totum cumulatissime persoluit debitum atque summam.

Decem & nouem condidit sermo. D. Leo papa de passione domini inter initium ac medium operum.

Quendam habet tracta. D. Cypria. circa finem operum de passione Christi inscriptum, & incipit, Domine audiui auditum tuum, &c.

De solennitate passionis domini composuit sermo. quendam D. Lauren. Iustin. circa medium operum.

D. Anselmus in fine suorum operum habet dialogum quendam quem inscribit, speculum Euangelici sermonis, alias stimulus amoris, vbi permulta inuenies huic instituto accommodata.

Circa finem operum D. Berna. inuenitur sermo quidam de passiõe domini, qui incipit, Iesum Nazarenum, &c. & postmodum reperitur etiam quidam satis copiosus de passione domini tractatus: rursus item alius extat libellus inscriptus, Ad vnum quodlibet membrum Christi patientis, & à cruce pendentis.

De passione domini multa habes longe lateque patentia apud D. Antoni. 1. par. histo. titu. 5. c. 6. §. 1. & sequentibus. & c. 7. §. 5. 6. & 7.

Sabbatho Sancto.

VESPERE autem Sabbathi quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus, angelus enim domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum, &c. Mat. 28. Quamuis hoc quidem die vix soleat haberi concio, tum quia videatur pertinere hæc solennitas ad diem crastinum, tum quia officium cum vesperis simul terminentur, & concio fieri etiam soleat pomeridianis horis vesperi apud aliquos: nihilominus tamen si forte tibi aliquando contingat, vt concionem habere hoc die debeas, videbis circa explicationem huius Euangelij Petrum Chrysologum sermo. 74. 75. 76. & 77.

Porro super illa verba, vespere autem Sabbathi, &c. consules D. Thom. 3. p. q. 53. art. 4. per totum. & contra gen. lib. 4. c. 8. & 3. p. q. 51. art. 4. ad 3. & q. 53. art. 2. ad 3. & q. 83. art. 2. ad 4. & 3. sen. dist. 21. q. 2. art. 2. ad 6. & 4. sen. dist. 43. q. 4.

Super illa verba, angelus domini descendit de cælo, &c. consule eundem 3. p. q. 55. art. 6. ad 5.

Super illa, respondens angelus dixit mulieribus, vide eundem 3. p. q. 55. art. 1. ad 3. & art. 2. per totum.

Erat autem aspectus eius sicut fulgur, &c. Vide eundem super Iob cap. 40. lect. 2.

Præcedet vos in Galilæam. Vide eundem 3. p. q. 55. art. 3. ad 4.

Cæterum vesperi apud aliquos solita est haberi sacrã concio de depositione Christi domini de cruce, de sancto eius sepulchro, de descensu ad inferos, de solitudine & planctu beatæ virginis: de quibus nonnulla etiam adiiciam.

De depositione Christi de cruce vide D. Tho. 3. p. q. 28. art. 3. ad 6. & q. q. 51. art. 2. ad 2. 3. & 3.

De sancto domini sepulchro vide eundem 3. p. q. 51. art. 1. per totum. & art. 2. in cor. & ad 4. & art. 4. in cor. & q. 52. art. 4. in cor. & q. 66. art. 8. ad 1. & q. 51. art. 2. ad 4.

De sancto domini sepulchro, Vide D. Bernar. sermo, at miles templi c. 11. & incipit, Inter sanctæ ac desiderabilia loca, &c.

De descensu Christi ad inferos vide. D. Tho. 3. per quæst. 52. per totam. & 3. sent. dist. 22. quæst. 2. art. 1. quæst. 1. opus. 3. cap. 242. & opus. 60. cap. 21. initio.

De solitudine & planctu virginis consule D. Anselmum lib. de excellentia beatæ virginis cap. 4. & 5.

Consule etiam Richardum de S. Victo. 1. par. fol. 11.

Tanta est pietas huius virginis matris non solum erga filium naturalē iuxta cuius crucem stabat, sed & erga filios suos adoptiuos, tanta facultas impetrandi quod velit apud Deum patrem, vt fermocinantes quoque nutrices populorum non aliunde confidant lac doctrinæ per eos propinandum, nisi meritis eius & precibus procuratū: ad quod efficiendū, cithara dulcisonæ salutationis ad eam vtuntur. Sed consuetudo Ecclesiæ cum de Passiōe filij eius Iesu est sermo, dicere videtur prædicanti, illud quod Eliseus propheta ait Giezi discipulo suo, de sunamitide mortem vnigeniti sui deploranti 4. Regum. 4. scilicet dimitte eam, anima enim in amaritudine est: quasi dicat, non salutes. Nam cithara illa angelicæ salutationis, in luctum versa apparet. Nam quomodo aue ei nunc dicere valemus ab a, quod est sine, & væ deriuatum, quæ doloribus plena est, vt dicere valeat illud Michææ, Væ animæ meæ, quia defecit timoratus à terra filius meus, quem impleuit spiritus timoris domini? Mariam apte nūcupare nō possumus prout domina vel illuminatrix interpretatur, cum satis obscura quasi luna eclipsata inueniatur. Nolite ergo vocare me Noemi id est pulchram, sed vocate me Mara id est amaram, quia amaritudine repleuit me dominus, dicere potest cum illa Noemi, quæ de felicitate ad infortunium deuenerat. Non gratia plena, sed vacua iudicor hodie: flectam enim genua mea ad patrem domini mei Iesu, vt misereatur filij communis, & non me audit. Deprecor ipsum filium vt suis verbis mellifluis me consoletur, mihi non loquitur, nisi illud, Ecce filius tuus: quod verbum vt gladius pertransiuit animam meam, cum pro magistro & filio mihi datur discipulus. Iudæis supplico vt amodo filio meo compatiantur, & ipsi contumelias & subsannationes adiungunt. Mortem inuoco, vt post filium non superstes remaneam, & fugit à me. Iuxta crucem sita ad ipsam clamo: Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera, vt deosculer filium meum, & rigida & immobilis perseuerat. Dominus tecum. Vtique in me huc vsque dominus filius fuit mecum, me confortans, me reficiens, & ego secum ipsum sequens: verba eius dulciora super mel & fauum, audiens miracula eius, videns, & gloriam Dei ex eius operibus magnificari perspiciens: nunc autem me reliquit, animam corpore egredientem patri recommendans. Benedictam me in mulieribus angelus dixit, quæ nunc infelicior cunctis mulieribus inuenior. Nam quæ mater vnquam fuit, quæ in præsentia filij constituta, angustiis & afflictiōibus circundari, non valuerit vel in aliquo refrigerium præstare? Audio eum ad mortem vsque sitientem ex maximis pœnis, nec potum aquæ frigidæ porrigere valeo, sed video spongiam aceto plenam & felle, ad os eius apponi. Etsi felix fui & benedicta in mulieribus in partu eius non sentiens dolorem, sed mihi video reseruatos, & nūc adauctos, quohiam nulla mater vnquam sensit tantum dolorem in partu filij, sicut nūc ego in passiōe Christi. Sed nec martyr aliquis vel aliqua in suis variis cruciatibus vnquā tantā pœnā passus est, quantā ego. Est & benedictus fructus ventris mei Iesus, cui omnes maledicunt Iudæi, & gentiles: vnus eum appellat malefactorem, alius seditiosum alter blasphematorem, multi ambitiosum, regnum vsurpare volentem, reliqui mēdacem aut seductorem: vt vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, sic effectus: quia & secundum legem est maledictus omnis qui pendet in ligno, id est infamis. Ex quo ergo in luctum conuersa apparet cithara illa angelicæ salutationis, dimitte eam vt non salutes. Sed nihilominus cum ea iuxta crucē maneas, ipsam meditando, ipsam adorando, ipsam salutando, & eius auxilium implorando, & dicendo. ô crux, aue spes vnica hoc passionis tempore, auge piis iustitiam, reisque dona veniam. D. Antoni. 4. par. Theolo. ti. 15. cap. 41.

Omnes sancti iuxta crucem stant, propinquius tamen alter altero: nullus autem propinquior ad eam ipsa virgine, & merito, cum esset illud corpus de eius substantia, licet alia persona ab ea: permaxime igitur stabat iuxta crucem mater eius propinquissima in doloribus, vt dicere posset illud Threno. ô vos omnes qui transitis per viā, scilicet vitæ præsentis, vnde dicimur viatores, attēd. te & videte si est dolor sicut dolor meus. Tunc impleta est in ea prophetia Simeonis dicētis. Tuam ipsius ānimam pertransibit gladius. Luc. 2. Et quod adauget dolorem meum est, quia cum filius meus sustineat tot immensos dolores, & tantam pœnam, quæ sufficiat pro omnibus satisfacere, & omnium debita soluere, tamen plurimi propter suam cæcitatem & ingratitudinem se priuabunt tanto fructu. Ostenditur præterea magnitudo doloris in virgine, ex puritate afflictionis in filij sui passione. Puritatem dico, quia non habuit mixturam cōsolationis, sicut vinum dicitur, purum, quod nō habet mixturam alterius liquoris. Dolor fundatur in amore, tāto enim quis dolet de amissione vel læsione alicuius rei, quanto ipsam diligit. Et quia summe diligebat mater virgo filium, dilectione & naturali, & gratuita, & quia filius, & quia optimus, vt dici posset vtriusque vna anima vnū cor: ideo bene dictum fuit à Simeone, Tuam ipsius animam, quæ est quasi anima eius, propter summam adinuicem dilectionem, pertransibit gladius afflictionis: pertransibit, id est per totum transibit, absque refrigerij admixtione. Siquidem quanto quis est delicatior & complexionē habet corporis melius dispositam, tanto magis affligitur & dolorem sentit ex aliqua læsione corporis ipsius. Et hinc est quod de eadem persecutione & omnino simili infirmitate, magis grauatur & dolet delicatus, quam rusticus: quanto etiam pars corporis quæ patitur læsionē, est magis sensibilis, tanto etiā læsio magis affligit. Vnde videmus per experientiam quod frigus vel alia læsio magis affligit in manibus, vel pedibus, quam in reliquis corporis partibus, ex eo quia est pars magis sensibilis propter cōcurrentiam plurium ossium, neruorum, & venarum. Cum autē præcipue passio Christi fuerit in manibus, & pedibus facta, propter confixurā eorū cum clauis in cruce, & suspensionē totius corporis in illis. Ideo quando virgo mater vidit impleri illud Psal. in persona filij dictum, foderunt manus meas, & pedes meos & dinumerauerūt omnia ossa mea, id est ita violenter extenderunt in cruce, vt possent sigillatim omnia ossa mea dinumerari: maxime doluit filius per passionem, ipsa per compassionem. In tanta etiam passione nullam habuit ab alio

ab alio cōsolationem. Vnde dicebat per prophetam, qui me consolaretur non inueni. Non eum cōsolabantur sicut fieri solet morti adiudicatis, à ducentibus eos: non Iudæi, sed illudebant ei cum principibus sacerdotum, & blasphemabant. Non gentiles, sed coronam spineam imponentes capiti, percutiebant eum. Non discipuli, qui fugerant, secundum illud: longe fecisti notos meos à me. Non pater æternus consolatus est eum, scilicet ad liberādum eum de manibus inimicorum, sed pro nobis tradidit illum ait Apostolus. scilicet voluntati eorum permittendo agere quæcunque crudelia voluerunt. Et quod plus est, & omni admiratione & compassione dignissimum, quia & ipsa pars intellectiua Christi, quæ fruebatur continue Deo, non est cōsolata eum, sed dereliquit illam partem sensitiuam tantis doloribus immersam. Et propterea ipse in cruce clamauit cū lachrymis & clamore valido vt ait Apostolus. ad Hebr. 5. Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me. Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos, ait Psalm. Patres veteris & noui testamenti in tribulationibus suis & cruciatibus dominus exaudiuit, etsi non semper liberando ab illis pœnis, tamen semper consolando mentē eorum, vt in virtute persisterent respectu præmij & diuini beneplaciti. Ego autem clamabo per diem, & non exaudies, dicēdo Deus meus &c. clamans se derelictum non ex eo quod diuinitas separata esset ab illa humanitate, quia quod semel accepit Dei filius, nunquam dimisit, ait Damascenus; sed se derelictum dicebat, quia pars eius intellectiua, eius gaudij & cōsolationis, quo fruebatur in verbo, nil influebat aut communicabat sensitiuæ ad consolationem, & in hoc nō exaudiebatur, quod in nullo sanctorum accidit. Et ideo dictum est quod hæc afflictio vel passio fuit pura, scilicet sine admixtione consolationis. Hæc autem verba audiens mater, gladius pertrāsiuit animam eius, intelligens eum non derelictū per separationem deitatis, sed per subtractionem omnis refrigerij & suauitatis. Attēdite ergo & videte, si est dolor sicut dolor meus. Nam etsi præsens fui & iuxta crucem steti, est hoc totum ad augmentū doloris. Quæ enim mater, quę habens filium præsentem, etiam in tormentis, non valeat vel in aliquo consolari, ipsum amplexari, osculari, potum porrigere sitienti? Ecce filius meus dilectus ad mortem sitit, hoc exprimens vt refocilletur, neque stillam aquæ possum præbere sed sibi offertur in mei præsentia acetum & fel. Vulnera video, nec possum alligare; sanguinem effluere, nec possum ipsum abstergere, caput ex grauamine inclinatum, nec valeo illum brachiis sustētare à me remotū, vnde nec amplexari. Et si audio verbum ex ore eius, ecce filius tuus, scilicet Ioānes, & hoc vtique verbum Dei gladius acutus quod pertransiuit animam meā. Reuera inquit beatus Bernar. hoc verbum ecce filius tuus, plusquā gladius fuit, quod pertransiuit animam eius, vsque ad diuisionem animæ & spiritus. O quam cōmutationem! Ioannes pro Iesu traditur, seruus pro domino, discipulus pro magistro, filius Zebedēi pro filio Dei, purus homo pro vero Deo: quomodo tuā affectuosissimam animā non pertransibit gladius hoc audito, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, scindat sola huius recordatio? Ansel. ô domina mea, quibus singultibus æstimabo purissimum pectus tuum vexatum, cum audires, mulier ecce filius tuus? vnde congrue dicere poterat illud Hiere. Amaritudine replesti me &c D. Antoni. 4. par. Theolo. titu. 15. cap. 41. §. 2.

Manifestum est quod quanto dignior est persona quæ offenditur, tanto maior est offensa, & per consequens attinēti omni ei, & si diligit eum, occasio est maioris doloris. Dominus Iesus Deus erat & homo, vnde dignior persona esse non poterat, & quamuis diuinas sua pati non posset, nec aliquis attingeret ad eam offendendū, tamen quia humanitas illa erat organum quoddam & vestimentum quasi diuinitatis, vnde Apost. ait, habitu inuentus est vt homo Philip. 2. ideo omnis iniuria facta illi humanitati & corpori, potest dici facta Deo. Sicut qui frangeret vel spueret in vestē qua indutus est Imperator, quia ea indutus est. Inquātum etiam homo erat de progenie regali & sacerdotali genitus, & sacerdos summus, innocentissimus, sapientissimus, ex miraculis, sanctitate, & doctrina famosissimus. Cum igitur ei fuerint illatæ tot contumeliæ, irrisiones, maledictiones, infamationes, & afflictiones corporis, inde sibi magnus exurgebat dolor, & matri eius quæ stabat iuxta Crucem, omnia illa audiens & videns, & dicere poterat illud Iob, os meum perforatur doloribus. Ostenditur præterea magnitudo doloris in virgine, ex circunstantia inferentis istam passionem filio. Quanto enim plures concurrunt, & diuersorū statuum & magistratuum, & amici, & valde beneficiati, ad inferendum iniuriam & mortem valde ignominiosam alicui, tanto maior dolor & afflictio sequitur in passo, & in quolibet attinente & amico eius. Sed ad inferendam passionem tam amaram & opprobriosam Christo, concurrunt de omni genere & statu, ac etiam qui prius erant discipuli, ac etiam summe beneficiati. Et ideo virgo mater eius dilectissima summe doluit stans iuxta crucem. Quantum autem fuerint beneficiati à Christo qui eum crucifixerunt, non posset etiam prolixo tempore explicari, aliquid tamen vel breuiter perstringam, vtens verbis Michææ. 6. in persona Christi ad populum illum sceleſtum & ingratissimum. Populе meus quid feci tibi, & in quo &c. hoc boni tibi feci. Patres tuos Iacob cum filiis in Ægypto per Ioseph enutriui famis tempore ne perires. Et post tempora multiplicatos supra numerum, de dura seruitute Ægyptiorum te eduxi. A flagellis quibus Ægyptum totam percussi, te liberum feci. Mare rubrum tibi aperui, vt per illud sicco vestigio transires. Pharaonem autem cum exercitibus suis ibi submersi. Manna de cælo præstito per quadraginta annos te paui: aquam tibi de petra fluxi, insurgentes contra te hostes prostraui: Seon regem Amorrhæorum, & Og gigantem regem Basan. Terram fluentem lac & mel patribus tuis à me promissam, exterminatis triginta regibus inde, & plurimis nationibus, tibi largitus sum. Et prius in monte Sina legē seruandam tibi tradidi. A captiuitate diutina, scilicet per septuaginta annos, propter scelera tua in Babylonia portata, te liberans, ad propria sub Esdra, Nehemia, & Zorobabel, reduxi. De graui oppressione Antiochi regis per Iudam Machabæum cum fratribus te excussi. Ecce quod feci tibi: respōnde ergo mihi si tanta beneficia à me tibi collata, hāc talem retributionem meruerint, vt me crucifigeres? in quo molestus fui? respōnde mihi. Ego ex genere tuo carnem sumens, regale solium cæli dimisi, vt tibi frater essem. Ego per ciuitates tuas, castra, & vicos, discurri in tui vtilitatem laborās. Ego semper in templo docui quæ te saluum facere possent: ego cæcos tuos illuminaui, leprosos mundaui, claudos erexi, obsessos à dæmonibus liberaui, surdis auditum restitui, mutis loquelam,

infirmis variis sanitatem, mortuis vitam: nũquid in istis molestus fui? præcepta declaraui, errores confutaui, vitia reprehendi, consilia perfectionis adieci. Sed quia veritas odium parit apud insipiẽtes, quæ gignere debet dilectionem, ideo in his tibi molestus fui, nolẽti veritatem audire. Quid vltra tibi facere potui, & non feci? Hæccine reddis domino, popule stulte & insipiens? Considerans virgo mater beneficia facta à filio suo populo illi, & nunc ab eo tanta peruersitate, tanta crudelitate, cruci affigi, valde dolebat, vt dicere posset illud Psal. 30. Defecit in dolore vita mea. Attendite ergo & videte, si est dolor sicut dolor meus. D. Antoni. 4. par. Theolo. ti. 15. cap. 41. §. 2.

Ex temporis solennitate ampliatus est etiam dolor in virgine matre, quæ quidem erat solennitas Phase seu azimorum, quæ erat præcipua super omnes alias: in qua tenebantur ex lege omnes Iudæi venire de quibuscunque ciuitatibus & locis ad templum Hierosolymis situm vel constructum, ad sacrificium offerendum, nisi legitimum haberent impedimẽtum. Et quia per varias captiuitates eorum erant satis dispersi per orbem, & in Italia, Asia, & Africa, vt patet Acto. 2. de omni pene natione conuenerant Hierusalem ad illud festum. Quanto autem quis condemnatur ad mortem propter maleficium cõcurrente maiori cursu populi, tanto maior ei insurgit pœna confusionis & erubescentiæ. Considerat enim quod quilibet videns narrat aliis, etsi peregrinus est, reuersus in patriam suam, refert & diuulgat ciuitati suæ de illo malefactore & ignominiosa punitione, & sic vbique infamis abominatur. De graui autem crimine calumniose accusarũt, de blasphemia Dei grauissima apud Iudæos, quia Dei filiũ se dixerat. De crimine læsæ maiestatis maximo apud leges gentilium. Vnde in titulo super crucẽ scribi fecit ipse Pilatus. Iesus Nazarenus rex Iudæorum: quasi dicat, Hæc est causa passionis eius, quia vsurpauit sibi regnum Iudæorum, faciendo se regem, & prohibendo tributa dari Cæsari, & per hoc quasi rebellare faciens populum Tyberio Imperatori. Et vt omnes possent legere, ex quo de omni gente ibi erant, scilicet Iudæorum, Græcorum, & Latinorum, scribi fecit literis Grecis, Hebraicis, & Latinis. Considerans igitur virgo mater quæ stabat iuxta Crucem, tantam confusionem tã publicandam per orbem, & filij sui diffamationem, nõ poterat non valde dolere, sed & de offensa Dei in tãtæ solennitatis tempore, in quo magis debebant Deum venerari, pro beneficiis collatis illi populo. Erat enim festum illud institutum in recognitionem liberationis illius populi de seruitute Ægypti per sanguinem agni. Vbi ergo debebant sacerdotes templum Dei ornare, vasa Dei mundare, sacrificia præparare, omnibus omissis ad hoc totũ studium ponunt, vt agnus immaculatus qui tollit peccata mundi occidatur, non vt sanguine eius fuso mundus redimatur, sed ne terrena amittamus, ne veniant Romani & tollant locum nostrũ & gentem, ne correctorem vitiorum nostrorũ habeamus, ne eum magis honoratum quam nos à populo videamus. Quod autem dicũt, non in die festo hoc agamus, non ob reuerentiam festi conueniunt hoc facere ne Deus offendatur, sed ne tumultus populi congregati fieret, & de manibus eorum auferatur. Et ideo dicere poterat virgo mater illud Threno 1. posuit me dominus desolatã, tota die mærore confectam, & infra, audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum scilicet si est similis. Ostenditur præterea & ex loci vtilitate augmentatio doloris eius, quia in loco vilissimo crucifixus est. Nam narrant Euangelist. quod duxerũt eum in Golgotha, quod est Caluariæ locus, & ibi eum crucifixerũt. Qui locus ideo dicebatur Caluariæ, quia erãt ibi ossa mortuorũ & Caluariæ & alia cadauera, & ibi occidebantur vilissimi homines & magni malefactores. Ibi stabat iuxta crucem mater eius, & videns locum tam vilem, ac filium eius regem regum & dominũ dominãtium factum opprobrium hominum & abiectionem plebis, dicere poterat illud Threno. Idcirco ego plorans & oculus meus deducens lachrymas, quia longe factus est à me consolator. Cæterum & Christo capto ex discipulis eius fugientibus vnus forte Ioannes, vt pie credi potest, etsi Euangelium non ponat, venit in Bethaniam vbi mater Iesu erat cum aliis Mariis, nuntiãs cum lachrymis capturam filij. Quo audito, trãsiuit doloris gladius animam eius, noctem ducens insomnem & lachrymis plenam. Et quid orare aptius poterat quam illud, Exaudiat te dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob imittat tibi auxilium de sancto? &c. Ligatus autem Iesus, vt à vinculis peccatorum solueremur, de loco illo ductus fuit ad Annam primum socerum Caiphæ principis sacerdotum, atque tota nocte afflictus, secundum illud Psalm. 72. Castigatio mea in matutinis. Mane autem facto matre eius ciuitatẽ intrante plurimis deuotis mulieribus associata, lachrymis plena, omnes inclinabat ad fletum mulieres occurrentes. Vidénsque filium iam afflictũ sputis, manibus ligatum, duci ad Pilatum, gladius pertransiuit animam eius. Ipsúmque sequens nec loqui valẽs, impedita à militibus peruenit ad plateam domus Pilati vbi iudicium de eo exercebatur: flagellari filium plurimis & durissimis ictibus audiens, nec flagellis satiatos adhuc clamare, Crucifige, crucifige eum; & non hunc, sed Barrabam nobis dimitte. O quot de pudicissimis oculis suis lachrymarum fontes exibant! certe gladius pertransibat animam eius. Demum sentẽtia iniquissime data, cum duceretur ad locum Caluariæ, sequebatur eum multitudo mulierum plangẽtium & lamentãtium de morte eius, quarum ipsa prima erat. Vidénsq; filium cum corona spinea quã capiti infixerant milites Pilati, faciémque illam speciosam prę filiis hominum, sanguine de pũcturis spinarum fluente cruentatam, sputis deturpatam, crucem sibi impositam in humeris præ lassitudine ferre non valentem, dicere poterat, quis det mihi pro te mori mi fili? D. Antoni. 4. par. Theolo. titu. 15. cap. 41. §. 2.

Ex afflictionis porro generalitate ostenditur magnitudo afflictionis in Christo patiente, & matre compatiente. Ad literam verificatum est in eo illud Esa. 2. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Non modica etiam causa doloris fuit sicut in Christo patiente, ita in matre compatiente, hoc scilicet quod cum latronibus crucifixus est. Sicut enim pati iustum & innocentem cũ aliis sanctis & probis viris, & iniuste condemnari ad mortem, est aliquod refrigerium: ita è cõtra condemnari cum sceleratis, est augmentum pœnæ, cum ex hoc videntes iudicent illum scelestũ. Vnde & pro speciali iniuria & crudelitate erga eum prædixit Esa. 53. & cum sceleratis deputatus est, scilicet ad mortem: quod videns virgo mater in filio impleri, cum in medio latronum crucifixus est, valde doluit. Ostenditur præterea maximopere magnitudo doloris sicut in Christo patiente, ita in matre compatiente: ratione paucita-

tis fructus seu vtilitatis ipsius passionis ex parte miseræ peruersitatis & ingratitudinis hominum. Nam cum copiosa fuerit apud Deum redemptio, adeo quod pretium sanguinis eius nedum omnes homines erat sufficiens ad redimendum, sed & mille mundos si fuissent, tamen pauci sunt qui se faciant participes fructus ipsius passionis propter desidiam & ingratitudinem hominum. Sicut autem ex magno lucro quod quis videt se consequi ex suo labore, multum consolatur: ita è contra cũ maximo labore quem quis tolerat, videt cõsequi modicum fructum, vel nullum, multum contristatur & dolet. Clamabat Iesus in Cruce, sitio: & licet ad literam propter intensum dolorem sitiret corporaliter, maior tamẽ erat sitis spiritualis desiderij saluationis humani generis. Et cum videret ipse & mater eius pene nullum fructum tunc sequi, sed potius ruinam præparari Iudæorũ, propter perfidiam suam, casum contigisse Apostolorum, & in futurum multos perituros Christianorum, dicere poterat cum dolore illud Michææ 7. væ mihi quia factus sum sicut qui colligit racemum in autumno: nam tunc vindemiata vinea non reperitur nisi aliquis racemus. Cæterũ ipsum sacratissimum filij corpus depositum vespere per Nicodemum & Ioseph, recipiens in gremio mater, quod flumina lachrymarum, quam amarissimos singultus, quam alta suspiria, quæ verba męstitiæ plena ex ea processerint, quis possit exprimere: cũ singula mẽbra perquireret tam dire cruciata, tam turpiter delusa, oscularetur, & lachrymis irrigaret, sociata Maria Magdalena, & aliis Mariis, deuotísque mulieribus? Cum autem sero factum esset, deuoti homines pie & deuote corpus illud de brachiis accipientes, posuerunt in monumento, mente consepulta cum eo. Quis ergo non videat, quod dolores quos euasit Maria pariendo, sibi reseruati fuerunt in morte filij? vt dicit Ioan. Damas. Certe nec vlla vnquam pariẽdo experta est tantum dolorem, sicut ipsa iuxta crucem compatiendo. D. Anto. 4. par. Theo. titu. 15. cap. 41. §. 3.

Cum beata Dei genitrix tanta dilectione, tanta exultatione, ex præsentia illius & conuersatione foret iocundata, perpendat qui potest, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspiriis cruciabatur, quando eum à se crudelium manibus auelli, quando ad condemnandũ eum tradi, quando ad subeundum mortem iudicio iudicis iniqui, tribunali conspiceret sisti &c. D. Ansel. lib. de Excellen. beatæ virgi. cap. 5.

Si voles pręterea paulo fusius digredi in aliqua spectantia ad nonnulla de passione loca ab Euangelistis tacta, alias tibi etiam considerationes describam, quæ passioni seruient, vt illæ hic. Ac primum quidem cum dixit Iudas, Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? quasi si diceret, constituite vos pretium ipsum, ego enim vel si paulo vilius sit pretium, eum cõstitui in manus vestras tradere; poteris ita inuehi in Iudã ipsum. O te infelicem! ô miserabilem proditorem! qui satis ostendis tuum non esse quem vendis, quandoquidem tam exiguo pretio eum prodis. Vide ô Iuda, ex omnium scelerum colluuione concrete, hunc quem vendis esse in quo sint abscõditi omnes thesauri sapientię & scientię Dei. Si ergo propter cæcam tuam auaritiam eum vendere vis, accede saltem ad eius matrem, quę eum tibi quo volueris coemet pretio. Quod si ad hanc accedere recusas, adito reges ipsos & principes, eisque dicito te eum vendere velle, per quẽ reges regnant, per quem principes imperant. Vel cõfer te etiam ad aliquem alium ex illustribus viris, qui quidem magno eum tibi pretio ement, modo tam illustris vir tam ignominiosæ genti non vendatur. Quod si nobiles adire recusas & refugis viros, alloquitor opifices ipsos de plebe, & percontator quanti eum tibi emant, qui auroram & solem fabricatus est, & quicquid continetur cæli ambitu, & amplius multo referes pretium. Vel denique accedito ad agricolas & colonos, rogans quanti eum tibi emant, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, videbísque quanto ditior hinc euadas, &c.

Cæterum vbi sacrilegi illi dæmonis ministri post nefariam proditionem Iudæ accesserunt ad comprehendendum Iesum, tantus quidem fuit eorum impetus, vsque adeo debacchati sunt & furibunde se gesserunt, vt diceret eis dominus. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Hinc vero eum vinctũ, ignominioséque constrictum, ad præsides varios duxerunt, ad tribunaliáque sacrilega, in quibus de tam falsis tanquam variis eum etiam pontifices ipsi accusarunt, vt miraretur Pilatus, dicens. Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Cum soleãt isti esse benigniores & clementiores in cæteros, vt eos liberent & vindicent à morte quantũ possunt, hi tamen pręcipui sunt & maximi qui te accusant inter cæteros. Ibi vidisses in tanto accusationum fulmine, mansuetissimum agnum tanta patientia, tantaque mansuetudine præditum, vt vix vnquam loqueretur. Nam & apud Herodem verbum nullum fecit, vt cum Herodes Ioan. qui vox clamantis erat, interfecisset, non mereretur Herodes ab ipso verbo vllum verbum sibi fieri. Interrogauit præterea eum præses de doctrina, & discipulis: cui quod ad doctrinam attinebat, cumulatissime Christus satisfecit, quod vero spectabat ad discipulos, benigne quidem & misericorditer cum illis egit, neque de fuga eos incusauit. Quam tamen responsionem tam benignam, tantæque prudentiæ plenam, statim alapa illius sceleratissimi, omniumque vitiorum sentinæ, ac dæmonis ministri, consecuta est, tanta cum vehementia ea quidem incussa, vt credibile sit sanguinem inde elicitum, tumorémque maximum consecutum fuisse: quæ etiam cum dicto illo contumelioso & sacrilego coniuncta fuit: sic respondes pontifici? Hanc vero iniuriam ante se exibitam, tanta cum impudentia, imo etiam cum lætitia quadam, sustinuit præses, quanta nullus vel maxime nefarius, si modo pręsidem se esse meminisset, sustinuisset. Age vero quod de verberum supplicio tam immanissimo, tamque ignominioso, vt propter ignominiam Romanis ciuibus non infligeretur, qua gratia & Pau. illud aliquando à se repulit, dicendum erit? Illud quidem post homines natos omnium maximum extitit, omnium crudelissimum, omnium immanissimum. Quid dicam de sacrilegis sputis, irrisionibus, & subsannationibus? Quid de sententia illa iniquissima ac nefaria, quam Pilatus tulit contra dominum? sed hanc tamen patientissime, cum reliquo contumeliarum, & iniuriarum fluctu, in se tulit, & expertus est, tanta erat eius obedientia erga patrem, tanta eius charitas in nos, tantum denique salutis nostræ studium &c.

DOMINICA IN OCTAVA PASCHÆ SIVE IN ALBIS.

VM esset sero die illo, vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus & stetit in medio eorum, & dixit, pax vobis. Ioan. 20. Dum rebellis Iudæa creatorem suum debellare cõtendit, & in autoris sui necem leuat impias manus, terris abstulit pacem, concordiam rerum soluit, elementorum sic fœdus rupit, vt mundũ totum ad chaos reuocaret antiquum. Denique diem fugat, nocte inuadit lucem, cælum rebus aufert, facit tremere terram, miscet mortuos viuis, inferos superosque confundit, & dissipato ordine, in creatoris iniuriam pacificum nil penitus, amicum penitus nil reliquit. Hinc est quod reuersus ab inferis Christus, vt rebus pacẽ reddat, exclamat, *Pax vobis.* Bene addidit vobis, quia iam terra steterat, dies redierat, sol recurrerat ad ordinem suum, compago mundi reditum iam tenebat: discipulis autẽ manebat adhuc bellum, & collidebat acriter eos fidei perfidiæque conflictus. Non sic terram, sicut discipulorum corda turbo concusserat passionis, & ideo animos eorum credulitatis & incredulitatis acies pertinaci dimicatione vastabat: insistebant mentibus eorum cogitationum caterue, excursibus desperationis ac spei robusta pectora oppugnabantur. Inter miracula innumerosa signorum Christi, & multimoda passionis eius genera, inter deitatis insignia, & imbecilla carnis, inter mortis damna & dona vitæ, discipulorum sensus mentésque ferebantur: nũc spiritus extollebatur ad cælum, nunc eorum animæ collidebantur in terram, & in intimis eorum tali procella sæuiẽte, portum quietis nullum, nullam stationem pacis poterant inuenire. Hoc videns scrutator cordium Christus, qui iubet vẽtis, procellis imperat, & solo nutu tempestates trãquillitate cõmutat, mox eos sua pace confirmat, dicẽs: pax vobis &c. Ego sum crucifixus ille, mortuus & sepultus. *Ego sum.* Per me Deus, per vos homo, *Ego sum.* Non spiritus in figura carnis, sed ipsa veritas in carne: ego ex mortuis sum viuus, ex inferis sum supernus. Ego sum quẽ mors fugit, inferna tremuerunt, tartarus Deum cõfessus est cum pauescit. *Nolite timere.* Petre quod negaueris, quod fugeris tu Ioãnes, quod deseruistis omnes: Nolite timere, ego sum qui vos per gratiam vocaui, elegi per veniam, pietate sustinui, charitate portaui, & modo vos sola bonitate suscipio, quia culpas videre nescit pater cum filium recipit, suos affectio cum resumit. Petrus Chrysol. sermo. 81.

Quia clausis ostiis intrauerat dominus, discipuli consternati mœroris somno, dabant Christo non quod potest diuina virtus, sed quod natura recipit humana: putabant se spiritum videre: nãque spiritus hominis in vtero septa transit, penetrat muros, vt clauso corpore intret corpus inclusum, sic anima quando dat vitæ finem, à corporis dulci cõtubernio cum recedit, domorũ claustris, mundanis obstaculis, non tenetur: substantia cœlestis terrenis ergastulis nescit includi, iuxta illud, spiritus nescis vnde veniat, aut quo vadat. Discipulis ergo post resurrectionem clausis ostiis domino ingresso, reportasse eum soliditatem corporis non credebant: in imaginem carnis solam rediisse animam suspicantes, vt dormientibus solẽt corporeæ imagines apparere. Petrus Chrysol. sermo. 81.

Cum sero esset. Sero erat plus mœrore quam tẽpore: sero est, mœroris & tristitiæ nubilo mentibus obscuratis. *Sero erat.* Quia etsi crepusculũ dederat aliquod resurrectionis indicium, nec dum tamen eis dominus refulserat plena sui luminis claritate. *Et fores essent clausæ.* Magnitudo terroris & facinoris, tanto turbine discipulorum domum simul & corda concluserat, & ira totum luminis abdicarat ingressum, vt magis magísque mœrore sensibus occuparis, cæca noctis augeretur offusio. Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris & formidinis comparantur, quia nullo possunt aut cõsolationis aut consilij lumine tẽperari. Audi prophetam, Timor & tremor venerunt super me, & operuerũt me tenebræ. *Et stetit in medio eorum.* Rogo cur dubitatur clausi corporis arcanum & obseratum tota integritate domicilium virginale, absoluta diuinitas potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur & egreditur clausis, taliq; indicio se totius creaturæ demonstrat autorem, cui non obsistit, cui deseruit ad omnia creatura? sed si conceptum partúmque virginitas excusare suo nescit creatori, si ingressum egressúmque clausa ianua creatori suo non potest denegare, quemadmodum lapis monumẽti quamuis magnus, quãuis Iudaica malitia signatus, resurgenti poterat obsistere saluatori? Sed sicut virginitas & ianua claustris suis fidem faciunt deitatis, ita reuolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, quia nullum resolutus domino suo præparauit egressum, sed nocte fidei præstat & admittit ingressum &c. Petrus Chrysolog. sermo. 84.

Cum sero esset. Die autem non venit vt omnes congregarentur, valde enim timebãt: nec ostium pulsauit, sed repente astitit. D. Chrysos. super Ioã. homilia 85. to. 3.

Fuit ergo hora apparitionis serotina: cuius duplex est ratio literalis. Vna quia voluit simul apparere omnibus, & ideo præstolatus est vsque in sero, vt qui dispersi erant de die, simul conuenirent in sero, nam de nocte simul erant. Alia ratio est, quia dominus eis apparuit vt confortaret eos. Illam ergo elegit horam, qua magis stupentes cõfortatione indigebant, hæc est sero. Psal. 45. Adiutor in tribulationibus &c. D. Tho. super Ioan. 20. lect. 4.

Cum esset sero &c. Gregorius papa in principio homi. 26. in Euan. fides inquit non habet meritũ, cui humana ratio præbet experimentum. Hanc propositionem vsurparam ab his qui negabãt rationes humanas ad confirmationem diuinorum inducendas esse, D. Thomas in secunda secundæ elucidat his verbis. Gregorius hoc dicens, loquitur

tur in casu illo quando homo non habet voluntatem credendi ea quæ sunt fidei, nisi propter rationem inductam: quãdo autem homo habet voluntatem credendi ea quæ sunt fidei, ex sola autoritate diuina, si habeat rationem demonstrationis ad aliquid eorũ, puta ad hoc quod est Deum esse, non propter hoc tollitur, aut diminuitur meritum fidei. Vide Sixtum Senen. bibliotec. sanct. lib. 6. anno 217.

Cum sero esset &c. Vide D. Tho. 3. par. q. 54. ar. 1. ad 1.

Super illa verba, stetit in medio eorum, lege etiam expositores Esa. in illa verba cap. 12. in medio tui sanctus Israel.

Pax vobis. Consule D. Tho. 3. par. q. 35. ar. 8. ad 1.

Stetit in medio eorum. Stare quidem debemus in medio omnium quantum in nobis est, hoc est pacem habere cum omnibus: quod significasse visa est olim mulier illa 4. Re. 4. quę Eliseo roganti nũ vellet se deprecari & intercedere apud præsidem pro ea; respondit, In medio populi mei habito: quasi sibi vellet, ego quidem pacem habeo cum omnibus, neque mihi lis siue discordia cum aliquo intercessit.

Propter metum Iudæorum. Minus mirandum est quod discipuli in tanto versarẽtur metu ante missionem spiritus sancti in ipsos; quæ tamen postea tantum præstitit & effecit, vt nullis minis tyrannorum terrerentur, nullis blanditiis inescarẽtur, nullis denique suppliciis atque tormentis à prædicatione Euangelica vnquam desisterent, qui tã meticulosi antea erant. Vide Haymon. super hũc locum.

Cum sero esset. Quamuis de mane Christus resurrexisset, sero tamen ad discipulos accedit, quia tunc videbantur quodammodo tristiores. Vnde colligas quod Deus misericorditer & benigne succurrat, cum maior vrget nos necessitas atque angustia. Solet vero interim differre subuentionem, vt patientiam nostram & tolerantiam exerceat, tum etiam vt intelligamus nunquam nobis desperandum esse, cum tunc maxime succurrere soleat, quãdo penitus actum esse videbatur: quin potius dicamus cum Abacuc 2. si moram fecerit, expecta eum, quia veniẽs veniet, & non tardabit. Cæterum & antequam hic discipulis appareret, iam significationem aliquam eis dederat consolationis, per Marias ipsas, & discipulos illos euntes in Emaus, vt inde etiam discamus quod interim dũ affligimur & cruciamur in ipsis calamitatib. soleat etiam Deus cõsolationes aliquas nobis dare & intermiscere, vt respiremus, & non penitus opprimamur. Vide Io. Ferum super hunc locum.

Pax vobis. Est quidem pax ipsa & concordia vsque adeo vtilis & expetenda, vt olim apud antiquos in conuiuiis ipsis in signum pacis & reconciliationis, quemadmodum prodidit Pierius, & meminit etiam Origenes contra Celsum scribẽs, daretur singulis conuiuis primum ferculum siue prima quadra ex sale conferta: in quo significare volebant & innuere, quod quemadmodum citra salem insipidi esse cibi consueuerunt, sale vero adhibito, sapidissimi fiunt, ita etiam citra pacem & concordiam iniucunde & insipide traducatur vita nostra, quæ tamen ea adhibita, & aduocata, iucundissima esse soleat, felix, atque tranquilla.

Hodierna dominica nomen habet ab albis seu candidatis, quod de baptizatis intelligitur, qui ex veteri consuetudine Ecclesiastica, regenerati hisce paschatis diebus sacramẽto baptismatis, candidis immaculatísque vestibus cum vniuersa Ecclesia baptismatis fontem frequentare solebant, *in* sempiternam summi illius gaudij memoriam, quo Hebræi Pharaone eiúsque exercitu in mari rubro submersis, gratias agentes domino, Cantemus dicebant, domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare: ita enim hi deiecerunt peccata. Cæterum quoniam iste neophitos his potissimum diebus baptizãdi ritus, non ita est hoc tempore in Ecclesia Dei vsu receptus, non incommode hæc candidatorũ consuetudo ad eos qui per veram pœnitentiam & sacramentorum participationem paschalibus hisce festis Christo sunt regenerati, transferri poterit. Quibus principis Apost. Petri doctrina cõueniet, vt quasi modo geniti infantes rationabiles & sine dolo lac concupiscãt, vt in eo crescant in salutem quia quam suauis & dulcis sit dominus degustarunt. Corne. Ianse. sermo. de hac dominic.

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus: gauisi sunt ergo discipuli viso domino. Quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura, tantum est acceptius gaudium post mœrorem. Petrus Chrysolog. sermo. 84.

Vides re sermonem domini confirmari? quod enim ante passionem dixerat; iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: hoc nunc impleuit, per hęc omnia in certissimam eos fidem adduxit: nam cum bellum implacabile cum Iudęis haberent, pacem eis dicit, vt parem bello consolationem afferat. D. Chrysost. super Ioan. homi. 85. to. 3.

Ostendit eis manus & latus. Consule D. Tho. 3. par. q. 54. ar. 4. & 3. sen. dist. 21. quæst. 2. ar. 4. quæstiun. 3.

Super illa verba, gauisi sunt discipuli viso domino, lege eundem super 1. ad Corin. 9. lect. 1.

Dicit ergo eis iterum: pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem quam sensibus indixerat singulorum, vult inter eos etiam repetitæ pacis donatione seruari? quos vtique nõ modica habituros esse nouerat in posterum de sua cũctatione certamina, dum vnus se in fide perstitisse iactaret, dubitasse alter mæreret. Vt ergo & arrogãtis iactantiam tumorémque resecaret, & eius qui infirmatus fuerat sanaret, & excluderet passiones causæ, nõ discipulis, quicquid acciderat pius moderator ascribens, imperio pacis suæ bella nascitura cõpressit, ne alter alteri improperaret, quod ipse cui totum debebatur, donauerat in futuro. Petrus negat Ioãnes fugit, Thomas dubitat, cũcti relinquunt, quibus nisi pacem suam Christus dedisset, & Petrus qui primus erat omnium, putaretur inferior, & sequeris indebite forsan extolleretur aduersus primum. *Sicut misit me pater.* Missi sermo non minorat filium, sed declarat: quia nõ mittentis potestatẽ hic, sed missi voluit intelligi charitatem, cum dicit. *Sicut misit me pater.* Non Dominus sed pater: sic & ego mitto vos, non autoritate adhuc iubentis, sed toto diligentis affectu: mitto vos ad tolerantiam famis, ad opera vinculorum, squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad subleuandum cunctis execrabile mortis iugum, quę omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas. Petrus Chrysologus sermo. 84.

Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Æqualem patri filium nouimus, sed hic verba mediatoris agnoscimus. Mediũ quippe se ostẽdit dicendo: ille me, & ego vos. D. Augu. super Ioan. tract. 121. to. 9.

Sicut

Sicut misit me pater Deus Deum, & ego mitto vos homo homines. Pater filium misit, qui hûc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quê videlicet in mundum venire ad passionem voluit, sed tamen amauit filium quem ad passionem misit. Electos vero Apost. dominus nõ ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur à patre, & tamen ad passionem mittitur, ita & discipuli à domino amantur, qui tamen ad passionem à domino mittuntur ad mundum. Itaque rectè dicitur, sicut misit me pater, & ego mitto vos, id est ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. D. Grego. in Euang. homi. 26.

Super illa verba, sicut misit me patet, & ego mitto vos, consule D. Tho. 1. par. quæst. 37. ar. 2.

Dicit eis iterum pax vobis. Si voles paulo fusius in hoc Euange. de pace disserere, in aliquos tibi fontes digitos intendam.

De pace & concordia vide D. Greg. Nazian. orati. 10. 11. & 12.

Consule D. Augu. de tempo. sermo. 119. to. 10.

Lege eundem ad fratres in eremo sermo. 2. circa finem to. 10.

De pace consule Vincen. Belluacen. Specu. Mora. lib. 1. par. 3. dist. 30.

Quid philosophi senserint lege eundem Spec. Doctrina. lib. 4. cap. 44. & 45.

De pace fraterna vide eund em Specu. histo. li. 15. cap. 88.

De pace consule Petrum Chrysolo. sermo. 138.

Quam sit Deus pacis amator Esa. 65. D. Lupus & agnus pascentur simul.

Pacem Deus multum diligit Michææ 4. A. B. & concident gladios suos in vomeres.

Pax est quidem pretiosa Prouer. 20. A. honor est homini qui separat se à contentionibus.

Diligamus pacẽ Ecclesiastes 7. D. inueni quod fecerit Deus hominem rectum.

Pacem cum omnibus habeamus Ecclesiastici 8. A. non litiges cum homine potente &c.

Impius nunquam possidet pacem Iob 15. C. Sonitus terroris semper in auribus illius.

Valde necessaria est pax Gene. 45. G. ne iratscamini in via.

Mundi pax dolosa est 2. Reg. 20. C. salue mi frater.

Offeramus aliis vltro pacem 4. Reg. 14. C. contentus esto gloria.

Pacem vehementer diligere atque complecti debemus 2. paralipomemon 13. C. Filij Israel nolite pugnare contra dominum.

Quid accidat pacem renuentibus 1. Machab. 5. F. transeamus per terram vestram.

Maximum fert fructum & vtilitatẽ pax ipsa 1. Mach. 14. B. & vnusquisque colebat terram suam.

Quantum discordia noceat Matth. 12. B. omne regnum in seipsum diuisum &c.

Pacem commendat D. Hierony. in Prolo. epis. ad Roma.

Pax & concordia multum valent 1. Cor. 1. B. obsecro autem vos fratres.

Pax existimanda plurimi est Philip. 2. A. vnanimes vnum sentientes.

Quanti faciat Deus pacem Mat. 5. D. Si offers munus tuum.

Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Dedit potestatẽ remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum, & largitus est remissorẽ. Cæterũ vbi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt? qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt, negantque medicinam? qui peccatoribus remittendi & redeundi desperatione impia resultant? Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc à Deo cõcessam amplectitur potestatem: qui post negationem nisi pœnitentiam repetisset, Apostolatus gloriam & vitam pariter perdidisset. Et si Petrus per pœnitentiam rediit, quis sine pœnitentia subsistit? Petrus Chrysolog. sermo. 84.

Cur prius in terra discipulis datur spiritus sanctus, postmodum de cælo mittitur, nisi quod duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, & proximi? In terra datur spiritus vt diligatur proximus, è cælo datur spiritus, vt diligatur Deus. Sicut ergo vna est charitas & duo præcepta: ita vnus spiritus & duo data. Prius à consistente domino in terra, postmodum è cælo: quia in proximi amore discitur qualiter peruenire debeat ad amorem Dei. Vndè & idem Ioannes dicit. Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et ante quidem discipulorum mentibus idem spiritus sanctus inerat ad fidem: sed tamen manifesta datione nõ nisi post resurrectionem datus est. Vnde & scriptũ est. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Vnde etiam & per Moysen dicitur: suxerũt mel de petra, & oleum de firma petra. Neque enim quicquam tale iuxta historiã legitur, si tota testamenti veteris series recenseatur. Nusquam de petra mel, nusquam oleũ ille populus suxit. Sed quia iuxta Pauli vocem petra erat Christus, mel de petra suxerunt, qui eiusdem redẽptoris nostri facta & miracula viderũt. Oleum vero de firma petra suxerũt, quia effusione sancti spiritus post resurrectionem eius vngi meruerũt. De hoc oleo per prophetam dicitur, Computrescet iugũ à facie olei: sub iugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis. Sed vncti sumus oleo spiritus sancti. Et quia nos gratia libertatis vnxit, dominationis dæmoniacæ iugum putruit, Paulo attestante qui ait, vbi spiritus domini, ibi libertas. D. Gregorius in Euang. homi. 26.

Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Vide Hugo. de Sancto Victo, Annota. in D. Ioan. Euange. to. 1. fol. 250.

Quod hoc die datus est discipulis spiritus ad remittenda peccata, & postea ad sanandas infirmitates & loquendum variis linguis &c. Vide D. Hieronym. ad Hedibiam quæst. 9. to. 3.

Hæc cum dixisset insufflauit. Consule D. Tho. 1. par. quæst. 43. articu. 7. ad 6. & 1. sen. dis. 16. ar. 3. in cor.

Super illa verba, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, consule D. Tho. 3. par. quæs. 84. artic. 3. ad 3. & 4. senten. distinct. 18. quæs. 1, artic. 3. quæstiun. 1. per totam. & quæstiun. 3. in cor. & distinct. 25. quæstio. 1. artic. 2. ad 2. & contra gen. lib. 4. cap. 71. & de veri. quæsti. 27. artic. 3. ad 1. & ad 5. & quoli. 4. quæs. 7. artic. 1. per totum.

In illa verba, accipite spiritum sanctum &c. Vide Sixtum Sen. Biblio. sanctæ lib. 6. annota. 218.

Et cum hæc dixisset insufflauit. Consule D. Augustin. lib. 11. de Trinita. qui multa habet ad hoc institutum

institutum spectantia.

Et cum hæc dixisset insufflauit, &c. Vt significaret nobis quod Spiritus sanctus & à filio & à patre procedat. Vide Hugo Cardi. super Ioan. 10.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus: dixerunt ergo ei alij discipuli, vidimus Dominum. Quomodo aliis omnibus congregatis, ipse solus abfuit? Credibile est ex fuga nondum rediisse. Tu autem cum discipulum non credentem videas, cõsidera Domini clementiam, quomodo pro vna etiam anima, vulnera sua ostendit, & vt vnum saluum faceret, apparuit, & cum crassioris esset ingenij, à crassissimo sensuum fidem sibi quærit. Neq; enim oculis credebat, quippe qui non tantum dixit, nisi videro, sed nisi manum mittam, ne imaginatio putaretur. Nam discipuli hæc nuntiando, & ipse pollicendo, maiorem sibi fidem comparabant. Veruntamen cum amplius quæreret, neque his eum priuauit Christus. Et qua gratia ei continuo non apparuit, sed post dies octo? vt interea à discipulis edoctum iisdem auditir in maius traheretur desiderium, & magis in fide confirmaretur. Vnde autem intellexerat latus perforatum? ex discipulis. Cur alterum credidit, alterum non credidit? quia hoc mirabilius erat, &c. D. Chrysosto. super Ioann. homil. 86. to. 3.

Thomas autem vnus ex duodecim. Hoc est vnus Apostolorum, qui ante passionem Christi erat duodecim, quando Iudas fuit vnus illorum: vel vnus ex duodecim, quia dum Ioannes Euãgelium præsens descripsit, successit Mathias in locum Iudæ, sicque Thomas fuit vnus Apostolorum, qui Mathia electo fuerunt duodecim. Diony. Carth.

Thomas non erat cum eis. In collegio quidem Apostolorum stat Iesus, quare accede iam Thoma ad eos, vt Iesum videre possis, non amat veritas angulos, &c. Vide D. Bernard. sermo. 9. in Ascensio. Domini.

Thomas non erat cum eis. Quia Thomas absens erat à tam pio sanctoque discipulorum collegio, nõ potuit tunc videre Iesum: vnde poteris persuadere & digredi hoc loco quantum conducat bonorum societas & consortium, tum etiam quantum noceat mala societas, & à bonis secluſa ac separata. Et certè quemadmodùm qui pretiosa tractant odoriferaque vnguenta, seu aromata suauiter redolentia, delicatissimum inde quendam contrahunt odorem: ita planè si cum viris probitate & virtute præstantibus cõsuetudinem habueris, odorem quendam inde singularem referes ac reportabis. Et contra sicut qui sulphur ipsum aut simile quid tetri odoris manibus tractarit, tetertimè tandem olet, sic profecto si cum malis & sceleratis hominibus societatem inieris, tibi ferè affricabitur tabes aliqua atque macula. Videmus etenim quod quamuis ferrum ipsum durissimum sit nihilominus tamen si diutius in terram defossum fuerit atque sepultum, tandem crassissima quadam afficiatur rubigine, sensimque consumatur penitus: ita tibi accidet nisi diligenter caueris à malorum hominum & impiorum societate atque consortio, vt scilicet tandem eisdem cum illis vitiis inficiaris & conspurceris: quare bonorum potius societatem perpetuo inibis & cõplectere, vt in dies melior euadas ac laudabilior. Cæterũ si huiuscemodi institutum paulò fusius protendere velis, nonnulla indicabo loca.

Quantum conducat bona societas, Prouer. 13. D. qui cum sapientibus graditur.

Bonorum societas multum prodest, Ecclesiastes 4. C. melius est ergo duos esse simul.

Quærendum est & amplectendum bonorum atque prudentium consortium, Ecclesiastici 6. D. si videris sensatum.

Præclara societas & studiosa deligenda est, Ecclesiasti 9. D. cum sapientibus tract.

Bonorum cõsortium apprime necessarium, Ecclesiastici 37. B. cum viro sancto assiduus esto.

Quantum conducat bona societas, Gen. 39. A. benedixitque Dominus.

Quantum interfit consuetudinem cum probis habere, Exod. 34. D. qui videbant faciem egredientis.

Commodius semper consortium à nobis quærẽdum est, Ecclesiastes 7. melius est ire ad domum luctus.

Mala societas à nobis fugienda, Nume. 16. D. separamini, &c.

Bonorum societas vtilissima est, 1. Reg. 19. D. factus est etiam spiritus Domini in illis.

Bonam societatem prudentemque quæramus, 4. Reg. 6. G. & senes sedebant cum eo.

Bonorum consortium valde conducit, 4. Reg. 10. E. sint serui Baal soli.

Quantum valeat optima societas, Acto. 27. D. astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, &c.

Pretiosa quidem est sancta societas, Matth. 13. ne forte colligentes zizania.

Quale sit malorum consortium, Iob 30. D. frater fui draconum.

Prauorum consortium fugiendum, Prouerb. 3. D. ne æmuleris hominem iniustum.

Fugiamus praua consortia, Prouer. 4. C. ne delecteris in semitis impiorum.

Insulsorum seu imprudentium consortium fugiendum, Ecclesiastici 8. non communices cum indocto.

Malorum societas maximè nocet, Ecclesiastici 19. A. qui se iungit fornicariis.

Stultorum & malorum consortium declinemus, Ecclesiastici 22. A. B. cum stulto ne multum loquaris. Item arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, &c.

Quanta nobis accidant bona si impios fugiamus, Psal. 1. A. Beatus vir qui non abiit, &c.

Quanta adporter cõmoda bona societas, Psal. 17. cum sancto sanctus eris.

Thomas non erat cum eis. Hic poteris reprehendere etiam in plerisque malam singularitatem & noxiam, cõtra quam videtur illud dictum Pythagoræ, extra publicam viam ne deflectas. Vide Vincen. Bell. Spec. Mora. lib. 3. p. 3. dist. 6.

Ille autem dixit eis: nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Nulla pietatis monumenta, nulla Dominicæ resurrectionis inueniri æstimas potuisse documenta, nisi manibus tuis fulcares Iudaica crudelitate exarata sic viscera? Quæsiuit fratres pietas ista, exegit ista deuotio; Thomas non solum cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodùm tantæ fidei astrueret sacramentum executor strenuus perquirebat. Certè prophetia magis quam cũctatio fuit: nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium resurrectionis suæ seruata sola vulnera prophetico spiritu cognouisset? Denique sponte præstitit cæteris, quod iste tardius implerat Petrus Chrysolog. serm. 84.

Et post dies octo, iterum erant discipuli intus, &

mas cum eis, venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dicit eis, pax vobis. Ex incommodis discordiæ noscitur bonum pacis. Discordia enim quæ orta fuit inter filios Herodis Ascalonitæ, fuit in causa vt regnum diuideretur, diuisio autem initium fuit deuastationis regni. Nam concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabũtur. Si linguarum discordia illud magnificum & superbũ opus turris Babel destruxit, quanto vehementius voluntatum discordia omnia destruet? Ex cõcordia quidem quatuor humorum, recta valetudo & incolumitas cõflatur, ex discordia vero mille enascuntur ægritudines atque morbi. In quo etiam suauis musicæ ratio consistit, nisi in cõcordia & harmonia vocum? In lapide præterea illo thyrreo, natura ipsa id quod quærimus quodãmodo insinuasse visa est, qui lapis in aquam coniectus si integer sit, quamuis magnus enatat, at vero diuisus, in profundum demergitur: sic nos concordes & pacifici, permanemus, diuisi vero & discordes, mergimur ac perimus. Cæterum vnaquæque acies suum habet vexillum quo dignoscatur, & quælibet nobilis familia suum stemma: sic Christiana familia, amoris, pacis & concordiæ habet signũ. Vnde Dominus tam sæpè hic repetit salutationẽ illam, pax vobis. Et Ioan. 13. dixit, in hoc cognoscent quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meũ, & noli esse incredulus, sed fidelis. Quia grauatis oculis caput adhuc respicere non potestis, videte carnis vulnera, quia Dei opera non videtis, considerate inimicorum titulos, quia Dei adhuc non consideraſtis insignia, palpate vt vel manus fidem faciat, quia videns oculus sic cæcatur. Oculus non videt, videat tactus, digiti vestri, intrent vestigia clauorum, manus vestræ alta vulneris exquirant, aperite manuum foramina, sulcate latus, renouate vulnera, quia negare non possum discipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam sæuientibus non negaui. Palpate, & vsque ad ossa inquisitores peruenite, vt vel ossa carnis astruant veritatem, & me esse ipsum vel vulnera seruata testentur. Rogo quare me resurrexisse non creditis, qui innumeros mortuos sub vestris oculis suscitaui? Nisi forte virtus quæ aliis affuit, mihi defuit: iuxta illam vocem quæ mihi pẽdenti insultauit in cruce, dicens: Alios saluos fecit, seipsum saluũ facere nõ potest? Si rex Israel est, descẽdat de cruce, & credimus ei. Et quid est maius, excussis clauis descendere de cruce, aut ab inferis calcata morte conscendere? Ecce & meipsum saluũ feci, & ruptis inferni vinculis ad superna conscendi: & tamen neque apud vos fidem meæ deitatis inueni. Aut forte triduana mors abnegat fidem credendi? Nonne quatriduanum Lazarum iam fœtentem, vobis coram vocauit ab inferis vox mea, mea iussio reuocauit ad vitam? Et si seruus quatriduanus surgit, cur triduanus Dominus non resurgit? Petrus Chrysolog. sermo. 81.

Et mitte in latus meum. Qua in re duo mira & iuxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit, dum post resurrectionem suam corpus suum incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit. Nam & corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest quod non corrũpitur. Sed miro modo atque inæstimabili, Redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit: vt monstrando incorruptibile, inuiraret ad præmium, & præbendo palpabile, formaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo, & palpabilem demonstrauit, vt profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ. D. Greg. super Euang. hom. 26.

Cũ Christus glorificatus palpabilis fuerit, manifestum est maximũ fuisse illorum errorem, qui stulte posuerunt glorificata corpora aerea esse. Vide D. Hiero. ad Eustochiam virginem to. 1.

Contra eos qui nos in corporibus aereis resurrecturos esse dixerunt, vide eundem ad Pammachium aduersus errores Ioan. Hierosol. to. 2.

Infer digitum tuum huc, &c. Consule D. Thom. 3. par. quæst. 54. ar. 4. ad 2. & q. 55. ar. 6. ad 3. & 3. sen. dist. 21. q. 2. ar. 4. quæst. 3. ad 3.

Inter alias causas & rationes plurimas quæ reddi solent cur Christus Dominus voluerit resurgere cum signis & notis ipsarum cicatricum, illa etiam redditur à Galfrido super hunc locum, quod scilicet inde discamus nos quo cum à peccatis nostris & vitiis resurrexerimus per sacramẽtum pœnitentiæ, nihilominus tamẽ quasi cicatrices quasdam reseruate debeamus, hoc est memoriam & recordationem peccatorum nostrorum, de quanta miseria nos Deus eduxerit & calamitate; tum ne ingrati simus tanto beneficio, tum etiam ne cũ aliquem peccare viderimus, in superbiam efferamur, sed illi potius maxima cum benignitate atque clementia condoleamus.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Habet quidem ipsa infidelitas maxima secum adnexa mala & incommoda, præsertimque si ei adhæreat qui aliis præest atque præficitur: vnde & illam maximopere solet Deus punire & castigare. Hic poteris quodammodo applicare quod cõtigit Moysi ad aquas cõtradictionis, Nume. 20. Vide Simonem de Cassia lib. 14. cap. 16.

Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Bona foramina quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi diuinitatem. Dominus meus inquit, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his passer inuenit sibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos suos. In his se columba tutatur, & circum volitantem intrepida intuetur accipitrem. D. Bernard. super Cantic. ser. 61.

Dicit ei Iesus, quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Non ait tetigisti me, sed vidisti me: quoniam generalis quodammodo sensus est visus. Nam & per alios quatuor sensus solet nominari: velut cum dicimus, audi & vide quam bene sonet: olfac & vide quam bene oleat; gusta & vide quã bene sapiat; tange & vide quam bene caleat. Vbique sonuit vide, cum visus proprie non negetur ad oculos pertinere. Vnde & hic ipse Dominus, infer inquit digitum tuum huc, & vide manus meas: quid aliud ait, quam tange & vide? nec tamen oculos ille habebat in digito: ergo siue intuendo siue etiam tangendo, quia vidisti me inquit, credidisti, quamuis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, non dicitur & tetigit Thomas, &c. D. Augustus super Ioann. tracta. 121. to. 9.

Quia vidisti me Thoma credidisti. Vide Tho. 2. 2. q. 1. ar. 4. ad 1. & 3. par. quæst. 55. artic. 5. ad 3. senten. dist. 21. q. 2. ar. 3. ad 2.

Beati qui non viderunt, & crediderunt, Consule D. Tho. 3. par. q. 55. ar. 5. ad 3.

Quia vidisti me Thoma, &c. Ex tactu ipsius carnis seu humanitatis Christi confitetur Thomas ipsam diuinitatem. Cæterum ex coniunctione illa

illa siue vnione cum diuinitate, maxima quædam virtus in ipsam redundabat humanitatem & carnem: nam quemadmodum magnes virtute illa sua & ferrum attrahit, & virtutem dat ei alia attrahendi, ita diuinitas ipsa in Christo maximã quandam communicauit virtutem ipsi carni & humanitati, vt admirabiles produceret effectus & excellentes. Vide D. August. lib. 21. de Ciuit. Dei. Tũ etiam consule Hectorem Pinctum super Ezech. 1. Huc etiam spectabit splendida similitudo illa. D. Damasc. quod quẽadmodum ignitum ferrum vim quandam maximam sumit ab ipso igne, & nõ minus quam ignis vtit: ita etiam caro Christi vnita & coniuncta cum ipsa diuinitate, vim maximam ad mirabilia quæque operanda assumebat ab ea.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in cõspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Vitam ergo vestram fratres moresq; componite, is qui mitis resurrexit ex morte, quam districtus in iudicio veniat præuidete. Certè in die tremẽdi examinis sui, cum Angelis, cum Archangelis, cũ Thronis, cum Dominationibus, cum principatibus, & potestatibus apparebit, cælis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequij terrore commotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite, hunc venturũ timete, vt hunc cum venerit non timidi, sed securi videatis. Timẽdus ergo est ne timeatur. Terror eius nos ad vsũm bonæ operationis exerceat, metus illius nostram vitam à prauitate compescat. Certè si aliquis vestrum cum suo aduersario causam dicturus in medio iudicio die crastino esset exhibendus, totam forsasse noctem insomnem duceret, quid sibi posset dici, quid obiectionibus responderet, secum solicita & æstuãte mente versaret: ne me inueniret asperum vehementer metueret, ne apud me appareret noxius formidaret. Et quis aut quid ego? nimirum non longè post futurus post hominem vermis, atque post vermem puluis. Si ergo tanta cura pertimescitur iudicium pulueris, qua intentione cogitandum est, qua formidine prouidẽdum, tantæ iudicium maiestatis? D. Greg. in Euang. hom. 26.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus &c. D. Tho. 3. par. quæst. 42. art. 4. in cor. & q. 68. ar. 1. ad 1. & de veri. quæst. 29. ar. 4. ad 9.

Hæc autẽ scripta sunt vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine eius. Circa hodiernum Euang. consule D. August. de temp. ser. 159. 160. & 161.

Vide eundem de tempo. sermo. 166. circa medium to. 10.

Circa finem to. 10. D. Aug. exstitit sermo. de hac Domi. incipiens, Apparuit Dominus &c.

De Epist. & Euang. duos habet serm. D. Anto. initio 1. par. Theolog.

Duas etiam habet conciones, D. Thom. circa finem to. 16.

Credentes vitam habeatis in nomine eius. Cõsule D. Tho. in 4. sent. dist. 4. quæ. 3. arti. 1. quæst. 1. & dist. 6. quæst. 1. ar. 3. quæst. 1. ad 2. & dist. 46. quæst. 2. arti. 3. quæst. 3. ad 1.

Dominica secunda post Pascha.

DIXIT Iesus discipulis suis, ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Ioan. 10. Bonus pastor etiam corporalis sustinet multa pro grege cuius bonum intendit. Vnde Iacob dixit, Genes. 31 nocte ac die gelu vrebar & æstu. Sed in corporalibus pastoribus nõ exigitur à bono pastore vt exponat se morti propter salutem gregis, sed quia spiritualis gregis salus præponderat corporali vitæ pastoris, ideò cum periculum imminet de gregis salute, debet quisque spiritualis pastor, corporalis vitæ sustinere dispendium, pro gregis salute. Et hoc est quod Dominus dicit, bonus pastor animã suam, ideſt vitam corporalem ponit pro ouibus suis, ideſt autoritate & charitate, &c. D. Tho. super Ioan. 10. lect. 3.

Pastor quidem est Christus Dominus quia oues suas ideſt fideles in eum credentes, scientia pascit & doctrina, & per rectam salutis viam ducit in æternæ vitæ pascua. Quẽadmodũ ait beatus Petrus, eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis ad episcopum & pastorem animarum vestrarum. Bonus vero pastor, quia animam sũã posuit pro ouibus suis, quando pro nobis viuificandis, acerbam & ignominiosam subiit mortem. Dilexit enim nos vt ait sacer Paulus, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Ergo eius exemplo quicunque bonus pastor libenter debet pro ouium salute animam suam ponere & propriæ vitæ pati dispendiũ potius quam oues suæ pereant. Audite Ioãnem in epist. nos id admonentem, In hoc inquit cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Mercenarius vero dicitur is, qui nõ pro amore saluris aurum, oues dominicas, sed ad temporalem mercedem pascit, & quia plus terrenam substantiam quam oues diligit, merito nomẽ pastoris perdit. D. Cyrillus super Ioannem lib. 7. cap. 5.

Animam suam dat pro ouibus suis. Cum incomparabiliter longè sit melior anima qua viuimus, quã terrena substantia quam exterius possidemus, qui non dat pro ouibus substantiam suam, quãdo pro his datus est animam suam? Et sunt nõnulli qui non plus terrenam substantiam quam oues diligunt, meritò nomen pastoris perdunt. D. Gregor. in Euang. hom. 14.

Ego sum pastor bonus. Quare tu pastor cum sis, pastoris munere non fungeris? quare Ecclesiæ tuæ non assistis? profectò angelus lucis non apparebit tibi à dextris, sed angelus Satanæ in articulo mortis à sinistris. Nec id faceres si intellexisses, quantam perniciem tuo gregi inferas cũ tua absentia. Nam absente Moyse populus idololatriæ seruiuit quod vtique non feciſſet si ipse Moyses adesset. Nec mirum si in Actis Apostolorũ legamus, quod vmbra Petri sanitatem dabat infirmis, vt intelligas quantum interſit vt prælati semper suis ouibus custodiendis assistant, cum vel sola sua vmbra sanos eos faciat. Qui non laborat inquit Paulus, non manducet: si tu ergo non laboras, quare manducas? In Nume. etiam legimus dixisse Dominum sacerdotibus & leuitis, excubate in custodia sanctuarij. Qui episcopatũ desiderat inquit Paulus bonũ opus desiderat, ideſt bonũ laborem. Christus Dominus cum per alios posset, ipse tamen vt inquit Lucas, singulis manus imponens curabat eos. Iacob rationem reddens quomodo oues Laban custodierat, dixit: noctu diuque gelu vrgebar, & somnus fugiebat ab oculis meis. Dauid etiam dicebat Sauli: pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, &c. Samaritani morsibus leonum fuerunt infestati quandiu inter eos sacerdos non fuit, qui cultum diuinum eos doceret. Vnde & in Prouerb. habetur, vbi non est

gubernator, corruet populus. Scias Giezi nó potuisse baculo Elisei mortuum puerum suscitare quousque ipse Eliseus domum adiuit. Cæterum si Dominus voluit vt Adam subditarum animantium nomina cognosceret, quid respondebit prælatus qui per totum annum Ecclesiam suam non videt? vide etiam Concil. Trident. sess. 6. & sess. 23. in Decreto Refor.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Vide Ioann. Gerson. 2. par. fol. 237.

Ad differendum de pastoribus atque prælatis, vide Laurent. Iustin. in lib. de regi. prælato. inter medium ac finem operum.

Quod medicorum more qui aliis præsunt studere debeant in priuatis locutionibus, & aliis, congruam animarum medicinam audictium præbere languoribus, vide eundem de institut. & regimine prælato. cap. 8.

Quod exemplo eorum qui corporaliter morbos curant, debeant spirituales pastores delinquentes subditos cum compassione corrigere, vide Laur. Iustin. lib. de instit. & regi. præla. cap. 9.

Quod sicut cæci oculis corporeis propter occurrentia incommoda indigent ductore, ita & qui in regimine constituti sunt opus habeant sapientia, vide eundem eodem lib. cap. 15.

Quod pastores & prelati in Ecclesia Dei necessarij sint, vide eundem lib. de obedien. cap. 12.

Circa finem to. 9. D. August. inuenies li. de pastoribus inscriptum.

Quales etiam esse debeant pastores & prælati, Vide Vincen. Bellua. Specu. Doct. lib. 5.

Prælati ignorantes esse non debent & impij Hiere. 2. B. Sacerdotes non dixerũt vbi est Dominus, &c.

Turpissimum est quod malum procedat ab ipsis pastoribus, Hiere. 5. A. B. ego autem dixi forsitan pauperes sunt.

Pastores ignorantes & mali Hierem. 8. C. Vere mendacium operatus est.

Qualis esse debeat pastor, vide Ezech. cap. 6.

Pastor quantum laborare pro populo suo debeat Ezechiel. 12. E. panem tuum in conturbatione.

Qualis esse debeat pastor, Ezechiel. 13. A. non ascendistis ex aduerso.

Qualem vult Deus esse pastorem, Ezech. 22. G. & quæsiui de eis virum qui interponeret sepem.

Quod debeat vigilare supra gregẽ suum, Ezec. 33. B. quod si speculator viderit gladium.

Qualis esse debeat pastor & prælatus lege Ezechiel. 34. per totum.

Quantum Deum offendant prelati & pastores iniqui, Osee 8. A. ipsi regnauerunt non ex me.

Mali pastores Michææ 3. A. Audite principes Iacob.

Qualis esse debeat pastor, Michææ 7. C. pasce populum in virga tua.

Aliquando mali contingunt prælati propter peccata populi. Iob. 34. D. qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

Prælatus bonus quam sit necessarius Prouer. 11. B. vbi non est gubernator.

Ignarus prælatus maximè dedecet, Prouer. 26. A. quomodo nix in æstate.

Prælati ac pastores non debent esse detractorum amici, Prouer. 29. B. princeps qui libenter.

Prælati iniqui esse non debent, Sapien. 6. A. B. Præbete aures vos qui continetis multitudines.

Prælatus sit in puniendo clemens ac pius, Sap. 12. C. oportet iustum esse & humanum, &c.

Præfecturæ inique procurandæ non sunt. Eccl. 7. A. noli quærere ab homine ducatum.

Prælatus vigilans & studiosus esse debet, Eccl. 7. C. pecora sunt tibi? attende illis.

Quantum interfit vt prælatus bonus sit Ecclesiastici. 10. A. qualis rector.

Qualis esse pastor debeat, Ecclesiast. 32. A. Rectorem te posuerunt?

Prælati probati & exercitati esse debent, Gen. 47. B. quod si nosti in eis esse viros industrios.

Quantum noceat gregi pastoris absentia, Exo. 32. A. Videns autem populus quod moram faceret.

Prælaturæ graues sunt & onerosæ, Num. 11. C. non possum solus sustinere.

Qualis esse prælatus debeat, Numer. 14. C. & ait Moyses ad Dominum.

Quomodo prælati eligi debeant, Num. 17. per totum.

Quo pacto prælati ac pastores eligi debeant, Nume. 27. D. prouideat Dominus.

Prælaturæ quam laboriosæ sint. Nume. 18. A. tu & filij tui, & domus patris tui.

Prælati ac pastores vigilantissimi sint, Numer. 18. A excubate in custodia.

Quales esse debeant prælati, Deute. 1. C. Date ex vobis viros sapientes.

Prælaturæ quo pacto distribuendæ, Iudi. 1. A. quis ascendet ante nos.

Boni prælati plurimum conducunt, Iudi. 2. D. cumque Dominus iudices.

Prælatus bonum debet præbere exemplum, Iudi. 7. E. quod me facere videritis.

Prælaturas modeste fugiamus, Iudic. 8. E. non dominabor vestri. & 9. B. ierunt ligna.

Qualis esse debeat prælatus, 1. Reg. 10. D. & altior fui vniuerso populo.

Quod prælatus pius ac clemens esse debeat, 1. Reg. 15. G. lugebat Samuel Saulem.

Qua ratione se gerere debeat prælatus. 1. Reg. 18. B prudenter se agebat.

Quo pacto prælati tractare subditos debeant, vide etiam Senec. lib. 6. epis. epist. 47.

Æstimanda & ponderãda prius sunt, inquit, idem Seneca, quæ aggredimur, & vires nostras cum rebus quas aggressuri sumus prius comparare debemus. Debet autem plus semper esse viirum in actore, quam in pondere: necesse est opprimãt onera quæ ferente maiora sunt, nec accedendum est eo vnde liber egressus non sis &c. Vide Senec. de tranquil. vitæ ad Serenum lib. 1. cap. 5.

Valde quidem commendatur bonum exemplum quod pastores dare debent subditis suis à plerisque summis pontifici. & sacris Conci. Nam in epist. 1. Lucij papæ ad episco. Galliæ & Hispaniæ, maximè commendatur ipsis, vt in suis confabulationibus & colloquiis circunspecte se gerant atque prudenter. Syricius papa etiam in quadam congrega. 80. epis. maximè commẽdauit Ecclesiasticis viris abstinentiam & carnis maceratione. & in Concil. Cartha. 3. cap. 3. honestitas ipsa & morum candor vehementer suadetur & commendatur Ecclesiasticis & religiosis viris, tum etiam vt à scurrilibus & iocosis verbis quam longissimè absint. Item Cõc. Cartha. 4. ca. 17. hortatur maximè epis. vt curam habeant viduarum, pupillorum, ac peregrinorum: tum etiam vt maximè vacẽt lectioni, orationi, & verbi Dei prædicationi, & vt rebus Ecclesiæ tanquam commendatis non tanquam propriis vtantur. Vide etiam Conci. Epaunen. sub Gelasiõ pa. & Conci. Agath. cap. 35. Tum dist. 34. episcopum presbyterum.

Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius nõ sunt oues proprie, videt lupum venientem & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues. Quis est ergo iste mercenarius? sunt quidam Ecclesiæ præpositi quibus Paulus Apostolus dicit, sua quærentes nõ quæ Iesu Christi: quid est sua quærentes? non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes: hæc quando amantur à præposito, & propter hoc seruitur Deo, quisquis est talis mercenarius est, inter filios se non computet: De talibus enim & Dominus dicit, amen dico vobis perceperunt mercedem suam. Cæterùm audite quia & mercenarij necessarij sunt, multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi, auditur, & sequuntur oues non mercenarium, sed vocẽ pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demõstratos: scribæ inquit & Pharisæi cathedrã Moysi sedent, quæ dicunt facite, quç autem faciunt, facere nolite: quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? Sedendo enim cathedram Moysi, legem Dei docent, ergo per illos Deus docet: sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere, certè enim tales sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Nullus tamen mercenarius ausus est dicere populo Christi, tua quære, non quæ Iesu Christi: qui enim malè facit, nõ prædicat de Cathedra Christi, inde lædit vnde malè facit: non vnde bona dicit: botrum carpe, spinam caue &c. D. Aug. super Ioan. tract. 46. to. 9.

Vtrum pastor sit vel mercenarius quispiam cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore plerumq; ad gregis custodiam sicut verus pastor sic etiam mercenarius stat: sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus autem diabolus est, animas hominum strangulãs & quærens quem deuoret: similiter & quicũque illum sequuntur, de quibus dictum est quod veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces. Quare hæreticus impietate nouorũ dogmatum, à synceritate fidei seducere tentans animas, lupus quoque dicẽdus est. Iniustus itidem & raptor fideles quoque atque humiles sua tyrannide opprimens, tanquam lupus super oues venit. Sed mercenarius hos lupos irruentes vidẽs, fugit, quia neque diabolo ne suis tentationibus ouem de ouili separet resistit, neq; hæreticæ prauitati, aut violentiæ opprimentium sese murum opponit. Et tunc lupus rapit, & dispergit oues, quia diabolus destitutas auxilio pastoris, facilè per quælibet vitiorum præcipitia impellit ac adigit. Hæreticus itidem eas errorum laqueis innectit, atque per deuia trahit errabundas. Demum tyrannus eas diripit, & nullo suis obstante conatibus miseras dilaniat: àquo dum mercenarius sibi periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem mercenarius non mutãdo locum, sed subtrahendo solatium, neque cõtra luporum rabiem vllo zelo feruoris accenditur: quia dum solum exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur, neque stare in periculo ouium potest, qui in eo quod ouibus præest non oues diligit, sed lucrum terrenũ quærit, & idcò opponere se contra periculum trepidat, nẽ hoc quod diligit amittat. D. Cyrillus super Ioann. lib. 7. cap. 5.

Super illa verba, mercenarius autem & qui non est pastor, &c. vide D. Tho. 3. sen. dist. 28. ar. 4. ad 1.

Mercenarius autem. Quod multi reperiãtur mercenarij in seculari administratione atque gubernatione, non est perinde mirum atq; in spirituali, de quibus dictum videtur illud Michææ 3. & prophetæ eius in pecunia diuinabant, &c.

Quantum conducat vt prælati prudentes sint & nequaquã ignari, ex eo manifestum fit, quodnó possint ignari perinde prodesse suis subditis, seu eos erudire in doctrina: qui propterea maximè errant atque offendũt. Esa. 5. propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam & nobiles eius interierunt fame &c.

Videntur quidem etiam mercenarij prælati & pastores, qui muti sunt veniente lupo reprehendi per Oseam cap. 7. nõ est qui clamet ad me Cæterũ & sæpè tales mercenarij pastores permittuntur à Deo in populo, propter populi peccata, Iob 34. D. qui regnare facit hominem hypocritam.

Prælatos porro instruens olim etiam Euripides ille, dixit: ne nimium seuerus sis & inhumanus in subditos ipsos. Simonides, summa cũ prudentia & humanitate tibi commissos regito. Phocylides, omnibus iusta tribue. Idem, pauperem ne contemnito, quem si iniuste repuleris, te Deus postea iudicabit. Pythago. iustitiç stateră ne transgrediaris. Solon, impera, sed prius edoctus imperio parere. Isocrates, impera tibi ipsi non minus quam cæteris. Pittacus, ne geras imperium priusquam parere didiceris. Agesilaus, princeps cum sis, non mollicie deliciis ve, sed tẽperantia ac fortitudine priuatis hominibus antecellere studeto. Isocrates, Magistratum adeptus, bonorum quantum potes vtitor ministerio.

Prælatis quidem & superioribus etiam subditos diligenter obedire debere monuit iam pridem Socrates, cuius cum sis, pareto legibus ipsis atque superioribus. Periander, Magistratus metue, & eos reuerentia prosequere.

Mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & nõ pertinet ad eum de ouibus. Sed quæret aliquis, cum pastores, non mercenarij essent Apostoli, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? Expone nobis ô Domine. Vbi in epist. fugientẽ Paulum, per murum in sporta submissus est, vt manus persequentis euaderet: non ergo illi cura fuit de ouibus, quas lupo veniente deserebat? fugit planè, sed eas pastori in cælo sedenti orationibus cõmendabat, se autem vtilitati earum fugiendo seruabat, sicut quodã loco ait: Manere in carne necessarium duxi propter vos. Ab ipso namque pastore omnes audierant, si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. D. Aug. super Ioann. tract. 46. to. 6.

Ecce lupus oui guttur apprehendit, diabolus fideli adulterium persuasit; tu taces, non increpas; ô mercenarie. lupum venientem vidisti, & fugisti? Respondet forte & dicit, ecce hic sum, non fugi: fugisti quia tacuisti, tacuisti, quia timuisti. Fuga animi timor est, corpore stetisti, spiritu fugisti, quod ille non faciebat qui dicebat. Etsi corpore absens sum, spiritu vobiscum sum: quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores literis arguebat? D. Aug. super Ioan. tract. 46. to. 9.

Conqueritur profecto grauiter Dominus de huiusmodi propriam vtilitatẽ quæritantibus mercenariis, & solo nomine pastoribus, per Ezechie. dicens. Lac comedebatis, & lanis operiebamini,

& quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non cõsolidastis, & quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis, quod abiectum est non reduxistis, quod perierat non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non est pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. Quæ quidem prophetæ verba singulatim clariori elucidatione sunt exponenda. Lac quidem comedunt pastores ignaui, & lanis operiuntur, atque quod crassum est occidunt, cum subditorum bona ad victum suum rapiunt, multiplici vestium varietate induuntur ex suarum ouium exuuiis intextarũ, & optima quæque suorum subiectorum sibi in proprium vsum vendicant. Nempe quæ sua sunt vt Paulus inquit, quærunt, non quæ Iesu Christi. Quod infirmum est non consolidant pastores, & quod ægrotum non sanant, quando propensos ad vitia verbo exhortationis non corroborant, atque lapsos in ægritudinem animæ ad sanitatem per pœnitentiam non reuocant. Quod confractum est non alligant, quando lethali peccato ab integritate vitæ dilapsos, correctione debita non redintegrant. Quod abiectum est non reducunt, quando graui errore aut hæretica peste à veritate fidei abductos, ad synceritatem doctrinæ non rursum cõuertunt. Quod perierat non quærunt, quando desperatione à Deo auersos non restituunt ad spem salutis, promittendo ex Dei misericordia veniam. Dispersæ autem oues eo quod non est pastor, quãdo per abrupta viorum oberrant subditi, propter defectum recti moderaminis & doctrinæ præpositorum. Factæ autem sunt oues in deuorationem omnium bestiarum agri, cum immundorum spirituum iugo & seruituti subiiciuntur, qui potestatem accipiunt in homines per vitiorum deuia palantes atq; vagantes, &c. Quare & de talibus mercenariis malisque pastoribus per eundem Ezech. Dominus inquit. Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Item propterea pastores audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam vt vltra nõ pascant gregem meum, nec pascant pastores amplius semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis vltra in escam. Ecce ego ipse requiram oues meas. Vbi æternam damnationem interminatur Dominus iis qui in custodiendo Domini grege negligentiores fuerint, seque exacturum rationem denuntiat de iis omnibus quæ incuria & ignauia pastorum perierint: nam animas earum de manibus inertium & ignauorum pastorum requiret. D. Cyrill. super Ioann. lib. 7. cap. 5.

Mercenarius autem fugit. Vide Hugo. de S. Victo. annot. in D. Ioan. Euang. to. 1. fol. 243.

Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscũt me meæ. Se bonum pastorem esse Dominus duplici indicio argumentoq; demõstrat. Primum quod cognoscat oues suas, ad æternam vitam eas eligẽs & præuidens, quemadmodùm inquit Apost. non repellit Dominus plebem suam quam præsciuit. Sicut enim quos reprobat Dominus nescire dicitur, vt fatuis virginibus inquit: amen dico vobis, nescio vos, ita quos ad salutẽ prædestinat & præordinat, cognoscere rectè censetur. Et reciproca mutuaque agnitione oues Christi ipsum agnoscunt, quia diligunt eũ, & obsequuntur eius mandatis. Nempe qui non credit in Dominum, aut mandata eius contemnit, ignorare Dominum & nescire dicitur, quemadmodùm obduratus Pharao respondit Mosi: nescio Dominum, & Israel nõ dimittam. Secundum vero signum quo Dominus se comprobat bonum esse pastorem, explanatur, quia animam suam ponat pro ouibus suis, & spõte se morte tradiderit pro ouium suarum salute. D. Cyrill. super Ioan. lib. 7. cap. 6.

Ego sum pastor bonus. Est quidem bonus pastor Christus, qui cum comprehensus est, dixit de ouibus suis. Sinite hos abire, vt impleretur sermo, quia nemo ex ipsis periit. D. Chrysost. super Ioan. homi. 58. to. 3.

Vide quæso quam bonus pastor sit Christus Dominus, qui vt Iudam ouem perditam quæreret & reduceret, genibus flexis eius pedes lauit, ei dedit corpus suum & sanguinem, & alia huiusmodi benignitatis & misericordiæ beneficia in eum exercuit, eum amicum suum vocauit, & osculatus est. Tum etiam discipulos patri commendauit, dicens: pater sancte serua eos. Item in cruce dixit, dimitte illis, &c. *Ego sum pastor bonus.* Sæpè numero pastor fundam ipsam contendit atq; contorquet, vt eius stridore oues terreat, sic Christus te terret vicini tui obitu. Aliquãdo etiam pastor baculum in oues immittit, vt eas ad veram viam aut herbarum locum abundantiorem reducat: Sic Christus tibi vel vxorẽ, vel liberos, vel bona temporalia eripit, vt ad veram salutis viam conuertaris. *Et cognosco oues meas.* Hic ostenditur nostra fragilitas & quantopere indigeamus pastore Christo, cum comparet nos ouibus: siquidem ouis per se solam viuere non potest, sic homo non potest sine pastore suo Christo viuere. Item ouis nescit redire ad gregem vbi semel errauit, neque arma habet quibus se defendat, eodem modo vbi homo in peccatum lapsus est, nihil est eo miserabilius; nam neque potest neque nouit redire nisi à Deo quæratur, & in gratiæ statum reducatur. Itaque peccatum labyrinthi imaginem refert, in quo semel immersus, exitum homo per se non inuenit, sed miserabiliter errat, nisi speciali Dei iuuetur auxilio. Vnde Dauid dixit, erraui sicut ouis quæ periit, & Esa. omnes nos quasi oues errauimus. *Pastor bonus.* Cæteræ quidem artes & officia sua quædam habent otia & suam quietem, qua ab opere & labore vacent, pastor autem nullum tempus habet quo ouium suarum curam & custodiam remittere tuto possit, adeò vt vel maximè ipsa nocte, quæ ad quietem mortalibus data est, ipsis propter clandestinas luporum insidias, diligenter vigilandum sit. Sic enim vigilabant, & vigilias noctis super gregem suum custodiebãt, pastores illi ad quos natiuitatis Dominicæ felicissimum nuntium perlatum est. Idem quoque de se sanctus Patriarcha Iacob socero suo retulit. Quare prouidere debent diligenter, & excubare magna cum vigilantia semper pastores spirituales, ne eorum grex diripiatur, atque à lupo ipso insidiante deuasterur.

Quod pastori nihil existere miserabilius queat, quam si cum lupis & ipse consentiat, & alia huiusmodi, lege apud Anacletum epist. omnibus Ecclesiis scripta, quæ inuenitur in operibus D. Clementis papæ, fol. 78.

Quod multi pastores non tantum non ponunt vitam pro ouibus suis, verum & ipsi etiam sunt lupi rapaces, sunt ambitiosi, superbi, & diuini iudicij obliti, vide D. Cyprian. de dupli. martyrio pag.

pag. 330.

Quantum bonus pastor valeat, quando tam pauci boni pastores inueniantur, vide D. Bernar. epist. 248.

Ego sum pastor ille bonus vt Græcè habetur, legit Theophylac. Tum etiam D. Basil. qui multa habet obseruatione digna, de Martyre Mamante, hom. 26. pag. 221.

Consule Simonem de Cassia de similitudinibus saluatoris lib. 7. cap. 38.

Quod magna Christi humilitas in eo quòd se appellet ostium ouilis ouium & pastorem, cõfundat omnino superbiam nostram, & alia huiusmodi, vide apud Vuerricum super hunc locum.

D. Anselmus multa habet accommodata super hoc Euang. in suis enarratio. Euang. fol. 279.

Aduerte quantum esset animi robur boni illius pastoris D. Ambro. cum acriter reprehendit Imperatorem Valentinianum: Lege Histo. tripart. lib. 7. cap. 8.

Attende etiam quantus fuerit eiusdem Ambr. zelus & animi constantia in reprehensione illa Theodosij Imperatoris, quanta etiam fuerit obedientia Imperatoris lib. 9. hist. tripar. cap. 30.

Quod Christus Dominus se nobis proposuit pastorem, vt eum imitaremur magna cum diligentia & studio, & alia id genus, lege apud D. August. de verbis Domini in Euang. secundum Ioann. sermo. 49. to. 10.

Quod necessarium sit in Repub. esse pastores, prælatos, ac principes, qui eam moderẽtur ac gubernent, multa habes apud D. Thom. lib. 1. de Regimi. princi. to. 17.

Regnum seu regia quædam potestas est, quando vnus gubernat ad vtilitatem communem respiciens. Aristo. 3. Poli. cap. 5.

Rex non curat suas vtilitates duntaxat, sed eorum maximè qui reguntur, qui vero secus facit, tyrannus est. Arist. 8. Ethi. cap. 10.

Rex subditorum curam habet, vt bene se habeãt, sicut pastor ouium curam gerit? vnde & Homerus Agamemnonem pastorem populorum vocauit. Aristo. 8. Ethico. cap. 11.

Reges plerisque sicut præstant decore, magnificentia & ornamento, cæteris hominibus, sic orationis maiestate atque sapientia. Aristo. in præfat. Rhethor. ad Alexandrum.

Super illa verba, & cognoscunt me meæ, vide Lauren. Iustin. lib. de humilit. cap. 12. circa finem operum, vbi agit quibus gradibus perficiatur virtutum scala quæ nos ad Dei cognitionem perducit.

Quantum honestis studiis & actionibus pastor ipse atq; prælatus incumbere debeat, & animum auocare à rebus caducis & secularibus, vide Cano. 2. Concil. Tolet. 11. vide etiam Conc. Trid. sess. 13. decre. de Refor. ca. 1. & sess. etiam 25.

Quales esse debeant pastores & prælati, longè lateque patentes habes campos apud D. Greg. in suis Pastorata.

De statu Episcop. vide Gregor. Nazianzenum orati. 17.

Quales esse debeant pastores & prælati, vide D. Ambr. lib. 10. epist. epist. 81. & 82.

Vide prætereà dist. 88. episcopus. Tum Indices decreto. & Concil.

Quantum commodum & molumentum afferat præsentia boni prælati ipsis subditis, constat ex Ezech. 45. vbi dicitur vt sacerdos maneret iuxta templum. Tum etiam Nume. 18. dicitur, excubate in custodia sanctuarij. Et certè quemadmodum magister & ductor ipsius nauis, sibi commodiorem deligit habitationem, ex qua possit mira statim celeritate accurrere ad ipsam nauem gubernandam & defendendã, ita prælatus ipse præsens esse debet ac maximè obuius, vt possit facilè statim subuenire subditis indigentibus. Si ipse Adamus vt animalibus singulis nomina imponeret, ea ante se posita, & in præsentia sua habebat: annon magis oportebit vt prælatus præsens adsit ouibus, vt eis de necessariis possit commode prouidere? Vide circa hoc institutum D. Hieron. epis. 2. ad Oceanum. & D. Chrysostom. lib. de Sacerdotio.

Quemadmodum tectum ipsum in domo, quo maximè eam custodiat & defendat à cæli iniuriis, exponitur imbribus, ventis, & aliis huiusmodi: ita etiam prælatus ipse vt suos defendat ac tueatur, exponere latera sua debet quibuscunque ictibus, procellis, & tempestatibus, quæ subditis suis eueniunt atque contingunt.

Quemadmodùm luna quæ propinquior nobis est, suam magis vim exercere videtur in aquis & aliis huiusmodi, quã quæ remotissima sunt astra, ita pastor quo propinquior est & præsens magis subditis suis & ouibus, eo commodius eas regere videtur ac gubernare.

Sicut mare pro vehementia aut tranquillitate ipsius venti, aut intumescit & exæstuat aut etiam tranquillum redditur: ita ferè subditi pro qualitate ipsorum pastorum, aut insolescunt & in superbiam efferuntur, aut etiam trãquillo sunt animo & contemperato.

Sicut aurum quo pretiosius est, eo si vilissimo alicui misceatur emblemati, siue etiam adulterino lapillo, dehonestatur, & obscuratur; ita quo in sublimiori locatur dignitatis gradu pastor atque prælatus, eo turpius in eo apparent vitia atque flagitia.

Ceu aquila auium regina tanto pollet visus acumine & subtilitate, vt quamuis in sublimi volitet aura, videat nihilominus pisces ipsos in profunda natantes aqua; & leo item fertur apertis dormire oculis, & somnum capere: sic profecto pastor esse præditus debet maxima cura, vigilibusque mentis oculis, vt prouideat de necessariis suis subditis, neque vnquam per inertiæ atque incuriæ somnum eosdem negligat atque cõtemnat, sed vigilantissimus perpetuo sit, vt eos tutos seruet quantum potest ab hostium incursibus & impugnationibus.

Significabatur quidem cura & diligẽtia quam pastor ouium suarum gerere debet, in eo quod præcipiebatur Exod. 28. vt summus sacerdos scripta gestaret nomina filiorum Israel. Vide etiam Hecto. Pin. super Isa. 40.

Cæterùm antiqui Philosophi cõparabant principes ipsos Soli, tum propter splendorem quem præse ferre debent lucendo aliis, tum propter celeritatem & velocitatem in rebus præclaris conficiendis. Item pingere solebant principem cum signo quodam de humeris pendente, quod appellabant veritatem significantes ipsum debere esse amatorem veritatis, neque vsquam ab ea animum deflectere siue prece, siue pretio. Vide Diod. Sicu. lib. 2. Biblio. Tum præterea Alexãder Magnus dixisse fertur, turpe esse dedere se corporis voluptatibus, in laboribus autem se exercere, rem esse principe dignam. Quod si principes seculares vigilantes maximè esse debent, quid dicendum erit de spiritualibus atque Ecclesiasticis, qui res tractant ad animæ salutem spectantes?

Quemadmodùm quando maxima quædam tonitrua vigent atque sæuiunt, & nullus emittitur fulgor, videtur quidem procella maxima impendere, ita cũ prælatus non emittit ex se splẽdorem aliquem probitatis, sed semper in procella est inclementiæ & crudelitatis, periculum maximum ab eo impendere videtur & imminere.

Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Hoc quidem verbũ dupliciter potest exponi, vno modo vt, sicut, significet similitudinem, & hoc modo notitia huius potest communicari creaturæ alicui 1. Corin. 13. Cognoscam sicut & cognitus sum: id est sicut cognitus sum sine velamine, ita sine velamine cognoscam. Alio modo vt sicut importet æqualitatẽ, & tunc cognoscere patrem sicut cognitus est ab eo, est proprium solius filij. Quia solus filius cognoscit patrem comprehendendo, sicut pater comprehendendo cognoscit filium. Matth. 11. nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, notitia scilicet comprehensionis. *Et animam meam pono.* Cum in Christo sint tres substantiæ, verbi, animæ, & corporis, quæritur quis loquatur cum dicit, Animam meam pono? Si dicas quod verbum hic loquitur, non est verum, nam verbum nunquam animam ponit, cum nunquam fuerit ab anima separatum. Si autem dicas quod anima loquitur, hoc etiam impossibile videtur quia nihil separatur à se ipso. Si vero dicas quod quantũ ad corpus Christus hoc dicit, nec hoc videtur, quia corpus non habet potestatem iterum sumendi eam. Dicendũ ergo ad hoc quod in morte Christi, anima fuit separata à carne, alias non fuisset vere mortuus, sed diuinitas nunquam fuit separata in Christo ab ipsa anima & carne, sed vnita fuit animæ descendenti ad inferos, & corpori existenti in sepulchro, & ideo corpus virtute diuinitatis animam posuit, & iterũ resumpsit eam. D. Thom. super Ioan. 10. lect. 4.

Cum simili omnino cognitione filius patrem agnoscat, & pater filium: quis sanæ mentis filium patre inferiorem aut imperfectiorem asseruerit, aut ad creaturarum conditionem detruserit? Nunquid creatura ad æquam cum Deo cognitionem potest assurgere, aut diuinam substantiam sicuti est apprehendere? Incomprehensibilis enim Deus & immensus, posuit tenebras latibulum suum, & omnem supergreditur atque superexcedit creaturam mentium captum, haud minus quam infinita lux & splendoris immensi, omnem subterfugit oculorum obtutum. Est igitur filius omnino patri æqualis virtute, æternitate, sapientia, cum patrem agnoscat sicut eum pater agnoscit, nulla prorsus interueniente dissimilitudine. D. Cyrillus super Ioann. lib. 7. cap. 6.

Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient & fiet vnum ouile & vnus pastor. Quasi dicat, opportunũ est secundum ordinem diuinæ prædestinationis ad gratiam vocare. Sed contra Matth. 15. dicit Dominus, non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Responsio, dicendum, quod ad oues domus Israel tantum missus est Iesus, vt eis corporaliter prædicaret, secundum illud Roma. 15. dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis. &c. Gentes autem adduxit per Apostolos suos. Isa. vltimo: Mittam ex eis qui reliqui fuerunt &c. D. Thom. super Ioan. 10. lect. 4.

Alias oues habeo, &c. Vt pote gentilem populum, qui non est de genere carnis Israel, & illas oportet me adducere ad fidem per Apostolorum prædicationem & officium; & vocem meam audient, quia gentilis populus Domini vocem per Apostolos auditam prompte suscepit, fideméque & præcepta eius studiose custodiuit, quod per prophetã prædictum fuerat. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. D. Cyrill. super Ioann. lib. 7. cap. 6.

Super epist. & Euange. duas habet concio. D. Antoni, initio 1. par. Theolog.

Duas etiam habet conciones D. Thom. circa finem to. 16.

Innocent. 3. habet concionem quandam quæ incipit, Ego sum pastor bonus, circa initium operum.

Vide Petrum Chrysologum sermo. 40. qui inscribitur de bono pastore.

Dominica tertia post Paſcha.

DIXIT Iesus discipulis suis, modicum & iam non videbis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Ioannis 16.

Animaduertendum est quia de passione modicum & nõ videbitis me dixit, & de resurrectione rursus, & iterum modicum & videbitis me. Quum vero quia vado ad patrem, subiecerit, tacuit quod sequebatur. Non enim quãto tempore ibi manebit, aut quando rursus descender significauit. Quamobrem? non est nostrum nosse tempora vel momẽta quæ pater posuit in sua potestate, vt ipse alibi dixit. D. Cyrillus super Ioann. lib. 11. cap. 3.

Iteratam visionem promittit Dominus discipulis suis cum prænuntiatione recessus sui, quod ideò eis frequenter inculcat, vt dum sæpè ipsum futurum præmeditantur, ipsum præsentem tolerabilius ferant. Tria autẽ ponit consolatoria, breuem absentiam, iteratam sui præsentiam, & honorabilem discessum. Absentia quidem breuis est, quia Modicum & iam non videbitis me, vt modicum referatur ad non videbitis: quasi dicat, futurũ est vt tollar à vobis per mortem, Et iam non videbitis me. Sed non debetis cõtristari, quia tempus hoc quo me non videbitis, modicũ erit, quia exurgam diluculo, tertia scilicet die Isa. 26. abscõdere modicum, &c. Sed iterata mei præsentia erit, quia iterum modicum, id est modico tẽporis post resurrectionem, spatio scilicet quadraginta dierum. Acto. 1. per 40. dies, &c. & videbitis me. Luc. 24. gauisi sunt discipuli viso Domino. Et hoc quia honorabiliter recedo, quia vado ad patrẽ. Act. 1. videntibus illis eleuatus est. Vel aliter, vt modicũ referatur ad tempus ante eius mortem, & sit sensus, modicum id est tempus existet quo subtrahar à vobis, quia scilicet in crastino. supra 13. filioli adhuc modicum &c. & non videbitis me scilicet mortalem. Quia supra 14 adhuc modicum, & mũdus me iam non videbit nisi in iudicio in maiestate venientem. Discipuli vero post resurrectionem immortalem existentem, quia vt dicitur Acto. 10. Dedit eum manifestũ fieri non omni populo, sed testibus præordinatis. Et ideo subdit modicum scilicet durabit, & videbitis, quia scilicet modicũ fuit tempus quo manserit in morte, Isa. 54. in momento indignationis abscondi, &c. vel modicum potest referri ad tempus totius vitæ nostræ vsque ad iudicium, & tunc videbimus eum in iudicio & in gloria. Dicitur autem modicum comparatione ad æternitatem. Psalm. 89. mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, &c. Quia vado ad patrem,

trem, per resurrectionem & ascẽsionem. supra 13. Sciens Iesus quia venit hora eius, &c. D. Tho. super Ioann. lect. 5.

Dolentem & tristitia affectum animũ nil adeò deiicere solet quam anxij sermones eum frequenter angentes. Quid ergo Christus cum dixerit, vado & iam non loquar vobiscum, eadem repetit, Modicum & iam non videbitis me, & vado ad eũ qui me misit? Cum eos ad se per spiritus sancti seruonem reduxisset, tunc iterum eos percellit ne efferrentur. Cur hoc facit? Eorum animum experitur & probatiorem reddit, & vt in calamitatibus æquo animo discessum suũ & generose perferant assuefacit. Qui enim audiẽdo id animo volutabant, rem ipsam postmodũ facilè laturos credibile erat. D. Chrysost. su. Ioan. ho. 78. to. 3.

Modicum & iam non videbitis me, &c. Hæc Domini verba ita obscura erant discipulis antequam id quod dicit impletum esset, vt quærentes inter se quid esset quod diceret, omnino se faterentur nescire. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, & mox manifestũ est, iam nobis vtiq; manifestatum post paululum enim passus est, & non viderunt eum, rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. D. Aug. in Ioan. tract. 101. to. 9.

Modicum & iam non videbitis. Quantum sæpè noceat non proponere sibi ante oculos vitę breuitatem & incertitudinem D. Greg. his verbis videtur declarare, dicens: Sæpè etenim dum præsentis vitæ breuitas quasi diu perseueratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, & delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine tenerberatur. Cũque longum putat quod ad viuẽdum sibi spatium restat, repente vitam deserens, æterna mala inuenit, quæ vitare iam nequeat. Hinc est enim quod per quendam sapientem dicitur, væ his qui perdiderunt sustinentiam. Sustinentiam videlicet perdũt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem inuisibilium derelinquunt Cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur, & repente ad supplicia improuisa perueniunt, quæ decepti suis præsumptionibus aut nunquã se contingere, aut tarde crediderunt. Hinc veritas dicit, vigilate itaq; quia nescitis diẽ neq; horam. Hinc rursum scriptum est, dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Quia enim ad rapiẽdam animã propinquans minimè conspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet quasi semper veniens metui, quanto à nobis nõ valent ventura præsciri. Vnde & sancti viri quia breuitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie moriẽtes viuunt: & tanto se solidius mãsuris præparant, quanto & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmis. veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: Pusillum adhuc, & nõ erit peccator. Hinc iterum dicit, homo sicut fœnũ. Hinc Esa. ait, omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri. Hinc mentes præsumentium Iacobus corripis dicens: Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum parens, &c. D. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 20.

Explicans idem Greg. verba illa Iob. 7. dies mei velocius transierunt quam à texente tela succiditur, ita habet. Cõgrua valde similitudine tempus carnis telæ comparatur, quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit: Sed quod ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit: quia sicut & superius diximus, cum tempora percepta prætereunt, ventura breuiantur: & de vniuerso vitæ spatio eo fiunt pauciora quæ veniunt, quo multa sunt quæ transierunt. Tela quippe infra suprăque ligata, duobus lignis innectitur vt texatur: Sed quo inferius texta inuoluitur, eo superius texenda deplicatur: & vnde se ad augmentum multiplicat inde fit minus quod restat. Sic nimirũ vitę nostræ tempora & transacta quasi inferius inuoluimus, & ventura à superiori deplicamus: quia quo plus fiũt præterita, minus esse incipiunt futura. Sed quia nec tela ad expressionẽ nostri tempóris sufficit, nã eius quoq; festinationẽ vitæ nostræ velocitas trãsit rectè nunc dicitur dies mei velocius transeunt quã à texente tela succiditur. Tela quippe tarditatẽ profectus habet, vita autẽ pśens moram defectus nõ habet. In illa quoque cum laborantis manus figitur, aduentus terminus elongatur, in ista vero quia tempus semper desinens indesinenter consumimus, ad finem nostri itineris etiam quiescendo peruenimus, & per cursum nostri transitus, etiam dormiẽtes imus. Electi igitur qui præsentis vitę momenta decurrere sub festinatione conspiciunt, nequaquam in hoc tantæ mobilitatis itinere, cordis intentionem figunt. D. Greg. lib: 8. Moral. cap. 11.

Modicum & iam non videbitis me, &c. Vide quæso quãta instabilitate & mutabilitate ipsi Iudæi debaccharentur contra Christum Dominum in ipsa passione, de qua dicit modicum & non videbitis me, cum tamen paulò ante eum solenni atq; magnificentissimo quodã ingressu excepissent; vt intelligas quanta sit instabilitas & mutabilitas in rebus mundanis: quem locum paulò fusius variis conquisitis exemplis amplificare poteris. Considera enim, vt alias historias omittamus, & alia loca alibi à nobis late tradita, in ipso Annibali quãtopere reluxerit mundana instabilitas, qui post multas victorias partas posteaquã annos multos viriliter & strenue depugnauit, tandem miserabiliter victus, ignominiosè occubuit. Quid dicam de mutabilitate illa & incõstantia illius Caligulæ cum amicis suis? à quibus postquam multis beneficiis affectus fuerat, tandem plerosque eorum interfici immeritos iussit, quẽadmodum refert Suetonius Tranquillus, & plerique alij historici scriptores. Quid dicã de inconstantia Alexandri Magni? qui in quosdam etiam intimos suos immerito sæuitiam suam exercuit, quemadmodum refert Paulus Orosius 3. lib. suæ hist.

Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: quid est hoc quod dicit nobis, modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad patrem? dicebant ergo, quid est hoc quod dicit modicum? nescimus quid loquitur. Quod tempus hoc vitæ nostrę modicum sit, & præsertim si cõparetur cum futuro seculo, insinuari videtur illis verbis Apoc. 12. descẽdit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quod modicũ tempus habet &c. Tum illa Apoca. 3. ecce venio cito, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. *Quid est hoc quod dicit modicum.* Illud modicum de passione intellectum, videbantur quodammodo intelligere, verum alterum de resurrectione; quod cum posteà essent visuri, eorum animos suspensos magis tenere videbatur. Vide Alber. Mag. super Ioan. 16.

Non solum modicum est vitæ nostræ tempus, sed etiam & hoc ipsum modicum expositum est sexcentis periculis & infortuniis, tum animi, tum corporis. Vnusquisq; enim facilè videre poterit, incipiens iam inde à primo egressu nostro ex materno vtero, & percurrens singulos ætatis nostræ gradus, quantis calamitatibus & incommodis exposita sit vita nostra corporea. Iãm vero quid dicã de spiritali? an non pluribus & maioribus multo

exposita

expoſita eſt diſcriminibus atque periculis? adeò profecto vt cum nobis ſecuri videmur, non deſinat Apoſtolus nos adhortari, dicens: Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Vide D. Aug. de tempore ſer. 247. to. 10.

Artaxerxes vitæ breuitatem aliquãdo intelligens atque declarare volens, quamuis potentiſſimus eſſet, & longè lateque imperium propagaret, ſubiit in celſum quendam montem, ex quo commodè numeroſiſſimũ ſuum exercitum videre poterat, quo conſpecto, cœpit ſtatim in lachrymas erumpere, imoq; ex pectore ſuſpiria longa trahere. Rogatus verò quorſum tã multas funderet lachrymas atq; gemitus, ſtatim ſubiecit hæc verba, quod ſcilicet miſerabile eſſet breuiſſimo quodam tẽporis curriculo tam numeroſum exercitum periturum. Quid ſi totum orbem proſpicere potuiſſet, vidiſſetq; tãtas vndiq; calamitates quibus cingitur, tam ſubitos multorum caſus, repentinasq; interneciones, an nõ miſerabilius multo hoc ſpectaculum eſſe dixiſſet? Quare eam nos diligenter ineamus cogitationẽ, vt in tanta vitæ noſtræ breuitate atq; miſeria, proponamus etiam nobis ante oculos alios ex ſubmerſione pereuntes, alios verò incendio cõflagratos, nõnullos in acerbiſſimã redactos ſeruitutem, aliquos etiam inter prædones, homicidas, & proditores incidentes, & intelligemus profecto nobis eſſe incumbendum ſolidæ ac perpetuo duraturæ virtuti, vt tandẽ huius vitę breuitatem & incertitudinẽ poſſimus in perpetuã ac ſempiternam vitam cõmutare. Vide D. Hieron. ad Heliod. de morte Nepotiani to. 1.

Præſens quidem vita cum futura cõparata, eſt veluti exigua quædam maris gutta, cum toto mari comparata: eſt veluti ſtella vna cum toto eius cælo comparata. Si terra ipſa cum cælo comparata videtur eſſe inſtar puncti, quantula quæſo erit hæc mortalis vita, ſi ad illam immortalem & ſempiternam conferatur? Si mille anni ante Deũ ſunt tanquam dies heſterna quæ præteriit, quid dicemus de noſtra hac vita cum æternitate cõparata? Non inelegánter quidem Euripides huius mundi gloriam, gloriã vnius diei eſſe dixit, vt refert Plutarchus, quem adhuc inſtar puncti eum dicere debuiſſe, Demetrius aſſeruit, quandoquidẽ minimo quodam temporis puncto tota ſæpè euaneſcit, atque nobis perit. Vnde & Homerus eam comparauit arborũ frondibus mira ſtatim velocitate decidentibus. Poteſt etiam comparari vita noſtra illorum animalium vitæ, de quibus conſcriptum reliquit Ariſtot. quod per diem tantum vnum vitam traducant, quo decurſo ſtatim intereant, & quæ perueniunt ad ſolis occaſum, dicantur ad decrepitam iam peruenìſſe ætatem. Quamobrem in tanta vitæ noſtræ breuitate, quam etiam breuitate breuiorem reddit ipſa incertitudo, quid aliud à nobis præſtandum eſt, quam quod hortatur. D. Hieron. ad Marcellam exſcribens? vt ſcilicet non exiſtimemus hic nos perpetuos eſſe futuros, vt poſſimus eſſe perpetui.

Quemadmodùm qui per anguſtam quandam trabem ampliſſimum traiicit fluuium, & qui per viam ſpinis armatam nudo fere incedit pede, diligenter cauet ne forte inconſiderato inceſſu ſibi noceat: ita planè in hoc tam breuiſſimo & incertiſſimo vitæ noſtræ curriculo, æquum eſt vt diligenter cõſideremus num forte turo ſatis incedamus, hoc eſt honeſtè atque ſtudioſè, ne forte lædamur à vitiorũ ſpinis, aut etiam in profundũ vitiorum gurgitẽ præcipites demergamur. Vide D. Chryſoſt. ho. 3. ſuper illa verba 2. Para. 26. eleuatũ eſt cor Oziæ cir. fi. to. 1. Qui etiam ho. 22. ad popu. inquit, hæc mundana tam momentanea, fallacia magis eſſe quam nõnulla quæ ſæpè nobis in ſomnis eueniunt. Tùm præterea hom. 65. inquit, quaſi vnum momentum tota ætas noſtra, ad infiniti ſeculi comparationem. Hinc Eſa. etiam dixit, & ſicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit exper ge factus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium gentium, &c. Hinc per Eccleſiaſticum dicitur, numerus dierum hominum, vt multum centum anni: & ſubdit ne nobis hoc videatur multum, quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui.

Cognouit autem Ieſus quia volebant eum interrogare, & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me? Modicum vocat tẽpus paſſionis ſuæ Chriſtus Dominus, erat ſiquidem tãta eius in nos charitas atq; amor ad toleranda tam grauiſſima pro nobis tormenta, vt quaſi modicum videretur reputate tantum pro nobis perpeſſum atque exantlatum tormentorum genus, atq; pelagus. Non ita ſe gerunt nobiſcum illi qui cum pauca quædam conferant beneficia atque exigua, ea tamen ſæpè nobis ante oculos opponunt atque exprobrant: quibus congruit illud Eccleſiaſtici 20. exigua dabit, & multa improperabit.

Quia dixi modicum & non videbitis me, &c. Pleriq; doctores hoc loco aduertunt, vt Beda, Theophyl. Dion. Carth. & alij, quomodo Chriſtus Dominus per illud modicum tempus paſſionis, tandem venerit ad tantam gloriam & nominis ſui propagationem; vt inde diſcamus nobis eſſe decertandum ac depugnandum viriliter cum laboribus & calamitatibus, vt tãdem peruenire poſſimus ad quietem, & gloriæ amplitudinem.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Et hoc ſic accipi poteſt, quia cõtriſtati ſunt diſcipuli de morte Domini, & cõfeſtim de reſurrectione lætati: mundus autem, quo nomine ſignificati ſunt inimici, à quibus Chriſtus occiſus eſt, tunc vtique lætati ſunt occiſo Chriſto, quando ſunt diſcipuli contriſtati. Mundi quippe nomine malitia poteſt mundi huius intelligi, ideſt hominum mundi huius amicorum. Vnde Iaco. Apoſt. in epiſ. ſua dicit, quicũque voluerit amicus eſſe huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur; quibus inimicitiis Dei factum eſt, vt nec eius vnigenito parceretur. D. Aug. ſuper Ioan. tract. 101. tom. 9.

Amen, amen dico vobis. Quaſi dicat, quod dixi veriſſimum eſt, & ex his quæ modo dicam vtcumq; intelligere poteſtis. Ecce iam adeſt tẽpus quo præ nimio mœrore vos plorabitis & flebitis, ob adempram ſcilicet hanc meam vobiſcum conſuetudinem, & crucis ignominiam mihi irrogatam. Contra mundus me capto & occiſo tanquam victor, ſuiq́ue voti compos effectus, gaudebit, geſtiet, & exultabit, ſed breui commutabũtur rerum vices: veſtra enim triſtitia vertetur in gaudium, cum me videbitis à morte rediuiuum, & cõtra mundi gaudium vertetur in mœrorem. Diſcruciabit enim eũ & conturbabit mea reſurrectio, ſicuti vos gaudio afficiet. Apertè autem tantùm dicit triſtitiam diſcipulorum vertendam in gaudium, non autem mundi gaudium vertendum in triſtitiam, quia illud dicere ſufficiebat ad conſolationem diſcipulorum

lorum, ob quam hæc dicuntur. Implicite tamen etiam ſignificat mundi gaudium immutandum. Si enim diſcipulis plorantibus mundus erat gauſurus, & id quod diſcipulis fuit mœroris cauſa mundo futurum erat cauſa lætitiæ, neceſſario etiã è contra diſcipulorũ mœrore mutato in gaudium mundi gaudiũ in mœrorem vertendũ erat. Cæterùm vt prius cœpimus dicere, ſic Dominus hunc ſuum tẽperauit ſermonem, vt per eum nõ tantum Apoſtoli munirentur contra inſtantem ipſis tunc mœrorem, ſed & ipſi & tota fidelium Eccleſia cõtra omnes præſentis vitæ afflictiones & anguſtias. Itaq; hac ſententia totum Eccleſiæ & omnium iuſtorum ſtatum pulchrè delineauit Chriſtus ſapiẽtia patris, nempe quod eorum ſit vt mundanis hominibus gaudẽtibus de eorum oppreſſione, ac de bonis præſentis vitæ, ipſi lugeant, afflictiones ferant, ſeſeq; voluptatibus præſentibus ſubtrahãt, hoc ipſo ſe conſolantes, quod eorum triſtitia mox ſit vertenda in gaudium, quod non ſolum fit poſt hanc vitam, quando tamen id fit certiſſimè ac perfectiſſimè, ſed etiam frequenter in hac vita in qua ſubinde Deus iuſtis concedit ab impiorũ oppreſſione refrigerium, quemadmodùm Eccleſiæ ſuæ frequenter poſt grauiſſimas tyrannorum & hæreticorum perſecutiones; conceſſit tranquillam pacem, cum ſummo Eccleſiæ gaudio, ſummoq; impiorum mœrore. Huc facit quod dicitur, ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. & Iſa. ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Et beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Cornel. Ianſe. ſermo. de hac domi.

Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini. Si voles tractare quod in hac vita ſæpè res impiorum proſperæ ſint & florentes, ſed tamen poſtmodum in luctum conuertantur, nonnulla infinuabo loca.

Impij homines ſæpè in proſperitate quadam hic conſpiciuntur, Iob 12. A. abundant tabernacula prædonum.

Peſſimi homines plerumq; rebus ſecũdis vtũtur Iob 21. A. B. quare ergo impij viuunt, &c.

Noli conturbari quod impios hic florere conſpicias, nam paulò poſt ſuum eis ſuccedet ſupplicium & afflictio. Eccleſiaſtes 5. B. ſi videris calumnias, &c.

Malorum proſperitates quo ſine claudãtur Eccleſiaſtes 8. vidi impios ſepultos, &c.

Qualis ſit impiorum locutio in proſperitate ſua. Sapien. 2. B. venite fruamur bonis.

Impij plerumque ſecundis vtũtur rebus Eccleſiaſtici 11. A. multi tyranni.

Multi impij inueniuntur abundare diuitiis, honore, potentia. Eccleſiaſtes 10. B. eſt malum quod vidi ſub ſole, &c.

Impij fortunatis rebus & ſecũdis nõ raro vtũtur, 2. Reg. 15. C. populus augebatur cũ Abſalon.

Nonnulli impij interdum regnant per longa temporis ſpatia, 4. Reg. 21. A. quinquaginta quinque annis regnauit.

Permittit ſæpè Deus vt mali iuxta palatũ ſuum vitam traducant, atque deſideriis ſuis indulgeant. Rom. 1. C. tradidit illos Deus in deſideria, &c.

Proſperitas impiorum citiſſimè euaneſcit & præterlabitur. Eccleſiaſtici 44. B. & ſunt quorum non eſt memoria, &c.

Cæterùm hoc inſtitutum maximè relucet & manifeſtum fit in Babylonis, & Hebræis: hi enim cum viderentur præſtabiliores & meliores, tamẽ in captiuitatem & ſeruitutem à Babylonis arrepti ſunt, gente impia atque peruerſa. Tùm præterea aquarus ille diues in Euangelio, epulabatur ſplendide, atque omnia ei ad palatum & arbitriũ proſpere ſuccedebant: at vero Lazarus mẽdicus quẽrebat de micis ſaturari. Verum tandem ſors ipſa & ſtatus commutatus eſt, altero ab angelis in ſinum Abrahæ deportato, altero vero in ſempiternum barathrum detruſo atq; demerſo. Vide D. Chryſoſt. lib. 1. de prouid. Dei to. 5.

Triſtitia vertetur in gaudium. Non quidem triſtitia impiorum, ſed potius magis magisq; augebitur; ſed veſtra triſtitia, hoc eſt triſtitia bonorum: vt inde diſcant impij ad veram tandem accedere triſtitiam, pro Chriſto ſuſceptam ex laboribus patienter toleratis, tùm etiam vt poſthac non ignorent Dominum cõpenſaturum eſſe & cõmutaturum in vera gaudia labores pro eius nomine perpeſſos, vt ita niſi conuertantur, maius ſibi ſupplicium accreuiſſe intelligant. Vide Ferum ſu. Io. 16.

Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ita ferè natura comparatum videmus, vt poſt triſtia ſuccedant læta, & contra: vnde fit vt etiam lætiora nobis videantur, quæ poſt acerbiora cõtingant. Hinc ſcientiarum acquiſitio quæ gaudium quoddam continet, non paratur planè ſine maximo labore atque ſtudio. Sic agricola non colligit iucundiſſimos fructus, niſi prius ipſe diu multumq; ſudarit, atque labores varios obtriuerit. Sic vèr ipſum amœniſſimũ, antecedere ſolet rigida ac ſęua hyems: ſic ſæpè experientia ipſa videmus, vt quæ arbores fructus ferunt præſtantiores, in hyeme quaſſatæ magis fuerint frigore atque gelu. Nautæ præterea in dies experiuntur, quod quo magis intumuerit mare atque immite fuerit, eò poſtea tranquillius ſæpè ſuccedat atque eueniat. Quare non eſt quod animo cadamus in aduerſitatibus conſtituti, ſed potius animoſe atque viriliter perſiſtamus, expectantes diuina ſolatia, conſolationes atque gaudia. Vide D. Hiero. epiſt. ad Marcellam in exilium miſſam to. 4.

Plorabitis & flebitis vos. Quare non ſolum impij calamitates patiuntur, ſed etiam pij homines, & qui inſontes ſunt. Quod etiam Socrates ille olim viſus eſt ſignificaſſe, cui cum cicuta ad mortẽ propinaretur, eiusq; coniunx clamaret ne eam hauriret, dixiſſe fertur. Quid putabas tu, ſolos noxios fortunam aduerſam experiri? Quare ſi quando ſuſtineas calamitates & afflictiones, & tibi videaris extra noxam, debebis eas læto excipere vultu, & ſuſtinere propter Deum patienter, qui te ad maiora merita euehere vult. Hinc D. Iacobus inquit, omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis, &c. Vide Treiũ ſu. hunc loc.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Hic poterit quodammodo applicari quod dicitur, Iob 35. qui dat carmina in nocte: nam carmẽ in nocte eſt lætitia in tribulatione. Quare ſi nos affligunt & afficiunt triſtitia mala præſentia, proponamus nobis gaudium futurum poſt hæc mala: huc etiam ſpectat illud, Ro. 12. ſpe gaudentes, &c. Vide D. Greg. lib. 26. Mora. cap. 11.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Non ita voluptas & gaudium mundanum, ſed potius vertetur in triſtitiam. Vnde etiam philoſophi pleriq; nobis ſummopere corporis voluptatem diſſuaſerunt: nã Socrates dixit, fuge voluptatem quæ fert in poſterum damnum. Antiſthenes, mel ſummo digito, non caua manu guſtato, id eſt voluptates quam pariſſimè admitte. Demoſthenes, voluptatem nõ quamlibet, ſed honeſtati coniunctam eligere decet. Solon, voluptatem fuge, quæ in poſterum dolorem pariat.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Hinc quidem fit vt ex ea consideratione serui Dei in afflictionibus constituti, hilarem præferant vultum atque exhibeant. Vide D. Chrysost. hom. penul. to. 5. quæ incipit, laboriosum quidem agricolæ, &c.

De tristitia, eius causis, effectibus remediis, & aliis huiusmodi ad eam pertinentibus; Vide Vincen. Bellua. Specu. Mora. lib. 1. par. 1. dist. 19. vsque ad 23.

De Gaudio item, eius causis, effectibus, & aliis id genus, vide eund. spec. mor. lib. 1. p. 1. di. 15. vsq; ad 18. & spe. do. lib. 4. cap. 111.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Non dicit, non erit pressura, sed quoniam nō meminit pressuræ, quia etsi sancti recordentur miseriarū quas passi sunt, cū in illa beatitudine gloriæ erunt, non tamē aliquid miseriarum ex hoc in affectu experientur. D. Tho. super Ioan. 16. lect. 5.

Mulier cum parit, &c. Quemadmodùm mulieris iam parientis magnus quidem, sed breuis est dolor, quique mox conuertitur & in maximam lætitiam, & in solidam atque diuturnam: ita etiam Apostolorum animi grauissimo dolore ob Domini sui mortem detinendi erant, sed dolore breui, & qui & in summā, & in perpetuam mutandus esset lætitiam. Ob magnitudinem enim doloris in parturientibus, sæpissimè etiam prophetę vtūtur huiusmodi similitudine, vehemētem alicuius dolorem vel afflictionem significare volentes, vt cum dicitur. Ibi dolores vt parturientis. Et torsiones & dolores tenebunt eos, quasi parturiens dolebunt. Itidem aliis locis scripturæ. Breuitatem autem doloris in parturientibus indicat Dominus, cum dicit. Tristitiam habet, quoniā venit hora eius vt scilicet pariat. Similiter magnitudinem gaudij quod in eis succedat grauissimo dolori, indicat cum dicit. Iam non meminit pressuræ. Magnam enim oportet esse voluptatem, quæ tātum & tam recentem dolorem non solum mitiget & tollat, sed etiā subito eius tollat memoriam. Corneli. Ianse. sermo. de hac Domini.

Cum autem peperit iam nō meminit pressuræ propter gaudium. Agere poteris quomodo Deus post labores & pressuras immittere soleat solatia & gaudia, de quo argumento videbis Psalm. 3. 4. 9. 10. 11. 17. 27. vsque ad 33. & Psalmo. 43. 45. 65. 79. 84. 102. & 116.

Mulier cum parit tristitiam habet, &c. Spes quidem ipsius prolis maximum addit animum parturiēti mulieri, tanquā premium quoddam dolorum. Sic mercator per mare & terras maxima subit pericula & tempestates, vt tandem optato potiatur lucro. Sic agricola patienter suos sustinet labores, vt fructum tandem metat; mercenarius ipse item vt suam consequatur mercedem, & miles vt ex stipendiis atque spoliis ditior fiat. Quare nos excitemur iam, atque animum magis magisque recipiamus in laboribus & iniuriis propter Deum patiēter sustinēdis cum tantū nos maneat beatitudinis præmium si legitimè certauerimus. Vide Simonē Cassianum libro duodecimo capite 14.

Mulier cum parit, &c. Duo quidem ante oculos nobis proponere debemus, & mala quæ euasimus, & gratiam Dei quam consecuti sumus: mens etenim stulta cum malarum delectationum laborem non meminit, easdē iterare nō metuit, quemadmodum mulier cum angustia pariendi premitur, carnalem voluptatē abominatur, sed cum memoria doloris à mente recesserit, quia quātus admixtus sit ei dolor non recolit, carnis iterum illecebras concupiscit. Nam si bene memoriæ saperet dolor qui malam delectationem sequitur, nō tanta auiditate ad earum experiēti am raperetur. Ipsa quoque gratia accepta si fortiter menti inhæreret nos à cōditoris iniuria vel sola verecundia coercet. Hugo. de S. Victo. super hunc locum.

Mulier cum parit, &c, Vide D. Amb. in Psalm. 47. qui tibi nonnulla suppeditabit.

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis, iterū autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Christus quamuis statim non præstet remedium, tamen interim patientiam habe, quia veniens veniet, & non tardabit. Filiis quidem Israel in Ægypto promisit libertatem per manum Moysi, & tunc magis afflixit eos Pharao, & duplicauit laborem, sed tamē postmodum eos eripuit Deus. Sic Dauidem vnxit in regem Israel, sed prius quam regno potiretur, plures annos grauia incommoda perpessus est. Quare tu putare debebis quod si premeris laboribus & calamitatibus, te tamen Deus ex his eripiet, tum etiā quod regnum cælorum vim patiatur, & per multas tribulationes oporteat nos introire in regnum Dei. Filij certè Israel postquam exierunt de Ægypto, & transierunt mare rubrum, labores multos perpessi sunt, & plurima certamina subierunt, vt regnum tandem acquirerent: sic nos post peccatorum tenebras, post lauacrum baptismi, à potestate Pharaonis, hoc est diaboli educti, opus est vt militiam sub duce Christo vigilanter & patienter exerceamus, multis tentationibus premamur, vt tandem post hanc tristitiam & laborem gaudeat cor nostrum, & gaudium ipsum nemo tollat à nobis.

Et vos nunc quidem tristitiam habebitis. Si voles differre quod Deus suis immittere labores & calamitates soleat ad maius eorum meritum, impiis autem propter eorum peccata, & vt reducantur à via sua mala, nonnulla indicabo loca.

Quod ob nostra delicta sæpè nobis calamitates obtingant, Hiere. 6. E. propterea hæc dicit Dominus ego dabo &c.

Propter flagitia nostra nobis plerumque incommoda accidunt, Hiere. 19. A. inducam afflictionem.

Deus nobis afflictiones immittit ob nostra peccata, Hiere. 16. C. quæ iniquitas nostra?

Sæpè nos Deus in hac vita laboribus affligit & premit propter errata nostra, Hiere. 29. D. ecce ego mittam in eos gladium & famem.

Labores & miserias ob scelera nostra patimur, Threno. 1. B. facti sunt hostes eius in capite.

Calamitates nobis obueniunt propter flagitia nostra Bar. 2. B. quia locutus est Dominus &c.

Magna cæcitas nostra est quod non emendemur immissis nobis calamitatibus, Hiere. 5. A. percussisti eos nec doluerunt.

Mirum sanè est nos minus emēdari laboribus immissis, Osee 7. C. nec reuersi sunt.

Non conuerti ad Deum cum laboribus vrgemur indicium quoddā est magnæ miseriæ nostræ, Amos 4. B. & non rediſtis ad me.

Deus mittit tribulationes vt cōuertamur, Michææ 4, Dole & satage, &c.

Tribulationes atque labores veniunt etiam super Dei seruos, Iob. 16. B. aperuerunt super me ora sua.

Afflictiones mittuntur etiam bonis, Dan. 13. D. & venit cum parentibus & filiis, &c.

Labores & incommoditates interdum id commodi nobis adferunt, vt veros experiamur amicos Iob 19. C. dereliquerunt me propinqui mei.

Afflictiones & calamitates vtilissimæ sunt Pro. 3. B. disciplinam domini fili ne abiicias.

Quam sint vtilissimæ lachrymæ & labores Ecclesiastes 7. A. melius est ire in domum luctus &c.

Multum nobis prosunt tribulationes Sapien. 11. B. cum enim tentati sunt &c.

Bonis etiam afflictiones mittit Deus. 1. Reg. 30. A. & captiuas duxerant &c.

Calamitates & afflictiones quæ à Deo mittuntur, æquo animo sustineamus. Eccle. 2. A. omne quod tibi applicitum fuerit.

Labores nobis cum moderatione mittit Deus Sapien. 11. C. non enim impossibilis.

Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Siquidē non erit tale gaudium, qualia sunt mundana & caduca gaudia: de quorum instabilitate si agere voles, nōnulla subiiciam.

Mundi gaudium fallax est atque instabile Sopho. 2. D. hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia.

Falsæ securitati & gaudio nititur mundus Iere. 6. D. & curabant cōtritionem filię populi mei &c.

Falsa securitas & lætitia Iere. 14. B. prophetę dicunt eis non videbitis gladium.

Falsam atque inanem pollicetur mundus securitatem Iere. 23. D. nolite audire verba prophetarū qui decipiunt vos.

Dolosa securitas atque falsa Ezech. 13. B. pax pax, & non est pax.

Instabile est gaudium mundanum Dani. 13. C. ecce ostia pomarij clausa sunt,

Securitas ac cōfidentia vana Amos. 9. C. in gladio morientur &c.

A mundo securitas nō expectanda Mich. 6. D. tu seminabis & non metes &c.

Securitas ac confidentia noxia Iere. 5. C. negauerunt dominum.

Vana securitas atque fallax Michææ. 3. B. prædicant pacem.

Falsa securitas Iere. 8. D. & sanabant contritiones filiæ populi mei.

De huius mundi mutabilitate atque instabilitate ita inquit Seneca: in secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat, alternæ sunt vices rerū. Quid exultas? ista quibus veheris in summū, nescis vbi te relictura sint. Quid iaces? ad imū delatus es: nunc est resurgendi locus: in melius aduersa, in deterius optima flectuntur &c. Vide Senecam lib. 3. natura. Quæst. ad Luci. in præfa.

Nonnulli inquit idem Seneca, cum se in afflictiones & ærumnas coniectos vident, statim in illa erumpunt verba: nunquam hoc euenturum credidissem. Quare autem nō? Quæ sunt diuitiæ, quas non egestas, & fames, atque mēdicitas, à tergo sequantur? Quænam felicitas exactore vel periculo caret? Es ne tu Pompeio ditior, qui tamen fame & siti cōsumptus est? vide etiam quo prosperitas deuenerit Crœsi &c. Vide Senecam de tranquil. vitæ ad Sere. cap. 11.

Et Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Est quidem tam solidum & securum gaudium beatitudinis æternæ, vt nemo illud tollat atque adimat: tā certæ sunt ille diuitiæ & in tuto repositæ loco, vt nullos reformident latrocinantium ac deprædantiū clandestinos aut apertos incursus; non ita se habent diuitiæ istæ mundanæ, quæ sexcētis expositæ sunt periculis atque incursibus. Vide D. Chrys. ad popu. homi. 16. to. 5.

Dominica quarta post Pascha.

DIXIT Iesus discipulis suis, vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Ioan. 16. Significat dominus Iesus sic se iturum, vt nullus interrogaret, quod palam fieri visu corporis cernerent, nam superius interrogauerunt eum discipuli quo esset iturus, & respondérat eis se iturum quò ipsi tunc venire non possent. Nunc vero ita se promittit iturum, vt nullus eorū quo vadit interroget. Nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis, & euntem in cælum non verbis quæ fierunt, sed oculis deduxerunt. D. Augustin. in Ioan. tract. 94.

Vado ad eum qui misit me. Ire quidem nos debemus ad eum qui nos in hunc mundum misit, vt in mundo honestis actionibus atque virtutibus patriæ regressum à qua exulamus obtineremus. Nā hic certe à propria patria nostra quod est cælum, exilium patimur, veluti illi qui dicebāt, super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus &c. Quod cum sanctus ille rex sentiret, lachrymæ etiā panes ei erant die ac nocte. In hoc etiam exilio in tenebris versamur, quale igitur nobis esse hic pōt gaudium? quēadmodū dicebat sanctus ille Tobias angelo, quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo & lumen cæli nō video? Adde quod qui iter facit, in tristitia est & mærore, si ignoret deuius ne sit an vero rectam teneat viam: ita nos in mæstitia hic versamur, nescientes vtrum odio an amore digni simus. Qui vicini sui domum comburi videt, in mærore est atque timore, ita tu vanissimus plane es si viram tuā in voluptatibus & deliciis traducas, cū videas quotidie vicinos & amicos tuos mortem subire. Hinc enim Esa. dixit, ingemuerūt omnes, qui lætabantur corde. Et quemadmodum gaudiū illud vanum est & falsum, cæterum auium quæ intra rete aucupis granum comedunt, & piscium qui escam in hamo ipso appositam apprehendunt, cum tam propinquus sit eis mortis dolor: ita tu vanissimo efferris gaudio, si inter delicias huius seculi securum te putas. Sunt enim mundanæ voluptates & deliciæ, quæ plurimos in interitum præcipitent atque demergant. Vnde Esa. inquit, oua aspidum ruperunt: oua enim aspidum exterius alba sunt, oculisque grata, interius autem veneno plena: sic mundi deliciæ exteriorem partē pulchram suauemque præseferre videntur, atsi eas diligenter cōtemplare, fœditate & nigredine plenę sunt. Aspis est parvus serpens, veneno suo occidēs somniculosusque appellatus, eo quod somnum lethiferū percussis immittat, tales sunt mundanę voluptates nos ad interitū adducētes. Et vt populo Israel fructibus terrenis abundāti deficiens fuit manna ipsum, ita iis qui voluptatibus mundanis prępediti, supra modumque dediti sunt, negantur cęlestes cōsolationes atque diuinę. Cæterū soliti sunt caupones pretiosa offerre vina hospitibus, perdices, pauones, & alias huiusmodi cibi potusque delicias, quibus ignari decipiantur, & sese illis ex palati sententia exaturent: at vero tandem cum ad solutionem ipsam deuenīntur, caro admodum cum illis agitur atque rigide. Qui vero viatores cauti sunt, & pecuniæ suæ parcere volunt, prius de pretio ipso cibi paciscuntur, ne postea deceptos sese inuenirent atque falsos. Ad eundem modum mundus ipse proponit nobis varia delectationū genera & escarum, vt nos decipere possit, nisi prudētū viatorē imitemur. Cū ergo tibi proponet mulieris pulchritudinē carnisq;

delectationem,percontari debebis quanti eã vendat, quam cum videris vendi igni sempiterno,vtique eam fugere debebis atque repellere. Idẽ etiã præstabis cum tibi proponet sumendam esse vindictam de proximo repetendãque vicionem,vsurpãda aliena,atque alia huiusmodi. Cum etiam dignitatem aliquam & magistratũ tibi offeret, cautus quoque esse debebis percontator,inquirés sedulo quanti eam vendat:num pro aliis redditurus sis rationem? num melior cæteris esse tenearis:ne postea te circũuentum inuenias atque deceptum. Propones tibi etiam ante oculos illud Apoc. dictum, tempus breue est,qui gaudent,tanquam nõ gaudẽtes &c.Item memor eris gaudij sempiterni quo fruuntur in patria beati ipsi,qui gaudia mundana atque caduca cõtemserunt: nam certe propter ignorationem veri illius gaudij seu minimam eius negligentemque considerationem, fit vt plerique in cæcitate versentur voluptatum mũdanarum. Et quemadmodum cum generosus accipiter tecto capite atq; oculis circũfertur,segnis omnino est,nec vllius prędę capiẽdę desiderio cõcitatur,at cum capite oculisque retectis ardeam in sublimi volantę suspicit,protinus ardentissimo prædæ desiderio flagrãs,ipsa quibus detinẽtur vincula pene disrũpit,vixque venatoris manibus contineri potest:ita profecto cælestium gaudiorum & diuitiarum rudes atque ignari,ad ea minime aspirãt,quæ nũquam in cogitationem & memoriam reuocare volunt,qui vero hæc ipsa diuinarum scripturarum luce collustrati mẽtis oculis attingũt, vix dici potest quo mentis ardore ad ea rapiantur , quantoque studio cum Christo dicant, vado ad eum qui misit me.

Super illa verba,vado ad eum qui me misit,vide D.Thom.1.p.q.43.& q.112.ar.1.& 3.p.q.28. ar. 1.ad 3.& 39.art. 8.& 1.sen.dist. 15.per totam.& 3. sen.dist.25.q.1.art.2.ad 1.& contra gen. lib.4.cap. 8.& de poten.q.10.ar.4.ad 14.& super epist.ad Gal. 4.lect.1.

Vado ad eum qui misit me. Agere poteris hoc loco, de desiderio quod habere vehementer debemus eundi ad Deum , & videndi eum, quantum etiam Deo placeant qui tali desiderio flagrant. Apo.21. ego sitienti dabo &c.Matt.5.beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam &c.

Maximo quidem desiderio flagrabat D.ille August. eundi ad Deum, eumque videndi, lege Soliloquia cap.35.to.9.

Ostendere volens regius propheta quanto accẽderetur desiderio Deum videndi,dicebat. Quẽadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum,ita desiderat anima mea ad te Deus.Psal.41.super quẽ locum cõsule Cassiodo.& D. Ambro.li.3.Hexam. cap.9.& lib.6.cap.4.

Si tãtopere miserrima hæc vita à plerisq; amatur, quæ tantis laboribus & calamitatibus confertissima est,quanto magis votis omnibus expetẽda est atque à nobis diligenda,sempiterna illa vita & beata:vide D. Augustin. de tẽpo.sermo.113.to.10.

Multa leges exquisita quibus affectũ accẽdere & inflammare possis ad supernam patriam expetendam,apud eundem lib.de spec.cap.30.to.9.

Multa de cælesti beatitudine,quibus homines ad eam desiderandam ac comparandam incitare possis, inuenies apud eundem lib. de vanita.secu. cap.2.to.9.Cõsule etiã eundem in Psalm.126.to.8.

In tãtam deuenimus propter scelera nostra miseriam, vt vix conatum vllum adhibeamus ad cælestem beatitudinem & patriam comparandã,vide D.Grego.in Euange.ho.36.

De variis hominum institutis & studiis,scilicet quod alij inhient auro , alij ambiant honores, & pauci conentur præclaris & studiosis actionibus ad cæleste peruenire regnum vide D.August.Psal. 62.to.8.

Qui rerum cælestium curam ac solicitudinem vigilantẽ gerit,caducas & mundanas despicit atq; cõtemnit,vide D.Grego.lib.10.epist.ex Regis.cap. 7.indict.5.

Non teneri nos vehementi quodã atque ardẽtissimo rerum cælestium desiderio ex eo nascitur, quod rebus mundanis atque caducis nimium demergamur,vide D.Augustin quæst. ex nouo testa. ¶.19.to.4.

Cælestia quidem minus vehementer amamus, quandoquidem recusamus patienter eos labores sustinere qui nos ad ea quehunt atque extollũt,vide D.Chrysosto.ad popu.ho.64.to.5.

Quanto discrimine distent deliciæ & voluptates mũdanæ, à sempiterno illo gaudio atque felicitate,vide D. August. lib.19.de ciui.Dei cap.20. tomo.5.& in ora.contra Iudeos paga.& Arria.cap. 20.& 21.to.6.

Quod plerique longe magis mundum amẽt & diligant , quam cælestia bona ac perpetuo duratura, vide D. Bernar. sermo.1. ad fratres de altitudine cordis.

Sicut qui à patria propria exulant,vix vnquam delectari possunt in aliena regione, sed semper in tristitia quadã positi esse videntur,ita profecto nos positi in hoc mũdo, & à patria nostra cælesti exulantes,non lętitiam mundanam sentire,sed perpetuo æternam felicitatem sitire ac desiderare debemus. Vide D. Chrysosto. homil. in Psalm. 119. to. 1.

Si quãdo profectionem nostram & iter ad patrem impedire videbuntur res mundanæ suis blãditiis atque titillationibus,quę delectationẽ quãdam præseferre videntur,debebimus quidem potius vtilitati nostræ consultum cupientes,eas penitus statim abiicere atq; spernere,ne nobis cælestia bona intercludãt atque adimant. Vide Theophylac.super Ioan.16.

Vado ad eum qui misit me. Quorsum quæso sapiẽtia patris, cum ad mortem tam ignominiosam tendas, ac proficiscare, dicis te proficisci ad eum qui te misit,quod honorificum est,plenumque dignitatis atq; gloriæ? Verũ ideo quidem dicit, quia tã certa eos manet gloria ac felicitas, qui propter Dei amorem labores etiamnasque patiũtur,vt sibi polliceri possint se ad patrem tendere, quãuis videantur tormenta ignominiosa sustinere. Vnde 2. Ti.4.bonum certamẽ certaui &c. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ &c.

Vado ad eum qui misit me. Sẽper quidã Dei seruus se viatorẽ existimare debet qui ad patrem vadat, siquidẽ labores ipsi quos subit , calamitates quas sustinet,virtutes quas exercet, sunt via quædã per quam ad patrẽ proficiscitur atque pergit:vnde & à se vanas & fallaces delectationes,quę eius iter retardare possunt, quam longissime profugere debet atque propellere.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implenit cor vestrum. Cum nondum consolationem spiritus intus habeatis, qua melius me intus visuri estis, doletis me corporalibus oculis subtrahi. Glos.interline.super Ioan.16.

Quod immoderata & incõsiderata tristia perniciosa sit, & quæ in desperationem & laqueum frequenter inducat , & quo pacto sit euitanda, consule Lau. Iusti.libro de disci.& perfec. mona.

conuersa.cap.16.vide 1.Mach.6.A.& factum est vt audiuit rex &c.

De tristitia,eius causis,effectibus,& remediis, vide Vincen.Bell.spec. mora.lib. 1. par. 1. dist.19. 20.& 21.

De tristitia consule eundem specu. doct.lib. 4. cap.138.& 139.

Tristitiam immoderatam & noxiã , etiam philosophus ille Socrates olim reprehendit, dicens: noli cõsumere & denigrare animum tristitia, quæ multos sæpe perdere solet.

Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis vt ego vadam. Tãquam diceret,expedit vobis vt hæc forma serui auferatur à vobis , caro quidem factum verbũ habito in vobis , sed nolo me carnaliter adhuc diligatis , & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis , expedit vobis vt ego vadam:si enim non abiero,paracletus nõ veniet ad vos.Si alimẽta tenera quibus vos alui,nõ subtraxero , solidum cibum non esurietis : si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis.D.August. super Ioan. tracta.94.to.9.

Expedit vobis vt ego vadam &c. Vt spiritualiter iã me noscatis, & carnaliter iam me nosse desistatis, ne verbo carne facto,quasi lacte cõtenti sitis.Glo. interli.super Ioan.16.

Expedit vobis vt ego vadam. Debemus nos quidẽ Christum ducem nostrum sequi abeuntem ad patrem, & transeuntem per passionem ipsam : nam certe turpe est quod videas ducem tuum mæstum & pallidum , tu vero in deliciis vitas , voluptatibusq; & vitiis indulgeas. Debes ergo potius imitari fidelem illum militem Vriã,qui noluit se recipere in domum suam : vt ibi quieti & somno per noctis spatium indulgeret,sed potius dixit:dominus meus Ioab manet super faciem terræ , & ego ingrediar domum meam vt comedã & bibam? Si enim dominum tuum & ducem tuũ vides in prælio pugnantem, & super crucem dormientẽ,quomodo nõ erubescis in deliciis & voluptatibus viuere?signũ est te non militare sub eius vexillo,nec ex eius militibus esse, atque ita neque stipendium gloriæ referes,nec gloriosa corona quæ donatur veris militibus,tibi dabitur.

Ego veritatem dico vobis. De veritate consule Vin. Bel.spe.mora.lib.1.p.3.dist.76. & spe. doct. lib. 4. cap.60.& lib.5.cap.61.& 62.

Expedit vobis vt ego vadam. Nobis quidẽ voluptates ipsæ ac deliciæ mundanæ quotidie dicũt,expedit vobis vt ego vadam, & tamen perpetuo obsurdescimus,neque eas à nobis abiicimus:de quibus quantum officiant,si plura videre voles , consule D.Chrysosto.in ho.quę inscribitur,Quod nemo lædituri nisi à se ipso to. 5. Qui etiam lib.2.de compũctio.cordis,miratur qui fieri possit vt inter tot delicias voluptatesque humanas,locus aliquis cõcedatur cordis cõpunctioni, & contemplationi rerum sublimium ac diuinarum , quandoquidem tanto illæ sunt nobis obstaculo & impedimento. Et quemadmodum inquit fieri nõ potest, vt ignis ipse suscitetur & accendatur in aqua positus,ita etiam vix potest diuinarum rerum amor in nobis suscitari in tantis deliciis,& lasciuia rerum mundanarum: vnde necessum est vt horum alterũ abscedat & euanescat,quo alteri possit esse locus:recedere debet omnis lasciuia,petulantia,& dissolutio , vt locus concedatur deuotioni,compunctioni,& pœnitentiæ.Siquidem illa superiora fuerunt in causa vt Salomon ille tãtopere Deum offenderet,vt inquit D.Hiero.ad Eustochium.qui etiã lib. 3.in Oseam inquit , quod vita lasciuia luxuriaque diffluens,atque corporeis immersa voluptatibus, homines ipsos brutis reddat quã similimos, tantum abest vt per eam iter sit ad Deũ ipsum. Quod si nonnulli olim philosophi vt magis philosophię vacarent,se voluptatibus abdicabant, loca solitaria quærebant,fugiebantque ab amænis,frequentatis,& deliciis affluentibus, quales fuerunt,Pythagoras , Diogenes, Plato,Crates Thebanus,qui aurum etiam quod possidebat à se abiecit in mare,nonnulli item oculis se priuarunt,vt cõmodius sibi viderentur scientiis vacare:an non voluptates nos ipsas quibus àDeo auocamur,repellere multo magis atq; reiicere debemus? Si caro nostra ac sensualitas ipsa quamuis eam abstinentia ieiunioque maceremus,nihilominus tamẽ semper contra nos insurgit atque depugnat, quid faciet si voluptatibus & deliciis corporeis indulseris , atque totum permiseris? vide etiam D. Hiero. lib. 2. aduersus Iouinia. to.2. Quare quam longissime propellere debes à te huiusce modi illecebras & vitiorum escas, in quibus nihil solidum , nihil firmum & stabile reperitur , vt tandem ad patrem tuum rectum possis contendere iter. Siquidem si res corporeę corruptibiles quod in se contrarietatem quandam contineant, non habent perpetuitatem ac permanentiam,quid dicendum erit deipsis voluptatibus quæ maximam continent contrarietatem,quæ secum inuicem pugnant,quæ modo hæc modo illa pro ratione inordinati palati maxime inter se dissidentia petunt,atque efflagitant:an nõ inconstantissimæ erunt , variabiles, & mobiliores quouis vẽtorum indice,& quacumque re vel maxime leuissima?Cæterum & concupiscentia atque cupiditas honoris mũdani & ambitionis,quæ nos ad mala multa perrahere etiam solet,expedit maxime vt à nobis vadat atque recedat. Hæc enim ambitio hominẽ eo sæpe extollit altius atque euehit, vt inde pernicioſius & ignominioſius eũdem præcipitet atque deturbet , ceu aquila quæ prædã suam altius secum attollit, vt eam inde maiori casu deiicere possit atque percellere.Vide enim qua ratione eucxerit ambitio Romanum illum Camillum ad imperatoriam dignitatem , quem tamen quinto fere die ij quorum aura & subsidio euectus fuerat, miserabiliter & ignominiose interemerũt, vt refert Paulus Orosius , & Suetonius Tranquil. Vide etiam quã citissime euanuerit ambitio illa & fastus Alexãdri Magni,qui totum sibi orbem ambiebat & affectabat.

Sed ego veritatem dico vobis. Vide quam moderate loquatur & quam simplici affirmatione,vt inde discamus nos in nostris locutionibus etiam cum moderatione nos gerere, neque statim,quod plerique faciunt , quo iure qua ve iniuria iuramento omnia firmare.Quod vitium philosophi nonnulli visi sunt detestari : nam Periander dixit, ab inconsiderato & præcipiti iureiurando te abstineto. Sosiades , iusiurandum vanum fuge quantum potes.Socrates, pecunia corruptus noli numẽ iurare diuinum,ne forte periurus,aut auarus habearis.Epictetus,iusiurandum iniquum velis reniisq; fugito.Phocylides ne peierato vnquam.

Si enim non abiero , paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero , mittam eum ad vos. Ex superioribus Christi verbis tria nobis moraliter discenda. Primum anxietatem & tristitiã *cordis* impedire frequentissime ne quæramus ea discere,quæ scire saluti nostrę expediat,atq; ob id pulso procul huiusmodi mærore,gnauiter inquirendum in scripturis quo dominus abierit , & qua ratione illum eo sequi possimus. Tristitiã inquit sapiẽs,longe expelle

à te, multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Secundo discendum, nos nobis ipsis & proximis quos diligimus non ea debere præstare quæ sunt suauia & humanæ grata voluntati, sed ea potius quę sunt saluti magis conducibilia, quemadmodum Christus non tacuit suis de suo abitu, quamuis hinc scirer illos contristandos, nec suam illis præsentiam corporalem etsi summe ab eis cupitam, concessit, quod illis non expediret. Postremo discendum, spiritus non esse capaces, qui adhuc carnalibus & terrenis rebus mẽte inhęrent. Si enim Apostolis obstitit carnalis Christi præsentia, quo minus spiritum possent accipere, cum illum tamen spirituali prosequerẽtur amore, quanto magis non possunt accipere spiritum, qui adhuc carnalia sapiunt, & toti illis inhærent, aut qui carnali adhuc cognationum affectu detinentur? Vnde Paulus, nos inquit ex hoc neminem nouimus secũdum carnem. Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Corne. Ianse. sermo. de hac domi.

In Canti. dicit sponsa, in lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: in lectulo quippe & per noctem dilectus quæritur, quia nimirum inuisibilis conditoris species, repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis innenitur. Vnde & eisdem dilectoribus suis veritas dicit, Regnum Dei intra vos est. Et rursum, si ego nõ abiero, paracletus non veniet. Ac si aperte diceret: si ab intentionis vestrę oculis corpus nõ subtraho, ad intellectum vos inuisibilem per consolatorem spiritum non perduco. Hinc de iustis per Psalmistã dicitur, exultabunt sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus suis, quia scilicet cum mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mẽtium secreta gloriantur. Sed tunc lætitia cordium perfecta erit, cũ carnis ab exterioribus pugna non fuerit &c. D. Grego. lib. 8. Mora. cap. 17.

Si abiero mittam eum ad vos. Sed nunquid nõ potuisset Christus dare spiritum viuens in carne? Dicendum quod sic: quia etiam super eum baptizatum Spiritus Sanctus in specie colũbæ descendit, & nunquam ab eo recessit, quem ab instanti suæ conceptionis recepit non ad mẽsuram. Sed noluit eum dare discipulis existens cum eis, quadruplici ratione. Primo propter eorum indispositionem: nam spiritui sancto cum sit amor spiritualis contrariatur amor carnalis. Discipuli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatem, nec dum eleuati erãt spirituali amore ad eius diuinitatem, & ideo nondum capaces erant spiritus sancti 2. Cori. 5. ex hoc iam neminem secundũ carnem noscimus, id est secũdum carnis affectum, & si cognouimus secundum carnem Christum, scilicet ante passionem, sed nunc iam nõ nouimus. Secundo propter diuini auxilij cõditionem, quod maxime adest in necessitatibus. Psalm. 9. adiutor in opportunitatibus. Et iterum, quoniã pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Quandiu autem Christus erat cum eis, sufficiens adiutorium erat cum eis, sed eo recedente, multis tribulationibus exponebantur, & ideo datus est eis statim alius consolator & adiutor. Vnde signanter dicit, & alium paracletũ dabit vobis. Isa. 28. Quem docebit scientiam? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Tertio ex dignitatis Christi consideratione, nam vt Augustinus ait, Christus inquantum homo non habet quod det spiritum sanctum, sed in quantum Deus. Quando autem cum discipulis erat, videbatur esse quasi homo vnus ex eis. Ne ergo videretur quod homo esset qui daret spiritum sanctum, ideo ipsum ante ascensionem suam non dedit. Supra 7. cap. nondum erat spiritus datus, quia nondum &c. Sap. 9. emitte illã à sede magnitudinis tuæ. Quarto propter vnitatem Ecclesiæ conseruandam, nam vt supra habetur, Ioannes signum fecit nullum, quod ideo fuit, ne populus diuideretur à Christo, & vt euidentior appareret eminentia ad Ioannem. Discipuli autẽ ipso spiritu replendi erant, vt etiã opera maiora facerent quã Christus fecit. Supra 14. & maiora horum faciet. Et ideo si ante passionem eis fuisset datus, potuisset verti in dubium apud populum, quis esset Christus & sic fuisset in eo diuisio. Psal. 67. ascẽdens in altum, dedit dona hominibus &c. D. Thom. super Ioan. 16. lect. 2.

Si non abiero paracletus non veniet ad vos. Grande mysterium fratres. Quid sibi vult si non abiero paracletus non veniet ad vos? Ita ne inuisa paracleto præsentia Christi, aut contubernium dominicæ carnis spiritus sanctus horrebat, quæ sicut angelo præuntiante cognouimus, nec concipi quidem nisi eo superueniente potuerit? Quid est ergo nisi ego abiero, paracletus non veniet? Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudine occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videtur fratres? Si hæc ita sunt, imo quia ita sunt, audeat quis de cætero phantasticis quibusdã illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis vtique peccatricis, genitæ in peccatis, assuetę peccatis, in qua denique bonum nõ est, illum pariter expectare paracletum? Audeat inquã qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fouet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, torrẽtem voluptatis illum, illã sperare gratiam spiritus vehementis, quam vt veritas ipsa testatur, nec cum ipsa quidem verbi carne percipere vllatenus Apostoli potuerunt? Errat omnino, si quis cælestem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur. D. Bernar. sermo. 6. in Ascensi. domini.

Super illa verba, si enim non abiero paracletus non veniet ad vos, consule D. Thom. 3. p. q. 57. ar. 6 & 3. sen. dist. 22. q. 3. ar. 1.

Super illa verba, si autem abiero mittam eũ ad vos, consule eundem 1. par. q. 43. art. 8. per totum.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Potest quidem ita hoc ordinari, vt dicamus: arguet mundum de peccato admisso, & de iustitia spreta vel neglecta, & de iudicio ité spreto vel neglecto. Aut quod eodem redit, arguet & corripiet mundum ratione peccati, & ratione iustitiæ, & iudicij, quod scilicet peccatum admiserint, iustitiam vero & iudicium non sint amplexati. Ité paracletus per vos arguet id est reprehendet, vel potius certis argumentis conuincet mundum de peccato, & de iustitia quæ peccato opponitur, & per oppositionem manifestat illud: & de iudicio quod effectus est iustitiæ, & per effectum illam manifestat. Arguit autem mundum spiritus de illis tribus, partim per Apostolorum, aliorumque doctorum prædicationem, ad quam eos accendit, potenti quadam energia auditorum mentes per eos perstringens, partim per suã in hominibus efficacẽ operationẽ. Per hoc enim quod spiritus post Christi ascẽsionem fidelibus tã mirabiliter & efficaciter datus est, quodq; per eũ fideles tã mirabilia sunt operati, morbos, dæmonesq; pellentes, ac totum mundũ à paterna religione ad Chri

Christi fidem traheates, declaratũ est mundo ipsa re & peccatum non credentium in Christum, & iustitiam Christi, & iudicium condemnatioque diaboli. Corneli. Ianse. serm. de hac domi.

Arguet mundum. Qui inuisibiliter penetrans corda vestra, diffundet in eis charitatem, qua timore depulso arguendi habebitis potestatem. Quandiu enim discipuli carnaliter ad Christum afficiebantur, Spiritus sanctus non erat in eis vt dictum est, eo modo quo postea fuit. Et ideo non erant ita audaces, sicut post eius aduentũ fuerunt. D. Tho. super Ioan. 16. lect. 3.

Arguet mundum. Noli fidere mundo, hic enim tanquam alter Ioab, qui sub osculo prodidit & interfecit Amasam, te etiam osculo & blanditiis suis prodet atque interficiet. Hic tibi adulatur, veluti prophetę illi adulabantur regi Achab, promittentes ei victoriam, qui tamen mentiti fuerunt. Hunc falsum testem adducit Iezabel, id est caro ipsa, vt interficiat spiritum. Confidit Sisara Iaheli, & ideo misere interfectus fuit. Propheta ille qui venit à Iuda, quia credidit falléti prophetæ, laniatus fuit à leone. Vide quod omnia mundi blandimenta sunt in tuam perniciem, & quod sub virenti herba coluber est absconditus. Mulier quidem illa quam Apocalypsis refert, vase quodam aureo propinabat venenum. ô quot quantosque venenum prætigiorum mũdi interfecit, & quam multi bibunt mortem in honorum, diuitiarum, atque voluptatum vasis! Ecclesiasticus enim ait, multos destruxit iniqua promissio eius. Septem quidem annos seruierat Iacob ipsi Laban, vt pulchram ac formosam Rachel vxorẽ duceret, at derisor socer dedit ei Liam, quę lippos habebat oculos: talis est mundus, qui aliud promittit, aliud vero dat. Hinc Deus dixit, populo meus, qui te beatum dicũt, ipsi te decipiunt. Hanc fallaciam multi non agnoscunt quousque clarum mane aduenerit, alij vero etiamsi agnoscant, nihilominus gaudent in ea vigere, sicut Balaam qui apertis oculis offendebat.

Mundus fallax est atque mutabilis, vnde nõ est quod ipsi fidamus. Esa. 14. B. & erit in die illa &c.

Mundus vanitatibus ac dolis plenus est Osee 12. A. Ephraim pascit ventum &c.

Mundus fallax est atque impostor Iudicum 4. D. aperuit vtrem lactis.

Cæcitas quidem est diligere mundum, eique inhærere Iere. 2. D. quid tibi cum via Assyriorum? &c.

Malis mundus abundat Hiere. 9. A. quis dabit me in solitudine &c.

Malitia plenus est mundus Hiere. 12. A. vsquequo lugebit terra &c.

Nequitia plenus est mũdus Hiere. 23. B. factus sum quasi vir ebrius &c.

Mundus dissolutus est ac perditus Osee. 4. A. non est veritas, non est misericordia.

Totus mundus in ruina est Amos 3. C. & nescierunt facere rectum.

Dolis plena omnia in mundo Abdiæ 1. C. qui comedunt, ponent insidias.

Mundus confusione abundat & perturbatione Ecclesiastes 4. A. & laudaui magis mortuos.

Mũdus in occasu versatur 1. Cor. 10. C. in quos fines seculorum deuenerunt. 2. Timo. 3. A. in nouissimis diebus 1. Ioann. 2. C. filioli nouissima hora est.

In prauitate versatur mundus atque errore 2. Timo. 4. A. B. erit enim tempus.

Perditus mundus & errabundus. Psal. 13. & 52. omnes declinauerunt &c.

Arguet mundũ de iustitia & de iudicio. Si voles hoc loco differere quomodo Deus tractare soleat eos qui iniuste agunt, & reddere eis vicem pro sceleribus eorum, nonnulla indicabo loca.

Superbus ille Aman qui iniuste supplicium paraucrat Mardochæo, eodem ipso punitus fuit. Esther 7.

Duo illi senes qui inique innoxiam Susannam interimere voluerunt, ipsi interempti sunt Danie. 13.

Viri illi qui Danielem intruserãt in lacum, iusto iudicio ipsi intrusi fuerunt in eundem, & deuorati. Danie. 14.

Iason qui interfectus multos insepultosque abiecerat, ipse etiam illamẽtatus & insepultus abiicitur 2. Mach. 5.

Antiochus ille sceleratissimus homicida atque blasphemus, fœdissimo morbo consumptus fuit. 2. Macha. 9.

Hostes illi Iudæorum iure optimo de iniustitia arguti sunt, quandoquidem eo tempore interfecti faerunt, quo ipsi Iudęos occidere decreuerãt Esther 9.

Iuste fuit iudicatus Agagr qui absque liberis fecerat mattes, etenim similiter sine liberis inter mulieres fuit mater eius 1. Regum 15.

Iuste iudicatus fuit Adonibezec, cui & amputatæ sunt manuum summitates sicut ipse 70. regibus amputauerat Iudicum 1.

Iustissime etiã iudicatus fuit seruus ille nequã, qui misereri noluit conserui sui Mat. 18.

Et cum venerit ille arguet &c. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod dissimulat, de iustitia, quam non ordinat, dum sibi, non Deo, eam dat: de iudicio, quod vsurpat, dum tam de se quam de aliis temere iudicat. Vide D. Bernar. in suis paruis sermo. sermo. 21.

Arguet mundum. Arguet quidem de obstinatione atque pertinacia in vitiis, proponens ante oculos pœnitentiam illam Niniuitarum in prędicatione Ionæ. Arguet etiam de negligentia, quod veri Salomonis Christi sapientiam negligat, eiusque mãdata, & consilia contemnat, proposita ante oculos regina Sabba, quæ à disiunctissimis regionibus ac cessit, auditura sapientiam Salomonis &c. Vide Haymo. super hunc locum.

Super illa verba, arguet mundum de peccato, consule D. Tho. 3. par. quæsti. 59. ar. 1.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me. Credãt itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur. Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitia eorum, quos iustificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium, ne cũ mũdi principe damnentur, quem iudicatum imitantur. D. August. super Ioannem tracta. 95. to. 9.

De peccato quidem quia non crediderunt in me. Vide Sixtum Senen. Biblio. sanct. lib. 6. annota. 212.

De iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Hoc est, quia irreprehẽsibiliter vixi, cuius signum est quod vado ad patrem. Nam cum Iudæi frequẽter Christum accusarent quod à Deo non esset, & propterea peccatorem & legis transgressorem dicerent, hinc omnis calumnia amouebitur. D. Chrysosto. super Ioannem homi. 77. to. 3.

De iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est. Iterum hoc in loco de iustitia verba facit, quia aduersarium superauit. Neque enim peccatori possibile esset, quod nemo iustorum homi-

num valuit:quod autem propter me iudicatus est, scient,quia eum in posterũ pessundabũt, & resurrectionem meam manifeste videbunt,quod iudicantis eum est,neque enim valuit me superare.Nã cum dicant quod dæmonium habeo,quod deceptor sum,omnia hæc falsa deprehẽdentur.Nó enim illum vicissem,si peccato essem obnoxius;nunc & iudicatus est,& electus D. Chrysosto. super Ioannem homi.77.to.3.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Consule D. Tho. 1. 2. quæst.106.ar.4.& 22.quæst. 176. artic. 1.& quoli. 9.arti.16.

Non enim loquetur à semetipso. sed quæcunque audiet loquetur.& quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Consule D.Tho.1.par.quæst.42.arti.6. ad 1.& cõtra gen. lib.4.cap.8.

Ille me clarificabit,quia de meo accipiet,& annuntiabit vobis. De Epist.& Euang.duas habet concio. D. Anto initio 1.par.Theolo.

Tres etiam habet conciones D. Tho. prope finem to.16.

Dominica quinta post Pascha.

Dixit Iesus discipulis suis, amen, amen dico vobis, siquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioannis decimo sexto. Si omne quod petimus in nomine filij dat nobis pater quid ergo est quod Paulus Apostolus ter dominum rogauit, & exaudiri non meruit,sed dictum est illi, sufficit tibi gratia mea, nã virtus in infirmitate perficitur? nũquid ille tã egregius prædicator,in filij nomine non petiit? Quare autem nõ accepit quod petit? Quomodo ergo verum est,quia quicquid petierimus patrẽ in nomine filij,dat nobis pater: si auferri à se angelum Satanę petiit Apostolus in nomine filij,& tamẽ quod petiit non accepit? Sed quia nomen filij Iesus est, Iesus autẽ Saluator vel etiam salutaris dicitur: ille ergo in nomine saluatoris petit, qui illud petit quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit petitur,nõ in nomine Iesu petitur pater.Vnde & eisdem Apostolis adhuc infirmãtibus, dominus dicit, vsque modo nõ petistis quicquam in nomine meo. Acsi aperte diceretur, non petistis in nomine saluatoris, qui nescitis quærere æternã salutem.Hinc est quod & Paulus non exauditur,quia si liberaretur à tentatione, ei non prodesset ad salutem.Ecce vidimus fratres charissimi, quam multi ad solennitatem martyris conuenistis, genua flectitis, pectus tunditis,voces orationis ac confessionis emittitis, faciem lachrymis rigatis.Sed pensate quæso petitiones vestras: videte si in nomine Iesu petitis,hoc est si gaudia salutis æternæ postulatis.In domo enim Iesu, Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis.Ecce alius in oratione quærit vxorem,alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentũ. Et quidem cũ hæc desunt,ab omnipotẽte Deo petenda sunt.Sed meminisse continuo debemus, quod ex mandato eiusdem nostri redemptoris accepimus. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius,& hęc omnia adiicientur vobis.Et hæc itaque à Iesu petere, non est errare,si tamen non nimie petantur. Sed adhuc,quod est grauius,alius postulat mortẽ inimici, eumque quem gladio non potest persequi, persequitur oratione.Et viuit adhuc qui maledicitur,& tamen is qui maledicit, iam de morte illius reus tenetur.Iubet autem Deus vt diligatur inimicus,& tamen rogatur Deus vt occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus cõtra conditorẽ pugnat.Vnde & sub Iudæ specie dicitur,fiat oratio eius in peccatum,oratio autem in peccatum est,illa petere quę prohibet ipse qui petitur.Hinc veritas dicit,cum statis ad orãdum, remittite si quid habetis in cordibus vestris.D.Gregorius in Euange.homi.27.

Siquid petieritis patrem. Quod scire à Deo petere que nobis expediant,eximiũ quidpiam sit, quodque interdum id ignorasse visi sint plerique sancti viri,vt constat.2.Cor.12.& propterea eorum petitiones exauditæ non fuerint,vide D.Chrysosto.in Epistol.ad Rom.8.to.4.

Quod nonnulli à Deo petere soleant gaudium atque lætitiam in hac vita,non attendentes quod mũdana gaudia vicina sint maximis lamẽtis, Vide D.Grego.in Euange.homi.11.

Petere res huius seculi est veluti nihil petere,& præsertim si cum cælestibus conferantur, vide D. Hierony. in quadam Apolo. contra Iouin. to.2.

Super illa verba, siquid petieritis patrẽ in nomine meo,vide D.Tho.2.2.quæstio.83.arti.7.ad 2. & arti.15.ad 2.& artic. 16. in cor. & 4.sen. dist.15. quæst.4.arti.7.quæstiun.3.per totam.& cõtra gen. lib. 3. cap. 96. & opus. 7. initio & su. Ioann. 14. lect.4.

Siquid petieritis patrem in nomine meo. Si voles hoc loco varia ad orationẽ spectantia paulo fusius persequi,nonnulla insinuabo loca.

Vide quam multis profuerit oratio Moysi Nume.12.& 21.

Attende quãtam haberet vim oratio illa Moysi quam apud se fundebat Exo.14.

Perseuerare quidẽ debemus in oratione,quãuis minus statim exaudiamur, vel exemplo Eliæ cum aquam petebat pro populo 3.Reg.18.

Aduerte quantum valeat oratio populi vnaniter congregati 2.Machabæorum 3.& 15.

Magdalena in sua cõuersione non legitur orasse vocaliter,sed creditur orasse mentaliter Luc 7.

Vide quãtum obtinuerit Petrus per orationem Acto.10.

Iacob vt deuote orationi vacare posset,se separauerat à familia sua Gen.32.

Dauid sentiẽs magnum esse orationis refugiũ, ad orationem confugit 2.Reg.12.

Propter orationẽ Mosi absorptus est ignis qui deuorabat castra murmurantium Nume.11.

Vide quam multa obtineret Abraham à Deo media oratione & deprecatione Genes.18.

Daniel adeo deditus erat orationi,vt ab ea non desisteret etiam propter edictum regis Danie.6.

Commendatur nobis à Christo domino instãtia & perseuerantia in orando, exemplis illis propositis de muliere iudicem adeunte, & de eo qui ab amico tres panes commodato petebat Luc.18.& 11.

Quod non semper permissio nostræ petitionis sit signum diuinæ in nos dilectionis constare videtur ex Nume. 11. cum populus petiit carnes,tũ in eo quod permiserit Deus regem ad petitionem populi 1.Reg.8.

Consule denique cõcordantias in dictionibus orare,orãs,oratio,obsecrare,obsecratio, petere,petens,petitio,postulare,postulãs, deprecari, deprecans,deprecatio,vbi multa inuenies.

Amen amen dico vobis. Si libuerit fortasse hoc loco,aliqua tractare ad iureiurandum seu iuramentum

tum spectantia, consules Vincen. Belluacen. Specu .Mora. lib. 1. par.3.dist.68.

De iuramentis atq; periuriis vide eundem Speculum Doctrina. lib.9. cap.97. vsque ad 114.

De iureiurandis etiam temerariis consule D Ambro. lib.3. Offici. cap. 12.

Lege D. August. de verbis Aposto. ante omnia nolite iurare, sermo 30.to.10.

De hac etiam materia consule D. Thom. 2.2.q. 89.

Quam sint peierationi vicini nonnulli valde assueti in iurando, vide D. Grego.lib. 5. in 1.Reg. cap. 14.

Lege etiam D. August.scribentem Hilario,contra Pelagianos & Manichæos epist. 89.to.2. & lib. de sermo. domini in monte capit. 30. to. 4. & lib. 19. contra Faustum cap. 25. to.6.

Vide D. Hierony. in Zacha.lib.2.cap.8.to.2.

Consule Chrysostomum ad populum homi. 14. to.5.

Lege Innocen. 3.Constitu.lib.2.constitu.81.

Tum præterea D. Cyrillum super Ioan. lib.9. cap. 6.

De quodam refert Basilius homi. 24. de legendis lib. genti.to. 1. quod maluerit amittere bona sua, quam exponere fortasse animam suam alicui periculo peierationis.

Si quid petieritis &c. Semper in necessitatibus nostris & pressuris statim ad Deum confugere debemus, si quidem adeo eius ope indigemus, vt nec cogitare quidem præclare,ne dum agere & operari sine eo possimus de quo vide in Conci, Chartagi. epist. quandam Innocen. patum etiam vide Conci. Mileuita. ca.3.& in Conci.Aurausica ca.9. dicitur, diuini est muneris cũ recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus:quoties enim bona agimus Deus in nobis atque nobiscum vt operemur operatur. & ca.10.dicitur, auditorium Dei etiam renatis & sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire; vel in bono possint opere perduci. & ca. 19. habetur natura humana etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret, vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

Si quid petieritis. Si velis etiam hoc loco agere de deuotione, quæ comes est petitionis seu orationis consule Vincen. Belluacen.Specu. Mora. li. 3. par.6. dist.13.

Si quid petieritis. Etiam Philosophi ipsi ad supplici ter implorandum diuinum numen, nos visi sunt adhortari: nam Socrates dixit,cum in ærumna es,supplex ad Deum confugito. Epictetus, humiles preces in excelsa porrigito, cum in laboribus versaris.

Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo:petite,& accipietis,gaudium vestrum sit plenum. Hic orandi modus priscis omnino fuit ignotus, constituitur autem modo à Christo,quando emendationis tempora effluxerunt, & omne nobis bonum per ipsum absolute concessum est. Nam sicut nil à lege consummatum fuit, sicut iustitia eius imperfecta, sic & orandi modus mancus in ea inueniebatur. D. Cyril. super Ioannem lib.11.cap.7.

Hoc quod dicit, gaudium plenum, profecto non carnale, sed spiritale gaudium, est, & quando tantũ erit,vt aliquid ei iam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum.Quicquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum,hoc est in nomine Christi petendum, si diuinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam: quicquid autem aliud petitur, nihil petitur, non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur,nihil est. *Vsque modo nõ petistis quidquam.* Quia in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis &c. D. August. in Ioan. tracta.102. to.9.

Tunc gaudium nostrum erit plenum, quando habebimus bonum illud in quo superabundanter sunt omnia bona quę desiderare possumus.Et hoc bonum est solum Deus,qui replet in bonis desiderium nostrum vt dicitur Psalm.102. Ideo dicit,petite illud vt gaudium vestrum sit plenum, scilicet frui Deo & Trinitate vt August.dicit,quo amplius non est. Psalm. 15.adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Et quare? quia venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, ideſt cum contemplatione diuinæ sapientiæ D.Tho.Ioan.16.lect. 6.

Multi plane falluntur arbitrantes hac in vita gaudium verum reperiri, quo fit vt mundana gaudia & solatia maxime complectantur, cum tamen aliter doceat Apost. dicens. Qui gaudent,tanquã non gaudentes &c. Vide D. Grego. in Euange, homi.36.

Super illa verba, vt gaudium vestrum sit plenum,vide D. Tho. in Psalm.51.in fine.

In vita præsenti gaudium plenum non est Genę. 32. A. misit autem & nuntios.

Gaudium impermixtum dolori hac in vita non cernitur Iudicum 11. G. occurrit ei vnigenita filia sua.

Gaudium verum veráque lætitia sine Deo esse non potest Osee 9. A.noli lætari Israël.

Gaudium præsentis seculi vanum est Amos 6. D. qui lætamini in nihili.

Verum animi gaudium in mundo reperiri non potest Mich.2.C.Surgite & ite quia non habetis hic requiem.

Non est plenum in hac vita gaudium Iob 30. D. versa est in luctum cythara mea.

Verum gaudium & plenum non est in mundo 4. Reg.5.A.fortis dives sed & leprosus.

Quod hoc in vita verum non sit gaudium vide 1. Esdræ 4.per totum.

Vera securitas & gaudium in hoc seculo non reperiuntur.Tob.2.A.dies festi vestri.

Sicut aquila suum perpetuo dirigere solet cursum liquidum per aera volans,nisi forte necessitas eam cibi & indigentia constringat;ita & nos debemus animum in cælestibus confixum semper habere,vbi sunt vera gaudia, nisi forte nos vrgeat indigentia aliqua humana seu commoditas, cui à nobis prouideri necessum sit.

Quemadmodum vno hemisphærio à sole ipso illustrato, alterum relinqui solet opacum atque obscurum; neque vtrumque simul videas titania illustratum lucet: sic plane quærere hic mundana non debemus gaudia, quæ nobis cælestia obscurare solent, vt his possimus turius ac securius frui in beatitudine sempiterna.

Quemadmodum aurificum statera leuissimo quodam pondere nũc in hanc, nunc vero in illam inflectitur partem; & sicut mira quadam velocitate & varietate fertur variis subinde affici coloribus chamæleon ipse pro locorum subita commutatione:ita profecto huius mundi gaudia repentinis mutationibus subinde identidemque variant, neque stabilitatem vllam & firmitatem in se continent & complectuntur.

Quemadmodum vmbra ipsa siue ex corpore viridi colore prædito repræsentetur, siue flauo, vel quocunque alio, nigredinem perpetuo quandam præseferre videtur; ad eundē modū mundana gaudia siue ex diuitiis, siue ex honoribus, siue ex valetudine bona proficiscantur, nigredine semper quadam atque dolore permista esse videntur.

Sicut ponderosæ trabes quandiu in aqua ipsa versantur, non grauitatem, sed leuitatem maximam nobis præseferunt, quę tamen si ab ipsa aqua extrahantur, statim grauitatem monstrant: sic gaudia mundi, quandiu hic in prosperitate integraque valetudine versamur, apparēt leuissima & nullius grauitatis; attamē vbi ad morbum deuenitur, hinc quę tandem ad mortē iam iam faucibus instantē, tunc vtique intelligimus quam grauia sint, quæ nobis leuitatem securitatémque falsam pollicebātur.

Sicut si quis videret in conuiuio aliquo exhibito, eius omnes cōuiuas repentina quadam morte fuisse correptos, quod de vino veneno permisto ebibissent, is profecto diligenter sibi caueret à tali poculo & haustu: sic plane cum videamus tam multos perire fallacibus mundi gaudiis & illectamentis, nostra plane res agitur si ab illis magna quadam diligentia nos totos incolumésque conseruauerimus ac defenderimus.

Sicut illum ridiculum plane esse diceremus, qui conspectis solis phaleris assciuus equi oculis ad blandientibus, statim equum ipsum propterea emerer: ita certe ridiculus tu futurus eris, si vides exterius blandientem tibi mundum falsis quibusdam gaudiis, in eius illico amorem incitaris raperis, & accenderis.

Quemadmodum vasa quædam esse perhibentur, quæ infusum vinum transmittant atque transfundant, aquam vero ipsam retineant & conseruent: ita animi eorum qui gaudiis delectationibúsque huius seculi dediti sunt, recipiunt quidem atque retinent diutissime labores ipsos atque ærumnas quæ cum illis gaudiis permistæ sunt, euanescentibus tandē delectationibus & gaudiis: at bonorum animi ij quidem in patria recedentibus ærumnis atque periculis, delectationem sibi reseruant stabilem ac permanentem.

Sicut serenitas hyemalis instabilis quidem est, & maris tranquillitas mutabilis, lunæ etiam splendor variabilis: ita solatia huius seculi instabilia sūt, & quæ ipsius temporis momentis à nobis auolent atque aufugiant.

Cum mundi gaudia fundamentum suum & basim habeāt in rebus mutabilibus & infirmis, hinc quidē fit vt firmitatem nullam in se contineant & stabilitatem: contra vero cælestia gaudia cum Deū ipsum immobilem & immutabilem concernant, ex eóque omnino pendeant, consequens plane est, vt soliditatem maximam perpetuitatémque contineant. Vide Richar. de S. Victo. super Canti. par. 2. cap. 10.

Gaudia quidem delectationesque mundanæ, maxima permiscentur angustia, timore, & anxietate: etenim si ex diuitiis ortum habeant, illico timor ille consequitur & metus, ne à furibus diripiantur: si vero ortum habent ex fauore auráque populari, statim etiam pertimescis ne in eorum venias odium & inimicitiam, quorum gratiæ fauoráque inseruis. Quod si ex coniugis pulchritudine proficiscantur, illico suspectam eius formam pulchritudinémque habes. Si ex liberis ipsis ēnata sint, variis quidēm angeris curis ne in aliquod eorum salus veniat discrimen atque periculum. Denique non reperias in mundo plenum gaudium. Vide Haymo. domi. 4. post octa Paschæ.

Si gaudia illa & oblectamenta quibus maxime abundabat sapientissimus ille rex Salomon, tandem dixit, ingenuéque confessus est vanitatem quāndam esse: quid quæso de nostris mundanis gaudiis dicendum erit, vilissimis, exiguis, nulliúsque ponderis & momēt, quæ tamen plerique sibi dari instanter petunt? Vide D. Chrysosto. sermo. contra concubinarios to. 5.

Hæc in prouerbiis locutus sum vobis, venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis: in illo die in nomine meo petetis. Si quæras quare dominus non implear os tuum, ideo fit, quia tu non aperis illud: aperi tu os tuū iniquit, & ego adimplebo illud. Opus est ergo vt pandas cordis tui ostia, si vis vt dominus gratiam suam illi infundat. Ad quod etiam applicari potest illud Elisei exemplum, cum viduæ dixit vt vasa vacua afferret, tandiúq; oleum abundauit, quādiu vasa vacua supererant, quòd nimirum insinuat quòd si tu obtuleris domino cor tuum vacuum à terrenis cogitationibus, tunc ipse præsto aderit, vt misericordiæ suæ oleum infundat. Cæterum neq; vanitates, neq; res inutiles aut animabus nostris, aut proximis ipsis, postulare debemus. Cum Iacob quæsiuit nomen luctantis secum, non obtinuit qđ petebat: at cum voluit vt sibi bendiceretur, obtinuit benedictionem. Martha cum postulauit vt Maria eius soror, quæ verbum Dei audiebat, adiuuaret eam, non fuit exaudita, at cum pro Lazaro orabat, meruit exaudiri, quia bonum & vtilitatem proximi cupiebat. Sic filij Zebedæi quia honorem petebant & primatum, eum assecuti non fuerunt. Verum qua iustus Simeon rem bonam petebat, scilicet in carne videre Christum, exauditus fuit.

Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis: ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à deo exiuit. Super illa verba, quia à Deo exiuit, consule D. Tho. 1. par. quæst. 42. artic. 5. ad 2. & 2. senten. dist. 10, arti. 4. ad. 1.

Ipse pater amat vos. Quia Deus amat nos, hinc etiam vicissim fit vt in eius feramur amorem. Vt enim malo granata ipsa, siue aliqua alia id genus, radiis solis illustrata sæpe aperiuntur, pulchritudinémque suam interiorem manifestant; ita nos Dei amore illustrati, amorem etiam in eum nostrum ostendimus, ac demonstramus.

Quemadmodum iniquus ille videtur olitor, qui domino suo cōsitarum in hortis arborum fructum negat, ita profecto iniqui nos sumus & ingratissimi, qui cum à Deo animam veluti arborem quandam in corpore plantatam habeamus, eius tamen fructum, qui amor est, negemus Deo, eumque mūdo potius offeramus, hosti nostro infensissimo. *Ipse enim pater amat vos.* Si Philosophi etiam pleriq; de amicitiis humanis conseruandis multa nobis documenta reliquerunt, quanto diligentius & studiosius cælestis patris amorem erga nos conseruare debemus, virtutum studio nunquam intermisso siue neglecto? Epichármus enim Philos. dixit, amicos haberis thesáuros existima te habere, ac propterea officio se conseruandos esse. Periander, diutinam amicitiam custodi. Sosiades, amicos conseruato grata memoria & recordatione. Blas, in amicitia ipsa ita affectus esse debes, vt eam quæ bona fuerit non negligenter colas. Phocion, nitere amicis non malus esse amicus. Pythagoras, in amicorum custodiam maxima diligentia tibi incumbendum est.

Exiui à patre, et veni in mundum: iterum relinquo

mundum, & vado ad patrem. Vide D. Thom. 3. par. q. 57. arti. 1. & 6. per. totum. & in 3. sen. disti. 22. q. 3. ar. 1. per. totum.

Dicunt ei discipuli eius: ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo existi. Super Epistо. & Euan. duas habet conciones D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Duas item habet D. Thom. concio. prope finem to. 16.

In illa verba, nunc scimus quia scis omnia, vide D. Tho. 3. par. quæs. 10. artic. 2. per totum. & quæst. 13. artic. 1. ad 2. & ad 3. & q. 59. artic. 2. ad 3. & in 3. senten. dist. 1. quęst. 1. artic. 2. ad 2. & dist. 14. quæst. 1. artic. 2. ad 1. & questiun. 2. incor. & artic. 4. ad 2. 3. & 4. & de veri. quæst. 8. & quæs. 10. ar. 4. incor. & ad 1. & ar. 5. per totum & quoli. 3. quæst. 2. ar. 1. in cor.

Feria secunda, & tertia, in Litaniis seu Rogationibus.

VIS vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illis: amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante eum Lucæ. Peruenimus ad finem ꝑpe quadraginta dierum, quibus dominus se à sua resurrectione discipulis viuum in terris manifestauit. Vtilem nunc ergo doctrinam Ecclesia demonstrat, qua instruimur q̄bus rebus paschalia gaudia, etiā prēterlapso paschatis tēpore, retinere queamus. Hoc autem oratione posse confici, præsens tradit Euangelium. Cæterum quoniam ex longæua consuetudine factum est, ab annis nempe centenis supra millenos, cum Mamercus in Galliis, & Gregorius ceritum annis postea in Italia. Litanias, idest supplicationes instituisset: ille obfrequentes terræmotus, & ferarum intolerabiles & horrēdas incursiones, à quibus ne in ciuitatibus quidem fuerunt homines tuti: iste vero propter pestilentias contagiosissimas Italiam deuastantes; à quibus tandē in Ecclesiam vniuersam mos inoleuit, vt hebdomada hæc nomen haberet à precibus & cruce, totáque fere processionibus & orationibus sit destinata: ho dierno die quid quæso aptius, & magis ad rem potuisset proponi quam domini de orando doctrina, in qua oratio & præcipitur & amplissima promissione munitur, quo perspicuum foret quali fundamento nisa mater Ecclesia, suas instituerit processiones & preces? Quibus si vnquā in Ecclesia Dei, ob ferarum immanitatem opus habuimus, iisdem quantopere deplorato hoc nostro tempore indigeamus, quis adeo cæcutiens est vt non videat? Quando lupi rapaces, & immanes vulpeculæ demoliuntur vineam domini, & trāscendunt ciuitatis muros, vt perturbent & dissipent habitantes in eis. Quando item id quod Iudæis comminatur do minus, nobis aperte contingit. Mittam inquit vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. Quando vnquam maiore cum sæuitia & totius Ecclesiæ detrimento, multarúmque animarum interitu, lupi, vulpes, & Basiliſci, Catholicorum cætibus sese immiscuerunt; quam infelicissimo hoc nostro æuo? Si igitur sancti Ecclesiæ patres ad preces cōfugiendum esse rati sunt quando corporibus tantum detrimenti quidpiam inferebantur, annon nunc multo magis spiritualia precum remedia adhibenda nobis erunt, quando lupi & sæuissimæ ferę, impia & hæretica doctrina hominum animabus necem sempiternam adferunt? Quo item tempore, vti lupus ouem à grege secernere, accipiter ab agmine volantium columbam separare tentat, ita & dæmon perspiciens sibi aduersus omnes satis non esse virium, circumuenire singulorum solitudinem quærit, vt ex communi omnium societate, & ex ouili Christi euocatos, facilius in necem perrahat, naturam imitatus hyænæ, quæ animal ferum atque crudele, sermonem humanum accuratissime imitatur, pastorúmque nomina addiscit, vt eos foris ex stabulis euocatos, dilaniet. Cuius quidem animalis natura, non minus quam apri, lupi, aut vulpeculæ, hæreticorum nobis conditionem describit. Præterquam enim inaudita astutia euocare pastores à gregibus nouit, instabilitatem etiam hereticorum designat. Hieroglyphici siquidem instabilem quempiam, neque eodem persistentem statu volentes designare, hyænam depingunt, hæc enim nonnunquam mas est, nonnunquam fœmina. Quondam ob terræmotum quo ciuitatum turres vel mœnia concutiebantur, oratione opus fuit, iam nunc grauiore de causa diligentissime orandum erit, quando nō mœnia, non turres, sed nationes amplissimæ, regna, & florētissima, imperia hæresum & peregrinarū sententiarū doctrina vsque adeo commouētur & concutiuntur, vt tam externorum bellorum, quam internorum & domesticorum motuum, nullus sit finis, funestæque seditiones tandiu perdurent, vt multa hominum millia miserrime pereāt dissidiis & diuersitate religionum. Orandus est Deus vt nostri tandem misereatur, & pacis vnitatisque spiritum nobis clementer concedat. Corneli. Iansen. sermo. in Dominic. 5. post Pascha.

Quis vestrum habebit amicum. Singulariter & sub conditione inquit, quis vestrum habebit amicum? vt ostendat quam pauci sint amici, quámque rara sit amicitia huius seculi. Non dixit, amicos, sed amicum; nec dixit si vos habetis, sed quis vestrum, nam vix reperies qui amicum verum habeat. Ac si clarius diceret Christus, inter omnes vos habetis aliquem amicum? videbitur tibi forsitan te magnā amicorum cateruam habere, & sine dubio falleris omnino: nam si omnes isti qui nunc te diuitem & opulētum inuisunt, qui te laudant & prædicant, pauperem te viderent, egenum, & laboribus & angustiis circundatum, clare aperteque cognoscerent nullum te amicum habere. Vnde sanctus ille Iob qui amicitias huius mundi recte fuerat expertus, in hæc verba prorupit. Fratres mei prætierunt me, sicut torrens qui raptim transit in conuallibus. *Et ibit ad illum media nocte.* Hoc est tempore necessitatis: notanter dixit media nocte, nam eo tempore totus homo omnibus negotiis dicit iam transactis, quietus & tranquillus quiescit in lecto suo, & nisi inuitus ad cuiuscū que amici vocationem non vult surgere. Tunc enim prima noctis quiete nemo est adeo amicus & frater, qui non molestе ferat somnij interruptionem. Quo Christus vult docere, quod si amicus tempore tam inopportuno ad pulsantis ostiū vocem surgit & succurrit illius necessitati, quanto medius hoc ipsum Deus faciet.

Quis vestrum habebit amicum. Quando Hierusalē temporibus Dauidis & Salomonis in sua vigebat prosperitate, alij reges proximi cedebant ei, & mittebant dona, visitabant, & honorabant, eiúsque læ tabantur & vtebantur amicitia: tamen aduersa vrgente fortunā, in media ángustia eam deseruerunt;

runt. Vnde Hiere. inter alia quæ de perditione Hierusalem plorabat,dixit,omnes amici eius spreuerunt eam. Multi præterea comitabantur Christum in solenni illa pompa, quando populus Hebræorum cum ramis exiuit obuiam ei , nec Apostoli tunc magistrum suum dereliquerunt , sed tamen instante passione & morte , relicto eo omnes fugerunt. Vnde de eis conquerebatur Christus per Psal.dicens,Amici mei & proximi recesserunt à me. Magna certe angustia patiétissimi Iob , fuit separatio illa amicorum. Ita tu si fueris in aduersa positus fortuna , nullos habebis amicos , qui tamen in prospera multi erant. *Et ibit ad eum media nocte.* Vt intelligas non solum die, sed etiam nocte esse orationi vacandum , & in ea persistendum. Hinc Hiere. inquit , consurge , lauda innocte in principio vigilarum, effunde sicut aquam cor tuũ ante conspectum domini Dei tui,leua ad eum manus tuas. Sic Dauid faciebat,dicens; præuenerunt vigilias oculi mei &c. Et Esa. anima mea inquit quæsiuit te nocte.Christus erat pernoctans in oratione Dei Luc.6.

Quis vestrum habebit amicum. Quis amicior nobis , quam qui pro nobis corpus suum tradidit? Periit ab hoc media nocte panes Dauid , patiit & accepit Petiit enim quando dicebat, Media nocte surgebã ad confitendũ tibi.Ideo meruit hos panes quos apposuit nobis edendos. Petiit cum dicit, Lauabo per singulas noctes lectum meum. Neq; enim timuit ne excitaret dormiẽtem,quem scit semper vibrare vigilantem. Et ideo scriptorũ memores, noctibus ac diebus ortationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem domino dicebat,matutinis & vespertinis sacrificiis semper intentus: quid nos facere oportet,qui eo amplius rogare debemus,quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus, vt de via lassis , & istius æui cursu, ac vitæ huius anfractu grauiter fatigatis, panis refectionis esse possit,qui hominis cor confirmet? nec sola media nocte dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Venit enim & vespertina, & secunda,& tertia vigilia,& pulsare consueuit. Beati itaque serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Si ergo desideras vt virtus Dei præcingat se & ministret tibi, vigilandum est semper. Multæ enim insidiæ sunt bonis, & grauis corporis somnus : cum si dormire mens ceperit, vigorem suæ virtutis, amittit. Excita igitur somnum tuum, vt pulses ostium Christi. Quod aperiri sibi etiam Paulus exposcit , non solum suis , sed etiam populi orationibus obsecrans se iuuari, vt aperiatur ostium sibi ad loquendum mysterium Christi. Et fortasse illud est ostiũ quod apertum vidit Ioannes. Vidit enim,& dixit: post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo, & vox prima quam audiui, tanquam tubam loquentem mecum , & dicentem. Ascende huc & ostendam tibi quæ oportet fieri. Apertum est igitur ostium Ioanni, apertum est ostium Paulo, vt nobis panes quos ederemus acciperet. Perseuerauit enim ostium pulsans, oportune, importune,vt gentes mundani tramitis labore vexatas , alimoniæ cælestis vbertate recrearet. Ergo præceptiuus locus frequenter orandi, spes impetrandi,oratio persuadendi, prius in præcepto,post in exemplo.Qui enim promittit aliquid , spẽ debet afferre promissi , vt monitis obedientia deferatur promissis fides , quæ humanæ contemplatione pietatis in maius æternæ spem pietatis , acquirit , si tamen æqua poscantur, ne in peccatum vertatur oratio. Nec erubuit aliquid seipius postulare , ne vel diffidere de domini misericordia videretur, vel arroganter dolere quod non prima prece aliquid impetrauerit. Propter hoc inquit ter dominum rogaui; & ostendit quod frequenter Deus ideo non cõcedat rogatus,quod inutilia iudicet quæ nos profutura credamus.D. Ambro.lib. 7. super Luc.cap. 11.

Ego quidem amicum venientem ad me , non alium intelligo quam meipsum : nemo quippe charior mihi, nemo germanior est.Ad me ergo de via venit amicus , cum transitoria deserens , ad cor redeo. Sicut scriptum est, redite præuaricatores ad cor.A die conuersionis meæ , de via ad me venit amicus, venit de regione longinqua,vbi pascere porcos , & ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Vid e D. Bernar.in Rogatio.

Quis vestrum habebit amicum. Si velis aliquantulum digredi hoc loco in amicitiam,& amicos,nõnulla indicabo loca.

Amici fideles esse sibi inuicem debent , seque mutuis iuuare auxiliis : vnde Ruth dixit Noemi, quo perrexeris, pergam , & vbi stabis, stabo &c. Ruth 1.

Chusai amicus fidelis Dauid , eum non dereliquit missis nuntiis. & dissipauit consilium Achitophelis contra eum 2. Reg.17.

Indiscreta fuit amicitia armigeri Saulis , cum se interfecit cõspecto domino suo mortuo 1.Reg. vltimo.

Malorum amicitia detestabilis est,& quæ tendere soleat ad malum : vnde Ichu dixit ad Iosaphat, impio præbes auxilium & his qui oderunt dominum amicitia iungeris,& idcirco irã domini merebaris,2. Parali.19.

Amici sibi inuicem gaudia communicant & bona temporalia : sic Laban vocatis amicis nuptias fecit filiæ Genc.29.

Vide quam infidelis amicus extiterit Alcinus ipsi Iudæ 2. Mach 14.

Alexander & Demetrius maxime optabant amicitiam Ionathæ viri fortissimi 1.Mach.10.

Plerique amici sæpe molesti esse solent. Iob 26. A.consolatores onerosi omnes vos esti.

Pauperes viri quam paucissimos inueniunt amicos. Prouer. 14. C. etiam proximo suo pauper odiosus erit.

Multi sunt amici falsi Prouer.23.A. comede & bibe dicet tibi.

Diligenter eligendus est amicus Ecclesiastici 6. A. multi pacifici sint tibi &c.

Noli facile suaderi vt quemlibet,statim intimũ amicum habeas , & cui cordis tui arcana patefacias. Ecclesiastici 11.d.non omnem hominem.

Homo prauæ conscientiæ non est amicitiæ aptus. Ecclesia.14. A. qui sibi nequam est.

Amicus verus si semel amittitur, difficilime inuenit.Ecclesia.27.C.& sicut qui dimittit auẽ. &c.

Vero amico dolorem nostrum manifestare debemus vt quodammodo alleuemur.1. Reg.20. A. quæ est iniquitas mea.

Amici in aduersitatibus dignoscuntur 1. Reg. 22. A. quod cum audissent fratres.

Lege miram quandam amicitiam 1.Reg. 23. C. & tu regnabis super Israël

Verus amicus in laboribus & ærumnis agnoscitur 2.Reg.17.G.cúmque; venisset Dauid in castra.

Amicus quidem fidelis & opportunus extitit Ionathas Demetr.1.Mach.11.E.tria millia virorũ.

Et ibit ad illum media nocte. Quod noctem totam non debeamus corpori nimium indulgendo in somno traducere,quodque accommodata sit nox ad meditationem & contemplationem, & alia id genus , vide apud D. Chrysost.in Acta Apost. Homil. 24.

Quod cum moderatione somno indulgere debeamus. Vide D.Hiero.in regu. monacho. intermedium ac finem.4.

Nimius somnus quantum noceat,vide Vincen. Bell.Specu. mora.lib.3. par.6. dis.9.

Dormio minimum ait Seneca,consuetudinem meam nosti,brcuissimo somno vtor & quasi interuigilo:aliquando dormisse me scio,aliquando verò suspicor. Vide Senecam lib.12.epist.epist.84.

Lege præterea D.Grego.Nazianze.in sanctum pascha orati.4.

Consule concordan.dictione nox,noctes,& similibus, inueniesque multa ad hoc institutum latius persequendum , videbisque quam multæ reuelationes noctu contigerint & in somnis.

Et ille deintus respondens , dicat : noli mihi molestus esse,iam ostium clausum est , & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi.

Qua responsione vult Christus ostendere, qđ sæpe soleat Dominus non respondere orantibus, quasi dissimulans & non audiens orationes eorũ, vt crescat eorum affectus & ardor, vt maiora & ampliora accipiant.

Ô quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! ô quam necessitatis esse suę, quod suæ potestatis est, vult videri! ô quam pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam! ô quam negare noluit , qui sibi etiam neganti qualiter extorqueretur ostendit! ô quam non ad ianuam tantum dominus , sed ipsa ianua dominus fuit! Ego sum inquit ianua : qui dormientibus seruis,pulsantis ne cessitatem solus & prius audiuit. Petrus Chrysologus sermo. 36.

Illud autem quod dicit non possum surgere, facta applicatione parabolæ ad Deũ intelligitur de potentia ordinata quamuis possit de potentia absoluta : non quod sit defectus in Deo ad dandum, sed quia homo nõ est dispositus ad accipiendum, iuxta illud Gene. 19.non potero aliquid facere do nec ingrediaris illuc , sed per perseuerantiam humilis orationis disponit se homo &c.

Dicit Gregorius quod qui non vult conuerti ad dominum cum potest, iustum est vt infligatur ei non posse cum voluerit:& quantum ad hoc hic dicit, non possum surgere , quia quo ad hoc non congruit, quia horam in qua ostium apertum fuit neglexit. Vide Albertum Magnum super Luc 11.

Et ille si perseuerauerit pulsans , dico vobis , & si non dabit illi sur: geus eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget , & dabit illi quotquot habet necessarios. Docemur quod necessitates ipsæ & tribulationes nos ad deum adducere solent, & quod in illis constituti,perseuerate constanter in oratione debeamus. Filius ille prodigus dum ad sumptus suos satis habuit , nunquam parentis sui domum recordatus est, at vero cum ad famem & egestatem peruenisset, humilis ad eum rediit, & deuote orauit.Non admodum dissimiles esse videmur illi fonti qui est in Cirenaica prouincia, qui nocte media aquam feruentem emittit , in meridie vero frigidissimam , & hinc appellatur fons solis. Tales absque dubio sumus , vt pote qui in meridie prosperitatis & felicitatis , dum secundo vento nauigamus,tepescimus, in nocte verò afflictionis, igne diuini amoris inflammamur.Et ideo hic media nocte ad amicum abiit , vt suæ necessitati consuleret: Quapropter Esa. ait anima mea desiderauit te in nocte. Quasi diceret,in afflictione re vehementer desidero , & in angustiis & tribulationibus tuis amoribus captus & irretitus, magis atque magis accendor. Quando aliqui obsessi sunt in arce,nullum melius & præstantius remedium habent. quam nuntium ad regem mittere , vt sic rex præstet auxilium , quo obsidio fugetur : sic nos à multis circundamur inimicis , & variis mundi , dæmonis , & carnis tentationibus agitamur, multis denique laboribus , infirmitatibus,& afflictionibus,nullúmque alium fortem habemus murum , nisi carnem nostram imbecillem & omni virture nudam,quæ caro velut paries est, non calce & lapidibus fortibus confectus , sed ex vilissima terra. Quod cum ita sit,vt inimici nostri ita sint fortes, potentes , & robusti : & intra priuatos parietes habitent, quid erit remedij cum ad nihil simus potentes , & omnis nostra sufficientia à Deo proueniat ? nullum certe , nisi nuntium excellentem & præstantem mittere , orationem scilicet : secundum illud diuini vatis, dirigatur domine oratio mea , sicut incensum in conspectu tuo. Cæterum sicut incensum nisi prunis inuoluatur, nullum odorem ex se emittit, sic oratio debet fieri in gratia dei, & igne charitatis & amoris eius inflammari, vt apud Deum plurimum valeat,hoc est illud incensum quod summus sacerdos Aaron Deo offerebat inter mortuos & viuentes,quo Dei iram & furorẽ mitigauit & leniuit,atque ita deuastatio & interitus cessauit. Tolle ergo peccatorum onera & pondera , amorem mundi reiice,à terrenis & mundanis expedire, vt velocius oratio tua ad Deum perueniat. Vnde dominus quibusdã dixit.Cum multiplicaueritis orationem,non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Si beneficium ab aliquo periturus accederes , & sui filij manus tuas sanguine tinctas ferres , quomodo obsecro iste talis veniam tibi concederet? Sine dubio ira commotus & indignatione , à suo conspectu iuberet te semoueri. Quare igitur tu,ô peccator, qui vita tua nefaria tot flagitiorum generibus cooperta , crucifigis, vt inquit Paulus, Christum iterum. Deum audes orare, cum sui filij pretiosum sanguinem sepius atque iterum diffundas? Ideo Iacobus : Petitis , & non accipitis , eo quod male petatis, vt in concupiscentiis vestris insummatis. Lauamini ergo subdit Esa, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere peruerse,discite benefacere Quærite iudicium, iubuenite opprello , iudicate pupillo , defendite viduam ; & venite & arguite me , dicit dominus. Hoc etiam docet parabola, quando is qui necessitatem habebat , ad amicum confugit petiturus. Ita etiã tu poteris quicquid voluerispetrare , si tamen Deo prius fueris amicus. Scriptum est enim, voluntatem timentium se faciet dominus , & deprecationem eorum exaudiet. Tuncque poteris permanere immobilis & persistens in oratione,omni denicta hostium contrarietate & repugnantia : vt enim stellę quamuis circa cæli cardinem & axem mouentur , ipse tamen cardo nullatenus à sua quiete perturbatur, semper immobilis persistens,sic quamuis pars sensualis , mundus , diabolúsve, orationi obuient & contrarientur,ipsa tamen in finem vsq; à sua quiete orans non debet semoueri. Cæterum & inter alia quę à perseuerantia orationis nos remouẽt, est tepiditas & parua deuotio quam in oratione habemus.

bemus. Ira filij Israël cum nullum gustum inuenissent in sterilitate & siccitate deserti, nimis optabant redire vt comederent allia & cepas Aegypti: quapropter omnes sunt interfecti præter Iosue & Caleb, quia cupiebant dulcedinem & suauitatem in itinere, quæ seruata illis erat in terra promissionis. Sic tu qui in deserto huius vitæ habitas, patiens esto quoúsque ad beatam patriam perueniας, Vt arbores & herbæ propagarentur, fecit Deus siccitatem in terra, dixítque, apparent aridæ, &c. Sine siccitate patientia tua non crescet. Quantúque Deus in hac siccitate perseueratiam faciat, ostenditur in Ierem. per quem dominus ait. Recordatus sum tui quoniam secuta es me in deserto. Quasi diceret, seruiebas mihi nullo dato præmio nec mercede, & in tempore siccitatis & laboris perseuerasti, ideo in memoria mea te scripsi, & maturo tempore solui dignam retributionem.

Et ille si perseuerarit pulsans. Luctabatur Iacob cum angelo vsque mane, cui cum diceret, dimitte me; respondit Iacob, non dimittam, te nisi benedixeris mihi. Sic tu nunquam Dominum dimittas, quoúsque tuã petitionem ad impleat. Sic sponsa ait in Cantic. tenui eum nec dimittam. Quod considerans mulier illa suamitis: pedes Elisei apprehendit, nec dimisit eum donec filium eius suscitauit. Præcepit dominus Mosi, quod filij Aaron offerrent in sacrificio omnem adipem simul cum cauda, quæ cum finis animalis sit, vult Deus significare vt homo vsque in finem perseueret, & offerat Deo interiora cordis sui. Cæterum vt magnes occulta quadam virtute ferrum suapte natura graue in sublime attollit, & in aëre suspendit, ita spirituale gaudium & eleuatio mentis in Deum, cor hominis quod sponte sua ad ima deuoluitur, mira quadam & incognita vi illud supra infimitudines terræ eleuat vt terrena omnia fastidiat & pro nihilo ducat: in cuius rei fidem sæpe sanctorum virorum corpora dum contemplationis studio mente in cælum raperentur, à terra pariter cum mente ipsa eleuabantur. Porrò sunt humiles quædam arbores, vt vitis atque hedera, quæ cum per se attolli nequeant, aliarum tamen adminiculis quibusdam naturæ beneficio collatis iuuãtur, quibus vicinas vlmos prehendunt, atque ita in sublime ferũtur: ad hũc ergo modum homines post communem illum naturæ lapsum ad ima depressi instar vitis aut hederæ humi repunt, nisi Christi ope fulciantur: vitis igitur homo, vlmus autem Christus est, cui homines adherentes, illius adminiculo ad supera tendunt, clauiculi autem precationes assiduæ sunt, quibus illius opem implorant, & mentem in Deum eleuant vt illi adhærentes, cum ipso pariter cælum petant. Et sicut fulua cera ad solis radios diu exposita, cãdida fit, & quo diutius sub sole manet, eo sit candidior: ita anima nostra radiis Christi qui est sol iustitiæ exposita, quod quidem fit per eleuationem mentis in Deum & orationem ipsam, purior in dies redditur. Quod si quæras quid sit quod in oratione ipsa cor nostrum sæpe tam multis imaginibus & cogitationibus variis infestetur & distrahatur: id quidem fit ex assidua rerum terrenarum meditatione & tractatione, facile quippe homo ad assueta rapitur? sic videmus catellos cum in aliam domum ab ea in qua nutriti sunt transferuntur, protinus ad priorem regredi. Quare huic morbo tantæ que distractioni, assidua lectione & meditatione scripturarum sanctarum subueniendum est, vnde fiet tandem vt commodius & facilius tibi videatur quotidie orationi vacare, téque intra temetipsum colligere. Cythara enim quæ assiduæ artificis manu pulsatur, minimo negotio ad hoc ipsum paratur, quæ verò diu siluit, vix longo quodam spatio postea ad hoc instruitur: sic igitur qui assidue oratę facile puram mentem in Deum leuat, qui verò hoc diu distulit, Variis terrenarum rerum quibus assueuit imaginibus infestatur. Vnguentum quod curandis vulneribus adhibetur, diu eisdem hærere debet, quo sanitatem adferre possit: cum ergo vnguentum animæ vulnera sanans, & suauissimo odore carnis nostræ fœtorem consumens, deuotio sit, quæ ex oratione atque meditatione procedit, diutius orationi instandum, & in ea perseuerandũ est, vt spiritualis sanitatis & virtutis eius participes reddamur.

Propter improbitatem tamen eius surget. Comparatio est à minori: si enim amicus homo surgit à lecto, & dat non amicitia, sed tædio compulsus, quanto magis Deus dabit, qui sine tædio largissime donat quod petitur? Ceterum amicus qui accedit ad amicum, denotat rationem ipsam quæ redit & conuertitur, cum antea terrenis rebus diutius fuisset immersa. Differre etiam vel negare panem ipsos, denotat penuriam prædicatorum siue communicationis doctrinæ, propter duritiem ipsorũ audientium, &c. Vide D. August. lib. 2. quæst. Euange. cap. 21. to. 4.

Et ille si perseuerauerit pulsans. Quam necessaria sit perseuerantia vt quæ petimus accipiamus. Vide D. August. lib. 2. de sermo. domini in monte to. 4.

Donum Dei esse perseuerare in bono & alia multa huc spectantia, te docebit D. August. lib. de bono perseue. to. 7.

Multa item de perseuerantia habes apud eundem ad fratres in eremo sermo. 8. to. 10.

Tantopere D. August. extollit & commendat perseuerantiam, vt asserat bonum iter incæptum nõ reliquisse, plane singulare quidpiam esse Eundem vide lib. de continentia cap. 14. to. 4.

Perseuerantia est in ratione bene consideratæ stabilis ac perpetua permansio, vide D. August. lib. 83. q. quæst. 31. to. 4.

De virtute perseuerantiæ consule Innocen. 3. de Eleemosy. cap. 6.

De eadem vide D. Hierony. lib. 1. super Matth. tom. 9. in illa verba Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Consule eundem lib. 4. super Matth. 25. to. 9.

Quod turpe sit vt cũ peccatores in suis malis operibus crescant, nos tamẽ in bonis delassemur, consule eundem lib. 3. in epist. ad Gal. 4. to. 9.

Commendatur maxime etiam ab eodem perseuerantia in Epist. ad Lucia. tomo. 1.

Quid quæso est perseuerare inquit. D. Ambro. quam à tentatione non vinci? Vide eundem lib. 1. de vocatione Gen. cap. 9. qui etiam exempla multa recensẽt perseuerantiæ multorum lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 10.

Quod perseuerare debeamus petendo, Deo que gratias agere siue quod petimus impetremus siue non, lege D. Chrysosto. homi. 30. super Gene. to. 1.

Multas quidem exhortationes ad perseuerantiam inuenies apud D. Bernar. libro de modo bene viuendi ad sororem sermo. 20.

Sine perseuerantia nec pugnator habere victoriam, nec victor palmam reportare potest; est siquidem vitium fortitudo; virtutum consummatio, meriti nutrix, &c. Vide D. Ber. epist. 129. ad Ianuenses.

Quod

Quod in virtute sedulo perseuerare debeamus vt tandem optata potiamur palma, vide D. Cypria. de exhortatio. ad martyrium. Ad fortunatum. cap. 1.

Constanter quidem perseuerare debemus pulsantes diuinæ clementiæ ostium, si cupimus illud nobis aperiri, consule D. Damascenum sermo. de Philocosmis & Philoteis,

Lege Senecam lib 2. de beneficiis cap. 11.

Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit accipit & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. Facile quidem patet nos in grauissima & extrema versari necessitate, quos tam anxie Christus petere docet.

Omnis qui petit accipit. Si pie & debite petat, ideo dominus per Ioan. dicit: si quid petieris patrem in nomine meo, non debemus petere patrem in nomine nostro, hoc est propter merita nostra. Dam. 9. non in iustificationibus nostris prosternimus preces.

Sed dices, esto quod petere possim, pulsare quo modo potero cæleste secretum? Quemadmodum? Iterando preces, & expectando iudicium largitoris, moras dantis patientissime sustinendo, quia quicunque cum semel pulsauerit indignatur mox si non fuerit auditus, iste non est petitor supplex, sed est imperiosus exactor. Audi prophetam dicentem, expecta dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, Et si iterum distulerit in futurum, in dominum tuum patienter expecta. Petrus Chrysolo. ser. 39.

Erubescat humana pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere: non vtique nos tantum hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet. Plus vult ille misereri, quam nos à miseria liberari, & vtique si non liberati fuerimus, miseri remanebimus. Optat dare, qui præcipit petere: cupit largiri, qui desiderat postulari talem me sentietis in dando, qualem nunc in promittendo conspicitis. Vide D. Chrysos. sermo. de Moyse to. 1.

Oratio munimentũ grande est animæ: per orationes purissimas omnia nobis quæ sunt vtilia tribuuntur à domino, & cuncta quæ noxia sunt proculdubio effugantur. In tempore psalmodiæ sapienter psalle fili, & spirituales cantus vigilanter cane coram domino, vt virtutem psalmorum facilius possis acquirere: omnis namque duritia cordis eorum dulcedine mollietur, &c. Vide D. Basi. admoni. ad filium spiritua. pagi. 635.

Deus vniuersitatis conditor, præsta mihi primum vt bene te rogem, deinde vt me agã dignum quem liberes, postremo vt liberes, D. Aug. lib. 1. solido. cap. 1.

Vide explicationem illorum verborum Apost. vt oremus sine interuallo, apud Ansel. super epist. ad Rom. 1.

Super illa verba, orabo spiritu, orabo & mente. 1. cor 14. vide D. Bruno. super ea verba.

De modo orandi vide Innocen. 3. sermo. ante concilium pagi. 226.

Vide etiam Marcellum in quadam epist. contra Maxentium tyran. & docet bellorum tumultus atque populorum seditiones oratione placari.

Quod orationes humilium penetrent cælos, vnde illud, ecce clamor filiorum Israel venit ad me, vide Philo. lib. 2. legis allego. Cum intercederet Moyses pro populo, ei dictum fuit: propitius ei sum iuxta preces tuas. Quare in repub. necessarij sunt boni qui intercedant apud dominum, vide eundem lib. de migratione Abrahæ.

Quando quidem sæpe Deũ offendimus, necesse etiam est vt sæpe ad orationem confugiamus, petituri à Deo veniam. Sed quis vel orare competenter valeat: nisi medicus ipse nobis initium desiderij spiritualis infundat? Vel quis perseuerare in oratione queat, nisi Deus in nobis hoc quod cæpit augeat, quod seminauit enutriat? Fulgentius Epis. 3. de virginitate, & humilitate ad Probam.

Oratio dicitur vbi simpliciter oramus, obsecratio vero vbi sub adiuratione oramus, dicendo per aduentum, tuum per crucem tuam &c. Vide Remigi, in psal. 141.

Opus est quidem non solum vt pro aliquo oretur, sed vt is etiam pro quo oratur, excitetur. Hiere. 15. si steterint Moyses & Samuel &c. Hi quidẽ fuerunt in veteri testamẽto qui orarunt pro inimicis, alter cum eum lapidare vellent, tamen orabat pro populo, alter vero videns populum in afflictione positum, orauit etiam pro eo, quam vis regem sibi deposceret. Vide Rhabanum in Hiere. 15.

Ne videretur populo quod minus audiretur ipse Hieremias videtur præuenire eum Deus dicens ei ne oraret pro populo: ne obsistas mihi inquit, quia non exaudiam te. Vnde intelligitur quod sancti viri humili sua prece Deum placare soleant. Tum & Moysi dixit dominus, dimitte me vt percutiam populum istum, & faciam te in gentem magnam. Exo 32.

Præterea Aaron collocauit se inter viuos & mortuos, nu. 16. vide D. Hiero. lib. 2. super Hiere. 7.

Sanctorum oratio inquit D. Hila. cano. 5. super Matt. inter feras, carceres, flammas & de profundo maris, ac bestiæ, susceptа est.

Oratio inquit Damas. lib. 3. de fide Ortho. cap. 24. est ascensio mentis ad Deum, aut decentium à Deo petitio.

Sit autem orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem: cogitemus nos sub conspectu dei stare, placendum est illius oculis, & habitu corporis, & modo vocis, &c. Vide D. Cypria. de ora. dominica col. 41.

Audit Deus preces nostras statim vel nobis tacentibus Danie. 9. ab. exordio precum tuarum.

Deus exaudit orationes humilium. 4. Reg. 19. D. quæ deprecatus es me audiui.

Humilis oratio quantum possit. 4. Reg. 20. A. obsecro domine.

Oratio est in laboribus refugium. 1. Mach. 3. & congregatus est conuentus.

Oratio præcedat prælium atque congressum 2. Mach. 13. C. die ac nocte dominum inuocarent.

Oratio frequens esse debet Acto. 2. G. quotidie perdurantes vnanimiter in templo.

Oremus Deum cum fiducia Hæb. 4. D. adeamus ergo cum fiducia.

Deus se offert ad preces nostras exaudiendas Heb. 8. D. propitius ero inquitatibus eorum.

Bonorum oratio multum potest Iacobi 5. D. multum enim valet deprecatio iusti.

Quo pacto nos præparare ad orationem debeamus. 1. Ioan. 3. D. Si cor nostrum non reprehenderit nos.

Oratio sit cum fiducia Matt. 7. b. quis est vobis homo.

Consule etiam circa hoc institutum psal. 5. 7. 12. 37. vsque ad 41. & psal. 54. 78. 87.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum nunquid porriget illi scor-

pionem? Si pater est non potest non amare: si amat, nisi quod bonum est dare nescit negat patrem, qui de patris suspectus est largitate: ignorat se filiũ quẽ data paterna solicitant: totum quod est pietatis excludit, qui salutare non credit quicquid dederit pater: aut quomodo pater poterit filiis dare mala pro bonis, qui mala semper pro filiis paratus est sustinere? qui pro filiis mortem non refugit, pericula non declinat? Petrus Chrysologus sermo. 55.

Per panem denotari videtur charitas, nam vt si ne pane iniucunda cæna videtur. ita sine charitate quid potest esse iucundum? Huic opposita est ipsa obstinatio in peccato, quæ denotatur per lapidem durum: per piscem significari videtur fides ipsa, quæ veluti piscis etsi natet nobiscum in laboribus & difficultatibus, semper tamen nos educet: huic opponitur callidus serpens, qui suis astutiis & dolis quærit fidem nostram destruere, nempe dæmon. Per ouum significatur spes, ouum enim nondum est fœtus perfectus, sed fouendo speratur: cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retro timendus est, cum spes futurorum in ea quæ ante sunt se extendat, &c. Vide D. Aug. lib. 2. quæs. euange. cap. 22. to. 4. & de verbis domini sermo. 29.

Si ergo vos cum sitis & mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Si ergo Deum credis & confessus est patrem, quicquid in te elegerit, crede tibi satis esse salutiferum, crede satis esse vitale. Matris data discutere non licet, patris monita retractare non conuenit, sit licet paterni mandati species tristior, res tamẽ ipsa salutifera & vitalis. Petus Chrysologus sermo. 55.

Feria quarta in Rogationibus, siue in vigilia Ascensionis.

VBLEVATIS Iesus oculis in cælum, dixit pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te &c. Ioan. 17. Hoc Euãgelium fuse tractatum habes supra, sabbatho post Dominicã in passione secundũ vsum fratrum Prædicatorum, colum. 1261. ac propterea hic non immorabimur, tantum enim quia hoc loco videtur commendari maxime humilitas in prima clausula, vbi petere videtur Christus, quod pater exaltet ipsum, quando ipse sese adeo per passionem humiliat, nonnulla de humilitate indicabo referamque loca, quæ ibi minus tacta fuerunt.

Humiliemur, quandoquidem tantopere Deus exaltat humiles, eique dicamus cum Esa. 64. C. abscondisti faciem tuam &c. Conseruatur humilitas agnitis nostris erratis. Deute. 9. B. memento & ne obliuiscaris.

Humiliemur ante Deum vt ab eo exaltari mereamur 2. Reg. 6. D. vilior fiam.

Humiliemur tandem agnita tenuitate nostra & miseria 2. Reg. 7. C. quis ego sum.

Quantum possit humilitas & quãm multa per eam obtineantur vide 4. Reg. 19. C. Domine Deus Israel est & 2. Para. 12. consternatique principes.

Per humilitatem magnum adipiscimur honorem. 1. Regum 18. F. ego sum vir pauper.

Dei serui maxima sese humilitate muniunt 1. Corinthiorum 15. B. ego enim sum minimus Apostolorum, Et Ephesi. 3. B. minimo omnium.

Humiliari ex vero corde debemus, & alios arbitrari nobis superiores. Philip. 2. A. superiores sibi inuicem arbitrantes.

Conseruatur humilitas considerata miseria nostra Tit. 3. A. eramus enim aliq uando.

Omnibus propter Deum subiiciamur 1. Petri 2. C. subiecti igitur estote.

Humilitas sanctis considerationibus conseruatur 1. Petri 2. D. eratis enim sicut oues errantes.

Quam multa per humilitatem impetrentur Matthæ 11. D. Reuelasti ea paruulis.

Magna quidem fuit Baptistæ humilitas Luc. 3. D. ego aqua baptizo vos &c.

De præstantia humilitatis vide etiam D. Hieronymum in Prolog. epistol. ad Roma.

Quemadmodum Demosthenes rogatus aliquã do cui primas in oratoria facultate tribueret, pronuntiationi siue actioni respondit: rursusque secũdo rogatus idipsum asseruit, item & tertio, tandẽ subiiciens quod quoties rogaretur, toties eodem modo responderet: ita inquit Augustin. si me interroges quodnam esse animi nostri primum fere debeat ornamentum, humilitatem respondebo, si secundo interroges, hoc ipsum etiam respondebo, & denique quoties à me quæsieris. Vide D. Aug. lib. episto. epist. 56. to 2.

Quis valuit quæ sibi Pharisæus ille construxisse videbatur ieiuniis suis, & liberabilitate, destruere, nisi sola humilitatis absentia? Vide eundem eodem lib. epist. 58.

Humilitatem quidem à nobis diligenter conseruandam existimabimus, si attente consideremus quam propensi simus ad malum, quamque tardi ad bonum exercendum. Vide eundem lib. de spiritu & anima cap. 53. to. 3.

Qui vere humilis est, pro omnibus siue prosperis siue aduersis succedentibus, magnas Deo semper gratias agit. Lege eundem in senten. senten. 83. to. 3.

Quod humilitas sit quædam Dei sedes consule D. August. lib. de salutaribus documentis cap. 32. to. 4.

Non dixit Christus, discite à me quia suscito mortuos, sed quia humilis sum, & alia huiusmodi præclara, vide apud D. August. lib. 1. in epistо. ad Galat. to. 4.

Quo quis potentior est, eo formosior in eo apparet humilitas, vide eundem lib. quæstio. ex vtroque testa. quæst. 124. to. 4.

Quod excedat humilitas vniuersam terræ altitudinem omnemque seculi gloriam, & sit corona quædam formaque virtutum, vide eundem lib. 1. de ciuita. Dei cap. 1. tomo. 5.

Humillimum inter cæteros fratres Dauidem vnxit Samuel ipse in regem, vide D. Grego. in 1. Reg. 16. to. 2.

Humilis de se humilia cogitat & sentit, in cuius rei typum Iob sedebat in sterquilinio, vide eundem lib. 3. Mora. cap. 23.

Nihil est humilitate præstantius, quæ & conseruatrix est cæterarum virtutum, vide D. Hiero. ad Celantiam matronam de ratione pie viuendi to. 1.

Quod quantumcunque quis humilietur nunquam tamen ad Christi humilitatem exequeam peruenire valeat, vide eundem ad Pammach. to. 1. vide etiam humilitatem insignem Hilarionis apud eundem in vita Hilarion. to. 1.

Quod maxima sit humilitatis præstantia in iuuene, quodque humilitas nihil appetens, omnia tamen obtinere videatur, & alia id genus, videbis apud D. Ambrosium in Psalm. 118. sermo. 14. & 18.

Quod

Quod qui perattente propriam miseriã & abiectionem contemplabitur, Deique maiestatem, maxime in humilitatem veniat, vide D. Chrysost. in Psal. 115. to. 1.

Quod qui humilis non est, multas statim inueniat contradictiones & repugnantias, pluresque sibi suscitet aduersarios, consule D. Bernar. sermo. 2. in cap. ieiunij.

Quomodo acquiratur & comparetur humilitatis virtus consule D. Basi. interro. 198.

Quod recordatio præteritarum culparum magna pars sit vt humiles simus, vide Orig. homi. 10. in Eze. cap. 16. to. 1.

Dominica infra octauas Ascensionis.

VM venerit paracletus quẽ ego mittam vobis à patre, spiritũ veritatis quia à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me, & vos testimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecũ estis. Ioa. 15. & 16. Perhibebit spiritus sanctus, perhibebitis & vos, quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare quod nostis, quod vt modo non facias, illius spiritus plenitudo nondum adest vobis. Ille ergo testimonium perhibebit de me, & vos testimoniũ perhibebitis, dabit enim vobis fiduciã te stimonium perhibendi, charitas Dei diffusa in cordibus vestris, per spiritum sanctum qui dabitur vobis. Quæ vtique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere sed contra suã pollicitationem timore magno compulsus est ter negare: timor autem iste non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Denique ante passionem domini seruilis timor eius interrogatus est à fœmina seruitutis post resurrectionẽ vero domini liberalis eius amor ab ipso principe libertatis, & ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur, ibi quem dilexerat negabat hic quẽ negauerat diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat & angustus, donec eum roboraret & dilataret spiritus sanctus. Qui postea quam illi est abundantia gratiæ largioris infusus, sic ad perhibendum de Christo testimonium quõdam eius frigidum pectus accendit, atque illa prius trepida quæ veritatem suppresserant ora reserauit, vt cum omnes in quos venerat spiritus sanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Iudæorum circumstãtibus turbis, solus testimonium de Christo perhibendum præ cæteris promptius emicaret, eiusque interfectores de illius resurrectione confunderet, si quem delectat tam suauiter sanctum tale spectaculum intueri, Actus Apostolorũ legat, ibi beatum Petrum quem negantem doluerat, stupeat prædicantem: ibi linguam illam videat ad fiduciã à diffidentia, & ad libertatem à seruitute translatam, tot linguas inimicorum conuertere ad Christi confessionem, quarum non valendo vnam ferre, versa fuerat in negationem. Quid plura? tantus in illo fulgor gratiæ, tanta spiritus sancti plenitudo apparebit, tanta de ore prædicantis pretiosissimæ veritatis pondera procedebant, vt ingentis multitudinis aduersarios interfectores Christi Iudæos, faceret pro illo paratos mori à quibus cum illo formidabat occidi: hoc fecit spiritus sanctus tunc missus, ante promissus. D. August. super Ioannem tracta. 92. tom. 9.

Quem ego mittam vobis à patre. Vbi sciendum est quod spiritus sanctus mitti dicitur, non quasi locum mutans, cum ipse impleat orbem terrarum vt dicitur Sapi. 1. Sed quia nouo modo per gratiam incipit habitare in eis quos templum Dei facit 1. Cor. 3. templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis D. Tho. super Ioan. 15, lect. 6.

Cum venerit paracletus &c. Poterant enim dicere discipuli, quid quæso nos deseris in mundo tã fallaci & contentioso, plenoque insidiarum, cum nos minus versati simus in eiusmodi fallaciis & dolis? tantum nouimus rete, piscandi nouimus artem: si ergo ad mundana feramur forte tribunalia, nescimus lites dirimere: si obiectiones ab argutulis quibusdam proponantur, quomodo eas soluemus? Vnde pius magister eos solatur missione spiritus in illos, quasi diceret: nolite turbari propterea, nolite angi tametsi ducamini ante sapientes, ante præsides & principes: ipse enim paracletus vos instruet, vobisque animum addet, vt nullis minis, nullis insidiis nullis denique tormentis succumbatis. Vide Claudi. Guillau. super Ioan.

Super illa verba, spiritum veritatis qui à patre procedit, vide Sixtum Senen. biblio. sanct. lib. 6. annota. 187.

Cum autem venerit paracletus &c. Vide D. Thom. 1. par. quæst. 36. ar. 2. & ar. 4. & 1. 2. quæst. 106. artic. 4. & contra gent. lib. 4. capit. 23. & 25. & de veri. quæst. 12. ar. 2. & de poten. quæst. 10. arti. 4.

Hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini absque synagogis facient vos: sed venit hora vt omnis qui interfecit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ab initio malis inditum est bonos persequi: quo circa si mali didicerint te ipsum persequi, disce tu illos patiẽtia tolerare. Hanc tamen ob causam non sis tristis, quia panis sine fermento insipidus est: at si fermentum quod amarum est immisceatur, sapidus & dulcis redditur, ita vult dominus vt fermentum amarum tribulationis, gustum & saporem tribuat virtuti, atque ita si panis sapidus Deo volueris esse, oportet vt in hac vita fermento tribulationis & persecutionis concoquaris. Si nullam pateris persecutionem, ne læteris: persecutio enim tibi quædam videtur nullam perpeti contradictionem: medicus enim facultatem facit infirmo, vt comedat quæ libita fuerint, cum iam illum nullius remedij compotem esse videt. Quemadmodum ergo sanguinis missionem sustines, & potiones amaras sumis, vt corporis incolumitate fruaris, potius sane tribulationes & afflictiones sustinere debes, ad animæ tuæ salutem & incolumitatem. Legimus Dauidem grauiter castigasse eos; qui nuntios à se missos ad regem Ammon, ignominiose tractarũt: ita plane tu si hos nuntios quos tibi mittit Deus, nempe labores & afflictiones, ignominiose & impatienter tractaueris, puniris à Deo, cum debeas potius patienter & cum gratiarũ actione eos excipere nuntios, de Dei ergà te beneuolentia nuntiantes, & tantam incolumitatem tibi adferentes. Dic quæso, si videres aliquem in mare se præcipitantem; & eum apprehenderes, quamuis eius crura læderentur, nonne maximum in eum conferres beneficium; præstat enim ei viuere, etsi claudus sit. Quoties quæso tu ab vno crimine in aliud laberis ex tua voluntate, & tamen Deus te quodam languore aut morbo sustinet? Iuuenem videbis robustum & valentem, quem tamen videas vitiis deditum & lasciuiis, percutit eum dominus afflictione aliqua, & statim confessore ipsum adit, & crimina sua deplorat. Mulierem item pulchram videas & formosam, ac propterea multa facinora perpetrantem, accedit morbus, & eius pulchritudo deformatur, atque ita demum conuertitur;

vnde frangũtur cruta eius,& quamuis fiat clauda, nihilominus tamen ſalus animæ procuratur. Manaſſes rex Iuda qui fortuna afflante ad tartara præceps ferebatur propter flagitia quæ perpetrabat, à domino plaga percuſſus eſt, atque ita conuerſus deuotiſſimam compoſuit orationem. Ionas per mare fugiens,oborta tempeſtate reſipuit,& oratio nem ex ceti vẽtre ad Deum fudit Prodigus ille qui præcipitanter ad inferos tendebat,paupertate, fame,& miſeria à Deo opprimitur,atque ita conuerſus eſt, dicens: quanti mercenarij &c. In tribulationibus ergo inuenitur Chriſtus, veluti lilium inter ſpinas. Sic Moyſes inuenit dominum inter vepres, in medioque rubi ardentis. Multi vero ſequuntur Chriſtum in tempore læto & proſpero, non autem in turbido & laborioſo: canis os ſucco plenum rodit,aridum autem relinquit, ita iſti ariditatem & aduerſitatem non amplectuntur patienter. Filij Iſrael videntes ſe à Deo glorioſe conſeruatos,& Aegyptios in mari ſubmerſos,laudauerũt dominum,ſed paulo poſt murmurauerunt. Quare contra nos facere oportet, vt ſcilicet in calamitatibus & aduerſitatibus dominum etiam laudemus,& patienter nos geramus.

Hæc locutus ſum vobis vt non ſcandalizemini. Vult Chriſtus dominus inuictiſſimus & potentiſſimus dux,animare ſuos ad fortitudinem & tolerantiam ne animis cadant cum labores & tribulationes eis ſuperuenerint de qua virtute tolerantiæ ſi aliqua requiris,conſule Vin.Bell.Spe.doctrj.lib.4.cap.71. Hic etiam admirabilem cernis Chriſti prouidentiam, in præuidendis oppugnationibus & tempeſtatibus diſcipulorum, eorumque animis præparandis & muniendis: de prouidentia porro habes etiam apud Chryſoſt.3.libellos & 5. etiam ſermo. eo nomine inſcriptos initio to. 5. Videbis etiam Vin.Bel.Spe.Mo.lib.1.p.3.di.39.& Spe. doct. li. 4. ca.25.

Abſque ſynagogis facient vos. Non poterant eos excludere de amicitia diuina,& gremio Eccleſiæ,excludebant vero eos de ſua ſynagoga peſtifera; vt inde colligas quam parum poſſint impij cõtra bonos,quos etſi priuent bonis temporalibus,etſi denique etiam corporalem vitam eis adimãt,nihilominus tamen animam ipſam perdere nõ poſſunt, quam ſibi Deus incolumẽ reſeruat. Quare potius quo magis impij bonos afficiunt variis tormentis atque ſuppliciis;eo magis eoſdem ad Deum impellunt atque ſtimulant. Cæterum benigniſſimus dominus quamuis videat tantopere ſuos affligi & cruciari, nihilominus tamen patienter impios expectat, ſi forte redeant & conuertantur, vt ſi minus id fecerint, tempore meſſis tradantur diabolo comburendi, quos hic ne ſimul eradicaretur & triticũ,quaſi diſſimulauit.Tunc quidem ſeparatis bonis ab impiis & facinoroſis,ſuperueniet malis ſuum ſupplicium atque punitio:ſicut cum Noe ſeceſſit in arcam cum ſuis,ſuperuenit cæteris diluuium: & cum Loth receſſit à Sodoma,ſuperuenit *ignis & conflagratio*:item cum Hebræus populus receſſit ab Aegyptiis, ſuperuenit Pharaoni & vniuerſo exercitui extrema ſubmerſio & interitus. *Sed venit hora &c.* Horam vocat Chriſtus dominus tẽpus afflictionum & laborum, quia vt inquit propheta, non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum &c. Tum etiam quia per horam durare videtur afflictio vel ſi diuturnia ſit, ſi conferatur ad gloriam & beatitudinem ſempiternam, quam referent boni & ſancti pro ſuis afflictionibus. *Abſque ſynagogis facient vos.* Nam certe creſcente in bonis & ſtudioſis virtute ipſa, etiam creſcet malitia in aduerſarijs, & creſcent tentationes. Vnde Eccleſtaſtici 2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore & præpara animam tuam ad tentationem. Camelus quidem antequam bibat,ne videat in limpida aqua deformitatem ſuam,fertur eam prius conturbare, & turbu lentam reddere,ita impij homines cum videãt nequitiam ſuam manifeſtari maxime ex probitate & virtute bonorum,maximis certe perſecutionibus, infamiis, & aliis huiuſmodi, conantur obſeurare eorum lucidum exemplum.Et quemadmodum de cornis fertur,quod recuſent ſuos catulos recens natos paſcere &alere,quod eos videant minus nigris veſtitos plumis ſibique diſſimillimos;ita etiã mali cum videant ſibi aduerſantes bonos,neque ad eorum accedere nigredinem & turpitudinem, inauditis eos ſuppliciis iniuriiſque inſectantur, & perſequuntur. Sicut etiam conſtitutis ſecus viam quandam duabus arboribus pomiferis,conſueuerunt quidem viatores ſi altera onuſta ſit maturis pomis & ſuauiſſimis, altera vero immaturis & acerbis; illam vehementer concutere,hac ſpreta & derelicta: ita etiam peruerſi homines ſolent bonos quos vident virtutibus præditos & ornatos, concutere variis iniuriis, affligereque cruciatibus & tormentis, relictis impiis & peruerſis ſibi ſimilibus, & cohærentibus. Verum propterea non debent pij & iuſti per terreri, neque etiam triſtari ſi ex Synagogis impiorum eiiciantur & exterminentur, ſed potius lætari debent, & gaudere mirabilem in modum:quia veluti qui in carbonaria verſantur, quamuis mundas habeant manus,ſepe tamen infici ſolent atque fædari: & lignum tametſi vitide ſit,ſi tamen diu adhæſerit ſecus ignem,cum tandem concipere conſueuit,& inflammari:ita fieri poſſet vt ipſi fortaſſe ex diurna cum impiis conſuetudine atque vſu, contaminarentur & macularentur.Vnde ne id contingat,permittit Deus iſtas ſeparationes & ciectiones à conuenticulis impiorum, tum etiam cætera ſupplicia & tormenta piis hominibus inuſta:ceu medicus qui ſanguinis miſſione, & aliquo adhibito incommodo ſi opus fuerit, ſolet incolumitati totius corporis prouidere; ita enim Deus afflictiones iſtas corpori immiſſas permittit, vt animæ ſalus & incolumitas conſeruetur. *Arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Ita arbitrabatur etiam Paulus quando Eccleſiam perſequebatur, vt ipſe de ſe teſtatur Acto.26. dicens, & ego quidem exiſtimaueram me aduerſus nomen Ieſu Nazareni debere multa contraria agere &c.

Vt omnis qui interficit vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Vide Thom.1.2.q.94.ar.5.& q.100.ar. 8.& 2.2.q.64.ar.6.

Abſque Synagogis facient vos. Deus permittit vt boni in præſenti ſeculo affligantur Iob.1.B.ſed extende paululum manum tuam.

Boni afflicti atque contempti Iob.12.A. deridetur iuſti ſimplicitas.

Permittit Deus vt boni in hoc ſeculo perſecutiones patiantur Iob.16. B. aperuerunt ſuper me ora ſua.& 19. ecce clamabo vim patiens & nemo audiet.

Boni frequenter oppreſſi inueniũtur. Gene.12. D.& ſublata eſt mulier.& 20.A. miſit ego Abimelech.& 32.B.timuit Iacob valde.

Perſecutionem boni patiuntur in hoc ſeculo 1. Reg.21.per totum.2.Reg.15. C. ſurgite fugiamus. & 3.Reg.17.C.ægrotauit filius 3.Reg.22.D.percuſſit Michæam. & 2.Para. 16.iratuſque Aſa aduerſus videntem.

Boni afflicti Tobiæ 2. C. irridebant vitam eius

& 3.B. improperium ab vna ex ancillis. item Iudith 8.C.pater Abraham tentatus eſt &c.

Boni in hoc mundo affliguntur Acto. 14.D.lapidantes Paulum,& Acto.17.B. trahebant Iaſonẽ. 19.F.erant enim Eccleſia confuſa.& 20. D. in tentationibus.item 21.F.& apprehendentes Paulum. 22.F.& flagellis cædi.& 28.E.catena hac circumdatus ſum.

Boni contumeliis & perſecutionibus affliguntur 3.Ioan.1.C. garriens in nos. & Apo. 3. D. ego quos amo.Item 2.Cor.1.B. ſupra modum grauati ſumus.& 2. Cor.2.A.ex multa tribulatione. & 11. E.in laboribus plurimis.Matt.2. B.ſurge & accipe puerum.2. ad Timo.3.C.omnes qui pie volunt viuere. Matth. 14. A. alligauit eum. & 10.B.tradent enim vos 11.A. Cum audiſſet Ioannes in vinculis. Vide etiam circa hoc inſtitutum Pſal.3.12.21.30. 3.65.68.& 78.

Omnis qui interficit vos. homicidæ quantum Deo diſpliceant 1.Paral.22.B.multum ſanguinem effudiſti.

Homicidæ in quos fines deueniant 2. para. 21 C. dominus percutiet te plaga magna Pſalm. 54 viri ſanguinum &c.

Homicidæ puniuntur Abdiæ.1. C. propter interfectionem.

Homicidæ & crudeles Eſa. 59. A. manus enim veſtræ ſanguine.& B.pedes eorum ad malum.

Homicidia atque crudelitates horrendas regis Mithridatis vide apud D. Auguſt. lib. 3. de ciuita. Dei cap. 22.lege Iuſtinum præterea lib. 42.qui etiam lib.28. refert de fratri cidio illo primi fundatoris Romani.

De crudelitate & homicidiis lege etiam Vincẽ. Belluacen.ſpecu.doctrina.lib.4.cap.136.& 137.

Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Debemus ergo nos viriliter munire & accingere contra inſidias mundi, dæmonis, & cæterorum hoſtium. Chriſtus antequam tentaretur,ieiunauit,& ieiuniis & orationibus nos inſtruxit,vt in de diſcas tu caute viuere,ne inermis à dæmone & mundo inueniaris,& vincaris. Nam certe quo magis Deo inſeruieris, tanto etiam magis tibi hoſtes inſidiabuntur. Pharao enim quamuis in regno ſuo Iſraeliticum populum ſemper oppreſſit,tunc certe magis eum perſecutus eſt, cum videbat à poteſtate ſua populum fugere: ſi quidem laborem ei auxit,& poſtmodum ingenti exercitu perſecutus eſt. Idem fecit Laban cum Iacob,qui etiã ſi minus præclare cum illo ſe geſſit quo tempore ei ſeruiuit in domo,cum tamen videret eum inde fugientẽ, cõgregauit amicos ſuos & conſanguineos,& perſecutus eſt eum. Ita certe quamuis qui in mundo verſantur magnos experiantur labores,maiores tamẽ experiuntur, qui Deo vere & ex animo ſeruiunt. De quo videre etiam poteris D.Grego.li. 4.Mora. cap.24.Cũ ergo Deo ſeruire incæperis,graues paſſurus es tẽtationes:nec mireris, eo enim data ſunt tibi arma,vt prælieris.Neque enim dæmon eos expugnat qui ſui ſunt,canis nõ domeſticos mordet, ſed eos qui foris ſunt:ſic diabolus non tentat quos quiete poſſidet,ſed iuſtos & bonos.Nunquã furfuraturus ingreditur loca vbi paleæ ſunt & ſtercora, at mercatorum domos ingreditur, & vaſis pretioſis inſidiatur. Turca non gerit ita bellum aduerſus Turcas,ſed aduerſus Chriſtianos.Et quemadmodum nemo aduerſus amicos & domeſticos inſurgit,ſed contra inimicos,ita diabolus non eos expugnãt qui ſui ſunt,ſed eos qui ſub vexillo Chriſti ducis ambulant. Holofernes dixit ipſi Iudith, æquo animo eſto,& noli pauere in corde tuo:quoniam ego nunquam nocui viro qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor regi:populus autem tuus ſi non contempſiſſet me, non leuaſſem lanceam meam contra eum.Sic diabolus non tentat nec perſequitur eos qui ſub imperio ſuo ſunt, ſed in ſibi rebelles maxime ſæuit,& in eos qui à Deo commendãtur.Vnde cum dæmon audiret virtutem, & excellentiam ſanctiIob,ſtatim variis eum tentationibus impugnandum curauit.

Hæc facient vobis quia non nouerunt me. Quaſi diceret,non miremini iam quod vos tantopere perſequantur, inauditis ſuppliciis afficiant,quando quidem dato eo abſurdo quod in me impingant, & in patrem,facile cætera conſequuntur abſurda. Vt enim ſi quis iaciat in vaſtum gurgitem lapidẽ aliquem, ſtatim ex illo lapidis deſcenſu in profundum conſequuntur alij atque alij motus in aqua, ſeu reuolutiones in orbem:ita etiam ex eo abſurdo quod non nouerint patrem neque me,ſequitur etiam vt vos tantopere perſequantur, & alia multa mala.Et quemadmodum quo quis proprius accedit ad lucentem facem,eo fere videas ingentem quandam ſuſcitari vmbram; ita profecto quo magis vos acceditis ad meam lucem, eo etiam magis iuuidia iſtorum creſcit,& odium deteſtabile erga vos.Eſt enim peruetus hic malorum & improborum mos,vt quo viderint aliquem florentẽ probitate,vel aliis rebus ſecundis,eo etiam vehementius cõtra eum,malitioſiuſque ferantur:atque tanto plures eos excruciare ſoleant, quãto à pluribus boni ipſi commendantur & extolluntur. Et quem admodum vermes nonnulli gigni ſolent inter flores odoriferos & peramænos, ita etiam inuidus ex rebus preclaris alterius magis in inuidiam ſuccẽditur,& cõmouetur.Hinc quoque ſæpe ad internecciones machinandas,& inſidias moliendas accedere ſolet.Refert quidem Iuſtinus lib.12.de Alexandro Magno,quod cum audiſſet eo quonam Parmenio duce ſuo laudes prædicari Philippi patris,tanta fuerit inuidia percitus vel in patrem ipſum, vt ſtatim non ducem ſolum, ſed etiam eius liberos iuberet interfici.Idem etiam Iuſtinus lib.14.refert Euridicem præ inuidia atra & cæca interfeciſſe Olimpiã.Pyrrhus præterea,Ptolemæus,& Lyſimachus,videntes in proſperitate conſtitutum Demetrium,præ inuidia in eum coniurarunt; eundemque expugnauerunt attrociſſime & crudeliter.

Non nouerunt patrem neque me. De incommodis ignorantiæ conſule Vincen. Bell.ſpecu. mora. lib. 3.p.6.diſt.8.& ſpe.doctri.lib.4.cap.117.118. & lib. 5.c.59.

Sed hæc locutus ſum vobis,vt cum venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis. Horum& nos in tẽtationibus reminiſcamur,cum à malis hominibus aliquid patimur,in principem noſtrum,& fidei perfectorem inſpiciamus,quòd à malis,quod propter virtutem,quod propter Chriſtum mala patimur. Quod ſi animo voluemus,omnia facilia,omnia tolerabilia nobis videbuntur. Nam ſi quis pro chariſſimis aliquid paſſus,etiam gloriatur,ſi quis propter Deum quid tolerat, quam ſentire moleſtiam putandum eſt?ſi ipſe crucem rem ignominioſam, gloriam propter nos appellat,multo magis hoc in ipſum animo eſſe debemus. Et ſi mala ita nobis contemnenda ſunt,multo magis pecuniæ & cupiditates. Oportet enim in rebus grauibus & moleſtiis nõ labores,ſed præmia conſiderare. Quemadmodum enim mercatores non maris pericula, ſed lucrum ſpectant,ita & nos cœlum & Dei præſentiã.Et ſi diuitiæ dulces videntur,id Deum nolle tibi in mentem veniat, & continuo diſplicebunt.

Rursum si molestum est pauperibus aliquid dare noli impensam dumtaxat intueri, sed transfer mētem ad seminis illius fructum. Et si graue erit alienæ vxoris amorem contemnere præmium tibi sucurrat, æquo animo perferes. Quod si hominum metus ab indebitis nos rebus nonnunquam abducit, longe magis Christi desiderium. Difficilis virtus, sed magnas futurorum promissiones ei compara remus. Boni enim & studiosi etiã sine præmij respectu, ipsius pulchritudinem intuentur, & propterea eam cõplectuntur; & vt Deo placeant, non propter mercedem recte agunt, & magnificauit continentiam, non ne puniantur, sed ne offendant Deum. D. Chrysosto. super Ioan. ho. 76, to. 3.

De epis. & Euange. duas habet concio. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Hæc locutus sum vobis vt cum venerit hora eorum reminiscamini. Si voles differere quod vigilanter nobis viuendum, sit & reminisci debeamus consiliorum & monitionum Christi, nonnulla indicabo loca.

Vigilanter vitam traducemus Esa. 21. C. super speculam domini ego sum. & 30. C. quia subito dum non speratur veniet contritio. & Hiere. 46. A. præparate scutum.

Vitam vigilanter viuamus Abacuc 2. A. super custodiam meam stabo.

Prudenter vitam traducamus Iob 31. A. si ambulauit in vanitate.

Solicite ac circumspecte versemur in vita Iob 40. C. sub vmbra dormit. D. memento belli.

Vitam prudenter agamus Prouer. 4. D. palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

Non est viuendum segniter & sine cura Prouer. 14. B. est via quæ videtur homini iusta.

Præparati viuere debemus & præmuniti. Eccle fiasti. 9. A. nescit homo vtrum amore &c. 11. B. si annis multis vixerit.

Solicite quidem & vigilanter nobis videndum est Ecclesiastici 9. D. scito quoniam in medio laqueorum. 11. C. in die bonorum ne immemor sis malorum 18. C. ante iudicium para iustitiam tibi 32. D. à filiis tuis caue.

Multum interest vigilanter viuere. Iudicum 18. C. & possideamus eam. 1. Reg. 24. ascenderunt ad tutoria loca. 1. Reg. 27. & ait Dauid in corde suo. 2. Reg. 4. B. ingressæ sunt autem domum. 1. Mach. 12. D. Præcepit Ionathas suis vigilare.

Semper paratissimus inquit Seneca, atque muniti ad iniurias æquo animo sustinendas ne ex improuiso nobis inopinantibus inferãtur, quoniam maxime commouent quæ contra spem & expectationem euenerunt. lib. 2. de ira ad Nouatum cap. 30.

Attende vigilanterque viuamus, nam vt ait idem Seneca, in ipsis voluptatibus causæ doloris oriuntur, bellum in media pace consurgit ex amico inimicus, sit hostis ex socio, in tranquillitate tẽpestas &c. vide Senecam lib. 14. epis. epis. 92.

In procinctu stet animus, & id quod necesse est nunquam timeat, quod incertum est semper expectet. Vide eundem lib. de Consola. ad Polybium cap. 30.

Dominica prima, post Pentecosten.

ESTOTE misericordes, sicut & pater vester misericors est. Luc. 6. Matt. 7. Qui enim festinat ad præmium, fastidire non debet exemplum, quia quanto præcellentius præmium tanto impensius officium. Quanta autẽ misericordiæ merces, quæ in ius diuinæ adoptionis adsciscitur: sequere igitur misericordiam, vt mearis gratiam. Late patet benignitas Dei; super ingratos pluit malis fœcunda non negat terra prouentus. Idem mundi sol sacrilegos religiososque pariter illuminat. D. Ambro. lib. 5. super Luc. 6.

Non vult vt eũ potentia referamus, quia ob hãc causam à cælestibus sedibus cecidit Lucifer, nam dixit in corde suo ascendam in cælum, & ero similis altissimo. Nec vult vt ei similes simus in sapientia, vt voluit Eua, cui serpens dixit, eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Vnde cum delüderetur à dæmone, in miseram sortem deuenit. Nec vult dominus vt miraculis eum imitetur, nec in creatione, nec in gubernatione mundi. In quo igitur? vtique in misericordia. Hac quippe placuerunt ei Abraham, Loth, Dauid, & multi sancti patriarchæ & prophetæ. Hanc dominus vt inquit scriptura potius vult quam sacrificium; & hac etiam nunc dicit similes nos ei futuros, sicut filij sunt parentibus. Aliquis nãque alicui similis dicitur esse, non pedibus nec manibus, sed facie, quæ certior pars hominis est. Ita quod in Deo magis altum & profundum est erga nos, est sua misericordia, iuxta illud Iacobi, misericordia eius super omnia opera eius. Certum est etiam quod vnum ex his quæ præcipue conueniunt Deo est sua misericordia, vt ipsa sacrosancta ecclesia significat in oratione illa quæ incipit, Deus cui proprium est misereri semper & parcere. Hoc dicit proprium esse Deo: nã quemadmodum cõuenit creaturæ egenam esse & pauperem, & perinde ipsi cõpetit accipere & non dare, ita cum Deus infinite sit diues & potens, & ipsi soli per excellentiam cõuenit dare, & nunquam recipere. Vnde ipsi soli proprium est misereri & parcere. Si igitur Deus de hac virtute tantum gloriatur, cumque tam grãdis gloria sit hominem Deo assimilari, excellentissimã iudicare debemus hanc virtutẽ quãdo hominẽ simillimũ Deo efficit. Vt igitur grandi honore Deus nos afficiat, vtque in hanc tantam dignitatem nos constituat, vult vt benigni & misericordes simus. Et ad hoc faciendum, nos magnifico præmio inuitat, si similis Deo fueris, aliquæ excellẽtiæ tibi subsequentur. Prima esto, quia si omne animal diligit sibi simile, si misericors similis est Deo, manifestum est quod à domino magis diligetur. Nam cum dominus infinite misericors sit, eos omnes diligere debet, quos inuenerit misericordia indutos, tanquam legitimos filios qui ei assimilantur. Quid obsecro in mũdo esse potest tanta æstimatione dignum? Si tanti æstimantur homines cum regum & principum familiares & amici sunt, quo pretio æstimari debet ea virtus, quæ nos Deo coniungit, & illi similes facit? Deinde aliam excellentiam nobis comparamus, scilicet vt omnes misericordes ad misericordiam diuinam ius habeant, quia cum proximis suis vsi sunt misericordia. Eam namque sententiam dominus tulit, beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. Vide D. Tho. 2. 2. q. 3. a. 4. & 1. p. q. 21. a. 3. & 2. 2. q. 3. a. 2. ad 1. & in 4. sen. dis. 46. q. 2. a. 1. quæstiun. 1. & contra gen. lib. 1. cap. 91. & 2. 2. q. 87. a. 6. in cor. & in 4. sen. dis. 15. q. 1. a. 4. quæstiun. 2.

Estote misericordes. Cum Deus opt. max. tametsi sciat nos futuros sibi ingratos, tantisque beneficiis in nos collatis, nihilominus tamen misericorditer nobiscum agat: ian non in proximum nostrum misericordes nos esse debemus, quem ignoramus sit ne gratus futurus, an vero ingratus? Cæterũ multi fortasse si contra præciperetur, vt scilicet immisericordes essemus, statim vehementer causarẽtur, quòd id esset intolerabile, & quod nulla ratione deceret quin nos mutuis iuuaremus auxiliis. Et si præciperetur vt nosvicissim iudicaremus, etiam murmuratio horum illico consequeretur, quod nequaquam idipsum deceret. Nunc vero cum contra nobis præcipiat dominus, minus curamus rem ramfacilem, tamque æquissimam præstare. Quam quodammodo etiam fera animalia præstare videntur: siquidẽ de elephante refert Plinius lib. 8. quod si inuenerit viatorem aliquem hominem in desertis & solitariis locis à recto itinere deuium, ei compati videatur, atque viam commõstrare. De leone item, quod parcere soleat subiectis, & præsertim si fœminæ fuerint, aut paruuli. Lactantius etiam Firmia. inquit in epit. diuina institu. Cum imbecillior quodammodo videatur hominum natura quã cæterarum animantiũ, quas Deus & instructas ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figurauit, affectum nobis misericordiæ dedit, vt omne præsidium vitæ nostræ in mutuis auxiliis poneremus. Si enim facti ab vno Deo, & orti ab vno homine, consanguinitatis iure sociamur, omnem igitur hominem diligere debemus. Philo item in lib. inscripto, quod Deus sit immutabilis, inquit. Si Deus mortalem iudicaret sine misericordia, cũ omnes peccatores simus, iampridem nostra culpa periissemus: verum cum tanta nobiscum vtatur benignitate & misericordia, inde est quod supersites simus. Vnde discamus nos misericordes esse, ad imitationem patris nostri. Tria maxime inquit D. Tho. in quodam sermo. de hac dominica, mouere nos debent ad faciendam misericordiam: primo necessitas, secundo vtilitas, tertio congruitas. Necessitas quidem quia vt inquit Iaco. iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam. Vtilitas vero, quia misericordes misericordiam consequentur. Congruitas autem quandoquidem congruum est vt cum reliquæ creaturæ in nos misericordiam quodammodo exerceãt, nos etiam misericordes simus. Si quidem pleni sumus miseria, & nisi creaturæ misereantur nostri dando nobis sua beneficia, consistere non possumus. Satis ergo congruum est, vt cum homo indigeat misericordia, in aliõs etiam misericors existat. Prouer. 19. homo indigens misericors est: & qui indiget misericordia, debet aliis facere misericordiam. Experiẽtia inquit Diony. Carthu. super prouer. 19. nos monet, quod qui pluribus indigent, misericordes esse solcant, vt videmus in senibus, & fœminis maxime indigentibus. Huic loco applicat quoque illud Heb. 2. debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, &c. D. Grego. Nyss. lib. de beatitudinibus ait: si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo hortatur, nisi vt Deus etiam quodam modo fias? Hugo cardi. super prou. 19. ita habet. Quandoquidem aliorum misericordia nos etiam indigemus, æquum plane est vt in eos vicissim misericordes simus. Et fortasse effectum fuit vt Deus permitteret Petrum labi, vt inde disceret misericordiam facere aliis, agnoscens se etiam misericordia indiguisse. Cæterum quemadmodum riui naturam fontium à quibus scaturiũt & deriuantur imitari solent, ita certe par est vt nos patrem nostrum à quo conditi sumus, in misericordia imitemur. Contra tamen plerique faciunt, qui degenerant per immisericordiam & crudelitatem à vestigiis paternis.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Si iudicare prohibet, qua consequentia Paulus in Corintho iudicat fornicantem, & petrus Ananiam & Saphiram mendacij coarguit? Sed ex consequentibus quid prohibuerit ostendit, dicens. Quomodo enim iudicaueritis, sic iudicabitur de vobis. Hic nõ prohibuit iudicare, sed docuit D. Hierony. lib. 1. super Matt. 7. to. 9.

Quid igitur, non debemus arguere peccantes? Nam & Paulus hoc dicit, imo ipse rursum Christus per Paulum, Tu quid iudicas fratrem tuum? Et tu qui es, qui iudicas alienum seruum? Et iterum, nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat dominus. Quemadmodum igitur alibi dicit, argue, obsecra, increpa. Et alibi, peccantes coram omnibus argue? Et Christus quidem in Euange. præcipit, si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Quare elucidare idipsum tentabimus.

Hic vt apparet non generaliter peccata omnia prohibuit iudicari, nec prorsus omnibus istius rei abstulit potestatem, sed his profecto solis, qui cum flagitiis abundent innumeris alios de leuissimis quibusque delictis tota temeritate condemnant. Videtur autem mihi etiam hic Iudæos notare, qui de paruulis quoque omnino culpis accusatores amarissimi proximorum, ipsi nihilominus sua nec maxima quidem crimina prohibebant. Quod eis etiam in fine Euange. Dominus exprobrat: alligatis inquit onera grauia & importabilia, ipsi autem digito non vultis ea mouere. Et decimatis mentam, & cyminum, & anethum, & dereliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Neque oportet exprobrare delictum, neque illum qui peccato aliquo sit correptus insolenter obruere, sed clementer monere, nec persequi iurgio, sed iuuare consilio, nec cum iactatione in cum erigi, sed cum dilectione corrigere D. Chrysos. super Matt. homi. 24.

Nolite iudicare. Ea enim hominum iam est depraua consuetudo, vt faciles sint ad iudicandum temerarie de proximis. Et pauci quidem sunt ab hoc vitio alieni, sic adeo hominum creuit malitia. Maxima est copia medicorum, & omnes volunt aliorum infirmitates curare, & infirmis remedio prouidere. Præcipiebat dominus in Leuiti. Vt septem diebus Leprosus clauderetur: non permisit enim Deus sacerdotem facile de lepra iudicare, sed suspendi voluit iudicium septem dierum spatio. Igitur si dominus non permisit ita facile de lepra, quæ oculis cernebatur, iudicari, quomodo permittet te de cordis proximi tui malitia statim sententiã ferre? In primo lib. Reg. dicitur, quod Bethsamitæ cum arcam domini nimis curiose intueren tur, de illis percussit dominus septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Quantum obsecro secretius est ipsum hominis cor, quam illa arca? Quanto maior temeritas penetralia cordis hominis iudicare, quam secretiora loca arcæ illius? Qui iniquus est semper malitiam cogitat, & vbi peccatum non est peccatum imaginatur, & vbi pax & tranquilitas conscientiæ est, semper mala multa ibi esse existimat. Vnde sanctissimus Iob dicebat, cum pax sit, ille semper suspicatur insidias. Bonis autem multo aliter contingit iudicare, nam cum recti sint, simpliciter ambulant, & cum omnibus loquantur veritatem, ita de aliis iudicant. Iosue & populus Dei quia boni erant, crediderunt facile Gabaonitis, dicentibus quod de longinquo venerant, nec iudicarunt Gabaonitas cum dolo ad eos accessisse. Sancti etiam quia ipsis amica est veritas

neminem putant mentiri, & fallere quid ſit ignorant. Vnde Salomon in prouer. innocẽs credit omni verbo. Eſt enim Chriſtianæ manſuetudinis & pietatis proximi dicta factaque quoquo animo fiant, ſemper in meliorem partem interpretari. Nolite condemnare. Nam ſæpe humanum fallitur iudiciũ, cum inſonté aliquãdo damnamus, qui quã uis hodie malus ſit craſtina die bonus erit. In Eccleſiaſtico enim dicitur, facile eſt in oculis domini ſubito honeſtare pauperem. Et rurſus à mane vſque ad veſperam immutabitur tempus *Nolite iudicare*. Viæ domini multæ ſunt quibus ad illum tendere poſſumus: quo circa tu qui pauper es, ne male ſententiam de diuite proferas, nam etiam ſi nõ vt tu paupertate laboret, eleemoſynis tamé & aliis bonis operibus ſibi cæleſtem patriam comparare poterit. Si triſtis es, & peccata tua plangis, noli etiam iudicare eum qui gaudet & in lætitia eſt: nam ille alia fortaſſe incedit via quam tu ignoras. Vnde Paulus, qui manducat, non manducantem non ſpernat, &c. Huius etiam rei typum gerere illud videtur quod in Apoca. ſcriptum eſt de ciuitate Hieruſalem plures portas habente: nam illa ciuitas cæleſtis plurimos ingreſſus habet.

Nolite iudicare & non iudicabimini. Vide D. Tho. 1. 2. q. 108. a. 3. ad 6. & 2. 2. q. 60. a 2. 3. & 6. & q. 67. a. 1. & q. 80. a. 2. & 3. p. q. 59. a. 1. & in 4. ſen. diſ. 48. q. 1. a. 1.

Nolite iudicare, &c. Multi reperiuntur iudices mali. Iſa. 1. f. omnes diligunt munera.

Iudices corrupti pecunia. Iſa. 5. f. qui iuſtificatis impium pro muneribus.

Iudices pro pecunia iudicium peruertentes. Amos. 3. C. & neſcierunt facere rectum.

Qualis eſſe debeat iudex. Eccleſiaſti. 11. A priuſquam interroges ne vituperes quemquam.

Iudex malus Eccleſiaſtici. 19. A. qui cito credit leuis eſt corde.

Iudex quomodo ſe gerere debeat. Num. 35. D. homicida ſub teſtibus punietur, &c. Deute. D. cum que diligentiſſime perſcrutantes.

Iudex ne muneribus corrumpat iudicium 1. Reg. 12. A. loquimini de me coram domino. Acto. 24. ſperans quod pecunia ei daretur à Paulo.

Iudices qui cito ſententiam proferunt ſolent frequenter errare 2. Reg. 16. A. tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth.

Iudex prudenter ſe gerere debet, atque litigantes ipſos componere & ſedare Acto. 19. G. viri Epheſij.

Iudex audiat partes contrarias Acto. 25. E. non eſt Romanis conſuetudo.

Maxima præmeditatione opus eſt ad iudicium de re quapiam graui præſertim proferendum, neque ſtatim primo intuitu præcipitanda ſententia eſt. Iaco. 2. A. introierit vir anulum aureum habẽs, in veſte candida.

Iudices audire attente & patienter reos etiam ipſos debent. Vide Acto. 23. & 26.

Iudex non debet præcipitanter ſtatim iudicare 1. Reg. 1. æſtimauit eam temulentam.

Nolite iudicare, &c. Quando aliquid leue eſt, & nemini incommodat, tunc vtique tolerabiles videntur qui ſolent illico iudicare: at vero in rebus maximi momenti pleniſque difficultatis, magna quidem vtendum eſt præmeditatione & conſideratione. Querebatur quidem D. Hierony. de iis qui eum calumniabantur, dicens: iſti quidem de alienis actionibus iudicare volunt inique, cum tamen ipſi nec à limite quidem virtutem ſalutarint, quare iudicent prius ſeipſos potius propriosque defectus. lege D. Hiero. in prolo. lib. 13. ſuper Ezechi. qui etiam ad Pammach. ſcribens, inquit quod is qui iudicat de proximo ſuo peruerſa intentione maloque animo, perpetuo ſibi fingit occaſiones quaſdam quibus calumniari eum poſſit. Idem præterea lib. 1. ſuper Iſa. 1. inquit, quod officium iudicandi multi ſibi immerito vſurpant, requirit enim multas conſiderationes, quibus iſti tales indigent. Vnde Salomon ne temere populum ſuum iudicaret, petiuit à domino ſcientiam & ſapientiam. D. Chryſo. lib. 1. de compunc. cordis, miratur quod plerique velint recta ad tartara & damnationem tendere, per tam difficilem & arduam temerarij iudicij viam, cum poſſent tale euitando iudicium, tenere tutiſſimum cæleſtis beatitudinis iter: nam quæ quæſo eſt difficultas miſſa facere temeraria iſta iudicia, & ſanas amplecti cogitationes ſanaque iudicia de proximo tuo? Te ipſum vti que fatigas prauis iſtis ac peruerſis cogitationib', inanique labore tibi necem quæris. Quam curioſi ſumus & diligentes inquit D. Baſi. Orati. 17. de humili. & vana glo. in iudicandis alienis defectibus, tam negligentes fere ſumus in noſtris perſcrutandis: & veluti oculi cum cæterarum partium corporis maculas videant, ſuas tamen non cernunt: ita nos cum nimium inquiramus aliena delicta, ad noſtra cæcutimus & hallucinamur. Euariſt. pa. in epiſ. 2. ad fratres Aegypti, miratur quid ſit quod cum videamus in ſacris literis Gen. 18. dominum antequam iudicaret Sodomam & condemnaret, dixiſſe, deſcendam & videbo, &c. Nos tamen ſtatim repentinis iudiciis & temerariis feramur ad aliena delicta reprehendenda & taxanda. Vide etiam D. Aug. de tempore ſermo. 202. & 203. Multi porro cæteros ſtatim iudicant, quod elato quodã prædite ſint animo, atque ſibi arrogent ſcientiam eorum quæ non nouerunt. Vnde Seneca hos reprehendens, inquit: altioris te rei & ignotæ, noli cenſuram ferre. Theobulus, ne tibi arroges quæ non noſti atque tibi obſcura ſunt.

Dimittite, & dimittemini: date, & dabitur vobis. Et quidem in hoc maxime præcepto debemus Chriſtiani id præſtare, quod cuiuſque ſectæ homines faciunt, quomodo Platonici ea maxime tuentur, quæ peculiariter Platonis ſunt dogmata. Hic enim locus Chriſtianæ philoſophiæ proprius eſt. Vbi enim obſecro, & apud quos alios homines inuenitur, vt quis conuitiis affectus bene precetur, male dictis laceſſitus oret, ſi ſpolietur vna veſte, & alterã ſpolianti addat? Quæ igitur proprie noſtra ſunt, in hæc accuratius incumbamus. Et tamen quod ruborem nobis merito iniiciat, à quibuſdam philoſophis gentilibus inuenire licet hæc Chriſti præcepta, quamuis imperfecte, adimpleta & præſtita eſſe, quemadmodum narrat D. Baſi. de Pericle, de Euclide Megarenſi, de Socrate, qui percuſſus, alteram præbuit maxillam. De Alexandro ne virginũ pulcherrimarũ conſpectu caperetur quod eum vitaret. De Clinia iuſiurandum etiam verum recuſante. Corne. Ianſe ſermo. de hac domi.

Date & dabitur vobis. Dare namque ad res pertinet quas exterius habemus, dimittere autem relaxandum dolorem quem interius ex aliena culpa contrahimus. Sed ſciendum quia qui omnino dimittit & non dat, etſi non plene operatus eſt, meliorem tamen partem miſericordiæ tenuit. Qui autem dat, & minime dimittit, omnino miſericordiã nullam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus qui eleemoſynam præbet, quia omne quod datur Deo, ex damnis mente penſatur. Cuncta itaque malitiæ macula ab interiori noſtro homine cogitationis immutatione tergenda eſt, quia iram iudicis placare neſcit oblatio, niſi ex munditia placeat offerentis. Vnde ſcriptum eſt, reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit. D. Grego. lib. 23. Morali. cap. 11.

Dimittite & dimittemini. Etenim ſi hoſtis qui tecum bello armiſque certat, miſericordiam ſuæ ſalutis adipiſcitur, idque plerunque vel contemplatione naturæ, vel ipſius belli iure defertur, vt ſubiectis vita tribuatur, quanto amplius meliore religionis contuitu deferendum eſt? Nam cum preliatorem appetitæ ſaluris cauſa non moueat, nũquid mouere debet militem pacis? Itaque illud Apoſtolicum, Quia charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, in his præceptis conſummatum videmus. Si patiens eſt, debet patientiam verberanti; ſi benigna eſt, non debet reſiſtere deripienti: ſi non æmulatur, odiſſe non debet inimicum, D. Ambro. lib. 5. ſuper Luc. cap. 6.

Dimittite & dimittemini. Quãuis Deus poſſit dimittere iniuriã tametſi eam tu non dimittas, tamé hocà te petit ad tuum meritum, & vt te honore quodammodo afficiat. Ita enim ſæpe conſueuit aliqua ab hominibus requirere tametſi parua, vt ipſi honorem ſibi etiam quendam cõparent. Quid enim quæſo Deo opus erat vt Moſes mare virga percuteret, quo populus liber perrranſiret, niſi quod dominus volebat ipſum Moſen laude & honore afficere? Et cum Eliſeus pallio Eliæ percuſſit Iordanem, poterat vtique dominus Iordanem aperire ſine myſterio pallij: id tamen non fecit, vt præſtantia Eliæ oſtenderetur. Gedeon item vt expugnaret fortiſſimum exercitũ, ſonare fecit tubas, & buccinas, & lagenas frangi: quæ omnia infirma & debilia erant ad tantum exercitum debellandum, niſi dominus virtutem inimicorum potentia ſua fregiſſet: nihilominus voluit Gedeon nõnihil laboris applicaret, vt inſigni victoria illuſtris redderetur. Et cum poſſit etiam citra vllum laborem noſtrum nobis concedere beatitudinem, vult tamen vt nos noſtro labore & virtutum exercitatione illã paremus. Quare dimittere debes proximo qui te iniuria affecit vt tu etiam viciſſim dimittaris, & honore à Deo afficiaris.

Dimittite & dimittemini. Vrſus ferociſſimum animal non ſæuit in apes ipſum pũgentes, vt gaudeat tandem melle: ita tu non debes ſæuire contra inimicos tuos, & eos viciſſim lædere, vt melle gratiæ & gloriæ ſatieris. Nemo ſanctorũ martyrum ſine inimicis gloriam aſſecutus eſt, cum tamen ipſi inimici ſibi interitum adferrent & perirent. Perſecutores enim ſanctorum & bonorum, ſæpe etiã corporis interitum ſuſtinuerunt, & ſortiti ſunt. Saul qui Dauidem inteſtino quodam odio perſequebatur ſeipſum miſere interfecit. Abſalonis etiam corpus, quod in arbore ſuſpenſum manſit; Ioab triplicis lanceæ ictu transfodit. Semei qui Dauidi maledicebat, interemptus eſt. Quem obſecro exitum habuit Iezabel illa, quæ Eliã tantopere perſequebatur? Athalia quæ regalem proſapiam inimico odio perſecuta eſt, miſerabiliter interempta fuit. Aman perſecutor populi Iſrael, in patibulum actus eſt. Quid dicam de Nicanore, Anthioco, & cæteris perſecutoribus eiuſdem populi? *Dimittite & dimittemini.* Relinque proximo tuo nocenti te, inquit Eccleſiaſticus, & tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata tua. Quid eſt obſecro de quo conquereris? Nonne tu dominum offendiſti? Quid miraris ergo ſi proximi tui te offenderint? Si quidem cum Deũ offendimus digni ſumus in quos vniuerſus mundus inſurgat. Sed vnuſquiſque fere miſericordiam ſibi deſiderat, iuſtitiam verò aliis concupiſcit. Vna menſura menſurári à Deo volumus, alios verò ſcriptum eſt, eadem menſura qua aliis menſi fueritis remetietur vobis.

Dimittite & dimittemini. Cum videamus Deum tanta liberalitate noſtra peccata condonare, æquũ plane eſt vt nos etiam vere & ex animo dimittamus proximis noſtris iniurias quibus nos afficiũt, quod vt latius amplifices & perſequaris, nonnulla indicabo loca.

Ignoſcit Deus liberaliter erratis noſtris Eſa. 43. D. ego ſum, ego ſum ipſe.

Liberaliſſime nobis Deus indulget Eſa. 44. D. deleui vt nubem iniquitates tuas.

Deus benigniſſime noſtra delet ſcelera & flagitia Eſa. 48. b. propter me propter me faciam, &c.

Eos qui ad Deum conuertuntur illuſtrat Deus, atque peccata eis condoriat Mich. 7. b. educet me in lucem, &c.

Deus nobis benigniſſime ignoſcit. Michææ. 7. D. quis Deus ſimilis tui, &c.

Clementiſſime ac perliberaliter nobis Deus indulget. Nahum. 1. C. Non conſurget duplex tribulatio.

Deus nobis benigniſſime ignoſcit, ſi eidem humiliter ſubiiciamur Iob. 15. b. nunquid grãde, &c.

Miſericorditer & clementer noſtra Deus condonat errata. Sap. 12. b. veniam dabas. & 16. b. qui enim conuerſus eſt.

Date & dabitur vobis. Hic docemur quam liberales & officioſi eſſe debeamus, erga pauperes præſertim & egenos. De qua re memorabile nobis reliquit exemplum ſanctiſſimus ille Francorum Rex Ludouicus, qui & propria manu largiens, & per ſuos miniſtros, infinitum prope numerum pauperum quotidie alebat: quos quidem milites ſuos eſſe dicebat, quibus eius regnum ab incurſibus hoſtium defenderetur, atque in pace conſeruaretur; & reuera ita ſe habebat. Nam cum cætera regna bellis æſtuarent, eius tamen regnum nullum experiebatur ſtrepitum, ſed maxima pace & concordia perfruebatur. De Amadeo etiam duce, annalibus proditum eſt, infinitam eum quandam pecuniæ ſummam ad pauperes alendos errogare ſolitum: à quo cum legati quidam quærerent, vbinam haberet canes ſuos quibus vteretur ad venationem, quæ multa fieri poterat in eius regionibus, indicaſſe fertur magnum quendam pauperum numerum, quem tunc miniſtri eius paſcebant, atque dixiſſe: en canes quibus me ſpero cæleſte regnum eſſe venaturum.

Dimittite & dimittemini. Vide D. Aug. lib. 50. homili. homi. 29. to. 10.

Menſuram bonam, & conferta, & coagitatam, & ſuperefflueniem dabunt in ſinum veſtrum. Quid maieſtas illa non impleat? Etiã ſuper implebit, & ſupereffluet, quando menſuram bonam & confertam, & coagitatam dabunt in ſinus veſtros. Vſque adeo quidem ſupereffluet vt ſupra modũ in ſublimitate excedat non modo merita, ſed vota; ſicut vere potens eſt facere ſupra quam nos intelligere aut ſperare poſſimus. D. Bernar. ſermone. 5. in vigilia natalis domini.

Porro fructum talem expectamus noſtri amoris quidem ipſe quem amamus promiſit: menſuram inquiens plenam & confertam, & coagitatã, & ſuperfluentem, dabunt in ſinum veſtrum. Menſura

sura ista vt audio,erit sine mensura.Sed velim scire cuius rei futura sit illa mensura vel potius illa immensitas quæ repromittitur. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Dic nobis tu qui præparas,quid præparas? Credimus,confidimus, reuera sic promittis:replebimur in bonis domus tuæ.Sed quibus quæso bonis, vel qualibus? Forte frumento, vino, oleo, auro atque argento,lapidibus ne pretiosis?Sed hæc nouimus, & vidimus, & videmus, & fastidimus. Id quærimus quod oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. Erunt inquit omnes docibiles Dei & ipse erit omnia[in omnibus. Vt audio plenitudo quam expectamus à Deo non erit nisi de Deo. Quis vero comprehendat quam magna multitudo dulcedinis in breui isto sermone comprehensa sit ? erit Deus omnia in omnibus,&c.D.Bernar.sermo. 11. super cantica.

Mensuram quippe bonam, id est iustam retribuet, quia erit secundum exigentiam meritorum, iuxta illud psalm. reddes vnicuique secundum opera sua. Confertam, quia supra condignum erit, sicut Pau.ait, non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam,&c. Coagitatam, id est supra id quod desiderari potest, secundum illud Apost.ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus. Superfluentem,id est supra id quod humana cogitatio attingere potest, sicut Esa. comprobat, oculus non vidit Deus absque te, quæ preparasti diligentibus te;à quo diuinus Paulus & illud accepit, nec oculus vidit, nec auris audiuit,&c.

Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis Cum vis æquare duo defers ad regulam, & quod superabundat de vno resecas,sicsi aliquis habeat de alieno plusquã debeat habere, id resecat, & reddit vniquique quod suum est, id est pro ista mensura remetietur nobis. Sed obiicitur, aliquis peccat temporaliter, & inde punitur æternaliter, videtur quod non sit æquum iudicium.Dico quod in peccato duo sunt consideranda,duratio & offensa ; & in offensa duo, scilicet auersio, & conuersio ; ex parte conuersionis culpa finita est, ex parte auersionis infinita, quia auertitur a Deo qui est infinitus,cum ergo auertat se ab infinito, infinite puniri debet.Item ex parte durationis est duo considerare,scilicet actum & maculam, actus momentaneus est, macula infinita,id est æterna,ideo infinite,id est æternaliter puniri debet. D. Tho. super Matt.7.

Quemadmodum cum aliis egeritis, sic vobiscum agetur,& qua mensura mensi fueritis, & vos mensurabimini.Et denique vt vultis vobiscum fieri,facite,nam iudicium fiet sine misericordia ei, vt inquit Iacobus, qui non fecerit misericordiam. Si proximo tuo iniuriam intuleris, si eum iudicaueris, si condemnaueris, si denegaueris ei auxilium & consilium, tua malitia reuertet in sinum tuum vt ob eãdem causam tibi malum ascisças,ob quam alteri malum moliebaris.Sic impius Achab & Iezabel interficientes Naboth, iuxta mensuram delicti puniti sunt, nam iuxta verbum Eliæ in eodem loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboth,linxerunt etiam sanguinem Achab. Fratres etiam Ioseph magnis tribulationibus fuerunt in Aegypto oppressi, quia fratrem suum Ioseph non audierunt. Vnde dixerũt;merito hæc patimur,quia peccauimus in fratrem nostrum, & non audiuimus vocem eius dum deprecaretur nos. Eodem etiam modo quia Pharao rex Aegypti suffocabat in aquis filios Israel, eadem pœna & ipse punitus est, quia suffocatus fuit & ipse in mari rubro cum illis qui ei consenserunt. In libro Iudicum etiam legimus dixisse Adonibezec, septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci ita reddidit mihi dominus. Illi etiam de tribu Beniamin qui abstulerunt vxorem leuitæ quia ipsi rapuerunt alienã, habuerunt etiam alienas.Et merito quidem id illis contigit,vt qui alienum conturbernium soluerant,ipsi nuptiarũ amittèrent solennitatem. Simili autẽ modo quia pharisæi peccata manifestabant illius mulieris adulteræ,ideo dominus peccata eorum in terra scribebat.Quapropter si tu charitatẽ cum proximo non habes, & eius manifestas peccata, eodẽ modo tua peccata manifestabit dominus.Vnde in Deute.dicitur pro mensura peccati,erit & plagarũ modus. & in Apoca.etiam habetur quantum se glorificauit in deliciis,tantum date illi tormentorum. Itaque quale iudicium fecerimus de proximo, tale iudicium faciet Deus de nobis. Cæterum obserua quod cum de præmio,siue mensura loquere tur boni,dixit mensuram futuram esse bonã,confertam,coagitatam, & superfluentem, sed cum de mensura mali locutus esset,non sic dixit, sed absolute locutus,inquit:eadem mensura qua mẽsi fueritis,remetietur vobis ratio autẽ quare maior mẽsura detur bono quam malo, illa est : scilicet quia dare bono vltra meritum pertinet ad liberalitatem,dare autem malo vltra demeritum, pertinet ad misericordiam:Deus enim iuxta Theol.senten. punit citra cõdignum,& præmiat vltra condignũ.

Eadem quippe mensura. Vide D.Tho.2.2.q.61.a.4. & 4.sent.dis.46.q.2.a.2.quæstiun.1.

Eadem quippe mensura,&c. Qui alios iudicandi officium excercent præcauere debent vt mensura vtantur recta & æqua, & nullis excæcentur donis & muneribus. Olim quidem antiqui Thebani vt prodidit Plutarchus,depingebant statuam sui iudicis siue imaginem,manibus truncatis: significare volentes eum non debere duci ad iustitiæ mẽsuram & rectitudinem deprauandam,vllis propositis præmiis.Debet enim iudex ad eo rectus esse, vt non solum præmiis non corrumpatur, sed neque precibus aut alia re ab ipsa rectitudine animũ suũ deflectat : aliter enim talis iudex similis est vrso, quem ferunt conspecto aliquo paulo lucidiori & fulgentiori obiecto,excæcari,ita enim isti si dolosi spes affulserint nũmi, aut huiusmodi alterius rei, statim deprauantur,& inflectuntur à rectitudinis tramite. Aegiptij volentes significare quanta esse deberet iudicis rectitudo,cum depingebant vt refert Alexander Aphrodisæus, humeris adeo eductis & elatis,vt ad cælum vsque pertingerent, vnde &caput intra ipsum cælum habebat,vt significarent eius animum non esse deprauandum aliquo terreno affectu.

Dicebat illis & similitudinem hanc nunquid potest cæcus cæcum ducere ? nonne ambo in foueam cadunt? Ordo quippe erectionis in bono iste est,vt primum contra nos,postmodum contra malos erigamur.Nam qui contra bonos erigitur,per superbiam inflatur. Contra nos ipsos enim erigimur, quãdo mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos pœnitentiæ vltione ferimus, quando nequaquam nobis in peccatis parcimus, & nullis erga nos cogitationum blandimentis inclinamur.Qui si districte prius nostra in nobis mala insequimur, iustũ quoque est vt etiam contra aliena mala vtiliter erigamur,& ea quæ in nobis punimus, etiam in aliis redarguendo superemus.Sed hanc erectionem mali nesciunt,quia se relinquunt, & bonos impetunt. Sibi se intra conscientiam suam mollitiæ blãdæ adulationis inclinant, & contra bonorum vitam districtione asperitatis erigunt. Qui enim semetipsum prius non iudicat, quid in alio rectum iudicet ignorat. Hinc est enim quod insidiantibus quibusdam, & puniendam adulteram deducentibus, dicitur. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerãt. Reuocantur itaque intus ad cõscientiam vt prius propria corrigant, & tunc alia reprehendant.Hinc est quod cum tribus Beniamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israel vlcisci iniquitatem voluit,sed tamen semel & iterum in belli certamine ipse prostratus est. Cõsulto autem domino si ad vlciscendum ire debuissent, iussum est. Qui iuxta diuinæ vocis imperium perrexit, & semel & secundo perdidit, & tunc demum peccatricem tribum valde feriens, pene funditus extinxit. Quid est quod in vltionem sceleris inflammatur, & tamen prius ipse prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt per quos aliorum culpæ feriuntur,vt ipsi iam mundi per vltionem veniant,qui aliorum vitia corrigere festinant ? Vnde necesse est vt cum contra nos vltio diuini examinis cessat,nostra seipsam conscientia reprehendat, atque ad lamenta pœnitentiæ ipsa se contra semetipsam erigat,nec contra bonos elata & sibi humilis,sed contra se rigida sit, bonis vero omnibus submissa. D. Grego.lib.14.Mora.cap.15.

Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Docet Christus prælatos sapiẽtia scientia,& sanctitate debere polleremã aliter seipsos & alios præcipitabunt & perdent cum suo consilio alios errare facient.Ridiculũ enim est vt qui speculator est,cæcus sit, doctor inscius,præco mutus,& prelatus in sipiens. Habet enim se prælatus in populo sicut oculus in corpore,vnde in Hiere.scriptum est : quia stulte egerunt pastores',& dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est.

Nunquid potest cæcus cæcum ducere. Qui alium informat & erudit, insciens & negligens esse non debet Isa.56.C.speculatores cæci.&c.

Quid agere debeant qui alios informant & erudiunt Isa.62.super muros tuos Hierusalem.

Qua ratione se gerere debeant concionatores Iere.1.b.ecce dedi verba mea in ore tuo.

Prædicator intrepide populum arguat & reprehendat Iere.1.D.tu ergo accinge lumbos tuos.

Quidam sese faciunt duces aliorum & prædicatores,cum à Deo non mittãtur.Iere.23. E.non mittebam prophetas,& ipsi currebant.

Quidam vani & inutiles concionatores, Iere. 23.Quid paleis ad triticum?

Prædicator magno animi robore præditus sit Iere.26.D.& ait Ieremias ad omnes principes.

Qualis esse debeat concionatoris doctrina. Iere 48.b.maledictus qui prohibet gladium &c.

Concionator prædicet legem Dei, non autem sua inutilia figmenta. Ezech.33.b.audiens ergo ex ore meo.

Prædicator vanus & inutilis quantum noceat Osee.8.b.ventum seminabunt.

Non est discipulus super magistrum:perfectus autem omnis erit si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? De his loquitur,qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxij,minora peccata fratribus non concedunt,culicem liquantes,& camelum gluticntes. Recte ergo & isti simulatione iustitiæ vt supra diximus,appellantur hypocritæ,qui per trabem oculi sui, festucam in oculo fratris sui aspiciunt.D.Hierony.super Matt.lib.1.cap.7.

Quid autem vides festucam. &c. Quod certe nunc plurimi faciunt, qui si viderint monachum superfluum habere vestimentum, legẽ illam dominicã imprudenter imponunt, cum millies ipsi aliena diripiant & quotidie auaritiæ crimen exerceant. Et si eum cibo vti viderint largiori, accusatores existunt amari,ipsi quotidie crapulati,atque temulenti, ignorantes quia cũ propriis admissis hinc quoque sibi congregent maius incendium omnique semetipsos excusatione denudent.Vt enim diligentius peccata examinentur tua, legem primus ipse posuisti,seuerius de his quæ proximus peccauerat iudicando. Ne igitur graue esse credideris si talia sustineas etiam ipse supplicia. D. Chrysost. super Matt.hom.24.

Quid autem vides festucam. Statera dolosa non est bona prouer. 20. Vnde non est bona illius sed dolosa censura,qui ponderat magis discutit,& diiudicat alienos defectus,quam proprios, quos ne videre quidem vult, tametsi grauiores. *Trabem autem, &c.* Videtur hoc dictum minus apposite:si enim dixisset,trabem in domo tua, aut in humeris tuis nõ consideras,videbatur apposite dictum. Verum bene quidem dicitur,vt inde discamus quantum nocumenti quantumque ponderis adferat peccatum ipsi animæ, quod sit veluti trabs quædam in oculo.Vnde si miraris quod is qui trabem habet in oculo,iudicet de festuca oculi alterius, multo certe magis mirari debes, quod is qui grauibus delictis astrictus est, iudicet de alterius minimis erratis, cum propria interim ne videre quidem velit, &c. Vide Palacios super Matt.

Aut quomodo potes dicere fratri tuo ; frater,sine eiiciã festucam de oculo tuo.ipse in oculo tuo trabem non videns? Quæritur vtrum qui in peccato mortali est, possit alium corrigere ? Dico quod aut aliquando fuit in peccato, aut non; si nunquam fuit in peccato,debet timere ne cadat, ideo inuite debet corrigere: si aliquãdo in peccato fuit, cum mansuetudine corripere debet. Et ideo forte dominus permisit Petrum cadere, qui debebat esse pastor Ecclesiæ, vt mitius se haberet cum peccatoribus. De Christo inquit Paulus Heb. 4.nõ habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris,tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Si autem subiacet peccato, aut est publicum,aut occultum.Si ocultum aut ex infirmitate, quia displicet ei.quod peccauit & sic corripere potest, quia quod corripit in alio, corripit in seipso. Si ex malitia nunquam debet corripere. Si autem publicum, non debet arguere cum seueritate, sed mansuete seipsum coniungere illi. Vnde contra peccatores non est obiurgandum cum asperitate. D.Thomas super Matt.7.

Quomodo potes dicere fratri tuo. Id est cum qua facie arguis peccatum laici fratris tui ipse, in eodẽ, aut in maiore peccato existens ? non times ne audias ex aduerso, medice cura te ipsum ? Si medico opprobrium est, qui nec alterius sanitatem habet in potestate, nec suam,si alios velit curare, & ipse debilis sit, quasi testimonium imperitiæ suæ portat in corpore suo propriam passionem; quomodo doctori non sit opprobrium alios velle eruere à peccato,& ipsum in maioribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum eruere à peccato, quam alios?Aut ita, quomodo fratri tuo dicis, id est quo propositio

proposito? Putas ex charitate cordis dicis, vt saluës proximum tuum? Non sed vt te simules iustũ. Si autem vere ex charitate cordis argueres proximum tuum vt saluares, te ipsum ante saluares. Nũquid possibile est vt benevolentior sis aliis quam tibi? vt quid cum teipsum nolis saluare, alterum velis? Hoc ergo dicit: vis libere & fiducialiter reprehendere laicũ, & eiicere de oculo mentis eius peccatum? Prius tuam ipsius mentem purga ab omni malo, vt cum argueris laicum pro peccatis eius, ex diuerso laicus nõ habeat vnde redarguat te pro peccato tuo. Nam incipiet timere in se, cum non inuenerit quod condemnent in te. Laicus etsi magnum fecerit peccatum, modicum est & festuca, quantum ad sacerdotis dico peccatum, quia laicus est: doctor autem etsi modicum fecerit peccatum, magnum est & trabs est, quantum ad Laici dico peccatum, quia docto r est C. Chrysos. in non absolu. Homi. 17.

Quomodo potes dicere fratri tuo &c, Vide D. Tho. 2.2.q.33.a.5.in cor.

Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui. Hic iam iram vult monstrare plurimam, quã habet in eos qui ista committunt. Quotiescunque enim voluerit ostendere aliquod magnum esse peccatum, magnamque etiam propter illud & pœnam, ab iniuria facit correctionis exordium. Sicut ergo & aduersus illum qui à conseruo suo centum denarios exigebat, cum indignatione dixit. Serue nequam omne debitum dimisi tibi; ita hic quoque ait, hypocrita. Non enim pietatis est tam rigida hæc aduersus delicta sententia, sed inhumanitatis. Et personam sibi quidem dilectionis imponit, opus autẽ malitiæ implet extremæ, dũ falsa proximo opprobria affigit & crimina, & inuadit locum magistri, cum non sit dignus tenere discipuli, propter quod illum etiam hypocritam nominauit. Qui enim tam acer inquit in alienis fuisti, vt etiam exigua denotares, quemadmodum in his tam negligens extitisti, vt etiam magna transcurreres? *Eiice primũ trabem de oculo tuo.* Vides certe quia non verueris iudicare, sed iusserit eiicere primum de oculo proprio trabem, & tunc aliorum errata corrigere: nam & sua vnusquisque facilius cognoscit, quam vtique cæterorum; & maiora citius prospicit, quam minora, & seipsum magis amat profecto, quã proximum. Itaque si alterius curam gerere cupis, temetipsum ante curato, in quo & manifestius inuenitur peccatum, & grandius. Non enim debet aliquis condemnare alterum, cum ipse sit reus. Et quid miraris si dominus posuit hanc legem, quæ etiam à latrone seruata est, qui in cruce dicebat ad socium suum, neque tu times Deum, qui in eadem pœna es? protulit enim vocem, Christi omnino sententiæ consonantem. Tu vero quidem tuã trabem non modo non eiicis, sed ne sentis quidem, fratris verò non modo vides, sed iudicas, & eiicere conaris, Velut si aliquis sæuissimo hydrope, vel quolibet immedicabili languore constrictus, hunc quidem etiam negligat, eum vero culpet qui exiguum in aliqua corporis sui parte non curet tumorem D. Chrysos. super Matt. Homi. 24.

Super Episto. & Euange. duas habet conci. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Duas item habet D. Tho. prope finem to. 16.

Super illa verba, hypocrita eiice primum trabem &c. Vide Sixtum senen. biblio. sanc. lib. 6. anno. 38.

DOMINICA SECVNDA POST Pentecosten, quæ est infra octauam corporis Christi.

HOMO quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14. Per cœnam istam sicut dicunt sancti, intelligitur beatitudo cælestis. Dicitur autem cœna ista magna propter tria: primo propter celebrantium ipsam cœnam multiplicitatem, secundo propter ferculorum quæ ibi dabuntur copiositatem. Tertio propter ipsius cœnæ æternitatem. Propter primum dicitur magna triplici ratione: primo ratione facientium. Faciẽtes sunt, pater, filius, & spiritus sanctus: & ideo immensam faciunt cœnam. Isa. 25. faciet dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcate. Esther 1. tertio anno imperij sui rex Assuerus fecit conuiuiũ cunctis pueris & principibus suis. Secundo ratione ministrantium, qui sunt millia millium. Dan. 7. millia millium ministrabant ei. Tertio ratione conuiuantium, qui erunt decies centena millia. Dan. 7. decies centena millia assistebant ei. Propter secundum dicitur magna cœna illa, quia erunt ibi millia millium ferculorum. Fercula in vita æterna sunt gaudia, & quia sunt ibi millia millium gaudiorum, erunt ibi millia millium ferculorum. Possumus autem hic assignare tria magna fercula primum ferculũ erit gaudium de omnium malorum absentia: secũdum de omnium bonorum præsentia. De his duobus Deute. 8. absque vlla penuria bonorum omnium abundantia per frueris. Isa. 35. gaudium & lætitiam obtinebunt. & fugiet dolor, & gemitus. Tertium continua de diuina laude lætitia. Psal. 83. beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. De his tribus Augus. in lib. de ciui. Dei. O quanta erit illa felicitas, vbi nullum malum erit, nullum latebit bonum, vacabitur internis laudibus, & Deus erit omnia in omnibus. Circa tertium notandum, quod cœna ista dicitur æterna propter tria: primo quia nunquam terminabitur. Ioan. 16. gaudium vestrum nemo tollet à vobis, cœnare enim est gaudere. Secundo quia nunquam à cœnando cessabitur. Apoc. 4. requiem non habebant die ac nocte, dicentia, dominus, Deus omnipotens qui est, & qui erat, & qui venturus est: clamantia & dicẽtia, sanctus, sanctus, sanctus. Laudare enim ibi est idem quod cœnare. Tertio dicitur æterna, quia tota simul manducabitur. Boetius. dicitur æternitas vitę beatæ possessio tota simul apo. 19. beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. D. Tho. in quodam sermo. de hoc Euange.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciæ cum non habentur, graue in se desiderium accendunt, cum vero auide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur: & idcirco non habitæ, amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Proinde psalmis, nos admonet dicens, Gustate & videte quoniam suauis est dominus, Acsi aperte dicat, suauitatem eius non cognoscitis, si hanc minime gustatis. Sed cibum vitæ ex palato

palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem, amare valeatis. Has autem homo delicias tunc amisit; cum in paradiso peccauit: extra exiit, os, à cibo ęternę dulcedinis clausit. Vnde nos quoque nati in huius peregrinationis ęrumna, huc fastidiosi iam venimus, nescimus quid desiderare debeamus. Tantopere se amplius fastidij nostri morbus exaggerat, quanto se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat. Et eo iam internas delicias nõ appetit, quo eas comedere diu longęque desuescuit. Fastidio ergo nostro tabescimus, & longa inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram. Sed superna nos pietas nec deserentes se deserit: conteptas enim illas delicias ad memoriæ nostræ oculos reuocat, easque nobis proponit: in promissione torporem excutit, atque vt fastidium nostrum, repellere debeamus inuitat. Ait namque, homo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos. Quis iste homo est, nisi ille de quo per prophetam dicitur, Et homo est, & quis cognouit eum? Qui fecit cœnam magnam, quia satietatem nobis dulcedinis internæ præparauit. Qui vocanit multos, sed pauci veniunt, quia nonnunquam ipsi qui ei per fidem subiecti sunt, æterno eius conuiuio male viuendo contradicunt. D. Grego. in Euange. Homi. 36.

Fecit cœnam magnam. Hæc cœna per conuiuium illud designata est, quòd Assuerus tertio anno regni sui fecit optimatibus & amicis suis ac de hinc ad illud omnẽ populũ qui in suis repertus est inuitauit. Nã Assuerus mystice Christus est, tertius annus tertium tempus est. Primum enim tempus fuit ante legẽ, secundũ sub lege, tertiũ sub gratia. in hoc rex regũ exhibuit cõuiuium suũ. Optimates & amici sunt apostoli, & qui de Iudæis primo crediderunt. Populus de tota vrbe inuitatus est multitudo gentium de toto orbe vocata, quoniam ciuitas vel mundum vel gentilitatẽ designat. Misit itaque dominus iste seruum suũ hora cœnæ dicere inuitatis vt venirẽt, quia iã parata sunt oĩa. Secꝰ est ordo prædicatorũ, hora cœnæ extrema ętas seculi, de qua beatus Ioan. loquitur: filioli nouissima hora est. Hæc enim hora est spatiũ tẽporis ab aduentu domini vsque ad finem seculi, in quo scientia spiritualis est reuelata, & gratia sancti spiritus effusa, & regna cælorum aperta. Ideoque dicit, quia iam parata sunt omnia. Nihil enim restat nisi vt quisque dignum se præparet & veniat, & his omnib. perfruatur. D. Ansel. in suis enarrat. super Euã.

Cum superius mutos sua sapiẽtia Christus reddidisset ipsos pharisæos, instruxissetque conuiuas, & dedisset eis hoc consilium, scilicet cum inuitati essent vt nouissimum potius sibi quærerent locum, tum etiam ipsum inuitantem, vt in suis conuiuiis cõuocaret pauperes & egenos, vt illi honorem sibi conciliarẽt inter homines, hic vero æternam mereretur retributionẽ: cumque vnus ex discumbentibus audiens æternã retributionem, exclamaret, dicens, beatus qui manducauit panẽ in regno Dei, quasi diceret, paucos esse qui ad illas epulas cælestes peruenirẽt. Ecce nũc Christus proposita hac parabola cæpit edisserere, quomodo omnes nedum Iudæi, inuitati essent ad epulas illas atque delicias cælestes: verũ Iudæos cupiditatibus suis terrenis & propria malitia, recusasse cœnam illam, ac propterea alios vocatos fuisse nempe gentiles. Vide Simo. de Cassia lib. 6. c. 19.

Non quidem est hæc cœna illa quã fecit Assuetus, neque illa quam fecit Baltha. Dani. 5. sed præstantior longe & excellentior, siue numerum spectes inuitatorum, siue etiam delicias epularum. Neque est veluti cœna illa Alexander magnus de qua refert Plutarchus, quòd præmium daretur in ea illi qui pluries epotasset, & multi propterea interierunt: cui & aliam copiosiorem adiunxit, in qua etiam multo plures perierunt, vt prodidit Aulus Gellius. Sed cœna est in qua sese deus dat in cibum, quęque in sempiternum duratura est. Quam cœnam qui recusant atque negligunt, similes esse videntur reginæ Vasthi, quæ recusauit conuiuium regis Assueri, atque propter ea de regia dignitate depulsa est, & in eius locum successit ipsa Esther. Quod quidem malum plerisque admodum contingit, qui siliquis malunt saturari, instar filij illius prodigi, quam conuiuio hoc paterno frui, quibus minatur Deus per prophetam, dicens, quibus iurauí in ira mea si introibunt in requiem meam. Si enim tãtopere indignatus fuit Assuerus quòd regina Vasthi recusaret eius conuiuium, an non magis irascetur Deus cõtra negligentes eius cœnam? Vide Guttier. Treium super hunc locum.

O cœnam sumptuosissimam, atque diuinam! beati qui ad cœnam agni vocati sunt. Apoca. 19. Baruc. 3. ô Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! de lautitiis & deliciis huius cœnæ inquit apost. Oculus nõ vidit, neque auris audiuit, &c. Excusant se plerique ab hac diuina cœna illaqueantes se & obruentes scelerib. atque vitiis, cũ tamẽ Deus omnes ad eã vocauerit atque inuitauerit. Ecclesia. 7. inueni quod fecerit deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Vide D. Bona. super Luc. 14.

Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Obserua quod hoc conuiuium Dei non prandium sed cœna vocatur, & post cœnam nullum conuiuium restat. Inuitat mundus ad prãdium, & non ad cœnam: solet enim in hac vita suis amatoribus delicias præparare, sed hora cœnæ, hoc est fero & hora mortis eorum, relinquit illos famæ confectos abire. Sic Baruc. in persona mũdi de suis dilectoribus ait, nutriui eos cum iucunditate, dimisi autem illos cum fletu & luctu. Hic seculi huius amatores prandium faciũt, comedunt & bibunt, lætantur & exultant, & ad votum illis omnia succedunt, sed in fine fame peribunt, cũ in morte nec caro, nec mundus, nec deliciæ quicquam eis proderunt, sed vili operti sindone, vermibus deuorandi tradentur sepulturę, & animæ æternum cruciabuntur in inferno. Sed aliter Christus qui hoc seculo ad labores, famem, & sitim inuitat, & hic persecutiones & famem patiũtur sui, sed opulentissimam habebunt cœnam in fine. In finem ait Ioannes quod Christus dilexit suos quia in fine vitæ & hora amoris maiora signa dilectionis & amoris eis ostendit.

Iam parata sunt omnia. Antequam mundus fieret aut crearetur orbis, in initio suæ æternitatis. Præparauit autem illam magnis sumptibus, pretioso videlicet sanguine filij sui vnigeniti illam nobis promeruit. O quantum gaudium antiqui patres haberẽt, si hoc illis contigisset! Vocabantur quidẽ illi, sed nondum omnia parata erãt: quia passio Christi nondum exhibita erat, quinimo expectabant futuro tempore paratum iri. O felix tempus ætasque beata, in qua prędicatores dicere possunt, iam sunt omnia parata, iam Christus mortuus est pro vobis, iam suo sanguine cælum aperuit, iam cælum ascendit, & præparauit vobis mansiones in æterna beatitudine. Venite ergo ad cœnam, quia omnia parata sunt. Ideo Christus Apostolis dixit Luc. 10. beati oculi qui vident quæ vos videtis,

& beatiores certe patribus antiquis, qui etiam cœnam præparatam inuenitis.

Quid hora cænæ nisi finis est mũdi? in quo nimirum nos sumus, sicut iamdudum Paulus testatur, dicens: nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt. Si ergo iam hora cænæ est cum vocamur, tanto minus nos debemus excusare à conuiuio Dei, quanto propinquasse iam cernimus finem seculi. Quo enim pensamus quia nihil est quod restat, eo debemus pertimescere ne tempus gratiæ quod præsto est pereat D. Grego. in Euange. Homi. 36.

Et misit seruum suum. Vnde si minus accedimus ad cænam, vitio nostro, id facimus: nam vocati quidem sumus, ad omnes missi sunt serui, euntes in mũdum vniuersum, &c. Omnes quidem vocãtur, venite ad me omnes qui laboratis, &c. Quod si horum excusationes qui recensentur in euange. admissæ non fuerunt, quam excusationem dabunt hi qui adulteriis, latrociniis, & aliis huiusmodi sceleribus sese in dies onerant, atque opprimunt? Vide Hoffmeisterum super Luc.

Et cœperunt simul omnes excusare: primus dixit ei, villam emi, & necesse habeo exire & videre illam, rogo te habe me excusatum. Sunt res terrenæ circa quas occupari solent homines, & per quas impediri solẽt, vel possessiones, vel voluptates, possessionum autem alia in fundis consistit, alia in pecudibus. Vnde per tres illos qui in parabola diuersis distenti occupationibus recusauerunt adire cænam, significantur quotquot quacunque rerum terrenarum implicatione excluduntur à regno cælorum, qui scilicet vt habet Lucas in parabola seminãtis, audierunt verbum Dei, & à solicitudinibus & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & nõ referũt fructũ. Tria enim quibus homo impeditur à regno cælesti in his verbis significata, etiã significantur in hac parabola per tres recusatores. In primo enim ostenditur impedimentum diuitiarũ, in secundo impedimentum solicitudinis, quanquam in vtroque vtrumque satis notetur impedimentum, vt non sit differentia nisi in materiæ diuersitate: in tertio vero notatur impedimentũ voluptatis carnalis. Sũt qui non omnino male in his tribus intelligunt significari tria illa quæ Ioannes dicit esse in mundo, sub quibus vniuersa vitia cõprehenduntur, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ: & superbiam quidem in primo notari qui villam emerat, concupiscentiã oculorũ in secundo qui pecora emerat, cõcupiscentiã autẽ carnis in tertio qui vxorem deduxerat. Cor. Iãse. in sermo de hac domini.

Et cœperunt omnes simul excusare. Omnes dicit non aliqui: ô lachrimabile malum! ô miseranda progenies Adam! fere omnes contemnunt vitam cælestẽ, omnes quęrunt quæ sua sunt, omnes appetũt terrena. Vnde Iere. à minimo vsque ad maximum auaritiæ omnes studẽt. Si pauperculus quidã à diuite potente & honorato inuitaretur ad cænam, nonne gaudens & lætus præpararet se diligenter, ne alius ad conuiuium potentis prius occurreret? Quanto gaudio & exultatione Aman init ad conuiuium Assueri regis, & suam gloriã lætus nuntiabat vxori & amicis? Quanto magis hæc cœna multo pretiosior est, cõuiuio regis Assueri? si rex pauperem inuitaret, festinaret ad cõuiuium, & nos ad Dei inuitamur cænã, & excusamus nos, & ire contemnimus? Mira res, vocat deus ad cænã, & ire recusant. Si vocaret ad labores, non mirũ si nollent venire sed vocãtur ad cænã, & nolunt. Vocat mũdus ad labores, & omnes sequuntur illum: omnis populus secutus est Sibã filiũ Bochri, pauci autem Dauidem: vocat mundus vt decipiat, diabolus vt torqueat, & caro vt illudat, & oẽs hoc sequuntur. Christus autẽ vocat ad cænã vt gaudeas, & cænes cũ illo, & læteris, & pauci sequũtur illum. ô si cõsideraret peccator quod amittit, & quare amittat.

Et videre illam. Expende hominis stultitiam, fructus rei quam tam caro emit, propter quam seipsum calamitatibus innumeris subdidit, & damnauit, non est alius quam videre illam. Quam vtilitatem habuit, nisi quia eam vidit? Nõn dicit gaudebo de ea, vel possidebo, vel satiabor. Sed videbo: infelix fructus bonorum huius mundi & potentatus. Dic mihi, si maximam famẽ haberes, sufficeret tibi tantũ cibũ videre, non comedẽdo illũ? Certe hoc nõ modo famẽ nõ extingueret, sed magis appetitũ excitaret. Vide qui honores ambis, & seculi vanitates, quod non de illis plus habes quã videre illas. Non enim satiant, non quietant appetitum, sed magis accẽdunt voluntatem. Quid prodest possessori diuitiarũ nisi quòd cernit diuitias oculis suis? Non plus aliis eis vtitur, & quemadmodum Tantalus in mediis aquis sitit: Tantalus à labiis sitiens fugientia captat, flumina, quid rides? mutato nomine de te fabula narratur. Tu Tantalus es, qui in medio diuitiarum, siti peris. Obserua etiam huius stultitiam, non solum in eo quod rem inutilem tam care emit, sed etiam in eo quod priusquam vidisset emit. Emit enim, & postea exiuit videre illam. Quomodo autem emeret si prius vidisset? Honores, diuitias, voluptates, & quæcunque mundus dare nobis potest, prius emimus quã videamus, nam si prius vidissemus, nullo modo à nobis emerentur. Verũ nos vt cæci in omnia mũdi oblectamẽta ruimus, non attendentes quid faciamus, nosmetipsos vẽdentes, libertatemque nostram propter ea erogantes. Discę ergo ex hoc loco quæ sunt mundi prius diligenter aspicere, quam emere. Sic de quadã anima sapiente legitur in Prouer. consideravit agrum & emit eum. Prius agrum consideravit, & quia bonus erat, emit, eum.

Villam emi. Quid per villam, nisi terrena substãtia designatur? Exiit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam D. Grego. in euange. ho. 36.

Iste primus gerit personam potentum seculi, qui villas & castella sibi vendicant, vt super cæteros potestatem exerceãt, & honorabiliores atque ditiores sint cætetis D. Ansel. super hoc Euange.

Villam emi. Student homines honoribus acquirendis, atque diuitiis, & in mundanarũ rerum sapientia altas agunt radices: similes valde sunt talpis, qui subtus terram viam aperiunt, in media verò luce cæci & obtenebrati ambulant. Heli adeo cæcitate laborabat, vt nec lucernã posset videre antequam extingueretur: ita hi qui terrenarum rerũ sapientiam, atque cæcitatem mundi induerũt, lucẽ diuinarũ rerũ non cernunt. Dæmonis est ingeniũ homines allicere & ducere in res exteriores, & nõ ad internas, quin potius rebus externis homines excæcat, ne interiores videant. Luxuriæ & libidini deditis, huius vitij voluptates ob oculos ponit, non autem pœnitentiam & tristitiam quæ post illud peccatum remanet. Auaro pulchritudinem & splendorem auri repræsentat, at non ob oculos ponit diuitum curas & solicitudines. Alteri dicit, esto prælatus, esto dominus, & hatum dignitatum honores ob oculos illi ponit: at non manifestat quam grauia sint horum statuum onera, quamque arcta ratio ab his sit exigenda: Nunquã demum teipsum inuitabit tui ipsius humili cogitatione,

gitatione, sed rebus vanis. Moyses seruus Dei spiritu diuino ductus gregem mittebat in interiora deserti. Iubebat etiam dominus vt animal quod ei offerebatur, sine pelle esset: dæmon autem vult vt obsequium quod ei præstas, pelle voluptatis cooperias, vt interiora illius vitij & peccati nõ videas. At tu teneris id facere quod deus iussit, scilicet vt auferas vitio pellem voluptatis, tunc que clare intelliges quænam fallaciæ & turpitudines absconditæ sint in eo quod mundus repręsentat. Omne igitur malum tuum ex eo pendet, quod non auferas peccato pellem: adime quæso pellem & corticem, & in eius interiora ingredere, & tunc videbis aperte quanta sit abominatio intus abscondita in eo quod tu tantopere desideras. Vnde angelus Tobiæ dixit, exẽtera piscem, & cor eius & fel, &c. Sunt enim hæc necessaria ad medicamenta. Sic ex entera tu peccatum, & facies medicinam cæcis oculis, vt tandẽ malitiam peccati agnoscas, & mundi vanitatẽ. *Villam emi.* Mercatores qui diuites fieri cupiũt, merces emũt in locis in quib. vilius vendũtur easque traducũt vbi cariori vẽdũtur pretio: si ergo tu diues & beatus euadere cupis, ne te oneres nimiũ diuitiis aut honoribus, nam gloriæ & diuitiæ in domo eius, vt inquit regius vates. Item nimis honorati sunt amici tui deus: sed hic te debes onerare persecutionum tolerantia, famis, sitis, & cæteratum afflictionum, quæ non sunt in patria illa cælesti.

Villam emi. Si voles hoc loco paulo latius spatiari contra ambitiosos & arrogantes, nonnulla tibi indicabo loca.

Ambitio & dominandi cæca libido quantum nocumenti inferant. Iudicum 9. A. & occidit fratres suos.

Ambitiosi & dominandi auidi quo fine claudantur 2. Reg. 18. D. proiecerunt eum & 2. Mach. 9. per totum.

Percellit ac prostrat deus arrogantes & Ambitiosos Isa. 17. A. ecce damascus desinet esse.

Ambitiosi & arrogantes quam vanis innitantur fundamentis Isa. 29. E. quis videt nos? 1. Mach. 6. & rex Antiochus,

Quanta sit vanitas arrogantis Iob 32. b. iunior sum tempore, & c. 40. D. ecce spes eius frustrabitur. Vide etiam 33. & 34.

Ambitio & arrogantia quantum detrimenti afferant. 2. Reg. 24. A. vade numera Israel.

Proprietas & ingenium arrogantium ac tumidorum 4. Reg. 5. cum acceperis epistolam hanc. Vide etiam 4. c. 18. & 19.

Proprietas ambitiosorum & arrogantium Esther 3 A. adorabant Aman. b. & pro nihilo duxit. 5. C. exposuit illis magnitudinem diuitiarum 6. b. reputans quod nullum alium rex nisi se vellet honorare.

Arrogantes quo fine claudantur 2. Mach. 15. f. caput Nicanoris.

Arrogantes de se vane præsumunt Apoca. 3. C. dicis quod diues sum.

Arrogantibus iudicium seuerum minatus est Deus Apoca. 18. C. væ væ ciuitas.

Arrogantia & ambitio Matt. 20. C. dic. vt sedeant.

Arrogantia quantum incommodet Ioan. 5. G. quomodo vos potestis credere.

Arrogantiam & ambitionem deiicit deus Luc. 10. C. videbam satanam.

Et cœperunt simul omnes excusare. Derelinquunt homines, vel subterfugiunt & recusant res diuinas, & se totos omnes permittunt rebus humanis & caducis, atque ita propter temporaria iacturam faciunt æternorum. Vt enim gustatus retunditur & stupidus redditur, si immaturos acerbosque ederit fructus, ita vt postmodum vel si suauissimos delibauerit, vix suauitatem ipsam persentiat: & sicut cultellus aliquis vbi aciem hebetatam habuerit propter crassum aliquod obiectũ in quod vim suam exercuit, paulo post in delicatum non potest fine maxima difficultate agere: ita profecto qui se totos dedunt rebus terrenis & inutilibus, gustum rerum diuinarum & suauitatem amittunt, indeque fit vt plerique se excusent à cælesti diuinaque æna.

Vsque adeo pleriq; rebus friuolis & infimis diditi sunt, obliti interim rerum solidarum, vtilium, ac salutarium, vt propter eiuscemodi curiositatem suam vitæ etiam iacturam non raro incurrant. De Arist. quidem ferunt, quòd miserabili quodam dolore atque mæstitia cõsumptus diem suum obierit, propterea quod coniicere satis & assequi nunquam potuerit causas fluxus paludis cuiusdam, aut marini sinus, de quo mentionem faciens Pomponius Mela, inquit quod septies singulis diebus fluere soleat ac refluere, siue aridum relinquere litus. Cæterum quod Aristo. ex eo mærore & sensu diem suum obierit, proditum reliquerunt Iustinus martyr, Procopius historiographus lib. 4. Grego. item Nazianzenus in prima contra Iulia. Oratione. Quin etiam nonnulli dicunt quod sese in eandem paludem præcipitem demerserit, vt refert Mirandula. lib. 4. suæ philoso. Pitacus præterea de rebus quibusdam friuolis librum composuit. Martianus item in rafani encomium alterum: & Chrysippus in laudem brassicæ. Phanias in laudem vrticæ, Phauorinus in encomium quartanæ, Lucianus in encomium muscarum. In huiusmodi igitur rebus friuolis plerique occupari solent, obliti interim vel negligentes res cælestes atque diuinas.

Multi quidem voluptatibus deliciisque mundanis dediti, sese etiam à cælesti & diuina cæna quam longissime remouent: quod institutum vt fusius persequaris, consule Vincen. Bellua. spe. doctri. lib. 4. c. 151. v sque 154.

Villam emi. Hic quidem propter ambitionem & inanem gloriam, vel inuisam etiam & nunquam à se adhuc conspectam, villam emit, quod vitium si pluribus detestari voles, vide Vin. Bell. spe. Mor. li. 3. par. 3. dist. 8.

Et alter dixit, iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Obserua quod illa quę impediunt inuitatos ne conuiuio fruantur, non sunt de numero illarum rerum quæ de se malæ & prohibitæ in lege sunt, quemadmodum furta, periuria, adulteria, & alia similia, sed illarum quæ vt plurimum vt bonæ admittuntur, vt est matrimonium contrahere, rem familiarem administrare. Vnde perspicue infertur non solum ea quæ mala esse cognoscimus, verum etiam & illa quibus huic mundo indulgemus licet bona videantur, si parce eis non vtimur nos perpetuo à gloria cælesti exterminare, & in inferno sepelire. Et si verum fateri volumus, quod Christianos homines multo magis in his posterioribus quam in prioribus periculum versatur. Nam rapinæ, homicidia adulteria, aliaque similia peccata, cum aperta faece grassentur, facillime à nobis cognoscuntur, vt ea vitemus & odio habeamus: verum hæc altera mala quia operta & palliata incedunt, & sub prætextu boni, multo periculosiora facilioraque sunt vt in ea incidamus.

Circa illud,iuga boum emi quinque,quod plerique ſancti interpretantur de quinque ſenſibus corporis,conſule Lauren.Iuſti.lib. de humili, cap. 22. vbi tractat de diuerſitate & vnitate corporalium ſenſuum.

Quomodo colligendi ac moderandi ſint ſenſus exteriores, conſule eundem lib.de vita ſolita. cap.7.

De cuſtodia ſenſuum corporalium,vide Vincē. Bell.ſpecu.mora. lib.3.par.1.diſt.5.

*Iuga boum emi quinque.*Ex humanis proſperitatibus inſoleſcebant iſti, & renuebant parere vocationi patris familias. Sic ſodomitæ ex abundantia rerum temporaliū tam peſſimi euaſerunt Gen.19.

Saul antequam euectus eſſet ad regiam dignitatem, maxima præditus erat humilitate & probitate, ſed poſt modum deprauatus eſt.1.Reg.18. Ieroboam etiam habito regno vitulos conflauit, & in ruinam prolapſus eſt 3.Reg.12.Cum roboratus eſſet Ozias, eleuatum eſt cor eius 2. para. 26. Item Manaſſes in proſperitate deprauatus eſt, qui poſtmodum in anguſtia & afflictione conuerſus fuit 2.para.33.Aman ſecunda vtens fortuna inſolentiſſimus fuit & vaniſſimus. Eſther.5.

Cum populus laudes diuinas acclamaſſet Herodi ipſe elatus fuit,ſed poſtmodum ab angelo percuſſus eſt.Acto.12.

Vide quantopere nimia illa rerum omnium abundantia nocuerit Salomoni, cuius tempore aurum & argentum præ tanta copia & abundantia pro nihilo fere ducebantur.

Filiis Iambri nuptiasfacientibus,Ionathas cum aliis ſuperuenerunt, & multitudinem ex eis occiderunt, conuertentes nuptias in lamentum 1.Macha.9.

Filiis & filiabus Iob veſcentibus in domo primogeniti fratris domus ipſa corruit, & eoſdem operuit.Iob.1.

Statua illa Nabuchodonoſor percuſſa à lapillo ac deuaſtata, indicat proſperitatem mūdanam citiſſime euaneſcentem ac præterlabentem.Dani.2.

Iuga boum emi quinque. Vides excuſationem hominis,qui propterea Chriſtum non ſequitur,propterea excuſat à nuptiis, quod iuga boum emerit quinque? Quid ſi eorum laborem & dolorē conſideres, ſi numeres iuga qui variis ſeruiunt vitiis morū magis quā corporum ſenſibus? Erit profecto inuenire iam homines qui multo magis in labore hominum non ſunt, ſed lōge amplius aliena ab homine flagella ſuſtineant. Erit inuenire emētes non modo quinque, ſed plus quam quinquaginta quinque, non plane iumentorum iuga, ſed dæmonum.Contendunt ambitio,& elatio cordis: altera nidum,altera foueā parat. Volare altera iubet, repere monet altera, cum neutrum profecto ſit hominis,&c. D. Bernar. in declama. Sermo. de verbis Euange.dixit Simon Petrus ad Ieſum ecce nos reliquimus omnia.

Per quinque iuga boum ſignificantur quinque ſenſus, quibus male vtentes eos quodammodo emere dicimur, atque tunc quadrare nobis videtur illud Hiere.9.aſcendit mors per feneſtras, &c. vide Simo.de Caſſia lib.6.cap.19.

Graue quidem iugum eſt ſuper filios Adam, quid ergo quæris alio atque alio ſubinde iugo te onerare atque opprimere?Siquidem quot peccata committis,tot iuga ſupra te imponis.Satis ergo ſit tibi illud quod primo ſubiiſti iugum in primo ortu tuo, quandoquidem niſi beneficio paſſionis Chriſti ab eo liberari non vales. Quod ſi ſuauiſſimum quæris iugum,obſeruato legem & præcepta Chriſti, quæ te perducent ad patriam ſempiternam.Vide Gillebertum ſuper hunc locum.

*Et alius dixit,vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.*Notandum quod cum duo priores orent ſe haberi excuſatos, tertius qui vxorem duxerat, quo nomine accipiuntur qui voluptati carnis operam dant,non addit illa aliorum verba, rogo te habe me excuſatum,ſed tātum,ideo inquit non poſſum venire: vt intelligamus nil ita obruere animum vt laſciuiam carnis,quæ faſtidium, imo obliuionem parit rerum diuinarum.Vnde in Oſea dicitur fornicatio,& ebrietas, & vinum, auferunt cor. Corne.Ianſe.ſermo.de hac domini.

Vxorem duxi. Maximum eſt ornamentum continentiæ & integritatis etiam inter ipſos coniuges, commendatum à pleriſque ſacris Conci.& decretis ſummorum pont.Vnde Sirici.pa.inquit,neque vero nos negamus ſanctificatum à Chriſto eſſe coniugium, diuina voce dicente, erunt duo in carne vna:veruntamen & Apoſt.dixit.1.cor.7.qui matrimonio iungit,&c.Cōci. floren.de matrimonio ita habet ſeptimum eſt ſacramentū matrimonij,quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & eccleſiæ ſecundum Apoſt. Tria vero ſunt bona matrimonij:primum proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum fides quam vnus coniugum alteri ſeruare debet. Tertiū indiuiſibilitas matrimonij propter hoc quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti & eccleſiæ. Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonij vinculum legitime contracti perpetuū ſit.Vnde aperte videas, quod tam ſanctum ſacramentū non impediat quo minus adeſſe valeamus cæleſti cænæ, ſed potius abuſus in eo atque intemperātia deteſtabilis.Multa porro circa hoc inſtitutum tibi parare poteris per indices ſacrorum Conc.verbo matrimonium, & ſimilibus.

Quemadmodum cum quis aliquo contuetur, ambos pariter oculos fere dirigere eodem & cōtendere ſolet: ita plane in matrimonio maxima quadam concordia coniuges iungi debent & copulari,vt eodem ſpectet amborum intentio in rebus præclaris, honeſtis & cum laude coniunctis. Cæterum circa matrimonium multi etiam philoſophi nos videntur inſtruere: nam Pittacus dixit, ætate matura, atque ingenio honeſto præditam vxorem deligito. Cleobulus, coniugem tibi quærito etſi ætate iuuenem, prudentia tamen ſenem. Antiſthenes,loquacem mulierem & vitioſam tibi ne aſſociato. Socrates, vxorem ducito ex æqualibus, ne ſi ex ditioribus duxeris ſiue ſuperioribus, dominam fortaſſe tibi pares. Democritus, vxorē non voluptatis,ſed liberorum gratia ducito. Heſiodus,ætate matura vxorem domum ducito. Antiphanes,garrulam coniugem tibi ne aſſociato.Olimpias, vxorem non oculis ſolum & digitis, ſed auribus etiam ducito.

*Et reuerſus ſeruus nuntiauit hæc domino ſuo,qui ait, Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles,& cæcos,& claudos,introduc huc.*Quod neque ille qui nimium intentus inferioribus, poſſeſſiones ſibi terrenas coemit regnum cæli poſſit adipiſci, cum dominus dicat: vende omnia tua, & ſequere me.Nec ille qui emat boues cū Eliſeo occiderit, & populo diuiſerit quos habebat. Et ille qui duxit vxorē,cogiter quæ mūdi ſunt,nō quæ Dei:nō quo coniugiū reprehendatur,ſed quia ad maiorem honorē vocetur integritas:quoniam mulier innupta & vidua cogitat quæ ſunt domini, vt ſit ſancta corpore

corpore & ſpiritu.Nam quæ nupta eſt,cogitat quę ſunt mundi,quomodo placeat viro. Sed vt in gratiā vt ſupra cum viduis, ita nunc etiam cum coniugibus reuertamur, non refugimus opinionem quam ſequuntur plerique vt tria genera hominum à conſortio magnæ illius cænæ æſtimemus excludi,gentilium, Iudæorum, hæreticorum,&c. D.Ambro.lib.7.ſuper Luc.c.14.

*Tunc iratus pater familias.*Si voles hoc loco diſſerere quomodo deus ſæpe oſtendat ſuam indignationem atque iram contra ſceleratos & impios, quique eius voluntatem & iuſſa contemnunt, nonnulla indicabo loca.

Attende quam vehementer iraſcatur deus nōnunquam contra ſceleratos, quandoquidem propter iniuriam illam arcæ ſuæ illatam, tot millia hominum perierunt.1.Regum.5.

Vide quantopere ſoleat deus nonnunquam ſuccenſere,ſi quidem propter Hebreorum peccatum principes populi Iſrael ſuſpenſi fuerunt,atque viginti quatuor millia hominum gladio interempti,vt conſtat numero.25.

Quia diuinas admonitiones gentes illæ audire nolebant,& leges dei ſanctas contemnebant, iratus Deus immiſit in eos leones quibus trucidarentur 4.Reg.17.

Vide quantopere ſuccenſeat deus contra eos qui nolunt ad ſe conuerti.Amos 4.per totum.

Ira grauiſſima contra ſceleratos & nequiſſimos, Nahum.1.A.deus æmulator & vlciſcens, &c.

Oſtendere volens deus indignationem ſuam contra malos,inquit per Oſeam.5.ego quaſi leœna Ephraim,&quaſi catulus leonis domui Iuda, &c.

Vide qualis ſit illa metaphora qua vtitur deus per Iſa. 10. oſtendens quod nemo reſiſtere valeat eius indignationi:dicit enim, & inuenit quaſi nidum manus mea,&c.

Vide quibus metaphoris prophetæ patefacere ſoleant iram & indignationem dei:nam Amos. 3. b.dicitur leo rugiet,quis non timebit? Et D.quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis,&c.Mich.5. C. etiam habetur, quod deus ſic aget cum impiis, quaſi catulus leonis in gregibus pecorum.

Maxime indignatus eſt deus contra regem Ioachim,propterea quod codicem Hieremiæ in ignē conieciſſet, vnde & eum puniuit maximis quibuſdam ſuppliciis.Here.36.

Tanta eſt ſæpe dei indignatio contra impios, vt nullum ſibi inueniant perfugium. Amos. 9. ſi deſcenderint vſque ad infernum,&c.

Dei maxima ira contra impios.Nahum 3.b.ecce ego ad te dicit dominus exercituum.

Quam grauiſſimis & variis comminationibus minetur deus rebellibus &ſceleratis,vide Iere.15. per totum.

Attende quanta fuerit Dei ira etiam in ſibi chariſſimum Moyſen num.20.

Adeo vehementer iratus fuit deus in Dauidem quod populum numeraſſet, vt multa hominum millia ex eius regno interemerit 2.Reg.24.

Vide quantopere iraſcatur deus, & homines terrere ſoleat pro eorum ſceleribus, quandoquidem Heliodorus ille ex horribili dei caſtigatione vſque adeo exterritus fuit, vt diceret regi ſuo, ſi quē habes hoſtē, aut regni tui inſidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, ſi tamen euaſerit 2.Mach.3.

Exi cito in plateas, &c. Videtur alludere ad illud Matth.8.dico autem vobis quod multi ab oriente & occidente,&c. Oſee 2.vocabo non plebem meā plebem meam.Vide Arbore.ſuper Luc.14.

*Et ait ſeruus, domine factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt.*Non nos voluptas carnis, non ſollicitudo curioſitatis,non æſtus ambitionis à dominica cæna præpediat, ſed ipſa quoque quæ honeſta in mundo agimus quaſi ex quodam mentis latere tangamus, vt terrena quælibet ſic noſtro corpori ſeruiant,quatenus cordi minime obſiſtant. Non ergo fratres audemus vobis dicere, vt omnia relinquatis:ſed tamen ſi vultis,omnia etiam retinēdo relinquitis, ſi ſic temporalia geritis, vt tamen tota mente ad æterna tendatis. Hinc etiam Pau. Apoſt.dicit,Tempus breue eſt,reliquum eſt vt qui habent vxores tanquam non habentes ſint, & qui flent tanquam non flentes:& qui gaudent tanquā non gaudentes,& qui emunt tanquam non poſſidentes,& qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur,prēterit enim figura huius mundi D.Grego.in Euang.hom.36.

*Et ait dominus ſerno: exi in vias, & ſepes & compelle intrare,vt impleatur domus mea.*Quidam ſic vocātur, vt etiam compellatur.Nam ſunt nonnulli qui bona facienda intelligunt, ſed hæc facere deſiſtunt. Vident quæ agere debeant, ſed ex deſiderio non ſequuntur. His plerunque contigit vt eos in carnalibus deſideriis ſuis mundi huius aduerſitas feriat:apprehendere temporalem gloriam conētur, & nequeant,& dum per alta pelagi quaſi ad grandiores curas huius ſeculi nauigare proponūt,ſemper aduerſis flatibus ad deiectionis ſuæ litora repellantur.Cumque ſe frangi in deſideriis ſuis,aduerſante mundo cōſpiciunt, quid de ſe autori ſuo debeant commonentur, ita vt ad eum erubeſcentes redeant,qui eū ſuperbientes pro mundi amore deſerebant. Sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes,aut longa ægritudine tabeſcunt,aut afflicti iniuriis concidunt, aut percuſſi grauibus damnis affliguntur,& in mundi dolore vident, quia nihil conſidere de eius voluptate debuerunt, ſeque ipſos in deſideriis reprehendentes,ad Deum corda cōuertūt.De his quippe dominus per prophetam dicit,ego ſepiam viam tuā ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet: & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos:quæret, & non inueniet eos, & dicet:vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. D. Grego.in Euang.Hom.36.

Qui cænæ huic defuerunt,aut deſunt non ſeruorum negligentiæ,ſed ſuæ hoc inobedientiæ deputent.Hæc autem tertia inuitatio magis ad tempus noſtrum pertinet,in quo crebreſcunt aduerſitates ſeculi,& ob hoc in ea dicitur, cōpelle intrare. Aliquando enim nos mūdus retraxit à deo, ſed nunc tot tantiſque malis plenus eſt, vt ipſe nos iam mittat ad deum. Vnde & ſcriptū eſt de aquis diluuij:vehementer inundauerunt, & leuauerunt arcam in ſublime à terra.Quid enim per aquas niſi tribulationes,& quid per arcam niſi Eccleſia figuratur? Aquis ergo inundantibus leuatur arca in ſublime à terra,quoniam aduerſis irruentibus ſeparatur à terrenis cupiditatibus Eccleſia vel fidelis anima, & cælo fit proxima. D. Anſel.in ſuis enarra.Euange.

*Compelle intrare.*Compelluntur multi variis neceſſitatib. & oppreſſionibus afflicti, qui mira dei prouidentia dum temporalem pœnam patienter ſuſtinent, vitam conſequuntur æternam Đ.Ber.in ſenten.ſenten.4.

Dico autem vobis,quod nemo,virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cenam meam. Vt nos ex huius parabolæ lectione fructum percipiamus, in ipſo

patre familias qui cænam hanc parauit,obſeruandum quanta ſit domini benignitas & liberalitas, quod cum ſum ptuoſam paraſſet cænam, & hi qui ſoli ab eo erant inuitati, & quibus ſolis ea cæna parata videbatur,ſeſe ab ea ſubducerent non tamẽ deſtitit ſeruos ſuos non ſemel tantũ ſed frequenter emittere ad vocandum eos quibus nulla ſpes erat fruendi hac cæna, neminem quãtumuis pauperem & miſerum tam honorifica cęna indignum exiſtimans,imo pauperes & miſeros nominatim, non adduci tantũ, ſed etiã cogi iubens nec prius ſeruos ſuos ceſſare volens,quam domus ſua repleta eſſet vt ob id merito nos gentes ipſum honorare & laudare debeamus ſuper immenſa eius erga nos miſericordia,vt admonet Paulus.In ſeruo patris familias de quo in parabola, obſeruandum quãta debeat eſſe paſtoris Eccleſiaſtici cura & diligentia,vt quam plurimos ad conuiuium cæleſte introducat, quodque omnem ſuæ prædicationis ſucceſſum ad dominũ referre debeat, nihil niſi ad illius præſcriptum facere,ſedulus eſſe, vt quæ cõſtituta ſunt ei exequatur, neminem quantumuis abiectum indignũ exiſtimare ſua opera, in hoc vigilãter incumbere vt domus dei impleatur ex vndecunque collectis,ne ſatis eſſe ſibi puret ſi quoſdam introduxerit.In his qui vocati ſeſe excuſauerunt,obſeruandum nobis,ne & nos ad cęnã vocati ſimilibus rationibus ſubducamus ab ea cũ,tempus eſt introeundi ad eam, ne cum volũtatem habuerimus intrandi,intrare non valeamus. Valde enim tremenda illa ſentẽtia: dico vobis,quod nemo virorum illorum guſtabit cænã meam,in pauperib. vocatis,è vicis & viis, obſeruandũ, neminẽ quantumuis peccatis deformatum, quantumuis ruſticum & indoctum, quantumuis miſerum & cõtemptum in hoc mundo,ſe reputare indignum debere magnifica Chriſti cæna, ſi modo vocanti ſeruo obedire non recuſet. Imo qui pauper eſt, miſer & abiectus,hoc ipſo confidere debet magis, ex dei dignatione ſe aptum hoc conuiuio, quod tales reiectis diuitibus faſtidioſis,peculiariter dominus vocari iuſſerit. Cor. Ianſc. in ſermo. de hac domini.

Nemo illorum qui vocati ſunt,& venire noluerunt, guſtabit internæ dulcedinis cænam, nemo eorum ſimul cum ſanctis ad æterni conuiuij epulas intrabit.Vnde & per prophetam illis dominus ait:ecce ſerui mei comedent,& vos eſurietis, ecce ſerui mei bibent,& vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabũt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis,& præ cõtritiõe ſpiritus vlulabitis.Sed & in euangelio loquitur ipſe dominus, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam.Simili ſenſu dictũ eſt & in Exo. viderunt deum Iſrael, & comederunt ac biberũt. Quæ omnia nos vel terrere debent,vel accendere. Terrere,ne contingat eſurire &dolore cum reprobis: accẽdere, vt mereamur epulari & gaudere cũ electis.Quicunque enim huic conuiuio defuerit, tabeſcet in æternum fame & miſeria, & omnium bonorũ inopia.Et quicunque interfuerit, ſatiabitur perenniter omnium bonorũ plenitudine immenſa.Nam eſca iuſtorum eſt præſens vultus dei, qui dum ſine defectu cernitur, ſine fine mens cibo vitæ ſatiatur.Vnde & dictum eſt,iuſti epulentur & exultent in conſpectu dei,& delectentur in lætitia D.Anſel.in ſuis enarratio.Euang.

De epiſt.& euange.duas habet concio. D. Antoni.initio 1.par.Tho.

Duas item habet D.Tho circa finem to.16.

Vide D. Auguſtinum de verbis domini ſermone 33.

Dominica infra octauas Corporis Christi ſecundum vſum fratrum Prædicatorum.

DIXIT Ieſus turbis Iudæorum, ego ſum panis vitæ,patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt.Ioan.6. Homo per peccatum vt D. Bernard. ait, velut in ſaxoſum quoddam cænum præcipitatus fuit:quo factus eſt vt non ſolum immundus, ſed etiam fractus debilitatuſque iaceret. Quamobrem duplici egebat remedio, altero quo ſordes abluerentur, altero quo debilitas roboraretur: & ad illud quidem baptiſmus,& pœnitentia,ad hoc vero euchariſtia potiſſimum deſtinata eſt:quę nimirum panis ille vitæ eſt, qui cor hominis confirmat. Quo fit vt huius ſacramenti virtus inexcuſabilem in illo extremi iudicij die cauſam reproborum reddat. Quam enim hi ſcelerum ſuorum excuſationem prætexere poterũt? Si enim carnalis dixerit,infirmus eram,imbecillus eram, ad malum propenſus eram,ideoque lapſus ſum:iudex protinus reſpondebit, quod longe ante per prophetam dixit:nunquid reſina non eſt in Galaad,aut medicus non eſt ibi? quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?hoc eſt,nũquid in Eccleſia mea ſacramẽta & infirmitatis remedia non ſunt?non erat panis vitæ qui cor tuum confirmaret? Cæterum cum filij prophetarum noxias herbas in cibum ignorãter decoxiſſent,vbi ad prandium ventum eſt, earũ amaritudinem ſentientes,ad Eliſeum clamare cæperũt:mors in olla vir Dei mors in olla. At ille fariuæ pugillo in ollam immiſſo, earum amaritudinem in ſalutarem dulcedinẽ vertit.Quis in hac hiſtoria non aperte videat,cæleſtis huius panis ſalutarem dulcedinem,& virtutem adumbrari?

Patres veſtri manducauerunt manna,&c. Quæritur de qua morte Deus hic loquitur: ſi enim loquitur de morte corporali,nulla differentia erit inter panem illum qui fuit in deſerto, & panem noſtrum qui de cælo deſcendit: quia etiam Chriſtiani qui ſumunt iſtum,corporaliter moriuntur.Si vero loquitur de morte ſpirituali,manifeſtũ eſt quod hic & ibi quidam ſpiritualiter moriuntur, & quidam non. Nam Moyſes & multi qui Deo placuerunt, mortui non ſunt, licet alij mortui ſint.Similiter & qui iſtum panem indigne ſumunt, moriuntur ſpiritualiter 1.Cor. 11. Qui enim manducat & bibit indigne, &c.Ad quod dicendum eſt, quod cibus ille cum cibo noſtro ſpirituali conuenit. Conueniunt quidem quantum ad hoc,quod vterque idẽ ſignificat.Nam & ille & iſte Chriſtum ſignat,propter quod dicitur idem cibus 1. Cor. 10. omnes eandem eſcam manducauerunt,eãdem dicit,quia vtraque eſt figura ſpiritualis eſcæ. Sed differunt, quia illa figurabat tantum,ſed panis iſte continet quod figurat, ſcilicet ipſum Chriſtum.Dicendum ergo,quod vterque iſtorum ciborũ poteſt dupliciter ſumi: vel quantum ad ſignum tantum,id eſt quod ſumatur vt cibus tantum, non intellecto ſignificato,& per hoc non tollitur mors ſpiritualis ſeu corporalis.Vel quod ſumatur quantũ ad vtraque id eſt quod ita ſumatur cibus viſibilis, vt intelligatur cibus ſpiritualis & ſpiritualiter guſtetur vt ſpiritualiter ſatiet. Et hoc modo illi qui ſpiritualiter mãducauerunt manna,mortui non ſunt ſpiritualiter.Sed & qui Euchariſtiam ſpiritualiter mandu

manducant,& abſque peccato ſpiritualiter viuũt nunc corporaliter & viuent in æternum. Habet ergo plus cibus noſter cibo illorum, quia in ſe continet quod figurat D.Tho.ſuper Io.6.lect.6.

Ego ſum panis vitæ. Vide Sixtum Senen.Biblio. ſanct.lib.6.annota.196.

Super illa verba,patres veſtri manducauerunt manna,vide Six. Senen. Biblio.ſanct.lib.6.annota. 195.

Ego ſum panis vitæ. Animaduerte quam faciat huius panis & manna differentiam ab vtriuſque ſcilicet fine &c. Vide D.Chryſoſt.homi. 45. ſuper Ioan.

Ego ſum panis vitæ. Carnem meam in paſſione mortificatam,in reſurrectione viuificans &c. panem vitæ ſe dicit,quia noſtram continet præſentem & futuram vitam.vide Hugo.Cardi. in Ioan.

Ego ſum panis vitæ. Subſtantialiter atque cauſaliter:panis ſum omnia paſcens, fideliter manducantem conuerto in me.Sum etiã panis vitę,quia ſumentibus digne do vitam gratiæ in præſenti & vitam gloriæ in futuro. *Patres veſtri mortui ſunt.* Morte culpæ,non tamen intelligitur id de bonis, quales fuerunt Moyſes,Aaron, & ſimiles: loquitur ergo Saluator de his patribus Iudæorũ, quorum veſtigia praui phariſæi ſectabantur, quales fuerant increduli illi qui dicebant, anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Vide Dionyſi. Carthu.ſuper Ioan.

Manducauerunt manna. De quo ſuperbitis:patribus murmuratoribus,quorum eſtis filij murmurando,non fuit panis vitæ, quia non intellexerũt in eo ſpiritualem cibum:ſic & vos qui me auditis non ſpiritualiter intelligitis.Vixit autem Moyſes, & alij electi,quia ſpiritualiter manducauerũt.Sic & qui modo verba mea ſpiritualiter accipiũt &c. lege Gloſ. Ordi.ſuper hunc locum.

D.Grego.ſuper illa verba Iob,nunquid rugiet onager cum habuerit herbam &c.inquit: non eſt quod conqueri poſſit homo, quandoquidem habet abundantem paſtum ac cibum, habet Chriſtum dominum in præſepio, & eundem etiam in altaris ſacramento habet,ſcilicet hunc panem vitæ,vnde omnes fideles ſufficientiſſimum cibum atque abundantiſſimum habent.lib.7.Mora.cap. 4.Qui etiam homi.30.ſuper Euang.inquit, quod vt hic panis nobis proſit,oportet vt nos digne diſponamus ac preparemus:tergat ergo ait, ſordes praui operis,qui Deo præparat domum mentis.

Si qui Cęſaris imagini inferebat iniuriam tantopere puniebatur, atque tranſgreſſor legis Moſaicæ grauiſſime pœnas dabat:quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit,& ſanguinem teſtamẽti pollutum duxerit? vide Heb. 10. & D.Chryſoſt.ſuper Ioan. homi.45.Cæterum charitas Chriſti erga nos,quę maxime reſplenduit in huius ſacramenti inſtitutione,videtur figurata in illo vehemẽtiſſimo Sãſonis amore erga Dalilã ingratiſſimã. Iudicũ 16.

Attende inquit D.Aug.quo pacto te præpares ad ſanctiſſimum hoc ſacramentum recipiendum, quãdoquidem te intus Deus cõtuetur cogitationẽſq; tuas accurate rimatur.Tract.26.ſup Io.to.9.

Vide inquit D.Hiero. quam fidelem habeas amicum Chriſtum, qui ſe tibi præbet edendum: plurimi ergo facere hanc amicitiã debes, amicus enim diu quæritur,vix inuenitur, difficile ſeruatur.Theophra. in ſuis de amicitia lib. raram eſſe veram amicitiã teſtatus eſt. Si vis ergo optimam tibi parare amicitiam,eſto Dei amicus &c. Vide D.Hieron y.lib.2.in Mich.7.

Ego ſum panis vitæ. Hunc panem videbatur ſignificare Iere.Threno.4.cum dicebat, paruuli petierunt panem.Cæterum ſi Deus tantopere quærebatur per Iſa. quod animis pollutis ſibi offertẽt ſacrificia,quanto quæſo amplius de nobis cõqueretur,ſi ad tantum panem manducandum,acceſſerimus immundi?

Si quod credidit Abraham Dei promiſſis,tanti eum fecit omnipotens Geneſ. 15.quanti quæſo nos faciet, ſi firma fide crediderimus tã diuinum ſacramentum,ſi reuerenter ſumpſerimus,ſi digne nos ad illud præparauerimus?Vide etiam D. Baſi. qui multa tibi ſuppeditabit, ſuper illa verba Iſa. 1.holocauſta arietum &c.tum etiam D.Hiero. li. ſuorum Commenta. in Iſa.in explicatione cap.1.

Studeamus habere conſcientiam puram ac mundam, quæ ad tantum ſacramentum percipiendum requiritur. Eccleſiaſtes 9. B. Sint veſtimenta tua candida.

Quantum Deus cor mundum ac purum diligat Mich.6.C.Nunquid placari põt dominus&c.

Si Deus Gedeonem triticum purgantem tantopere extulit & commendauit,quanto magis,eũ extollet ac diliget,qui conſcientiam ſuam diligẽter emundabit?Iudicum.6.

Quid proficiebat Hebræis arcam domini in prælium deportare, ſi inique agebant? ſic quid prodeſt tibi accedere ad tantum ſacramentum, ſi vitiis plenus accedis atque ſceleribus?

Magna quidem mentis tranquillitas & ſecuritas eſt pura conſcientia Iere.6.D. State ſuper vias & videte. &c.

Corda hominum in manu Dei ſunt, ac proterea eum orare debemus vt ferrea noſtra corda conuertat & emolliat. Gene. 31. F. Veni ergo & ineamus fœdus &c.

Deus habet in manu ſua hominum corda Gene.33.B.Currens itaque Eſau.

Immutat Deus hominum corda vide. 1. Eſdræ. 6. &. 7. & 2. Eſdræ. 2. B. & dedit mihi rex &c.

Deus nouit corda hominum immutare Danie. 3.G.à me poſitum eſt hoc decretum &c.

Cum maxima humilitate accedere debes ad tantum ſacramentum ſuſcipiendum, vt merearis audire quod audiuit humilis illa adultera Ioan.8. vade, & iam amplius noli peccare. Debes etiam humiliratem Dauidis imitari cũ reprehenſus fuit à Nathã.2.Reg.12.item 2.Reg.24.cum dicit etiã, ego ſum qui peccaui. Debes quoque dicere cum patientiſſimo Iob 9.Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.

Dicebatur in lege,ſi comederit homo de ſanctificatis per ignorantiam,imputatur ei iniquitas atque delictum; ſi ergo damnantur in lege ignorantia,quanto magis in Euang.conſcientia? Hinc ergo colligas quanta cum puritate accedere quis debeat ad tam ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum.Vide D.Hiero,li.1.aduerſus Pelagi.to.2.

Hic eſt panis de cælo deſcendens,vt ſi quis ex ipſo mãducauerit non moriatur. Per eſum ligni vetiti intrauit mors,per eſum etiam intrat vita. Serpens dixit,nequaquam moriemini, & Chriſtus dicit: ſi quis ex hoc pane manducauerit,non morietur.Si ergo mendaci fidem adhibuiſti,adhibe etiam veraci.Ille ex ligno quod ſuum non erat obtulit:iſte corpus & ſanguinem proprium magnifice ſuis præbuit.Cæterum ſacri huius cibi ab aliis differentia notanda eſt:alij enim famem ſedant,iſte accuit,quando quidem eius ſumẽdi deſiderium accendit,alij in ſubſtantiam tranſeunt edentis, hic

vero idem semper manẽs,religiose edentes transformat in se,dum ex humanis diuinos,& ex terrenis cælestes facit.Denique cęteri cibi ne noceant probandi prius sunt,in hoc vero probare potius reipsum debes. Qui enim máducat & bibit indigne,iudicium sibi mãducat & bibit. Sic enim sol alia quidem durat,& alia liquefacit: alia dealbat, alia denigrat,propter dissimilem variarum rerum naturam,cum idem tamen vbique sol sit. Sic corporeus cibus,quo humana vita sustentatur,si corpus tamen ægrotet, cibo ipso maxime grauatur: vnde est illa medicorum sententia,corpora nõ sana quanto magis nutris,táto magis lædis. Probet ergo seipsum homo, an illa cælesti mensa dignus sit,an indignus:indignum autem nõ facit ignobilitas generis,aut morbus corporis,vel paupertas, vel seruitus solum; capitale crimen est & lethale quod indignum facit. Cuius spirituale mũdationem & ablutionem ante faciendam,declarare visus est dominus, cum discipulorũ suorum pedes lauit.In lege etiã videtur adũbrata spiritualis hæc ablutio,vbi præcipiebatur,vt lauarent Aarõ & filij eius manus ac pedes quãdo accessuri essent ad altare vt Thymiama domino offerrẽt,ne forte inquit moriantur.Quibus verbis dominus sub corporeę munditiæ imagine,spiritualem adũbrabat. Manus enim ac pedes,hoc est externa opera & interni affectus,pœnitẽtię lachrymis purgãda sunt, quoties ad hoc altare domini accedendum est. Si ergo illam puritatẽ requirebat sola thymiamatis oblatio, quid quæso requiret corporis & sanguinis Christi sumptio?præterea Leuit. etiam 22. ait dominus,omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt,& quę obtulerunt filij Israel domino,in quo est immunditia,peribit corã domino. Si ergo tanta sacrificiis illis & oblationibus reuerentia debebatur,quę huius sacrificij vmbra referebãt,quid quęso veritati & corpori huius vmbræ debemus?D.Hiero.in epist. quadã de ipso ait,cum iratus fuero, aut me nocturnum phantasma deluserit,basilicas martyrum intrare non audeo,ita animo & corpore contremisco. Si ergo sola libidinis imago solúmq; phantasma nocturnum,ab ingressu templi virum sanctum arcebant; quid de illius salute sperãdum est,qui multos annos in impudicitiæ volutabro iacens,nõ veritus est quotannis ad ipsam domini mensam, ad hęc tremenda mysteria,ad hunc panem angelorũ accedere?Vehementer t.mendum, ne hoc reprobationis atque obdurationis signũ esse videatur. Examinandum enim diligenter est quod Deo tribuimus:vnde agnus paschalis qui quarta decima luna erat immolandus,adducebatur decima die, & examinabatur an in eo esset macula ,quæ posset illum à conspectu domini arcere:vt inde discamus quanta diligentia actiones nostras, etiã quæ bonæ videntur,debeamus examinare, antequam in conspectu domini cum illis appareamus.

Hic est panis de cælo descendens &c. Ideo panis de cælo descendens dat vitam indeficientem, quia omnis cibus nutrit secundum proprietatem suæ naturæ.Cælestia autem incorruptibilia sunt,& ideo quia cibus ille cęlestis est, non corrumpitur, quod quandiu manet viuificat, qui ergo manducauerit ex ipso,nõ morietur.Sicut si aliquis cibus corporalis nunquam corrumperetur,dans nutrimentum,semper viuificaret: & ideo panis iste significatus est per lignum vitę quod erat in medio paradisi,quodammodo dás vitam in perpetuum, secundum illud Gene.3. Nunc ergo ne forte mittat manum suam,& sumat de lignovitę,& comedat & viuat in æternum. Notandum autem est quod alter est in isto sacramento, aliter in aliis. Nam alia sacramenta habent singulares effectus, sicut in baptismo solus baptizatus suscipit gratiã, sed in immolatione huius sacramenti est vniuersalis effectus, quia non solum sacerdos effectum cõsequitur,sed etiam illi pro quibus orat, & Ecclesia tota tam viuorum quam mortuorum. Cuius ratio est,quia continetur in ipso ipsa causa vniuersalis omnium sacramentorum,scilicet Christus.D.Tho.super Ioan.6.lect.6.

Quod multi cælesti hoc cibo & pane nõ proficiant,in causa est quod sint cibis cõtrariis repleti,nempe,superbia,auaritia,fornicatione,& similibus:qui enim à vitiis ieiuni sunt, maxime reficiuntur hoc alimento & satiantur.Quocirca cum fragiles simus,& assidui in peccando,frequẽtissime vtamur hoc remedio & sacramento,vt tãdem à vitiis desistamus, & in deteriora non prolabamur.Vide D.Grego.lib.2.in 1.Reg.cap.2. Vide etiam eundem lib.7.Mora.cap.4.

Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Sicut verus est Dei filius dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris,ita vera caro sicut ipse dixit,quam accipimus,& verus est potus.Sed forte dicas quod dixerunt tunc temporis etiã discipuli Christi,audientes dicentem;Nisi quis mãducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum,non manebit in me,nec habebit vitã ęternam.Forte dicas:quomodo vera?qui similitudinẽ video,non video sanguinis veritatem.Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & conuertere generalia instituta naturæ.Deinde vbi non tulerunt sermonẽ Christi discipuli eius,sed audiẽtes quod carnem suam daret mãducare,& sanguinem suum daret bibendum,recedebant,solus tamen Petrus dixit, verba vitæ æternę habes,& *ego à te quo recedam?*Ne igitur plures hoc dicerent,veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redẽptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentũ,sed veræ naturæ gratiam virtutémque consequeris. Ego sum inquit panis viuus qui de cælo descẽdi.

Sed caro non descendit è cælo,hoc est carnem in terris assumpsit ex virgine.Quomodo ergo descendit panis è cælo,& panis viuus? Quia idẽ dominus noster Iesus Christus consors est &diuinitatis. Et tu quia accipis panem diuinæ eius substantiæ in illo participaris alimento. D. Ambr.de sacramen.lib.6.cap.1.

Si quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum. Probet ergo se vnusquisq; cum panem hunc mãducare vult,vt viuere possit in æternum, manducando scilicet puro animo,& à vitiis atque immũdis spiritibus purgato. Cum Philisthæi olim captam Dei arcam iuxta Dagonem deum suum statuissent, non passa est sacra arca diaboli simulachrum iuxta se esse, sed illud protinus ante se proiecit atque prostrauit. Cúmq; Philisthæi rursum deum suum in pristino loco collocassent, iterum arca nõ modo illum vt antea prostrauit,sed etiam truncauit capite & manibus. Si ergo arca illa,quę huius mysterij vmbra erat, solã diaboli effigiem sibi affidere nõ est passa:quomodo *ipse dominus*, qui per arcam figurabatur, intra pectus illud requiescere poterit,in quo spiritus immundi commorantur,quos in Euan.legimus peccatoris animam intrare,atque ibidem habitare?Cęterũ prędceptum erat olim sacerdotibus,vt in templo speculum positum haberent, ad quod seipsos componerent

ponerent quoties ad sacra ministeria exercẽda parabantur.Quia vero vt Apost.ait, omnia in figura contingebant illis,hoc quoque figurã esse quæ ad vitæ nostræ institutionem referenda sit, dubitandum non est.Sicut ergo illi corporeum specu lum propositum ante oculos habebant, in quo se conspicerent,ne quid esset sordidum, aut alio genere vitiosum in corpore:ita nos spirituale specu lum habere par est,in quo spiritualem animę nostræ faciem spectare possimus, antequam ad tantum accedamus sacramentum percipiendũ,quod tam liberaliter & magnifice pro nobis Christus dominus instituit. Siquidẽ magnifice illud opus fieri dicitur, quod magnum sit & circa magnos sumptus, & quod adaptetur etiã potestati ipsius operantis. Tum præterea maxime in hoc opere non solum eius amor quo desiderabat propter nos abire & pati,manifestatur.Io. 16. expedit vobis vt ego vadam : sed etiam amor eius quo desiderabat nobiscum manere.Matth.vlti.ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Maximus quidem amor fuit ille, quo Ionathas prosequebatur Dauidem : *in cuius rei signum dedit ei vestimenta sua & ornamenta.* Sed quæ conuẽtio amoris Christi cum amore Ionathæ? cum ille discedens propriam carnem & sanguinem contulerit,in signũ charitatis suæ erga nos?Elias quidem discedens, pallium reliquit discipulo suo Eliseo,at Christus pretiosissimum thesaurum corporis & sanguinis sui nobis reliquit. Cum Nathã significare Dauidi vellet quanto pauper ille amore prosequeretur suam ouem,non potuit illum amorem magis declarare quam dicendo ouem illam edere de pane sui domini, & de eius calice bibere.Vehementissimum ergo amoris sui argumentum nobis Christus demonstrasset, si suum nobis panem & vinum dedisset,quanto igitur vehementius, quod suum sacratissimum corpus & sanguinem præbuerit in cibum?

Et panis quem ego dabo,caro mea est, pro mundi vita. Si Christi caro quæ omnes nutrit,vna est,quæ dum sumitur non consumitur : & si sanguis vnus est,qui potatus non exhauritur,& si spiritus Christi vnus est,qui à digne sumentibus in hoc sacramento percipitur : consequens est vt omnes qui hoc sacramentum sumunt,in vnũ corpus cocant, quorum eadem caro,idem sanguis, idémque spiritus est. Refert Sallustius nobilis historiographus,eos qui cum Catilina aduersus vrbem Romanam coniurauerant, sanguinem crateris porrectum bibisse,vt quam inter se consanguinitatẽ naturæ coniunctione non habebant,eiusdem sanguinis poculo acciperent:atque ita eiusdem sanguinis participes effecti,omnes vnum corpus efficerentur,vnum vellent,vnum sentirent,neque à se vlla ratione dissiderent. Quod plane ita perfectum est,quando nemo ex tanta coniuratione facinus illud prodidit,& omnes item in prelio fortiter contra Romanos dimicantes, aduersis vulneribus occubuere.Si igitur humana malitia hoc sanguinis poculum ad hoc excogitauit,vt ex multis hominibus vnus fieret, quanto commodius summa illa bonitas & sapientia Dei hunc cibum & potum instituit,in quo ipse esset qui ab omnibus sumeretur,vt ipse in omnibus existẽs, vnum eos inter sese & secum faceret ? Videtis ergo quã multis nexibus fideles inter se saluator deuinxit? quot modis charitatem commendauit ? & quam mirabili sacramento accendere,voluit ? Qua quidem re facile liquet,quam indigne quisquis capitali odio à fratre suo diuisus est,ad vnitatis sacramentum accedat. Pugnat enim cum ipso sacramento,quisquis diuiso corde illud sumit.

Et panis quem ego dabo caro mea est &c. Sed obiiciet fortasse quispiam, nõne qui Christi etiam fidem non susceperũt,ac ipsius corporis participes facti non sunt,resurrectionis tempore reuiuiscẽt? nonne vniuersum humanum genus quod in mortem cecidit,ad vitam recurret?omnino ita futurũ respõdebimus:resurgent enim mortui propheta dixit, & ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium peruenire credimus; quia sicut in primo homine omnes mortui sunt, sic rursus in eo qui primogenitus propter nos, & mortuus est,omnes reuiuiscent.Sed qui bona fecerunt,in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt,in resurrectionem iudicij:morte autem ipsa ego puto acerbius,ad cruciatus æternos resurgere.Vitam igitur proprie illam quæ in Christo est intelligere debemus,quę beatitudine continetur æterna.D.Cyril.lib.4.in Ioan.cap.12.

Et panis quem ego dabo caro mea est. Lugendum plane est, quod plerique cum tam suauissimum & cælestem cibum recipiant,nihilominus tamen sibi propriis vitiis atque flagitiis mortem potius generent,quam vitam mereantur. Etenim corporalibus medicamentis infirmi ex præscripto suorum medicorum vtentes, sanitatem reparant atque reficiunt:tu vero cum tibi præscripserit hanc singularem medicinam cælestis medicus,non tamen ex ea proficis,tibíque vtilitatem paris;quod vtique tuo vitio fit,cum in damnationem potius, quam in salutem eam sumas. Dolẽdum plane est, quod videamus multos corpoream salutem recipientes,& à veneno cor tutum conseruantes, assumpto pharmaco ex arte parato, vt theriaca, quod quidem pharmacum tantas exercet vires, vt eos tueatur atq; defendat incolumes : cum interim suæ animæ salutem negligentes, quamuis assumant tam cæleste pharmacum, sanitatem tamen non recipiant,eam quidem ob rem, quod se non ante præparauerint, & conscientiæ suæ immunditiam eiecerint atque exterminauerint.Flẽdum plane est,quod videamus agricolam arte sua vel experientia innitentem,ex arbore infrugifera frugiferam facere,ex inutili vtilem, ex nocifera salutiferam,insitione ipsa,vel alio remedio adhibito : nihilominus tamen tu vsque adeo vitiosus sis ac deprauatus, vt tametsi sæpe vtatis sanctissima Eucharistia,veluti insitione quadam cælesti,nunquam tamen in frugem te recipias meliorem,nũquam atros mores in candidos conuertas,obscęnos in pulcherrimos, & denique deprauatos in rectos,atque laudabiles. Cærerum comedebatur agnus ille in lege cum azimis, vt inde intelligas quanta cum puritate ad verum agnum accedere debeas,vt tãdem arbor fias frugifera. Hinc Apost. 1. Corinth. 5. Itaque epulemur,non in fermento malitiæ & nequitiæ,sed in azimis synceritatis & veritatis.Vide etiam D.Ansel.in tracta. de fermẽto & azimo. Quod si rex ille Nabuchodonosor, pueros suos tam accuratos diligebat, tã studiose instruebat,tanto ciborum delectu alebat: quanta quæso cura & studio in animæ tuæ ornatum tibi incumbendum est,qui non regis Nabuchodonosor puer, sed Dei, neque ante mensam eius stare debes,sed sedere ad mensam cum eo, & eius carnem ac sanguinẽ manducare? Si vt daretur lex populo illi Israelitico,præceptum fuit vt antea se diligenter præpararent,omnes se mundarent,à coniugibus abstinerẽt,& denique quadam cum mũditia puritatéque accederent : quanta quæso maiori

iori cum puritate accedere debes, non ad legem, sed ad legis, naturæque tum angelicæ tum humanæ, conditorem recipiendum? Quid porro illud significabat, quod manna in delicatissimo ac purissimo quodam vase asseruaretur, nisi quod hoc diuinum manna maxima cum puritate mẽtis capere debeas, ac cõseruare? Seneca quidem quamuis Ethnicus, præclare dixit de Deo: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat; quo videtur alludere hymnus ille D. Thom. Sic nos visitas sicut te colimus: si ergo ignominiose eum recepe ris atque tractaueris, quid aliud tibi sperandum est, nisi maxima quædam calamitas & infortunium? Quod si eundem reuerenter digneque tractaueris, non est id quidem dubium, quin exquisita quædam referas præmia & munera, atq; suauissimum quendam odorem redoleas ex tam decẽti tractatiõe atq; cõtactu, veluti illi solent delicatissime olere, qui inter pretiosissima vnguenta diu versati fuerint atque resederint,

De hoc suauissimo ac cælesti cibo dictum videtur illud Mal. 1. in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Vide Irenæũ lib. 4. contra Valenti. D. Cyprian. lib. contra Iudæ. cap. 16. D. Hierony. in Mala. D. August. in lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 35. & lib. 19. cap. 23. Theodoretum in Commenta. in Malach. Damas. li. 4. de Orthodo. fide cap. 14. Multi porro Rabbinorum antiquorum olim cõscripsere, fore vt tempore Messiæ esset sacramentum quoddam admirabile, in quo panis & vinum in corpus & sanguinem Messiæ transmutaretur. Vide etiam Hecto. Pinctum super Ezech. 48. fuerunt vero illi Rabbini, Rabbi Samuel cap. 20. Rabbi Moyses in Psal. 136. Rabbi Simeon lib. qui inscribitur inuestigatio secretorum, & Rabbi Barachias in Ecclesiasten, & Rabbi Ionathas in lib. collectionum.

Maxime nobis commendatur reuerentia ac deuotio qua accedendum est ad tam sacrosanctum & diuinum sacramentum, in epis. 2. Fabi. pa. ad epis. Orien. porro in Conci. Floren. vbi agitur de sacramentorum doctrina, ita dicitur. Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua adhiberi debet, quia sanguis & aqua ex latere Christi manarunt: item quia hoc conuenit ad significandum huius sacramenti effectum, qui est vnio populi christiani ad Christum, aqua enim populum significat. Vide etiam Conci. Triden. sess. 13. & 21.

Ita enim habet sess. 13. cap. 1. in hoc sanctissimo sacramento post consecrationem panis & vini, Christus dominus verus Deus & verus homo existit vere, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium, & simul sedet à dextris patris. Item cap. 4. ait, per consecrationem tota substantia panis conuertitur in substantiam corporis Christi, & pariter vini substantia in eiusdem sanguinem, quod proprie appellatur trãsubstantiatio.

Præterea c. 8. ait tres esse modos recipiẽdi hoc sacramentũ, nempe sacramẽtaliter tantũ, spirituaIiter tantũ & spiritualiter ac sacramẽtaliter simul.

Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Nõ intelligebant isti quanta esset Christi erga nos charitas atque amicitia, multo equidem excellẽtior amicitia illa Ionathæ cum Dauide, & præstãtior illa amicitia quam habuere inter se Damon & Pythias: quorum cum alter à Dionysio tyranno morte multandus esset, suppléxque postularet vt breue aliquod sibi tempus saltem concederetur, quo posset ad suos accedens de bonis disponere quæ possidebat, relicturus interim amicum suo loco, qui vas fieret donec rediret: pro illo in carcerem ac repagula cõiectus amicus fuit. Cum autem aduentus differri videretur, interim multi deridebant amicum qui in alterius locum carceri traditus fuerat, arbitrantes alterum non esse venturum. Ecce igitur instãte hora supplicij, inopina to amicus reuersus est, nõ sine maxima omnium admiratione & gaudio, & præsertim ipsius Dionysij tyranni, qui videns tam fidelem amicitiam, vtrumque liberum dimisit, subiecitque hæc verba: & me in vestram etiam amicitiam recipiatis velim, vide etiam D. Tho. opus. 20. cap. 10.

Aperte ostenditur maxima Christi amicitia erga nos, cum se nobis dederit in cibum, vitámque suam in remedium atque salutem nostram liberalissime contulerit. Vnde præclare D. Augus. asseruit, nihil sic probat amicum quẽadmodum oneris amici supportatio. Hic etiam accommodari poterit illud Ouidianum, donec eris felix multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris. Vide D. Augus. lib. 83. quæstio. & Hecto. Pin. super Ezechie. 6.

Dixit ergo eis Iesus: amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Traditurus dominus discipulis suis corporis & sanguinis sui sacramentũ, prius pedes eorum lauit, vt hac ratiõe doceret qua animi puritate puritatis fons in sacra Eucharist. excipiẽdus esset. In cuius rei typũ & in monumento nouo sepeliri, & sindone munda inuolui corpus suum voluit, quo nos doceret, mundas animas & corpora, quæ nihil pristinæ vetustatis retineant, dignum sacratissimo corpori eius locum præparare. Sed quid ego corpus domini commemoro? Ipsos etiam lapides altaris (quod à gentibus olim Machabæorum tempore fuerat prophanatum) quando iam nefas erat hostias in eo adolere, quod idolorum sacrificiis pollutum fuisset, præcepit Iudas Machabæus in loco mundo collocari, donec surgeret propheta qui consulto Deo, quid de his lapidibus faciendum esset ostenderet. Qua ex re licet nobis ad hũc modum philosophari: si Deus noster vsque adeo puritatis amator est, vt altaris sui lapides sacrificio etiã per idolum maculatos, in mundo loco reponi voluerit: quantam quæso à nobis puritatem exiget, vt sacratissimum corpus suum intra viscera nostra recipiamus? Non dubito quin quantum sacramẽtum quod traditur in altari, à lapidibus distat altaris, tantum puritas & munditia nostra ab illa distare debeat. Quod si Hieremias propheta inter summas excidij Hierosolymitani ruinas lamentatur, quod lapides sanctuarij in capite omnium platearum dispersi iacerent, vbi ab omnibus conculcarentur, quale quæso erit ipsum Dei filium conculcare, & pretiosissimũ testamenti eius sanguinem polluere? Vtinam in hac parte transgressoris etiam Adæ timorem imitaremur, cuius inobedientiam imitamur: qui vbi Dei vocem in paradiso deambulantis audiuit, abscondit se, eo quod nudus ante domini conspectum apparere trepidaret. Si igitur ille adeo domini loquentis cõspectum verebatur quia nudus erat, quomodo tu qui non modo pieratis & iustitię indumento nudatus, sed multis etiam vitiis coopertus es, ad altare tremendum, atque adeo ad ipsius domini corpus accedis? Balthasar ille Babylonię rex quoniam indignis manibus vasa templi domini contrectare

trectare ausus est, eadem nocte vita simul & imperio spoliatus est. Dum enim in conuiuio suo sacra vasa prophanat, articulos immissæ manus vidit, tria illa verba horrifica contra se in pariete scribentis: Mane, Tethel, Phares, quę repentinum illi exitium minabantur. Si ergo ita dominus iniuriam eorum vasorum vltus est, in quæ sanguis tantum hircorum & arietum fundebatur, qua quæso pœna in eos animaduertet, qui calicis sui sanguinem, & suum ipsius corpus, impuro corde & corpore susceperint?

Nisi manducaueritis carnem &c. Quasi dicat; vos reputatis impossibile & incongruum quod carnem meam manducetis, non solum non est impossibile, sed etiam est valde necessarium, in tantum quod nisi manducaueritis &c. non habebitis &c. id est non poteritis habere in vobis vitam, scilicet spiritualem. D. Thom. super Io. 6. lect. 7.

Quemadmodum corporalis vita indiget alimento quo nutriatur & conseruetur, ne aliter eo deficiente pereat & destruatur: ita vita spiritualis eget hoc alimento sanctissimæ Eucharistiæ, vt alatur & conseruetur. Vide D. Thom. lib. 4. contra gen. cap. 61.

Quare hic cælestis cibus nobis præbeatur sub speciebus sensibilibus, vide D. Chrysosto. ad popu. ho. 6. to. 5.

D. Hierony. lib. 7. super Esa. 21. explicans verba illa; pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes &c. inquit tantæ esse excellentiæ hunc cælestem cibũ, vt si quis eum digne mãducauerit, ex rebus terrenis euehatur ad cælestes, sublimes, atque diuinas. Idem etiam super illa verba Malac. 1. sacerdotes qui despicitis nomen meum &c. inquit, quod tunc polluimus altare domini, quando indigne accedimus ad hunc cibum capiẽdum, & quamuis id ore non dicamus; mente tamen quodammodo dicimus: mensa domini polluta est, atque propterea tale erit supplicium nostrum, qualis est temeritas nostra atque præsumptio. Cæterum de eodem Hierony. refert Euseb. in morte eius, quod cum ipsi morti vicinus esset, postea quam longum sermonem habuerat ad suos, petitáque sanctissima Eucharistia ad eum allata esset, multis lachrymis & gemitibus, humillimáque prece vtens, sanctus vir se se prostrauerit ante eam, subiecerítque. Quisnam ego sum domine Iesu, quem tanta cum benignitate visitare dignatus sis? nunquid melior sum Moyse, quem ad te nisi maxima cum reuerentia venire passus non es? & alia multa huiusmodi dicebat humilitatis deuotionisque plenissima, vt inde discas tu qua ratione debeas accedere ad diuinum hunc cibum manducandum.

Explicans D. Hierony. verba illa, si offers munus tuum ad altare &c. scribens ad Theophylum to. 2. inquit. Si munus digne offerre ad altare nõ vales, dum iratum & odio commotum habeas animum contra proximum tuum: quomodo audebis ad cælestem hunc cibum manducandum accedere, pleno pectore & æstuante vitiis odióque fraterno? Cæterum dicebatur in lege, quod maxima cũ reuerẽtia & munditia accederetur ad sacrificium, quid ergo dicendum erit, si cum conscientia plena vitiis atque sceleribus, quis audeat accedere ad tam tremendum sacramentum? Idem etiam Hiero. explicans verba illa Psal. 140. Dirigatur oratio mea &c. inquit, si ad orationem digne fundendam & proferendam, puram habere mentem conscientiámque debemus, quãta quæso puritas nostra esse debebit ad manducandum pretiosissimum hunc cibum?

Manducatione illa agni paschalis cum azimo, significabatur puritas ipsa & expurgatio veteris fermenti, cum qua verum agnum manducare debemus: item quod esset mixta cum lactucis agrestibus, significabat asperitatem pœnitentiæ qua ornati debemus: accinctio illa renum castitatem notabat, gestatio vero baculi, stabilitatem fidei, & cæterarum virtutum. Vide Innocen. 3. de myste. missæ lib. 4. cap. 2. Idem etiam ait, per esum illum vetitum primi hominis amissimus vitam, per hunc vero esum vitam accipimus: de illo cibo dicebatur: in quacunque hora comederis, morte moreris: de hoc vero dicitur, qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Fructus ille erat in arbore scientiæ boni & mali, hic vero in arbore sanctissimæ Crucis: arbor illa fuit inobedientiæ, hoc est per esum fructus illius arboris, homo inobediens factus est; hæc vero arbor Crucis fuit arbor obedientiæ, de qua pependit, qui sese nobis in cibum dedit. Inno. 3. lib. 4. de myst. mis. ca. 44.

Tam pure integréque viuamus inquit D. Augus. de tempo. serm. 252. vt digne mereamur accedere hic ad cibum sanctissimæ Eucharistiæ, in patria vero ad fruitionem illius mensæ sempiternę: aliter enim si vitiis animum assuefacimus: timendum nobis est ne pro cibo sempiterno æternam famem, & pro dulcissimo esu amarissima supplicia, sustineamus. Cæterum si in illo veteri manna recipiendo & comedendo, non seruabatur ordo à domino præscriptus, corrumpebatur statim: ita plane si non seruamus ordiné à domino præscriptum de manducatione veri huius manna, nobis corruptionem, interitúmque generabimus. Quãdo aliquis famis aut sitis appetentia stimulatur, non quidem eo tantũ contentus est cibo aut potu quem somniat, aut depictum videt, sed potius verum appetit: ita plane nos voluptatibus & deliciis mundanis animum nostrum exaturare non debemus, quæ sunt ficti quidam cibi & potiones, sed potius hunc verum animæ cibum atq; potũ, corporis scilicet & sanguinis domini, desiderare debemus toto affectu, ac pura mente mãducare, in quo & vitam, & autorem vitę recipimus. Vnde vtilissima propterea est frequẽtata cibi huius sumptio, & quia etiam per eam absterremus, & longe à nobis expellimus & effugamus dęmonẽ ipsum, cui nil acerbius contingere potest, quam eius sanguinem in labiis nostris cernere, per quem ipse debellatus fuit, eius potentia cõfracta, vires enervatæ, carceres contriti atque repagula. Cæterum manna illud in lege diligenter præparatum, quasi panis oleati saporem referebat, & quasi simile cũ melle, ita hic suauissimus cibus non solum misericordiam & clementiam redolet, verumetiam prout inuenerit aliquem præclare affectum, ita etiam maximis beneficiis & donis auget, ac locupletat eũdem. Si enim corporalis cibus vitã tantopere reficit ac iuuat corporalem, eámque debilitatã ac infirmatam restituit atque corroborat: quid de hoc cibo spirituali putandum erit, nisi quod quantum in se est animæ vitam reficiat, augeat, conseruet, ac multis accessionibus & incrementis exornet atque nobilitet? Verum illud lugẽdum est, quod tametsi videamus aperte in plerisque cibi corporalis beneficio & incolumitatẽ, & vires, & coloris suauitatem bellissime restitui, ac reparari, qui antea debilitati & exangues erãt; nihilominus tamen multi sint qui tametsi reciant salutiferum hunc animæ cibum, vitio tamẽ eorum & negligentia, nulla ostendant sanitatis

emen

emendationisque spiritualis indicia. Hi plane ad suam condemnationem, non autem ad salutem, tali vescuntur cibo, atque potu.

Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. Vide D. Cyprianum in tracta. de Cæna Domini.

Vide Sixtum Senen. Biblio. sanct. lib. 6. annota. 197.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Vide super hoc Euange. D. Bernardum in li. quem inscripsit de modo bene viuẽdi ad sororem sermo 28. & incipit, Quicũque manducauerit panem &c.

Qui manducat meam carnem. Qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam; hoc est si compatimini, & conregnabitis &c. Vide D. Bernar. in tract. de diligen. Deo.

Quendam D. Chrysosto. sermo. habet de Eucharist. inscriptum to. 3.

Tractatum quendam habet inscriptum ad Cęcilium de sacramẽto Dominici calicis D. Cypria. & incipit, Quanquam sciam frater charissime &c.

Vide D. Ambro. lib. de myste. initian. cap. 8. & 9.

Miraculum quoddam huic solennitati congruens inuenies apud Vincen. Belluacen. Specu. histo. lib. 21. cap. 78. Itẽ aliud reperies apud Chronica mundi ætate 6. folio 217. cõtra quosdam qui sacrosanctum hoc sacramentum non sunt reuerenti, cum ad infirmum deferretur.

Consulito Bibliothecam sacram sanctorum patrum to. 4. colum. 206. reperies etiam lib. quendam de Eucharist. sacramento aduersus Berenga. eodem to. col. 213. Vide etiam colum. 243. & colum. 309. & 410. & 440.

Quanta cum reuerentia ad tam sanctissimum sacramentum percipiendũ accedere debeamus, consule D. Basi. in regu. breuio. interro. 172.

DOMINICA TERTIA post Pentecosten.

TRANT appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores vt audirent illum, & murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes, quia hic peccatores recepit, & mãducat cum illis. Luc. 15. Vide Matthæ. 18. Didiceras in superioribus ablegare negligentiam, vitare arrogantiam, deuotionem sumere, secularibus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis. Sed quia fragilitas humana firmum nequit tenere vestigium in tanto seculi lubrico, etiam aduersus errorem remedia tibi bonus medicus demõstrauit, spem veniæ iudex misericors non negauit. Itaque non otiose sanctus Lucas ex ordine tres parabolas posuit, ouis quæ perierat & inuenta est, Drachmæ quæ perierat & inuenta est, filij qui erat mortuus & reuixit, vt triplici remedio prouocati vulnera nostra curemus. Spartum enim triplex non rumpitur. Qui sunt isti, pater, pastor, & mulier; nonne Deus pater, Christus pastor, mulier Ecclesia? Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit: quærit te Ecclesia, recipit pater. Quasi pastor reuehit, quasi mater inquirit, quasi pater vestit. Prima misericordia, secunda suffragario, tertia reconciliatio. Singula singulis quadrant. Redemptor subuenit, Ecclesia suffragatur, author reconciliatur, D. Ambro. libr. 7. super Lucam cap. 15.

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ. Non minus inuidi quam superbi, malitiam de dominica bonitate capiebant: de pietate Dei impij reddebantur, fiebant de Christi miseratione crudeles, sumebant de cælesti curatione languorem, & pœnitentium veniam vertebant iudicis in reatum. *Peccatores recipit, & manducat cum illis.* Sic videt inuidus, sic superbus sentit, auarus sic sapit, intelligit sic malignus. *Peccatores recipit.* Non dicũt suscipit: quid amiserat, qui recipit? Donat culpas iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiã, quicunque inuenit quod amisit. *Peccatores recipit.* Recipit peccatores Deus, sed Deus peccatores esse nõ sinit quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatorem sanctificat cum propinquat. Pharisæe, Christus peccata non recipit cum recipit peccatorem: quia Deus non criminis, sed hominis est receptor. Vnde Pharisæus non quales venerant: sed quales redibant videre debuit peccatores. Certe Paulum quem persecutorem miserant, prædicatorem videant mox rediisse. Petrus Chrysolo. sermo. 168.

Erant appropinquantes ad Iesum &c. Vide quæso illum ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt, tanta vrentem benignitate, vt ad eum etiã Publicani & peccatores accedere audeant. Vide quomodo sicut ad Dauidem conuenere omnes olim qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorũ princeps, sic omnes miserabiles conuenere nunc ad Christum, quem videbis vndique circunseptum gentibus miseris, qui factus est eorum princeps, defensio, & confugium. Videbant benignitatem illam qua illos accipiebat, illámque familiaritatẽ & conuersationem Christi cõsiderantes, animosiores & alacriores reddebantur, vt eum quærerent. Qui perdices aut coturnices venari intendunt, illicem earum simulant, eodem modo Christus cum Publicanis & peccatoribus manducans & conuersans, illos ea consuetudine quasi quodã illice venabatur. Hæc est causa quare doctores dicunt Christum communiorem vitam elegisse, videlicet vt plures peccatores venaretur doctrinæ suę facilitate: qui venerat peccatores vocare, vt ex peccatoribus pœnitentes fiant. At si tu nolis fieri pœnitens, neque cõuerti ad ipsum, quid de te sperandum erit? Attende quod vocat, sed ad pœnitẽtiã, vt intelligas quod Christiana religio crux est & pœnitentia: non vocat Christus ad delicias, nõ ad opes, non ad honores & dignitates, sed ad pœnitentiam. Vnde Luc. 13. nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Ioannes dicebat: Iam securis ad radicem arboris posita est &c. Verum dulces nobis fiunt labores & dolores, duce Christo ac comite, conuertuntúrque praua in directa, & aspera in vias planas, hoc est quę per aspritatem legis difficilia videbãtur & impedira, per fidem & euangelicam gratiam expedita fiunt & facilia. Postquam enim Christus mortuus est, iucundum est mori pro eo, & labores pro eo tolerare, qui tam multos pro nobis perpessus est. Quid obsecro tam dulce martyrium fecit? Vtiq; Christi aduentus in mundum. Nonne tibi aliquando iter facienti contigit, socium itineris inuenire, qui ita dulcem & suauem habeat conuersationem, vt iucundus potius & delectabilis sit itineris labor, quam molestiam tibi aliquam exhibeat? Sic plane dulcis Christi conuersatio, qui nobiscum vna iter agit, in laboribus pro eo toleratis, dulces profecto & suaues eos reddit. Vnde Dauid dicebat,

dicebat, Beati omnes qui timent dominũ, qui ambulant in viis eius. Item & ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Licet enim arcta sit via quę ducit ad vitam: ego tamen in latitudine cordis & lætitia eam ambulabam tecum. Quare cum habeas tam egregium comitem nempe Christum, in laboribus ipsis: quorsum differs in extremam vsque senectutem pœnitentiam tuã? Mira quidẽ est peruersitas eorum qui florẽ iuuentutis suæ volunt offerre diabolo, & fæces senectutis suæ Deo. Prouer. 22. adolescens iuxta viam suã, etiam cum senuerit non recedet ab ea. & Iere. 13. Sicut Æthiops non potest mutare pellem suã &c. Quando peruenit ad litus nauis ipsa, non solent nautæ vela extendere, sed tunc ancoras iaciunt: tu tamen differs quando ad vltimam vitæ metam peruenieris, tunc post vitam consumptam pœnitentiæ vela tendens. Sed longe te tua fallit opinio, nam modo dum inuenies es, vela pœnitentiæ sunt extendenda, & primogenita offerẽda hoc est priores anni vitæ tuæ; non autem senectus est expectanda.

Super illa verba, erant appropinquantes, &c. Vide D. Thom. 22. quæst. 25. artic. 6. ad 5. & 3. par. q. 40. ar. 1.

Erant appropinquantes ad Iesum. Cum taurus carcere quo detinetur soluitur in forũ, nemo propius accedere audetiat vero si postea taurus currui fortiter astringatur, vel iugo subijciatur, quilibet impune adeo accedit, vt vel puer etiam eius cornu apprehendere audeat. Ita in lege veteri nemo Deo appropinquare audebat, nam quasi taurus temere accedentem interficiebat, accessit ad eum Oza, 1. Reg. 6. 2. Par. 26. arcamque tetigit, & statim interiit: accessit Ozias Leuit 10. indebite, & leprosus factus est: accesserunt Nadab Exod. 19. & Abiu filij Aaron, offerentes ignem alienum, & statim mortui sunt. Item cum Deus voluit legẽ dare populo Israel, dixit Moyses ad populum ex parte Dei: cauete ne ascendatis in montẽ, neque tangatis fines eius. Dauid dicebat: Deus vltionum dominus, Deus vltionum &c. Verum post quam amore victus se humanitati tradidit, naturæque Psal. 93. humanę iugum subiit, hominum charitate deuinctus, tanquam agnus mansuetus factus est: adeo vt Esa. 53. Publicanos, peccatores, meretrices, latrones; claudos, cęcos, & leprosos, reliquamque miserabilium hominum turbam, benigne recipiat, summoque amore complectatur.

Et murmurabant Scribæ & Pharisæi. Quid mirum si de nostris actionibus & operibus murmurent aduersarij nostri, cum Scribæ isti & Pharisæi, de Christo & eius actionibus murmurarent, & peruerse iudicarent? Quare tam diuino exemplo tibi ante oculos proposito, patienter post hac murmuratores & tibi detrahentes sustineto. Adde quod ex huiusmodi detractionibus vtilitatem tibi maximam atque fructum comparare poteris. Videns enim quid de te iudicẽt & proferant, cautior eris; & si quidem aliquid vere reprehendere tibi videãtur, illud diligẽter emendabis; sin minus, patiẽter eos tolerabis: erunt igitur tibi scoparum loco, quibus mundes & abstergas cõscientiæ tuæ domum. Et quemadmodum ex igne id solũ assumimus, vt calefactionẽ ipsam, quod nobis vtile esse videmus, non autem in voracissimam flammam nos conijcimus: ita ex detractoribus & murmuratoribus id quod tibi vtile videbitur solum excerpes, non autem eos imitaberis in detrahendo, & candido alterius nomini infamiæ notas inurẽdo. Eos quoad poteris à vitiis erues, tum præclaro tuo exemplo, tum benigna etiam correctione, non autem vitia eorum & nequitiam operibus tuis exprimes atq; referes. Vnde hac tua recta intentione magnos tãdem in virtute progressus facturus es; hæc enim actiones tuas preclare diriget atque componet. Vt enim sagittarius tela sua in album atque scopum recta extorquere cupiens, finistrum claudit oculum, tenens dextrum ipsum apertum; ita tu deprauatã reiiciens intẽtionem, rectãque cõplectẽs, tuto versaberis inter detractores, hosteque tuos infensissimos: qui tantum moliuntur, vt hanc tibi rectam intentionem adimant atque eruant. Veluti Naas ille 1. Re. 11. id petebat ab habitatoribus Iabes, vt oculos eorum dextros erueret. In hoc enim differunt impij homines à bonis, quod deprauatã gerant intentionem, terrenisque defixam atq; demersam, veluti arbores in imum radices suas propagantes: cum tamen boni recta vtentes intentione, ad cælestia atque sublimia sese erigant, ignis imitantes flammã, quæ ad superiora tendere consueuit.

Et murmurabant Scribæ & Pharisæi. Vel minima quidẽ arrepta occasione isti illico murmurabãt & detrahebant: si quidẽ quemadmodum quæ cinere obducũtur & obteguntur prunæ, inflatis follibus illico apparẽt & exerũtur: ita malitia & inuidia simulatione quadã obducta, qualis erat istorum, vel ex re leuissima statim tumultuatur, clamitat, & Tragædias excitat atrocissimas. *Quia hic peccatores recipit.* Si peccatores recipit, id quidem fit ad eorũ profectum & vtilitatẽ. Vt enim ex salso mari educi solent nubes quæ tandem resolutæ, dulcem exhibent nobis aquã: ita ex amaro animo istorũ peccatorũ, præ delictorum dolore vehementi, educebatur nubes quædam cõtritionis & pœnitentiæ, quæ in lachrymas tandem resoluebatur vtilissimas; ita contigit Matthæo, Magdalenæ, & similibus.

Et murmurabant. Isti cum semetipsos ignorarẽt, propterea ferebantur tantopere ad murmurandũ & detrahendum de aliis. Siquidem si sinum suum atque pectus diligenter explorassent nõ quæ suis sent foris aliena facta atque dicta. Est enim sui ignoratio vsque adeo noxia, vt originem atque fontem omnium fere malorum, eam esse dixerit Lactantius. Vnde tota Platonis fere philosophãdi ratio vt scribit Proclus, eo directa fuit, vt hominem ad sui cognitionem hortaretur. Diogenes item dicere solitus erat, vt difficillimam ita etiam vtilissimam homini esse sui cognitionẽ. Hinc enim fit, vt scilicet propter ignorationem sui, tãtopere homines sua ament atque diligant, aliena vero reprehendant atque vituperẽt. Hinc que ortum habuerunt manticæ illæ Æsopi, qui dixit duas nos humero gestare manticas, in quarum posteriore nostra flagitia, in anteriore vero cæterorum facta & dicta reponeremus. *Quia hic peccatores recipit.* Desinite iam mirari scribæ, quod Christus peccatores recipiat: siquidem eos recipit ad reficiendam picturam illam & effigiem donorum atque virtutũ, quam ipse depinxerat in eorum animis, sed tamen dæmon hostis nefarius eandem deformauerat & maculauerat. Vt enim egregius pictor dolet picturam sam ab alio pictore deformatã atque cõspurcatam esse, eãque quãtum in se est conatur reficere ac restituere: ita Christus videns quod fraudulentus pictor dæmõ picturam horum diuinam infecisset & contaminasset, propterea peccatores recipiebat, vt eosdem reficeret viuis suis coloribus & ornamentis.

Et murmurabant. Impij murmurare solent contra bonos, sic Simon contra Oniam murmurabat 2. Mach. 4. principes item detraxerunt Dauidi

apud Achiſ.1.Reg.29.æmuli ędificantium templũ illis detrahebant apud regem 1.Eſdrę 4. principes populi detraxerunt Ieremiæ apud Sedechiam regem Iere.38.

Viri Chaldęi inuidia moti accuſauerũt Iudęos, detrahentes eis coram rege. Dan.3.ſatrapæ item Darij inuidentes felicitati Danielis detraxerunt ei coram Dario.Danielis 6.

Deus in detractores animaduertit, vide enim quo pacto tractauerit Mariã quia Moyſi detraxerat.Num.12.Filij ité illi Iſrael qui detraxerant terræ promiſſionis,puniti ſunt. Num.13.& 14.

Iſti quidem murmuratores & detractores cum in ſui ignoratione verſarẽtur, propterea in alienis factis explorandis ita occupabantur. Multi quidẽ ita ſe ipſos miſere decipiunt,vt in ſuis erratis perpetuo cæcutiẽtes,ad aliena lynceos habeant oculos. De huiuſcemodi hominibus querebatur Socrates,quemadmodũ refert Anto.in Meliſ.dicens, quod ſeipſos turpiter fallerent, & cæcutirent in clariſſima luce. Demoſthenes item egregia illa ſententia ſua hos homines reprehendit, qua acute & ſapienter pronuntiauit,nihil eque fere facillimum reperiri, atque aliquem ſeipſum fallere atque decipere.Stobęus refert dicere ſolitum Apollonium, multos eſſe vſque adeo ſeipſos amantes ſibique indulgentes,vt quæ vitia in ſeipſis defenderent,in aliis tamen vehementiſſime deteſtarentur:hoc eſt malorum ingenium & natura, aliorũ explorare & perſcrutari delicta, & ad propria cõniuere,vt teſtatur idem Stobæus, & Phauorinus: tali vero prædiți erant ingenio iſti detractores & murmuratores Phariſæi.

Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: quis ex vobis homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis,nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat,donec inueniat eam? Diues igitur paſtor,cuius oues nos cẽteſima portio ſumus, habet angelorum,habet archãgelorum, dominationum,poteſtatum, thronorum, aliorumque innumerabiles greges,quos in mõtibus dereliquit:qui quidem hominum redemptione lætãtur. Quãquã hoc quoque proficiat ad incentiua probitatis, ſi vnuſquiſque cõuerſionem ſuam gratã fore credat cętibus angelorum,quorum aut affectare patrocinium,aut vereri debet offenſam. Et tu igitur eſto angelis lætitiæ,gaudeant de reditu tuo.D.Ambro. lib.7.ſuper Luc.cap.15.

Homo habens oues cẽtum,Chriſtus eſt: paſtor bonus,paſtor pius,qui in vna oue, hoc eſt in Adã, poſuerat totum gregem generis humani:hãc inter amæna paradiſi,in regione vitalis paſcuę collocarat:ſed illa vocem paſtoris oblita, lupinis vlulatibus ſauciatur & vulneribus.Hanc ergo Chriſtus veniens quærere in mũdum, in vtero virgineæ regionis inuenit.Venit ſuæ natiuitatis in carne,& in Crucem leuans humeris ſuæ impoſuit paſſionis: & gaudens toto reſurrectionis gaudio, per aſcenſum ad cæleſtem tulit & pertulit manſionem Petrus Chryſolo.ſermo.168.

Quis ex vobis homo,&c. Conſequenter ad clemẽtiam prouocat,qui præmiſerat dicens. Videte ne contẽnatis vnum ex puſillis iſtis,& ſubiungit parabolam nonaginta nouem ouium in montibus relictarum,& vnius errantis, quam paſtor bonus, quia propter nimiam infirmitatem ambulare non poterat,humeris ſuis ad reliquum gregem reportauit. Quidam putant iſtum eſſe paſtorem, qui cũ in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo,ſed exinaniuit ſe,formam ſerui accipiens,factus obediens patri vſque ad mortem, &c.Et ob id ad terrena deſcenderit, vt ſaluam faceret vnam ouiculam quę perierat,hoc eſt humanũ genus. Alij vero in nonaginta nouem ouibus, iuſtorum putãt numerum intelligi, & in vna ouicula peccatorum,ſecundum quod in alio loco dixerat,non veni iuſtos vocare,ſed peccatores: non enim opus habent ſani medico, ſed hi qui ſe male habent D.Hiero.ſuper Matt.lib.3.cap.18.

De oue & drachma perdita. Vide Hugo. de S. Victo.lib.4.Allego.in Euang. ſecundum Luc.cap. 21.to.1.

Quis ex vobis homo, &c. Vide quanta cum manſuetudine & benignitate ſubiectis parabolis corripiat Chriſtus murmurantes phariſæos: eſt enim perfectio maxima non ſolum patienter ſuſtinere errantes & malignos,ſed etiã eos inſtruere & informare.Vnde cum habeamus tã pium paſtorem & patrem,derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas,& reuertatur ad dominum,&c.Et Iere.3. tu fornicata es cum amatoribus multis,tamen reuertere ad me,&c.

Hac enim ratione appropinquauimus domino, Epheſi.2.vos qui eratis lõge facti eſtis prope. Sap. 16.non herba neque malagma ſanauit eos,ſed ſermo tuus qui ſanat omnia Pſa.118.lucerna pedibus meis verbum tuũ.Hiere.23.nõne verba mea quaſi ignis &c.Et propterea accedebant peccatores, vt audirent eum.Alber.mag.ſuper Luc.15.

Et ſi perdiderit vnam. Quem perditã omnes peccatores dixit,qui per pœnitentiam reconciliantur Deo:quam humeris ſuis portat,quia humiliãdo ſe tales erexit.Vide D.Auguſ.lib.2.quæſt.Euãge.cap. 32.tomo 4.

Et ait ad illos parabolam iſtam. Non ſolum miſericordem & benignum ſeſe oſtẽdit Chriſtus in peccatoribus & publicanis recipiendis verum etiã in reſponſione tam miti & parabolica facta ipſis ſcribis & phariſæis murmurantibus contra ſe.Nam vt ait Seneca,ſicut non videtur ille magni animi qui de alieno liberalis eſt, ſed ille qui quod alteri donat, ſibi detrahit:ita clementem vocabo non in alieno dolore facilem,ſed eum qui cum ſuis ſtimulis exagitetur,non profilit,qui intelligit magni animi eſſe iniurias in ſumma potẽtia pati,nec quicquam eſſe glorioſius principe impune læſo. lib. 1. de clemen.cap.20.Cęterũ ſi hoc inſtitutum de clementia & miſericordia paulo fuſius protendere & dilatare velis, multa etiam ex Ethnicis prompta habes exempla.Si quidem Iuſtinus refert lib.1. de Cyro, quod tametſi incommoda multa ſuſtinuiſſet ab Aſtyage,& eum tandem bello ſuperaſſet & deuicitſſet, non ſolum ei vitam non eripuerit, verum etiam eundem Hyrcaniæ præfecerit.Idem etiam lib.7.mira quædã refert de Philippi clementia & humanitate erga hoſtes ſuos bello ſuperatos,tametſi oculum ſibi eruiſſent, atque varias afflictiones inique intuliſſent.lib.præterea 11.commemorat de Alexandro magno, quod cum Dariũ hoſtem ſuum infenſiſſimum euicifſet,maxima tamen humanitate atque clementia tractauerit eius matrem, & reliquam cognationem ſibi ante pedes prouolutam. Cęterum cum acceſſiſſet Demetrius legatus pro patre apud Romanos, cumque Romani ei commemorarẽt facinora multa & flagitia à patre ſuo patrata, ipſeq; pudefactus obmuteſceret,neque ſermonem vllũ inueniret,commemorat idem Iuſti. lib.32.hoc tanto exemplo commotos Romanos,maxima clementia ac liberalitate non ſolum filium complexos fuiſſe, ſed etiã patri ignouiſſe,ac peperciſſe.

Et ſi perdiderit vnam. Chriſtus eſt paſtor, qui tanto

tanto cum labore & afflictione perditam quęſiuit ouem:cui nulla ratione poſſumus tantum beneficium digne compenſare,neque digne pro meritis gratias agere,vel ſi mẽbra noſtra omnia in linguas conuertantur.Vide D.Auguſ.lib.medita.cap.8. & 15.& lib.3.contra Pelagi circa medium.

Si bonus paſtor tantopere gaudet & lætatur inuenta ouicula ſua quam perdiderit errabũdam, quanto magis Chriſtum gauiſurum putas, ſi tu qui erras per vitiorum vepres & ſpinas,ad ſalutaria eius paſcua redieris? Vide Theophilact. ſuper hunc locum.

Vide D.Hiero.lib.1.ſuper Matth.9. explicantẽ illa verba,ecce multi Publicani &c.

Lege D.Chryſoſt.ſuper Matth.9.homi.31.in illa verba,quare cum Publicanis.

Maximus quidem ac pernicioſiſſimus error eſt mundum ſequi, præſertim cum lac præbens ſuis amatoribus,eoſdem interficiat inſtar Iahelis.Iudi cum 4.contra vero,Chriſtum ſequi præclariſſimũ paſtorem noſtrum,qui tam ſolicitus eſt de ouium ſuarũ ſalute,glorioſum eſt atq; ſalutare. Vide Hecto.Pintum ſuper Eſai. 55.

Et ait ad illos parabolam. Benignitate quidem maxima non ſolum peccatores recipiebat Chriſtus, ſed etiam detractores ac murmuratores tolerabat: contra quod detrahendi & murmurandi vitium ſi paulo fuſius agere velis,quam ſuperius actum eſt, nonnulla indicabo loca.

Abſalon regnum patris ambiens, eidem detrahebat, ſed vide quo fine conſumptus fuerit 2. Reg. 18.

Propter detractionem Core & complicũ eius, multi perierunt,Num.16.

Vide quot fuerint interfecti propter detractionem illam Doeg Idumæi.1.Reg.22.

Attẽde quot fuerint interempti propter murmurationem & detractionem principum filiorum Ammon contra Dauid.1.Reg.10.

Siba puer Miphiboſeth detraxit domino ſuo coram Dauid 2.Reg. 16.

Sapienter Alexander ille rex detractores Ionathæ à ſe repulit atque reiecit.1.Mach.10.

Detractor peruertere omnia ſolet,ac in ſiniſtrã partem interpretari.Si enim ieiunas, dicit te hypocritam eſſe:ſi comedis,voracem; ſi quieſcis, pigrum, ſi vadis inquietum.Si loqueris arrogãtem: ſi taces,ſtultum.Cum videt te benigne facere pauperibus,inanem aucupari dicit laudem: cum vero eleemoſynam non das, auaritiæ inſimulat. Hinc de Chriſto nunc murmurabãt ſcribæ & phariſęi, quod peccatores reciperet, & in eos miſericordiã ſuam exerceret.

Et ait ad illos parabolam iſtam. Cum tã benignum habeamus patrem, quia adeo clemẽter & ſub parabolis corripit, derelinquat impius viam ſuam, &c.Iere.3.tamen reuertere ad me,&c.O ineffabilem Dei bonitatem,atque miſericordiam;cũ enim poſſit iuſtiſſime nos caſtigare atq; punire,nihilominus tamen peccata noſtra diſſimulat, noſque benigne ad pœnitentiam expectat, quod vel Saulis quodammodo exemplo cognoſcere tãdem deberemus: qui videns Dauidis clementiam & benignitatem, qua vſus fuerat cum illius vitæ parcens de veſte dumtaxat nonnihil præcidit,magna quidem voce dixit:peccaui. Non vtique ita nos gerimus cũ Deo,tametſi aperte eius indulgentiã Danidis more in nobis experiamur: aufert enim interdum nobis vas aquæ, hoc eſt delicias & ſolatia mundana,interdum vero haſtam ipſam,id eſt ſubſidia & fauores humanos,vt ita demum reſipiſcamus, ſed perpetuo tamen obſurdeſcimus. Vide Hect.Pin.in Ezech.18.

Et cum inuenerit eam,imponit in humeros ſuos gaudens:& veniens domum conuocat amicos & vicinos,dicẽs. Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Gaudeamus igitur quoniam illa quæ perierat in Adam,leuatur in Chriſto. Humeri Chriſti crucis brachia ſunt: illic peccata mea depoſui,in illa patibuli nobilis ceruice requieui.Quis illa genere eſt vna,non ſpecie.Vnum enim omnes corpus ſumus,ſed multa membra.Et ideo ſcriptum eſt, vos autem corpus eſtis Chriſti, & membra ex mẽbris eius. Venit itaque filius hominis ſaluum facere quod perierat:omnes ſcilicet, quia ſicut in Adam omnes moriũtur,ita & in Chriſto omnes viuificabuntur D.Ambro.lib.7.ſuper Luc.15.

Congratulantur & congaudent Chriſto angeli ſuper ouis dominicæ reditu,nec indignãtur in toto ſibi præſidere ſolio maieſtatis, quia de cæleſtibus inuidia cum diabolo fuerat iã fugata. Fratres ille nos quæſuit in terra, nos illum quæramus in cælis:ille nos portauit ſuæ diuinitatis ad gloriam, nos illum ſanctitate tota noſtro portemus in corpore. Glorificate inquit Apoſ.& portate Deum in corpore veſtro.Ille Deũ in corpore ſuo portat,qui nullum portat in ſuę carnis operatione peccatum. Petrus Chryſologus ſermo.168.

Imponit in humeros ſuos. Quem in humeros ſuos impoſuit,quia humanam naturam ſuſcipiẽs, peccata noſtra ipſe portauit. *Et veniens domum conuocat amicos, &c.* Inuenta oue domum redit, quia paſtor noſter reparato homine,ad regnum cæleſte rediit. Ibi amicos & vicinos inuenit,illos videlicet angelorum choros,qui amici eius ſunt:quia voluntatẽ eius continue in ſua ſtabilitate cuſtodiunt. Vicini quoque eius ſunt,quia claritate viſionis illius ſua aſſiduitate perfruuntur. Et notandum quod non dicit,congratulamini inuentæ oui,ſed mihi; quia videlicet eius gaudium eſt vita noſtra.Et cum nos ad cælum reducimur, ſolennitatem lætitiæ eius implemus D.Grego.in Euange. Homi.34.

Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agẽte, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Conſiderandum nobis eſt cur dominus plus de conuerſis peccatoribus quam de ſtantibus iuſtis in cælo gaudium eſſe fateatur. Vnde hoc, niſi quod ipſi per quotidianũ viſionis experimentum nouimus,quia plerũque hi qui nullis ſe oppreſſos peccatorum molibus ſciunt,ſtant quidem in via iuſtitię,nulla illicita perpetrant, ſed tamen ad cæleſtẽ patriam anxie non anhelãt,tãtoque ſibi in rebus licitis vſum præbent, quanto ſe perpetraſſe nulla illicita meminerunt? Et plerunque pigri remanẽt ad exercẽda bona pręcipua;quia valde ſibi ſecuri ſunt quod nulla commiſerint mala gratiora. At contra nonnunquam hi qui ſe aliqua illicita egiſſe meminerunt,ex ipſo ſuo dolore cõpuncti,inardeſcunt in amorẽ Dei, ſeſeque in magnis virtutibus exercent: cuncta difficilia ſancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiũt, acceptis contumeliis lætantur,flagrant deſiderio, ad cæleſtem patriam anhelant:& quia ſe erraſſe à Deo cõſiderant,damna præcedẽtia lucris ſequentibus recompenſant. Maius ergo de peccatore conuerſo, quam de ſtante iuſto gaudium ſit in cælo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit; qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter petit, quam illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas,vberes fruges

profert, quam eam quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ſunt plerique iuſti in quorum vita tantum eſt gaudium, vt eis quælibet peccatorũ pœnitentia præponi nullatenus poſſit. Nã multi & nullorum ſibi malorum ſunt conſcij, & tamen in tanti ardoris afflictione ſe exercent, ac ſi à peccatis omnibus coangustentur. Cuncta etiam licita reſpuunt; ad deſpectum mundi ſublimiter accinguntur, licere ſibi nolunt omne quod libet. Bona ſibi amputant etiam conceſſa, contemnunt viſibilia, inuiſibilibus accenduntur, lamentis gaudent. In cunctis ſemetipſos humiliant: & ſicut nonnulli peccata operum, ſic ipſi cogitationum peccata deplorant. Quid itaque iſtos dixerim, niſi & iuſtos & pœnitentes, qui ſe & in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti ſemper in opere perſeuerant? Hinc ergo colligendum eſt quantũ Deo gaudium faciat quando humiliter plangit iuſtus, ſi facit in cælo gaudium, quãdo hoc quod male geſſit, per pœnitentiam damnat iuſtus. D. Grego. in Euange. Homi. 34.

Gaudium erit ſuper vno peccatore pœnitentiã agente. Sicut in horto vel vinea noxiæ ſunt vrticæ & ſpinæ, attamen eradicatæ, & poſitæ pro ſepe ipſius vineæ & cuſtodia, conducere videntur: ita tu debes peccata tua ab anima conuellere, & pœnitentiam de illis agere, habere tamen ea in memoria, ad hoc vt poſt hac te à vitiis cuſtodias atq; defendas. Michas clamans ſequebatur quoſdam milites Iudicum 18. qui furati ei fuerant idola: dicentibus autem illis cur clamaret, reſpondebat: deos meos quos mihi feci, tuliſtis, & quæritis quid tibi eſt? Si igitur miſer ille pro deo ſuo vano quem ipſemet ſibi fecerat, tantum plorabat: quanto magis debet quis de peccatis dolere & plorare, cũ videat quod perdiderit Deum ſuum verum? Si filia Iephte duobus menſibus plorabat virginitatem ſuam cũ ſodalibus ſuis, quia mors adpropinquabat: quanto magis nos, qui neſcimus an hodie reddituri ſimus rationem vitæ noſtræ, plorare debemus? Et certe ſicut pluuiũ tẽpus inimicũ eſt iis qui oppugnant arcem aliquam, ita lachrymæ ipſæ maxime repellunt à nobis inimicos noſtros, & hoſtes qui nos iugiter impugnant atque inuadunt. Si Dauid tantopere flebat propter pueri morbum, & Samuel tã vehementer dolebat propter Saulẽ, an non multo magis nos flere debemus atque dolere ob infirmitatem interitumque animæ noſtræ, propter peccata contractum? *Quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, &c.* Si loquimur de iuſtis feruentibus, cæteris paribus magis diligit Deus iuſtũ nũquam cadẽtem, quam peccatorem pœnitentem: & maius gaudiũ eſt in cælo de innocentia feruentis iuſti cõſeruata, quam de peccatoris pœnitẽtia. Sed ſi loquimur de iuſtis tepidis, magis gaudet Deus & angeli de peccatore feruenter pœnitentiam agẽte, quam de illis. Sæpe enim accidit quod qui à maximis peccatis ſurgunt per pœnitentiam, poſtea feruentiores ſint in diuino amore, quam qui nunquam ceciderunt & tepidi ſunt. Ferrum ignitum feruẽtius eſt ligno accenſo, quia quanto materia & ſubſtãtia eſt magis frigida & igni contraria, ſi igne accenditur & ignitur, tanto calidior & feruẽtior efficitur, & calorem diutius conſeruat: eodem modo ſæpe fit de peccatore conuerſo & igne charitatis accenſo, ſicut patet in Dauide, Petro, Paulo, & aliis, qui ſanctitate quam plurimos qui nunquam ceciderunt antecedunt.

Super vno peccatore pœnitentiam agente. Si quidem cum per labores maximos lachrymas, & afflictiones, ſancti viri ad cælum eũcti ſint: debet plane peccator pœnitentiam agere delictorum ſuorum, labores ſuſtinere, afflictiones & tribulationes, vt ita demum etiam cæleſtem beatitudinem ſibi valeat comparare, & gaudium maximum exhibere cæleſtibus ipſis ciuibus. Neque enim decere videtur vt cum quis videat regẽ ipſum in armis, & cæteros milites ſuos, ipſe ſolus accedat inermis: cum illi ſint loricati, hic ſit penulatus & ocreatus, cum illi verſentur in mediis præliis & afflictionibus, hic ſit in deliciis & deambulationibus. Ita tu non debes in deliciis & voluptatibus mundanis vitam traducere, cum videas & Chriſtũ ducẽ & ſanctos ſuos, maximas pati afflictiones atque tormenta.

Ita gaudium erit, &c. Vide D. Tho. 1. pat. q. 20. a. 4.

Super vno peccatore pœnitentiam agente. Pœnitentiam agamus, & deus nobis indulgebit. Iſa. 31. D. in die illa, &c. & 44. D. reuertere ad me & 50. D. quis ambulauit, &c.

Si hic pœnitentiam neglexerimus, in alia vita dolebimus & rugiemus Iſa. 59. C. rugiemus quaſi vrſi.

Quid dicere Deo debeamus pœnitentiam agẽtes. Iſa. 64. C. & nunc domine Iere. 17. b. ſana me domine.

Quæritur Deus quod non conuertamur ad ſe. Iere. 3. in omnibus his non eſt reuerſa ad me.

Quid eueniat nolentibus agere pœnitentiam. Iere. 26. b. ſi non audieritis me.

Pœnitentiam agamus & ad dominum conuertamur Threno. 3. E. ſcrutemur vias noſtras.

Agamus pœnitentiam, & ſenſualitatis veſtigia non ſectemur Dani. 10. A. panem deſiderabilẽ non comedi.

Agamus pœnitentiam antequam tempus prætereat. Sopho. 2. A. cõuenite & congregamini. Eccleſiaſtici 7. b. humilia valde ſpiritum tuum, & 33. D. ſeruo maleuolo.

Pœnitentia ſecreta 4. Reg. 6. G. cilicium quo veſtitus erat.

Ne differamus pœnitẽtiam Gene. 30. E. iuſtum eſt igitur vt aliquando.

Quomodo agenda pœnitentia. Iudicum 10. C. peccauimus. 1. Reg. 7. b. peccauimus. 2. Reg. 19. D. agnoſco enim ſeruus tuus peccatum.

Gaudium erit in cælo. Gaudent quidem cæleſtes ciues de pœnitentia noſtra & bono noſtro, ita & nos gaudere debemus inuicem de bono proximo rum noſtrorum: debemus etiam eiſdem compati in afflictionibus & tribulationibus, exẽplo Apoſ. Roma. 9. & 2. Cor. 11.

Maxime nos Deo ſimiles reddit miſericordia & cõpaſſio proximorũ, de qua re vide D. Chryſoſ. ſuper Matt. homi. 36. & homi. 51.

De compaſſione ac pietate vide D. Anſel. explicantem illa verba 2. Cor. 11. quis infirmatur, &c. Item Theophylactum ſuper eadem verba.

Multa habes apud D. Grego. lib. 20. Mora. cap. 26. ſuper illa verba Iob 30. flebam ſuper eo, qui afflictus erat. Vide etiam eundem lib. 9. Mora. cap. 20. & lib. 8. Mora. cap. 13.

Conſule D. Auguſtinũ ad fratres in eremo ſermo. 44. to. 10.

Nonnulli perperam & impie refugiunt cõpaſſionem proximorum, putantes rem eſſe abiectam, vide D. Auguſt. lib. 9. de ciuitate dei cap. 5.

Neque ſatis eſt proximo compati, ſed debes ei benigne facere ſi opera tua indiguerit, & eundem patienter ſuſtinere & ſupportare. Vide D. Athana. ſuper Epiſ. ad Rom. 12.

Miſeri

Miſericordes ſimus atque noſtris fratribus cõpatiamur, ſi Deo grati eſſe volumus Vide D. Baſi. de primoge. hominis conſtitu. homi. 11.

Sapientiſſime & vtiliter permiſit Deus egenos & inopes, vt tu haberes in quos miſericordiam exerceres, & quorum compatereris ad tuum meritum, vide D. Chryſoſ. ſuper Gene. homi. 27.

Vide eundem ſuper primum verſicu. pſal. 50.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit drachmã vnam: nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam? Qui ſignatur per paſtorẽ, ipſe & per mulierem. Ipſe etenim Deus, ipſe & Dei ſapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quãdo homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à ſimilitudine ſui conditoris receſſit: ſed accendit mulier lucernam, quia Dei ſapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumẽ in teſta eſt: lumẽ vero in teſta eſt diuinitas in carne. De qua videlicet teſta ſui corporis dicit ipſa ſapiẽtia, exaruit velut teſta virtus mea. Quia enim teſta in igne ſolidatur, eius virtus ſicut teſta exaruit, quia aſſumptam carnẽ ad reſurrectionis gloriam ex paſſionis tribulatione roborauit. Accenſa autem lucerna euerrit domum, quia mox vt eius diuinitas per carnem claruit, omnis ſe noſtra conſcientia concuſſit. Domus namque euerritur, cum conſideratione reatus ſui humana cõſcientia perturbatur. Qui euerſionis ſermo non diſcrepat ab eo quod in aliis codicibus legitur, emundat: quia nimirum praua mens ſi non prius per timorem euerritur, ab aſſuetis vitiis non emũdatur. Euerſa ergo domo inuenitur drachma, quia dum perturbatur conſcientia hominis reparatur in homine ſimilitudo conditoris D. Grego. in Euange. homi. 34.

Aut quæ mulier habens drachmas decem. Hæc parabola eadem cum ſuperiori videtur: nam ſicut cum Pharao vidit ſomnium de bobus illis, & poſtea aliud vidit de ſpicis, dixit ei Ioſeph, ſomniũ regis vnum eſt: ita nunc ambæ parabolæ eodem tẽdere videtur. Cæterum inuenitur drachma perdita accenſa lucerna, cũ peccator lumine cæleſti illuſtratus, & ſancta prædicatione, culpas ſuas agnoſcit, eaſque gemit atque deflet.

De parabola drachmæ perditæ vide Petrum Chryſolo. ſermo. 169.

Et cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: congratulamini mihi, quia inueni drachmã quã perdideram. Non otioſum quod mulier illa drachma lætatur inuenta. Non mediocris hæc drachma eſt, in qua principis eſt figura. Et ideo imago regis cenſus Eccleſiæ eſt. D. Ambro. lib. 7. ſuper Luc. cap. 15.

Inuenitur quidem drachma perdita cum lucerna accenſa, cum peccator illuſtratus lumine fidei, euangelica prædicatione, & diuina inſpiratione, agnoſcit culpas & fragilitatem, atque ita illuſtratus eiuſcemodi lumine cæleſti, deflet ac gemit ſcelera ſua. Vide venerabilem Bedam lib. 4. ſuper Luc. cap. 61.

Vide quæſo ſub iſtis parabolis quanta cum benignitate & manſuetudine partim diſſimulet, partim etiam corrigat Chriſtus dominus murmuratores ipſos. Magnæ equidem perfectionis eſt indicium, & argumentum, non ſolum patienter tolerare detractores, verum etiam eoſdem cum manſuetudine emendare, & eorum ignorãtiam depellere, & denique candido exemplo informare. Vide Eraſmum ſuper hunc locum.

Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Oues ſumus, oremus vt ſuper aquam refectionis nos collocare dignetur. Oues inquã ſumus, petamus paſcua. Drachmę ſumus, habeamus pretiũ. Filij ſumus, feſtinemus ad patrẽ. Nec vereamur quia acceptum ſpiritualis patrimoniũ dignitatis, terrenis prodegimus voluptatibus. Quod pater in filiũ quẽ habebat theſaurum contulit: fidei cenſus nũquam exinanitur, licet totum dederit, totum habet, qui quod donauerit, non amittit. Nec verearis ne te non recipiat: non enim delectatur Deus perditione viuorum, iam occurrens venienti tibi cadit ſupra collum: dominus enim erigit eliſos. Oſculum dabit, quod eſt ſignum charitatis & amoris. Stolam, anulum, calceamenta proferri iubebit. Tu adhuc iniuriam metuis, ille reſtituit dignitatem: tu ſupplicium vereris, ille oſculum defert: tu conuitium times, adornat ille cõuiuiũ D. Ambro. lib. 7. ſuper Luc. 15.

Ecce ipſa diuina miſericordia pollicetur, dicens: gaudium erit in cælo, &c. & tamen per prophetam dominus dicit. Quia quacũque die iuſtus peccauerit, omnes iuſtitiæ eius in obliuione erũt coram me. Penſemus ſi poſſumus diſpenſationem ſupernæ pietatis, quæ ſtãtibus ſi ceciderint minatur pœnam, lapſis vero vt ſurgere appetãt, promittit miſericordiam. Illos terret ne præſumãt in bonis, iſtos refouet ne deſperent in malis. Iuſtus es, iram pertimeſce, ne corruas: peccator es, præſume de miſericordia, vt ſurgas. Ecce autem iã lapſi ſumus, ſtare nequaquam voluimus, in prauis noſtris deſideriis iacemus. Sed qui nos cõdidit adhuc expectat, & prouocat ſurgamus, ſinum ſuæ pietatis aperit, noſque ad ſe recipere per pœnitẽtiam quærit. Sed pœnitentiam agere dignam nos non poſſumus, niſi modum quoque eiuſdem pœnitẽtiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe agere, eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda nõ perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitẽtiam agere aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æſtibus aheler? aut quid prodeſt ſi iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabeſcat? Sed minus eſt valde quod dicimus, vt qui peccata deplorat, ploranda minime committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat: Nam cogitãdum ſummopere eſt, vt qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere: quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, vt qui cõmiſit prohibita, ſibimetipſi abſcindere debeat etiam conceſſa, & ſe reprehendat in minimis, qui ſe meminit in maximis deliquiſſe. Minima ſunt quæ loquor, ſi hæc ex ſacri eloquij teſtimoniis nõ affirmo. Lex certe veteris teſtamẽti alienam vxorem concupiſci prohibet. A rege vero fortia iuberi militibus, vel deſiderari aquam, non pœnaliter verat. Et cuncti nouimus quod Dauid concupiſcentiæ mucrone transfixus, alienam coniugem & concupiuit & abſtulit. Cuius culpam digna verbera ſunt ſecuta, & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe poſt cõtra hoſtiũ cuneos ſederet, aquam bibere de Bethleemitica ciſterna ex deſiderio voluit. Cuius electi milites inter cateruas aduerſantiũ medias erũpẽtes, aquam quam rex deſiderauerat, illæſi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus, ſemetipſum protinus cum periculo militũ aquam deſideraſſe reprehendit, eamque domino fundens libauit, ſicut ſcriptũ eſt: libauit eã domino; in ſacrificiũ quippe domini effuſa aqua cõuerſa eſt, quia culpã concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam reprehenſio-

nis ſuæ. Qui ergo quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, poſt etiam quia aquã cõcupiſſet, expauit. Quia enim ſe illicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus, etiam à licitis abſtinebat. Sic ſic, agamus pœnitentiam, vt ea quę commiſimus perfecte deflea-mus D. Grego. in Euange. homi. 34.

Super epiſ. & Euange. duas habet cõcio. D. Antoni. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem prima parte hiſto. titu. 5. cap. 2. §. 6.

Tres etiam habet concio. D. Tho. prope finem to. 16.

Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Cvm turbæ irruerent in Ieſum vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth: & vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum, piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia. Luc. 5. Quid mirum ſi eius verba qui patris eſt ſapientia, & in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt reconditi, populum attraherent, cum vel ipſa diſcipulorum verba tantam haberent vim, vt in vno die Petrus ad Chriſti fidem tria millia hominum conuerterit? Irruebant ergo turbæ in Ieſum, in cuius labiis gratia diffuſa erat: phariſæi autẽ & ſcribæ ſua ſcientia inflati, verbum dei cõtemnebant, & putantes ſe omnia ſcire, ſtulti facti ſunt. Si enim cupis aquam haurire de puteo, opus eſt vt vas inclinetur & ſubmittatur, quia in erectum vas non intrat aqua: ſic aqua Sapientiæ potauit has turbas dominus Ieſus, quia in ſimplicitate cordis ad illũ veniebant, & humiliter audientes verbum refocillati ſunt. *Cum turbæ irruerent.* Irruere eſt cũ impetu ferri; in quo feruorem turbarũ conſidera, & qua auiditate cupiebãt verbum dei, vt magno impetu currerent ad audiendũ illud. Nõ ſolum in tẽplo & in Synagoga intra mœnia ciuitatis audiebant verbum, ſed per mõtes & ad deſerta properabant vt illud audirẽt. Nos autem iuxta eccleſias habitantes, parum itineris ambulare nolumus, vt cõciones audiamus. Faſtidimus enim quic quid ſpirituale & honeſtum eſt. Surgent itaque iſti in die iudicij, ſicut Niniuitæ aduerſus impios & incredulos Iudęos, & condemnabunt nos, quia per campos vſque in mare iſti properabant vt audirent verbum dei, nos vero vt id audiamus, nec parum laboris volumus ſuſtinere. Quod Cain domino obtulit, id pigre & ſegniter fecit, ſero & male. Factũ eſt inquit ſcriptura, poſt multos dies, vt Cain offerret domino de fructibus terræ munera. Non ſic ſanctus patriarcha Abraham qui ſtatim nocte cõſurgens, nec mane expectans, abiit ad ſacrificandũ filium, quod iam illi à domino erat iuſſum. Sic turbæ iſtæ fecerũt, quæ certatim ad Chriſtũ properabant, vt verbo Dei ſatiarentur. Laudatur Maria quia ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius: & turbæ iſtæ à domibus exibant & properabant ad Chriſtum, vt illum audirent. Cæterum ſunt qui dicant, doctus ſatis ſum, nolo pergere ad concionem: qui quidem lõge falluntur, habet enim viua vox neſcio quid latentis energiæ. Dauid ſapiẽtiſſimus erat, & magnam Dei cognitionem habebat, & diuinis reuelationibus donabatur: attamen quamdiu erat in peccato non reſipuit, donec acceſſit ad eum Nathan, ad cuius viuam vocem conuerſus eſt; & dixit, peccaui. Similiter Nabuchodonoſor contemplabatur arborem illam quæ ſtatum ſuum deſignabat, ſed nihil ipſe hac cogitatione mouebatur: at vero cum adiuncta fuit viſioni & contemplationi viua vox prophetæ Danielis, pœnitẽtiam tandẽ egit. Doctus erat Paulus in lege, qui præclare didicerat ex Gamaliele, ſed nihil ei profuerat: cum tamen vocem illam à cælo delapſam audiuit, Saule, Saule quid me perſequeris? Statim attonitus & ſtupefactus, cecidit dicens. Domine quid me vis facere? Vide quomodo illum quem ſcripturæ lectio & libri nõ conuerterant, vox prædicantis ſtatim conuertit. *Cum turbæ irruerent.* Quid mirum quod deſiderio audiendi irruerint turbæ, cum de Salomone ſit ſcriptum quod omnis terra deſiderabat audire ſapientiam eius? ſed ecce pluſquam Salomon hic.

Cum turbæ irruerent. Irruebãt quidem & mutuo ſe comprimebant, vt eius audirent verba ſaluaria: ibi vidiſſes infirmos multos quærentes eum tangere vt dicitur Luc. 6. quia virtus de illo exibat & ſanabat oẽs: ibi tunc congruere videbatur illud. Eſa. 55. omnes ſitiẽtes venite ad aquas. Aſcẽdit poro in nauiculam, & ibi ſedens docebat eos. Iſa. 40. ſuper montem excelſum, &c. Iere. 16. mittam piſcatores multos & piſcabuntur eos. Abacuc. 1. facies homines quaſi piſces maris. Vide D. Bonauen. ſuper Luc.

Secus ſtagnum Genezareth. Stagnum eſt vel mare, vita hæc mortalis quam traducimus, vbi varij tum aduerſarum tum ſecundarum rerum fluctus: ibi videas alios infirmos, alios vero proſpera vtentes valetudine: nonnullos diuitiis abundantes, alios vero paupertate preſſos: quoſdam quidem florentes honoribus, alios vero in ignominia atq; dedecore. Vide Haymo. ſuper Lucam.

Cum turbæ irruerent, &c. Scientiæ & eruditionis ſtudium atque auditionem diligẽtem, etiam philoſophi nobis cõmendarunt. Socrates enim dixit, fac ſedulus ſis ſcientiarũ auditor. Antiſthenes, ſtudioſe quidem ac diligenter diſciplinas ipſas capeſſito. Diogenes, animum tuum bonis literis & eruditione informandum curato.

Vt audirent verbum Dei. Erant cupidæ turbæ iſtæ audiendi tam vtilem eruditionem atque doctrinã, quarum exemplo nos etiam diligere & auide percipere ſcientias & diſciplinas debemus. Vnde Iſocrates dicere ſolitus erat: neque enim minus turpe eſt vtilem orationem cum audieris non diſcere, quam ſi boni quidpiam ab amicis, non accipere. Item quicquid in vita otij dabitur, id audiẽdæ doctrinæ ſtudio conſumito: ſic enim futurum eſt vt quæ magis alij laboribus inuenere, tu facile perdiſcas. Diogenes dixit, ruſticanum etiã oratorẽ ne contemſeris quaſi ſibi vellet, doctrinam & eruditionem contemnendam non eſſe, quamuis ſtylo familiari & infimo etiam tradatur.

Aſcendẽs autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de nauicula turbas. Expende Chriſti bonitatem & humilitatem, rogat, cum ſolo nutu poſſit adducere, aut præcipere Petro, modeſtiæ & humilitatis exẽplum præbens prælatis. Multa enim ſunt quæ etiam ſi prælati præcipere poſſint, rogare tamen debent ſubditos vt ea faciant. Sed multi ſunt nunc domini & prælati, de quibus cõqueritur dominus per prophetam dicens. Cũ auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. *Et ſedens docebat de nauicula turbas,* Tanquam optimus medicus, qui curaturus exacte infirmitatem ægroti, diutius ſedet, & accurate atque diligẽter ſecum meditatur quo potiſſimum vtatur ſalutari remedio ad infirmum ſanan

ſanandum. Sedet etiam in nauicula Petri. Nunquam enim Chriſtus Eccleſiam ſuã dilectiſsimã derelinquit, ſed ſemper docet & inſtruit eam.

Per nauẽ Petri quid aliud quam cõmiſſa Petro Eccleſia deſignatur? De qua vt dominus turbis cõfluentibus prædicet, eam à terra paululum reduci iubet. Quam nec in altum duci, attamen à terra præcipit remoueri, profecto ſignificans prædicatores ſuos rudibus debere populis, nec altanimis de cæleſtibus, nec tamen terrena prædicare. D. Grego. lib. 17. Moralium cap. 12.

Et ſedens docebat. Non quidem res iocoſas & ridiculas, vt faciunt plerique, ſed res ſerias, cæleſtes atque diuinas. Porro de nauicula Petri docet, vt intelligas te de Eccleſia ſignificata per nauẽ Petri, ſalutarem debere recipere doctrinam. Poſt prędicationem vero captura piſcium fit, vt inde diſcamus primum querere regnũ Dei & iuſtitiam eius &c. Vide Hoffmeis. ſuper Luc.

Adducebat ad ſe turbas cæleſti ſua prædicatione Chriſtus, & quemadmodum magnes attrahere ſolet ferrum, ita etiam prædicatio illa ſingularis omnes inuitabat atque alliciebat. Vide Simo. Caſſianum libro 9. cap. 15.

Ita noſtrum animum præparare & inſtruere doctrina cæleſti debemus, vt tandẽ in rete illud ingredi mereamur cæleſtis beatitudinis: non autem debemus animum noſtrum irretire retibus rerum mundanarum, quæ pernicioſiſſimæ ſunt, & tempeſtatibus ſuis atque procellis tum rerum aduerſarum, tum ſecundarum, multos fallere ſolent atque decipere. Vide Galfridum ſuper hunc locum.

A terra reducere Puſillum. Vbi ſignificatur quod accommodabat doctrinam ſuam pro captu audientium, nam neque conceſſit in altum, neque etiam in terra ipſa omnino mãſit, ſed reduxit à terra puſillum: vt inde diſcant concionatores ſe accommodare atque deſcendere ad intelligentiam ſuorum auditorum. Vt enim prouidus ac prudens medicus non id ſolum curat vt intima verſet atque euoluat artis ſuæ præſcripta, ſed etiã illud vel maxime, vt ſuam artem atque peritiam accommodet & applicet ad temperamentũ ipſius infirmi & ægrotantis profecto officium concionatoris eſt, deſcendere ad captum & intelligentiam ſuorum auditorum, eaque dicere quæ animabus eorundem ſalutaria magis viderit atque vtilia. Cæterum & à terra voluit Chriſtus reduci nauiculã, vt diſcant concionatores animum auocare à rebus terrenis atque mundanis, neque vitiorum maculis & luto eundem inficere & conſpurcare, ne aliter ſimiles ſint ſordido ſpeculo ſeu labe aliqua reſperſo, cuius intuitu & beneficio cum cæteri mundentur atque abſtergantur, illud interim ſordidum relinquitur & infectum. Vel etiam ſimiles ſint citharæ ipſi aut lyræ, quæ cum cæteris delectationem maximam & ſuauiſſimam influat, ipſa interim nil tale perſentir, nullámque ſibi oblectationem capit: ita etiam concionator ſi vitioſus fuerit, cæteros delectat, inſtruit, & à vitiis expurgat cum ipſe in vitiis ſuis remaneat atque ſceleribus. Non vtique ita ſe gerit quemadmodum de Antiſthene refert D. Hiero lib. 2. contra Iouinia. quod cum Socratem audiuiſſet de virtute mire differentẽ, vſque adeo incenſus fuerit & inflãmatus, vt diceret diſcipulis ſuis: quærite vobis inſtitutorem, ego enim iam inueni. Tunc que relicta Rhetorica facultate totum ſe tradidit Morali philoſophiæ imbuendum & informandum. Talis enim concionator cum cæteris virtutes prædicet & cõmendet, ipſe eaſdem à ſe reiicit atque reſpuit.

Docebat de nauicula. Non affectabat Chriſtus curioſitates, pompas & apparatus ſuperfluos, ſed ſedens docebat de nauicula; quod argumentum ſi fuſius amplificare velis, nonnulla ſubiiciam.

Quod curioſitates vanas fugere ac declinare debeamus. Vide D. Bernar. de interi. domo cap. 43. & incipit, multos ſeducit curioſitas.

Quod primus ſuperbiæ gradus ſit curioſitas, vide eundem in tracta. de gradi. humili. & incipit, primus itaque ſuperbiæ gradus.

Cur homo curioſitati inſeruiat, vide Lauren. Iuſtinia. lib. de triumpha. Chriſti agone cap. 18.

Curioſitas in edendo, induendo, ædificando, tum vitioſa videtur, tum moleſta & grauis, conſule Senecam li. 1. Epi. Epiſ. 9.

Vtrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an vero vitreum, inquit Seneca, nihil referre videtur: finem potius omnium rerum ſpecta, & ſuperuacua deuita. lege Sene. lib. 21. Epiſ. Epi. 120.

Inanes curioſitates multi ſectãtur inquit idem Seneca lib. 22. Epiſ. Epiſ. 123. tum in ædificando, tum in rebus inutilibus ac vanis perquirendis, cũ deberent in rebus fructuoſis & vtilibus tempus potius impendere.

Humanas curioſitates deuitemus, inquit idem Seneca lib. 1. de tranquil. vitæ ad Sere. cap. 9. aſſue ſcamus à nobis remouere pompam ſiue ſuperfluitatem, & vſu rerum ornamenta metiri.

Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Diſcamus hinc grati eſſe: vide enim vt Chriſtus pro minimo illo obſequio nauis præſtitæ, hoc beneficio capturæ piſcium Petrum ipſum donare velit. Gratus fuit Iethro ſacerdos Madian, cum dixit filiabus: quare non introduxiſtis hominem? Gratus etiam Eliſeus hoſpitæ cum dixit, ſi habes aliquod negotium cum rege, &c.

Duc in altum rete. Maxima quidem eſt felicitas incidere in Chriſti rete, quemadmodum ſumma infelicitas eſt eorum qui hoc rete effugiunt, & à ſe excutiunt: qui ſimiles eſſe videntur cuidam piſci de quo ſcribit Plinius lib. 9. ca. 43. quod ſi forte vi derit ſe hamo comprehenſum & irretitum, ſoleat à ſe viſcera ipſa atque inteſtina abiicere, vt ita ſe excutiat ab hamo, & poſt modum eandem reſumit, & in priſtinam redit naturam atque ingeniũ. De alio etiam ſcribit quod ſubterfugiat ipſum rete ſiue hamum miro quodam inſtinctu, ſcilicet eſcam ipſam per circuitum rodẽdo & vorando, & hamum ipſum à ſe repellendo. Vide Treium ſuper Euange. lib. 2. ca. 19.

Duc in altum. In altitudinem quidem contemplationis aſcendere debet concionator, vt commodius rete ſuum iaciat, atque frugem maximam & profectum colligat. De contemplatione porro, vt de Vincen. Bell. Specu. doct. lib. 5. cap. 64. 65. & 66. Cæterum poſteaquam ſeſe contemplationi derit, accedet ad ſalutarem doctrinã auditoribus ſuis tradendam, quam depromet ex ſacris literis, ſanctiſque doctoribus atque catholicis. Quod ſi interdum vſu venerit vt aliqua promenda ſint ex philoſophis & Ethnicis ſcriptoribus, id quidem parce faciet atque magna adhibita prudentia & diligenti conſideratione: de qua re videre poteris D. Ambro. libro 3. de fide ad Gratia. Auguſt. videbis etiam D. Hiero. in epiſ. quæ inſcribitur magno oratori Romano to. 2. & D. Antoni 4. par. Theolo. titu. 11. cap. 4. & Vincen. Bell. ſpe. natu. in prolo. cap. 8. &. 9.

Admoneat prædicator populum in quanta vecſetur miſeria Ezech. 33. b. ſi me dicẽte ad impium;

Oſtendat concionator impiis in quo verſentur periculo Ezech.4.A. ſume tibi laterem.

Prædicatur niſi reprehenderit punietur Ezech. 3.E.ſi dicente me ad impium.

Deus concionatorem conſtituit vt ſui gregis ſit ſpeculator & cuſtos Ezech.33.A. terra cum induxero.

Populi ignorantiam remoueat atque expellat concionator Amos. 7.C.ecce dies veniunt.

Concionator proponat populo vtilia quæque ac ſalutaria quamuis contriſtari videantur 2. Cor. 7. b. contriſtaui vos.

Concionator inutilia & infrugifera non tradat populo, ſed ſolida ac ſalutaria Heb. 13. b.doctrinis variis.

Et reſpondens Simon dixit illi : præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus , in verbo autem tuo laxabo rete. Vide obſecro Petri obediẽtiam & fidem quam in Chriſtum habuit. Nouerat enim Petrus vt pote qui peritus erat in arte piſcatoria , quod noctu piſces ſuper aquam natant, adueniente autem die in profundum aquæ abeunt : cumque tota nocte ne vnum piſcem capere potuiſſent, multo minus in die caperent. Nihilominus tamẽ plus fidei præſtans verbo Chriſti, quam naturali rationi, conſtituit rete ſuum in mare proiicere, quamuis videretur illud ſuæ rationi aduerſari. Hæc enim eſt natura fidei, vt credat ea quæ ſupra rationem ſunt humanam, quæque rationi aduerſari videntur, non quia fides ſit contra rationem, ſed qđ eam ſuperet & longo diſcrimine tranſcendat. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Homo ſine Deo multum laborat, & nullam mercedem inuenit. Seruietis diis alienis inquit Iere. qui non dabunt vobis requiẽ die ac nocte. Obſequens tuis affectibus nimis laboras , & maxima tormenta pateris: ficta quidem Dalilæ blandimenta, fortiſſimũ Samſonem in interitum adduxere, quemque Philiſtæi occæcarunt, & in molam aſinariam conduxerunt. Tu igitur qui mundo adeo inſeruis , quique eius diuitias & oblectamenta quæris: intellige te alium eſſe Samſonem, qui ligatis oculis molam aſinariam circuis. In circuitu impij ambulant inquit Pſalm. Nam peccatores non vias rectas ambulant , quas ſapiens dixit iuſtos perambulare. Homines namque mundani anxio labore degentes vitam , in circuitu ambulant in mundo, ſicut porta in cardine ſuo , neque vnquam à termino ſuorum peccatorum exeunt. Inuertitur illis caput, & tanquam gens ſine ſenſu , vanitatem quærunt , & & falſa oblectamenta concupiſcunt, & in ſuis vanitatibus laborant. Ideo ſapiens in perſona iſtorum inquit : laſſati ſum in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Multis quidem annis & magnis perpeſſis laboribus Iacob ſeruiuit Laban, à quo decies deceptus fuit , multi ſunt huiuſmodi homines qui diligentiſſime ſe mũdi mancipia exhibent, ſemper honoribus & diuitiis intenti , at mundus negat illis mercedem quã promiſit. Mũdi ſarcina ponderoſa eſt & anxius labor , à quo nulla vtilitas reportatur. Ideo Eſaias, telas aranęæ texuerunt. Exenterat ſe aranea & maxima cura ac ſolicitudine telam texit , omnia autem facit vt muſcas capiat. Ita ambitioſum videas vel auarum, qui animum, mentem & cogitationẽ ad nihil aliud applicat quam ad diuitias , honores, & dignitates : at poſtquam hæc omnia conſecutus eſt, tanta cum ſuæ animæ & conſcientiæ iactura, quidnam miſer acquiſiuit niſi muſcas? Ideo Eſaias in eodem capite ſubdit, opera eorum inutilia , cogitationes eorum cogitationes inutiles. Iob etiam ait , ſicut tela aranearum fiducia eius. Grandis plaga fuit illa Aegypti , quando dominus muſcas immiſit : ita etiam plaga quædam videntur importunæ cogitationes quibus eruciantur qui mundo ſeruiunt, & eius rebus famulãtur. Si reſurgerent nunc Cæſar, Alexander, Pompeius, & ſimiles, quidnam quæſo dicerent , niſi per totam noctem laborantes nil cepimus? Cæci ambulauimus in tenebris ignorantiæ noſtræ, quærentes gloriam huius mundi , quæ velut fumus petranſiit, & nihil illius habemus. Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis: laborant miſeri per totam noctem huius vitæ , at poſtquam mors aduenit, nihil illis proſunt omnia acquiſita. Nam venit mane, & agnoſcunt fallaciam Laban , & iuxta ſe Liam inueniunt qui mundo inſeruierunt.

In verbo tuo laxabo rete. Quantum referat deo parere Iob.26.b.ſi audierint & obſeruauerint.

Deo obſequi atque parere magnum eſt lucrum Gen.12.A. egreſſus eſt itaque Abraham.

Quantum valeat obdientia Iudicum 2. D. cum que dominus iudices ſuſcitaret.

Obedientia & ſubiectio quantæ ſint æſtimationis 4. Reg.12. fecitque Ioas rectum.

Superioribus pareamus Eccleſiaſtici 3. a. iudicium patris audite filij.

Superioribus obtemperemus & eoſdem maxima obſeruãtia proſequamur 1.Reg.24.A. percuſſit ſuum cor Dauid.

Superiores reuereamur & honore debito proſequamur 1. Reg.26.b. ne interficias eum.

Superiores veneremur & honore afficiamus 1. Timo.5.C. qui bene præſunt preſbyte.

Inobedientia quantum noceat 1.Mach. 5. G. quia non audierunt Iudam.

Deo maxime diſplicet nos ſuperioribus noſtris nõ obedire 1.Reg.8.b. non enim te abiecerunt.

Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinẽ copioſam , rumpebatur autem rete eorum , & annuerunt ſociis qui erant in alia naui vt venirent , & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Poſtquam de nauicula prædicauit, voluit perſoluere eius hero ſiue domino præmium atq; mercedem, nempe vt caperet copioſam piſciũ multitudinẽ, voluitq; eũ vocare ad Apoſtolatum. vnde intelligas quam ſua uiter deus ſingulos attrahat ad ſe & adducat. Hos enim adduxit per officium eis familiare , nempe piſcationem : ſic etiam Magos per ſtellam. Vide Theophylac. ſuper Luc.

Vide quæſo propter minimum obſequium quã topere Chriſtus remunerauerit Petrũ ipſum : non vtique ſe geſſit ſicut plerique ſolent , qui in accipiendis quidem beneficiis ſeſe maxime inclinare ſolent , atque gratos oſtendere & officioſos, veluti ſitula aliqua aut vrna inclinari ſolet in puteo quamdiu aquam haurit : at vero vbi beneficia accepere, nihil magis obliuiſcuntur quam beneficij memoriam , veluti eadem ſitula cum plena eſt, ſeſe erigit atque attollit. Vnde cum aliquando Diogenes rogaretur, vt ait Stobæus , quidnam fere inter homines citius in obliuionem veniret, beneficij memoriam reſpondit.

Circa hoc inſtitutum de gratitudine & ingratitudine , & de conferendis & accipiendis beneficiis, applicare poteris quod ſcribit Seneca lib.1. de benefi. dicens : inter multos ac varios errores temere inconſulteque viuentium, nihil propemodum nocentius , quam quòd beneficia nec dare ſcimus, nec accipere. Sequitur enim vt male collocata male debeantur , iſta enim perierunt cum darentur: nec mirum eſt inter plura maximáque vitia

vitia nullum eſſe frequentius , quam ingrati animi, idque euenire ex plurimis cauſis video. Prima illa eſt, quod non eligimus dignos quibus tribuamus. Secunda vero quod in cõferendis beneficiis noſtra ſæpe intuemur commoda atque vſus , potius quam vtilitatem eius, in quem beneficium cõferimus, Tum præterea quod exprobrare ſolemus beneficia collata, &c.

Sæpe quidem contingit vt ingrati hic etiam puniãtur ſe dignis ſuppliciis atque pœnis : de ingratis enim Carthaginienſibus refert Iuſtinus lib. 18. quod cum gentem quandam à qua beneficiis ampliſſimis affecti fuerãt, ſedibus expulſiſſent indigneque tractaſſent, poſtmodum & ipſi ab eiſdem in exilium relegati fuerint, & in ſeruitutem arrepti. Quare ingratitudinis notam effugiamus, tum ſupplicijs eiuſcemodi perterriti quæ ingratis quotidie accidere videmus , tum etiam vel exemplo animantium rationis expertium , quæ naturæ inſtinctu gratitudinem quandam præſe ferre videntur. Nam vt cæteras omittam animantes inſignes, de quibus multa feruntur : de cane etiam quodam conſcriptum legimus, quod cum eius dominus interfectus eſſet, latratibus loca omnia compleret , & quaſi gemitu quodam, ita vt hominum multitudinem maximam ad ſe attraheret & conuocaret : cúmque forte occiſor & interfector acceſſiſſet, tam vehementer eum inuaſit, ita perſecutus eſt, vt hinc tandem manifeſtatus fuerit, atque comprehenſus.

Nec vero ſolum debemus paria beneficia accepta paribus officiis compenſare , ſed ſi poſſumus maioribus. Chriſtus non piſces aliquot, ſed piſciũ multitudinem pro ſeruitio à Petro præſtito conceſſit. Tum præterea pro obſequiis ſuorum & præclaris operibus, non minus quam Ioſeph olim fratribus & triticum dedit, & pecuniam etiam quam ipſi tulerant, ita ſolet deus & vitam concedere æternam, & gratiã cum qua eam promereri poſſint. Socrates volens ſignificare quam grati eſſe debeamus in eos à quibus beneficia accepimus , dixit cum Simonides definiſſet iuſtum eſſe, ſuum cuiq; tribuere, dicere debebat propter gratos, vltra quã deberemus nos conferre debere, vt ait Plato in 1. Dialo. de repub: ingratos porrò grauiſſime reprehendit iſa. 1.cap. inuocans cælum ac terram in teſtes, proferénſque exempla gratitudinis etiam ex viliſſimis & abiectis animalibus.

Tobias gratus fuit Raphaeli pro acceptis beneficiis vt conſtat Tob.12.

Naaman curatus à lepra multa dona obtulit Eliſeo 4. Reg.5.

Gratus fuit Dauid erga eos qui ſepelierãt Saul 2. Reg.2.

Elias aſcenſurus cum curru igneo multa contulit beneficia Eliſeo tam familiari & intimo ſuo 4. Reg.2.

Rex Salomon maximis affecit beneficiis reginam Sabba atque muneribus 3. Reg.10.

Elias officioſus fuit in viduam illam 3.Reg.17. item Eliſeus in mulierem Sunamitidem 4. Reg.4.

Laban videns munera quæ acceperat Rebecca à ſeruo Abrahæ , dixit eit: ingredere benedicte domini &c., Gene.24.

Cum Gedeon liberaſſet populum , dixit ei populus, dominãre tu nobis &c. Iudicum 8.

Bene remunerauit Ioſue Raab , quia liberauit exploratores ab oſtibus Ioſue 6.

Gratus fuit in Moyſen Iethro propter filias liberatas Exo.2.

Gratus fuit Abrahæ rex Sodomorum propter liberationem bonorum Gene.14.

Quo cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: exi à me quia homo peccator ſum domine. Cognouit Petrus Chriſtum, & ideo lumine diuino illuſtratus ſeipſum agnoſcit & humiliat. Aſpectus regum terræ & eorum præſentia ſæpe homines reddit ſuperbos , at Dei viſus & intuitus humiles. Vidit Eſa. dominum, & ſtatim ſeipſum exinaniuit. Abraham etiam coram Deo ſeipſum humilians, dixit: loquar ad dominum meum cum ſim puluis & cinis. Sic Rebecca viſo Iſaac deſcendit de camelo. Sic anima Chriſtiana videns Chriſtum ſponſum ſuum humilem , & videns Dei gloriam & maieſtatem, deſcendit de camelo ſuperbiæ, & humiliatur. Sanctiſſimus Iob domino inquit, oculus meus vidit te, id circo me reprehendo, & pœnitentiam ago in cinere & fauilla. Sic in Ezech. legitur qđ ſtatim vt fiebat vox ſuper firmamentũ, ſubmittebant animalia alas ſuas. Cæterum aduerte hoc intereſſe ſi inter bonos & malos, quod mali in malis Deum agnoſcunt , boni autem in bonis & in malis: illi cum mala , afflictiones , & calamitates in eos mittit, iſti autem cum multa dona & beneficia contulit. Deus in domibus eius cognoſcetur inquit pſalm. cum ſuſceperit eam, ſcilicet Sion De reprobis verò ait, erubeſcant & cõturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant ; & cõgnoſcant quoniam nomen tibi dominus: tu ſolus altiſſimus in omnem terram. Sic cum in Exo. dominus mala comminaretur Aegyptiis , inquit, & ſcient Aegyptij quoniam ego dominus. Obſerua etiã quod Dei ſerui quanto ſunt Deo propinquiores , tanto humiliores ſunt. Moyſes magnus princeps Iſraëlitici populi , adorauit Iethro Aethiopem Madian. Deus namque cum ſemper ſuos doceat humilitatem, conuerſantes cum eo humilitatem diſcunt. Commendauit nobis Chriſtus humilitatem , eligens concipi in Nazareth ciuitate paruula, & naſci in Bethleem. Ex prioribus fratribus qui mundo geniti ſunt, elegit dominus minorem : ex filiis Abraham Iſaac elegit , ex filiis Iſaac Iacob, qui minoris erat ætatis quam Eſau. Ex duodecim filiis Iacob elegit Ioſeph , qui etiam ex minoribus fratribus erat : ex octo filiis quos Iſai genuerat, ſibi Dauidem aſſumpſit, vt eſſet rex : elegit etiam dominus Saulem in regẽ , qui ex minori tribu erat. Vide qualem habeat inſtinctum formica humilis ſeu infima , in conſeruandis granis quæ ſibi coaceruauit, tum ne denuo naſcantur, tũ etiam ne forte madefiant , in illis ad ſolem exponendis, quem inſtinctũ non habet elephas tametſi ingẽs ſit. Quid dicã de ape minimo animalculo, quanta cura ſuauiſſimum mel pariat atque generet? Elationem Capharnaum exprobrans dominus, inquit : & tu Capharnaum nunquid vſque ad cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes. De Bethleem vero ait, & tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Porrò quanto profundior eſt puteus, tanto dulcior eſt ſe videtur æquatita tu quanto humilior fueris, tanto Deo gratior & iucundior exiſtes.

Quemadmodum aſtra in octaua deſixa ſphæra, quamuis grandia ſint, minima tamen nobis apparent, quod tantopere hinc diſtent ac ſeparentur: ita etiam humilitatis opera cum grãdia ſint in cœlo apud Deum, hic in mundo hominibus mundanis, & iis qui de cæleſtibus guſtum omnem amiſerunt, exigua videntur, vilia atque abiecta: ſicut de humilitate illa ducis cuiuſdam Gallicani, qui poſt eximias partas victorias , hoſtéſq; innumerabiles deuictos, pauperibus diligenter miniſtrabat, atq;

pedes

pedes eorum abluebat, tum etiam in monasterio similia humilitatis officia munachis ipsis præstabat: de humilitate inquam illa mundani homines perperam iudicabant, & qui de rebus cælestibus minus. sentiebãt. Autor est Marulus lib. 1. Exẽplo.

Quemadmodum si à vite sua amputetur sarmentum aliquod quantumuis frugiferum, quandiu tamen ita separatum manet & amputatũ, fructum nullum reddere solet atque effundere: ita quantumuis aliquis sibi videatur præclare agere, si humilitatem contempserit & spreuerit, eámque à se amputauerit, is quidem minus præclare operabitur & glorioſe.

Quemadmodum cum in altera statera æquis appositis ponderibus; in altera vero nummo ipso aureo, si hæc in superiora eleuetur & extollatur, aurum ipsum deficiens esse iudicamus & inæqua his ponderis: sin vero inclinetur & incurvetur, præstabile esse dicimus & excellẽs; ita profecto quãto quis se magis humiliauerit & exinaniuerit, tanto præstabilior iudicabitur, quanto vero magis supbierit seq; extulerit, eo deterior fiet atq; nequior.

Sicut plantam aliquam eo præstabiliorem iudicamus & diuturniorem futuram, quo altiores in ima loca radices egerit ac propagauerit: ita quo magis quis humilitatem amplexatus fuerit, seseque extenuauerit, eo etiam præstabilior fiet, atq; laudem solidam longiúsque duraturam sibi referet ac comparabit.

Vide quanta esset beati Iob humilitas Iob 31. si contempsi subire iudicium.

Vide quanta esset humilitas Abraham. Gene. 23. per totum.

Humilitate maxima præditus erat propheta ille Amos, cum diceret Amos 7. non sum propheta.

Vide quam multa consecuta fuerit Ruth illa propter humilitatem Ruth 4.

Maxima est humilitatis laus. Luc. 14. recumbe in nouissimo loco. Vide etiam pro. 25.

Vide quã benigne faciat Deus humilibus ipsis Icre. 29. & 30.

Vide quantum profuerint Gabaonitę vestibus suis detritis & reliquo vestimento vili Iosue 9.

Deiicit Deus superbos & extollit humiles vide Ezech. 17. per totum.

Non formauit nos Deus de cælo, neque de astris, aut sole, vel etiam ex lapillis pretiosis, sed de infima terra, vt intelligamus quam humiles esse debeamus. Gene. 2.

Sancti seruant humilitatem maximam Matt. 3. C. non sum dignus calceamenta portare.

Humilitas maxima Matt. 8. B. non sum dignus vt intres.

Quam sit necessaria humilitas. Matt. 18. A. nisi conuersi fueritis.

Quemadmodum lactuca, rafanus, & aliæ id genus plantæ, quo altiores defigunt radices, eo præstabiliores iudicantur: quod si sursum versus sese nimium effundant, incipiántque gemmare, siue flosculos quosdam; & denique semen emittere, eo certe contemnuntur & minus in deliciis sunt, cũ non sint esui: ad eundem modum qui sese in humilitate continent, neque insolentia efferuntur, aut superbiæ vento atque tumore, illi quidem plurimi fiunt apud omnes, magnóque in pretio & honore habentur.

Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant: similiter autem & Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Quod Cõsilio Christi paruisset Petrus, propterea tantam capturam piscium fecit: vt inde discamus tum nobis esse opus consilio, tum etiam quantum commodi adferant salutaria consilia: quo loco si aliqua requiris, pauca quædam indicabo loca.

Quantumcunque prudentes nobis videamur, consilia salutaria respuere non debemus Exo. 18. C. stulto labore consumeris.

Consilia vtilia reiicere non debemus I. Reg. 12. B. Si hodie obedieris.

Sapiens consilium maximi est valoris 3. Reg. 20. non audias neque acquiescas.

Consilium bonum quantum adferat vtilitatis Ruth 3. A. lauare igitur, & vngere.

Omnium consilio nobis opus est Iob 12. B. interroga iumenta.

In rebus opus est nobis consultatione atque consilio Iosue 22. C. ædificauerũt iuxta Iordanem.

Consilium rectum sequendum 2. Regum. 19. Surrexit ergo rex.

Consilium bonum & sapiens accipiendum est 4. Regum. 5. A. Vtinam fuisset dominus meus.

Et ait ad Simonem Iesus: noli timere, ex hoc iam homines eris capiens, & subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. De epist. & Euange. duas habet cõciones D. Antoni. initio 1. par. Theologa.

Plures item habet concio. D. Tho. prope finem to. 16.

Super illa verba, relictis omnibus secuti sunt eum, vide D. Tho. 2. 2. quæst. 101. ar. 2, & ar. 4. ad 1.

DOMINICA QVINTA
Post Pentecosten.

DIXIT Iesus discipulis suis, amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 5. Hic iustitiam vniuersam dicit profecto virtutem. Sicut etiam de sancto Iob loquens ait. Erat homo iustus, irreprehensibilis: iuxta hunc modum etiam Paulus signanter iustum vocabat, cui nec legem positam esse dicebat. Iusto inquit lex non est posita. Sæpissime quidẽ in scripturis generaliter positum hoc virtutis nomen inuenies. Tu vero attentius gratię augmenta cosidera, quemadmodum scilicet rudes adhuc discipulos veteris legis obseruatoribus velit esse meliores. Scribas hic enim atq; Pharisæos non iniquos, vt putatur, appellat, sed eos qui legis præcepta custodiunt. Neque enim illos qui non custodirẽt diceret habere iustitiam: neque ei quæ non esset, eam quæ esset iustitiam compararet. D. Chrysosto. super Matth. homi. 16.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Quæ sit vera iustitia & quæ falsa, in fine huius vitæ & hora mortis clare elucescet, sicut tempore niuis terra candida & pulchra videtur, at cum venerit sol & liquefecerit niuem, loca vbi sunt cadauera & serpentes clare conspiciuntur.

Nisi abundauerit iustitia vestra &c. Hi quidem Scribæ & Pharisæi, non pauci, sed multi, atq; adeo toti positi erant in cæremoniis suis externis, cum interim virtutis medullam non attingerent & degustarent: cæterum quemadmodum ossa ipsa cum carni adhæserunt & medulata sunt, suauitatem maximam continent, ita cum quis & cæremonias & virtutes etiam ipsas seruat; atque animum à vitiis tutum incolumémque conseruat, tunc quidé maxima dignus est laude atque honore.

Quemadmodum ipsum insigne prætoris, vt rudis siue baculus, rectitudinem declarat quam ipse seruare debet: ita etiam exteriores cæremoniæ cultum animi interiorem declarare videntur: & sicut prætor ille reprehensione non caret, qui totum studium suum adhibet ad baculi rectitudinem procurandam, & animi interim ornatum omnino negligit, ita qui externis tantum vtens cæremoniis, negligit propterea internas virtutes per cæremonias illas significatas, exercere, reprehendendus est ac vituperatione dignus.

Quemadmodum cum quis cibum capit, non quidẽ si oua edat vel nuces, putaminibus ipsis & exteriori cortice contentus est, sed potius ad interiorem nucleum, atque ad oui vitellum & albuginem pergit vescendam: ita vnusquique non debet solis externis cæremoniis ac gestibus contentus esse, sed potius vlterius progredi ad ea quæ per sanctas cæremonias significantur.

Sicut pictor omnem curam, studium, atque artem adhibet ad exteriora alicuius imaginis ornamenta depingenda, haud omnino curans de interioribus; qualia sunt in homine epar, cor, & similes: ita etiam plerique in id dumtaxat omnes animi sui ac corporis neruos contendunt: vt exterius virtutis studiosi appareant hominibus, cum interius tori sint ex fraudibus, dolis, vitiísque concreti. Et veluti cygnus cum exterius totus candidus sit, interius tamen cuticula atra præditus est: ita isti exterius virtutis faciẽ præseferre videntur, morúmque candorem, cum interius obscænis atríſq; moribus denigrentur, ac maculentur.

Sicuti cortices arborum ornamenta sunt, & frondes fructus ipsos obumbrant, obtegunt, atq; exornant: ita sanctæ cæremoniæ ea quæ essentialia vt ita dixerim, sunt & summam continent atq; fontem ipsius religionis, exornant, decorant, ac circumuallant.

Ceu in vitibus ipsis paxillos aliquos, substerni cula atque fulcra adhibere consueuimus, quibus ornentur, amplificentur, sustententur ac propagentur vberius: sic profecto sanctæ cæremoniæ atque ritus sunt quibus cætera intima ac penetra lia exornantur, conũestiuntur, atque maxima cum vbertate fructúque propagantur.

Cæterum longissimo quidem interuallo cæremoniæ illę legis antiquæ exuperantur & euincuntur à lege euangelica: illæ siquidem vt cætera omittam discrimina, videbantur velut præparatoria illa quæ adhiberi consueuerunt in ædificiis cõstruendis, quæ constructis ædificiis remouẽtur ac de medio tolluntur: ita enim illę de medio sublatæ sunt; accedente splendore legis euangelicæ & ornamento. Et sicut qui sonorum aliquod cymbalum architectari vult, prius fictilem quandam fragilémque parat molem, atque effigiem in grandi scrobe atq; hianti: cymbalo vero suis numeris omnibus absoluto, illam destruit atque euertit: ita rerum omnium opifex Deus ante architectationem & fabricam legis euangelicæ, præmisit Mosaicam illam legem: quæ quidem succedente euangelica ac Christiana, cessauit, suúmque exitum est consecuta.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Ad iustitiam atq; virtutem excolendam etiam plerique philosophi nos videntur adhortari: nam Pythagoras dixit, nunquam autem turpe quid committas; vel cum alio, vel solus, sed maxime reipsum etiam reuerere. Democritus, non solum alios homines reuerea re, sed etiam teipsum, neque magis delinquas si nemo rescituras sit, quam si omnes homines, sed te ipsum maxime verearis, & hanc animo tuo legem constituas, vt nihil absurdum committas. Isocra. quicquid egeris, palam fore omnibus credito, etsi enim quidpiam in præsentia celaueris, post tamen innotesceret. Idem, si quicquam turpe admiseris, ne sperato clam fore, nam etsi alios id celes, at certe tibi conscius eris. Menander, turpe nihil fac, neq; disce. Luca. te latiturum semper ne puta, improbus cum sis.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Poteris hoc loco disserere de discrimine ac differentia inter legem veterem & legem euangelicam, & quòd illa per Moysem populo fuerit tradita, hæc vero per Christum nobis aduecta & adportata: illa multis abũdet præceptis, hæc vero iugum contineat suaue & onus leue: atque alia huiusmodi tractare poteris & persequi, vt omnes ad tam suauem legem complectendam & adimplendam ad horteris: circa quod institutum consules etiam Heb. 7.

Item hoc loco tractare poteris quòd magis magísque ad virtutem incitari & inflammari debeamus, vt abundet in dies iustitia nostra 1. Corin. 9. sic curro non quasi in incertũm.

Proficiamus in dies in virtute Heb. 10. D. tanto magis quanto videritis.

Quo magis virtutẽ cõplectemur, eo delectabilior nobis fiet Iob. 6. b. quę prius nolebat tãgere.

Profectus in virtute à Deo humiliter petendus est Iudicum. 1. C. da mihi benedictionem.

Quo pacto puniantur non proficientes ac perseuerantes in virtute Mat. 21. b. nunquam ex te fructus nascatur.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Ostenditur excellentia atque perfectio Euangelij super antiquam legem, inquit Hila. cano 4. super Matt.

Nisi abundauerit, &c. Consule D. Tho. 4. sen. dis. 33. q. 2. arr. 2. quæstiun. 3.

Audistis quia dictum est antiquis, non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio: ego autem dico vobis quia omnis qui iraſcitur fratri suo reus erit iudicio. Medie illud posuit atque suspense, vnum illud præcipue cõficiens, vt ostenderet opportunissimo euenisse tempore ista dicendo. Cum enim posuit, quid dictum est antiquis, plurimum iam esse tempus asseruit, ex quo istud accepere mandatum. Hoc vero fecit, vt auditorem ad sublimiora progredi præcepta cunctantem acrius incitaret, vt si quispiam doctor dicat puero negligenti, nescis iam quantũ temporis in syllabarum meditatione consumpseris? Tale igitur aliquid etiam significans antiquorum commemoratione facta, ad doctrinam illos aduocat celsiorem, ac si diceret. Habuistis sufficiens omnino tempus ista meditandi, iámque oportet vos ad sublimiora succendi. *Ego autem dico vobis.* Vidisti perfectam vtique potestatem, vidisti dignitatem quæ latorem certe legis deceret. Quis enim prophetarum ita vnquam locutus est? Quis iustorum? quis patriarcharum? Nullus omnino: nã illi per singula sæpius inferebant, Hæc dicit dominus: sed non ita loquitur & filius. Illi enim domini verba, hic vero patris annuntiat. Cum autem dico patris, sua vtique dico. Mea inquit tua sunt, & tua mea: Et illi conseruis suis loquebantur, hic seruis. Interrogemus igitur eos qui veterem legem pænitus explodunt. Nõ irasci contrarium est eius præcepto quo prohibemur occidere, an potius absolutio, supplementum, per quod illud quoque ipsum custodiri queat? Haud dubium hoc illius sit supplementum, propterèque perfectius. Qui enim in iracundiam non effertur, quanto longius ab homicidio abstinebit? & qui animi indignationem refrænat; quanto magis manus suas innoxias continebit? Radix quippe homicidij iracundia est. Qui igitur radicem abscindit ipsam, multo facilius

lius ramos eius poterit amputare, imo ne germina re quidem ipsos omnino patitur D. Chrysost. super Matt. Homi. 16.

Ego autem dico vobis. Ponit hic tria quę debemus timere: primo iudicium in quo omnes impij damnabuntur, ibi, reus erit iudicio. Iudith. 16. dominus omnipotēs iudicabit illos in die iudicij, quando visitabit illos. Secundo angelorum & sanctorū concilium, In quo omnes impij examinabuntur, ibi. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Isa. 3. dominus ad iudiciū veniet cum senatoribus populi sui & principibus suis. Mala. Vlti. ne forte veniam & percutiam terram anathemate. Tertio ignem infernalem, in quo omnes impij in ignem æternum cruciabuntur, ibi. Reus erit gehennæ ignis Iudith 16. dabit ignes & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. *Omnis qui irascitur.* Notandum quod ira lædit naturam tripliciter: primo lædit rationem per obscurationem, secundo lædit memoriam per obliuionem: tertio lædit voluntatem per malam affectionem. De his tribus psal. 30. cōturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Oculus est ratio, anima voluntas. venter memoria. D. Tho. in sermo. de hac domi.

Sic autem dominus vniuscuiúsque considerat vias, sic dinumerat gressus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio, ac verba tenuissima quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant: Hinc enim dicit, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, &c. Racha porro in Hebræo eloquio vox indignantis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira cum voce, sed nec dum pleno verbo formata, ad extremum quoque cum dicitur fatue, ira redarguitur quæ cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse indicio: in voce iræ quod est Racha, reum esse concilio: in verbo vocis quod est fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpæ creuit ordo sententiæ, quia in iudicio ad huc causa discuti tur, in concilio autem iam causæ sententia diffinitur. In gehenna vero ignis, ea quæ de concilio egredi sententia expletur. Quia igitur humanorū actuū dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce iudicio; ira in voce concilio; ira vero in voce atque sermone gehennæ ignibus mancipatur. D. Grego. lib. 21. Mora. cap. 5.

Qui irascitur fratri suo. Si iubemur verberanti alteram præbere maxillam, & inimicos nostros amare, & orare pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur. Radendum est ergo sine causa, ex quibusdam codicibus, quia ira viri iustitiam Dei non operatur. D. Hiero. super Matt. lib. 1. cap. 5.

Qui irascitur fratri suo. Si illi qui aliis non præficiuntur ac præponuntur, ab iræ vitio longe abesse debent: quid de iis dicendum erit qui aliis præerunt? Sunt enim hi pastores aliorum, sicut Homerus Agamemnonem pastorem populorum vocat. Et Aristo. 8. Ethi. inquit eos qui aliis præficiuntur se gerere debere veluti pastores. Seneca item inquit in lib. de clemētia, quod dedecet maxime implacabili nos ira desæuire in cæteros. Et in Epist. ad Nero. ait inexpugnabile esse munimentum amorem ciuium, & pulchrum esse optantibus cunctis viuere; In pecunia præterea Cæsaris olim ita erat scriptum: fulmen sedens in throno, quasi diceret, quanquam dignitate hac veluti fulmine polleam, nihilominus tamen sedeo, quietus sum, & nequaquam irascor.

Qui irascitur fratri suo. A furiosis & ira flagrantibus cauere nobis debemus, neque hoc in ignominiam nostram, sed potius in laudem cedet, veluti si quis sibi diligenter caueat à saucio vrso, si ue leone. *Qui irascitur fratri suo.* Sicut sera aliqua fabrili si luxatas habuerit interiores machinas, cū reserare te ostium aliquod putas, potius obseras, & cōtra eam obseratę existimas, reserasti & aperuisti: ita cum alicuius animus implacabili ardet iracundia & furore, vsq; adeo excæcatur, vt omnia perturbet, exagitet, & mutet quadrata rotundis. Et veluti si picea nauis incendio conflagrarit, tamersi aquam suffuderis, maius excitari videtur incendium: ita cum alicuius cor cumulatur ira, tamersi aliqua interseras blanda verba, magis nihilominus accendi videtur & inflammari.

Qui irascitur fratri. Vult quidem Christus dominus à minimis etiam incommodis nos tutos esse, ne in de paulatim ad maxima dilabamur. Vt enim ex fonte quopiam exiguo si tandem in ipso fluxu eidem immisceantur varij riuuli, copiosum tandem conflatur flumen: ita plane ex minimis sæpe incōmodis nisi eis diligenter prouideatur, maxima sæpe exuscitari solēt mala, incōmoda, atq; pericula.

Quemadmodum ex nubecularum attractione tandem totus aër opacari solet, & contegi, solis lumen nobis obscurari, atque etiam ingens pluuia cum tonitruis variis excitari: ita plane ex minima quadam iracundia sæpe tandem ingentes conflatur contentiones, variæ inimicitiæ, atrocissimę interneciones. Et sicut ex ignis leui scintilla, voracissima plerúnque enasci solet & conflari flamma atque incendium: ita ex parua ira implacabilia non raro exoriuntur odia atque incommoda: ac propterea bene cecinit poëta, principiis obsta, sero medicina paratur, Cum mala per longas conualüere moras. Et Phocylides inquit, rebus principio prouide tuis, ne in fine labores. Isocrates, considera initio & dicta & facta tua. Solon, iracundiam initio cohibeto. Claudianus, primos iræ motus stude frenare. Vide etiam Vincen. Bell. specu doctri. lib. 5. cap. 26.

Qui irascitur fratri suo, Accedit tanquam peritus medicus ad initia morbi persananda, ne vlterius crescat ac vires assumat: & veluti olitor prouidus, noxias herbas radicitus extirpat atque conuellit: consule Cassianum lib. 8. cap. 13. de reconcilia. fraterna.

Quo pacto poterit ira cohiberi consule D. Basi li. in quæstio. breuio. interro. 29. to. 2.

Lege etiam eūdem regula. breuio. interro. 127. to. 2.

Qua ratione sint intelligenda verba illa, qui irascitur fratri suo, Vide D. Tho. 2. 2. q. 158. a. 3. & a. 5. & de malo q. 12. a. 3.

Quod maxime animum perturbare soleat ira, & incommoda multa inferre. Vide D. Ambro. lib. 1. offi. cap. 21.

Duo sunt dementiæ siue furoris genera, altera siquidem dementia procedit ex cerebro, & qui hoc morbo laborant appellantur dementes: altera vero ex corde & qui hac laborant appellantur implacabiles iracundi: consule Marsilium Ficinū in Commenda. in Plato. in conui. pagi. 410.

Heraclitus aiebat vt refert Aris. 2. lib. Ethico, difficile esse iram cohibere vbi eam permiseris in candescere, & incrementa suscipere.

Quod interdum iracundia in furorem implacabilem excrescat, vide D. Basil lib. regula. breuio interro. 68.

Vndę promanet quòd sæpe in fratres nostros paulo

paulo austeriores simus & iratiores, & qua ratione hoc vitium corrigere possimus, consule eundem eodem lib. interroga. 39.

Non amplectamur implacabilem iracundiam, quæ in præliis etiam sæpe nobis vehementer nocere consueuit, vide Senecam lib. 1. de ira. cap. 12.

Errata melius sine iraeundia emendabis, inquit idem Seneca eodem lib. c. 16. quam cum ea: satis enim nos instruxit ratione naturę, quid ergo ab iracundia præsidium & auxilium postulabit? res stabilis ab incerta, fidelis ab infida, tranquilla à perturbata, sana denique ab ægra?

Initiis ipsis & causis iracundiæ principio occurrendum est, inter quas vna vel maxima est opinio illatæ sibi iniuriæ, quæ statim præscindenda est: Vide eundem lib. 2. de ira. c. 22.

Neque domesticos punire dominū ira cōmotum decet: sæpe enim irati domini maiora perpessi sunt mala, quam intulerunt: consule Xenophon. lib. 5. de repub. Græco. qui etiam lib. 2. de factis & dictis Socratis, inquit grauissimum nobis esse hostem iram atque contentionem.

Irascuntur sæpe multi contra salutariter monentes 4. Reg. 5. indignatus Naaman.

Ozias rex iratus contra sacerdotes minabatur eis 2. para. 26.

Frustra sæpe contendas persuadere irato quæ vtilia sunt ac maxime salutaria, vide 1. Reg. 8. per totum.

Dicente Tobia, videte ne hædus furtiuus sit, vxor eius irata est Tob. 2.

Principes Iuda irati sunt contra Ieremiam veritatem prædicantem Iere. 38.

Irascuntur sæpe nonnulli putantes se illudi, sic irati sunt viri ex Ephraim quia separauit eos Amasias ab exercitu suo 2. Para. 52.

Non occides. Vide D. Tho. 1. 2. q. 100. art. 4. & ar. 8. & ar. 11. in corpo. & 2. 2. q. 64. art. 3. per totum & art. 5. ad 2. & ad 3. & art. 7. in cor. & q. 65. art. 1. in cor. & ad 4. & q. 122. art. 6. & 3. sen. dist. 37. art. 2. q. 1. & quæst. 2. in cor. & 4. sen. dist. 37. q. 2. art. 1. per tot. & contra gen. lib. 3. c. 43. & 73. & ad Roma. 13. Lect. 2.

Ego autem dico vobis. Vide D. Tho. 3. p. q. 42. art. 1. in cor. & ad 2.

Super illa verba, audistis quia dictum est antiquis, consule eundem 2. 2. q. 5. art. 1. & de veri. q. 9. art. 4.

Qui irascitur fratri suo. Monet Christus dominus, vt etiam in leuibus delictis præcauendis vigilātes simus, ne sensim labamur in grauia: quem locum si fusius persequi velis, consule Vincen. Belluacen. Specu. doctri. lib. 5. c. 21.

Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Racha vero non grandis alicuius est sermo conuicij, sed magis de contemptu veniens, impatientiáque dicentis, & ipsi nonnunquam vel seruulis, vel inferioribus quibúsque aliquid imperantes dicimus, vade tu dic illi. Sed etiam qui lingua vtuntur Syrorū, Racha pro eo quod est tu dicere solēt. Sed misericors dominus cum maioribus etiā minima quæque delicta pariter euellit, præcipiens vt mutuo nobismetipsis & honorabilius vtamur, & cautius, vt per hæc maiora quoque peccata moriantur D. Chrysost. super Matt. ho. 16.

Racha vulgare verbum erat apud Iudęos quod non ex ira, neque ex odio, sed ex aliquo motu vano dicebant, magis fiduciæ causa quam iracūdiæ. Nam vnaquæque prouincia habet in consuetudine aliquod exprobratorium verbum, quod non rixæ causa, sed familiaritatis gratia dicere solent ad eos quorum fiduciā habent. Vt puta patronus suscepto liberto suo, aut diues pauperi, aut vrbanus rustico, cōtemnens personā eius magis quam inimicans. Sed forte dicis, si racha iracundiæ causa non dicitur, quare peccatum est? quia contemptionis causa dicitur, non ædificationis. Nam etsi persona illius tibi cōtemptibilis videbatur, tamē dignitas Christianitatis illius contemptibilis non erat. Etsi illum aspicere non volebas, tamen Christum qui in eo est aspicere debuisti. Deinde & alia ratione peccatum est dicere racha, quia etsi ille aliquid vanum audire merebatur, te tamen dicere vanum aliquid non oportebat, cum sic scriptum est. Amē dico vobis, pro omni verbo otioso quodcunque locuti fueritis, dabitis rationē. Quicquid non est lumen, tenebra est: sic & quicquid bonum non est, malum. Dicit Aposto. omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Et non dicit, si quis bonus tantummodo, sed si quis bonus ad ædificationem fidei. Si ergo nec bonum verbum sine causa dicere debemus, nisi fuerit pro occasione ædificationis, ne ipsum verbum bonum dum sine causa dicitur, inueniatur esse otiosum, & fiat malum: quanto magis illud verbum dicere non debemus, quod à semetipso naturaliter malum est, & ad iniuriam pertinet audientis? Deinde nunquid membrum oris nostri, quòd ad ædificationem aliorum creatum est, aut ad vsum corporis, aut ad gloriam dei, trahimus illud ad vsum vanitatis? omnis enim sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictāte profertur. Vanum ergo sermonem dicentes non tantum ideo peccamus quia per illum sermonem aliquem lædimus, sed quia damus locum in nobis immundis spiritibus agendi quod volunt. Hoc sciens Salomon, dicebat ad dominum. Duo postulo à te, ne auferas gratiam tuam à me, priusquam moriar, & vanum verbum non exeat de ore meo. Si enim vasa sanctificata ad priuatos vsus trāsferre peccatum est, & periculū, sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacratis, de regno depositus est & de vita. Si ergo hæc vasa quæ sunt sanctificata ad priuatos vsus transferre sic periculosum est, quanto magis vasa corporis nostri quæ sibi Deus ad habitaculum præparauit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult? Chryso. in non absolu. hom. 11.

Quid significet vocabulum illud Racha, consule D. Basi. lib. regu. breuio. interroga. 52.

Super illa verba qui aūt dixit fratri suo Racha, cōsule D. Th. 22. q. 158. a. 5. ad 3. & q. 15. a. in corpo.

Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Multi hoc graue atque onerosum putant esse mādatum, vt scilicet pro vno nudóque sermone, tanta nobis pœna subeunda sit. Vnde quidem istud exaggeratione magis dictum esse voluerunt. Sed vereor ne nosmetipsos his verbis omnino friuolis, vel potius infidelibus seducentes, ibi rebus ipsis supplicia extrema soluamus. Sed cur quęso mādatū istud videtur onerosum? An forte nescis quia plurima pars culparum atque pœnarum à sermonibus sumat exordium? Nam & blasphemia per verba, & dei negatio per verba, inde & maledicta, & iniuriæ, atque periuria, & falsa testimonia, & ipsa frequenter homicidia. Noli igitur aspicere quod vnus hic sermo sit, sed quantum periculi habeat expende. An ignoras inimicitiarum tempore incandescente, ira, animóque prorsus ardēte, etiam minimū aliquid magnum videri? Tūc quippe & quod non valde iniuriosum est, intus tamē putatur onerosum. Nam hæc ipsa paruula, & homicidia sæpe pepererunt, & vrbes crebro inte-

gras ſubruerunt. Sicut enim manente amicitia, etiam quæ moleſta ſunt, leuia ducuntur: ſic inimicitiis obortis, leuia queq́ue pro grauiſſimis audiũtur. Nam etſi ſimpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo prolata creduntur: atque vt in igne cum ſcintilla exigua eſt, etiam ſi plurimum lignorum admoueas, non ea facile comprehendit: ſi vero ſatis in excelſum flamma conſurgat, non iam ligna, ſed & ſaxa, & omnem prorſus incidentem materiam ſibi vendicat, & per quæ extingui ſolet, per ea ipſa potius accenditur. Quidã quippe aiunt quod huiuſmodi flammam non ligna tantum & ſtupa, aliaque ignis alimenta, ſed aqua etiam maiori impetu iactata, magis magiſque ſuccendat: ita accidere etiam in ira ſolet. Quicquid aliquis dixerit, conuiuio pabulum peſſimi huius efficietur incendij. Quæ omnia Chriſtus ante iam comprimens, inquit, qui iraſcitur, &c. Ne igitur leue aliquid exiſtimes fatuum fratrem vocare. Quando vero iſto quo ab irrationalibus ſeparamur, & quo maxime homines ſumus intellectu ſcilicet atque prudentia fratrem ſpolias, omni illum nobilitate priuaſti. Non ergo verborum tantummodo ſonum ſimpliciter audiamus, ſed in res ingredientes ipſas, & vim illam conuicij ponderantes, conſideremus quantũ ſermo iſte operatur dolorẽ, atque ad quantum malum ſæpe perueniat. Propterea igitur & Paulus non adulteros ſolũ & maſculorũ cõcubitores, verũ etiã maledicos à regno Dei excludit: & merito. Cõuiciator quippe bonũ charitatis omnino corrũpit, & mille proximũ inuoluit incõmodis, ac iuges inimicitias frequenter operatur & Chriſti mẽbra diſcerpit, ac deſiderabilẽ Deo pacẽ ſingulis quibúſque diebus exagitat, amplíſſimã diabolo viam per conuicia parans, eumq́; efficiens fortiorem. Propterea etiam Chriſtus neruos potentię eius excindens, induxit hanc legem. Ne igitur hæc dicta cuiuſdam exaggerationis exiſtimes, ſed intelligens ea quæ ex his ſæpe gignuntur, legem ſtatutarum manſuetudinem demirare. Nihil enim ita ſtudet Deus, vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea & per ſemetipſum, & per diſcipulos ſuos, tam in nouo quam in veteri teſtamento, plurimo hoc mandatũ ſermone commendat. Et vehemens animaduerſor atque punitor eſt eorum, qui præceptum tale contemnunt. Nihil quippe eſt quod ita omnem malitiam & pariat & firmet, vt interemptio charitatis. Nam & dominus idcirco dicebat quoniam abundauit iniquitas refrigeſcet charitas multorum. Sic etiam Cain eſt fratricida factus: ſic Eſau & patri obſtat, & fratri minatur interitũ. Sic etiam cõtra Ioſeph ſanctum, fremuit malé coniurata germanitas. Sic mille alia pullulauere mala, & hac virtute ſubſtracta. Propterea & Chriſtus omnia incommodantia charitati diligenter interimit. D. Chryſoſto. ſuper Matth. hom. 16.

Qui autem dixerit fatue. Modeſtiam atque vrbanitatem in loquendo, plerique etiã Philoſophi nobis commendarunt: nam Appollonius dixit, noli inurbanus eſſe, neque verba parum decentia tibi elabantur. Diogenes, noli contumelioſis quenquã verbis inſectari. Pythagoras, nequaquam decet te inurbanum eſſe aut contumelioſum, ſed caue loqui quæ tibi in poſterum moleſtiam exhibeant.

Super illa verba, qui autem dixerit fatue, &c. Vide Sixtum Senen. Bibli. ſanct. lib. 6. annota. 21.

Quandoquidem linguam habemus tam lubricam atque effrænatam, poſtulare debemus à Deo vt nobis auxilium ſuum præſtare dignetur, quo eam frænare & cohibere poſſimus, ne ſe immoderate effundat. Vide D. Auguſt. de verbis domini ſermo. 4.

Qui autem dixerit fatue, &c. conſule D. Tho. 1.2.q.46.art.8.ad 3. & 2.2.q.158.art.5. & q. 72. art. 2. per totum. & 1. Cor. 15. lect. 7.

Si ergo offeres munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. O ineffabilem benignitatem atque admirabilem erga homines amorem Dei! honorẽ ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit, oſtendens quoniam nec priora quæ etiam cõminatus eſt, odio aliquo hominum, vel de cupiditate inferendi ſupplicij comminatur, ſed amore præcipuo. Quid enim his verbis mitius eſſe poſſit? quid lenius? Interrumpatur inquit miniſterium meum, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi eſt fratrũ reconciliatio. Propterea quippe non dixit, poſtquam obtuleris, aut priuſquam offeras: ſed munere ipſo iam poſito, & inchoãte ſacrificio, reconciliandum mittit ad fratrem: & neque propoſita etiam munera auferri iubet, neque priuſquã offerantur id memorat, ſed propoſito palam ſacrificio, illuc currere imperat offerentem. Quam igitur ob cauſam iſtud fieri iubet? Duo ſunt vt certe ego arbitror, quæ per iſta & deſignat & conficit. vnum quidem quod vtique iam dixi, oſtẽdere ſcilicet volens quod honoret charitatem maxime, & hanc acceptiſſimum eſſe ſacrificium ducat: abſque iſta vero nec illud profecto ſuſcipiat. Aliud vero quo irrefutabilem quãdam neceſſitatem reconciliationis imponat. Qui enim iuſſit non prius munus offerri quam reconcilietur offenſio, etiãſi non ob proximi charitatẽ, ſaltem ne ſacrificiũ maneat imperfectum, currere ad contriſtatum iubet, inimicitiaſque diſſoluere. Propterea & diſerte cuncta memorauit, terrens illum videlicet, ac ſuſcitans. Cum enim dicitur, relinque munus tuum, non ibi reſtitit, ſed intulit, ante altare, rurſus horrorem iniiciẽs: & vade, non tãtum dicit vade, ſed adiunxit primum, & tunc veniens offer munus tuũ: per omnia iſta ſignificans, quia per aliquas inter ſe inimicitias diſſidentes nequaquam menſa illa ſuſcipiat. Audiãt hi qui ſacris certe myſteriis initiati, cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi qui nondum initiati ſunt. Nam ad ipſos quoque habet aliquid ſermo iſte commune, offerunt namque & ipſi munus & hoſtiam, orationem dico & eleemoſinam. Quia enim & hæc ſacrificij inſtar obtineant, audi prophetam loquentem. Sacrificium laudis honorificabit me. Et rurſum immola deo ſacrificium laudis: & eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Itaque etiam ſi orationem cum tali offeras voluntate, melius eſt orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationẽ conſequenter offerre. Propter hoc enim facta ſunt omnia. Idcirco & Deus homo factus eſt, atque illa omnia geſſit, vt nos in vnum ſine dubio congregaret. Et ibi quidem eum qui læſit mittit ad læſum. In oratione vero læſum ad eum qui læſit adducit, ac ſibi vtrũque cõciliat. Nam ibi quidẽ dixit: dimitte hominibus debita eorũ, hic vero iuſſit, ſi frater tuus habet aliquid aduerſus te, vade ad eum prius: imo hic quoq; mihi videtur læſum remittere, & idcirco non dixit, reconcilia tibi fratrẽ tuum, ſed reconciliare fratri tuo. Et videtur quidem ſuper eo qui contriſtauerit eſſe ſermo, totum de contriſtato potius dicitur. Si enim illi inquit reconciliatus fueris: per illam quam in eum oſtenderis charitatem, me quoque incipies habere placabi

placabilem, cumque multa fiducia poteris munus offerre. Si vero adhuc indignaris & tumes, reſpice quia & ego libenter mea iubeo contemni, vt amicitia veſtra renouetur. Atque vt tibi ad conſolationem maximã hæc ipſa proficiant, non dixit cũ primum ſenſeris, tũc reconciliare, ſed cũ extenuatione. Si aliquid frater tuus habet aduerſus te: nec addidit, ſi tamen iuſte: nec ſic quippe inimicitias oportet extendi. Nam & Chriſtus iuſtiſſime nobis poterat iraſci, ſed ſtamen ſemetipſum pro nobis dedit, tanta certe illa peccata non imputans. Propterea igitur & Paulus alio modo de reconciliatione dicebat: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Sicut enim hic dominus de ſacrificio, ita ibi à die ipſo ad pacem Paulus impellit. Secretum quoque noctis veretur, ne forte ſolum cauſa excipiens ſauciatum, maius profecto vulnus efficiat. In die namque multi ſunt aduocãtes atque retrahentes: in nocte vero quia ſolus relinquitur, intráque ſemetipſum cogitationũ æſtibus huc illucq́; iactatur, in immenſum verticem minarum ſtuctus tumeſcunt, ſitque maior omnino ſæuiórque tempeſtas. Idcirco præueniens Paulus, vult iam recõciliatum nocti tradere, ne ſaltem vnam occaſionẽ de ſolitudine diabolus inueniat, per quam iracundiæ fornacem poſſit accendere, eamq́ue efficere ſæuiorem. Sic etiã Chriſtus non concedit ne paululũ quidẽ omnino differre, ne huiuſmodi anima impleto abſq; recõciliatione ſacrificio, deſidia maiore capiatur, quotidie diſſimulet in pacẽ reuerti. Nouit enim talẽ eſſe huiuſmodi paſſionẽ, quę ſatis velocis curationis indigeat. Et ſicut ſapiens quiſquam medicus non modo imminentes morbos præuenientibus remediis excludit, verumetiam iam tenentes alio medendi genere iam repellit, ita etiam Chriſtus facit: nam fatuum quidem vocare prohibendo, aduerſus inimicitias auditorum corda præmunit. Reconciliationem vero poſt inimicitias imperando, vim morbi iam obtinẽtis è medio tollit. D. Chryſoſt. ſuper Matt. ho. 16.

Si offers munus tuum ad altare, &c. Non dixit reconciliare fratri tuo priuſquã offeras munus Deo, ne tempus reconciliandi concedere videretur vſque ad tempus offerendi munus Deo: ſed vt ante omnia negotia & quam citiſſime doceret incumbendum reconciliationi. Si inquit offeras & ibi recordatus fueris, &c. Si enim diuinum negotium etiã cum in manibus eſt, intermittendũ eſt & poſt habendum reconciliationi fraternæ, multo magis alia negotia: & ſi tunc dum quis ante altare recordatur offenſæ, recurrendum eſt ad fratris reconciliationem, multo magis id prius agẽdum erit. Efficax eſt ergo valde hæc ſententia ad ſuadendum ſtudium recõciliationis, eo quod doceat primum concordiam fratrum Deum malle, quam ſacrificia & oblationes. Cæterum hæc domini ſententia non eſt ſic accipienda, quaſi ſemper neceſſario ſit agendum ſecundum eam vt verba ſonãt. Contingit enim aliquando vt vel non expediat adire offenſum, & reconciliationem quærere, vel tempus & locus non permittat, vt ſi frater offenſus eo loco ſit quo non facile adiri poſſit. Itaque intelligẽda eſt cum eo ſale diſcretionis, cum quo ſimilia præcepta affirmatiua debẽt intelligi, ſi ſcilicet tẽpus, locus, & prudentiæ ratio ita permittat: nec tã ſpectãda ſunt præcepti huius verba, quam ſcopus & intentio ſaluatoris, qui eſt vt quantum in nobis eſt omnia poſtpoſitis omnib. faciamus, quod offenſum fratrem reconciliemus nobis, adeo vt etiam ſacrificium Deo iam iam offerendum intermittamus, cum ita fieri poteſt, quo memores offenſæ fraternæ, eum qui offenſus eſt placemus, priuſquam ſacrificium abſoluamus. Quod ſi autem fieri non poteſt vt adeamus offenſum, illiue reconciliemur, animo ſaltem & cordis bono propoſito, iſtud quod hic præcipitur peragẽdum eſt, videlicet vt pro virili & iuxta offenſę qualitatẽ offenſum placare proponat, priuſquam oblationem ſuam deo offerat. Proinde ad myſticam huius præcepti intelligentiam confugit Auguſt. intelligens eũ qui læſit alium, non pedibus corporis, ſed animi motibus pergere debere ad offenſum, eiq́; humili affectu ſe proſternere in conſpectu Dei, ac inde venientem, hoc eſt intentionem ſuam reuocantẽ ad id quod agere cæperat, offerre munus ſuum Deo. Sed ſimplicius fuerit intelligere præceptum iſtud, vt dictum eſt. Corne. Ianſe. in quodam ſerm. de hac domini.

Relinque ibi munus tuum ante altare. Studeamus fratres mei & humiles ad ſatisfaciendum his qui aliquid habent aduerſum nos, & ad remittendum his qui offenderunt nos faciles inueniri: quia non ſolum mutuæ inter nos pacis cõſeruatio cõſtat in his duobus, ſed ne ipſa quoq; diuina ſine his propitiatio poterit obtineri: quod nec munus ab eo recipiat qui non prius erit vt fratri reconcilietur, & dimiſſum etiam ab eo delictum ſtrictius exigat, qui conſeruo ſuo debitum non remittit. Vide D. Bernar. de verbis Apoſt. Non eſt regnum Dei eſca & potus ſermo. 1. in fine ſermonis.

Et vade reconciliari fratri. De ſatisfactione vide Vincen. Belluacen. Specu. Mora lib. 3. par. 10. diſtinct. 17.

Si ergo offers munus tuum. Lege D. Baſi. lib. regula. breuio interrogata. 265.

Et tunc veniens offeres munus tuum. Si ex his cauſis offenſo fratre & nõ placato impoſſibile eſt munus deo offerri & ſuſcipi: quomodo ante conſpectum Dei ingredientur qui fratres ſuos conculcãt, prædantur, & alia multa in viduis & orphanis nefanda committunt? Cæterum vide miſericordiam Dei quomodo hominum vtilitates amplius aſpicit, quam ſuos honores. Si enim ſuos honores magis aſpiceret, ſic dixiſſet. Interim offer munus tuum, & poſtea vade & reconciliare. Nunc autem dicit, vade primum & reconciliare, & ſic veniens offeres. Tanquam ſi dicat ad illum: vade, ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter expecto dominus ſeruos, tantummodo vt vas in amicitiã veniatis. Vade ergo, vt ſcias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quam munera. quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum, charitas enim illorũ Dei gloriam operatur. Ne dicas ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi ſatisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria ſalutis tuę iubet te dominus amicitiã facere, magis nocitus debes rogare, vt duplicẽ gloriã conſequaris: vnã quia nocitus es, alterã quia prius rogaſti. Si enim in illum noçuiſti, & ideo rogaſti, parcet tibi deus quod noçuiſti, quia prius rogaſti: tamẽ nullam habes mercedem, quia reus conſtitutus rogaſti. Si autem ille te læſerit, & prius rogaueris, magnam habebis mercedẽ: feſtina ergo inimicum tuum præuenire ad amicitias, ne forte te tardante ille præueniat te ad rogandum & rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam ſi ille te nocuit, & ille te rogat, infructuoſa eſt amicitia tua. Non enim volẽs te Deus ſubſternere ſub pedibus eius, iubet te prius rogare, ſed volens tibi humilitatis gloriã prouidere. Sed forte dicis, ego volo reconciliari, ſed dic mihi quomodo reconciliabor? Qualis præceſſit offenſio, talis debet ſequi

reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare, vt puta cogitasti male facere alicui Christiano, nó potes munus tuum offerre ante Deum, quia habes in corde tuo nocendi propositum. Recogita bene quod cogitaueras male. Psal. 4. quę dicitis in cordibus vestris & in cubilibus vestris cõpungimini. Si autem verbis læsisti fratrem tuum, vade, & satisfac ei. Cum enim detraxisset de Mose Aaron, vadens verbis rogauit eum, dicens. Rogo domine ne inferas in nos peccatũ hoc, quia ignorauimus quod peccauimus in te. Si autem operibus aliquem offendisti, puta alicuius pecuniam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam abstulisti. Vnde Zachæus dicebat; domine quæcunque fraude abstulisti reddo in quadruplo. D. Chrysost. in non abso. ho. 11.

De epist. & euan. duas habet concio. D. Anto. initio. 1. par. Theolo.

Plures item habet concio. D. Tho. prope finem to. 16.

Dominica sexta Post Pentecosten.

VM turba multa esset cum Iesu nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis; misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Marci 8. Matth. 15. Conuocat quoque discipulos suos, & quod facturus est loquitur, vt vel magistris exemplum tribuat cum minoribus atque discipulis communicanda esse consilia: vel ex confabulatione intelligant signi magnitudinẽ, respondentes se panes in eremo non habere. D. Hiero. in Matth. lib. 2. cap. 15.

Iam triduo sustinent me. Sustineo componitur ex sursum & teneo, vnde sustinere idem quod sursum tenere. Illi ergo sustinent dominum qui in tentationibus vel aduersitatibus positi, ipsum omnibus rebus præponendo diligunt, & confidunt in ipso. Sic enim dicitur Psal. 129. Propter legem tuã sustinui te domine. Vel aliter sustinere idem est quod patienter pati & expectare. Heb. 10. certamen passionum sustinuistis, id est patienter portastis, &c. Vide Glos. incog. super Psalm. versi. 345.

Cum turba multa esset cum Iesu. Nil mirum est si tanta turba accederet ad tam suauissimum magistrum, à quo beneficia innumera, tum corporalia tum spiritualia accipiebat, & à quo multa sperabat se recepturam. Huius itaque turbæ misertus est Christus, atque ad eam satiandam & reficiendam, benignitatem suam, liberalitatem, & misericordiam patefecit. Vide Offmeiste. super Marc.

Ecce iam triduo sustinent me. Vide quomodo Christus dominus præter quam quod benignum se exhibebat cæteris, hic in eos maxime qui triduo ipsum sustinent, quod videtur significari per tres pœnitentiæ partes, sese benignum & liberalem ostendat. Lege Theophylact. in Marc.

Ecce iam triduo. Vereor ne quis forte in triduana expectatione pusillanimis inueniatur, vnde præstandum est illud Psalm. 26. Expecta dominum, viriliter age, &c. Sed quantum temporis expectandum nobis erit? donec misereatur nostri. Viã enim trium dierum eas necesse est in deserto, si gratum Deo tuo offerre volueris sacrificium, & triduo sustineas saluatorem, si panibus similibus cupias satiari. Primus dies est metus & timor nouissimæ calamitatis & extremæ, quæ malis superuentura est: huiusmodi enim exercitatio, nostræ solet exercere primordia conuersionis. Secunda est pietatis dies, qua respiramus in luce misericordiam Dei. Tertia denique obedientia, quam præstare debemus præceptis Dei, &c. Vide D. Bernar. de euange. septem panum sermo. 1.

Maxima quidem est benignitas ac liberalitas qua vtitur Deus erga nos: vnde quid rettribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Multitudine enim suorum beneficiorum me sibi deuinctum atque constrictum habet: tanta mihi tribuit atque retribuit, & tu mihi loqueris de alio onere? deficit spiritus meus prorsus, deficit in tanta beneficiorum cõsideratione, &c. Vide eundem Bernar. vbi supra sermo. 2. qui alium etiam habet sermo. de eodem instituto.

Nisi misericordia Dei nos sustentaret & eiusdem liberalitas in hac tanta peregrinatione atque deserto, nequaquam perduraremus. Hæc efficit vt triduo sustineamus & perseueremus, neque confundamur confidentes in domino. Psal. 24. vniuersi qui sustinent te non confundentur Sustineamus ergo dominum, qui non deest sustinentibus eum: non habent homines vnde suas animas refocillẽt, nec habent in deserto huius mundi alimoniam spiritualis alimenti, nisi saluator ipse eam tribuat, quem si sequemur, magna nobis beneficia largietur. Iere. 2. vade & clama in auribus Hierusalem, dicens. Hæc dicit dominus, recordatus sum tui quando secuta es me in deserto: aliter enim ieiuni relinquemur, & spirituale alimentum non capiemus. Vide Simonem Cassianum de miracu. saluato. lib. 5. c. 4.

Perseueremus sustinentes dominum in deserto huius mundi, neque facile statim tentationibus atque tormentis succumbamus: sed potius sicuti orbicularis figura quacunque eam parte reuolueris atque versaueris, eodẽ modo semper se habet, ita etiam nos siue lęta siue tristia contigerint, constantem perpetuo animũ seruemus, atque Christi domini præceptis viriliter insistamus. Et sicut aurum siue in ignem illud coniicias, siue in aquam, splendere magis, & vt ita loquar, purificari semper videtur potius quam lædi: ita etiam virilis & infractus seruorum Christi animus, quæcunque ingruerint calamitates & afflictiones, splendere magis debet in tempestate tam sæua, & lucere in tantis tenebris. Qui pontem aliquem exædificare & à fundamentis erigere parant, diligenter præcauent ne forte aut impetus fluminis, aut simile obstaculum impedimento sit, quo minus cæptũ possint absoluere opus: ita & nos desistere non debemus, tametsi inundantia videamus incommoda & mala, à cæpto virtutis itinere.

Non deficiamus vnquam à virtutis perseuerãtia, neque terminum vllum imponamus & constituamus diuinæ misericordiæ & liberalitati, quẽadmodum sapienter vidua illa Iudith pronuntiauit. Sed vt Abrahã cum aliquãdo sacrificium Deo immolaret, & aues ad illud descenderent, nihilominus tamen ipse abigebat eas, neque vnquam propter illarum importunitatem à sacrificio cessabat Gene. 15. ita nos perseuerare debemus. Paulus qui egregie perseuerabat, cõstãtissime ait, quis nos separabit à charitate Christi? Roma. 8. opera bona sine perseuerantia, optatam mercedem non consequuntur. In fimbriis quidem vestium suarum solebant sacerdotes in lege veteri appendere malogranata inter aurea tintinnabula Exod. 28. quæ cum non in principio, nec in medio vestimenti, sed in extremitate figerentur, significare videbantur in fine tandem atque termino expectandam esse mercedem.

Perseue

Perseueremus in virtute, siquidem labores qui graues nunc nobis videntur, tandem assiduo vsu leuissimi fient atque suaues. Vide D. Basil. hom. de laudibus ieiunij.

Quis vnquam dormiens trophæum reportat? quis in deliciis ac tibiis, corona fortibus debita viris orabitur? quis non currens brauium assequetur: labores sunt qui gloriam pariunt &c. Vide eundem homi. de exhorta. ad baptismum.

Perseuerandum nobis diligẽter est in fide ipsa atque virtute, vt ad palmam & coronam tandem valeamus peruenire: quod institutum fuse prosequitur D. Cypria. lib. de exhorta. marty. cap. 8.

Immortalitas perseueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum dominus pollicetur &c. consule eundem in tract. de habitu virgi.

Nec habent quid manducent. Nó habebimus quid manducemus, siue cibum perpetuitatem operantem, si in rebus mundanis & nõ in Christo spem reponemus. Isa. 31. væ qui descendunt.

Non est spes collocanda in rebus mundanis, Isa. 3. A. ecce enim dominator dominus.

Vanissimum est spem collocare in rebus caducis mũdi Isa. 30. A. Filij desertores. D. nequaquam sed ad equos fugiemus.

In solo Deo spem collocare debemus, Isa. 40. G. qui autem sperant in dominо.

Speremus in domino Iere. 2. F. nunquid obliuiscetur.

In Deo spem nostram reponamus Iere. 3. A. vulgo dicitur.

Quam stultum sit, in rebus mundanis spem suam collocare, Iere. 3. G. Vere mendaces erant.

In rebus mundanis fiduciam habere maximus error est & pernicios us, Iere. 30. C. omnes amatores tui.

Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Turba triduo dominum sustinet quando multitudo fidelium peccata quæ perpetrauerit, per pœnitẽtiam declinans, ad Deum se in opere, locutione, atque cogitatione conuertit. Quos dimittere ieiunos in domum suam noluit dominus, ne deficiãt in via: quia videlicet cõuersi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscięntia siue doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur. Ne ergo lassemur in huius peregrinationis itinere, pascendi sumus sacra admonitione. Valde autem pensanda est pia sententia quæ processit ex ore veritatis, qua dicitur. Quidam ex eis de longe venerunt. Est autem qui nihil fraudis & nil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei seruitium festinauit. Iste de longinquo nó venit, quia per incorruptionem & innocentiã proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatur, solo autem coniugio expertus, ad ministerium spirituale cõuersus est. Neque iste venit de longinquo, quia vsus coniunctione concessa, per illicita nó errauit. Alij vero post carnis flagitia, alij post falsa testimonia, alij post facta furta, alij post illatas violentias, alij post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei seruitiũ conuertuntur: hi videlicet ad dominũ de longinquo veniunt. Quanto enim quisq; plus in prauo opere errauit, tanto ab omnipotente domino lõgius recessit. Nam & prodigus filius qui patrem deseruit, abiit in regionem longinquam, in qua porcos pauit, quia vitia nutriuit. Dentur igitur alimenta eis etiam qui de longinquo veniunt, quia cõuersis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, vt in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiserunt. Qui sæpe à doctoribus tãto necesse est vt largioribus cibis doctrinæ satientur, quanto fessi maioribus vitiis venerunt &c. D. Grego. super Ezech. lib. 2. homi. 21.

Et respondernnt ei discipuli sui: vnde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine? Apud Christum non erat id impossibile, sed procliue factu, cum nemo digne saturari possit nisi quem Christus alit; neq; fieri potest vt anima satietatem accipiat à mũdanis, quę inania sunt. Optima saturitas gratia, quæ animam explet & cumulat bonis omnibus. Vide Simon. Cassia. de miracu. saluato. libr. 5. cap. 4.

Et interrogauit eos: quot panes habetis? qui dixerũt, septem: & præcepit turbæ discumbere super terram. In conuiuiis quidem quæ dabat Christus, vide quãta temperantia vteretur, nam in quodam alio panes dedit etiã hordeaceos, vt inde discamus nos assuefacere temperantiæ, quæ vt præclare à Propheta scriptum est, inordinatos motus coercet, affectus frænat, desideria sancta excitat, vitia comprimit. Cicero in lib. de finibus, inquit, quod temperantia appetitum frænare solet, cum se immoderate effundit, & veluti contra sessorem recalcitrat. Democritus item dicere solitus erat, temperantiam esse quæ sensus ipsos redderet cõcordes, & animi partes maxima cum suauitate contemperatas. Et sicut in cithara vt suauissimum edatur melos, neque chordæ ipsę nimium distenduntur, neq; etiam deprimuntur, sed potius quadam cõtemperatione continentur: ita in vita sua vnusquisque non debet aut nimia voracitate, aut nimia etiam parcitate vti, sed quadam temperantia actiones suas omnes permiscere. Cæterũ in hoc Christi cõuiuio non fit mentio aliqua vini, vt inde discamus quã sobria esse debeant conuiuia nostra, & quam parce nobis vino vtendum sit, neque ei nimium indulgendum. Pingebãt siquidem antiqui philosophi plerique, vt Abricus ait, Bacchum ipsum cum cornu vtrinque taurino, vt inde significarent vini ardorem atq; furias nisi illo modice quis vtatur, idem ait Formetus in li. de natu. deorum. De Alexandro Magno refert Quin. Curtius quod cum cornu illo Bacchi feriebatur, desęuiret ac debaccharetur maxime in amicos etiam atque intimos. Olim quidem homines fortissimi leguntur, antequam Noe vineam plantaret; & cum primum Roma cõdita fuit, & per lõgum hinc etiam temporis spatium habitata, nempe per 635. an. vt ait Blondus in lib. de Roma. triumph. cum fortissimi essent homines atq; viribus præstantes, vinũ tamen quemadmodum referunt pleriq; historiographi, veluti pro medicina tantum in paucis admodum propoliis vendebatur. Nunc vero vsque adeo à plerisq; sumitur intemperate, vt vires sibi omnes eneruent, sensus debilitent, mentémque ipsã de sua sede deturbẽt. Spartianus refert quod cum exercitus Posceni in Ægypto versaretur, atque nonnulli ex militibus vinum sibi dari postularẽt, subiiceret imperator, ignominiosum quidẽ esse quod vinum sibi dari postularent, præsertim cum tam limpidum ac salubrem Nilum nacti essent. Valerius Max. refert li. 2. quod prohibitus esset Romanis fœminis vini vsus, & quod pœna capitis plecterẽtur si in eiusmodi facto deprehenderẽtur: idẽ ait Alexãderab Alexãdro, vnde impune Metellus quidẽ coniugẽ suã propterea interfecerit, vt ait Val. Max. Blon. Pieri. Dicearchus scribit & Eantes quod Troglodytę à vino abstinerẽt, & quod olim pleriq; populi herbis tantum & arborum fructibus vescerẽtur, abstinẽtes se à carne

& panc. Xenophon item mira quædam scribit de Lacedæmoniorum abstinentia: vt referunt plerique scriptores, inter quos Saty. hist. quod Diogenes ille Cynicus crudis oleribus & simplici aqua victitaret. De Persis etiam commemorant, quod liberos mira quadam abstinentia enutrirẽt & instituerent, nimirum nudo pane, aut paucis additis leguminibus, & simplici dumtaxat aqua. Seleucus vero à regno suo omnem vini vsum lõgissime exterminari præcepit. Hæc dixerim, vt intelligamus quantopere plerique hac nostra ætate dissimiles sint à parcitate & abstinentia ciusce modi, adeo vt non solum à vino non abstineant, sed etiã eodem sese obruant atque ingurgitent: vnde tam varia oriuntur mala & incommoda, tantique corporũ morbi atque adeo interitus. Quod si sobrietatem & temperantiam conuiuiorum Christi imitarentur, quemadmodum constat ex cõuiuio hodierno, & corporis & animæ saluti consulentes, tandem Christi amicitiam promererentur, & conuiuio cælesti impartita sibi gratia diuinitus, digni efficerentur.

Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis vt apponerent, & apposuerunt turbæ. De septem panibus & paucis piscibus vide Hug. de S. Victo. lib. 3. Allego. in Marcum c. 6. to. 1.

Et apposuerunt turbæ. Vide quantum exemplum temperantiæ nobis inde prebeatur, vbi panes apponuntur: non ciborum lautitiæ atque deliciæ, neque varietas epularum atque eduliorum. Porro si plura requiris de temperantia atque abstinentia, consule D. Bernar. sermones 3. eo nomine inscriptos initio operum, quorum primus incipit. Rogo vos dilectissimi.

De abstinentia & antiquitate ieiunij consule D. Ambro. in lib. de Elia & ieiunio circa finem to. 1.

Quod abstinentia vtendum nobis sit prudenter ac circumspecte, consule D. Hierony. in regu. Monach. to. 4.

Vide præterea circa hoc institutum D. Aug. li. epist. epi. 86. & sermo. 77. & 230. & ad fratres in eremo sermo. 24. & 25. to. 10.

De Cyro refert Iustinus li. 1. quod cum ad Scythas expugnandos accessisset, vt de eis posset triũphare, fugam ante eosdem simulauerit, ingentémque Bacchi & ciborum lautissimorũ copiam ibidem dereliquerit: quam cum Scythæ conspexissent, rati reuera exercitum nequaquam reuersurum, accesserunt illuc, seque cibo potuque adeo ingurgitarunt & obruerunt, vt non solum plerique ex temulentia statim interierint, sed etiam superueniens Cyrus cum exercitu magnam stragem ediderit, atque ita demum de Scythis omnibus triumphauerit. Idem etiam Iustinus refert lib. 12. de nonnullis imperatoribus, quos cum potentissimi exercitus superare & euincere non potuissent, superauerint atque interemerint immoderata conuiuia potúsque & cibi intemperantia.

Contra immoderata conuiuia ex quibus mala sæpe innumera atque incómoda oboriuntur, vide Decre. Cælesti. 1. c. 28. dist. 34. presbyter. in Decre. præterea Euthychiani pa. ita dicitur. Magnũ malum ebrietatis, ex quo omnia vitia pullulãt, Christianis modis omnibus cauere præcipimus, qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum decernimus vsque ad congruam emendationem. Item episcopi & Dei ministri non debent cõmessationibus & vinolentiis nimiis incumbere, considerantes sententiam domini dicentis. Attendite ne grauentur corda vestra Luc. 21. moderate enim cibum, & necessarium sumptum sumant. & iuxta Apost. 1. Thessa. 5. sobrij sint & parati ad seruitium Dei.

Et accipiens septem panes. Vide D. Tho. 1. par. q. 92. art. 3. & 3. p. q. 44. art. 4. ad 4.

Et habebant piscículos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi & manducauerunt, & saturati sunt. Magnã contemplare Christi liberalitatem: olim quidem mulier illa Sareptana liberalis extitit & officiosa erga Eliam, cum tamen magna premeretur necessitate cum filio suo, ideo meruit sibi remunerationem fieri. Si ergo mulier hæc credidit promissis hominis ignoti, & obtulit tamen in tanta necessitate, quorsum nos promissis inuitati Christi domini, & tanta eius liberalitate qua nobiscum in dies vtitur, non erimus benigni & misericordes erga egenos & afflictos? Abundat arca pecuniis, horreum tritico, vino torcularia, & vestes à tinea roduntur, tu tamen in tanta rerum omnium vbertate nec de superfluis quidem quicquam pauperibus largiri vis. Mulier erat hæc & infirmi sexus, marito destituta, pauper & inops, & filium habebat summa inopia alendum, & nil supererat nisi pugillus farinæ, & in tanta tamen angustia voci prophetæ nunquam antea cogniti obediuit. Sicut ergo Niniuitæ in iudicio condemnabunt gentem Iudæorum, sic ista auaros diuites, quibus dominus dicet: esurijui, & non dedistis mihi manducare. Hi enim cum in mundi vanitatibus prodigi sint, tamen cum propter Christum aliquid largiri debẽt, atra auaritia detinentur & excæcantur. Faciũt ergo veluti Israelitæ olim, qui anulos, monilia, & similia pretiosa ornamẽta pro vitulo cõflando prodegerunt. Quod si hi charitate erga Deum atque proximũ arderent, non vtique ita se gererẽt: amor quippe diuinus otiosus non est, & vbicunque est operatur. Et veluti si quis ignem sinu fouerit, fieri non potest quin ardeat: ita qui igne amoris diuini succensus est & inflammatus, eum solet per bona opera manifestare, & misericordiam erga proximos exercere. Sic Eliseus postquã insiluit in eum spiritus domini, statim occidit duos boues, & coxit carnes eorum, populoque distribuit 3. Reg. 19.

Et sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas: erant autem qui manducauerant quasi quatuor milia, & dimisit eos. Vide quam liberaliter quamque cumulate hoc cõuiuium exhibuerit Christus dominus: quod de liberalitate institutum, benignitate, & beneficiis amplissimis diuinæ dextræ, si paulo latius persequi voles, in nonnullos tibi fontes digitos intendam.

De liberalitate consule D. Ambro. lib. 1. offic. c. 32. & lib. 2. c. 15.

Vide Vincen. Belluacen. Specu. Mora. lib. 1. par. 3. dist. 78.

Quid senserint Philosophi lege eundem Specu. doctri. lib. 4. c. 46. vsque ad 49.

Obtenta victoria de Amalechitis, Dauid liberaliter misit dona senioribus Iuda 1. Regum 30.

Perliberalis fuit Rebecca cum seruo ipsius Abrahæ. Gene. 24.

Liberalis fuit Christus erga latronem, dicens ei: hodie mecum eris in paradiso Luc. 23.

Perliberalis etiam extitit in Magdalenam Luc. 7. cum dixit, remittuntur tibi peccata tua.

Liberalem scripsit epist. Paulus ad Philemo. pro Onesimo scribens.

Liberalem item scripsit Artaxerxes pro defensione populi Iudæorum Esdræ sacerdoti 1. Esdræ 7.

Liberalis extitit Dauid erga Miphiboseth, eundem

eundem ad mensam suam admittens 2. Reg. 9.

Hebræi illi olim magna vsi sunt liberalitate cum captiuos vestierunt & remiserunt. 2. Para. 28.

Iob officiosus erat ac perliberalis erga pauperes, cum diceret: pater eram pauperũ, &c. Iob. 29.

Liberaliter Magi pretiosa obtulerunt munera domino Matt. 2.

Vide quam liberalis extiterit Deus erga Anam prolem poscentem. 1. Reg. 1.

Attende quanta etiam liberalitate vsus fuerit cum vidua illa propter intercessionem ipsius Elisei. 4. Reg. 4.

Ne constringaris animo inquit Seneca, in liberalitate exercenda, quamuis videas nonnullos tibi ingratos esse: nam & lucem & solem exoriri videmus etiam indignis. Vide Sene. lib. 1. de beneficiis c. 1.

Vide quanta benignitate & liberalitate vtatur Deus Zacha. 10. sibilabo eis & congregabo illos quoniam redemi eos.

Indignatus fuit dominus contra Asa propterea quod à rege Syriæ petiisset auxilium, cum potius sperare debuisset in diuina liberalitate & benignitate. 2. para. 16.

Perliberalem sese exhibebat Zachæus & officiosum, cum diceret: dimidium bonorum meorum domine do pauperibus Luc. 19.

Lydia purpuraria liberalis fuit erga Paulum Acto. 16.

Humanitatem maximam præstiterunt barbari erga Paulum & socios Acto. 28.

Rex Cyrus remisit Hierosolymam vasa templi domini quæ abstulerat Nabuchodonosor 1. Esdræ 1.

Maxima reluxit liberalitas in remittendo debito seruii illius nequam Matth. 18.

Quia viri Sochot & Phannel non fuerunt liberales erga Gedeonem, ab eo grauiter sunt puniti Iudicum 8.

Dominica septima Post Pentecosten.

IXIT Iesus discipulis suis, *attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Mat. 7. vide Luc. 6.* Quæ sunt vestimenta ouilia? Species videlicet simulatæ religionis Eleemosyna simulata vestimentum ouile est, non opus ouile: ieiunium simulatum vestimentum ouile est, non opus ouile, & cæteræ species pietatis, quibus se vestiunt lupi rapaces. Nulla autem res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum. Nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cauetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cauetur, sed quasi bonum suscipitur, & ideo coniunctum bono exterminat bonum. Sic serui diaboli tunc pessime Christianitatem corrumpunt, quando se simulãt Christianos. De quibus admonet discipulos suos Christus. magis autem nos omnes per illos, dicens. Attendite à falsis prophetis: neque dixit, aspicite, sed attendite: Aspicere enim est simpliciter videre, attendere autem est caute considerare: vbi enim certa res est & indubitabilis, aspicitur: vbi autem incerta & dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Christus quia est in illis aliquid quod aliis pro alio videbatur, aliud desuper positum, aliud intus inclusum, ideo dixit, Attendite: vt scias quia non corporali aspectu attendendum est, sed vigilantia spirituali D. Chrysost. in non absolut. homilia 19.

Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Oues sunt fideles. 9. Psalmo 92. Nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Vestimenta autem eorum sunt ieiunium, eleemosynæ, quibus se tegunt 2. Timot. 3. habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. D. Tho. in Matth. 7.

Attendite à falsis prophetis. Et de omnibus intelligi potest qui aliud habitu ac sermone promittũt, aliud opere demonstrant. Sed specialiter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, ieiunio, quasi quadam pietatis se veste circundare, intrinsecus vero habentes animum venenatum, simpliciorum fratrũ corda decipiunt. D. Hierony. lib. 1. in Matthæ. 7.

Falsi prophetæ dici possunt etiam adulatores, de quibus dicebat Antisthenes Philosophus, quod præstabilius esset incidere in coruos, quã in adulatores: illi enim in cadauera inuolant, hi vero vinos lacerant homines, fallunt, atque decipiunt. Bias rogatus aliquando quodnam esset pestilentius animal, respondit, ex feris nullum esse pernicio sius tyranno, ex cicuribus ipso adulatore. Sigismundus imperator quemadmodum refert Æneas Syluius, adulanti sibi cuidam alapam impegit, & cum rogaretur ab adulatore quorsum id faceret, respondit quorsum tu me mordes?

Quemadmodum cum in opacissima aliqua sylua secuti arborem iceris, alibi quidem sentias resonantem echo, alibi vero ictus incussus est: ad eundem modum adulator veluti echo personat quidem in auribus tuis, ictus vero eius sit in crumena & marsupio tuo, cum te pecunia spoliet, aut sese mensæ tuæ ingerat atque immittat.

Diogenes appellare solitus erat Aristippum adulantem Dionysio tyrãno, canem: etenim adulatoriis verbis & magnificis ei tanquam cauda applaudebat, cum tamen eiusdem patrimonium ore roderet atque voraret. Constantinus etiam appellabat adulatores, tineam quandam multorum patrimonia deuorantem, & consumentem. Agesilaus vt scribit Xenophon, eos admittere non facile solebat, qui eum in præclare factis tantum laudabant, cum interim cum reprehensione quid dignum faceret, non pariter illum etiam reprehenderent. Plutarchus inquit non solum Romanę vastationis, sed etiam aliarum complurium vrbium, causam extitisse adulationes eorum qui flagitia atque crudelitatem Dionysij Tyranni, Marci Antonij, & similium commendabant.

Quemadmodũ si fons ipse exsiccaretur, siue aridus reddatur & inanis, etiam riuuli qui ab eodem manare solent exsiccantur & exinaniuntur: ita si cuius patrimoniũ consumptũ fuerit, si imperium cessauerit, si res familiaris defecerit, illico cessant etiã adulantiũ ora, voces cõticescunt & obmutescunt. Vnde cum aliquando Antiochus domum ingressus rustici cuiuspiam hominis, incognitus, & citra vlla insignia regia, percontaretur à rustico quidnã de rege vulgo iactaretur, respõdisset; vere rusticus & aperto animo, mala multa quæ de eo circũferebantur, & facta reprehẽsione digna, quòd nunquam audierat in aula regia: intellexit statim rex plerosque sibi adulari cũ regiis eũ vestibus exornatum viderent imperiique clauo fulgentẽ. Vnde cum accedentes tandem eius aulici regiam capiti coronam imponere voluissent: auferte istam hinc ait, sine qua vera de me audio atque resciscо. Plutarch. in Apoph. Vnde & Solon instruens eos qui consuetudinem habent cũ diuitibus & in alia dignitate constitutis, inquit: principi consule nõ dulciora, sed optima ac maxime salutaria. Bias,

ne ob diuitias laudaris virum indignum. Polyenus,noli adulari principi.

Attendite à falſis prophetis. Tot tantæque latent vndique inſidiæ,vt diligenti nobis conſideratione ac meditatione opus ſit,ne forte imparati aliquando inueniamur & expugnemur. Vnde Philoſophus ille Cleobulus dicebat, egreſſurus domo,tecum expendito quid foris agere velis; domum vbi redieris,quid egeris reputato.Pythago. conſidera diligenter ante opus quæ te non lędãt. Epictetus,quic quid agreſſurus es, eius initiũ primo,tum quid deinceps ſequatur cõſidera, atque ita rem aggredieris:id ſi non feceris,nunquam ipſam prompte aggredieris, nihil eorum cogitans quæ futura ſunt:poſtmodum etiam cum quędam apparebunt turpia,pudore afficieris. Perſius reſpice quod non eſt,tollat ſua munera cerdo: Tecum habita,& noris quam ſit tibi curta ſupellex.Bias, ſic vitam inſtitue,tanquam & parum & multum victurus temporis.

Attendite à falſis prophetis. Hypocritæ reliquos iudicant malos,ſe autem æſtimant bonos Iſa. 65. A.qui dicunt recede à me.

Hypocritæ tecti ambulant & palliati Ezech. 8.C.fili hominis putas ne vides.

Multi reperiuntur hypocritæ.2.Timo.3.A.habentes quidem ſpeciem pietatis.

Hypocritas fugiamus, Coloſ. 2. D. nemo vos ſeducat.

Quantum noceant hypocritæ Matt. 23. B. Orationes longas &c.

Proprietates hypocritarum Luc.11.F.nũc vos Phariſæi.Marci 3.A.& obſeruabant eum.

Quid faciant hypocritæ Luc. 16. D. vos eſtis qui iuſtificatis vos.

Caueamus nobis ab hypocritis Luc.20.G. attendite ab ſcribis.

Multi ſunt doloſi & hypocritę in præſenti vita Iere.12.B.nam & fratres tui.

Deceptores quo tandem deueniant Iere. 14. D.in gladio & fame conſumentur.

Deceptores & hypocritæ quantum Deo diſpliceant Zach.8.C.loquimini veritatem.

Quam peſſimi ſint homines ficti Iob 36.B.Simulatores & callidi.

Deceptores & hypocritæ multi Pſal.49. Sedés aduerſus fratrem tuum.

Attendite à falſis prophetis. Vix reperias cui tuto fidas Iere.12.B.nam & fratres tui & domus patris tui.40.D.ibo & percutiam Iſmael.& 41. A. Surrexit autem Iſmael.

Vix fidelem inuenias virum Mich.7. A.omnes in ſanguine inſidiãtur.Abdię 1.C. inaluerũt aduerſũ te.Abacuc.2.C. vę qui potũ dat amico ſuo.

Magnæ vndique latent inſidiæ Eccleſiaſtici 12.C.non ſtatuas illum penes te.& 32. D. à filiis tuis caue.

Haud facile reperias cui tuto fidas 1.Regum 18.E.& locuti ſunt ſerui Saul.& 23.tradent. Item 2.Reg.3.E.& percuſſit illum 13.B.eiice vniuerſos à me. & 16. A. remanſit in Hieruſalem. Tum 3. Reg.13.D.Veni mecum.

Plures inuenias deceptores & fallaces homines 2.Eſdræ 6.C.tractemus nobiſcum. Pſalm. 11. Vana locuti ſunt.

Quam diligenter cauendum nobis ſit à fraudibus & dolis hæreticorum vide D.Ambro.li.10. epiſt. epiſt. 80.

Attendite à falſis prophetis. Vſque adeo odioſa & execrabilis eſt adulatio,vt in Conci. Carthagine. 4.vbi interfuerunt 214.epiſc. anno 436.cap.60.diceretur,clericus qui adulationi & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Vix poteſt aliquis hypocrita ita eſſe compoſitus,quin appareat aliquid malitiæ vel verbo,vel facto. Prouerbiorũ 27.quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium,ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.Et Seneca,nemo poteſt diu fictam ferre perſonam.In duobus autem maxime manifeſtatur,in his quæ ſubito agenda occurrunt, quia in his quæ cum deliberatione quis facit, cauet ſibi. Item in tribulationibus:Eccle.6.eſt amicus ſecũdum tempus ſuum,& non permanebit in die tribulationis &c. Item manifeſtantur quando non poſſunt conſequi quod volunt,vel cum iam conſecuti ſunt,vnde principatus virum oſtendit. D. Thom. in Matth. 7.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Per hoc quod foris agitur,quicquid intus latet aperitur. Vnde recte quoque perSalomonem dicitur.Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. D. Grego.lib.15.Mora.cap.26.

Chriſtus in deſerto orat & ieiunat, & in ciuitatibus comedit & bibit:non ſic hypocritæ, qui in occulto cum non adſunt teſtes, comedunt, at publice ieiunant;in occulto peccant,foris autem fictam ſanctitatem oſtendunt.Hi ſunt Gabaonitæ qui habent ſorulares veteres,vtres ſciſſos,calceamenta perantiqua,& panes duros portates fefellerunt Iſraelitas.Sic enim hypocritæ ſanctitatem exterius ſimulãt fictione induri,cum interius impoſtores ſint & deceptores.Eſau quærebat ea quę foris erant,Iacob vero quæ intra domum. Dominus in Leuit.7.iubet adipem arietis quæ circa renes eſt,& interiora operit,imponi ſuper altare: vt & tu ſcias, omnia quæ intra te ſunt, ſcilicet cor, voluntatem,& reliqua omnia,eſſe Deo offerẽda. Pilatus manus lauit,non tamen conſcientiã. Cæterum hoſtis noſter infenſiſſimus dæmon vt affectus noſtros interiores exploret,& tandem diſperdat,ſolet piſcatoris more hamũ nobis offerre eſca veſtitum: ita enim ipſe nobis proponit ſi videt nos carnales eſſe, eſcam libidinis:ſi ambitioſos, eſcam honoris & laudis,& ita in cæteris ſe gerit. Sæpe etiã eiuſcemodi eſcam perſpicue & manifeſte apponit,interdum vero maximo dolo obuelatam.Sæpe namque Satanas ſe in angelum lucis transfigurat 2.Cor.11.& illos miſere decipit, qui minus caute agentes, in vitiorum laqueos facile incidunt,& conatur eoſdem decipere,veluti acce debat vxor illa Icroboam 3. Reg. 14. commutate habitu, putans ſe decepturam prophetam Ahian.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Sæpe vt arbor fructus vberes producat,alteri eſt frugiferæ inſerenda arbor:ita oportet ſæpe in virtutibus exercendis vt alteri adhæreas probo & honeſto viro, & cum bonis ambules,& conuerſeris.Memor diuini prophetæ qui inquit,Beatus vir qui nõ abiit in conſilio impiorum.Quid ergo erit de hoc homine qui impiorum fugit conſortium?erit vtique tanquam lignum quod plãtatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.Propterea tu malorum conſortia fuge, & bonis adhære. Sic dominus tranſtulit vineam ſuam de Ægypto Pſal. 79. Cum tenera eſt arbor tranſplantari debet, & tu in adoleſcentia tua rectus fieri debes, iuxta illud ſapientis: memento creatoris tui in tempore iuuentutis tuæ, antequam obtenebreſcat ſol.

Nunquid

Nunquid colligunt de ſpinis vuas,aut de tribulis ficus? Vua myſterium habet in ſe Chriſti. Sicut enim botrus multa in ſe grana ligno mediante ſuſpendit,ſic & Chriſtus multos ſibi fideles per lignum Crucis tenet adiunctos. Similiter & ſicut ficus multa grana vno tegmine tenet incluſa, ſic multos fideles quodam dulci charitatis amplexu vna tenet Eccleſia.Ergo non poſſunt ſpinæ & tribuli Eccleſiaſticos fructus proferre. Sed quid proferunt:Vulnera,tribulationes,& cętera mala.Quẽadmodum ſpina vel tribulus ex quacunque parte illam conſpexeris,habet aculeos:ſic & ſeruos diaboli ex quacunque parte conſideraueris, iniquitate pleni ſunt. Si loquitur,in dolo loquitur:ſi cogitat,male cogitat:ſi tacet,male cogitat: ſi iraſcitur,inſanit:ſi patienter agit tempus expectat nocendi, & opportunitatem expectat quando noceat.Si male agit,non erubeſcit ſi bene facit, ad vanã gloriam propter homines facit. Quomodo proferat bonum fructũ,cuius radix diabolus eſt? ſub arbore bona, & beſtiæ & animalia requieſcunt:ſub ſpinis autem nullum animal requieſcere poteſt,niſi tantummodo ſerpentes. Sic iuxta fidelem hominem & boni & mali homines pacẽ habere,ac ſe capere poſſunt, iuxta autem infideles homines nemo poteſt pacem habere, neque requieſcere in eis,niſi tantummodo ſerpentes,id eſt dæmones, qui habent cubilia in pectoribus eorum,fructus eorum nulli procedunt ad vſum, vmbra refrigerij non eſt in eis.D.Chryſoſ.in non abſo. homilia 19.

In illa verba, nunquid colligunt de ſpinis vuas, vide Sixtum Senenſem Bibli.ſanct.lib.6. annota. 39.

Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit,mala autem arbor fructus malos facit. Variæ quidem ſunt arborum naturæ: aliæ enim ſunt quæ vbi præſciſſæ ſunt,iterum non pullulant;aliæ vero quæ denuo pullulant:nonnullæ item quæ ſi cum aliis conſerantur præſtantiores efficiuntur,cum in ſe infrugiferæ eſſent. Si ergo agricultura conuertit ſtirpium qualitates,nonne ſtudia doctrinæ, & diſciplinæ attentio,mitigare poſſunt quaſlibet ægritudines paſſionum? nemo ergo poſitus vel in adoleſcentiæ vel intemperantiæ lubrico, de ſui conuerſione deſperet: ligna plerunque in meliores vertuntur vſus, & non poſſunt hominum corda mutari?&c. Vide D.Ambro.li.3.Hexameró ca.13.

Non extra nos quæramus arbores frugiferas, ſed nos ipſos potius intueamur interius num arbores ſimus frugiferæ: videamus diligenter num producamus fructus iuſtitiæ,prudentiæ, fortitudinis,temperantiæ, & aliarum virtutum, vt tandem poſſimus de bonis operibus commendari, & à vitiis nobis diligenter cauere. Vide Origenem homi.16.in Leuiti.

Ex illo Ioannis,iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt &c.Diſcere debemus nobis circunſpecte conſideratéque viuendum eſſe, ne mors tandem nos imparatos virtutibúſque vacuos intercipiat:tum etiam illud conſilium amplecti debemus,qui habet duas tunicas &c. vt ſimus liberales erga pauperes,& miſericordiæ fructus producamus.Vide etiam D.Grego.homi.20.in Euãg.

Sicut arbor infrugifera opacare quidem inutiliter videtur humum ipſam,imo & nocere eidẽ vmbra ſua & opacitate:ad eundem modum impius homo nocumento eſt pleriſque, quos ſuo peruerſo ac peſtifero exemplo prauos efficit atque terrerrimos. Vide etiam D. Grego. in Euange. homilia 31.

Apparebit quidem ſterilitas arboris infrugiferę & vacuę virtutibus,in nouiſſimo iudicij die, cum dicet iudex.Eſuriui enim, & nõ dediſtis mihi manducare &c.Vide D. Auguſt. tractat. 28. in Ioannem.

Impius & ſuperbus tanquam arbor infrugifera præſcindetur.Pſalmo 36. Vidi impium exaltatum & eleuatum,& tranſiui & ecce non erat.Vide D.Hierony.in Amos 2.to.6.

Templum quidem Salomonis ex lignis cedrinis ex monte ſciſſis exædificatum erat, at vero quanto præſtabiliores arbores ſunt in noſtra Eccleſia, nempe viri ſancti, ac fæminæ ſanctæ &c. vide D.Hierony.in Eſa.60.to.5.

Sicut arbor altiſſimis defixa radicibus, nõ cedit facile ventorum tempeſtatibus & procellis, ſed immobilis perſeuerat, hoc eſt non conuellitur,nec extirpatur:ita qui altas in virtute radices egit,immobilis permanet in afflictionibus & tentationibus, neque vnquam ab ipſa virtute conuelli poteſt.

Hypocrita eſt arbor infrugifera, quæ tametſi videatur producere fructus aliquos honeſtos & laudabiles,ſunt illi tamen apud Deum iniucundi & inſuaues. Similia ſunt horum opera telis aranearum,quæ quamuis multa arte contextæ appareant,leui tamen quodam vento citiſſime diſſipatur,deſtruuntur,& euaneſcunt.vide D. Grego. li. 8.Morali.cap.29.quos etiam D.Baſil.concio.1.de ieiunio comparat iis qui in comediis aut in Tragædiis alienam actione ſua perſonam ſuſtinent, qui cum ſint infimi homines & abiecti, ſæpe tamen & duces,& reges repræſentant, denique foris alij apparent,quam interius reuera exiſtant.

Plato appellauit hominem plantam inuerſam ſiue arborem,propterea quod cũ plantæ habeant ſuum quaſi os in terram demerſum, quo ſibi alimentum ſugant,os tamẽ homini ſublime eſt.Vnde poeta cecinit;pronáque cum ſpectent animãtia cætera terram,os homini ſublime dedit cęlũque videre iuſſit,& erectos ad ſydera tollere vultus.Item omne datum optimum &c.

Omnis arbor bona, fructus bonos facit. Vide Sixtum Senen.Biblio.ſanct.lib.1.annota.40.

Quod Chriſtus intelligat per arborem bonam, bonam voluntatem,& per malam,deprauatã voluntatem:vide D.Aug.li.1.cõtra Iulia.ca.vlt.to.7.

Quod variæ ſint arborum ſpecies, aliæ optimum fructum producentes,aliæ peſſimum, nonnullæ etiam nullum, cum ſua accommodatione eleganti,habes apud D. Thom. in ſermon. de hac domi.prope finem to.16.

Arbor eſt homo,fructus eius ſunt opera: dum mala ſit arbor,bonos fructus producere non poteſt. Vtriuſque porro arboris & bonæ & malę fructus oſtendit Apoſto.ad Gal. 5. manifeſta ſunt opera carnis &c.vide D.Auguſ.lib.2.de ſermo.domini in monte to.4.

Arborem ex fructu cognoſcis vtrum ſit bona, non autem ſoles contueri perinde eius ramos, folia,aut radicem:ſic hominem non perinde declarant generis nobilitas,corporis ſpecies,& proceritas, atque opera ipſa. Vide D. Bernar.ad Thomam propoſitum epiſto.107.

Super illud, arbor bona bonos fructus facit, vide D.Lau.Iuſt.lib.de obedientia cap.17.vbi tractat quanta commoda & vtilitates ex recta voluntate procedant,& quanta incommoda ex deprauata voluntate.

Non poteſt arbor bona fructus malos facere,neque arbor mala, fructus bonos facere. Tamdiu ergo bona

arbor

arbor fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis ſtudio perſeuerat,& mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad pœnitentiam non conuertitur. Nemo enim permanẽs in eo quod fuit, incipit id eſſe quod necdum cæperit D.Hiero.lib.1.in Matth.cap.7.

Non poteſt arbor bona, fructus malos facere &c. Vide D.Thom.1.par.quæſt.49.art.1.& 1.2.quæſ.20. ar.2.& 2.ſen.diſt.40,& de poten.quæſt.3.art.6. & de malo quæſt.1.ar.3.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur,& in ignem mittetur: igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Ne enim certam illam & iam iámque complendam comminationem videretur inducere,ſed eam quæ conſilij vicem atque admonitionis impleret, hac eorum animos interminatione atque examinatione concuſſit.Quo quidem loco mihi etiã Iudæos videtur notare, huiuſmodi fructus ſæpe monſtrantes. Propterea etiam Ioannis verbis vti maluit,per eadem ſcilicet rerum vocabula illis ſupplicium comminando.Talia quippe etiam ille dicebat, cum inſtantem ſecurim & excidendam arborem, ignémque inextinguibilem nominaret.Et videtur quidem vna tantummodo eſſe pœna comburi; ſi vero aliquis diligenter expendat,duplex hoc inuenit eſſe ſupplicium. Qui enim in gehenna vritur,& cælorum regnũ prorſus amittit,quæ certe pœna maior eſt quam cruciatus ille flammarum.Noui autem quia plurimi pertimeſcant gehennam,ego tamen illius gloriæ amiſſionem multo amariꝰs quam ipſius gehẽnæ dico eſſe ſupplicĩ.Si vero id non poſſum ſermone mõſtrare,nihil eſt omnino mirandum. Neque enim nouimus illorum beatitudinem præmiorũ, vt infelicitatem quoq; de eorum amiſſione ſcire poſſimus.Cæterum Paulus qui iſta comparat,certiſſime nouit quoniam excidere à Dei gratia omnium ſit profecto miſerrimum. Nos autẽ hoc tũc abſque dubio diſcemus,cnm experimento cæperimusdoceri.Sed iſtud vt ne patiamur,faxis ô vnigenite fili Dei,neq; experiamur intolerabileiſtud horrendúmq; ſupplicium quam grande ſit. Nam quam malum illorum bonorũ portione priuari, aperte quidem exprimi non poteſt: tamen prout mihi poſſibile fuerit,conabor atque contendam per exempla vobis illud facere vel ex parte manifeſtum.Ponamus igitur adoleſcentem aliquẽ eſſe mirabilẽ,eundémq; & cunctis florere virtutibus, & totius tenere orbis imperium,tamq; in omnibus eſſe perfectum, vt vniuerſos erga ſe homines patrio ardere faciat affectu. Quid non ergo iſtius patrem pati exiſtimatis libẽti animo: ne talis filij priuetur alloquio?quod vero vel exiguũ, vel grãde malum nõ eſſe ſubiturum, modo vt illum etiã videat,atque illius præſentia perfruatur?Hoc igitur de futura quoque gloria cogitemus: neque enim ſic filius patri etiamſi virtutibus mille decoretur,deſiderabilis eſt atque mirabilis,vt cęleſtiũ fructus bonorum,ac reſolui & eſſe cum Chriſto. Intolerabilis quidem res eſt etiam gehenna, quis neſciat, & ſupplicium illud horribile? Tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt,quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli, exoſumque eſſe Chriſto,& audire ab illo nõ noui

Matt. 25. vos, atque argui quod eſurienti & ſitienti negauerimus cibum & potum. Eſt enim ſatius mille fulmina ſuſtinere, quam vultum illum manſuetudinis, pietatiſque plenum,nos tamen auerſantem videre,& illos totius tranquillitatis oculos, nequaquam nos aſpicere ſuſtinentes. D. Chryſoſtomus in Matth.homi.24.

Omnis arbor quæ non facit fructum &c. Chryſoſt. homi.24.in Matth.huius dicti occaſione de gehẽna differens,inquit carentiam diuinę viſionis maius eſſe ſupplicium, quam omnia gehennæ tormenta;exprimit autem hanc ſententiam his verbis.Noui quod plurimi pertimeſcant tantum gehennam,ego tamen illius glorię amiſſionẽ multo amarius,quã ipſius gehennæ dico eſſe ſupplicĩ. Et infra,intolerabilis quidem res eſt,& ſupplicĩ illud horribile: tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli. Et in priore ad Theodorum lapſum parænęſi:ſunt ait quidam abſurdi iudicij,ij dumtaxat amant effugiſſe gehennã:contra ego multo durius eſſe tormentum quoddam aſſero,quam gehenna eſt,hoc eſt non eſſe aſſecutum tantam gloriam,& illinc elapſum eſſe. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ,quanto neceſſe eſt caſum deplorare, quod de cælis excidimus,qui eſt nimirum cruciatus omnium duriſſimus.D.Bonauen. lib. Senten. 2.diſt.33.quæſ.3.& Richardus Mediauillanus diſtin.50.4.ſen.quæſt.vlti.obſeruarunt hanc ſententiam videri diuerſam abvniuerſali Theologorum definitione,qui ſtatuunt pœnam infantium ſola diuina viſione carẽtium, eſſe omnium pœnarum mitiſſimam,ſicut Aug.docuit ca.55.Enchiridij ad Lauren.D.Thom.in quæſt.diſpu. quæſ. de pœna peccati originalis a.1.atque iidem D.Bonauen.& Richar.aiunt Chryſoſtomi aſſertionem in adultis quidem eſſe veriſſimam,in infantibus vero nequaquam; diuerſitatiſq; huius cauſam eſſe, quod illi propriæ ſe voluntatis nequitia videant ab æterna felicitate expulſos.ij vero cognoſcant ſe non ſua, ſed primi parentis culpa cæleſti gloria carere.Six. Senen.Biblio.ſanct.lib.6.annota.41.vide eundem annota. 40.

Non omnis qui dicit mihi domine,domine, intrabit in regnum cælorum. Sed videtur hoc eſſe contrarium Apoſtolo dicenti, nemo poteſt dicere dominus Ieſus niſi in ſpiritu ſancto,ſed qui habet ſpiritum ſanctum intrat in regnum cælorum. Soluit Aug. quod dicere dicitur multipliciter, communiter, ſtricte,& proprie.Et ſtricte non eſt aliud niſi manifeſtare affectum & volũtatem, & ſic dicitur ab Apoſto. 1. Cor. 12. nemo poteſt dicere dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto &c. & hoc nihil aliud eſt quam credere dominum & obedire. Item cõmuniter,id eſt ore qualitercunque nuntiare. De quo habetur.Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Vel ſic, non omnis qui dicit mihi &c.ingeminat verbum hic, domine,domine:ad ſignificandũ quod duplex eſt confeſſio,ſcilicet vocis,& laudis,quarum neutra ſufficit.Ideo Eſa.29.populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Quis ergo intrabit?non qui dicit &c. ſed qui fecerit voluntatem &c.D.Thom.in Matth.7.

Sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Vide D. Thom. de malo quæſtio.9.articu.1.& 1.2.quæſtione 4. articu.7.& 3.par.quæſt.57.artic.4.

De epiſt.& Euan.duas habet concio.D. Anto. initio 1.par.Theolo.

Plures item habet D.Tho.prope finem to. 16.

DOMINICA OCTAVA poſt Pentecoſten.

DIXIT

DIXIT Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam erat diues qui habebat villicũ,& hic diffamatus eſt apud illũ, quaſi diſſipaſſet bona illius,Luc.16.Villicus dicitur villæ cuſtos, ſed nos etiã dicimur villici.1.Cor.4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores myſteriorũ Dei.Eſa.61.miniſtri Dei noſtri dicetur vobis.Roma.12. vnuſquiſque ſicut accepit gratiam illam in alterutrum adminiſtrantes.

Et hic diffamatus eſt apud illum. Ecce diffamatio, differt autem diffamatio ab infamia, quia diffamatio eſt bona fama vel mala, longe latéque diſperſa.Et notatur in hoc ſapientia huius patris familias, quia non cito credidit contra eum quem fidelem exiſtimauit,niſi prius lõge latéque à grauib⁹ perſonis fama diſpergeretur, ſicut dominus fecit de Sodomitis.Albert.Mag.ſuper Luc.16.

Qui habebat villicum. Diſpenſatores & villici ſunt homines bonorum quæ poſſident,& debẽt ea prudenter diſpenſare,ne aliter puniantur & caſtigentur.Pſalm.36.tota die miſeretur & commodat.Prouerbiorum 19.qui miſeretur pauperi, fœneratur Deo.Cæterum ſi diuitię quę iuſtis modis partæ ſunt,quando non bene diſpenſantur, peccatur à nobis:quid dicendum erit de illis quæ iniuſte partæ ſunt atque contractæ? Vide Theophylact. in Luc.

Qui habebat villicum. Ab hoc quidem labore pauperes homines liberentur, vt ſcilicet villicos non habeant ex quibus rationem exigere debeant,non longum aſſeclarum numerũ,non puerorum gregem,non exoleroꝝ agmen, non armentorum & pecorum multitudinem,non denique theſauros atque diuitias mundanas, de quibus ſoliciti eſſe debeant & anxij. Vide Simonem Caſſianum ſuper hunc locum.

Quaſi diſſipaſſet bona illius. Diſſipamus bona, cũ linguam conceſſam ad bene loquendum, ad Deum laudandum, in maledicendo, murmurando,blaſphemando,peierãdoque exercemus: cum memoriam ad recolenda beneficia diuina,& præclara quæque ac ſalutaria continẽda conceſſam, ad illicitas recordationes inhoneſtáſque conuertimus &c.Vnde hunc conceptum poteris tu ipſe hunc in modum fuſius amplificare.

Auarus homo dicit,diues ſum & nullius egeo: mea ſunt quæ habeo, quemadmodum rex Babyloniæ ait,nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in robore fortitudinis meę,& in gloria decoris mei? Chriſtus autem longe aliter loquitur: homo inquit quidam habebat villicum, quo docet nos bonorum quæ in hac vita accepimus à Deo,non dominos ſed diſpenſatores eſſe,ſi quidem Deus ſolus eorum dominus eſt.Meus inquit ipſe eſt orbis terræ,& plenitudo eius.De nobis autem dicit Paulus, quid habes homo quod nõ acceꝑiſti?Si vero acceꝑiſti,quid gloriaris quaſi non acceꝑeris?Sunt diuites huius mũdi quaſi nouæ nuptæ pauperes,quæ ad diem nuptialẽ ſi non habent veſtem,omnem commodatam accipiunt à vicinis ſuis,ab alia pallam,ab alia endromidem, ab alia mitram petentes,verum die nuptiali trãſacto,vnaquaque vicina quod commodauit repetente,ipſæ nudatæ & ſpoliatæ omnibus ornamẽtis manent:omnes diuites huius mundi oeconomi Dei ſunt, qui quam plurima à Deo accipiunt beneficia,vt ea inter pauperes & egentes diuidãt. In hoc ergo ſeculo tanquam in die nuptiali illis vtuntur,at vero cum ad mortem iudiciúmq; extremum peruenerint, tunc omnibus bonis ſpoliabuntur,& cogentur rationem reddere, quemadmodum hic villicus à domino ſuo coactus eſt. Sed nunc iam multi ſunt ſicut Satanas, qui in deſerto Chriſto dicebat, quod omnia mundi bona ſua erant: ſic enim multi mentientes ſicut pater ſuus diabolus;putant ſua eſſe hæc terrena,& non eſſe ſe diſpenſatores, ideóque ad libitum ea prodigunt cum ſcortis,ſcurris,& ſimilibus.

Quaſi diſſipaſſet. Expende quod dicit quaſi diſſipaſſet bona ipſius,nõ autem abſolute quod diſſipaſſet;quia quantumlibet impij male donis cõceſſis vtantur,& ea diſſipent,nihilominus tamen ad aliquem bonitatis ordinem dilapidationem iſtam reducit Deus:nunquam enim ſic deſtruitur humana natura in hac vita,quin per Dei clementiam reparari poſſit,quod angelis peccantibus & bona ſua dilapidantibus non contigit. Quantũcunque enim malus ſis, ſaluari potes, & hoc eſt quaſi diſſipare: & quamuis non ſis omnino perditus,ſicut dæmon qui remedium non habet, & ſic diſſipauit ſubſtantiam,homo autem quaſi diſſipauit,quia licet ſit omni flagitio repletus,poterit dum viuit ſaluari.

Et vocauit illum,& ait illi:quid hoc audio de te?redde rationem villicationis tuæ:iam enim non poteris villicare. Hic commendatur pater familias de iuſtitia, quia licet fama laboraret contra eum,tamen noluit eum condemnare, niſi prius vocatum audiret,& hoc eſt quod vocauit eum. Ioann. 7. nunquid lex noſtra aliquem condemnat, niſi prius audiat eum?

Iam non poteris villicare. Depoſitionem confirmauit,ne iterum populum torqueret.Prouerbiorum 6.zelus & furor viri non parcet,nec acquieſcet cuiuſquam precibus,nec recipiet pro redemptione dona plurima.Iob 41.nõ parcet enim verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. Potentia ad impetrãdum verba ſunt,quæ ſic ſunt compoſita, quod poſſunt & valent inducere ad impetrandum. Iſte ergo conſtans eſt, & malum deponit miniſtrum.Eſa.22.expellam te de ſtatione tua,& de miniſterio tuo deponam te. Albert. Mag. ſuper Luc.

Et vocauit illum. Variis modis te vocat Deus,vel per internam inſpirationem,vel per externã prædicationem,& exhortationem, vel per beneficia, aut etiam per flagella,vt diligenter cogites quomodo ſuo tempore rationem reddere poſſis villicationis tuæ.Tu autem tanquam aſpis obturans aures tuas ſurdus es,ne audias vocem incantãtis ſapienter:quapropter theſaurizas tibi iram in die iræ,& quia hic miſericordiam vocantem non audis,audies poſtea iudicem dicentem. Ite maledicti in ignem æternum.

Et vocauit illum. Male fecit Aſſuerus cum damnauit populũ Dei Eſther 3.ductus malo conſilio, ſine audientia partium.Itaque iſte quamuis infamatus eſſet,& ſciret illum dignũ pœna,nihilominus tamen antequam remoueretur ab officio,vocatur,vt reſpondeat pro ſe,& reddat rationem.

Redde rationem villicationis tuæ. Sic loquitur ad vnumquemq; noſtrum: homo cogita quis ſtatus tuus ſit.Chriſtianum te vocas,ſed vita tua nõ reſpondet vocationi tuæ:Deum cõfiteris ore,ſed operibus negas:dominum tuũ me vocas,nec tamẽ voluntatem meam facis.Non dominũ,ſed diſpenſatorem domus meæ te conſtitui. Quare ergo nõ dediſti meam pecuniam ad vſuram? abſcondiſti talentum tibi creditum? Quare non pauperibus fœneraſti,& dediſti bona quæ mea ſunt indigentibus?conſtitui enim te vt aleres pauperculos ſer-

nos

uos meos. Quid hoc audio de te? vtinam hæc vox & quærimonia in auribus tuis ſemper perſonet, & conſtituas tibi ante oculos diem & horã mortis, quo vbi peruenieris, Deum dicentem audies, redde rationem villicationis tuę. Felix quidẽ dies vitæ hominis, in quo villicare & mereri licet vitã ęternam; infelix etiam tempus poſt mortem peccatoris, in quo nihil villicare aut mereri poterit.

Redde rationem villicationis tuæ. Iſtud verbum dicetur cuilibet in morte ſiue in iudicio, & ideo debet quilibet cogitare quomodo tunc ſciat reddere rationem: debemus autem præter cætera cogitare circa rationem illam, teſtium qui accuſabũt malam rationem reddẽtes, veritatem. Tres enim reſtes veraciſſimi accuſabunt impios in iudicio. Primus teſtis erit Deus Malach. 3. Accedã ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniãtur mercedẽ mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit dominus exercituum. Ego enim dominus & nõ mutor &c. Secundus erit cõſcientia Roma. 2. teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiã defendentibus in die cum iudicabit dominus occulta hominum ſecundum euangelium meum per Ieſum Chriſtum. Tertius erit omnis creatura. Iob 20. reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra aduerſus eum cõſurget. Vnde quidam ſanctus pater dixit, reddituri ſumus rationẽ corã cælo & terra, & tu rides? D. Tho. in quodã ſermo. de hac domi.

Redde rationem villicationis tuæ. Finale iudicium erit horribile. Prouer. 6. D. furor viri non parcet in die.

Extremum iudicium horrendum Prou. 11. A. non proderunt diuitiæ in die vltionis.

Iudicium extremum erit abſque appellatione Sap. 12. B. quis enim dicet tibi quid feciſti?

Iudicium extremum rectum erit Apocal. 2. F. dabo vnicuique.

Extremum iudicium terribile Apoc. 18. F. hoc impetu mittetur Babylon.

Iudicium extremum Eccleſiaſtes 12. D. cuncta quæ fiunt.

Iudicium vniuerſale Eccleſiaſtici 16. B. miſericordia & ira eſt cum illo.

Ait autem villicus intra ſe, quid faciam quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco. Vide quos tandem labores tã ingentes fuerit meditatus: ſolẽt enim pleriq; aliena bona ſibi vſurpantes, venire in recordationẽ ingentium & extremorum laborum, quos dum fugere conãtur, in latrocinio verſantur & iniuſta bonorũ acquiſitione: quaſi vero non poſſent alia inuenire remedia tolerabiliora & minoris laboris. Vnde iſte dicebat: fodere nõ valeo, mẽdicare erubeſco, quaſi vero nõ potuiſſet inuenire alia remedia minus laborioſa, præter mendicitatẽ, & foſſionẽ.

Quid faciã? Multi ſunt qui non antea cogitant de ratione ineunda, quam afflictio & tribulatio eos inuaſerit: antea debacchantur, voluptatibus indulgẽt, vitia ſectantur, cum autem mala ſuperuenerint & calamitates, tunc demum dicere incipiunt, quid faciam?

Quid faciam? Ineunda nobis diligenter ratio eſt quam reddere debemus de impenſa noſtri tẽporis, quod pretioſiſſimus quidam eſt theſaurus, quodq́ue plerique ita male collocant, vt nihil infructuoſius conſumpſerint, cum tamen turpiſſima ſit eius iactura quæ per negligentiam contracta eſt: quam paucos dabis qui pretium temporis ponant, qui etiam diem æſtiment! Vide Senecam lib. 1. epiſt. epiſt. 1.

Dedit tibi Deus vitam, vt eam impendas in diuinis mandatis atque præceptis exequendis & obeundis, tu vero eandem in vitiis traducis atque flagitiis: & cum id feceris, percontaris quid amiſeris? quaſi vero parum amiſeris, Dei amicitiam amittendo? Vide D. Chryſo. in Io. homi, 57.

Sic curro inquit Pau. 1. Cor. 9. non quaſi in incertum: ſic pugno non quaſi aerem verberãs, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutẽ redigo. Non ambulat ſolum ſed currit: non otiatur, ſed negotiatur, & pugnat. Vnde effectum eſt vt cum finis ſuæ villicationis aduenit, diceret: bonum certamen certaui, curſum conſummaui, &c. 2. Timo. 4. oſtendens vitam in certamine nobis eſſe agendã, ſi cupimus æterna requie boniſque ſempiternis perfrui. Vide D. Chryſo. lib. 2. de prouiden. circa initium to. 5.

Pretioſiſſimus quidem theſaurus eſt tempus ipſum, & plurimi à nobis æſtimãdum: quod quidem perfacile ex eo intelligitur, quod ſcilicet qui in extremis ſunt ſuppliciis ampliſſima darent regna, ſi modo poſſent vel minimum impetrare pænitendi tempus, ſeque ad meliorem frugem conuertendi: merito enim eis nullus locus veniæ datur, quippe qui oblatum dum adhuc viuerẽt percipere noluerunt. Idcirco nos diligenter meditemur qua ratione tempus dum hic viuimus traducamus, vt eo fructuoſe & cum vtilitate vtamur, non ſicut impij, de quibus dicitur Iob 21. tenent tympanum & cytharam, & gaudent à ſonitu organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, &c. Vide Lauren. Iuſti. in lib. de vita ſolita. cap. 10.

Ideo plerique non inueniunt dominum, quia non quærunt eum quo tempore oportet Iſa. 55. quærite dominum dum inueniri poteſt. Diues ille clamabat Luc. 16. ſed non quo tempore oportebat. Item virgines Matt. 25. ſed non inuenerunt dominum. Vnde nos monet Apoſt. vt eum quæramus opportuno tempore. 2. Cor. 6. ecce nunc tempus acceptabile, &c.

Ait villicus intra ſe. Relinque negotia huius mũdi, relinque externa, ſcrutare conſcientiam tuam intra te. Ab ea enim ſumma tui ipſius accuſatrice, ſi obtemperare volueris, audies quid tibi faciendum ſit. *Quid faciam?* nõ dixit quid dicam, ſed quid faciam: apud Deum enim plus valent opera virtutis, quam verba facunda, iuxta illud Apoſt. non in ſermone eſt regnum Dei 1. Cor. 4. quaſi diceret, regnum cælorum non verbis, ſed operibus emitur. Quemadmodum enim ille qui in fluuium cadit, niſi manus pedéſque moueat, mergitur, nec ſupereminere poteſt; ſi tamen natet, ad terrámq; peruenire conetur, omni periculo liber & incolumis euadet: eodem modo ille qui nullam operam nauat ad ſalutem conſequendã, & vt ad gloriam cæleſtem ab hoc mundo quaſi à quodam naufragio enatare poſſit, ſed bonis operibus omiſſis ſoli fidei confidit, proculdubio in profundum inferni pelagus demergetur.

Dominus meus aufert à me villicationem. Non dixit dominus auferet villicationem, loquens de futuro, ſed de præſenti loquitur, dicens: dominus aufert villicationem. Quod enim proxime ſequitur certúmque eſt, tanquã ſi eſſet præſens reputatur. Cum igitur mors quæ nobis omnem facultatem merendi & negotiandi ereptura eſt, adeo propinqua ſit vt neſciamus an hotam vnam ſimus victuri, ſtatuamus nobis iam eſſe præſentẽ. Sic Paulus Philippenſes vocat mortuos Philip. 3. & nos mortui ſumus, quia morti appropinquamus. *Fodere non valeo.* Hoc eſt dura pœnitentiæ opera exercere nequeo: abſtinendo, flendo, ieiunando, & alia huiuſmodi operando. Quamuis enim hæc opera ſint viris perfectis dulcia atque facilia, qui cõſuetudine exercitatos ſenſus habẽt, & omni virtutum actione ſpiritualiter delectantur, mihi tamen qui educatus ſum in deliciis & libertate, durum & rigidũ videtur virtuti operam nauare. *Mendicare erubeſco.* Id eſt Deum orare, ſeu alios vt pro me intercedant pudet: quia perſeuerare in oratione non poſſum, coram autem Deo qui peccata mea cognoſcit, apparere non audeo præ confuſione & verecundia delictorum meorum.

Quid faciam? Deum timeamus, Iſa. 8. C. Dominum exercituum.

Immenſum & omnipotẽtem Deum timeamus Iſa. 48. B. manus quoque mea fundauit.

Dominum reuereamur, Iſa. 51. D. ego, ego ipſe conſolabor vos.

Deum timeamus, Iſa. 57. C. & mei non es recordata.

Comminationes Dei formidemus, Iere. 5. C. non eſt ipſe neque veniet.

Timor Dei ſit in nobis, Iob 31. ſemper enim quaſi tumentes.

Timorem inutilem diuinus expellit timor, 3. Reg. 18. C. tu & domus patris tui.

Ait villicus intra ſe. Cœpit apud ſe hic villicus deliberare & decernere quid tandem ſibi agendũ foret: quo loco ſi paulò fuſius diſſerere voles quales eſſe debeant conſiderationes noſtræ, vt vitam emendare tandem poſſimus, moreſque componere, conſules Vincen. Bellua. Spec. Do. lib. 5. c. 36.

Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Debemus nos diligenter inire rationẽ, quam reddituri ſumus ante Dominum, ne nos forte imparatos offendat & inueniat. Supplicia ipſa reformidare debemus, metuere flagella, & pœnam illam ſempiternam. Vide Galfridum ſuper hunc locum.

Non equidem per riſum & iocum ineunda nobis & reddenda ratio eſt, ſicut olim Lentulo accidit: qui cum bona Reipub. diſſipaſſet, & Sylla ab eo rationem exigeret, dixiſſe fertur, ratio à me reddenda non eſt ſed tantum prębenda ſura: hoc eſt more puerorum leuiuſculo iſto labore me eximã, quod faciunt pueri qui in ludo ſpheræ pęccauerunt. Non inquam ita veluti per iocum reddere rationem debemus, ſed ſerio atque diſtricte. Vide Treium ſuper hunc locum.

Scio quid faciam. Cum hic citra vllam conſultationem ſeſe illico in factum ipſum inconſiderate præcipitauerit, propterea miſere lapſus fuit, de alieno ſeſe liberalem oſtentando. Tales ſunt multi, qui propterea ſeſe miſere perdunt, quod ſibi ipſis nimium confidentes, cæterorum conſilia & hortatus negligunt atque contemnunt. Vt enim qui altiſſimas aliquas ſcalas conſcendere parant, ſi ex primo ſtatim gradu vltimum pertingere nituntur ruinæ ſibi potius periculum ſtruunt, quam aſcenſum parent: ita profecto qui aliorum ſalutaria cõſilia ſpernentes, præcipitãter & inconſiderate ſuas exercent actiones, labi in multa pericula ſolent atque incommoda.

Conuocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo: quantum debes Domino meo? at ille ait, centum cados ole. Dixit illi, accipe cautionem tuam, & ſede cito, & ſcribe quinquaginta. Deinde alio dixit: tu vero quantum debes? qui ait: centum coros tritici, ait illi, accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Sumus quidem nos debitores Deo, cui cum digne ſatisfacere nequeamus, at certè humiliter fateamur nos debitores eſſe, & gratias eidem agamus: cum propheta concinentes, quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi! Vide D. Anſel. in ſuis enarratio, Euang. fol. 281.

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet, quia filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. D. Tho. 2. 2. q. 47. art. 13. inquit hoc verbum Domini intelligendum eſſe de prima prudentia, vnde non dicitur ſimpliciter q̃ ſint prudentes, ſed in generatione ſua.

Non enim abſolute prudentiores, ſed ſecũdum conuerſationem & conſuetudinẽ vitæ huius quã in carne agitur. Vide D. Baſil. in Pſal. 48.

Filij huius ſeculi. Dolos multos atq; fraudes norunt impij, vt poſſint bonos decipere. Vide enim quomodo ſe gefferit Laban cum Iacob tum in defraudatione pretij, tum in ſuppoſitione Liæ. fratres ipſius Ioſeph vt poſſent velare impietatẽ ſuã & iniquitatem erga fratrem commiſſam, tunicam tinxerunt ſanguine hædi, dicentes: fera peſſima deuorauit filium tuum, Gen. 37. vide quot machinatus fuerit fraudes Saul vt perderet Dauidem ipſum, 1. Reg. 18. præterea Herodes ille dixit fraudulenter: renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum, Matt. 2. vide etiam qualem aſtutiam haberẽt Philiſthæi, ne ſcilicet faber aliquis reperiretur qui gladium fabricaret vt conſtat, 1. Reg. 13. dolum etiam conſidera illius Amnon, cum ſororem intromitti voluit, 2. Reg. 13. Tum etiam illius Abſalon quando patris regnũ ambiebat, excipiebatq; blãdis verbis accedentes ad patrem, 2. Reg. 15.

Filij huius ſeculi, &c. Sic Iethro conſilium dabat Moyſi, Exo. 18. vt illa quæ fuerant ſibi commiſſa adminiſtrare deberet. 1. Cor. 6. ſecularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſia illos conſtituite ad iudicandum: & 2. Tim. 2. nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vide D. Greg. 2. par. paſto. cap. 7.

Quia prudẽter feciſſet. Si prudẽs eſt animus tuus tribus temporibus diſpenſetur, præſentia ordina, futura præuide, præterita recordare. Item melius eſt ante tempus occurrere, quam poſt vulnus datũ remediũ quærere. Tum ruina præcedẽtium docet poſteros. Vide Senec. de 4. virtutibus.

Duorum temporum dicebat Pythagoras eſt tibi habenda ratio; mane, & veſpere, in altero gerenda proſpice, in altero reſpice quæ geſſiſti.

Vti quidem debes prudenter diuitiis in hac vita, ne illud tandem dicas, Sap. 5. quid nobis profuit ſuperbià, & iactantia diuitiarum? 1. Cor. 7. qui emunt tãquam nõ poſſidentes, Pſal. 61. diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Athenięſes quidem largi erant de pecunia ſua erga egenos. D. Petrus Act. 3. dicebat, argentum & aurum nõ eſt mihi, &c Vide D. Cypria. de habitu virginum.

Perdix vt aiunt pleriq; naturales philoſophi, ſolet aliena ova furto ſublata ſibi vſurpare, & tandem eadem relinquere, indeq́; auolare: ita pleriq; diuites aliena bona & diuitias ſibi vſurpant, eiſdemq́; præpoſtere & inique vtuntur, tandem vero maximo cum dolore & ſenſu de vita decedẽtes coguntur eadem relinquere. Luc. 12. ſtulte hac nocte, &c. Vide D. Hiero. lib. 3. in Hiere. 17.

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis. Perinde ac ſi concionator auditores ſuos vt prouocet ad orationem & bona opera, hortetur dicens: Ecce fures & latrones vigilant tota nocte, vt furentur & prædentur, cum periculo vitæ ſuæ, cur ergo tu

non vigilabis ad orationem & bona opera spe æternæ mercedis? Talis laudat fures & latrones nõ ob furtum & latrocinium, sed ob solertiam, quod etiam opera sua mala ita prouide instituunt, vt tã impigri ad ea sint.

Et laudauit Dominus villicum. Sicut enim qui homicidium aliquod aut simile aliquod flagitium eleganter depictum videt, laudat quidem artificiũ ipsum, non autem factum: ita hic non laudatur factum iniquum ipsius villici, sed potius nobis suadetur quod si iste in eiusce modi re tali solertia segessit, multo magis quisque de licitis debeat sibi amicos pauperes conciliare.

Quia prudenter fecisset. De prudentia, vide Lauren. Iustin. in lib. de ligno vitæ vbi agit de virtute prudentiæ. & lib. de disci. & perfect. monas. conuersa. cap. 10.

Vide præterea D. Ambro. lib. 2. offi. cap. 14. & D. Aug. ad fratres in eremo sermo. 4. to. 10. & Basi. lib. cõs. monast, cap. 14. & Vincen. Bellua. specul. mora. lib. 1. p. 3. D. 35.

Pythagoras dicebat, assuesce vt omnes tuas rationes cum prudentia ineas atque subducas. Phocylides, assuefac teipsum vt nusquam sis imprudens.

Et laudauit Dominus villicum. Industria est quæ commendatur, factum enim ipsum est indignum laude, atque propterea reprehensione non careret qui illud approbaret. Vt enim reprehẽsionem incurrit, qui indecẽtem vestem siue amplam nimis breuissimo corpori aptat, & grandẽ calceum exiguo pedi: ita ille reprehendendus est, qui illud laudat quod laude indignum est.

Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Acsi manifestius dicat, vę vobis diuites qui habetis consolationem vestram: tamen vnum iam superesse videtur, communicare eam pauperibus quorum est regnum Dei, vt cum venerit hora eorum reminiscantur, & deficientes vos recipiant in tabernacula sua, & consolationem suam, quã modo prudenter expectant, dum vestram ipsi præripitis, misericorditer communicent desolatis. D. Bernard. in declama. super euang. dixit Simon Petrus ad Iesum.

Non omnia quæ commemorantur de hoc villico imitanda à nobis sunt, non enim debemus aliena surripere ad eleemosynam largiendam. Sed discamus quod si laudari potuit ille à Domino qui fraudem faciebat, quãto amplius placent Domino Deo qui secũdum eius præceptum illa opera faciunt? Vide D. Augustl. lib. 2. quæst. euange. q. 34. tom. 4.

Mammona vero iniquitatis ideò à Domino appellata est ista pecunia quam possidemus ad tẽpus, quia mammona diuitiæ interpretantur, & sunt istæ diuitiæ multis iniquis qui in eis constituunt spem atq; copiam beatitudinis suæ. D. Augustl. vbi supra.

Iniquum mammona dixit, quia auarus diuitiarum illecebris nostros tentat affectus, quia in pluribus prædecessoribus quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur qui iniuste vsurpauit aliena, quamuis tu nescias, vt Basil. dicit in ser. de diuite fertilis agri. Vel omnes diuitiæ dicuntur iniquitatis, quia non æqualiter sunt omnibus distributæ, vno egẽte & alio superabũdãte. D. Th. 22. q. 32. a. 7

Facite vobis amicos. Si vtilissimum est nobis conciliare pauperes in amicos, vt cum defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula: quanto vtilior nobis erit beneuolentia & amicitia virginis matris, vt cum defecerit virtus nostra nõ derelinquat nos: tum etiam vt nobis gratiã impetret à filio ad concionem hanc cũ vtilitate & fructu pronuntiandam & audiendam? Hinc poteris si voles commode salutationem ipsam texere.

Neque enim quia Dominus ait, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ideo adhuc addere iniquitatem debemus, vt furta rapinasque committere, vt plures pauperes sanctos misericordia largiore, pascamus. Aliud quippe est malo bene vti quod iam inerat, & aliud est malum perpetrare quod non erat. Vide D. Aug. contra Iulia. lib. 4. cap. 7. to. 7.

Sed dices, quomodo potero ego amicos eiusce modi pauperes mihi conciliare, qui paupertimus etiam sum? Non eris quidem vsque adeò pauper, quin vel exiguum numulum, vel panis bucceam, vel potum aquæ dare possis: vidua quidem illa Marci. 12. paucula obtulit, & maxime à Christo commendata fuit. Vide D. Chrysosto. in epist ad Hebr. 1. hom. 1. to. 4.

Vis quodammodo describam tibi inquit idem Chrysost. in eadem epist. 4. homil. 6. æterna illa tabernacula? Ibi quidem societatem inuenies angelorum, cœtum sanctorum atque sanctarum, omnia tranquilla atque pacifica, nullus ibi strepitus, nullus tumultus. Vide quãtum sit illius gaudium qui post seruitutem durissimam & diuturnam euocatur ad regnum, amplissimum atque permagnum: quanta item illius lætitia sit, qui post diuturnum & obscurissimum carcerem, post paupertatẽ maximam, summam tandem libertatem gaudiumq; consequatur. Maior multo est lætitia, maiusque gaudium, quod habebunt qui ex huius mũdi miseria in æterna tabernacula recipientur.

Facite vobis amicos. Qui auertit aurem suam ne audiat pauperẽ, oratio eius erit execrabilis. Hinc Ioannes turbis quærentibus quid facerent, respõdit: qui duas habet tunicas, det non habenti. Vide Bedam super hunc locum.

Diuitiæ vocantur iniquæ, quia plerunq; causa sunt iniquitatis: hunc in modum Paulus diem & tempus malum vocat, Ephe. 5. redimentes inquit tempus, quoniam dies mali sunt: nõ quod dies sit malus & tempus, sed quia homines mali tempore abutantur ad malum, sic propter diuitias sæpè oriuntur iurgia, bella, furta, homicidia: quapropter Paulus auaritiã & cupiditatem temporalium nominat radicem totius mali, 1. Timo. 6.

Facite vobis amicos. Ad hoc tendit parabola præcipuè, vt sicut dispensator ille cum intelligeret se sua priuandum dispensatione, solicitus fuit vt futuræ vitæ prospiceret, nec aliud præsentius reperit quam vt bonis Domini sui in suum cõmodum vtens quamdiu posset, pararet sibi amicos ex bonis Domini sui, qui ipsum suo munere destitutum alerent: ita & nos cogitemus aliquando nos à temporalium horum bonorum dispensatione amouendos, ac ob id soliciti simus qua ratione nobis in æterna vita, vbi non erit horum in manu nostra dispensatio, prospiciamus. Sciamusq; illam demum prospiciendi nobis rationem esse cõmodissimam, si ex acceptis diuinitus facultatibus bene faciamus liberaliter pauperibus, per quos in æterna simus recipiendi tabernacula, cum defuncti fuerimus dispensationis nostrę officio. *De mammona iniquitatis.* Diuitias iniquas vnde nos vult parare amicos, non intellexit quas ab aliis per nefas accipiamus, sed quascunque etiam iusto titulo possidemus, & quæ vel nostra industria, vel ex hæreditate nobis obuenerunt. Cornẽ. Ianse. in sermo. de hac domi.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Non seruãt hoc consilium auari diuites, sed potius tametsi videant pauperes fame confici, eos perire sinunt, quam vel nummulũ vnũ porrigant; quin & cõtra seipsos crudeles sunt atque immites. Vnde philosophus quidam olim cũ vidisset vt ait Maxi. in suis sermo. seruorum gregem prætereuntem, an cillarum numerum, vasa etiam pretiosa, cælata auro ac distincta ebore, transportari, percontatus est cuiusnam essent tam multa illa; cumq; resciuisset esse auari cuiuspiam diuitis: ecquid ait, non pudet ipsum tam multa possidere, qui seipsum non possidet, sed in se crudelis est? Cæterum quemadmodum vtilior multo est vel candela vna lucens, præcedens tamen, quam splendida fax quæ longissime post tergum consequatur: ita vtilissimum est diuiti vt ante obitum suum præcedere eleemosynas faciat, quæ ipsum veluti manu prehẽsum ad æterna tabernacula introducant. Et sicut paxilli illi qui ad vites sustentandas apponuntur, si non eas probe fulciant, repelluntur & in ignem mittuntur: ita auari diuites qui esurientem pauperem non pascunt, & sitienti potum non præbent, mittentur in tenebras exteriores, & in ignem sempiternum coniicientur.

Diuitiis suis atq; opibus debet diues homo sibi amicos facere, quibus recipiatur in cælestia tabernacula atque regna, non autem eas otiosas in arca asseruare, pereuntibus fame pauperibus; & ita etiam in cæteris sibi commissis talentis vnusquisque se gerere debet, vt illis scilicet vtatur cum fructu atque laude. Si quidem sicut in humo inculta atque neglecta produci solent spinæ variæ, & noxiæ herbæ: ita in anima & eius talẽtis minus excultis, & vsu ipso exercitatis præclarè & laudabiliter, produci solent noxiæ cogitationes, variaque vitiorum genera.

De epist. & euang. duas habet concio. D. Antoinitio 1. par. Theolog.

Vide eundem 1. par. hist. tit. 5. cap. 2. §. 17.

Duas item habet concio. D. Tho. prope finem tom. 16.

Vide Petrum Chrysol. serm. 125. & 126.

Quandam item habet concio. Innocen. 3. circa initium suorum operum.

Facite vobis amicos de iniquo mammona. Vt largiendo pauperibus, angelorum nobis cæterorumque sanctorum gratiam comparemus. Vide D. Ambr. lib. 7. in Luc. 16.

Quemadmodũm arbores infrugiferæ quamuis virides sint seu oculis gratæ, nihilominus tamen propterea quod nullum edunt fructum, facile statim conuelli solent, & in ignem coniici: sic profecto auari & vitiosi homines quamuis diuites sint & in rerum abundantia viuant, qui tamen ad frugem meliorem se nunquam recipiunt, neq; etiam pauperibus benigne faciunt, tandem breui in interitum abibunt sempiternum: viuunt siquidem in otio, non in negotio atque opera. Cæterũm per otiũ hoc loco nõ intelligimus quod sint in quiete quadam & cessatione rerum exteriorum: etenim cum tali cessatione potest nihilominus homo fructuose ac laudabiliter occupari in contemplatione & meditatione rerum sublimium ac salutariũ. Vnde Bernar. super Cant. inquit quod sæpè in seruis Dei quod primo intuitu videtur maximum otium & cessatio, est maxima potius quædam occupatio. Hinc & Publius Scipio dicebat, se nunquã minus esse otiosum, quam cum esset in otio, vt scribit Cicero. 3. offic. Plutar. in Apophteg. & Brusoni. lib. 4.

Facite vobis amicos de mammonia iniquitatis. Non equidem plerique auari diuites negotiationi incumbunt, cum præsertim bonis proximorũ suorum non contenti, etiam templa ipsa diripere conentur. Brennus quidam, vt refert Iustinus lib. 24. postquam de Lacedæmoniis triumphum & spolia reportasset, non his tantum cõtentus fuit, sed templa etiam deprædatus est atque diripuit.

Dominica nona post Pentecosten.

VM appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam, dicẽs, quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Luc. 19. Quod à flente Domino illa Hierosolymorum subuersio describitur, quæ à Vespasiano & Tito Romanis principibus facta est, nullus qui historiam euersionis eiusdẽ legit, ignorat. Romani enim principes denuntiantur, cũ dicitur. Quia venient dies in te, & circumdabunt te, &c. D. Greg. in Euang. hom. 39.

Videns ciuitatem fleuit super illam. Hoc semel egit cum perituram ciuitatem esse nuntiauit, hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere nul latenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos peruenisse considerat. Plangit enim eos qui nesciunt cur plangantur, qui iuxta Salomonis verba, lætantur cũ male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Prou. 2. qui si damnationẽ suam quæ eis imminet, agnouissent, semetipsos cũ lachrymis electorum plãgerent. Bene autem perituræ animæ sententia quæ subditur, conuenit. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem absc̃dita sunt ab oculis tuis. Suam hic diẽ habet anima peruersa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt: quia dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resoluitur, dũ nulla venturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ graue damnationis æternæ scandalũ in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est, vbi iusti lætabuntur, & cuncta quæ modo ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem rixæ vertentur, quia rixari secum incipiet, cur dãnationem quam patitur, non expauit, cur à prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clausit. Vnde ei dicitur, nũc autem absconditа sunt ab oculis tuis. Peruersa quippe anima rebus præsentibus resoluta, absc̃dit sibi mala sequentia, quia præuidere futura refugit, quæ præsentẽ lætitiã perturbãt, dumque in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignẽ vadit? Vnde bene scriptum est Ecclesiastici 11. in die bona rum ne immemor sis malorũ. Et inde per Paulum dicitur 1. Co. 7. Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint, quia etsi qua est præsentis temporis, ita agenda lætitia est, vt nunquam amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria, quatenus dum mens pauida extrema vltionis timore transfigitur, quantum nunc præsens lætitia, tãtum post ira subsequens temperetur. Hinc namq; scriptum est, beatus homo qui semper est pauidus Prouer. 28. qui vero mentis est duræ, corruet in malum. Sequentis enim ira iudicij, tanto tunc districtior portabitur, quanto nunc & inter culpas minime timetur, D. Greg. in euang. ho. 39.

Fleuit super illam. Deflet Dominus cæcitatẽ ciuium Hierusalẽ, & animorum interitũ & iacturã:

docetque lachrymis esse eluenda peccata, quippe quæ scelerum vulneribus aptissima sint medicamenta. Si approbatissimus nobis esset liquor ad lippitudinem & omnem oculorum morbum sanandum, nónne eo iure optimo vtereris? ita lachrymæ tales sunt quæ medeātur nobis. Plorat Christus hominum vesaniam, quippe qui periculosissimè ægrotātes, nolunt curari: nil porro tam multis lachrymis dignum est, quā videre miseros homines mortis & fortunæ telis obnoxios, ita viuere, quasi nunquam quidquam horum sint degustaturi. Hanc in curiā appositissimo exemplo declarandam arbitror: æstiuo tempore solēt defatigati viatores ad vmbram arboris alicuius sese recipere ac tandem somno corripi; cæterum cum à somno excitātur, se ad solis radios expositos vident, opprimente caput dolore, febre plerunq; corpus vexante, sudore vndecunque manante, atque ita qui ad vmbram illam fugacem releuandi sui causa aufugerant, delusi grauius vexantur. Eodem modo qui fidunt secundis rebus, voluptatibus se dedūt, genio indulgent, seque in his omnibus, quæ fugacissimæ vmbræ instar sunt, recreandos arbitrantur, cum tandem aliquando expergefiunt in morte, illorum fallaciam & inconstantiam experiuntur. Peccatores inquit Iob 40. sub vmbra requiescunt.

Fleuit super illam. Discamus nos ex hoc Christi facto, quantum propria scelera plorare debeamus cum ille ita deploret aliena. Flet Christus nostra peccata flet hominum stoliditatem & risum. Nam conspiciebat Hierosolymitanos ridētes, & tripudio in rebus pessimis vt dicitur Prouer. 2. exultantes. Laudatur enim peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur Psal. 9. flebat eorū fletum è vestigio subsecuturum. & ideò dicebat illis, Luc. 6. væ vobis qui ridetis, quia flebitis. Discamus etiam nos lachrymas Christi magnificare, & cum illo nunc flere, vt cū illo rideamus. Discamus flere mala & damna proximorum nostrorum, & de ipsorum miseriis condolere, flenda enim sunt aliorum peccata, vt Christus exemplo docet, non ridenda. Vnde Num. 25. dicitur quod Moses & filij Israel flebant peccata sociorum, & fratrum filiorum suorum, ante fores tabernaculi. Sic flebat Paulus super quosdam qui peccauerāt, & nullam agebant pœnitentiam 2. Co. 12. Et Philip. 3. flebat super eos qui ex fidelibus facti erant infideles & crucis Christi hostes teterrimi, ventrem suum pro Deo habentes. Item 2. Cor. 11. ait, quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego nō vror? Et Iob. 30. flebam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

Et quidem in hac die tua. Suam hic habent diem vitiosi homines, deditiq; deliciis ac voluptatibus mundanis, ac propterea non fruētur in alia die siue in alio seculo gaudiis illis sempiternis si ita pergant: desistant ergo potius ab huiusmodi, & labores amplectantur, vt possint cælestium donorum fieri participes. Dic enim quæso, si potentissimus aliquis rex in magnifica & elegāti domo haberet amplissimum quendā thesaurum asseruatū, diceretq; se illum perliberaliter largiturum esse ei, qui nocet clausam illam & obseratam domum reserare: atque eam ob causam duas traderet claues, alteram quidem auream, quæ tamen fores nō posset reserare, alteram vero ferream, quæ fores aperiret: vtrā tandem quæso te ex his eligeres? nónne ferream, potius quam auream? ad eūdem modum vt cælestibus illis ac sempiternis gaudiis potiaris, eligere potius debes labores veluti clauem ferreā, quam delicias, voluptates, & gaudia mundana.

Quia si cognouisses & tu. Si consideraremus ac contemplaremur vitæ nostræ extremam horam, multum sane proficeremus. Ecclesiastici 7. memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vnde si huiusmodi assiduā habueris curam, præclarè quidem tecum agetur. Vide D. Aug. in spec. peccato 9.

Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, &c. Si voles differere contra multorum arrogantiam & insolentiam, qui cum possent hac temporis opportunitate sibi maximè cōsulere, quæ ad pacem eis est, ipsi tamen eandem contemnunt, nonnulla indicabo loca.

Grandia verba & insolentissima dicebat Rabsaces ex parte regis Assyriorum, despiciens regem Iuda & regem Ægypti, atque extollēs Dominum suum, neque considerans graue malum quod sibi euenturum erat & toti exercitui, 4. Reg. 18.

Stulte & insolenter sese efferebat Adonias ille, dicens: ego regnabo: haud sane considerans quam infelix eum maneret exitus, 3. Reg. 2.

Quam superbe & arroganter Benadad rex Syriæ misit ad regem Israel, non intelligens quinam casus sibi esset paratus, 3. Reg. 20.

Aman superbe se iactauit quod solus cum regina pranderet, ignorans se postmodum ad patibulum esse ducendum, Hester. 7.

Antiochus non intelligens infelicissimum suū exitum, insolentissimas ex sacrilego ore proferebat comminationes, 2. Mach. 9.

Superbe & arroganter Pilatus dicebat, nescis quia potestatem habeo crucifigere te? qui tamen turpissimè apud Tyberium accusatus postmodum fuit, & se dignas dedit pœnas atque supplicia.

Lucifer tumidus atque elatus dicebat, super astra exaltabo solium meum, qui tamen miserabiliter concidit ac præcipitatus est, Isa. 14.

Vide quāta esset Nicanoris superbia & iactantia, qui tamen miserabilem paulò pòst sortitus est finem, 2. Mach. 15.

Considera quanta esset impudentia gigantis illius Goliath, turpissimum suum ignorantis & ignominiosum exitum, 1. Reg. 17.

Considera tumentia illa & sesquipedalia Holofernis verba, cui totus orbis angustus videbatur, sed quam citissimè à muliere vna percussus & ignominiosè interfectus fuit, Iudith 13.

Seron præterea ille dixit, faciam mihi nomen & debellabo Iudam, & tamen ipse fuit miserabiliter debellatus, 1. Mach. 3.

Tumide & malitiosè egit cū Israel Demetrius ille non cognoscens quam infaustus sibi immineret interitus, 1. Mach. 10.

Fleuit super illam. Miseriam nostrā deploremus, Isa. 63. D. quare errare nos fecisti.

Deflere peccata quātum referat, Vide Vincen. Bell. spec. hist. lib. 15. cap. 88.

Consule præterea eundem specul. doctr. lib. 4. cap. 112.

Et quidem in hac die tua. Dies quidem appellatur tempus illud quod vitiosus homo in deliciis & voluptatibus mundanis traducit, quamuis longū sit, siquidē in puncto statim euanescit. Nam quem admodum ignis pro ratione sui nutrimenti & materiæ combustilis, parum aut multum durat: si enim in stupa concipiatur, durabilis non est sin autem in firmissimo robore, multum durat: ita profecto voluptates & deliciæ mundanæ cum obiectum habeant caducum ac minus durabile, propterea citissime pereunt & euanescunt; non

non ita solidæ virtutes & præclara facta, sed post cineres etiam immortalia manent. Vnde extremæ planè dementiæ est, hic suam statuere diem, & nō ad æternam potius aspirare, neruosq; omnes contendere & animi & corporis.

In hac die tua. Quærens mundanus homo hic suam diem, suasque voluptates & delicias, sæpè quidem illi contingit vt inde calamitates potius atq; ærumnas referat, vnde se solatia maxima consecuturū esse autumabat. Vt enim sanguis veneno infectus ac deprauatus, ad cor ipsum statim quasi ad præsidium & arcem confluere solet, & propterea vnde remedium sperabat, inde excidium potius cum pars tam necessaria corrumpatur, reportat: ita mundani homines perfæpè sentientes se aliquantulum oppressos propter calamitates aliquas contingētes, ad voluptates caducas huius seculi tanquam ad præsidium quoddam & medicinam confugiunt, vnde sibi potius detrimentum cōparant atque interitum, cū præsidia potius cælestia atque diuina sibi implorare debuissent.

Videns ciuitatem fleuit super illam. Ciuitas quidē super quam Christus Dominus hodie fleuit, erat Hierusalem, nempe ciuitas inter omnes insignis ac celebratissima, præclarè munita atque vallata, quemadmodùm prodidit Iosephus lib. 6. de bello Iudaico. Vnde & Hieremias eandem appellabat dominam gentium & principem prouinciarum: nihilominus tamen propter scelera sua atque flagitia, solo miserabiliter exæquata est, sub triūphatoribus patre & filio, Tito scilicet ac Vespasiano, quēadmodùm prodiderunt Iosephus, Suetonius Tranquillus, Baptista Ægnatius, & Paulus Orosius: qui ait quod post Romam cōditam ad sua vsque secula cōtigerunt cētum & viginti Romanorum trophæa, in nullo tamen triumpharunt pater & filius, præter hoc tropheū Hierosolymitani excipij. Quod Deus ideo permisit, quia Iudæi non crediderunt in patrem neque in filium.

Quia si cognouisses & tu. Vsque adeò in superbiā elata fuit Hierusalem propter tanta beneficia & munera sibi cælitus concessa, cum potius inde cognoscere magis & amare debuisset factorem suū, vt planè in scelera turpissima & nefanda abiret, eisdemq; miserabiliter cōtaminaretur. Tales sunt multi, qui cum ex diuinis beneficiis assurgere potius in Dei laudem & cōmendationem deberent, ex eisdem potius insolescunt. Iulius quidem Cæsar cōspiciens se in tam altissimo dignitatis & honoris locatum gradu, ita insolenter egit, vt nō solum se totius orbis monarchā nominari voluerit verum etiam adoratione Deo debita obseruari: in qualem dementiam cum incidisset, Romani eum diutius viuere non sunt passi, sed variis ictibus transfixus, pugioneque confossus miserabiliter periit vt scribit Suetonius, Eutropius, Apianus, Alexandrinus lib. 2. bellorum ciuilium, Hubertus Herbiopolita in historia Cæsaris. Huc ergo tādem superbi & ingrati beneficiis acceptis, tendunt ac rediguntur: quod & ipsi Hierusalem accidit, cuius ruinam futurā hodie Christus defleuit ac lamentatus est.

Quemadmodùm nonnullis contingere solet, vt si altissimas aliquas turreis ædificiaque cōscenderint, sæpè capite sensibusque turbati, deorsum præcipites ferantur: ita multi sunt qui vbi se ad dignitates euectos cōspiciunt, vsq; adeò insolescunt seque magnificant, vt nō solum eos per quos euecti sunt, in pretio non habeant, verū etiam in eosdem magis desæuiant ac debacchentur.

Quia si cognouisses & tu. Si vnusquisq; suum ipsius sinum inspiceret, & qualis esset diligenter cogitaret, non equidem tumoris ansam vllam arriperet atque superbiæ. Bene quidem de miseria humana Solon ille philosophabatur, vt refert Beroaldus in lib. de terræmotu, qui dicere solitus erat, ciuitates nil aliud esse quam habitationes quasdam & loca miseria calamitareque plena, in quibus varios patiebantur homines labores, innumeras sustinebant æruminas & calamitates. Cum aliquando etiam rogaretur Democritus, quidnam sentiret de hac mortali sorte atque statu: respondit calamitosissimum eum esse, atque difficultatibus plenum, quandoquidem pro lætitia dabatur summa mœstitia, pro solatio atque quiete variæ incurrebantur incommoditates atque pericula, quemadmodum refert Stobæus in suis sermo.

Si cognouisses & tu. Hi quidem Hebræi propter minimam sui cognitionem tanta incommoda incurrerunt, & per tam multa vitiorum genera turpiter volutati sunt. Quapropter ex his periculum faciamus, nobisque diligenter consulamus, ne in similia mala præcipitemur. Bene enim monuit Demonax, dicēs: aliorum edoctus exemplo, pericula effugito. Anacharsis, ex alienis vitiis disce quam fœda sint. Terentius ex aliis periculum facito, tibi quod ex vsu fiet.

Quia venient dies in te, & circūdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. Signa varia apparuerūt ante deuastationem Hierusalem, quemadmodū refert Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. dicens: denique miserabilis populus illis quidem fallacibus Deumque calumniantibus credulus erat. Et paulò pòst, modo cum supra ciuitatem sidus stetit simile gladio, & per annum perseuerauit cometes, modo cum ante defectionem primique belli motus, ad diem festum azimorum populo conueniente (octauus autem dies erat Aprilis mensis) nona hora nocturna circum aram itemque templum, tantum lumen effulsit, vt clarissimus dies putaretur, & hoc vsque ad mediam permansit horam. Eodemq; festo die etiam bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio phani peperit. Post dies autem festos diebus paucis, vicesimo primo die mensis Maij, ante solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes, & ciuitati circumfusæ.

Homo quidem visus est, qui has voces dabat: vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hierosolymam & templum, vox in maritos nouos, nouasq; nuptias, vox in omnem hunc populum. Atq; his vocibus discurrebat per loca varia, quem quāuis varij homines apprehenderent, reprehenderent, & variis ictibus atq; verberibus cæderent, ipse nihilominus perpetuo clamabat: deductusq; postmodum ante Romanum præsidem idipsum etiam inculcabat: quem cum crudeliter afficeret & tractaret, ipse nihilominus has voces dabat; veh, veh Hierosolymis: & in festiuitatibus ipsis vehementiores edebat voces, neque quisquam eius nouerat nationem, patriam, atque cognationem. Hoc autem præstitit per septem annos & quinque menses.

Et circundabunt te inimici tui vallo. Qui inquam sunt humanæ animæ maiores inimici, quam maligni spiritus, qui hanc à corpore exeuntē obsidēt, quam in carnis amore positā, deceptoriis delectationibus fouent? Quam vallo circūdant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad societatem suæ damnatio-

nis trahentes coarctant, vt in ipsa iam extremitate vitæ deprehensa, & à quibus hostibus circunclusa sit videat,& tamen euadendi aditum inuenire non possit,quia operari iam bona non licet, quæ cum licuit agere contempsit. De quibus adhuc apte quod sequitur intelligi valet.*Circundabũt te & coanguſtabunt te vndique.* Maligni quippe spiritus animam vndique coanguſtant,quando ei nõ solum operis,verum etiam locutionis,atque insuper cogitationis iniquitates replicãt,vt quæ prius se per multa dilatauit in scelere,ad extremum de omnibus anguſtetur in retributione. D.Grego.in Euang.hom.39.

*Quia venient dies in te,&c.*Hæc omnia eo contigisse ordine quo hic Dominus prædicit,testatur Iosephus lib.6.& 7.belli Iudaici lib. enim 6. docet quomodo Romani aggressi obsidionem ciuitatis Hierosolymitanæ,in circuitu Hierusalem tres aggeres erexerint, ac deinde etiam alios : posteà vero etiam murum vnum in circuitu ab eis extructum triduo,diuino impetu eos adiuuante & incitante, testatur, eoque circundatam ciuitatem ita fuisse coanguſtatam , vt nemini exitus vel introitus patuerit,atque hinc intolerabilem famem ortam fuisse in ciuitate , quæ etiam proprios filios edere coëgerit.lib.vero septimo cõmemorat quomodo capta ciuitas solo sit æquata,& occisi ciues innumeri.Cornel.ianse.sermo.de hac domi.

De signis & causis euersionis Hierusalem,vide Vinc.Bell.spec.hist.lib.9.cap.59.& 60.

De obsidione & calamitate Hierusalem , consule eundem spec.hist.lib.10.cap.3.4.&c.

Quia venient dies in te. Id est contra te : aduerte quod quando loquebatur Christus de pace peccatorum,& de tempore vitæ præsentis, in numero singulari dixit,in hac die; sed quando locutus est de pœna & calamitate ventura, dixit dies in numero plurali. Hinc intelliges quam breuis sit felicitas mundana, quam breui transeat delectatio præsens, quam vero longus cruciatus, vt pote sempiternus, fineque cariturus. Breue enim est quod delectat, & æternum quod cruciat. Voluptas vix dum aduenit, cum iam finitur: at cruciatus,tormenta, & afflictio ob illam breuem voluptatem in perpetuum durabunt. Porrò causa ob quam minatur Dominus, & hos dies tribulationis in memoriam reuocat , alia non est,nisi vt conuertamur,& nos in meliorem frugem mentemq; recipiamus.Repente inquit apud Hierem. loquar aduersus gẽtem,& aduersus regnum,vt eradicem, destruam,& disperdam illud. Si pœnitẽtiam egerit gens illa à malo suo,quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Sic Christus nihil aliud desiderabat quàm horum pœnitentiam, & satis temporis ad eam agendam concedebat. Niniuitæ quadraginta tãtum dies habebant ad pœnitentiam, hi vero quadraginra annos, quia post quadraginta annos subuersa est Hierusalem à Tito:verum tam longo tempore non præstiterunt quod Niniuitæ tribus diebus.

*Et non relinquent in te lapidem super lapidem,eo quod non cognouerit tempus visitationis tuæ.*Dolendum planè,quod cũ auiculæ, pecudes , & huiusmodi animalia, tempestatem ipsam ac procellam impendentem præsentiant atque deuitent, homo tamen tempus visitationis suæ cognoscere recusẽt. Hier. 8.miluus in cælo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo,& ciconia,custodierunt tẽpus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.

Et non relinquent in te lapidem super lapidem. Intelligendum est dictum hyperbolice,ad significandum maximam & extremam destructionem. Neque enim versimile est tam fuisse curiosos aut potius otiosos Romanos,vt eis vel vacauerit vel libuerit singulos lapides abinuicẽ auellere,& alioqui aliquot turres relictas à Tito testatur Iosephus lib.7.ca.18. Cornel.Ianse. in sermo de hac domi.

Et non relinquent in te lapidem super lapidem. Maxima deuastatio, Isa.13.D. ecce ego suscitabo super eos Medos.Vide etiam cap.17.

Deuastatio magna Iere.15. A. qui ad mortem, ad mortem.

Horribilis deuastatio, Iere.16. A. non accipies vxorem,&c.

Magna quædam deuastatio,Iere.4.B. Ascendit leo.

Deuastatio varia,Iere.21.per totum.

Deuastatio maxima propter peccata populi,Iere.19.vade & accipe lagunculam.

Deuastatio Hierusalem terribilis, Iere. 52. per totum.

Ingens deuastatio,Amos 5.A. vrbs de qua egre diebantur mille.

Maxima contra Niniuem deuastatio, Nahum. 3.per totum.

Et ingressus in templum,cœpit eiicere vendentes & ementes,dicens illis. Scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur,vos autem fecistis illam speluncam latronum : & erat docens quotidie in templo. Vide circa hoc institutum supra feria 3.post primam Domini.Quadrag.colum.556.& feri.2.post 4.Dominic. Quadrag. colum.991.

De epist.& euang.duas habet concio. D. Anto. initio 1.par.Theolog.

Vide eundem 1.par.histor.titu.5.cap.5.§.5.

Duas item habet concio. D.Tho. prope finem to.16.

Et ingressus in templum cœpit eiicere. Vide D. Tho. 3.par.q.44.a.3.ad 1.& opus.273.cap. 13. Domus mea domus orationis vocabitur. super hæc verba vide doctores in 3.Reg.8.& D.Tho.12.q. 102.ar. 4.& 3.p.q.83.a.3.& 4.sen.dist.13.q.1.a.2.quæst.5. & dist.24.q.2.a.1.quæst.2.

Dominica decima post Pentecosten.

EXIT *Iesu ad quosdam qui inse confidebãt tanquam iusti,& aspernabantur cæteros,parabolam istam : duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus pharisæus & alter publicanus.Luc.18.* Vt illi reprehensione non carent qui propter præsumptionem & arrogantiam insolenter se efferunt in oratione , quemadmodùm faciebat pharisæus , ita etiam illi reprehendendi sunt, qui propter tepiditatem quandam & negligentiam,frigide se gerunt,siue tardi sunt & desides ad eam habendam. Vt ergo huiusmodi vitia deuitemus,proponitur nobis hæc parabola, vt intelligamus quam multa comparẽtur bona per humilem orationem,& quanta per superbiam amittantur. Vide D. Chrysost.in sermo. de publicano & pharisæo to.1.

Si Daniel ille Dei amicissimus, nihili faciens edictum Darij præ oratione, tam confidenter ad orandum confugiebat , quanto diligentius nos orare debemus,vitiis & sceleribus oppressi , vt ab eisdem liberari mereamur?Quod si minus nos vrgerent mala,tunc tolerabile videbatur vt in orando tardi essemus , nunc autem nunquam deest orandi

orandi necessitas,quibus non adest tuta securitas. Vide Galfridum super hunc locum.

*Duo homines ascenderunt in templum.*Semper enim duo sunt qui ad orationem vadunt,vnus interior est, significans spiritum:secundus autem exterior est significans curã & solicitudinem corporalium. Illud significatum est Gen.22. vbi Abraham cum puero, hoc est cum spiritu pergens ad orationem, duxit secum asinum & seruos. Et asinus quidem significat corpus, serui autem corporalem solicitudinẽ.Isti ergo duo sunt.Hoc sub alia metaphora dicitur Eccle.10. Muscæ morientes perdũt suauitatem vnguenti. Vnguentum enim est deuotio spiritus se recognoscentis.Muscæ autem sunt vanitates cogitationum corporalium quæ se ingerunt orantibus,præcipuè istis qui se nõ recognoscunt.Hoc est etiam significatum Gen.15. vbi descendebant aues super sacrificium patriarchæ, sed abigebat eas patriarcha Abraham : per aues enim vagabundas,cogitationes significantur vagæ : per Sacrificium autem spiritus contribulatus. Sic ergo sunt duo homines vnius naturæ humanæ existentes.*Ascenderunt in templum,* Oratio enim vt dicit Damasc. est ascensio intellectus in Deum , & ideo omnem orantem oportet ascendere. Et ideo Abraham patriarcha ascendit in montem visionis cum vellet orare,Gen.22.Dominus etiam ascẽdit in montem Thabor vbi transfiguratus est. Matth. 17.Moyses etiam cũ pugnaret Israel contra Amalech,ascendit in mõtem,& elenatis in cælum manibus in oratione,vincebat Israel,descendentibus autem manibus,vincebat Amalech.Exod.17. Albertus Magnus super Luc.18.

Ascenderunt in templum vt orarent. Dicunt aliqui homines parum deuoti,non audeo orare cum sentiam me maximum esse peccatorem, verum hæc imaginatio horum culpabilis est,sicut illorum etiam qui cum nimia arrogantia & præsumptione orant : quãuis enim malus extiteris,nõ propterea debes orationem post habere, neq; etiam quamuis bonus,debes cum præsumptione & superbia orare.vt enim intelligas quam grande malum hoc sit, en tibi ante oculos proponitur parabola ista: in qua videas alterum propter præsumptionem pereuntem, alterum vero etsi vitiis plenum,tamẽ à templo iustificatum abeuntem. O summam insolentiam pharisæi ! qui non modo se cæteris prætulit,verum etiam seorsum publicanum vulnerauit.Quid porro hic fecit?num obloquutus est & murmurauit?non equidem, sed iniuriam patientissimè tulit, & in salutarem medicinam conuertit.præterea cum iactauit sua opera pharisæus miser,non aduertit quam grande iactantiæ & presumptionis vitium ibi lateret,culicem liquabat,& camelum deglutiebat:non seruabat præceptum illud,laudet te alienus,& non os tuum. Cæterum si publicanus tametsi malus extitisset,quia tamen se accusauit & humiliatus fuit : abiit iustificatus: quid tandem de illo censendum erit, qui tametsi præclara operetur , humiliter tamen de se sentit? &c.Vide D.Chrys.in ser.de public. & pharis. to.1.

Cum pharisæus se daret ieiuniis & eiusmodi operibus,alio eum dæmon inuasit, nempe per iactantiam & inanem gloriam. Cõsidera ergo astutiam dæmonis: primo quidem nititur vt quis bona opera non exerceat , deinde vero si exerceat, vt de eisdẽ glorietur,&c.vide D. Ambr. in Psal. 118. in illa verba, increpasti superbos.

In hac quidem parabola maxime nobis commendatur humilitas, sine qua vt ait Gre. qui virtutes cõgregat, puluerem in ingẽti quodã boreæ flatu congregare videtur.Iere.48.pro quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis,&c.Rom.10.in stitiam suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Item qui humilitatem non habet, confuetuit alios contemnere. Ecclesiast.4. ne reuerearis proximum in casu suo.Rom.14.qui non manducat manducantem non spernat.*Ascenderunt in templum.* Vt inde discamus nobis cum quadam præparatione & mentis ascensu eundem esse ad templum,ibique cum omni reuerentia standum, Matt.21.domus mea domus orationis vocabitur. Aug.in oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est.Cæterùm pharisæus apud se orabat:nõ enim seruabat illud.Rom.15.debemus nos firmiores,imbecillitates infirmorum sustinere, non nobis placere.Item cum Deus præcepisset,Leuit.11. ne quis comederet ex auibus prædonibus , vt aquilam,miluum,&c.Vbi significabatur quantum Deo displiceret raptores,propterea pharisæus iactabat quod non esset ex numero raptorum. Deridebat etiam publicanum,contra illud Eccl.7. ne irrideas hominem in amaritudine animę:est enim qui humiliat & exaltat circumspector Deus. Item sua opera iactabat,nõ autem se accusabat. Eccl.7. nõ te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis est.Pro.18.iustus accusator est sui. Hugo. Car. super Luc.

Duo homines ascenderunt in templum. Ascẽdit quidem pharisæus ad orandum in templum, sed non ascendit eius oratio in cælum, Philip.3. gloria in confusione ipsorum. Vide Gilbertum super hunc locum.

Cum nonnulli superbi & arrogãtes se insolenter iactarent,& de propriis operibus gloriarẽtur, cæterosque despicerent atque contemnerent: volens Christus Dominus istos ab eo errore deducere,docereque quod plerique propter suam insolentiam & iactationem bonorum operum, perearit,alij vero tametsi maximi peccatores,propter humilitatem tamen veniam consequantur atque illustres euadant, proponit illis hanc parabolam, dicens:duo homines,&c.

Ascenderunt vt orarent. Si istis ascendentibus ad orandum,tam varij exitus contigerunt , propter singulorum modum atque industriam,tum etiam intentionem : quid tandem illis continget,qui ad opera manifeste mala perpetranda sese conferunt atque coniiciunt?

*Pharisæus stans hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum,raptores,iniusti adulteri,velut etiam hic publicanus.*In tribus apparuit superbia pharisæi:primum quia simpliciter se iustum cogitabat,ibi,nõ sum sicut cæteri homines. Interlineatis,quasi solus iustus sum.Secundo quia cæteros despiciebat,ibi,raptores,iniusti.Glos.despectis omnibus appetit singulariter videri habere quod non habet.Tertio quia bona sua arrogan ter iactabat,ibi, ieiuno bis in sabbatho.Gloss. qui ascendit orare,non orat,sed se laudat,D.Thom. in sermo.de hac Domini.

Non sum sicut cæteri hominum,&c. Sciendum nobis est,quia sæpè dum alios reprobos intẽdimus, fit vt alia negligamus,& vbi negligimus,ibi proculdubio oculum non habemus. Nam pharisæus ille qui ascenderat in templũ orare testante euangelio quid dixit agnouimus : ait enim , Deus gratias ago tibi.Recte ergo gratias Deo agebat,à quo acceperat bona quæ fecerat.Qui etiam subiungit: quia non sum sicut cæteri,&c.Ecce ad exhibenda abstinentiam , ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias , oculum pharisæus ha-

buerat,sed ad humilitatis custodiam oculum non habebat.Et quid prodest quod contra hostiũ insidias pene tota ciuitas caute custoditur, si vnum foramen apertum relinquitur, vnde ab hostibus intretur?quid ergo prodest custodia quæ penè vbiq; circumponitur,quando inimicis tota ciuitas per neglectum loci vnius aperitur? Pharisæus autem qui ieiunium exhibuit,decimas dedit,Deo gratias retulit,quasi penè per circuitum in suæ ciuitatis custodia vigilauit: sed quia vnum in se foramen superbiæ non attendit,ibi hostem pertulit, vbi per negligentiam oculum clausit,&c. D.Gregor.lib. 1.super Ezech.hom.7.

*Pharisæus stans hæc apud se orabat.*Pharisæus diuisus,diuisam ab aliis orationem se habere significabat.Putabat enim quod multiloquio in commendatione sui modo Rhetorico indigeret.Cõtra hoc quod dicitur Mat.6.orãtes autem nolite multum loqui.Isti sunt sacerdotes Baal 3.Reg,18. qui cultris & lanceolis se in cõspectu plebis vulnerabãt. Pro cultris enim & lanceolis isti phylaterias & spinas habebant.Talis igitur fuit pharisæus. Hic autem stans orabat, cum procumbens & pronus debuisset orare,Exod.4. adorauerũt proni in terram,Esa.49. vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Esa.60. venient ad te curui qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.Iste autem stans elationem mẽtis indicãs orabat.*Apud se orabat.*Apud se enim orat qui se & qui sibi placens est orat.Ro. 15.non debemus nobis placere,vnusquisque proximo suo placeat in Domino ad ædificationem. Quid enim orat qui sibi placet?ille enim iam habet quod vult,nec oportet vt oret. Aliter orabat Iob.16.qui dixit: Non inueniet locum latendi in terra clamor meus,quia in cælo est testis meus,& conscius meus in excelsis.In terra enim latet oratio de se præsumẽtis,quia sub terreno affectu quo ipse sibi placet absconditur. Apud Deum autem habet orationem, qui totam suam petitionẽ Deo committit.Alber.Mag.in Luc.18.

*Gratias ago tibi.*Gratias autem agere nõ est pauperis sed multarum gratiarum animæ. Nam qui penitus destitutus est, de quo gratias agit?sicut enim ingratus est qui de percepto munere gratias non agit, ita stultus & cæcus est,qui gratias agit de hoc quod nunquã percepit.Vnde Eccle.25. interea quæ odit Deus,est pauper superbus. Qualiter enim agit gratias? Potius cũ Dauid dicere debet.Anima mea sicut terra sine aqua tibi.Psal.142 & illud ludicũ 1.terrã atentem dedisti mihi,adde & irriguã.Inconuenienter ergo iste à gratiarum actione incœpit. *Quia non sum sicut cæteri hominum.* Ecce quod cum aspernatione aliorũ procedit, & in communi & in speciali homines aspernatus.In cõmuni quidem, cum dicit,non sum sicut cæteri hominum.Dicit autem philosophus,quod qui nõ est sicut homines, aut aliquid melius est omni homine,sicut Deus;aut aliquid vilius omni homine, sicut bestia:Deus autem iste non fuit, ergo in bestiam est cõuersus.De hoc igitur stultus gratias agit.Dan.4.cor eius ab humano mutetur,& cor bestiæ detur ei. Hoc dictum est Nabuchodonosor, qui sibi placuit in robore suo,& in decore regni sui,&c. Alber.Mag.in Luc.18.

Pharisæus stans hæc, apud se orabat, fuerat ad orandum, & pro oratione peccatũ admisit:cuius exẽplo omnes caueant sibi, nẽ quid aliud in templo faciant quam preces effundere,animumq; totum Deo tradere.De iis enim qui contra faciunt, conqueritur Dominus inquiens. Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Qui in via affectus,est iniuria,leuius ferre solet, quam si in propria domo fuisset iniuriam passus. Vnde illud vulgo celebratum ex aggerationis argumentum, vim mihi intulit, etiam in domo mea:quare rex Assuerus vt Aman grauius peccasse probaret, dixit:Etiam reginam vult opprimere me præsente, in domo mea.Ita etiam offendũt Deum qui in templo peccant,quoniam adeò impudentes sunt, vt Deum in propria illius domo non vereãtur offendere. Cæterum obserua quam difficile & atrox sit superbiæ vitium:omnia enim alia non semper apparent, latent interdum, quia nõnunquam occultari possunt, nonnunquam etiam exeruntur. Nam vorator si domi peccat,foris non item: libidinosus item non semper nec in omni loco ardet aliquãdo vel naturæ fragilitate,vel vitij tædio. At superbus,in lecto,in mensa,in foro in templo, in omni deniq; loco &tempore,domi forisq; indicia ostendit tumoris sui,vt in hoc pharisæo videmus.

*Deus gratias ago tibi.*Sed cur iste male egit dãdo gratias Deo & numerans bona sua, cum Paul. dicat quod in omnibus gratias agamus?& alij bona sua narrauerunt; cũ ergo iste damnatur? sed aliud est gratias agere,cognoscendo Deum autorẽ bonorum,& aliud est bona habere,putando quodà seipso vel suis meritis Deus illa dederit, & proximum cõtemnendo. Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquã ex nobis,sed sufficientia nostra à Deo est.Si homo ex se nõ est sufficiens ad cogitandũ bonum, quod est minimum inter opera,quid poterit ad agẽdum? vnde Dominus,nemo venit ad me,nisi pater meus traxerit eũ. Et per Oseã,perditio tua inquit ex te Israel,& auxilium tuum ex me.Per se vadit homo ad peccatũ sed non redit per se:nauis descendit in rapidam aquam,sed non ascendit. Terra spinas & tribulos per se profert,sed non per se triticum:mater enim est herbarum,& nouerca tritici. Sic homo per se potest facere malum,sed non bonum.Ideo Dominus,sine me nihil potestis facere.Omnia bona tua tam corporalia quam spiritualia à Deo sunt: cur igitur superbis?Multi adeò arrogantes sunt, vt si audiant se ab omnibus amari,statim respondeant, vrbanitatem suam, liberalitatem.& bonum ingenium,amoris illius esse causam. Si vero audiant valetudinem vires q; suas in pretio esse,gloriantur & dicunt:cõtinentia mea vitæq; moderatio,hæc mihi præstitit bona,Quorum quanta sit superbia, nemo non videt,quãdo ea bona quæ Deo sunt vt autori referenda sibi tribũunt.Aliud genus superborum est,qui etsi omnia beneficia à Deo fateantur accepta,non gratis tamen, sed meritis suis sibi concessa autumant.Habent in memoria aliqua pietatis opuscula quæ aliquando fecerunt,& ideò valetudinem suam,bona temporalia, animi tranquillitatem, iam pridem sibi debitam dicũt,& ita nihil accipiunt de manu Dei vt gratuitum, sed vt debitum.Horum tamen non modo superbia, sed etiam stultitia est mirabilis,nã quæ habemus non quia boni sumus habemus, sed quia bonus est Deus.Vnde Christus Apostolis dixit,non vos me elegistis,sed ego elegi vos, vt eatis,& fructum afferatis.Ioan.15.

Pharisæus stans. Pro more quidẽ orantium tunc recepto(nam & publicanus postea stetisse dicitur) sed tamen ipso habitu corporis,animi confidentiã & elationem præferens. Nam etsi etiam publicanus stetisse dicatur, tamen à lõgè dicitur stetisse, & oculis in terrã flexis,quod cutuaturam eius significat,vt ex oppositione intelligamus significatum

tum istum'stetisse iuxta altare, & stetisse non solũ corpore erecto, sed & animo. Cæterũ complectitur pharisæi oratio duas partes conuenienti ordine dispositas,quemadmodum duæ sunt partes iustitiæ. Primum enim dicit quæ ei aberant mala, quia prima iustitiæ pars est declinare à malo, & secundo dicit quæ ei aderant bona,quia secunda iustitiæ pars est facere bonum:iuxta illud declina à malo & fac bonum.Corne.Ianse.in serm.de hac Domini.

*Pharisæus stans hæc apud se orabat,&c.*Omnis homo mendax inquit propheta, ideſt omnis homo infirmus,omnis homo miser& impotens,qui nec se,nec aliũ possit saluare:sicut dicitur fallax equus ad salutem,non quod equus aliquem fallat, sed q̃ is fallatur qui in eius agilitate confidat. Secus tamen sentiebat hic pharisæus,in suis viribus confidens,fragilitatem suam non agnoscens, & quod omnis homo sit mendax:misericordiam à se repellebat, miseriam propriam non videns.Aliter quidem faciebat Dauid,cũ diceret:Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,&c. *Non sum sicut cæteri hominum.* Cũ in aliis etiam minimas festucas videat,in seipso trabem non videt,&c.Vide D.Bren. de gradi.humili.diuis.1.

Orabat quidem stans pharisæus, & ostendens elationem suam,cupiens videri ab omnibus,dicebat se ieiunare bis in sabbatho,ideſt in hebdomada, quæ sic denominatur à die digniori. Soluebat præterea à siue dabat decimas ex mentha & similibus,in quibus vt dicũt nonnulli, nõ obligabãtur, sed tamen id faciebant vt viderentur hominibus sancti:vnde iste etiã propterea ita se iactabat, &c. Gloss.Lyræ super Luc.18.

*Non sum sicut cæteri homines.*Quid est cæteri homines,nisi omnes præter ipsum?quasi dicat, solus sum iustus,Gloss.interl.super hunc locum.

Velut etiam hic publicanus. Væ qui spernis,nonne & ipse sperneris? cũ fatigatus desieris cõtemnere, cõtemneris.Esa.33.porro pharisæi diuisi erãt à reliquo vulgo,& erãt magni nominis. Vnde Paulus Act. 26.secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi pharisæus.Mal.2.quare ergo despicit vnusquisq; vestrum fratrem suum,violans pactum patrum vestrorum?&c.Dion.Carth.super Luc.

Phariſæi facilè statim aliena pectora & facta diiudicare temere solebant:cæco enim dixerunt, in peccatis natus es totus,& tu doces nos? & publicano dicebat iste,velut etiam hic publicanus. D. Cyril.lib.6. super Ioan.cap.20.

Quamuis pharisæus ad orãdum accessisset, nihil tamen petit, sed sua tantum enarrat facinora, q̃ superbiæ indicium est. Aug. de verbis Domini in Euang.secundum Luc.ser.36.to.10.

Imitatur pharisæus quosdam lusores,qui quæcunque lucrati sunt longo temporis interuallo, minimo quodam temporis puncto foliis lusoriis prodigere solent:ita enim ipse sua lõga ieiunia, & cæteras id genus actiones, breuissima sua iactabunda oratione prodegit. Item quæcunque erexerat ædificia subuersa sunt,& eundem oppressérũt, atque interemerunt.Inuasit quidem eum inimica superbia atque iactantia, & ieiunia eius cæteraq; opera vulnerauit.Vide quæso pharisæe, nõ longa verborum ambage opus esse, sed synceris operibus atque solidis;nec perinde studere debes vt bonus videaris,atque vt bonus sis.Vera quidem humilitas in eo sita est,quis magnus sit in operibus, & tamen minimus in propria æstimatione: tu ieiunas quidem à corporeis cibis, cum tamen non ieiunet mens à vitiis: Deo persoluis decimas, & proximi honorem laceras.

Hic quidem in magnam coniectus erat miseriam,quandoquidem se iam virtutis culmen attigisse existimabat,& ideo virtutem vlterius non sitiebat: contra tamen dicitur Matt.5.Beati qui esuriunt& sitiunt iustitiam,quod faciunt qui desiderant se exercere in præclaris operibus & actionibus.Hanc sitim habebat propheta,cum diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum:atque exinde desiderabat & postulabat satiari tãdem in gloria.Psal.16.tunc satiabor cum apparuerit gloria tua. Quasi diceret,non cessabo à præclaris operibus exercẽdis vlterius semper progrediẽdo,donec tandẽ me in beatitudine diuina benignitate perpetuo fauente collocatũ videã,&c.Vide Greg. Nysse. lib. de beatitudinibus in illa verba: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

Considera quanta esset pharisæi demẽtia,cum intelligeret præstabilius multo esse atque vtilius consilium,nouissimum semper sibi deligere locũ, & nemini se præponere.Ipse tamen se cæteris anteponebat.

Qui hominum laudem atq; rumusculos in solenter venatur,quique populi plausum immortalitatem, sibilum vero mortẽ sibi esse existimat, is quidem tam multis sese diuendit, quã multorum aucupatur laudem,& eorundem seruus est, à quibus laudem mendicat.Adde q̃ se etiam immanissimæ belluæ nempe inanis gloriæ,seruum constituat,quæ eũdem misere opprimit,& noctes dieſq; discruciat.Nõ equidem tam multis venditus olim fuit Ioseph, quam multis iste sese sponte subiicit, atque de illorum ore pendet; nouos semper quærit præcones, nouisq; dominis se submittit. Vide Philonem lib.de Ioseph.

Si negligentes sumus in agendis gratiis Deo op.max.pro beneficiis acceptis,timendum nobis est ne in maximam cõiiciamur miseriam, refrigescet in nobis charitas & abũdabit iniquitas, tandemq; fiet vt non intelligamus vnde nobis proueniãt bona opera, sed ea nobis potius attribuamus more pharisæi,cum ingrati exiterimus. Quare si quid laudabile in te videris,si deuotus fueris,si orationi vacaueris,si castitatem amplexatus fueris, si misericors in proximos extiteris, id omne Deo acceptum referas necesse est,eiq; propterea gratias agas oportet:quandoquidẽ tam multis te affecit beneficiis & donis,solusq; eadem tibi conferuare potest,aliaq; multo plura addere. Qui enim in meritis propriis cõfidens,se existimat ad tãtum iam cumulũ peruenisse,vt accessio nulla fieri possit,is quidem diuinæ largitati fores obserat, eandemque à se repellit:quandoquidẽ locum nullum vacuum in se reperiri significat,qui à diuina liberalitate cõpleatur. Ita pharisæus de seipso sentiebat, iactans se non esse raptorem,non adulterum, non iniustum,& præterea dicebat se ieiunare, decimas persoluere, & similia præstare, neque ingratus videbatur, cum gratias ageret. Verũ idcirco se ipsum decepit,q̃ oculos cõiecit nõ in ea quæ sibi deerant, sed in ea duntaxat quæ habebat, & hæc quidem etiam sibi ipsi tribuebat: neque erat ea solida plenitudo,sed tumor.Videtur quidẽ plerisque infirmis qui ex diuturno morbo depranatũ habent palatum, se fatuos esse satis atq; obesos, cũ tamen vix ossibus hæreant, & nihil in stomacho habeãt:ita sibi videbatur tumidus pharisæus, bene habitus,cum tamen plenitudo illa inanis esset reuera, vacua, & insolentissima. Non ita se gerebat publicanus,sed se vacuum meritis prædicabat,& quasi humum infrugiferam,atq; propterea impleri

impleri postulabat: tales nos esse debemus, vt sub inde aliis atque aliis meritis cælitus exornemur. Vide D. Bern. sermo. 3. in Annuncia. Domini.

Velut etiam hic publicanus. Contemptoribus quid quid eueniat, Isa. 28. D. audite verbum Domini viri illusores.

Quam malum se alios aspernari, Isa. 47. D. despexi te & subsannaui te.

Mirum non est impios fratribus suis illudere, cum & ipsum Deum contemptui habeant. Isa. 40. E cui ergo similem fecistis Deū? Dei serui alios nō contemnunt, Iob 31. B. si despexi prætereuntem.

Quanta dementia sit imbecilles atque paupe-res aspernari, vide Iacob. 2. A. vir anulum aureum habens.

Alios vilipendere non debemus, Acto. 17. G. quidam quidem irridebant.

Velut etiam hic publicanus. Sicut mare vt mūderur, solet viciña sibi & adhærētia littora fœdare & cōspurcare, euomēs in illa sordes omnes: ita impius vt se quodammodo mundet, siue cæteris probus appareat, solet alios vitiosos appellare & improbos, vt videre est in hoc pharisæo.

Cum hic pharisæus esset ambitiosus & arrogans, propterea tantopere mentiebatur, preferens se cæteris. Cicero enim 1. off. inquit, difficile admodū esse, siue vix fieri posse vt quis sit ambitiosus & cupidus humanæ laudis, quin mēdacia multa proferat. Sallusti. item in bello Catili. ait, quod ambitio multos ad id induxit, vt mēdaces essent. Porrò quemadmodùm ventus mobilis admodum atque leuissimus est, & modo hac modo illac spirat: ita ambitiosus homo mutabilis valde est, & modo calidum modo frigidum ex ore spuit atque efflat, quod videmus in pharisæo, qui interdum gratias Deo agebat, interdum vero se extollebat, nonnunquam etiam publicanum contemnebat. Item sicut aër visceribus terræ inclusus, exitum sibi quærens tandem erūpit, & terrā ingenti motu quatit atque contremiscentem reddit: ad eundem modum arrogantia & dominandi libido, in homi nis impij conclusa animo, erumpens inde tandem multorum famam lædit, insontes multos opprimit, bonis omnibus insidiatur.

Præclarum quidem iecisse exordiū pharisæus videbatur, cum diceret: gratias tibi ago Deus, siquidem ab hoc fonte bona omnia promanant: verum quia intentionem & finem habuit deprauatum, propterea misere seipsum perdidit. Quo loco si voles paulò fusius disserere de diuinis beneficiis erga nos, & quam humiliter recipi debeant, consule Lauren. Iust. lib. de obed. cap. 28.

Male quidem virtutes custodiebat pharisæus cum sua superbia, quandoquidem cum humilitate conseruandæ sunt, qua de re vide Lauren. Iusti. lib. de vita solita. cap. 14.

Non sum sicut cæteri hominum, &c. Cum piscator magnum aliquem piscem habet captum, non statim violenter extrahit, sed funiculum extēdit donec tandem piscis hamum simul & escam deglutierit: nam si confestim nimis cōprehenderit, scindetur funiculus, & aufugiet piscis. sic cū diabolus aliquem peccatorem suo hamo deuinctum habet, scilicet scelere aliquo mortifero constrictum, non illum statim vehementer opprimit, ne iratus abrumpat vincula, & celeriter euadat: sed potius demulcet illum, & finit aliquibus virtutū actionibus incumbere, vt videmus in pharisæo, vt securius eum teneat & possideat. Permittebat namque Herodi quem hamo suo habebat apprehensum, vt Ioan. Bap audiret, & eius cōsilio nonnulla facta ad iustitiā dirigeret: at habebat illū irretitum luxuriæ fortissimis vinculis. Cæterū Dauid noluit videre eos qui dimidiam barbam rasam habebant, sed præcepit eis vt manerēt in Iericho: sic Dominus nequaquam eos conspicere potest, qui aliquam sui partem intactam, aliquam vero coinquinatam habent. Nec illud quod in Ezech. legitur mysterio vacat, scilicet q̄ pēnæ sanctorum animalium copulatæ erant, vnius ad alterum: vt nobis significaretur, virtutes quæ admodum alarum se habent, quibus ad cælum conscendimus, debere sibi mutuo cohærere. Male ergo sentiebat pharisæus, sanum se omnino existimando quod aliqua tantum bona operaretur. Euangelicus ille negotiator, inuenta sibi pretiosa margarita, vniuersa quæ habuit vendidit: & Apostoli Christi ob seruantissimi amatores, non partem aliquam, sed omnia bona dereliquerunt. Item non immerito Ananias & Saphira puniti sunt, eo quod partem pretij agri venditi tulerunt Apostolis, & partem sibi reseruauerunt. Quid quæso tibi proderit nouē decalogi præcepta obseruantissime custodire, si vnum illorum fregeris? Vnde Dauid cātabat Domino, dicens: ad omnia mandata tua dirigebar. Et Christus legem appellauit iugum omnium præceptorum: vbi diligenter est animaduertendum quod non dicit, tollite iugum super collum vestrū aut super humeros vestros, sed super vos totos, vniuersa enim Christiani hominis iugū legis asportare debent. Recte Dauid totum hoc onus supra se sentiebat, cum dixit: omnia ossa dicent, Domine quis similis tibi? Qua ratione etiam cum Paulus iret Damascum, circundatus est luce cæli, vt insinuaretur, eum debere in omnibus mādatis incedere. Cæterum & omnia vitia atque peccata in te extincta esse debent: nā cū Pharao periit in mari, simul & vniuersus exercitus suffocatus est, ita vt nec vnus ex iis remanserit. Sic & tu omnia vitia & passiones debes scindere à corde tuo. Præcepit Dominus Sauli vt omnes Amalechitas destrueret & quod nemini parceret: quia vero hoc non fecit, reprobatus est. Lege etiam D. Greg. lib. 11. Moral. cap. 16.

Quando cognoscit malignus hostis aliquē religioni & egregiis virtutib⁹ vacare, vt illum tumore superbiæ inflet, confidentiæ & arrogantiæ argumentum apponit: sic tētauit istum pharisæum, qui ieiunabat, & decimas dabat. Sancti ergo vt inimicum vincant, nil sibi arrogant, sed omnia Deo ascribunt. Sic Apostoli non in suo, sed in Christi nomine dæmones expellebāt, ne errogare sibi aliquid viderentur. Sic Petrus claudum curauit dicens: in nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Sic Paulus fugiens iactantiam dixit: scio hominē, siue in corpore siue extra corpus sim nescio, Deus scit: vide quomodo suum nomen sub silentio inuoluit. Diabolus quia vidit Christum iustum & fortem, tentauit eum de iactantia, dicens: angelis suis Deus mandauit de te. *Apud se orabat.* Caue tu ne sicut pharisæus iste sanum & iustum te iudices hæc namq; superba cogitatio medicum de domo eiicit & expellit. Quare Dauid sanatus est? quia infirmum se esse cognouit, & dixit *medico*: sana me Domine quoniā infirmus sum. Et alibi petiit misericordiam, & addidit dicēs: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.

Apud se orabat. Multi confidunt præter modum sibi ipsis: quibus loquitur Dominus in Apoc. dicis q̄ diues sum, & nullius egeo, &c. vidisti Petrū in suis viribus præsumentem, atque dicentem: etsi omnes scandalizati fuerint, &c. sed qui propriæ confidebat

confidebat virtuti, à mulierecula superatur. *Stans apud se orabat.* Non sic Salomon, 3. Reg. 8. sed genibus flexis orabat. Daniel in die ter cadebat in genua in oratione. Dan. 6. Moses cadebat in facie in sua oratione, Num. 16. Et Christus cælorum rex procidens in horto orabat patrē, Luc. 22. in Apo. 7. Ioannes videbat non solum viginti quatuor seniores, sed etiam omnes angelos cælo in faciem procidere ante thronum.

Velut hic publicanus. Discamus ex hoc loco non cōtemnere peccatores, siquidē Deus eos qui iniqui sunt, potest cras æquos & bonos reddere. Si quispiam quia in munu statuarij vidit ligni stipitem vilem, contemneret lignum quia informe videtur, velletq; illud in ignem conijcere, malefaceret quidem: artifex enim illud dolabit atq; expoliet, vnde tandem imaginem pulcherrimam educet ac suis numeris absolutam. Potētior planè est Deus homine, & qui stat videat ne cadat 1. Cor. 10 si ergo rigidus & acerbus iudex in fratrem extiteris, permittet Deus te in similia peccata prolabi, de quibus proximos condemnas, vel in alia deteriora, vt superbiam tuā cohibeas. Vide quid Petro contigerit Matth. 26. & contra quid acciderit Samaritanis, quos Apostoli putabant cælesti igne comburendos Luc. 9. siquidem postquam spiritus sanctus suis eos radiis collustrauit, primi in fidei receptione extiterunt. Vnde Acto. 8. cum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quod Samaria, &c.

Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Cordis oculis circumquaq; porrectis, vndique nobis adhibenda custodia est: vnde rectè quoque per Salomonem dicitur Prouer. 4. omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Dicturus enim custodia, præmisit omni, vt videlicet vnusquisq; hinc inde se diligenter inspiciat, & quādiu in hac vita est, contra spirituales inimicos in acie se positum sciat, ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat, ne hinc hosti fores obstruat, & aliunde aditū | andat. Siqua etenim ciuitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, vnū vero in ea foramen tantummodo immunitū per negligentiā relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui vndique exclusus videbatur. Pharisęus namq; ille qui in templum oraturus ascendit, ciuitatem mentis suæ quāta munitione vallauerit, audiamus Ieiuno inquit bis in sabbatho, decimas do omniū quæ possideo. Qui præmisit, gratias ago tibi, magna certè munimina adhibuit. Sed videamus vbi insidianti hosti immunitū foramen reliquit, quia nō sum sicut publicanus iste. Ecce ciuitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per ieiunium & eleemosynas clausit. In cassum munita sunt cætera, cum locus vnus de quo patet hosti aditus munitus non est. Gratias rectè egit, sed peruersè se super publicanū extulit. Ciuitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo seruauit. Victa est per abstinētiam gula, destructa ventris ingluuies, superata est largitate tenacia, auaritia depressa. Quibus hoc laboribus actū credimus? Sed ō quot labores vno vitio percussi ceciderunt, quanta bona vnius culpæ gladio sunt perempta! Vnde magnopere oportet & bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operib⁹ cāute in cogitatione custodire, ne si mentem eleuant, bona nō sint, quæ non autori militant, sed elationi. D. Gre. li. 19. Mor. ca. 17.

Ieiuno bis in sabbatho. Iste ascendit vt oraret, & cum oratio sit petitio, expende quam stultus sit, quod bona opera sua ostendit Deo ad quem orat. ineptus esset ille qui eleemosynam petiturus, se prius anulis, torquibus aureis, & vestibus pretiosis ornaret; credens id sibi adiumento fore: nam pauperes mala sua ostendere solent, vt sic facilius intuentium animos moueant. Eodem ergo modo nos in oratione si volumus Dei misericordiam flectere, non virtutes vt pharisæus hic ostentemus, sed potius cum publicano peccata fateamur: nam quēadmodum ægrotus qui à medico ictus, puriorem sanguinem emittit, & grossiorem retinet, deficit, ille vero qui puriori retento, inutiliorem foras proiicit, conualescit, sic peccator qui bona sua prædicat, & mala tacet, salute caret, ille vero viuit qui bonis non amissis, quicquid mali habet humiliter corā Deo medico sapientissimo exponit. Balac rex Moabitarum dicebat, septem altaria ordinaui, Num. 22. vide quid impij Deo offerāt, & quę sint illorū præparationes, nempe iactare si quæ fecerint bona, quasi vero Deus non viderit illa aut esset cæcus. Optimè Deus hæc omnia nouit, & scit opus bonū quod facis, & non solum opus ipsum, sed omnes circunstantias boni operis. Vis videre quantum Deus cōsideret omnia opera nostra? obtulit Abraham holocaustum, & Deus eius circunstantias consideraūit, dicens: quia non pepercisti filio tuo vnigenito &c. non solum dixit *filium*, sed vnigenitum, & omnia optimè cōsideraūit, & laudauit. Quia fecisti inquit hanc rem. Quā rem Domine? non inuenio nomen opere dignum. Vide quomodo omnia ponderet. Sic etiam in domo Simonis Pharisæi *fecit* cum Magdalena, ponderans omnia eius bona opera & circūstantias. Osculum mihi nō dedisti, hæc autem &c. Igitur si Deus ita videt & ponderat omnia opera & circunstantias, & omnia videt & scit, ne quicquam tua enarras opera. Celauit hic Pharisæus peccata, quæ confiteri debuerat, & bona si quæ fecerat patefecit. Qui sana membra medico ostendit, & vulnera tegit, nūquam curari poterit, imo potius quotidie peius habebit. Tales sunt multi, qui quoniam iusti magis haberi quā esse appetunt, cum bona aliqua faciunt, nō in secreto, sed publicè illa facere satagūt. Ne igitur bona & virtutes nostras prædicemus, nam amygdalus quia præcoces nimium producit flores sępius fructu caret, at morus semper retinet fructum suum, quoniam serius floret: stomachus etiam validius hyeme quā verè cibum cōcoquit, quoniam calor qui vere exterius grassatur, hyeme latet in corpore. Sic aratores sato frumento gelido tempore gaudent, calidum detestantur, quia gelu terra erumpentia frumenti grana cohibet, donec altius radices agat at calor statim malè hærentes herbas euocat, & tenuiores ac minus fructuosas reddit. Eodem modo accidit illis, qui bona opera quæ faciunt non continent.

Sed verba huius Pharisæi discutiamus, sabbathum hic pro hebdomada sumitur, quia duos dies hebdomadæ ieiunans abstinebat à carnibus tamē nō abstinebat à vēto vanæ gloriæ quo pascebatur. Cum ait decimas do, rectius diceret reddo, cū Dei sint omnia. Obserua etiam quod licet superbus esset & arrogans, tamen optimo ordine processit. Prius enim dixit mala quæ nō fecit, quia prius erat dicanda sunt mala, deinde facienda bona: iuxta illud Psalm. 33. Diuerte à malo, & fac bonum. Nam quemadmodum impossibile est aliquem ad sanitatem restitui, nisi prius à morbo liberetur, ita etiam impossibile est aliquem bene operari, nisi prius recesserit à vitiis. Sic Dominus Ieremiæ dixit

xit:ecce constitui te super regna, vt euellas & destruas,& ædifices, & plantes:non poterat ædificare bona,nisi prius destrueret mala,neque plantare optima, nisi prius eradicentur pessima;atq; ideo prius dixit, euellas & destruas mala,& posteà ædifices & plantes bona. Sic etiã Dauid prius dixit:Beatus vir qui non abiit in cõsilio impiorũ, & in via peccatorum nõ stetit ; & in cathedra pestilentiæ non sedit:& posteà dixit,sed in lege Domini voluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte.Obserua rursus in hoc superbo Pharisæo quod bias duas partes iustitiæ , scilicet cuitationẽ mali,& perfectionẽ boni sibiipsi arrogat.Quapropter nõ dicit,gratias ago tibi Deus, quod me gratia tua à malo abstraxisti,& per spiritum tuum ad bona agenda permouisti, & adiuuisti : sed simpliciter dixit,gratias tibi ago, quia nõ sum sicut cæteri hominũ; imo tot bona ego solus feci,quando alij malis rebus studuerunt.Stulte, non legeras ꝙ Dominus dicit ? Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me,Esa.43.&'in Ezech.ego sum sanctificator tui. Et Pau.apertè dicit , Deum operari in nobis velle, & perficere. Et quemadmodũ palmes non potest fructum ferre, nisi manserit in vite : sic nos fructum ferre nõ possumus, nisi manserimus in Christo.

*Ieiuno bis in sabbatho.*Origo fontium & fluuiorum omnium mare est , virtutum & scientiarum Dominus Iesus Christus.Quis enim Dominus virtutum,nisi ipse est rex gloriæ?Sed iuxta Annæ cãticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est, 1.Reg.2. Cõtinentia carnis, cordis industria , voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solum autem sed &siquis callet ingenio, siquis nitet eloquio,siquis moribus placet , inde est.Inde sapientiæ sermo.Thesauri siquidẽ sapiẽtiæ & scientiæ,ibi omnes abscõditi sunt,Colo.2.Quid ? casta consilia,iusta iudicia,sancta desideria,nõne riuuli fontis illius sunt:Quod si copiæ aquarum secretis subterraneisq; recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus vsusque nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio;cur non etiã spirituales riui vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur?Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum,vt iterum fluant.Remittatur ad suũ principium cælestе profluuiũ,quo vberius terræ refundatur.Qualiter inquis?qualiter dicit Apost.in omnibus gratias agentes, 1.Thessa.5. Quicquid sapientiæ,quicquid te virtutis habere confidis,Dei virtuti & Dei sapiẽtiæ deputa Christo.Et quis tam insanus ais, vt aliunde præsumat? Nemo planè,adeò vt & Pharisæus gratias agat,cuius tamen iustitiæ nõ est laus à Deo.Nec enim illa gratiarum actio si bene recolis euãgelium,gratiorem eum facit.Quare?quia quicquid in ore deuotum sonuerit,cordis non sufficit excusare tumorem,apud eum qui alta à lõge cognoscit,Psal.137. Deus ô Pharisæe nõ irridetur. Putas tu habes aliquid ꝙ non accepisti? Cor.4. Nihil inquit,& ideo gratias refero largitori.Si omnino nihil , ergo nec meritum præcessit in te vllum, vt illa de quibus gloriaris acciperes.Quod si & fatearis, primo quidem frustra inflaris aduersus publicanũ , qui ideo non habet quod tu, quia non accepit vt tu.Deinde aduerte ne aliquid auferas Deo , & tibi attribuas.Cum te cæteris anteponis,deles quæ feceras opera;neque enim si non te ante poneres, Publicanum ita contemneres.Multi quidem impij gratias Deo agunt, quod eis pro libito successerit in facinoribus & flagitiis,vt latrociniis, homicidiis, & similibus:quibus dicit Deus per proph.Psal.49. Existimasti inique, quod ero tui similis? &c. Magna & rara virtus profecto est,vt magna licet operantem,magnum te nescias, & manifestam omnibus,tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere,& cõtempribilem reputare: hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.Præclarum aliquid operatus es?cupis etiam præclarius agere? reputa te inutilẽ seruum, & dicito : quod debui facere feci.Denique ita in tuis laudabilibus factis te geres, vt qui ea viderint, Deum ipsum glorificent. Ioseph cum domum & omnia bona Ægyptij Domini sui sibi credita sciret,dominam non ignorauit exceptam,& ob hoc non acquieuit ei, Gen.39. Mulierem nouerat gloriã esse viri, 1.Cor.7. & iniquum iudicauit sibi vice cõtraria inglorium facere eum,qui se fecerat gloriosum,& manum ad non concessum extendere non præsumpsit. Audi ergo iam quid dicat Deus,gloriam inquit meam alteri non dabo,Esa.48.Si ergo solus cũcta creauit, quẽ tandem habebit socium in gloria?Quis credat parieti,si sedicat parturire radium,quem suscipit per fenestram?Aut si glorientur nubes quod imbres genuerint,quis non irrideat?Mihi liquido constat nec de canalibus oriri riuos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba prudentiæ, etsi sensus vltra corporeus non attingat.Si qua sane in sanctis digna laude vel admiratione intueor,clara luce veritatis discutiens,profecto reperio laudabilem sine mirabilem alium apparere,atque alium esse, & laudo Deum in sanctis suis. Nec laus calami, laudabilis est pictura siue scriptura,nec gloria linguæ aut labiorum sermo bonus. Nunquid gloriabitur inquit,Esa.10.securis contra eum à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus qui vtiq; lignum est,sic contra Dominum omnis qui gloriatur,si non in Domino glorietur.Dicamus ergo cum propheta; Nõ nobis Domine,non nobis:sed nomini tuo da gloriam. Vide D.Bernar.super cãti.ser.13.

*Ieiuno bis in sabbatho.*Magna quidem virtus ieiunij,quæ dæmonem expellere solet, sicut ieiuna saliua serpentem.Æua quidem quandiu in ieiunio perseuerauit, sine stimulis carnis fuit:vbi vero ieiunium fregit,statim stimulos illos habuit atque motus,expulsaque fuit de paradiso.

*Decimas do.*Non ait soluo,cũ tamen obligaretur ad soluendum, voluit se iactare liberalem, & non confessus est obligationem.Malach.3.inferte omnem decimam in horreum meum.Augustꝰ. Solue decimas,vt ingredi possis vnde decidit decima angelorum legio.Mal.3.Si affigit homo Deum, quia vos configitis me?& dixistis,in quo cõfigimus te? in decimis, & in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, &c.Hugo Cardinal. super Lucam.

*Decimas do omnium quæ possideo.*De reddendis decimis, vide D.Augustꝰ. de tempore,sermo.219.tomo.10.

De decimis atque primitiis consule Vinc.Bell. Spec.Mora.lib.1.par.3 dist.66.& 69.

Vide eundem Spec.doctr.lib.9.cap.130.

Quomodo Pharisæi ieiunent & dent decimas, vide Epipha.lib.1.cap.16.to.1.

*Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare,sed percutiebat pectus suum,dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.*Vt signa dabat tumoris sui & iactantiæ Pharisæus inter orandum,ita contraria, signa, humilitatis scilicet, ostendebat Publicanus:à longe enim stabat, significans se propter peccata separatum fuisse à Deo:nolebat oculos ad cælum leuare,intelligens se in cælum peccasse, & coram Deo,pectus suum feriebat,in quo facinora multa perpetrauerat,dicens : propitius esto mihi peccatori.Breui quidem vtebatur oratione in verbis,sed amplissima & lõge lateque patente in sententia & fructu , quandoquidem inde recessit iustificatus.

Accusabat se Publicanus , feriebatque pectus suum,recognoscens vnde nam sibi malum prouenisset:non ita se gerũt plerique, qui potius superbiam suam iactant, & in alios culpam suam transferũt,& tũdunt potius pectus alienum quam proprium,dicentes,cæteros fuisse causam peccati: nõ autem se accusant,nec sibi culpam tribuunt.

Quod Publicanus se ita accuset, neque audeat oculos in cælum tollere,id quidem ideo factũ est, quia cognoscebat culpas suas: quas cũ Pharisæus nollet agnoscere , propterea ita insolẽter & tumide se gerebat.Illud præterea notãdum maxime est in Publicano,quod scilicet tametsi ab ipso Pharisæo accusaretur, non tamen verbum vllum obloqueretur,neque indignaretur: in quo laudem hãc à nobis studiosè complectendam insinuauit, vt scilicet pro maledictis nõ reddamus & referamus maledicta.

Si ergo ô homo intelligis te grauiter creatorẽ tuum offendisse, gemito , accedito ad orationem: qua inprœueniente iratum tibi Deum tandem places.Ne te efferas quod videas variis te donis exornatum esse atque præditum,tametsi ieiuniis variis corpus tuũ afflixeris,& alia eiusmodi bona præstiteris:siquidem & illa à Deo accepisti,cuius beneficio eadem præstitisti, non ergo debes propterea insolescere.

Et Publicanus à longe stans. Quia reputabat se indignum vt prope accederet,cum Publicanus esset Luc.5.Exi à me quia homo peccator sum domine. Sciebat enim quod 2.Reg.6.Oza occisus est,quod arcæ domini inclinatæ indignus appropinquauit. Sciebat quod Dauid dixit, longe à peccatoribus salus Psalm. 118. &c. Alber. Mag. super Luc. 18.

Sicut humilis non audet appropinquare, vt ad cum Deus appropinquet.Nõ aspicit,vt aspiciatur. Premit conscientiam,sed spem subleuat. Percutit pectus,pœnas de se exigit, vt Deus parcat:cõfitetur,vt Deus ignoscat:ignoscit Deus , quod ille agnoscit.Glo.Ordina.in Luc.18.

*Percutiebat pectus suum.*Pectus percutiendũ est, à quo culpatũ emanarũt libidines.Theseus rex Herculi qui vxorẽ suã & liberos interfecerat,dicebat: percute ictu valido pectus istud, nõ enim debent morraliter tractari ea pectora, quæ tanti sceleris consciia extiterunt.

In Publicano tres notãtur suo ordine cõditiones,omni vere & digne pœnitẽti necessariæ & sufficientes,quarum prima est, propriæ indignitatis agnitio, & quæ ex illa nascitur sui ipsius deiectio & erubescentia.Hæc enim notatur,cũ dicitur stetisse à longe,procul scilicet ab altari semotus, & qui indignũ se reputabat propius accedere ad ea loca in quibus Deo sacrificaretur,& velut præsens coleretur. Rursum idẽ notatur per id quod sequitur,nolebat nec oculos ad cęlũ leuare,censens scilicet eos indignos visione superna, vt qui maluisse bona terrena spectare & quærere,agnoscensque se indignum qui eo conuerteret intuitum,vbi is suam habet sedem,quem se cognouit offendisse. Secunda conditio est,serius de commissis peccatis dolor,qui in isto notatur, cum dicitur percussisse pectus suum,præ cõtritionis scilicet dolore & veluti reprehendens cor suum, quod admissorũ criminũ origo illi fuisset & causa.Pectoris enim percussio , interioris prauitatis seria est redargutio. Cæterum vt peccator veniam assequatur , nõ satis est agnoscat suam indignitatẽ , seseque deiiciat ac ex animo doleat;sed ne ex indignitatis cõsideratione in desperationẽ prolabatur,& abũdantiore tristitia absorbeatur,adiungere prædictis cõditionibus debet & bonam de diuina benignitate confidentiam. Hæc enim si illis desit , pertrahetur per illas homo in desperationẽ: si autẽ sola adsit sine humilitate & contritione, pariet præsumptionem,nec impetrabit remissionẽ.Corne.Ianse. sermo.de hac dom.

*Deus propitius esto mihi peccatori.*Oratio sane breuis in verbis,sed efficax & magna sensu: quã ob id à Publicano prolatã dominus proponit,vt & nos ad eũ modũ orare discamus;cũ,si modo hæc parabola nõ sit res vere gesta,sed à domino cõficta,hęc oratio à pectore domini processerit. In qua hoc obseruandum,quod Publicanus nihil aliud quam misericordiam petit,& talem misericordiam, qua Deo reconcilietur. Nullą enim prætendit merita, nullas adfert excusationes in peccatis , sed libere se peccatorem cõfitetur.Corne.Ianse.in sermo. de hac dominic.

*Nolebat nec oculos ad cælũ leuare.*Vim faciebat regno cælorum Publicanus ille,qui dum non audet oculos ad cælum leuare , ipsum cælum potuit inclinare.Sic mulier illa Matth. 9.nõ audebat accedere ad Christum,& tamen ex eo accepit virtutem sibi ad curandum necessariam.D. Bernar. ser. de 4.modis orandi.

Sicut in tribus manifestatur superbia Pharisęi: primo quod se iustum reputaret,deinde quod cæteros conteneret, denique quod opera sua publicaret & manifestaret: ita etiã in tribus manifestatur humilitas Publicani, primum quod à lõge stabat,reputans se indignũ propius accedendi: deinceps quod non audęret ad cælum oculos leuare; denique quod se peccatorẽ esse profiteretur,dicẽs, Deus propitius esto mihi peccatori.D. Thom. in sermo.de hac dominic.

*Percutiebat pectus suum.*Perge quidem Publicane incæpto opere,vrge, & insta:iam enim cælum tibi propemodum inclinatur.Noli veluti Pharisęus iactare si qua feciſti bona opera:sed potius tãquam viator ea à tergo relinque , & quasi peractum iter obliuiscere,& ad id quod restat animum accinge. Cæterũ nõ propterea statim tota corruit domus, quod quæcunque trabs vel quodcũque lignum in ea putrefiat,sed tunc quidẽ corruit,cum illud corrumpitur quod basis est & fundamentũ:ita plane eneruata & destructa humilitate, quæ fundamẽtũ est omnium virtutum, vniuersa deciditspiritualis ædificatio.

*Deus propitius esto &c.*Ita 2.Para. vlti.peccaui super numerũ arenę maris,& multiplicata sunt peccata mea,& non sum dignus videre altitudinẽ cęli præ multitudine iniquitatis meæ.Iob 22. Qui inclinauerit oculos suos,ipse saluabitur &c. Hugo Cardi.super Lucam.

Non debemus manus & oculos ad cælũ leuare cum præsumptione & arrogantia, sed pectus percutere more Publicani,& misericordiam diuinam implorare; non autem more Pharisæi in propriis nostris iustificationibus confidere.Vide D.Cypri. de oratione dominica pagi.42.

Philippus Macedo referente Aeliano, post victoriam partam de Athenienſibus,cum videret se nõnihil insolescere & superbire,vni ex pueris præcepit,vt matutinis horis illũ assidue hac oratione

excitaret. Memento rex te hominem esse: atque ita relationem suam refrænabat. Vide Treiū super hūc locum.

Non debemus in propriis iustificationibus cōfidere more Phariſæi: ſiquidem, vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ tāquam pannus menſtruatæ Iſa. 64. & Luc. 17. cū benefeceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſumus. & 2. Cor. 3. nō ſumus ſufficiētes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis. Eliæ dictum fuit. 3. Reg. 19. derelinquam mihi ſeptem millia virorum in Iſrael: qui non curuauerūt genua ſua ante Baal. Initio quidē recte procedebat Phariſæus, ſed poſtmodum deprauatus eſt, quia ſe iactauit apud Deū. Pſalm. 142. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in cōſpectu tuo omnis viuēs. Porro non orabat Phariſęus, ſed ſuperbe alios iudicabat. Oſee 13. eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. A Phariſæo quidem Phariſaica proceſſit oratio, vt diuiſus à cæteris, orationē ſuam à virtutibus ſequeſtraret. At vero Publicanus percutiebat pectus ſuum, ſignificans ibi extitiſſe fontem ſuorū peccatorum: ſibi culpā aſcribebat, non aliis. Pſal. 140. Nō declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Multi enim culpam aſcribunt parentibus, ſociis, aſtris, & ſimilibus: nō ita Publicanus, & propterea meruit audire cum Dauide. Dominus trāſtulit peccatum tuū 2. Reg. 12. Item Ezech. 18. non vult Deus mortem peccatoris, ſed vt cōuertatur & viuat. Sapien. 11. diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Iudith 9. manſuetorum autem & humiliū ſemper tibi placuit deprecatio. Simon Caſſian lib. 6. cap. 25.

Non minora humilitatis ſigna dedit Publicanus, quam Phariſæus ſuperbiæ: ſi quidem à longe ſtabat, intelligens ſe propter ſcelera à Deo elongatum, non audebat vel in templum oculos attollere, quod ſæpe ſuis illicitis negotiationibus prophanauerat; intelligebat ſe indignum eſſe qui cum propheta dicere poſſet, Ad te leuaui oculos meos. Pectus ſuū percutiebat, in quo ſcelera multa fabricatus fuerat. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Breuis quidē oratio, ſed quæ vſque adeo placita Deo fuerit, vt receſſerit iuſtificatus Publicanus ab illo ſcilicet tēplo, vel pluſquā ille Phariſæus. Vide Vuericum ſuper hunc locum.

Percutiebat pectus ſuum. Manifeſtabat quidem Publicanus vulnera ſua & cicatrices vero medico, vt ſanaretur &c. Vide Oecumenium ſuper Lucam 18.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Deteſtans Eſdras peccatū populi ſui, dicebat. 1. Eſdræ 9. Deus meus confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerūt vſq; ad cęlum: ita etiam publicanus ſcelera ſua deteſtabatur, vnde exiit iuſtificatus: & ei accōmodatum fuit illud Ezech. 18. ſi impius egerit pœnitentiam &c. Diony. Carthuſian. ſuper Lucam.

Aduerte quod accuſatio Publicani communis ei fuit cū omnibus fere hominibus, nam vulgo dicere vnuſquiſque ſolet ſe maximum eſſe peccatorem; at vero patiētia qua iniuriam à Phariſæo illatā ſuſtinuit, fuit plane heroica. Vnde intelligas miſeriam noſtram, qui tametſi proprio ore faceamur nos peccatores & facinoroſos eſſe, non tamen patienter toleramus ſi quis nos tales appellet, neque quenquam ipſa probitate nobis anteponi ſuſtinemus. Cæterum vide quam breui verborum compēdio Publicanus ſibi aditum ad diuinam miſericordiam adinuenerit. Nonnulli quidem ieiuniorū multitudine corpus macerant, alij ſeueritate diſciplinæ caſtigant, nonnulli etiam longas peregrinationes conficiunt: hic vero hac breui oratione; Deus propitius eſto mihi peccatori, miſericordiā ſibi diuinam inclinauit. Simplici verbo omnē depoſuit iniquitatem, ac probra conuiciaque Phariſęi, qui videbatur illū contumelia afficere, pepererunt iuſtitiæ coronam, idque ſine ſudoribus, ſine laboribus, & abſq; lōga mora. Obſerua igitur quātum conducāt labores & iniuriæ ab aliis nobis illatę, ſi patienter eaſdem ſuſtinuerimus. Si ergo pariter & mentientes & vera loquentes nobis proſunt: quamobrem dolemus? quam ob cauſam vrimur? ne teipſum leſeris ô homo, neque amicus, neque inimicus, ne ipſe quidem diabolus poterit te lædere. Si enim opera mala dictaue poſſunt hominis cogere volūtatem, vel ipſo maxime recuſante, cui maior quæſo eiuſce rei anſa & occaſio quam Dauidi à Saule oblata eſt? interim tamē vide quāta prędītus fuerit māſuetudine &c. Vide D. Chryſoſto. homi. de Dauid & Saule to. 1.

Apoſt. inquit 1. Cor. 4. nihil mihi cōſcius ſum &c. & 1. Tim. 1. venit Chriſtus Ieſus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Hoc ergo eſt humilitas, ſi te exceſſum per virtutum officia, humilem per opinionem reddas. Deus quidē propter ſuam benignitatem nō ſolum bonos recipit qui ſe humiliant, verum etiam peccatores qui ſe humiliter accuſant. Tātas habet humilitas vires: vt peccatores in cælū ducat: ſicut contra adeo pernicioſa eſt ſuperbia, vt præclara quæq; opera vaſtet atque diripiat. Quod ſi tātum valet in peccatore hic cādor, quantum putas humilitas poſſit iuſto? Verū Phariſæi ſuperbia ipſum perdidit, qui dixit: non ſum ſicut cæteri hominum, ô inſaniam hominis! vniuerſa natura hominum minus explere ſuperbiam eius & inſolentiam potuit: quin & Publicanū vehementer vulnerauit petulantiſſima ac procaci lingua. Cui cōtra Publicanus nihil obloquutus eſt, atque ita effecit vt illud aduerſarij telū medicamento ſibi occurrat atque remedio, & opprobrium conuerſum in laudem ſit, & maledictum in coronam & cōmendationem. Cum ergo tam ingens bonum humilitas ſit, confitere humiliter cū Publicano ſcelera tua, & recordare tres illos pueros Danie. 3. quam humiliter loquerentur, & poſt bona etiam opera ſe cum humilitate ante Deum proſternerent, dicentes: non poſſumus aperire os, confuſio & opprobrium facti ſumus ſeruis tuis, & colentibus te. Conſidera quātum potuerit humilis horum puerorum deprecatio, quę tanquā proceriſſima arbor altas egerat humilitatis radices. Pſal. 129. De profundis clamaui ad te domine &c. D. Chryſoſto. homi. 5. de incōprehenſibili Dei natura. to. 5.

Nil præclarū habeo dicebat Publicanus quod poſſim tibi offerre: ſed cum ſciam te peccatores libentiſſime recipere, propterea ſupplex ad te confugio, meaque peccata tibi offero delenda, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Phariſæus dicebat, non ſum ſicut cæteri hominum: quaſi vero totum mundum iam diſcuſſeris, quis qualis eſt, aut quomodo habeat vitā quiſpiam? & cum teipſum neſcias, quomodo ſententiam omnibus hominibus cum te iactas dediſti, vt diceres, quia non ſum ſicut cæteri homines? Vide miſer quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: iactas porro te quia ieiunas bis in ſabbatho, qui à ſpiritu ſuperbiæ non declinas? quomodo ieiunas? Publicano peccatori inſultas, & teipſum ſine peccato exiſtimas &c. Vide D. Chryſoſto. homi, ſuper illa

illa verba Pſalm. 29. Domine Deus meus in æternum confitebor tibi to. 1.

Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus Lu. 17. hoc non ſeruabat Phariſęus, qui ſe tātopere iactabat. Publicanus autem maxima ſa humilitate muniebat, neq; aliquo modo indignabatur propter conuicia à Phariſæo illata ſed oculos defixos in terram habebat, deoque intra ſe dicebat. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me &c. D. Chryſoſto. lib. 2. de compunc. cordis to. 5.

Verus quidē Dei ſeruus in omnibus curat Deo humiliter ſeruire, tam in cogitationibus, quam in factis atque dictis. Pſalm. 38. Poſui ori meo cuſtodiam, vt non delinquā in lingua mea: nō enim per vllam iactātiam debet delinquere Dei ſeruus, vana de ſe loquendo, quæ profecto in loquentis ore fœteſcunt, commaculant conſcientiam, & opera laude digna deturpant. Vnde Prouer. 27. laudet te alienus, & non os tuum. Quod ſi vnuſquiſque diligenter conſideraret vndenā ſibi bona omnia proueniant, non equidem ſibi illa attribueret, ſed diceret: nōn nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Pſalm. 113. Vide Lauren. Iuſtinia. lib. de humili. cap. 14.

Nihil præclarum præſtare poſſumus ſine diuino auxilio, ſicut nil cōſpicimus niſi mediante luce ipſa: cōtra vero Phariſæus ſibi omnia attribuebat, & attribuatur ſibi tam multa à Deo conceſſa, vt nihil præterea addi poſſet; ſeque exiſtimans eius plenitudine ſaturatum, nihil ſibi addi ad iuſtitiā poſtulabat, & veluti ſaturatus, nihil de alimentis iuſtitiæ iam rogabat accipere. Beati autem qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Vide D. Auguſt. lib. 2. contra Pelagi. de peccatorū meritis & remiſ. cap. 3. to. 7.

Phariſæus gratias agebat, ſed tamen ſuperbus erat & cæteros contemnebat, ac præſertim Publicanum: qui tametſi à longe ſtaret, prope tamē dominum habebat. Pſal. 144. Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Cælum non contuebatur, quia ſeipſum tantum conſpiciebat; hoc autem præſtabat, vt Deus auerteret faciem à peccatis eius. Pſalm. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Vide D. Auguſt. in Pſalm. 31. in expoſitione 2. to. 8.

Multi ſtatim ſolent ſuccēſore, ſiquis eos vel leuiuſcula aliqua afficiat cōtumelia, vel ſi quam inflixerit iniuriam, dicentes. Me quidem iniuſtę æqui inique tractauit, me calūniatus eſt. Si enim vere accuſaſſet, tacerem vtique: nunc autem falſa locutus eſt. Sed tamen iſti non imitantur publicani patiētiam, qui conuicianti Phariſæo nihil reſpondit: ad quod præſtabiliorem conſequuntur palmam, ſi calumnias & falſas accuſationes patienter ferant.

Super illa verba, Deus propitius eſto mihi peccatori, vide Lauren. Iuſti. lib. de obedię. cap. 15. vbi agit quam efficax ſit ad promerendū veniam, cordis contritio, oriſque deuota confeſſio.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Quemadmodum ſpicæ ipſæ quo pleniores ſunt & minus inanes, eo ſe magis demittūt atque incuruant, quo vero magis vacuæ & inanes, eo plus extolluntur & in altū eriguntur: ita profecto quo quis virtutibus eſt ornatior, tanto magis humiliatur; quo vero magis recedit à virtute, eo etiam magis ſeſe effert atque extollit,

Sicut fauus eo plenior melle eſſe ſolet, quo in imo magis alueario reſederit, & quanto excelſior eſt, tanto etiam fere inanior conſpicitur: ita humilis virtutum melle & dulcedine magis exornatur atque excolitur, quā ſuperbus & arrogans, qui virtutis dulcedinem à ſe reiicit atque repellit.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Expende Dei bonitatem atque ſapientiam, qui de peccato quo nihil peius eſſe poteſt, humilitatem educit, quæ Dei virtus eſt. Ille quidem artifex eſſet admiratione dignus, qui non modo aurum vel argentum optime cælaret, ſed etiā ſcoriā ipſam in aliquod opus cōuerteret elegantiſſime: eodē modo Deus ſe habet in animarū noſtrarū ſalute fabricanda; qui nō ſolum virtutum metallo, ſed etiam vitiorum noſtrorum & peccatōrū ſcoria nos illuſtrare contendit.

Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo. Illi quidem peccatum non imputabitur, in cuius ſpiritu dolus mendacij nō inuenitur. Qui ſe iuſtum eſſe non ſimulat, qui ea etiam quæ occulte deliquit, non celat. In ſpiritu publicani ad templum aſcendentis dolus non fuit, quia dū illū quem occulta non tranſeunt placare voluit iudicem, confiteri ſe nō erubuit peccatorem, ait namque: Deus propitius eſto mihi peccatori. Magis ergo iuſtificatus deſcendit, quam qui ſe de meritorū enumeratione iactabat. Denique & iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui Prouer. 18. In Phariſæi vero ſpiritu dolus fuit, qui magis videri quā eſſe iuſtus optauit. Dum ergo ea quæ clamare debuerat tacuit: miſer quod ſibi tacendum eſſet clamauit. Et per ſuperbiam ſi qua in eo fuerant minuit merita, qui humiliari contēnens adauxit peccata. Et nos ergo exemplo huius Publicani præoccupemus faciem huius iudicis in confeſſione, & effundamus coram illo corda noſtra, leuantes puras manus ſine ira & deceptione in habitu ordinato, cum verecundia & ſobrietate: vt qui omni tentationi parentes, manū effugere non poſſumus iudicis, per confeſſionem mundati clementiam experiamur miſericordis. D. Grego. in 2. pſalm. pœnitentiā ſuper illa verba, nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Deſcendit hic iuſtificatus ab illo. Admirabitur quis inquit Theophylactus, quomodo Phariſæus cum pauca verba ſuæ laudis pronuntiauerit, condēnetur: Iob autē cum multa de ſe magnifice dicat coronetur. Et reſpondet, quia Phariſæus nullo cogēte ſtat talia nugans, & condemnans, alio nullo vſu vrgente; Iob vero premētibus ſe amicis & grauius incumbentibus quam calamitas ipſa, dicentibuſque quod propter peccata illa ſit paſſus, cōpulſus eſt enumerare ſua opera, idque propter gloriā Dei, ne ſcilicet homines à recto virtutum curſu exciderent. Idem dicendū eſt de Paulo magnifice nonnunquam de ſe loquente. Corne. Ianſe. in ſermo. de hac domi.

Dices, quid tantum faciebat Publicanus iſte, vt tandem exiret iuſtificatus? pectus tantū tundebat, & verba paucula proferebat, quod ego etiam ſępe facio: & tamen vix vnquam experior me aliquid proficere. Verū hoc tibi perſuadere debes; Publicanum ſerio quidem ſe geſſiſſe atque ex animo, cum tu interim id facias frigide admodum & oſcitanter. Vide enim quam fortiter etiā & patiēter Phariſæi contumelias ſuſtinuerit.

Super illa verba, deſcēdit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, cōſule D. Tho. in epiſt. ad Roma. lect. 3.

Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Verus quidē Dei ſeruus non debet ſe exaltare & inſoleter efferre, ſed potius humilitate maxima animū exornare, vt tādē mereatur

à Deo exaltari & commendari. Nō enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Debet ergo reiecta propria ſui confidentia ſiue de ſuis viribus, in Deo ſpem ſuā omnem reponere & collocare: ponere etiam cuſtodiā ori ſuo, vt non delinquat in lingua, & inania de ſe iactet; quæ profecto in loquentis ore vileſcunt, commaculant conſcientiam, & opera laude digna deturpant. Vnde Prouer. 27. laudet te alienus, & non os tuum. Vide Lauren. Iuſtin. lib. de humili. cap. 14.

Qui ſe exaltat humiliabitur. Percontatur D. Baſi. lib. reg. breui. interro. 56. quid ſit eiuſcemodi exaltatio atque tumor, & reſpondet quod is ſe exaltat, qui pro ſuis operibus magna quædam de ſe ſentit atque præſumit, quique nimium ſibi arrogat veluti Phariſæus.

Docet itaque Chriſtus vt fugiamus elationem atque ſuperbiam, initium omnis mali. Vide enim Eſa. 14. quo tandem peruenerit ſuperbia primi angeli. Quomodo cecidiſti Lucifer qui mane oriebaris &c. Cæterum quamuis videas tumidos aliquos & inſolentes homines hic florere, neque humiliatos reddi, non propterea id aduerſatur Chriſti verbis: non enim dicit de præſenti, qui ſe exaltat humiliatur: ſed de futuro, humiliabitur: quinimo peior eſt hæc ſuperbia occulta & quæ hic non humiliatur, nam ignotus languor etiam inſanabilis eſſe conuincitur. Vide Lauren. Iuſti. lib. de humilt. cap. 24.

Omnis qui ſe exaltat humiliabitur. Conſule D. Tho. 22. quæſt. 161. ar. 5. ad 3.

Quo pacto ſuperbia deturbetur atque proſtretur Iſa. 29. A. humiliaberis, de terra loqueris.

Superbia atque confidentia ſui in quē exitum deueniat Iſa. 36. aſcendit Sennacherib.

Quomodo humiliet Deus arrogantes ac tumidos Iſa. 37. per totum.

Non eſt cur ſuperbiamus in nobiſque cōfidamus Iſa. 64. C. & facti ſumus vt immundi omnes.

Superbia ipſa humiliari à Deo ſolet Iere. 13. C. humiliamini ſedete in terra.

Elatos atq; ſuperbos quomodo humiliet Deus Thre. 2. A. proiecit de cælo in terram. & B. tetēdit arcum.

Humiliat Deus ſuperbos Baruc 5. B. conſtituit enim Deus.

Arrogantiam Deus deiicit Ezech. 16. A. radix tua & generatio tua.

Contra ſuperbiam & arrogantiam vide Ezech. 28. per totum.

Tumorem mentis & arrogantiam quo pacto humiliet Deus Ezech. 29. A. ecce ego ad te Pharao.

Aduerſus ſuperbiam & arrogantiam lege eundem cap. 31. per totum & 32. A. B.

Confidentes in ſeipſis Deus humiliat Danie. 4. B. videbam & ecce arbor.

Deus deiicit ſuperbos Dan. 5. F. tu quoque filius eius Balthaſar.

Superbi & tumidi Amos 6. A. ingredientes pompatice.

Superbis comminatur Deus Michææ 6. A. audiant montes.

Quodnam ſit ſuperborum ingenium Sopho. 3. A. principes eius in medio eius quaſi leones rugientes.

Superbi humiliabuntur Iſa. 5. D. & incuruabitur homo.

Duas de hac dominica conciones habet D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Quatuor habet conciones D. Tho. propeſinem to. 16.

De Phariſæo & Publicano orantibus vide Hugo. de S. Victo. lib. 4. Allego. in Euange. ſecundum Lucam cap. 27. to. 1.

Qui ſe exaltat humiliabitur. Sæpiſſime quidē dæmō multis exaltationem & propriam iactationem perſuadet, vt inde eos tandē ignominioſius deturbet: quare tibi diligenter cauere debes, ne diabolum etiam imiteris, qui propter ſuam arrogātiam atque ſuperbiam miſere præcipitatus eſt. Superbe enim dicebat, ſuper aſtra conſcendam, & exaltabo ſolium meum. Sed vide quid ſequatur, verūtamen ad infernum detraheris. Hoc ergo modo ſicut ipſe exaltatus cecidit, vult etiam homines exaltare, vt miſere corruāt. Aquila in altum admodum teſtudinem eleuat, indeque inter immania ſaxa vt mādueet miſere precipitat: ita dēmō plurimos in honores & dignitates eleuat, vt maior ſit in infernū caſus. Vnde Iob agens perſonā ſuperbi, ait: eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum tollens alliſiſti me valide Iob 30. Item ſicut vas luteum quod frāgere vis, extollis à terra vt fortius comminuatur: ſic diabolus extollit hominem vt miſerabilius in infernum præcipitet eundem. vnde Prouer. 18. ante ruinam exaltatur cor, ſi quando aliquem videris in honoribus & mundanis rebus aſcēdere, cum virtutibus non ſit munitus, mihi crede illud eſſe vt maior ſit caſus. Hinc Dauid Pſal. 36. Vidi impiū ſuper exaltatum ſuper cedros libani, & tranſiui & ecce non erat. Quando duo magni luctatores in arenā deſcendunt, viribus proſternere ſe nequeunt: at qui dexteritatem in lucta habet, aduerſariū in aerem leuat, atque ita illum proſternit: ſic dēmō conatur hominē eleuare, vt ita grauius & miſerabilius eūdem præcipitet, atque deturbet.

Dominica vndecima poſt Pentecoſten.

Exiens Ieſus de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos Marci. 7. D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis dicit hanc regionem fuiſſe trans Iordanam circa Hippam, & Pellem, & Gadaram. Cui conſonat quod hac regione ſcribit Plinius lib. 5. cap. 18. Porro quæri poteſt, quare dominus tam ſingulari & ſpeciali modo ſit vſus in curatione huius ſurdi & mu ti? Et poſſunt huius duæ aſſignari rationes: primo vt oſtenderet quam difficilis ſit curatio eius qui ſecundum animam ſurdus eſt & mutus, quemadmodum ingemiſcendo, & in cælum ſuſpiciendo, & lachrymando, ſuſcitauit Lazarū, ſignificans difficilem eſſe ad meliorem vitam reuocationē, eius qui iam vitiis aſſuetus iacet veluti ſepultus. Secūdo vt quæ deerant ex parte huius miſeri & aliorū offerētium, dominus ſuppleret gemitu, ſuſpectione in cælū, & applicatione propriæ carnis & ſputi, tanquam ſancta inſtrumenta adhibendo; inſtrueretque diſcipulos ſuos ſupplere quandoque orationibus & ſacrarum rerum adhibitione, ea quæ deſunt ex parte aliorum. Nil enim de fide & deuotione huius ſurdi apparet, & forte etiā offerentium fides fuit imperfecta. In hūc ergo vſum ſunt inſtituta ſacramenta Eccleſiaſtica, vt per ea ſupleretur quod alioquī deeſt fidei & deuotioni hominum; atque in ipſo baptiſmatis ſacramento à Chriſti facto deſumpta ſunt ex antiqua traditione ſimiles cęremonię his quę Chriſtus hic legitur ſeruaſſe,

uaſſe, vt & baptizandi aures & nares ſputo digitis impoſito contingantur, & dicatur ei Effeta, quod eſt adaperire: & bene quidem huiuſmodi cęremoniæ hic adhibentur ex imitatione Chriſti, quādoquidem & in baptiſmate id ſit pro ſalute ſpiritus, quod hic pro corporis curatione factum dicitur. Adducitur enim ſurdus & mutus, & pro eo deprecantur ſuſceptores, vt per ſacerdotalem manū & verbum ſacrum iam renatus, deinceps Dei verba & audiat & loquatur lubenter. Cornę. Ianſę. in ſermo. de hac dominica.

Et adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Nullum fere membrum reperitur quod tam multa pariat incommoda & damna atque lingua: exiguum quidem membrum eſt vt ait Iacob. 3. ſed tamen magnam ſyluam incendit. Vide enim quanta mendacia proferat, quātos dolos pariat, adulationes, blaſphemias, murmurationes, atque diſſidia: quæ omnia mala ſilentiū ipſum adimere poteſt & de medio exſcindere. Quamobrem qui in animæ ſalutem diligenter incumbit, linguam ſuam domare debet, frænare, dirigere, & cuſtodiam vigilantem eidem imponere: aliter enim ſeſe immoderate effundit, & quæ occulta ſunt atq; ſecreta inuulgat. Vnde regius vates Pſal. 38. obmutui & ſilui à bonis, & concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Quēadmodum enim ignis vt cōſeruetur, eſt operiēdus cinere, nā aliter crebris exhalationibus tandē euaneſceret & periret: ita etiā maximo ſilētio cōtegenda & exornanda lingua eſt, ne inçōſiderate ſeſe effundendo, charitatis ignem forte exhalet, ſed eūdem potius ſilētio quaſi cinere cōſeruet, atque cuſtodiat. Videmus prēterea vinum niſi operiatur, ſed apertum relinquatur, vim tandē ſuā amittere: multa etiam odorifera contegenda diligenter ſunt, ne vniuerſum exhalēt atque effundāt odorem: ignis ſi opertus fuerit, poſtmodum videas prunas illas ardētes atq; micāres. Cū diſcipuli cōgregati eſſent ianuis clauſis, atq; in ſilentio, meditatione, & oratione verſarētur, deſcēdit ſuper eos Spiritus ſanctus, atque eoſdē ita immutauit, vt ex pauidis & formidoloſis animoſos reddiderit, atq; fortiſſimos: ex ignaris ſapientiſſimos; ex ruſticis egregios prædicatores. In ſilentio porro prius meditari debemus ea quæ publice dicere ac prædicare volumus. Vnde Eze. 3. fili hominis, omnes ſermones quos loquar ad te, aſſume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade ingredere ad trāſmigrationē ad filios populi mei, & loquere ad eos &c. In religione etiam vide quantū ſilentium valeat & poſſit. Cæterum multi ſunt qui tum circa ſilentiū, tū circa locutionē, offendere ſæpe ſoleant atq; errare: ſi quidem nec ſemper tacendū eſt, nec ideo tacendū vt in eo tātum quieſcamus, ſed vt Deū non offendamus. Pſal. 38. dixi cuſtodiā vias meas, non dixit vt tacēā, ſed vt non delinquā in lingua mea. Sancti illi eremitæ olim non ſemper tacebāt, ſed certo quodā tempore cōuenire in vnum ſolebant, ibique de rebus ſanctis, piis, & ad ędificationē ſpiritalē pertinentibus differebant; non murmurationes, non detractiones audiebantur, ſed omnia ad ſanctum & pium ſuum referebant inſtitutū. At vero, quod ſine lachrymis dici nō poteſt, hoc noſtro tēpore aliter à pleriſque fieri videmus, nā cū agricolæ de rebus ad agriculturam pertinentibus tractēt, de aruorum natura, de aratione inſitione, & ſimilibus. Item ſutores ea tractent quæ ad artē ſuam ſpectant, vt de calceis, crepidis, & aliis id genus. Ipſi interim quæ ad proprium inſtitutum faciunt negligant, ea quæ Chriſtiani muneris ſunt obliuiſcantur, illa vero tractēt, quæ ad inſtitutum nequaquam pertineant. Nōne is agricola ludibrio haberetur: qui artem ſuam negligens, de armis, de equis, de haſtiludiis, ac ſimilibus tractaret? & contra, qui eques de vomere, aratro, & aliis id genus diſputaret: Sic plane indignū eſt vt inter viros religionis pietatiſque ſtudioſos, nihil niſi mundanū, nihil niſi ſeculare atque prophanum, tracterur & proferatur. Aliter nāque ſimiles ſunt hæbreis illis qui delicatiſſimum mānа odio habentes, cepas & cucumeres deſiderabāt: ita enim iſti cōuerſationes ſanctas atq; laudabiles odio habent: de quibus dicitur, vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo &c. amantes interim prophana colloquia & confabulationes. Non inficior equidem eſſe interdum animum relaxandum & remittendum ab aſſidua illa meditatione & cōtemplatione, ſed tamen variæ ſunt exercitationes quibus id honeſte fieri valeat, neglectis omnino prophanis & diſſolutis colloquiis, interdum enim à conuerſatione præſentis miſeriæ tranſitus fieri poteſt ad diſſerendū de periculis huius peregrinationis, de varietate tentationum, de vitiorum deformitate, de virtutum pulchritudine & ornamento, de morte, de iudicio, de gloria, de inferno; ita vt accommodentur ſingula iſta argumenta atque materiæ pro exigentia animorum & vitæ informandæ, neque perinde attendatur ad verborū ornatum, atque ad ipſum ſpiritum interius loquentē. Quod ſi quis ad id ſe impotentem ſenſerit, poſtulet humiliter auxilium à Deo, & eius opem imploret. Pſalm. 80. dilata os tuū, & implebo illud. & Pſalm. 118. os meū aperui & attraxi ſpiritum. Vide Lauren. Iuſti, lib. de diſcipli. & perfect. monaſt. conuer. cap. 15.

Et adducunt ei ſurdum & mutum. Genus humanū per multa mēbra, ac ſi vnus homo varia peſte abſumptus enumeratur: in protoplaſto cæcatur dū videt: ſurdus fit cum audit; dum odoratur, emungitur: obmuteſcit dū loquitur: mancus ſit dū manum extendit; incuruatur dū erigitur; hydropicus ſit dū cōcupiſcit: claudus fit dum progreditur, lepra ſuffunditur dū nudatur: dæmone impletur dū diuinitatem appetit: morte moritur dum audacter excuſat quod inobediēter commiſit &c. D. Hiero. in Marcum 7.

Surdus & mutus eſt ille qui patētes non habet aures ad pauperū clamores audiēdos, & afflictiōes contuendas: qui nec diuina audire vult verba, nec os ſuum ad ſalutaria ſuggerenda conſilia aperit: qua de re vide Glo. ordina. ſuper hunc locum.

Multi ad ſua confitenda peccata muti ſunt & elingues, cū tamen expeditam linguam habeāt ad detrahendum de proximo & murmurandum, ac denique variis aliis modis Deum offendendū. Vide Anto. Broicum. par. 1. ar. 63.

Et deprecabantur eum &c. Vi. D. Tho. 2. 2. q. 104. a. 4. ad 1. & 3. p. q. 13. a. 4. ad 2. & q. 44. ar. 3.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius. Dū multa bona proferri videtur, ſępe cōtingit vt à bonis locutio inchoans, ad aliquot praua deriuetur, hoc ipſo Sācta ſcriptura pronūtiāte, quia in multiloquio peccatū nō deerit. Prou. 10. Quia ſi forte inter innumera verba declinētur criminoſa, ſed nūquid declinari poſſunt inutilia atque otioſa, de quibus ratio in futurum erit reddenda? Tenendus ergo eſt modus in loquendo, & ab ipſis nonnunquam vtilibus verbis parcēdum, ſicut beatus Pſalmiſta legitur feciſſe pſal. 38. humiliatus ſum & ſilui à bonis. D. Leo papa lib. de conflictu

vitiorum & virtutum cap.21.

Quid autem præ cæteris debemus discere, quã tacere? vt possimus loqui, ne prius vox me condẽnet mea quam absoluat aliena? Cõplures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quenquam tacẽdo. Ideoque tacere nosse quã loqui difficilius est. Scio loqui pleroſque, cum tacere nesciant. Si enim perinde tacere nouisset Cicero atque loqui, nunquam in eam fortunam deuenisset. Vide D. Ambro. lib. 1. offici. cap. 2.

Loqui male non posse qui mali non sunt, conclusit Socrates quemadmodum refert Plinius lib. 10. de summo bono.

Misit digitos suos in auriculas eius. Quid quæso auriculas ipsas cõcludimus & obseramus ad tonitrua, more vulpis, cum tamen ad detractiones & murmurationes audiendas patentes eas habeamus & bene perforatas? Non equidem tam multos tauros molesti canes de illorum auriculis pendentes ad macellum ducunt, quam multos homines per ipsas auriculas siue per auditum dæmon ad inferni demittit barathrum. Cum enim per linguam non poterit eos venari atque comprehendere, mox canes suos atque ministros ad auriculas comprehẽdendas mittere solet. Scribunt naturales Philosophi de dracone, quod per ipsum auditum interficere eleph̃atem soleat, ore quidẽ suo aures obturando, & cauda pedes cõstringẽdo. Ita dæmon per auditũ interficere multos solet. Vlysses quidem vt Syrenum cãtus posset effugere, aures suas diligenter obseruauit, ne forte periret cũ plerisque aliis in ipso mari. Vnde D. Hiero. in prol. super Iosue hortatur vt effugiamus maxima cũ solicitudine Syrenũ cantus, hoc est titillantes carnis lasciuias & voluptates, cæteraque vitia blandientia. Cũ Alexander quidã audiuisset ad lyrã nõnullos cõcẽtus decantari, quibus ipse vehemẽter commouebatur, & à suo integritatis proposito deducebatur, statim lyram de manu musici arripiens cõtriuit &c. vide Vin. Bell. Specu. mora. lib. 3. par. 1. dist. 5.

Tetigit linguam eius. Postea quam Seneca lib. 5. epist. epist. 40. prolixa scriptura Lucil. affatus est, tãdem summã faciens inquit, summa ergo summarũ hæc erit, tardiloquum te esse iubeo.

Pythagoras quidem vt refert idem Seneca lib. 7. epist. epist. 53. discipulis suis quinquennij silentium indixerat.

Misit digitos suos in auriculas eius &c. Vigilanter intuendum est quod voce domini ad prophetã dicitur, vt prius sermones eius audiat, & post modũ loquatur, audimus enim verba Dei si facimus. Et tũc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus euange. confirmat, cũ factum domini miraculũ narrat, dicens. Adducũt ei surdum & mutũ &c. Cuius ordinem curationis insinuat subdens, Misit digitos suos in auriculas eius &c. Quid est enim quod creator omnium Deus cum surdum & mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, & expuẽs linguam eius tetigit? Quid per digitos redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Vnde cũ in alio loco eiecisset dæmonium, dixit: si in digito dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Qua de re per euãgelist. alium dixisse describitur: si ego in spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. Ex quo vtroque loco colligitur, quia digitus spiritus vocatur. Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod expuẽs linguam eius tetigit? Saliua nobis ex ore redemptoris, accepta sapientia in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad predicationis verba formatur. Qui suspiciens in cælũ ingemuit, non quod ipse necessariũ gemitum haberet, qui dabat quod postulabat: sed nos ad eum gemere qui cælo præsidet docuit; vt & aures nostræ per donum Spiritus sancti aperiri, & lingua per saliuam oris, id est per scientiã diuinę locutionis solui debeat ad verba predicationis. Cui mox effeta, id est adaperire dicitur, & statim apertæ sunt aures eius, & solutũ est vinculum linguæ eius. Qua in re notandum est quia propter clausas dicitur, adaperire: sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguæ eius vinculum soluitur, vt bona quæ ipse fecerit, etiam facienda aliis loquatur, vbi bene additur, & loquebatur recte: ille enim recte loquitur qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse faciẽda. D. Gre. li. 1. super Eze. homi. 10. in illa verba tertio capite: filij hominis omnes sermones meos &c.

Misit digitos suos in auriculas eius. Discamus exemplo Christi nõ relinquere bona opera propter calumniantium murmurationes, id enim moliuntur murmuratores, vt ab incæpto bono opere desistamus. De quibus tamen illud Psal. 63. dicamus, sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Solent enim pueri ballistas ex ductili virga struere, & tales ex fœno & aliis sagittas cũ illis proiicere, quæ vel muscas non possint interficere: sed tamẽ multi sunt iam pusillanimes, vt has puerorum sagittas timeant, & metum eorum hominum concipiant, qui de omnibus male loquuntur, quique deprauato sunt animo & conscientia. Ne igitur hos timeas, quia paruulorum sagittas proiiciunt, quæ tuam conscientiam lædere non possunt, cum hi etiam infames habeantur.

Digitos immisit Christus in illius auriculas veluti eas expurgans, significare volens auditum esse purgandum à murmurationibus atque detractionibus audiendis: ingemuit vero, significans maximam miseriã, in quam homo per peccatũ prolapsus fuerat. Vide Simonem Cassia. lib. 5. cap. 25.

Non curat eum in turba, sed seorsum de turba apprehendit, indicans oportere nos à vitiorum & voluptatum turba recedere, vt à Deo peccatorum veniam impetremus. Vide Haymonem super hunc locum.

Illud obseruatione dignũ est, quod in filia Archisynagogi suscitanda, non fuerit Christus vsus eiusce modi cæremoniis neque in curandis plerisque obsessis à dæmonibus, quos solo imperio liberabat: hîc ergo typum quẽdam voluit ostendi ptimorum parẽtum, qui male vsi sunt auditu, prębẽdo eundem serpenti fallaci, & post modum etiam se lingua excusando & culpam prætexendo &c. Vide Soarezium super hunc locum.

Ingemuit Christus, & petiit à patre vt huic fidem adaugeat, qua indigebat ad salutem recuperandam. Vide Arboreum in Marcum 7.

Misit digitos in auriculas eius. Quod aures obseratas habere debeamus ad murmurationes, atque ita cessabunt. Prouer. 26. C. cum defecerint ligna &c.

Fugiamus detractores & murmuratores Prouer. 4. D. detrahentia labia procul sint à te.

Murmurationum & murmurãtium magna copia Isa. 9. D. vir fratri suo non parcet.

Murmuratores multi 1. Reg. 10. D. num saluare nos poterit iste?

Dedecet plane murmuratores audire Psal. 13. sepulchrum patens &c.

Nõ præbeamus aures murmurãtibus, sed ipsos reprehendamus cum prophęta psal. 49. sedens aduersus fratrem tuum loquebaris.

Et suspiciens in cælum, ingemuit & ait illi: Effeta, quod est adaperire. Tres graues infirmitates incurrit quilibet peccator quãdo peccat mortaliter. Primo cæcitatẽ, per mentis obtenebrationẽ Soph. 1. ambulabunt vt cæci, quoniã domino peccauerũt. Ephesi. 4. tenebris obcęcatũ habẽtes intellectũ, alienati sunt à vita Dei per ignorãtiã, quę est in illis propter cæcitatẽ cordis ipsorũ, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitię in operationẽ immunditiæ omnis in auaririam. Secundo, surditatem, per inobedientiæ rebellionem Isa. 42. Quis cæcus nisi seruus meus? surdus nisi ad quem nuntios misi? Psalm. 57. furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Tertio mutitatem, per peccatorum suorum occultationem Isa. 56. vniuersi canes non valentes latrare. Iob 20. cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua. Cæterum notandum quòd tria concurrunt ad curationem istius infirmi, & significant tria quæ sunt necessaria ad curationem peccatoris. Primo sanctorum & Ecclesiæ oratio, ibi: Et deprecabantur. 1. Ioan. 5. Qui scit fratrem suum peccatum non ad mortem, petat pro eo, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Secundo donorum & gratiæ spiritus sancti susceptio, ibi. Misit digitos in aures eius. Glossa, digitos in auriculam mittit, cum per Spiritum sanctum aures cordis ad intelligenda & suscipienda verba salutis aperit. Rom. 3. iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Tertio penitentiæ operatio, quæ consistit in tribus: primo in cordis dolore, ibi. Suspiciens in cælum ingemuit. Interlinearis, gemere nos docuit pro nostris, vel nostrorum reatibus suplicantes. Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis stratum meum rigabo. Secundo in oris confessione, ibi. Et solutum est vinculum linguæ eius: vinculum linguæ soluitur peccatoris cum peccatum confitetur. Iaco. 5. confitemini alterutrum peccata vestra. Tertio in mandatorum Dei & sacerdotis adimpletione, ibi. Et apertæ sunt aures eius. Aures peccatoris aperiuntur, cũ præcepta Dei & sacerdotis adimplendo & satisfaciendo obedit. Heb. 13. obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim pernigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri &c. D. Tho. in sermõ. de hac domini.

Suspiciens in cælum ingemuit. Ipsos quidem respectu in cælum, significans virtute sanandi se habere à Deo; atque ab illo quærendam omnem medelam: ipso vero gemitu significans quam miseretur humanæ naturæ, quæ tum à dæmonibus, tum ab aliis infirmitatibus, variis modis impetitur propter peccati transgressionem; ac gemendi nobis præbẽs exemplum, cum pro nostra nostrorúmque salute supernæ pietatis subsidia inuocamus. Non enim ipse ingemuit, quod opus illi esset, cum gemitu aliquid petere à patre, cum cuncta petentibus donet cum patre. Postremo qui se suspiciendo in cælum & ingemiscendo verum hominem ostendit, iam & diuina se præditum potestate declarauit, cum imperatiuo vsus verbo, dixit. Effeta, quod est adaperire. Corne. Ianse. in sermo. de hac domi.

Suspiciens in cælum ingemuit. Id est nos gemere docuit, & in cælum thesaurum cordis nostri erigere: quod per gemitũ compunctionis intimæ, friuola lætitia carnis purgatur, vt dicitur: rugiebam à gemitu cordis mei. Psalm. 37. D. Hieronymus, in Marcum. 7.

Super illa verba, & suspiciens in cælum ingemuit &c. Vide D. Tho. 2. 2. q. 83. arti. 10. & 3. p. q. 13. ar. 4. ad. 3. & q. 21. ar. 1. per totum. & ar. 2. in cor. & q. 43. ar. 2. ad. 2. & q. 53. ar. 4. & 3. sen. dis. 17. ar. 3. q. 1. & in 4. di. 15. q. 4. ar. 6. quæstiun. 2. & de veri ar. 12. & Ioan. 11. lectione. 6.

Et statim aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius; & loquebatur recte. Apertæ sunt aures eius ad hymnos & cantica, & Psalmos: soluitur lingua, vt erumpet verbum bonum, quod non possunt minæ, nec verbera cohibere, vt ait Apost. 2. Timo. 2. ego vinctus, sed non est alligatum in me verbum Dei. D. Hieron. in Marcum 7.

Et loquebatur recte. Singularis quidam loquendi modus est tacendo loqui, Vnde Quintilia. in li. de causis ait, nullam difficiliorem esse credo, quã silentij virtutem. Adeo enim promptissimo sermone facile delinquimus, vt constantiam tacendi nec in aliis ferre possimus. Sic loquendi appetitu stimulamur impellimúrque, vt cordis arcana, ex quibus frequenter vita nostra dependet, tacere nequeamus. haud equidẽ Senecæ consilium sequimur, qui sic ait. Alium silere quod vis, primus sile &c. vide Vincen. Bell. Specu. Doctri. lib. 4. cap. 92.

Mirũ quoddã silentij exemplũ cuiusdam philosophi, habes apud eundẽ Spe. histo. lib. 10. cap. 70.

Abbas felix rogatus aliquando, vt aliquid doctrinæ & eruditionis in medium proferret, respondit tempus ad id opportunum non esse, q̃ Deus communicandi sermonem remouisset auxilium propterea quòd senes à recte operando manum retraxissent. Idem etiam cum rogaretur esset ne bonum laudare proximum, ferrur respondisse bonum esse quidem, sed melius tacere. Vide Vincen. Bell. Spe. histo. lib. 15. cap. 84.

In quo silentij ornamentum & pulchritudo cõsistat, lege D. Basi. li. regu. breuio. interroga. 208.

Quam necessarium sit silentium, lege Senecam lib. 6. epist. 40. & lib. 7. epist. 53.

Quam laudabile sit silentium Amos 5. D. ideo prudens in tempore illo tacebit.

Silentium est maxime necessarium Iob. 39. D. qui leuiter locutus sum.

Silẽtium multum pręstat Prouer. 17. D. qui moderatur sermones suos.

Quantum in tersit silentium tenere. Prou. 21. D. qui custodit os suum.

Attente & considerate loquamur prouerbio. 23. in auribus insipientium ne loquaris.

Loquamur circũspecte Michææ 7. B. ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.

Quantum conducat silentium Prouer. 10. C. in multiloquio non deerit peccatum.

Cui periculo sit expositus qui multũ loquitur Prouer. 25. D. sicut vrbs partens &c.

Multum loqui sæpe damnosum Prouer. 29. C. vidisti hominem velocem ad loquendum?

Diligẽter silentiũ seruare permagnæ prudẽtiæ est. Ecclesiastici, 1. C, bonus sensus vsq; in tẽpus.

Cum moderatione ac temperantia loquẽdum Ecclesiastici 5. D, si est tibi intellectus.

Maxime commendatur silentium Ecclesiastici 7. B. noli esse verbosus &c.

Maximum est ornamentum linguæ moderatio Ecclesiastici 19. C. quis est enim qui non deliquerit in lingua sua?

Silentium commendatur Ecclesiastici 23. B. indisciplinosæ loquelæ non assuescat os tuum.

Quantum valeat silentium. Ecclesiasti. 25. B. beatus qui in lingua sua non est lapsus.

Linguæ non habere custodiam quantum noceat 2. Re. 4. A. ostiaria domus dormiebat.

Lingua moderanda est & temperanda Ephesi. 5. B. stultiloquium aut scurrilitas.

Maxime commendatur silentium Iacobi 3. per totum.

Et loquebatur recte. Non in eo tota sita est recta locutio, vt quis verbis elegantibus & concinnis orationem suam distinguat, vt variis vtatur coloribus Rhetoricis, & verba tantum nuda & inania effundat: id enim potius audientes ipsos delassare solet & fatigare. Atque hoc quidem, prouerbio illo suo antiqui significare voluerunt, dicentes araneam esse odiosam ipsi Mineruæ: vt enim aranea magno conatu & diligentia telam suam texit, quæ tamen ad id duntaxat deseruit, vt muscas venetur & illaqueet: ita verbosus quisque & inania effundens verba, eo tandem redigitur, vt nil nisi vanitatem & inanitatem sapiat, vt bene ait Aristochius, & Stobæus in suis sermo & Pierius. Hinc etiam D. Basi. ait, q̃ qui se dat eiuscemodi nugis spargendis ac seminandis, similis esse videtur vespertilioni, quæ auis nocte vagatur, & ad sordida lynceos habet oculos, cum interim die quiescat, & ad splendida quæque cæcutiat. Vnde & in lege hæc auis & similes immundæ habebantur. Vide Rhodolph. Flauiacensem in Leuiti. Recta ergo locutio illa est, in qua vtilia quæque traduntur & ad ædificationem comparata. Neque vero ille etiam recte loqui censendus est, qui nobis adulatur, quique sibi imperauit omnia assentari more Gnathonico: nam vt dicere solitus erat Pythagoras, referente Stobæo; multo magis eos qui nos reprehendunt admittere debemus, quiq; malefacta carpunt, quam eos qui perpetuo in omnibus nobis adulantur. Qui profecto simul cum illis qui inutilia tantum & inania profundunt verba: similes sunt ranis, quæ animacula suis coaxationibus omnia complent, cum interim nihil dicant vtile atque commodum.

Maxime cauere nobis debemus à garrulis hominibus, loquacibus, & inhonestis, quandoquidem philosophi etiam plerique nos ad id hortati sunt, de qua re vide Vin. Bell. Spec. doc. li. 4. ca. 170. & Spe. mo. lib. 3. p. 6. dis. 7.

Porro de modestia seruãda in disceptationibus & contentionibus vide Grego. Nazianze. ora. 21.

Quod verba manifestare soleant quid in animo cuiúsque lateat, vide Lau. Iust. lib. qui inscribitur fasciculus amoris cap. 11.

De verbis superfluis & otiosis quãtum incõmodent vide D. Basi. li. regu. breuio. interrog. 23. & 98.

Vsque adeo laudabilis est moderatio in loquendo. & honesta ac seria quædam verborum compositio, vt in conci. Carth. 4. cap. 60. diceretur, clericum scurrilem & verbis turpibus ioculatorem, ab officio retrahendum.

Præcipue quidem conuenit prædicatoribus vt recte loquantur, hoc est sanam & solidam doctrinam proferant. Vnde Siricius papa epis. 4. detestatur maxime doctrinã nouam hoc est discrepãtem & dissonam à sacris scripturis, sanctis traditionibus, & similibus, Vbi etiam adfertur locus ille ex 2. Thessa. 2. State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostrã.

Plerosque videas qui loqui nesciant nisi murmurent & detrahant de his omnibus quæ ab aliis fiunt: cum enim sua tantum ament, aliena odio prosequuntur. Hi quidem similes esse videntur quibusdam sese in gyrum sæpe ac sæpius versantibus, quibus capite sensibúsque conturbatis, cætera omnia turbari ac de sua sede commoueri videntur, cum tamen reuera immobilia persistant, & ipsi sint duntaxat conturbati atque tremuli.

Si cui essent varia animalia conclusa, vt equi, tauri, & similia, eáque inde soluta libere emitteret, annon quæso ad illa reducenda & reuocanda, maximo quodam labore vteretur? At vero si ea ex suis repagulis & stabulis abire non sineret, perfacilis sane etiam variorum animalium esset custodia. Ita plane si lingua soluatur per blasphemias, murmurationes, periuria, & similia mala, perdifficilis quidem est eius custodia: sin autem silentij vigilanti custodia sepiatur, & eius fræno cohibeatur, tunc certe facile custoditur, & ab innumeris incommodis tuta seruatur, ac veluti passerculus aliquis intra auiariũ vndique obseptus, custoditur.

Percontatur D. Basi. lib. regu. breuio. interro. 208. nunquid rectum sit in vniuersum vbique silentium seruare? repondétque silentium seruandum esse debito loco, suo ac tempore Amos 5. prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. Psalm. 38. posui ori meo custodiam. Ephesi. 4. omnis sermo malus ex ore vestro nõ procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei. Cæterum necessarium est perpetuum silentium, quousque & à vitio petulantiæ in dicendo sanemur, & in otio discere possimus, quando & quid, quomodo loqui oporteat &c. Vide D. Basi. vbi supra.

Et præcepit illis ne cui dicerent. Hæc beneficij inter duos lex est inquit Seneca, alter statim obliuisci debet dati, alter accepti nunquam. Vide Senecam lib. 2. de bene. cap. 10.

Si exprobraueris mihi beneficium inquit idẽ Seneca vbi supra capit. 11. tale quidpiam tibi respondebo, quale olim quidam respondit exprobranti quod se eripuisset à capitis supplicio atque pœna. Ait enim redde me Cæsari quoúsque dices, ego te seruaui, ego te à morte eripui? nil tibi debeo, si me seruasti vt haberes quem ostenderes. Quoúsque me circũducis? quoúsque obliuisci fortunæ tuæ non finis? semel in triumpho ductus essem: quamobrem ait Sene. absit omnis exprobratio, & qui dedit beneficium taceat, narret vero qui accepit: aliter enim odiose exprobranti respondere poteris te nihil debere, sed potius cumulate satisfeciſſe. Et quãdo dicet ille? quoties beneficium exprobrasti, téque de eo insolenter iactasti.

Immemores acceptorum beneficiorum esse nunquam debemus, est enim hæc maxima ingratitudo, & quæ quamcunque aliam superet & vincat, vltro scilicet & dedita opera acceptum neglire atque obliuisci beneficium. Non videmus quidem talibus hominibus à lege pœnam aliquam constitui, quod scilicet propter sceleris immanitatem relicta sit Deo decernenda. Vide Senecam li. 3. de benefi. cap. 1. & 6.

Solet quidem ingratus, cum aliquod beneficium postulat, maxime demulcere eum à quo petit, atque montes eidem aureos polliceri, simul atque autem beneficium accepit, nihil perinde obliuiscitur. Vide Senecam lib. 11. epist. epi. 82.

Et præcepit illis ne cui dicerent. Non in virtutibus gloriandum esse docuit, sed in cruce & humiliatione. D. Hierony. in Marcum 7.

Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur. Hoc domini præceptum

ceptum non seruantes, nil peccauerunt, sed potius id fecerunt quòd debuerunt, eo magis suspicientes magnitudinem Iesu, ac magis per hoc prouocari vt apud omnes prædicarent, quòd cum talia posset & præstaret, non solum nihil exigeret præmij, sed ne gloria quidem tam insignis facti cuperet frui. Vt enim est hominis vere benefici non exigere laudem ac gratiam aliquã pro beneficio: ita grati est hominis hoc impensius referre gratiam, quòd qui beneficium dedit nullam expecter gratiam, itaque passim de Iesu isti prædicabant, dicentes, bene omnia fecit. Quod certe elogium in solum Deum cõpetit. Nemo est enim mortalium qui omnia bene fecit, quia non est iustus qui nõ peccet. Vnde Ecclesiastici 39. dicitur. opera domini vniuersa bona valde. Quod autem pluraliter dicunt, surdos fecit audire & mutos loqui, cum vnius tantum iam curati facta sit mẽtio, dicendum pluralem numerum pro singulari positum. Aut ideo pluraliter dixisse, quia vt ex Matt. patet, hoc tempore turbæ obtulerunt multos mutos, cæcos, & claudos, eósque omnes dominus curauit. Corne. Ianse in sermo, de hanc domi.

Tanto magis plus prædicabant. Ciuitas in monte posita vndique circunspecta, abscõdi non potest: humilitas semper præcedit gloriam D. Hierony. in Marcum 7.

Tanto magis prædicabant. Discamus horũ & Christi etiam exemplo grati esse beneficiis acceptis: vide enim quã cumulate reductionem illam nauis à terra, persoluerit Petro Luc. 5. Nam non solum multitudinem maximam piscium concessit, verum etiam quod plus est, illius mentem illuminauit, & fidem præbuit. Discamus etiam soli Deo seruire, quãdoquidem tam magnificus remunerator est: nam quicquid pro mundo vel pro hominibus feceris in retributionem non nisi in gratitudine accipies. Vnde regius vates, dederunt mala pro bonis Psal. 34. Cæterum Iethro ille gratus fuit, cum dixit filiabus: quare non introduxistis hominem? Gratus etiam Eliseus hospite extitit, cum dixit: si habes aliquod negotium cum rege &c. Dominus præterea per Ezech. 46. præcepit, vt qui templum ingrediebatur, per aliam portã egrederetur, ne propitiatorio terga verteret cum à templo exiret: quia qui eadem porta regreditur, terga vertit propitiatorio. Multi quidem in sua siti & tribulatione, diuinum quærunt fontem, sed tamen liberati à periculo, terga vertunt Deo. Vnde Iere. 2. me dereliquerunt fontem aquæ viuæ &c. Quare potius sicut ille qui in pilæ palmariæ ludo, iactanti è regione respondet, strenue rem suam agit, si ea agilitate & modo corpus liberet, vt omnem iactum excipiat, antequã pilam retorqueat terram attingat: ita & tu cum à Deo tam crebra accipias beneficia, dignus plane cælestis palestræ gloria censeberis, si totis & corporis & animi viribus gratias pro diuinis beneficiis egeris, antequã obliuionis puluere fedentur. Hoc fecit leprosus ille de quo habetur Luc. 17. Idem præstitit socrus Petri, quæ à febre liberata, surgens confestim ministrabat Christo Lu. 4. Manna in posteritatem asseruabatur, vt nouissent minores maiorũ suorum panem quo à Deo alti fuerant atque nutriti in deserto, & grati essent diuinis beneficiis. Dauid præterea filio suo Salomoni imperauit 3. Reg. 2. vt ad mensam admitteret filios Bersellai, à quo Absalonem fugiens benigne susceptus fuerat. Eodem etiam modo Miphiboseth filium Ionathæ conuiuã fecit suum 2. Reg. 9. memor amicitiæ quam cum patre inierat. Laban gratus fuit seruo Abrahæ, vidés inaures & armillas quas dederat Rebeccæ Gene. 24. Solicitus præterea fuit Iosue ne Raab quæ nuntios absconderat, ruente vrbe periret Iosue. 6. porro Dauid misit ad viros Iabes Galaad, gratias agẽs quòd sepeliissent corpus Saulis. 2. Re. 2. Elias se gratum viduæ à qua alebatur exibuit 3. Re. 172.

Dicentes, bene omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui. Moraliter, surdus iste & mutus designat eum qui nec aures habet ad audiendum sermonem Dei, sed obturatas habet in modum aspidis, aduersus sapientis incantatoris. vocem nec linguam habet ad professionem propriæ turpitudinis, ac diuinæ misericordiæ & bonitatis, sed tantum ad obtrectationes, maledicentiam, stultiloquia, & id genus, ita vt loquatur quidém, sed non recte. Talis igitur si sanandus erit, necesse est ab his qui recte audire & loqui sciunt, offeratur domino, & his qui in terris domini vice funguntur, qui in primis illum apprehensum è turba abducere debent, hoc est à turbulentis cogitationibus, actibus & sermonibus inordinatis semouere, atq; à lata via, per quam multi ambulant, reuocare ad pusilli gregis consortium. Deinde inserere digitos suos in aures eius atque saliua tangere linguam, quod fit, cum euocantes à fiducia rerum fluxarũ hortantur ad doctrinam cælestẽ & fidem in Christum, quæ est ex auditu: cúmque saliua euangelicæ sapientiæ ita afficiunt palatum eius & linguã, vt de rebus iam melius habeat iudicium, qui palatum prius humana saliua vitiatum habens, peruersè de rebus iudicauit. Horum præterea est ingemiscere potius ob peccata aliena, quam sæuire in ea, dolere potius quam irasci, ac gemitu piisque precibus à Christo contendere miseris salutem: quæ tamen cuncta, nempe doctrinam & orationem, frustra facit doctor, nisi accedat Christi efficax illud præceptum, quo iubeat adaperire aures mentis, & soluantur vincula linguæ, nempe peccata & peccatorum amor, vt iam fide per auditum susceptа, obediens factus diuinis mandatis, incipiat etiam iam recte & recta loqui, qui prius male lõquebatur; sua scilicet peccata agnoscere & confiteri, ac quæ Dei sunt palam prædicare. Iam sicut hinc discimus quosdam male esse mutos & surdos, ita ex aliis scripturis discimus quosdam bene esse surdos & mutos; qui scilicet aures suas non apperiunt cõtra maledicos, & contra iudicia domini: quomodo se surdum & mutum fuisse prædicat Psalmista Psal. 37. ego inquit tanquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. Cor. Ianse. in sermo. de hac dominic.

De surdo & muto vide hug. de S. Victo. lib. 3. allego. in Marcum cap. 5. to. 1.

De epist. & Euan. duas habet concio. D. Anto. in initio 1. par Theolo.

Vide eundem 1. par. hist. tit. 5. cap. 1. 5. 16.

Tres habet concio. C. Tho. de hac dominic. prope finem to. 16.

D. Augustin. habet concionem quandam de hoc euange. quæ incipit, Modo aures corporis &c. prope finem to. 10.

Vide Petrum Chrysol. sermone 176.

Vide Glos. incognit. super psalm. versi. 622. in illa verba Psalm. 37. Ego autem tanquam surdus non audiebam &c.

DOMI

DOMI. DVODECIMA
Post Pentecoſten.

DIXIT Ieſus diſcipulis ſuis: beati oculi qui vident quæ vos videtis. Luc. 10. Cum ſancti Apoſtoli Chriſtū corporeis oculis cernerent, non id tantum faciebant, ſed etiam in eum credebāt, atque eundem diligebant. Et nos etiam licet Chriſtum corporalibus oculis non videamus ſicut illi ſancti Apoſt. beati ſumus, ſi credentes in eum, dilexerimus illum, ſicut ipſe ſaluator teſtatur Ioan. 20. dicēs: beati qui me non viderunt, & crediderunt. Quidam quidem vt Paulus ait Romano. 1. Deum cognouerunt, & quia illum non glorificauerunt diligendo, euanuerunt in cogitationibus ſuis. Quemadmodum enim excuſſorium ferramentum etiamſi ſilicem fortiter collidat, niſi illi diligentiſſime fomitem in quo ſuſcipiat admoueris, nullum omnino ex ea induſtria & labore fructum referes: ita illi Philoſophi de quibus loquitur Paulus quamuis ingenij acie veluti quodam excuſſorio ferramento; præclariſſimum illum & egregium ſilicem Deum aſſidue ferierint, & ex ea mutua colliſione ſplēdidiſſimæ ſcintillæ emicuerint eorum, nimirum circa huius nobiliſſimæ ſubſtantiæ attributa, cognitio mirabilis fuit, illorū tamen animis affectu voluntatis, quo hic cæleſtis ignis accendi debuiſſet, deſtitutis prorſus, in denſiſſimas errorum tenebras lapſi ſunt. Vnde dixit Paulus, quod obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, quia Dei gratiam non acceperunt vt eum diligerent. Vt enim nauclerus ſine claritate ſolis ſiue lunæ non poteſt portum capere, ita homo lumine gratiæ deſtitutus, non poteſt gloriæ portum contingere. Exiſtimat ſe anchoram in locum tutum iacere, cum tamen in ſcopulum iniecerit, vbi nulla prorſus eſt ſalutis ſpes. Sic ergo Philoſophi errauerunt, & putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: quia cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, nec eum dilexerunt. Ideóque Dei gratia deſtituti, cæci facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis.

Beati oculi &c. Si regina illa Sabba 3. Reg. 10. dicebat de ſeruis Salomonis; beati viri tui, & beati ſerui tui, hi qui ſtant coram te ſemper, audiunt ſapientiam tuam: quanto verius dixit Chriſtus diſcipulis ſuis beati oculi qui vident quæ vos videtis?

Multi olim Philoſophi lōgiſſime à veritate ipſa & religione noſtra aberrantes, beatitudinē ipſam ſtatuebant alij in voluptate corporis, vt Epicurei; alij in externa honeſtate & cultu, vt Stoici: & denique varij ita varie ſentiebāt. Vide D. Ambro. in lib. offi.

Beati oculi. Erat enim quædam beatitudo videre hominem illum quem ſciebant verum Deum eſſe, non erant autem beati illa beatitudine quæ eſt in patria. Vide etiam Ioan. Gerſon. 3. par fol. 362.

Beati illi ſancti viri, qui viderunt Chriſtum cū hominibus conuerſantem, prædicantem, ventis imperantem, mortuos ſuſcitantem, dæmonéſque expellentem! Tales quidem ſe eſſe diſcipuli fatebantur, cum præſertim recedente à ſe Chriſto, tanta triſtitia perfunderentur &c. Vide D. Bernar. in Aſcen. do. ſermo. 6.

Dico enim vobis quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Dicet aliquis, cum conſtet Deum patribus fuiſſe locutum, & ab eis viſum, quid ſibi vult quod hic dicitur. Multi prophetæ & reges &c? Nam Abraham multoties Deū apparentem vidit, & tādem trium angelorum perſonis hoſpitio receptis Gen. 17. Moyſes quoque ſcriptura teſte Exo. 33. cum Deo ſolitus erat loqui facie ad faciem, ſicut loquitur homo cum amico ſuo. Et Eſa. 6. vidiſſe ſe dominum dicit ſedentem ſuper ſolium excelſum. Sic etiam Michæ. & multi alij prophetæ, ſibi Deum apparuiſſe cōfirmant. 3. Reg. 22. vnde & videntes ſunt appellati. Si ergo ſancti patres & prophetæ Deum viderunt, quid eſt quod dominus dicit: voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt? Sed tamen aliud eſt videre per imaginem, & aliud per ſpeciem. Viderunt quidem ſancti commemorati Deum, ſed per ſpeculum & imagines in ſubiecta creatura. Omnes enim manifeſtationes quæ ad patres veteris teſtamenti factæ ſunt, per inferiores Deo creaturas, ideſt per angelos factæ ſunt. Si enim in ſeipſo abſque vllis imaginibus Deum ſancti viderunt ſicuti eſt, quid eſt quod Moyſes qui cum domino vt dictum eſt, facie ad faciem loquebatur, obſecrabat dicens Exo. 33. ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi teipſum manifeſte vt videam te? quem manifeſte videre cupiebat, vtique ad illud vſq; tempus per imagines & figuras ſe vidiſſe declarabat. Vnde & beat. Stephanus de ipſo dicit Acto. 7. Hic eſt Moſes qui cum angelo loquebatur qui apparuit ei in rubo. Porro lōge aliter ſancti Apoſt. dominum videre meruerunt, qui ipſum præſentem habebant, & ei conuictu familiariſſimo adhærentes, quicquid cognoſcere voluiſſent, non per ſpeculum aut ænigmata, non per angelos aut alias viſionum ſpecies, ſed ipſum dominum interrogantes diſcebant: vnde omnibus ſanctis iam præteritis priuilegio beatitudinis præferuntur. Nā illi qui in veteri teſtamento Deum vidiſſe narrantur, iuxta fidem defuncti ſunt omnes non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes & ſalutantes.

Multi prophetæ & reges &c, Conſule D. Chryſoſt. ſuper Ioan. homi. 7. to. 3.

Et ecce quidam legis peritus ſurrexit tentans illum, & dicens. Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Sicut ex pharmacopolæ officina vbi ſalutaria medicamenta & pretioſa vnguenta venduntur, ali quando exit toxicum & mortiferum venenum; ſic ex hominibus doctis & ſcientia excultis, peſtifera interdum egreditur doctrina. Multi diſcunt vt ſciant, non tamen vt boni efficiantur. Herodes impius ſcrutabatur ſcripturas, non vt bonus efficeretur, ſed vt ſciret vbi Chriſtus eſſet natus vt interficeret eum. Cæterū tunc ſcientia & literæ ſunt bonæ, quando virtuti cōiunguntur; nam cū ita nō fuerit; ab inſano & amente vix talis differt, qui cum enſem arripit, quem vult interficit, & ſi libuerit etiam ſeipſum. Stultus fere & demens eſt literatus ſine virtutibus, enſémque euaginatum affert: qui armis literarum, & ſua autoritate & opinione, ſeipſum & multos alios deſtruit. Si vis vt literis præclarus & excellens filius tuus euadat, eum prius doceas quo itinere in cælum eſt iturus. Ideo Dauid, Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me, Prius dixi Bonitatem & diſciplinam, & poſtea ſcientiam. Super virtutis fundamento bene literæ ſedebunt: nam ſi tapete vel gauſape mortuum induas, & ſi plurimis veſtimentis oneres, nequaquam calefiet, quandoquidem ab intrinſeco nullum habet calorem natiuum, qui quidem vitam & animam ſuſtentat. Sic nimirum ſi in tuo corde ignis amoris Dei non ardet, quicquid habueris exterius, autoritas, literæ & ſcientiæ parum

rum aut nihil tibi proderunt. Hūc aſpice, qui cum legis eſſet peritus, audacior fuit, & vt in lege doctus Chriſtum vult tentare, & quærit nō vt diſcat, ſed vt eum ſermone capiat, & arguat ſi ad interrogata non reſpondiſſet. *Magiſter &c.* Magiſtrum illum vocat, vt facilius deciperet ſi incautum inueniſſet, amici tiam & beneuolentiam ſi mulās, & ſicut Scorpio oſe blandiens cauda autem pungēs. Vnde Pſalm. Os tuum abūdauit malitia, & lingua tua cōcinnabat dolos. Concinare eſt apte componere, ſic vt fallacia nō intelligatur, & in verbis conpoſitis malitia nō appareat. Ideo cōcinnat lingua dolos, quando verbis compoſitis fallaciam ſimulamus. Iubebat deus Deut. 22. vt nemo veſtem ex lino & lana indueret. Illi vero linum & lanam induunt, qui aliud in ore, aliud in pectore habent. His compoſitis & fictis, duplicíque facie incedentibus, mundus abundat, qui coram facie te laudant, à tergo autem vi tuperant infamant.

Quid faciendo vitam æternam poſſidebo. Tametſi hic doctor eſſet malus, non tamen adeo vt peſſimi Lutherani, qui dicunt opera nullo modo eſſe neceſſaria ad vitam æternam conſequendam, & ſolam fidem ſufficere. Hic namque doctor bene intellexit vt in lege peritus, nos non poſſe regnum Dei conſequi otioſos, ignauos, & pigros. Sed labore, cura, & diligentia. Vnde non dixit. quid credendo, ſed quid faciendo? Hinc etiam in Matt. legimus, quod iuſtis dicit deus, venite benedicti patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratū eſt ab origine mundi: & ſequitur ſtatim, eſurini enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui, &c. Præparatum eis dixit regnum ab æterno, ſed ſtatim addit quod fuit comparatum ab illis operibus miſericordiæ & actibus bonis. Aeterna prædeſtinatio ſine nobis eſt quantum ad principium, quia deus ſine nobis eligit nos, ſed non eſt ſine nobis quantum ad finem, quia ſine nobis non glorificamur. Ideo deus opera exigit, & hic legis peritus nunc quærit quibus operibus eſſet vitam æternam conſequuturus. Vnde 2. Petri. 1. Satagite vt per bona opera, certam vocationem & electionem veſtram faciatis. Certam ergo facimus per bona opera futuram gloriam: ſicut Saluator ait, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Matt. 19. non enim auditores legis iuſti ſunt apud deum, ſed factores legis iuſtificabuntur Rom. 2. Et Iacobi 1. eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallētes vos metipſos. De iuſtis etiam pſalmiſta ait, quod memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea pſal. 102. Et ille pater familias nō dedit denarium, per quem æterna retributio intelligitur, niſi illis qui in vinea domini laborauerunt Matt. 20. ideóque operarios conduxit, non verboſos. & apud Ioan. 15. Chriſtus ait, omnem palmitem in me nō ferentem fructum, tollet eum pater meus. Tollere autē eū vt ipſemet ait, infra eſt, mittere eū in ignē vt ardeat, non tamen condemnatur ob aliud niſi quia fructum non facit. Et Iſa. 1 diſcite inquit benefacere; non dixit, diſcite benedicere, ſed diſcite bene facere. Et his & infinitis aliis ſcripturæ locis, quæ omittimus breuitatis cauſa, conſtat bona opera eſſe neceſſaria ad vitam æternam conſequendam.

Magiſter, &c. Si voles hoc loco digredi contra adulatores, & adulationem, nonnulla inſinuabo loca.

Adulatores quantum noceant Ezech. 22. f. prophetæ autem eius.

Adulatores ſunt fallaces & impoſtores Ezech. 13. A. væ prophetis inſipientibus.

Adulatorum ingenium Oſee. 5. A. laqueus facti eſtis.

Adulatores decipere intendunt Oſee 7. A. in malitia ſua lætificauerunt regem.

Adulatoribus graues ſiunt comminationes Abacuc. 2. C. væ. qui potum dat.

De adulatoribus vide Michææ 3. b. hæc dicit dominus.

Quo exitu adulatores conſumantur 2. Reg. 1. C. ſanguis tuus.

De adulatoribus vide Iere. cap. 23. E. audiui quę dixerunt propheræ. 28. A. dixit ad me Hananias & 29. f. & ad Semeiam dices.

Pernicioſum habent exitum adulatores 2. Reg. 4. D. interfecerunt eos.

Adulatores quantum incommodent Acto. 12. D. dei voces, non hominis.

Deceptiones intendere ſolent adulatores Matt. 22. b. Scimus quia verax es.

Quam pernicioſi qui adulantur pſal. 27. qui loquuntur pacem, &c.

Adulatores infelici fine clauduntur pſal. 52. quoniam deus diſſipauit.

Proprietas & ingenium adulatorum pſal. 54. molliti ſunt ſermones eius, &c.

At ille dixit ad eum, in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Diſcamus in noſtris operibus legem dei conſulere & per illam gubernari. Sic enim ſanctus Dauid ſæpe deum conſulebat, & ita præclare agebat. Perſequutus à Saule 1. Reg. 21. venit in Nobe, ad ſacerdotem domini Achimelech. Et cū vellet contra Philiſtæos ire qui Ceilam volebant capere, ſtatim dominum conſuluit: idē fecit quando Amalchitas deſtruxerūt & combuſſerunt Siceleg. Et quia deum & eius legem ante oculos ferebat, ideo proſpere agebat. Moſes præterea Leui. 24. deum conſuluit quid eſſet faciendum de blaſphemo. Idē fecit Iacob Gen. 46. conſueuerat facere Iudith 8. & Eſther 14. ſic ſancti Apoſtoli in electione Matthiæ fecerunt Acto. 1. denique omnes viri iuſti hunc etiam morem imitantur: & ita à viris prudentibus & ſapientibus faciendum eſt, ſi velint feliciter res ſuas contingere: contra vero qui mundi conſilium & non dei capiunt, infeliciter omnia faciunt. Saul qui Pythoniſſam cōſuluit. infeliciter occubuit Similiter periit Ochozias, eo q miſerit nuntios ad cōſulendū Beelzebub deum Accarō 4. Reg. 1. ſic Ioſue tametſi bonus eſſet, tamē quia cū ad eū venerūt Gabaonitæ nō cōſuluit dominū, deceptus eſt ab eis. Ioſue 9. Ideo dominus arguit Iſaëlitas per Eſaiam, dicens: os meum non interrogaſtis Eſa. 30. Deus enim eſt qui loquitur nobis, vt videamus quid ſit ſcriptum in lege; hæc namque nos illuminat, nos inſtruit, viam noſtram dirigit, & quid faciendum quidue fugiendum docet. Vnde Prouer. 6. mandatum lucerna eſt, & lex lux. Et Chriſtus Ioan. 5. inquit, ſcrutamini ſcripturas, &c.

Ille reſpondens dixit: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Sicut in primo præcepto duo præciuntur, ſcilicet diligere deum, & modus diligendi ſcilicet ex toto corde, &c. Ita hoc præcepto quod deſumptum eſt ex Leui. 19. duo etiam præcipiuntur, nempe diligere proximum, & modus dilectionis, ſicut teipſum. Circa quem modum notandum eſt, non dici diliges proximum tuum quantum teipſum, quia ordo naturę & charitatis, de qua ſcriptum eſt Canti. 2. ordinauit in me charitatem, habet vt plus me quam proximum diligam. Sed dici

tur

tur ſicut teipſum, hoc eſt quo modo teipſum diligis. Hunc modū in tribus docet conſiſtere D. Tho. 2.2.q.44.a.7. nimirum vt quis proximum diligat ſancte, iuſte, & vere. Sancte, vt ſcilicet quis proximum diligat propter deum, ſicut ſeipſum debet propter deum diligere, iuſte, vt non condeſcendat proximo in malis, ſed tantum in bonis, ſicut & ſuę voluntati ſatisfacere homo ſolū in bonis debet. Vere, vt non diligat aliquis proximū propter propriā vtilitatē vel delectationē, ſed ea ratione velit proximo bene, qua ſibi, ex amore ſcilicet amicitiæ, nō concupiſcentiæ. Corne. Ianſe. ſermo. de hac domi.

Et ex omni mente tua. Hic accipitur mens pro ipſo intellectu: vlterius per voluntatem mouetur appetitus ſenſitiuus, vt cōueniat cū ſuperiori parte. Quia ſicut ſphęra ſuperior mouet orbes inferiores ſuo motu, ita voluntas appetitum, ſentiuum vt Ariſto. 2. de anima, & iſte actus notatur cū dicitur, & ex tota anima tua: per animam hinc intelligitur pars ſenſitiua. *Et ex omnibus viribus tuis.* Vult enim deus vt ex omni prorſus volūtate, intellectu, potentiis, & omnibus viribus noſtris eum diligamus, ita vt mundus nullam ſedem habeat nec partem amoris noſtri. Sic enim Pharao Exo. 10. cum populum iſraëliticum non poſſet in captiuitatem redigere, dicebat: ſaltem benedicite mihi, & cum nec hoc obtineret, dixit ſacrificate, ſed oues veſtrę & armenta remaneant. Nam quando diabolus animæ noſtræ regnum non poteſt plene poſſidere, vult ſaltem aliquid à nobis. Sed quid Moſes reſpondit? non remanebit ex eis vngula. Vide igitur vt omne cor tuum, vitam & animam, liberali animo deo tribuas, dæmoni autem nec vngulam nec aliquam tui particulam relinquas. Nec velis ſi tibi vndus ambulare, & à creaturis guttulas aliquas mendicare, quæ ſitim magis prouocant quam extingunt, cum tam limpidiſſimum & perennem fontem habeas, nempe deum, in quo ſolo ſitim tuam perfecte ſatiare potes. Quid enim deſiderare poteris, quod non plenius & abundantius in deo reperias? Si ſapientia delectaris, ipſe eſt ſapientiſſimus: ſi pulchritudine, ipſe filijs hominum ſpecioſior eſt. Si potentia & fortitudine, ipſe eſt dominus fortis & potens. Si gloria & diuitiis, in domo eius ſunt diuitiæ. pſal. 111. Si voluptate & delectatione, delectationes eius vſque in finem in dextera eius. Pſal. 15. ſaturitate & abundantia, inebriātur ab vbertate domus eius qui poſſidēt eum pſal. 35. ô ſummam tamen hominum ſtultitiam & deplorandam cæcitatem! quam quidem dominus per propheram reprehendit Iere. 2. dicens, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, Relinque igitur ciſternas iſtas diſſiparas, & deū dilige. Si enim obiectum voluntatis eſt bonum, ita vt nihil diligere poſſis niſi bonum vel quatenus ordinatur ad bonum: qui fieri poteſt vt deum nō diligas, qui ſumme bonus eſt & actus purus bonitatis? ſi propter radiū quendam vel ſpecimen bonitatis quod in creatura reperis, earn diligis & amas, cum interim mille imperfectionibus claudicet, & cum guttula ab illo bonitatis pelago & mari profluat, nempe deo, cur eum qui ipſa bonitas eſt, non diliges?

Diliges dominum deum tuum. Dilige ſaltem deum quando tibi benefacit, cum autem beneficia non cōtulerit nō eū diligas. Parum certe homo ab homine peteret, qui ſolum poſtularet vt ſi quando beneficia aliqua ipſo actu in eum exerceret, tunc temporis diligeret. Cum ergo deus omni tempore & omni hora beneficiis collatis alia maiora & ampliora accumulet, amorē ſēper illi debeas. Quis enim bona ſibi facientem non amet? Leo quidem animal ferociſſimum, tanquam agnus patientiſſimus cibum miniſtranti indulget. Vrſus qui beſtia immanis & crudelis, non ſolum cibanti blanditur, ſed etiam cum illo ſaltat & in luctam deſcendit. Diligere porro deum debes, quia tuus eſt. Quis enim ſua non amet? Audi ergo prophetam dicentem, beatus populus cuius dominus deus eorum eſt. O diues & pulchra poſſeſſio! ô quam beatus eſt poſſeſſor dei ſui! Quare ergo cum deus ſit tuus, ab hoc amore te ipſum ſemoues? nunquid eum indignum tuo amore iudicas? Cū enim omnia diligas & ſummo amore proſequaris, ipſum ſolum ab hoc amore foras expellis Nonne deus iraſcetur ob ſui contemptum? non ne vides grande ſcelus quod admittis? Cum palliū perdis, doles quia tuum erat: triſtaris ſi rei familiaris iacturam facis: cum tamen deum ſæpe amittas, eundémque offendas, nihil moueris. Et mirum valde eſt ait Cypria. quod deus te ſolo quaſi ſua hæreditate cōtentus ſit: tibi vero non ſufficiat deus tuus, cum terrena diligas ipſum relinquens.

Ex toto corde tuo. Non vult deus cor diuiſum, ſed integrum; venerunt duæ mulieres meretrices ad Salomonem 3. Reg. 3. quarum altera dixit: nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur, prudentiſſimus autem Salomon infantem integrum & intactum matri tradidit, & noluit vt diuideretur. Tu vero vis ſimilis effici illi mulieri meretrici, cum alteram partem cordis tui deo tribuas, alteram vero mundo. Deus autem iubet ne diuidatur, ſed vt totum ſibi tribuatur: mundus inquit quod diuidatur. Vnde Oſee 10. diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Diuiſio cordis mors animæ eſt: nam vt corpus diuiſum non ſine anima viuit, ita etiam cor diuiſum nullam habet vitam. De his etiā dixit Elias, quouſque claudicatis in duas partes? Si deus eſt Baal, ſequimini, &c. 3. Reg. 18. Cæterū ille vere & ſuper omnia deum diligit, qui alicuius rei creatæ imagine captus, mortiferum peccatum nō committit. Interim vero dum peccati occaſio non ſe obtulerit, res alias, vt parentes, vxorem, & filios, potes diligere, ea tamen lege vt ſemper animam habeas paratam, vt quoduis grauiſſimum diſcrimen patiatur potius, quam propter aliquam earum mortaliter audeat peccare. Dilige res tuas quātum voluerīs, dummodo cum occaſio peccandi fuerit oblata, præſenti ſis animo vt ſanctus Ioſeph, vt Suſanna, vt Dauid cum noluit interficere Saulem; ſis inquam præſenti animo vt ſuper omnia deum diligas, diſcrimen potius vitæ & grauiſſima tormenta paſſurus, quam in tantam tāmque diuinam maieſtatem pecces.

Diliges dominum Deum tuum In conſpectu diuino, corámque ſuperno illo iudice, potius attendi tur finis, quam rei magnitudo. Si ſcopus & finis tuus non fuerit deus, etiam ſi multum laboraueris, minimam mercedem accipies. Cuius rei ſi exemplum appoſitiſſimum cupias videre, aduerte quod cum dominus ſanctum Iob laudaret, dicens eum eſſe rectum, ſtatim contra hoc inſurrexit dæmon, dicens. Nunquid Iob gratis timet deum? vide obſecro quod non dixerit dæmon, Iob non feciſſe multa præclara opera: nam ſatis ſciebat eum ſancte viuere, at vero intentionem & finem operum tetigit, dicens ea non gratis facere, nec propter deum & eius amorem, ſed propter ſuum commodū & vtilitatē, ob tā amplā & diuitem ſupellectilem quā illi dominus donauerat, & propter ſpē tantorum bonorum quæ ipſi promiſerat. Ideo ſubdit dæmō: ſed extēde paululū manum, &c. hoc eſt tolle illi ſubſtantiam, tuncque manifeſte videbis quomodo ſanctitatis & amoris tui oneri ſuccumbat. Sed tamen experientia tandem ipſa docuit Iob iuſtum & ſanctum eſſe, deóque ſeruire propter ipſummet Deum, & non propter bona, atque rei familiaris affluentiam. Multi etenim ſunt qui iudicio & arbitrio noſtro ſancti ac iuſti videntur, cum tamen coram diuinis oculis nullius fortaſſe ſint meriti. Quare ſtudium tum atque operā omnem ad hunc finem & ſcopum dirigere debes; vt Deum diligas propter ſe, & illi ſoli placeas. Vnde beatus Anſel. li. de ſimilitu. cap. 190. domino Deo dicebat, mallem purus à peccato & innocens gehennam intrare, quam peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere. *Diliges dominum Deum tuū, &c.* Quod Deum ex toto corde & ex tota anima diligere debeamus, lege D. Chryſoſt. in non abſo. ho. 42. to. 2.

Amor & reuerentia Deo debentur Mala. 1. b. filius honorat patrem.

Temporalia magis quam Deum multi diligūt. 1. Reg. 2. f. magis honoraſti filios quam me.

Qualis cum noſtris proximis amicitia interuenire nobis debeat 1. Reg. 18. A. anima Ionathæ.

Amor erga proximum quomodo eſſe debeat. 1. Reg. 19. A. quærit Saul.

Eximio quidem ac ſingulari quodā nos Chriſtus proſequitur amore, qui olim adumbratus fuit per amorem illum maximum quo Dauid filium ſuum Abſalon proſequebatur, & de eius interitu triſtabatur, quamuis patri filius inſidiaretur 2. Reg. 18. & 19.

Quali amore complecti proximos noſtros debeamus, vide 1. Ioan. 2. 3. & 4.

Proximos noſtros quantumuis inimicos amare debemus 1. Cor. 4. C. maledicimur & benedicimus.

Amor proximi verus eſſe in nobis comprobatur, cum pro eo oramus quamuis malus ſit & inimicus. Vnde Abraham orauit pro ſodomitis Geneſ. 18.

Tantam dilectionem habuit Moyſes erga proximos ſuos, vt orans pro eis diceret: aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Exo. 32.

Dominus præterea docuit nos pro proximis orare quamuis inimicis Mat. 5.

Amare debet homo proximum ſuum ſicut ſeipſum, vnde reprehenſus eſt Cain, qui dixit ſe non eſſe cuſtodem fratris ſui Gen. 4.

Moyſes ita proximos diligebat, vt optaret quem libet prophetare ſicut ſe Num. 11.

Cum populum ſuum tantopere diligeret Moyſes, recuſabat populum illum alium maiorem à Deo promiſſum Num. 14.

Amare debet homo proximum ſuum oſtendendo compaſſionem in eius aduerſitatibus: ſic filij Iſrael poſt occiſionem filiorum Beniamin, cōpatientes eis fleuerunt. Iudicum 21.

Sanctus propheta Dauid oſtendit compaſſionem dilectionis in planctu Saulis & Ionathæ 2. Reg. 1.

Conſidera quantus eſſet Nehemiæ amor erga proximos ſuos. Nehemiæ 1. &c.

Vide quantopere diligeret Tobias proximos ſuos, quibus & mortuis & viuis maxima beneficia præſtabat To. 1. &c.

Mira fuit dilectio illa Chriſti domini cum orauit pro perſecutorib. Luc. 23. Itē Stephani Acto. 7.

Quantum referat homines inter ſe habere pacem, mutuiſque amicitiæ vinculis teneri oſtendit Seneca lib. 6. epiſt. epiſt. 48. dicens: alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere.

Dixitque illi recte reſpondiſti: hoc fac, & viues. Approbat primum dominus eius reſponſionem, dicens, Recte reſpondiſti: nam vt poſtea dicit, in duobus illis mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Deinde ad id quod recte dictum erat, etiam faciendum hortatur dicēs: Hoc fac & viues. Quaſi dicat, nō ſatis tibi eſſe putes quod quid ſit optimum ſcias præ aliis, ſed hoc quod optime reſpondiſti, etiam opere adimple, & viues vita æterna de qua quæſiuiſti: quæ hic quidem incipit per gratiā, & perficitur per futuram gloriam. Non enim ſufficit ad vitam legis cognitio, ſed obſeruatio. Corn. Ianſe. in ſermo. de hac domini.

Recte reſpondiſti. Docet hic locus, bonum etiam ſi in noſtris inimicis ſit, à quocunque debere laudari, ſolēt enim multi opera quantumuis præclara & excellentia, ſi ab inimico facta fuerint, vituperare, & quamuis ſapientes ſint, eoſdem ignaros & inſanos appellant. Hoc genus hominum impiiſſimum eſt, nam etiamſi inimicus in aliquibus vituperio ſit dignus, nonnulla tamen laudanda habebit: nec ita cæcus & tuæ ſententiæ ſis amicus, vt bonum nolis agnoſcere, & tale iudicare. Hic enim doctor tentator erat, & Chriſti æmulus, nihilominus tamen eius dictum Chriſtus approbauit. *Hoc & fac viues.* Solus Chriſti & proximi amor animā ſuſtinet, alit, & paſcit, ſecundum illud 1. Ioā. 3. qui non diligit, manet in morte. Nil enim tibi proderit etiamſi angelos rerum omnium cognitione ſuperes, etiamſi variis naturæ dotibus & donis exorneris, cum interim charitatem nō habeas, ſed mortuus ſis. Vt enim anima corpus ipſum ſuſtentat, ita animæ vita eſt ipſa charitas, ſine qua mortua iacet. Si igitur vitam corporis quæ breuis eſt, momētanea & caduca, tāti facimus, atq; tā multa patimur pro ea recuperanda & conſeruanda, quāta quæſo præſtare debemus pro conſeruatione vitæ ipſius animæ, & pro ſempiterna beatitudine comparanda? Hic enim Chriſtus loquitur, non de quacunque vita, ſed de vita æterna, quæ beatorum patria & ſedes eſt: nam cum Chriſtus ad interrogata reſponderet, cumque doctor de vita æterna percontaretur, poſtquam dixit quid erat in lege ſcriptum, reſpondit dominus, hoc fac, & viues, ac ſi diceret: Deum dilige, & proximum, & ſic æternam vitam poſſidebis, hæc eſt tuæ quæſtionis reſponſio. Age igitur homo, conſidera iam, quam paruo dilectionis pretio ematur vita æterna. Atque ſi tanta moliris, vt nō pereat vita corporea, vt diutius protrahatur: quid quæſo tibi faciendum erit vt vita ſempiterna perfruaris?

Ille autem volens iuſtificare ſeipſum dixit ad Ieſum: & quis eſt meus proximus? Quia tumeſcebat legis peritus inani gloria, quaſi abunde compleuiſſet præceptum de diligendo Deum, quæſtionem mouet de proximo quaſi Deum iam diligeret. Putabat enim ſe Deum diligere ſuper omnia, & ideo de proximo interrogat. Ecce arrogātiam & præſumptionem: fingit ſe familiarem Deo, quem non videt & tamen dicit ſe ignorare quem videt, cum dicatur 1. Ioā. 4. qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?

Quis eſt meus proximus? Ita qui Chriſtum neſcit, neſcit & legem. Quomodo enim poteſt ſcire legē cum veritatem ignoret, cum lex annuntiet veritatem? D. Ambro. lib. 7. in Luc. 10.

Suſcipiens autem Ieſus, dixit: homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericō, & incidit in latrones, qui

etiam ſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. In quatuor miſerias incurrunt homines cum peccant: primo cœlesti gloria priuantur, ibi, deſcendebat ab Hieruſalem, &c. Gloſ. homo ille cœleſtis Hieruſalem præuaricationis prolapſione, ad miſerias & defectum huius ærumnoſæ & mutabilis vitæ deſcendit. Iſa. 25. ſecundum aliam literam, tollatur impius ne videat gloriam Dei. Secundo dæmonibus ſubiugantur: ibi, incidit in latrones. Gloſ. in poteſtate dæmoniorum, 2. Tim. 2. nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem & reſipiſcãt à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Tertio bonis gratuitis expoliantur, ibi. Qui expoliauerunt eum. Gloſſa, indumenta gratiæ ſpiritualis auferũt. Sapien. 1. in maliuolam animã non introibit ſapiẽtia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Quarto in bonis naturalibus vulnerantur, ibi vulnerauerunt: vulnera inferunt, id eſt peccata quibus humanæ naturæ integritas violatur. Aug. ſi naturæ bonæ non eſſent, eis vitia non nocerent, nunc autem eis quid faciunt niſi adimere integritatem, pulchritudinem & virtutem, & ſalutem? D. Tho. in ſermone de hac domi.

Deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho. Hieruſalem enim in montanis eſt locis, Ierico vero in cõuallibus, & in via incidit homo in latrones, periculoſus enim fuit locus inter Hieruſalẽ & Iericho, quemadmodum patet teſtimonio D. Hiero. qui in epiſt. ad Euſtochium virginem, dicit inter Hieruſalem & Iericho fuiſſe locum, qui dictus eſt Adomim hoc eſt ſanguinum, quia multus in eo ſanguis crebris latronum fundebatur incurſibus. Et ſcribens in Matt. c. 20. ait multos latrones fuiſſe in Iericho, qui egredientes & deſcendentes de Hieruſalem interficere & vulnerare conſueuerunt. Corn. Ianſe. in ſermone de hac domi.

Per hunc hominem, qui deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho intelligit Chriſtus hominem cuiuſcunque ſtatus, aut cõditionis, qui pauper eſt, humilis, abiectus, infirmus, triſtis, aut humano auxilio deſtitutus, & vt vno verbo cõcludam, omnis ille intelligitur, qui alterius ope indiget. Attende igitur tu qui dives es, pauperem proximum tuum eſſe, ſi ſapiens & ingenio præditus, ignorantem ſocium te habere. Si corporis valetudinem & ſalutẽ habes, memineris infirmũ proximũ tuum eſſe, & à Chriſto tibi eſſe commendatum. Si lætus es, & rerum felicitas tibi contigerit, recordaberis triſtem & afflictum vinculo charitatis & amoris tibi eſſe coniunctum. Nam per hunc, qui ab Hieruſalem in Iericho deſcendebat, intelligit Chriſtus omnem illum, qui aliqua neceſſitate vel miſeria laborat, cum quo vult vt viſcera tua aperias & miſericordia vtaris, ſequens exemplum Samaritani. *Et incidit in latrones.* Quem obſecro mandus perſequitur, niſi pauperem? Quem exterat dives, niſi pauperem? diuiti omnes tribuunt, pauperem vero expoliant. Milui qui terreſtres aues ſunt, & omnẽ prædam è terra rapiunt, nunquam aquilam aut accipitrem aggrediũtur, ſed paruos pullos ſub alis matris protectos. Sic diuites non cum potentibus & magnatibus quæſtiones nectũt, aut ſuſcitãt lites. ſed cum paupere & egeno, qui viribus eorum reſiſtere non valet. Vnde illud Eccleſiaſtici 13. venatio leonis onager in eremo, ſic & paſcua diuitũ ſunt pauperes. Si igitur paſcua diuitum ſunt pauperes, quid mirum ſi dicatur quod pauper incidit in latrones?

Homo quidam deſcendebat, Variis quidem inſidiis & impugnationibus aggreſſus eſt ſæpe dæmon ipſum hominem, & indies quemque aggreditur & compugnat; nam initio cum videret protoparentem florere, & in altiſſimo dignitatis & honoris gradu locari: doluit de tanta eius amplitudine & dignitate, atque ita præ inuidia effecit vt ſpoliaretur bonis gratuitis, & vulneraretur in naturalibus. Quotidie etiam molitur, vt incidamus in crudeliſſimos latrones, nempe ſuperbiam, auaritiam, & ſimiles, &c. Vide D. Baſi. hom. in aliquot ſcripturæ loços pagi. 204.

De eo qui incidit in latrones, vide Hugo. de S. victo. lib. 4. Allego. in Luc. c. 12. to. 1.

Deſcendit Adam ex Hieruſalem, hoc eſt ex paradiſo in Iericho, id eſt hunc mundum. Per ſacerdotem porro & leuitam intelliguntur ſacrificia antiqua & lex, per Samaritanum Chriſtus, per latrones dæmones, per ſtabulum ſeu diuerſorium, Eccleſia. Samaritanus autem Chriſtus atque optimus cuſtos, qui non dormitat neque dormit, potẽtior fuit lege atque prophetis, nam vino & oleo, hoc eſt ſanctiſſimis ſacramentis, nobis medicinam fecit, &c. Ori. in Luc. ho. 34.

Ab Hieruſalem in Iericо. Hęc eſt verbs illa Ierico in qua Raab abſcondit exploratores Ioſue. Caſus porro & infortunium huius hominis qui incidit in latrones, denotat lapſum primi hominis, & totius generis humani, reparatum tamen à Chriſto optimo Samaritano, &c. Vide D. Ambro. lib. 7. in Luc. cap. 10.

Magnus quidem & ingẽs fuit caſus noſter cum excidimus ab Hieruſalem in Iericho, quem merito flere debeamus, dicentes cum propheta: ſuper flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, &c. Lege D. Hierony. in Pſal. 136. to. 8.

Qui etiam expoliauerunt eum. Conſidera ſuper hunc locum quanta ſit grauitas & plaga peccati & lege D. Chryſoſt. ho. de Iona propheta to. 1.

Quo pacto liberari poſſimus à morbo peccati, vide D. Aug. lib. de decem chordis c. 8. to. 9.

Quod Chriſtus venit mala noſtra curaturus, & vulnera ſanaturus, lege D. Bernar. ſupar Canti. ſermo. 16.

Vide etiam magis. ſenten. in prolo. lib. 1. & ibidem D. Thomam.

Vide præterea eundem D. Tho. in 2. ſenten. diſt. 30. q. 1. a. 1.

Homo quidam deſcendebat, &c. Quidam ex recentioribus ſcriptoribus videtur ſignificare explicationem illam huius loci tam perantiquam & receptam à tam multis ſanctis doctoribus, non ſatis videri conſonam huic loco: in qua ſcilicet explicatione per eum, qui deſcendit ab Hieruſalem intelligitur genus humanũ perditum, per ſacerdotem autem & leuitam ſacrificia ipſa antiqua & lex intelliguntur, & per Samaritanum Chriſtus vel etiã per hominem deſcendentem ab Hieruſalem in Iericо, intelligitur peccator qui deſcendit à gratia ad culpam. Verum euoluat is obſecro ſanctos doctores, & videbit quãti facienda ſit hæc interpretatio, & quam multi hunc locum ita explicare ſoleant quam quæ decentioribus verbis ſit tractanda hæc explicatio. Legat quæſo D. Ambro. lib. 7. ſuper Luc. in explicatione huius loci. Videat D. Auguſt. lib. 2. quæſt. euange. cap. 19. to. 4. & contra pelagi. lib. 3. to. 7. & ſuper Ioan. tracta. 43. to. 9. videat etiam D. Chryſoſt. ho. de eo qui incidit in latrones to. 2. Rurſus D. Baſi. ho. in aliquot ſcripturæ locos. & D. Hierony. in Pſal. 136. in illa verba, ſuper flumina Babylonis, &c. to. 8. Item D. Tho. in quodam ſermo. de hac domi. D. Anſel. in ſuis enarrationi. Euangelio & D. Bernar. ſermo. 16. ſuper Cantic. in illa verba, Oleum effuſum nomen tuum.

tuum. Præterea Origenem in Luc. homi. 34. Theophylactum ſuper Luc. 10. Bedam lib. 3. in Luc. cap. 43. Gloſſam ordinariam, & Lyranam ſuper Luc. Hæc dixerim, ne quis exiſtimet explicationem iſtam ita verbis eſſe extenuandã, quemadmodum videtur autor ille extenuare, ſiue eam illoti quodam ſermone, & minus decenti tractare, ſed potius eſſe plurimi faciendam & maximo in pretio & reuerentia habendam, quam tam ſancti doctores promulgarunt.

Accedit autem vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriit: ſimiliter & Leuita cum eſſet ſeeus locum & videret eum, pertranſiit. Quemadmodum pertranſiit ſacerdos, ita & leuita, nulla commotus miſericordia. Qualis ſacerdos, talis leuita, minor quippe exemplum ſequitur maioris. Nemo fuit iſtorum qui de altari domini & eius pinguedine viuunt, & eorũ etiã qui iuxta illud ambulant, qui pauperis miſeraretur, ne frãgatur illud Iere. 8. à minimo vſque ad maximum, omnes auaritiam ſequuntur, à propheta vſque ad ſacerdotem.

Si ſacerdos ipſe aſcendiſſet ſicut deſcendebat, fortaſſe medicinam adhibuiſſet Samaritano, etiã Leuita, verum deſcẽdebat quidem: non ita de Samaritano hic ſcribitur, ſed Samaritanus quidam iter faciens, nam iſte iter faciebat & ambulabat de virtute in virtutem. Vnde Iere. Tre. 1. non dixit, ó vos omnes qui deſcenditis per viam, ſed qui trãſitis: non debes ergo deſcẽdere à virtute ad vitium, neque à gratia ad culpam, ſed iter facere de virtute in virtutem.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt. Secundum aliquos hæc eſt parabola ſecundum alios eſt res geſta, quia inter Hieruſalem & Iericho erat quædã ſolitudo vbi frequenter homines tranſeuntes ſpoliabantur. In qua ſolitudine captus eſt Sedechias fugiens ab exercitu Nabuchodonoſor, vt habetur Hiere. vlti. Moraliter tamen exponitur de peccatore deſcendente à ſtatu iuſtitiæ in peccatũ mortale, qui ſpoliatur à dæmonibus bonis gratiæ, & vulneratur in bonis naturæ, & relinquitur ſemiuiuus, quia tollitur ab eo vita gratiæ, remanente vita naturæ. Cui Chriſtus appropinquans in ſua benedicta incarnatione alligauit vulnera eius, & cætera exhibuit beneficia, infudit enim oleum miſericordiæ, cum vino iuſtitiæ. Duxit etiam in ſtabulum, id eſt in domum eccleſiæ, vbi ſimplices reficiũtur, & altera die, id eſt poſt reſurrectionẽ ſuã dedit ſtabulario id eſt cuilibet Apoſtolo, duos denarios, id eſt intelligentiam noui & veteris teſtamenti, quia aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, & eis curas pœnitentium commendauit, promittens pro ſalario vitam æternam. Lyranus ſuper Lucam. 10.

Mirum quidem eſt quod nec ſacerdos nec Leuita hîc dicantur proximi, ſed Samaritanus, qui homines inter Iudæos infames habebãtur & peccatores. Verum enim vero inde colligas quod tametſi aliquis magnus extiterit peccator, modo cõuertatur & bona opera exerceat, eum deus libẽter recipit qui pro omnibus ſanguinem ſuum fudit, &c. Vide D. Chryſoſt. ſerm. de Anathe. to. 1.

Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. Diſciplina vel miſericordia multũ deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet & iuſte conſolans miſericordia, & pie ſæuiens diſciplina. Hinc eſt quòd ſemiuiui illius vulnerib. qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinũ adhibetur & oleum vt per vinum mordantur vulnera, per oleum foueãtur: quatenus vnuſquiſque, qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, per vinum mordeantur putrida, per oleum ſananda foueantur. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendúmque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerẽtur ſubditi, neq; nimia benignitate ſoluãtur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cũ tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia eſt in bonis rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etenim Dauid ait Pſalm. 22. virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga etenim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſtentet. Sit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderate ſæuiens, ſit pietas, ſed non plus quã expediat parcens. Intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Videamus amantem pie, & diſtricte ſæuientem. Certe cum Iſraeliticus populus ante Dei oculos pene inueniabilem contraxiſſet offenſam, ita vt eius rector audiret. Deſcende, peccauit populus tuus, ac ſi ei diuina vox diceret: qui in tali peccato lapſus eſt, iã meus nõ eſt, atque ſubiungeret. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentẽ magnam? Ille ſemel & iterum pro populo, cui præerat obicem ſe ad impetũ Dei iraſcentis opponens, ait. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Penſemus ergo quibus viſceribus eundem populum amauit pro cuius vita de libro vitæ deleri ſe petiit. Sed tamẽ iſte qui tanto eius populi amori conſtringitur, contra eius culpas penſemus quãto zelo rectitudinis accẽdatur. Mox enim vt petitione prima, ne delerentur, culpæ veniam obtinuit, ad eundem populum veniens ait. Ponat vir gladiũ ſuũ ſuper femur ſuũ, ite & redite de porta vſque ad portam per mediũ caſtrorũ, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximũ ſuũ. Ceciderunt́que in die illo quaſi viginti tria millia hominum. Ecce qui vitam omniũ etiã cum morte ſua petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arſit ignibus amoris, foris accenſus eſt zelo ſeueritatis. Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram domino morti offerre non dubitaret: tanta ſeueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat, ipſe iudicij gladio feriret. D. Grego. lib. 20. Moral. c. 6.

Et infundens oleum & vinum. Qui aliis præeſt, debet cum iuſtitia miſericordiã adhibere, Ita Apoſto. 1. Cor. 5. cum delinquentem illum caſtigari & puniri iuſſiſſet, poſtmodum poſtulauit multis lachrymis, vt cum eo miſericorditer ageretur, ne forte deſperaret. Iuſtitia ergo & miſericordia mutuo commiſcendæ ſunt & contemperandæ. Hoc videmus ſignificari in Samaritano illo, qui infudit oleum & vinum. Videmus etiam Matt. 5. permiſceri beatitudines illas, beati miſericordes, itẽ beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, &c. Vide Lauren. Iuſtin. lib. de inſtitu. & regimi. prælato. cap. 9.

Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: curam illius habe, & quodcunque ſuper erogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Super illa verba, & quodcunque ſuper erogaueris, &c. conſule D. Th. in 4. ſen. diſt. 15. q. 3. a. 1. q. 4.

Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones. Vera & efficax amicitia atque

proximitas,in aduerſitatibus dignoſcitur.Vt enim cor ipſum in medio ſitum corporis loco, in ſiniſtram tamen & lęuam partem videtur magis quodammodo propẽdere, tametſi re quidem vera toti corpori & membris vniuerſis vitam inſpiret:ita plane tametſi tam in proſperis quam in aduerſis amicꝰ & proximus debeat fauere ſuo proximo, in aduerſis tamen debet magis eius amicitia, humanitas,& liberalitas,tãquam in ſæua quadam tempeſtate,in mediiſque tenebris,elucere. Cæterum cum duo aliquãdo,quorum vnus locupletiſſimus, alter vero pauperrimus erat, ante Theophraſtum philoſophum pertranſirent, & diſcipuli huius philoſophi dicerent magiſtro ſuo, illos maxima eſſe inter ſe amicitia familiaritateque coniunctos, reſpondit Theophraſtus: quorſum igitur alter eorum diues eſt,alter vero pauper? Significare ſcilicet volens veram amicitiam inter eos non reperiri,cum alter pateretur alterũ extremam ſuſtinere pauperiem atque miſeriam. Eſt ſiquidem verus amicus ac ſimplex inſtar ſanguinis in corpore,qui humor cum aliqua exoriri ſolet in ipſo corpore neceſſitas, ſtatim ad partes cõfluit egentes magis, eiſdémque auxilium præbet atque ſubſidium. Id experimur in meticuloſis, & his qui rubore perfunduntur:in illis enim cum cor ipſum magis indigere videatur,eo ſtatim retrahitur ſanguis,deſtituitur vero facies, & non perinde iuuatur: in his vero,qui rubore perfunduntur, cum facies ipſa egeat magis ac patiatur, ſolet ſtatim ſanguis eo cõfluere atque concurrere. Sic ſyncera amicitia ſtatim egenti amico ſuccurrere debet ac ſubuenire. Ariſto.lib.2.Rhetori. inquit eum qui veris amicis deſtitutus eſt,eſſe veluti oculis orbatum, qui paſſim labi ſoleat,& incommoda varia ſuſtinere. Idẽ etiam cum rogaretur aliquando, vt refert Dioge. Laerti, quidnam eſſet vera amicitia, reſpondiſſe fertur,eſſe veluti animam vnam in duplici corpore.Quin & 8.Ethi. inquit quod amicus eſt alter ego. Menander dicere ſolitus erat, eum qui veros haberet amicos,ingẽtes quoſdã ac locupletiſſimos habere theſauros. Quod exemplo ſuo confirmaſſe viſus eſt Alexander ille Magnus:cũ enim aliquando Darius eum deſpiciens & contemnens tanquã inopem, rogaret vbi nam haberet theſaures ſuos ad bellum mouendum & proſequendum paratos, reſpondiſſe fertur:Datij quidẽ theſauros arcis cõclusos aſſeruari,ſe vero ſuos depoſuiſſe in amicorũ animis ſynceris atque ſolidis. Plautus præterea,& Quintilia.lib.5.ſuarum Inſtitu. amicos ipſos diuitias appellant atque opes. Cæterum & Menander, referente Athenæo inquit,nonnullos quidem fieri amicos tantiſper, dum aquam lauandis eorum manibus dederis,hoc eſt quandiu emolumenti aliquid referunt, quandiu cibis explẽtur atque cõuiuiis.Vnde colligas & veros,& falſos amicos reperiri: & inter hos quidem recenſeri ſacerdotem & leuitam, inter illos vero Samaritanum connumerari, qui per humane ac perbenigne vulneratum tractauit.

At ille dixit:qui fecit miſericordiam in illum. Obſerua quæſo quomodo iſte qui obſcurior erat & abiectior ſacerdote & leuita, miſericordiam tamen exercuerit in ipſum vulneratum. Vnde colligas quod virtus ipſa non proueniat ex generis nobilitate & corporis,ſed ex animi præſtantia & nobilitate.Cum aliquando rogaretur Democritus,vt refert Stobæus, in quo tandem conſiſteret vera nobilitas,reſpondiſſe fertur:in pecudibus veram nobilitatem conſiſtere in corpore, in hominibus vero in moribus animi cãdidis ac laudabilibus. Anthenes referente Laertio, eos vere nobiles eſſe dicebat, qui eſſent virtutis ſtudioſi atque amatores. Arcadij olim in ſignum nobilitatis ſuorũ maiorum depictam lunam in calceo geſtabant,ſignificantes ſe nobiles quidem eſſe,verum eam nobilitatem creſcere poſſe atque decreſcere inſtar lunæ. Quam conſuetudinem poſtmodum imitabãtur etiam Romani, vt ſcribit Plutarch. & meminerunt Iuuenalis,Philoſtratus,& Valerianus. Cæterum Solon dicere ſolitus erat, pulchrius quidẽ eſſe ac laudabilius nobilem aliquem fieri virtutis ſtemmatis,quã generis. In epiſtola præterea quadam imperatoris Maximi ad ſenatum Romanum miſſa,referente Herodiano lib.5.ſcriptum legitur: parũ admodum prodeſſe generis & corporis nobilitatẽ,vbi deeſt animi vera nobilitas, virtus ſcilicet atque probitas. Videmus ſi quidem paſſim fieri, vt ſicut ex eadem radice roſa item & ſpina enaſcuntur, ita & ex nobilibus parentibus oriantur nõ ſolum ſtudioſi, verum etiã & vitioſi liberi.

Et ait illi Ieſus: vade & tu fac ſimiliter. Ex reſponſione concludens,quod propinquitas generis non facit proximum, ſed opus miſericordiæ impenſum.Lyranus ſuper Luc.

Vade & tu fac ſimiliter. In quo oſtendit quod per ſolam dilectionem venitur ad vitam æternam, ſed ille proximum non habebat, qui nunquam forſitan miſericordiam fecerat,& ideo ignorabat. Glo. Ord.ſuper Lucam.

Fac ſimiliter. Docet Chriſtus quam neceſſaria ſint opera ad conſequendam vitam æternam:non inquit crede ſolum,ſed fac.Prius etiã dixerat huic, hoc fac & vives. Iacobi 2.Item dicitur, fides ſine operibus mortua eſt.Canti.8.pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum:in corde vult habeamus diuinum amorem, & in brachio bona opera.Cum dixiſſet etiã Chriſtus, diligite inimicos veſtros, ſtatim ſubdidit: & benefacite his qui oderunt vos.Item 1.Ioan.3. qui habuerit ſubſtantiam huius mundi,&c.

De homine qui ab Hieruſalem deſcendens in Iericho incidit in latrones,vide D.Aug.lib.2.queſti.euange.c.19.to.4.& contra Pelagi.lib.3.to.7.

Vide eundem ſuper Ioann.tract.43.tomo 9.

Vide D. Chryſoſt. concio. de eo qui incidit in latrones to.2.

De epiſt.& euange.duas habet concio. D. Anto.initio 1.par.Theolo.

Conſule eundem 1.par.hiſto.tit.5.c.3.§.4.

Dominica decimatertia Poſt Pentecoſten.

DVM iret Ieſus in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam Luc 17. Tranſire dicitur Chriſtus per Samariam,vbi idololatræ & Gentiles erant, docens nos quod non diu commorandum eſt inter malos,ideoque tranſibat, ne videretur approbare eorum idololatriã. Sic tu ne miſcearis peccatoribus, pedet enim illorum ad malum currunt prouerbiorum 1. Vnde Ioſaphat reprehenſus fuit à Iehu 2. Paralipomenon 19. eo quod præberet auxilium impio regi Achab, dixit enim illi Iehu, impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum amicitia iungeris, idcirco iram domini merebaris. Quin & Ioſaphath pene fuiſſet occiſus deſcendens cum Achab in prælium 3.Reg.22. Petrus Apoſtolus inter miniſtros pontificum Chriſtũ regnauit. Hinc Eccleſiaſtici 13. habetur, qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui cõmunicauerit ſuperbo induet ſuperbiam. Nulla quidem eſt in omnibus morbis contagio quæ ſic tactum ſequatur,vt mali mores conſuetudine ſeſe inſinuantes. Præcipiebat lex Iſraelitis ne contraherent cum gentibus matrimonium. Exod. 34. ne malis eorum moribus & inſtitutis corrumperentur. Filij Seth optimi quidem fuerunt antequam filias Cain vxores ducerent,poſtea vero illarũ cõſortio in tanta ſcelera prolapſi ſunt, vt cauſa extiterint vniuerſalis diluuij. Gene. 6. Propheta ille à Deo in Samariam miſſus,in itinere à leone fuit interfectus, quod cum illo alio propheta cibũ ſumpſiſſet 3.Regum 13.Hebræorũ populus quia cum gentibus conuerſabatur,acerrime ab Eſa.1.obiurgatus eſt, dicente: vinum tuum miſtum eſt aqua. Vinum enim aqua miſtum, vim magna ex parte amittit. Sic & bonus qui cum malis agit,paulatim virtutem perdit, deuotioniſque feruorem diminuit. Quod ſi quis adeo animoſus inueniatur, vt & virtutem integram ſeruare etiam in mediis ſociorum vitiis poſſit,certe aut in dies magis magiſque ad bona opera frigeſcet, aut ſi hoc minus, quod fere impoſſibile videtur, malam ſaltẽ apud homines de ſe excitabit opinionem, ſicut vinum quod aqua dilutum eſt, etſi non amittat vim, amittit tamen calorẽ.Si ergo tu opinionis tuę apud homines iacturam facis, ſi cum vitioſis hominib. vbique verſaris:talis enim quis æſtimatur, quales ſunt cum quibus viuit homines. Obſeruãdum porro eſt dominum tranſeuntem in ipſo itinere decem leproſos mundaſſe,vt ſignificaret virtutem tam frequenter eſſe exercendam, vt quamuis obiter & in itinere occaſio ſeſe offerat illum operemur.Quod ex conſuetudine facile tandem præſtabimus, ſi nos in gymnaſio bonorum operum tandiu exercuerimus, quouſque virtutem ipſam perfecte habeamus, quæ habitus quidam eſt ex multis actibus comparatus.

Tranſibat per mediam Samariam. Inter Iudæos & Gentiles tranſiit, quia de cælo pro omnib. venit. Apud eum enim vt ait Pau.Gala.3.non eſt Iudæus neque Græcus. Tranſiens autem ibat in Hieruſalem vt pro nobis ſanguinem funderet,docens nos ne rebus huius ſeculi,iter facientes ad beatitudinem,immoremur. Sic enim miſerunt filij Iſrael Num.20. ad regem Edon,cum trãſirent per deſertum ad terram promiſſionis,dicentes:hęc mandat frater tuus Iſrael,per tritam gradiemur viam, & ſi biberimus aquas tuas nos & pecora noſtra, dabimus quod iuſtum eſt, tantum velociter trãſeamus. Eodem modo nobis ad promiſſionis terram, hoc eſt æternam felicitatem feſtinantibus, faciendum eſt,ſic quidem vt neceſſariis pro viatico tantum ſumptis,reliqua omittamus.Vnde Paulus,reliquũ eſt,vt qui gaudent tanquam non gaudentes, &c. tempus enim breue eſt 1.Cor.7.

Et cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decẽ viri leproſi:qui ſteterunt à longe,& leuauerunt vocem,dicentes.Ieſu præceptor miſerere noſtri. Vſque adeo leproſi olim expellebantur à cõſortio hominum, vt regem etiam Oziam cum primum ſacerdotes viderunt lepra percuſſum, iuberent ſtatim reiici atque repelli.Hic enim Ozias vt habetur 2. Para. 26.vbi elatum eſſet cor eius, in templum domini ingreſſus,ſacerdotũ officium ſibi vſurpare voluit, & incenſum ante dominum offerre, cumq; ſacerdotes dicerent,non eſt tui officij Ozia,&c.ipſe tenens manu thuribulum minabatur ſacerdotibus, & illico orta eſt lepra in fronte eius, & propulſus eſt inde,& regnauit filius eius pro eo. Chryſoſto. ho.4.in Eſa.6.to.1.

Sicut corporis lepra colorem ſuum variare ſolet,ita etiam animi lepra duplicem hominem efficit,varium,& inconſtantem.Vnde Eccleſiaſ.2.Væ duplici corde, & peccatori vias duas incedenti. Et ſicut lepra corporea moleſtiam exhibet oculis noſtris,ita animæ lępra Dei oculos offendit, eiſdémque maxime diſplicet. Vide D. Chryſoſto.in dictum Apoſt.1.Cor.15.Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia,&c.to.3.

Quemadmodũ lepra ipſa inſanabilis quædam plaga eſt,ita peccatũ à ſolo Deo ſanari poteſt.Porro hæretici ipſi ſunt leproſi,qui varias ſectas,& opiniones diſcolores ac diſſonas proferre ſolẽt.Qui enim legem euangelicam immaculatam ita cõtaminant,& peſtifere interpretantur, leproſi appellari poſſunt.Leuit.19.agrũ tuum non ſeres diuerſo ſemine,&c.Vide D.Aug.lib.2.quæſti.euange.c.40.to.4.& de vera & falſa pœnitentia cap.10.& de viſitatio.infirmorum lib.2.c.4.

Ieſu præceptor miſerere noſtri. Nullum eſt peccatũ quantumuis grauiſſimum, quod poſſit diuinam ſuperare miſericordiam: quamobrem nunc hac tanta temporis opportunitate,pœnitentiam agito, & Dei miſericordiã implorato,&c.Vide D. Chryſoſt.in 4.caput.Gene.hom.19.tom.1.in illa verba, maior eſt iniquitas mea.

Vis tandem finem imponere flagitiis tuis atque ſceleribus?miſericordiam diuinã implorato. Vbi miſericordia flagitatur,interrogatio ceſſat:vbi miſericordia petitur, pœnæ locus non eſt, iudicium non ſæuit. Video namque fructum miſericordiæ grandem, niſi enim in immenſum extenderetur, pauci admodum ſaluarentur.! O portus omni tẽpeſtate carens !ô portus omni tranquillitate plenus!millies peccaſti,millies pœnitere.Vide quanta ſplenduerit Dei miſericordia in antiquo Dauide, & nouo Paulo: non impeditur temporis aut loci anguſtia miſericordiaDei.Vide ſiquidẽ in cruce & in tanta poſitus anguſtia quanta fuerit vſus miſericordia cum latrõe.Atque hæc quidem dicta velim, non vt quiſquam audacter & impudenter perſiſtat in ſuis ſceleribus, ſed ne quis ſi forte aliquod ſcelus commiſerit, de diuina miſericordia bonitatéque deſperet.Vide D.Chryſoſ.in Pſal.50. ho.2.to.1.

Cum Deus tametſi certo ſciat aliquem ſibi ingratum fore,neque perſeueraturum in vitæ emẽdatione,nihilominus tamen cum eo miſericordia vtitur: cur non tu etiam miſericors eris in eum, quem neſcis an gratus futurus ſit, & vitam ſuam in melius commutaturus?Vide D.Auguſt.ad Macedonium epiſt.54.to.2.

Cum dicis Deo in precatione dominica,dimitte nobis debita noſtra:ait Deus, quid mihi das vt ego dimittam debita tua? tu debitor meus:ſi ergo rogas me pro miſericordia tua, noli eſſe piger in miſericordia alteri communicanda. Dices forte, extra culpam ſuam & noxam: verum verſaris in vita laborioſa,periculoſa,milléque plena afflictionibus & tẽtationibus, atque propterea non es vſque adeo tutus, quin labi poſſis. Si eum qui veniam poſtulat immiſericorditer à te repellis, tu etiam repelleris:& ſi eius obliuiſceris, tui etiã memoria nulla erit. Cæterum cur quæſo Chriſtus magna voce, cum poſſet ſubmiſſa & ſilenti patrẽ orauit, niſi vt inde diſcamus quòd ſi in tanta crucis anguſtia poſitus, pro nobis orauit in cælo etiam idipſum præſtabit, ſi in proximos miſericordes fuerimus?Vide D.Auguſtinum ſermo.179. tom.10.

Diligit Deꝰ miam,& velut aſſiſtrice ſibi & regio

iudicij prælata throno, ea vtitur sæpissime erga nos. Iampridem enim periissemus, nisi nos misericordia ipsa protexisset & conseruasset, &c. Vide D. Basi. in illa verba Psal. 32. Misericordia domini plena est terra.

Quamuis te maxime afflictum longissime à Deo remotum propter scelera tua videas, semper tamen misericordiam implorato, & ad eam veluti ad portum tutissimum cõfugito, &c. Vide D. Basi. ho. 13. in exhortatio. ad Baptis.

Misericordia non de meritis iudicare cõsueuit, sed necessitatibus subuenire, iuuare pauperem, nõ examinare iustitiam. Scriptum est enim, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Quis est qui intelligit? qui compatitur ei. Ergo cum habeas vnde largiaris, vide ne differas, dicens: cras dabo tibi, periculosa est de alterius salute dilatatio. Vide D. Ambro. lib. de Naboth Israelita c. 8.

Inter alias Cæsaris laudes, præcipue Cicero ipsam misericordiã commendabat, dicens: nulla de virtutib. tuis plurimis, nec gratior nec admirabilior misericordia est. Vide D. August. lib. 9. de Ciui. Dei c. 5. to. 5.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Nam cum intellexissent illac esse transiturum, ei obuiã prodierunt, nemo autem ad Deum vadit, nisi Deus prius ad eũ veniat. In quo summe consideranda est Dei misericordia: ipse enim nos quærit, ipse illis occurrit, quia nemo surgit nisi ab illo subleuetur, nemo ad illum vadit, nisi Deus prius veniat. Sic dominus respexit Petrum, & fleuit amare. Matt. 26. & Dauid clamabat, Deus Deus respice in me Psal. 21.

Decem viri leprosi. Quæret aliquis cur dominus patiatur vt homines laboribus, ærumnis, morbis, afflictionibus, & tentationibus afficiantur, cum plerique his succumbant, & dæmonis sæpe tentationibus victi cedant. Cui quæstioni respondet D. Chrysosto. lib. 1. de prouidentia, dicens: si dæmon coactos nos vinceret, de Deo conqueri posse fortasse videremur, at vincit nos sponraneos, & non inuitos. Cum enim multi probi & sanctissimi viri nos præcesserint, argumentum quidem est, cum eadem qua nos præditi fuerint natura, quòd si mali sumus, non est quòd aliter non possimus, sed quod nolimus. Hoc Christus insinuauit Matth. 7. & Luc. 6. dicens quòd homo sapiens ædificat domum suam supra petram, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerũt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram. Stultus vero ædificauit domum suam supra arenam, & venerunt venti, & descendit pluuia, &c. Dic quæso, quisnam domum demolitus est? non equidem sola tempestas, nec ventus: nam si verum id esset, altera etiam domus destrueretur, nam eadem tempestas in vtranque irruit, sed causa fuit malum fundamentum vnius, & bonum alterius. Idem in area videri potest, nam cum ventus perflat, paleas secum adfert, triticum autem manet: num ventus tantum paleas dispersit? non equidem, nam etiam triticum secum abstulisset, causa ergo fuit palearum leuitas. Non ergo te ducit tentatio, sed tua voluntas, quæ nil ponderis habet in virtute: leuis quidem est tua virtus: atque tentatio te quo voluit duxit, non autem iustum. Vide D. Chrysost. ho. 9. ad popu. to. 5.

Decem viri leprosi. In lepra quidem & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore sano retinetur. Leprosi itaque hæreticos exprimunt, qui dum rectis praua permiscent, colorem sanum maculis aspergunt. Vnde & bene vt saluentur clamant, Iesu præceptor. Quia enim in eius verbis se errasse significant, hunc saluandi præceptorem humiliter vocant: cumque ad cogitationem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt. D. Gre. lib. 5. mo. c. 11.

Et cum ingrederetur quoddam castellum. Per castellũ significari potest mundus, per decẽ leprosos transgressores decem mandatorum, per lepram etiam significari potest hæresis, quæ nõnullis verbis permisceri solet & palliari. Cum vero dicit quòd se ostendant sacerdotibus, non mittit alios, nec scriptum, sed ipsosmet, vt qui peccatunt, ipsi confiteãtur. Vide de pænitentia dist. 1. quem pænitet. & D. Anto. 1. par. histo. tit. 5. c. 2. §. 22.

Occurrerũt ei decẽ viri leprosi. Quantũ calamitates conducant 1. Mach. 6. B. nunc vero reminiscor.

Calamitates vtilissimæ sunt 2. Para. 33. C. postquam coangustatus est orauit.

Quantam vtilitatem adferant tribulationes Iudith. 8. C. pater noster Abraham.

Calamitates atque labores vtiles 2. Cor. 12. C. placeo mihi in infirmitatibus meis.

Plurimum conducunt calamitates Philip. 1. B. scire autem vos volo fratres.

Quantum afflictiones conducant Heb. 2. B. Videmus Iesum propter passionem.

Aduersa nos ad Deum ire compellunt 2. Reg. 14. G. succenderunt ergo serui Absalon.

Afflicti ad orationis sacram anchoram confugiant Tob. 3. A. ingemuit & cæpit orare.

Afflicti Deum inuocent Exo. 2. D. ascenditque clamor.

Plura mala quam nobis eueniãt meriti sumus Iob 11. A. & intelligeres quod multo minora.

Sæpe nobis obtingunt calamitates, & vnde procedant ignoramus. Isa. 47. veniet super te malum & nescies ortum eius.

Tribulationes & labores æquo animo feramus propter Deum Ecclesiast. 2. A. omne quod tibi applicitum fuerit.

Magnæ sæpe calamitates Dei seruis eueniunt Iob. 16. B. aperuerunt super me ora sua.

Afflictos Deus libenter exaudit Exo. 3. B. vidi afflictionem populi mei.

Post labores sequitur magna trãquillitas Tob. 3. D. post tempestatem tranquillum facis.

Laborib. nostris Deus cõsolationes permiscet. Eze. 2. D. scriptæ erant in eo lamentationes.

Non euenire nobis calamitatem non videtur esse salutis indicium Osee 4. C. non visitabo super filias vestras.

Homines tribulationibus percussos ad Deum minimè conuerti, grauissimum malum est Iere. 15. B. interfeci & disperdidi.

Iesu præceptor miserere nostri. Si homo ab homine vicissim cum angustiis versatur opem & auxilium postulat, sicut Olympia Epiri regina Demetrij Macedoniæ regis opẽ implorauit, cum ab Æthelis impugnaretur, eidémque propterea filiã vxorẽ dedit. Item Acharnanes à Romanis contra Ætholos subsidia flagitarunt. & Demetrius Illiriæ rex contra Romanos Philippi copias quæsiuit, vt prodidit Iusti. lib. 28. Nonne in afflictionibus & ærũnis cõstituti, atque infirmitatibus, exemplo etiam horum leprosorum Dei omnipotentis misericordiam multo magis implorare debemus?

Si leprosi isti pro salute corporis & pulchritudine recuperanda, & hominum congressu & societate incolenda & inhabitanda, tantam adhibere diligentiam: quantam quæso nos ahibere par est, pro animæ salute & decore conseruando, tum etiam ne à societate & sinu Dei atque cælestium ciuium expellamur? Cæterum si de ornamentis animæ disserere voles; qualia scilicet esse debeant vt anima nostra à Deo diligatur, & Christi sponsa fiat, vide Lau. Iust. de Casto connu. cap. 11. vsque 16.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Decem erant leprosi, quia per transgressionem decem mandatorum diuinæ legis fit anima nostra leprosa. Cæterum si paulo fusius aliqua circa diuina præcepta prosequi voles; leges D. Anto. 1. par. Theo. tit. 14. cap. 4. & 1. par. histo. tit. 2. cap. 4. §. 6.

Quos vt vidit, dixit; ite, ostendite vos sacerdotibus. Vide quantopere hic Christus honorem sacerdotum nobis commendet: si enim sacerdotes qui idolis & falsis diis sacrificia offerebant, tanto in pretio habebant idololatræ, an non pluris faciẽdi sunt sacerdotes veri Dei, & rerum omnium creatoris? Vide D. August. lib. 2. de Ciui. Dei cap. 11. tom. 5.

De sacerdotibus veteris legis dixit Christus, super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Phariseæi: de nostris vero sacerdotibus dicendum est, quod sedent super cathedram Christi. Non igitur si quos videas ex infimo genere, aut etiam vitiosos, propterea eis honorem denegare debes: nam quamuis rex sæpe præficiat nobilioribus aliquem obscuro genere natum, non tamen proinde obedientiam illi negant, contuentes & reuerentes eũ à quo mittitur, nempe regem. Sic tu sacerdotes ipsos qui Christum referunt & repræsentant, maxima quadam reuerentia & obseruãtia prosequi debes. Vide D. Chryso. in Ioan. homi. 85. to. 3.

Res Deo dedicata tamdiu in honore habenda est, quamdiu in ea voluntas Dei conseruatur, &c. vide D. Basi. in Moralita. Regu. 30. cap. 1. & 2.

Redegit quidẽ Ioseph famis tempore sub Pharaonis imperio & tributo infinita prædia & fundos, terram sacerdotalem semper excipiẽs: si ergo ita honore afficiebantur sacerdotes illi, nõne maiori multo honore nostri afficiendi sunt? Si qui idola colebant idololatras sacerdotes tam reuerẽter tractabant, quanto quæso honore afficiendi erunt veri Dei sacerdotes atque ministri? Atque hæc dicta esse velim putetis, non tam commodi ipsorum sacerdotum gratia, quam vestra causa, qui ea ex re maximã referetis præmia. Si enim qui à temporali aliquo rege missos honore afficiunt, & alimentis pascunt, tanto in pretio habentur apud regẽ: nonne pluris vos habendi estis Dei ministros alentes, & eosdem honore debito prosequentes? vide D. Chryso. in Gene. homi. 65. to. 1.

Cum aliquando apud Constanti. imperatorem contra prælatos nonnullos ecclesiasticos & sacerdotes, accusationes delatæ essent, vocatis illis ad se, dixit imperator: vos quidem dij estis à Deo cõstituti, idcirco inter vos disceptationes istas componite, ego enim eas non attingam, sed vobis potius & Deo reseruentur. Vide D. Grego. in Regis. lib. 13. cap. 75. & Histo. Eccles. lib. 10. ca. 2. & Triparti. li. 2. Item 11. q. 1. sacerdotibus, & 12. q. 1. futuram.

Ite ostendite vos sacerdotibus. Beda li. 5. Commenta. in Luc. ca. 68. ita hanc periodum exponit. Nullum dominus eorum quibus hæc corporalia beneficia præstitit, inuenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos, quia videlicet sacerdotium Iudæorum figura erat futuri sacerdotij regalis, quod est in ecclesia. Et quisquis vel hæretica prauitate, vel superstitione gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiã schismate fraterno, quasi vario colore perfusus, domini gratia caruerit; necesse est ad ecclesiã veniat, colorémque fidei verum quem acceperit, ostendat. Cætera vero vitia tãquam valetudinis, & quasi membrorum animæ, atque sensuum, per semetipsum interius in cõscientia, & intellectu dominus sanat, & corrigit. Rhenanus Lutheranę sectæ addictus, in Annota. quas edidit in li. Tertulliani de pænitẽtia, ex his verbis peruerse colligit, quod in crimine schismatis, hæresis, & infidelitatis, dumtaxat sacerdotibus cõfitendum sit, in cæteris vero peccatis soli Deo cõfiteri sufficiat. Cæterum Bedæ mens est, ostẽdere his verbis duplex confessionis genus, vnum quod pars est pænitentiæ publicæ & solennis, & hanc necessariam esse dicit hæreticis, schismatis, & infidelibus: alterum est clandestinæ & secretæ confessionis genus, quam in cæteris delictis sufficere ait his, qui soli Deo in aurem sacerdotis arcana pectoris prodũt, & peccata accusant. Vide Sixtum Senen. Biblio. sanct. lib. 6. annota. 154.

Varias ob causas mittit ad sacerdotẽ, primum ob humilitatem, vt sacerdotibus deferre honorẽ videatur. Erat enim lege præceptum Leuiti. 14. vt qui mundati fuerant à lepra, offerrent munera sacerdotibus. Deinde vt mundatum vidẽtes leprosum, aut crederent saluatori, aut nõ crederent. Si crederent, saluarentur: si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul ne quod in eo sæpissime criminabantur, legem videretur infringere. D. Hiero. lib. 1. in Matth. 8.

Ostendite vos sacerdotibus. Vide quam alienus sit ab arrogantia, qui mittit eos ad sacerdotes. Quasi dicat, tam procul sum vt vel Moysi vel sacerdotibus videar repugnare, vt eos quos ipse curaui, ad iudicium illorum remittam. Neque est quod me appellent transgressorem legis, quæ præcipit ne quis leprosus ad cætum hominum admittatur, quin prius sacerdotes eum mundum esse declarent &c. Vide D. Chryso. in Matt. homi. 26.

Ostendere se sacerdoti iubetur, & offerre pro emundatione sua, vt dum ipse offerret se sacerdoti, intelligeret sacerdos non legis ordine, sed gratia Dei supra legem esse curatum. Et dum mundatur per sacrificium secundum præceptum Moysi, ostenderet dominus quia legem non solueret, sed impleret, qui secundum legem gradiens, supra legem sanare eos quos remedia legis non sanauerant, videretur, Vide D. Ambro. li. 5. in Luc. 5.

Notandum autem communicationem morbi decem hos leprosos quos homines reliqui fugiebant, coadunasse, & per morbi communionem etiam Samaritanum coniunctum Iudæis, cum alioqui Iudæi non coutererentur Samaritanis vt dicitur Ioan. 4. illud si ad mores accommodare velimus, nos docet, neminem debere alium per superbiam contemnere, & suo consortio indignum habere, sed cum omnibus nos socios gerere, vt qui omnes simus leprosi: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei Roma. 3. Secũdum moralem etiam sensum docemur hac historia, ei qui sanitatis spiritualis cupidus est, opus esse & ardenti & humili fiducia, qua Dei imploret misericordiam, indignum se agnoscens qui illi appropinquet: & rursum vt post perceptam Dei benignitate sanitatem, gratum se illi declaret à quo curatus est, sic vt Deo patri simul & Christo gratias agat, quod vtrique salus nostra sit ferenda accepta. Corne. Ianse. in sermo. de hac domini.

Et factum est dum irent, mundati sunt. Super illa verba, Et factum est dum iret, agere poteris de diligentia quam adhibere debemus vt à peccati lepra sanemur, quando isti propter corporalem le-

pram tam diligentes fuerunt,ad quod inſtitutum proſequendum conſules illud Iſa. 1. Lauamini, mundi eſtote.Et illud Matt.Beati mũdo corde,& doctores euolues ſuper ea loca. Hanc etiã animæ munditiam commendabat Baptiſta dicens:facite fructus dignos pœnitentiæ &c. Contra eos porro qui nolunt à peccati lepra mundari, quin potius in ea pertinaciter hærẽt,adferre poteris illud Iſaię 48.Sciui enim quia durus es tu,& neruus ferreus ceruix tua,& frons tua ærea,& conſules interpretes ſuper hunc locum. Neruus quidem flexibilis eſſe debet, at vero ſuperbia tua & pertinacia fit ferreus & inflexibilis: ô te miſerum qui tales habeas neruos! haud facile enim ad ſalutaria quæq; flecteris.Adde quod frontem habeas æream, hoc eſt iam pudorem omnem & verecundiam amiſeris,ideoque propter ſcelera tua non cõfunderis. Vide etiam Galfridum ſuper hunc locum.

Poſteaquam Iſa.dixit,lauamini, mundi eſtote: non addidit nos laudandos eſſe in fontibus, aut balneis,ſed dixit.Auferte malum cogitationũ veſtrarum:hæc eſt enim vera munditia, nempe animę purgatio & interna:nam corporalem munditiam etiam latrones habẽt,fornicatores,& homicidæ,imo vero iſti nitido magis incedũt corpore, & vnguentis affluente,& in ſepulchro odorifero nempe corpore, animam habent mortuam atque fœtidam. Quid quæſo prodeſſet alicui, ſi interius putridũ haberet cor & reliquas interiores partes, quod exteriores mundas haberet atque nitentes? Ita de iſtis dicendum eſt, quod ſcilicet nihil talis exterior munditia eis proſit,ſed quod interiorem quærere debeant & curare. Vnde Matth. 5. beati mundo corde,non inquit corpore;& pſal.50.Cor mundum crea in me Deus.Itẽ Ierę.4.Laua à malitia cor tuum.vide D.Chryſ.ad popu.ho.36. to. 5.

Si volumus vt is in nobis habitet qui fons eſt totius puritatis,cor noſtrum diligenter mundare debemus,templum enim Dei pollutũ & immundum eſſe non debet.1.Cor.3.templum Dei ſanctũ eſt,quod eſtis vos.Sed quis gloriabitur ſe mundũ eſſe & impollutum? Si enim propheta ille,cuius labia angelus calculo mundauit,ſe pollutis labiis eſſe dixit,an non magis ſe ille pollutum cõfitebitur,qui peccatis innumeris animum deformauerit?Nõ ergo nos iactare debemus quod impolluti ſimus atq; immundi,ſed potius humiliter mundiciem noſtram à Deo implorare, dicẽtes cum propheta. Cor mũdum crea in me Deus,& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Primũ autem dixit cor mundum,& deinceps ſpiritum rectum: quia ſedes ipſa prius eſt præparanda,& radix perſananda,ne aliter tota arbor corrumpatur. Matt. 12.bonus homo de bono theſauro,&c. Innouare porro ſpiritum rectum,eſt mores prauos in cãdidos cõmutare.Ephe.4.renouamini ſpiritu mentis veſtræ,& induite nouum hominem qui ſecũdum Deum creatus eſt.Vide D.Grego.in pſal.50.ſuper illa verba,Cor mundum crea in me Deus.

Quandoquidẽ infenſiſſimos habemus hoſtes & accuſatores,prius nos ipſos accuſemus,& mũdemur, ne eis locus vllus accuſandi relinquatur. Eſa.43.dic tu prior iniquitates tuas,vt iuſtificeris. Vide D.Chryſo.ſermo.de ieiuniis to.1.

*Dum irent mundati ſunt.*Vide quanta ſit obediẽtiæ vis,ſi quidẽ iſti cum obediuiſſent verbo præceptoris Chriſti,ſanati ſunt. Porro de obedientia debita magiſtris & præceptoribus,conſule. Vinc. Bell.ſpecu.doctr.lib.1.cap.37.& 38.

Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus eſt,regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum; & cecidit in faciem ante pedes eius,gratias agens:& hic erat Samaritanus. Dum leproſus erat, non audebat accedere, nam præcipiebatur vt lõge abeſſent:verum in deuotione & fide non longe aberat. Prope enim eſt dominus omnibus inuocãtibus eum. Publicanus etiam à longe ſtabat in templo, ſed tamen prope aderat deuotione & fide:porro antequam mũdaretur,non aurum,neque argẽtum petebat,ſed ſalutem,vna cum cæteris leproſis: quorũ imitatione petere nos debemus quod vtilius fuerit & magis ſalutare. Confeſſi etiam ſunt Chriſtum eſſe Deum,dicentes:Ieſu præceptor,id eſt qui nos ſaluas,& qui nobis præcepta tradidiſti ad ſaluãdum nos. Sic Petrus præceptorem appellauit, dicens. Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus:Miſſi præterea ſunt ad ſacerdores, tũ quia ad eos pertinebat lepræ iudicium, & debebãt vel leproſos declarare,vel etiam mũdos promulgare; tum vt oſtenderet ſacerdotes eſſe honore afficiẽdos & reuerẽtia. Sic Pau. miſſus fuit ad Ananiã Acto. 9. Corne. ad Petrum Acto. 10. Naamam ad Eliſeum 4.Reg.5.Porro antequã leproſi ad ſacerdotes peruenirent,mũdati ſunt,ne forte putarent ſacerdotes à ſe fuiſſe curatos.Itẽ ex omnibus ſolus Samaritanus rediit qui gratias Chriſto ageret.Eſa.1.cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui,&c.pſal. 33. magnificate dominum mecum.Pſal. 94. venite adoremus, & procidamus ante Deum.Samaritanus quidem rediit,qui homines contẽpti habebantur & infimi: ne quis iam ſe iactet,& de ſuis operibus vel generis præſtantia glorietur,ſed in Deo ſpem ſuã omnem atque fiduciam reponat.Habemus enim tres illuſtres Samaritanos in euangelio: hic gratum ſe oſtendit,alter miſericors fuit in illum qui deſcendens ab Hieruſalem in Iericho inciderat in latrones,& mulier deniq; Samaritana Chriſtum adorauit & prædicauit.Viuamus ergo nos pie & ſancte,atq; ad Chriſti miſericordiam ſupplices confugiamus,vt à peccati lepra curati,ibi tandẽ ſempiternas Deo gratias agamus,vbi cęleſtes ciues & ſuperni collocantur. Oſtendamus nos ſacerdotibus,ſicut iſtos miſit Chriſtus ad ſacerdotes, & illum Luc.5.qui dixit,vade & oſtende te ſacerdoti, & offer munus quod præcipit Moyſes in teſtimoniũ illis,vt ita dęmũ mũdi reddamur atq; incolumes.Vide D.Aug.li.2.q.euang.cap.4.to.4.

Vt cureris à lepra peccati inquit D.Aug.lib.2. de viſitatio.infir.ca.5.to.9.nõ ſatis eſt in generali dicere ſacerdoti peccata tua, ſed debes ad ipſas ſpecies deſcendere nec debes more eorũ qui ſeruos vendunt,vt defectum vnum occultes præcipuum, dicere pleroſque defectus ad rem minus pertinentes,neque etiam more quorundam ęgrotorum,dicere in communi te maximo dolore oppimi,aut male habere,cum interim celes medicum quod maxime ad rem facit.

Quemadmodum lepra ipſa corporalis ſolet hominem exterminare ab aliorum conſortio & grege,ita etiam ſpiritualis lepra nempe peccatũ, hominem expellit à ſocietate Dei,exterminat ab æterno præmio & angelorum conſortio, & difficulter tãquam lepra corporalis,curari poteſt, vbi diutius hæſerit & conſenuerit. Sic enim videmus propter peccati lepram exterminatum fuiſſe à cælo primum angelum,& hominem à paradiſo.

*Regreſſus eſt magnificans Deum.*Non ſolum gratus fuit hic Samaritanus, ſed etiam modeſtus,qui ſocios non accuſauit,nec phariſæos qui eos decepẽrãt,ſed pro ſe gratias egit,nilq; de aliorum ingratitudine locutus eſt.Huius itaq; exemplo docemur,

mur, ne de abſentibus male loquamur, tametſi vere loqui poſſimus.

*Reſpondens autem Ieſus,dixit: nonne decem mundati ſunt & nouem vbi ſunt?*Docemur ex hoc loco quãtum proſint animæ ſaluti aduerſitates & afflictiones,& quantum ſæpe obſit proſperitas. Leproſi enim iſti dum infirmitate opprimebantur,Deum orabant,at poſteaquam ſanitatem cõſecuti ſunt, Dei auxilio ſe amplius nõ indigere exiſtimare videbantur,ſtatimque dolorem cum memoria beneficij depoſuerũt. Incraſſatus eſt dilectus meus, & recalcitrauit,incraſſatus,impinguatus, dilatatus. Deut. 32. ſed vide quid ſequatur, dereliquit Deum factorem ſuũ,& receſſit à Deo ſalutari ſuo. Hinc etiam & nos quam anxij ſumus dum infortuniũ & periculum pro foribus eſt, tam diſſoluti & leues ſumus infortunio liberati. Atque vtinam deteriores nõ eſſemus quam iſti nouẽ leproſi, qui maiora beneficia accepimus, & peccata maiora perpetramus.In Anguſtiis quidem Deum inuocamus,& eum propitium habere volumus, ſed ſtatim in proſperitate illi⁹ obliuiſcimur.Dauid quidem dum periculis & incõmodis vrgebatur,Deo adhærebat,pſalmos cõponebat, adeoq; virtuti & pietati ſtudebat, vt cũ Saulẽ interficere potuiſſet noluerit tamen: at poſteaquam paccatis populis tantóque imperio ſecurus regnare cæpit, prolapſus eſt in vitia,rapuit Berſabee,interfecitque Vriam,& ita ille qui in malis etiam hoſti pepercit, in bonis familiari & innocẽti parcere noluit.Vnde ipſemet pſalmiſta ait pſal.15.multiplicatę ſunt infirmitates eorum,poſtea accelerauerunt.Sed in proſperitate,cito obliuiſcuntur Dei, obliuioque proſperitatis eorũ eſt comes. Quod exẽplo ipſius Ioſeph maxime patet,qui cum rogaret præpoſitũ pincernarum Pharaonis, vt ſui meminiſſet cum bene haberet,ipſe tamẽ carcere egreſſus, oblitus eſt interpretis ſui. Vnde Ioſeph in ipſo à carcere diſceſſu,dixerat ei, memento mei dum bene tibi fuerit,non ignorans homines in proſperitate ſuperbire,& obliuiſci ſolere amicorum. Docemur etiam ne horum exẽplo ingrati Deo ſimus:multi enim inueniuntur qui quo plura accipiunt beneficia,peiores ſunt,& in bonis inſoleſcũt. Primum quidem quod Deus Eſa. prædicãdum imperauit, fuit ingratorum accuſatio,qui cum alia multa potuiſſet in illo populo vitia reprehẽdere,maluit ab hoc exordium ſumere tanquam ab ima radice & fonte omnium vitiorũ. Audite inquit cæli, & auribus percipe terra,quoniam Deus locutus eſt,filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me:cognouit bos,&c. Cælos & terram in teſtes vocat,vt iuſtiſſime querentem audiant,hominẽſque ingratitudinis notat,inquiens peiores brutis factos eſſe. Vide igitur quantum ſit ingratorum crimen; in cuius rei confirmationem hoc ſolum ſufficere poſſet, ſi quis vellet expendere nullam eſſe omnium virtutum firmiorem quam beneficiorum memoriam. Huius quidem vitij notãdus rex Ægypti,qui Ioſephi genus eſt inſecutus,à quo regnum ſummis fuerat beneficiis affectum. Ioſephi, námque opera, eximiam eſt adeptus opum abundãtiam,cõſeruato in ſumma egeſtate regno.

*Et nouem vbi ſunt?*Bene ſciebat dominus vbi eſſent,rogabat tamen,ad deteſtationem vitij ingratitudinis.Et vt magis attenderetur ratio ingratitudinis,oſtendit etiam quantum nos à Deo ſeparet ingratitudinis vitium: nemo enim ſolet eum quærere qui adeſt,ſed abſentem. Vnde ſequitur nullum fere malorum hominum genus tam eſſe à Deo ſeparatũ, quam ingratos,nullúmq; vitium itidem grauius,quam ingratitudinem, ſiquidem abſentiam à Deo cauſat,quæ grauiſſimũ eſt damnatorum ſupplicium.Nil ergo fere minus ferendum,& pœna grauiori vindicandum,quam accepti beneficij obliuio.Et hac de cauſa apud Roma. libertas ſeruo conceſſa,poſtea ingratitudinis culpa reuocari poterat.Quis erit ergo tã ferus támq; immanis,vt feras ipſas ſæuitia vincat? nam leo & vrſus beneficiis ita deuinciuntur,vt mitiſſimo ſoleant ante dominorum ſuorum menſas vultu ſedere.Et inuenitur inter homines qui benefactori ſuo ſit ingratus?Hoc igitur merito Chriſtus admiratur,quia nullum fere eſt peccatum tam immane,adeóque indignum venia,vt ingratitudo, quæ ianuam diuinæ miſericordiæ claudit, & fontem diuinæ pietatis reſtringit: quæ ingratum ipſum omni beneficio deinceps reddit indignũ,& quaſi quidam ventus aduręs bona præterita extinguit, peccata iam remiſſa aggrauando reuocat, omniũ denique malorum eſt radix. Sic Dauid grauiter ob Nabalis ingratitudinem affectus 1.Reg.25.deſcendit de monte eo animo vt illum cum tota familia traderet exitio, & grauiter etiã puniuit ingratitudinem regis Ammon 2.Reg.10.Hinc & ſapiens ait pro.17.qui reddit mala pro bonis, nõn recedet malum de domo eius. Et de ingratis cõqueritur dominus per Iere. 18. dicens, nunquid redditur pro bono malum, quia foderũt foueam animæ meæ?

*Nonne decem mundati ſunt?*Multi aduerſitatibus fracti volunt à fide recedere,& in fidelibus ſe iungere,quaſi dicendo 1.Mach.1.eamus & diſponamus teſtamentum cum gentibus quæ circa nos ſunt.Vel tẽtationibus vitiorum ſuperati,mala tot & tanta faciunt, vt gentilibus in actione ſimiles fiant,dum ab eccleſiæ viſceribus ad res ſeculi per deſideria foras tendant.Hi ſunt enim ſpiritualiter leproſi.Qui propter ea dicuntur decem, quia cõtra Dei præcepta faciunt,quę propter decalogum legis per denarium numerum intelligi ſolent.Sicut enim obſeruatores mandatorum cæleſtium aſſequuntur inde mundationem & ſanitatem animæ,ſic contraria mandatis ipſis agentes,ſpiritalẽ contrahunt inquinationem & infirmitatẽ, adeo vt tales in anima fiant,quales in corpore cernuntur qui lepram carnis patiuntur.Qui tanto magis foras tendunt,quanto peruerſius agunt, ita fiunt hæc,dum Ieſus abeſſe videtur. Fit autem plerumque per reſpectum diuinę gratię,vt dominus ipſe Ieſus ad hoc Eccleſiæ caſtellum palam venire & ingredi videatur,ſubito ſcilicet tribulationes ſedans,populúmq; ſuum à prauitatibus conuertẽs, & magnum religionis incrementum ei largiens. Et tunc ſpiritualiter agitur quod dictum eſt,quia dum ipſe caſtellum hoc ingrederetur, occurrerũt ei decem viri leproſi. Nam inuenit eos contra ſe tendentes,id eſt via ſibi contraria gradiẽtes,dum illi foras,& ipſe tendit intus,atq; ſiſtit eos,& ſtare facit atque ceſſare,pergant ne vlterius in via peruerſa.Steterunt enim, & ſteterunt à longe; quia non ſtatim potuerunt ei propinquare, ſed procul ſtantes verſi ſunt,ad preces,& magno cordis clamore dixerunt.Ieſu præceptor,miſerere noſtri:nã intellexerunt eum eſſe ſaluatorem,qui peccatorũ morbos omnes ſanare poſſit,& ſe miſeros ob hoc eſſe factos agnouerunt,quia præceptis contraria fecerant, ideóque Ieſum,id eſt ſaluatorem vocabant eum & præceptorem, quem vt ſui miſereretur orabant.Quos vt intuitu clementiæ vidit, dixit. Ite oſtendite vos ſacerdotibus, id eſt per humilem oris confeſſionem ſacerdotibus veraciter

mani

manifestate omnes interiores lepræ vestrę maculas, vt mundari possitis; & quod rogabant factum est eis dum irent ad sacerdotes, quia scilicet mundati sunt, quoniam peccatores licet graui criminum lepra sint fædati, euntes ad confitendũ purgantur in ipsa confessione propter pœnitentiam quam acturi sunt. Dum irent mundati sunt, quia ex quo iter hoc intrant, incipiunt operari iustitiã & iustitię operatio est eorum mundatio. Dũ irent mundati sunt, quia ex quo tendentes ad confessionem & pœnitentiam, tota deliberatione mẽtis peccata sua damnant, & deferunt, liberantur ab eis in conspectu interni inspectoris. Vnde & per prophetam Ezech. 33. dominus ipse testatur, quia impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Peruenièdum tamen est ad sacerdotes, & ab eis quærenda solutio, vt qui iam coram Deo sunt mundati, sacerdotum iudicio etiam hominibus ostẽdãtur mundi. Vide D. Ansel. in suis enarra. Euang.

Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? Vide quomodo vult Deus vt ei gratias agamus nõ solum pro maximis, sed etiam pro minimis beneficiis, si modo aliquod minimũ in diuinis beneficiis poterit inueniri. Hac quidẽ de causa iussit dominus Io. 6. asseruari panũ fragmenta quæ superauerant in deserto, significans Dei beneficia semper in memoria habẽda esse, vt ita assidue gratias ei reddamus: sic etiam Noe exiẽs de arca, Gene. 8. fecit altare domino, & sacrificia obtulit gratias agens Deo. Vnde & in Leuit. 7. holocaustum quod offerebatur pro gratiarum actione, & caro victimæ, non erat in crastinũ seruanda, quia gratiarum actiones non sunt differẽdæ. Quare vt grati simus, opus est vt sciamus quis nobis benefecerit. Sic ille Regulus quæsiuit à seruis, de hora qua filius melius haberet, vt Christo gratias ageret, sciens illum benefactorem Ioann. 4. sed si iniuriam patimur, non curemus scire quis iniuriam facit, ne illum oderimus. Deus dixit Abrahæ Gene. 15. quod semen suum esset passurum mala in terra non sua, & non nominauit Ægyptũ, ne Ægyptios odisset. Et Christus in passione alapis cæsus, faciem cooperiri permisit, vt doceret ne sciamus percussores, sed tantum benefactores & eis gratias agamus. Obserua porro quod non vult Deus vt grati simus propter suum commodum, nam propter nostrã gratitudinem vel ingratitudinem, bonitatem vel malitiam, non acquirit vel deperdit ipse aliquid, sed vult gratos nos esse, vt sic capaces simus maiorum beneficiorũ: nam qui beneficiis gratus est, maiora in dies meretur accipere munera. Ideo cum nos adeo diligat, vt eximiam habeat semper benefaciendi nobis voluntatem, ingratitudinem odio habet, non sua causa, sed nostra, quoniam huiusmodi vitium illi quodammodo beneficia de manibus extorquet. Sed dices, cur non puniuit igitur hos nouem leprosos, lepræ reuocatione, siquidem tanto beneficio ingrati extiterunt? Quia si Deus sine discrimine ingratos omnes eo modo puniret, pauci euaderent punientis Dei vindictam, quin & nos omnes iam diu pœnas soluissemus. Si illos vt ingratos domino, lepræ reuocatione dignos iudicas, quod supplicium te censes meruisse, cũ multo maiora quam leprosi acceperis, minúsque gratus extiteris? Docemur ergo hoc Christi exẽplo, primo vt mansueti simus erga ingratos, qui etiãsi multi sint nobis, multo plures sunt Deo, & tamẽ ab illo perferuntur. Secundo ne nos pœniteat beneficiorum nostrorum, quę tunc optima sunt, cum retributionem non expectant, quoniam nec Christus eo animo in leprosos beneficus extitit. *Et daret gloriam Deo.* Expende quod nõ dixit Christus, non est qui rediret & daret gloriam mihi: sed non est qui rediret, & daret gloriam Deo? vt nos doceat pro omnibus bonis quæ operamur, Deo gratias referre. Ne tibi arroges gratias eorũ quæ Deus in te & per te facit. Ideo enim puniuit dominus Moysen ad aquas contradictionis. Ideo humiliauit Nabuchodonosor se iactantem, & in hęc verba prorumpentem: nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meę, & in gloria decoris mei? Ideo extra hominum cœtum & commercia eiectus, cum feris animantibus in syluis agere & pascere coactus est. Sed potius dic cum Esa. 26. omnia opera nostra operatus es domine.

Non est inuentus qui rediret nisi hic alienigena?

Vult quidem Christus nos esse gratos beneficiis acceptis; quæ gratitudinis virtus viros etiam Ethnicos sæpe nobilitauit. De Dario enim ferrur, quod cũ aliquando ab aulico viro elegans quoddam pallium accepisset, quo maxime delectabatur, vsque adeo se gratum & memorem beneficij exhibuerit, vt pro pallio amplam ciuitatem eidem concederet & largiretur, vt prodidit Herodotus in Thalia, Valerius Max. lib. 5. & Strabo li. 14. de Geogra. Sed iam nemo mirabitur in hominibus ingenuis ac bene naris gratitudinis ornamentum reperiri, qui meminerit in brutis etiam ipsis ac feris animantibus gratitudinem quandam splendere. Siquidem cum aliquando Romæ Androdus quidam fugitiuus seruus leoni deuorandus traderetur, tantum abfuit vt leo seruum inuaderet, quin potius cum eo lusitaret, eidémq; adularetur: memor scilicet quod in deserto quodam loco molestam spinam de pedis plãta euulsisset. Vide Aulum Gell. noctium Attica. lib. 5. & Appianum Polyhistorem lib. 4. de rebus Ægypt. Nec minus se gratum etiam exhibuit alius quidã leo, de quo meminit Bernar. Guido in sua histo. qui cum à Gallo quodam milite è faucibus immanissimi serpentis liberatus esset, ita militem ipsum vbique comitabatur, vt nusquam ab eius latere discederet: cumque nauem quãdam ingrederetur miles, & leonem nauæ admittere nollẽt, sed iam sine leone vela ventis permitterent, is per mare natans tamdiu nauem secutus est, donec tãdẽ præ lassitudine in profundum demergeretur. Sed mirabilius quidpiam de quadam aquila prodiderunt Crates Pergame, & Stesichorus poeta, referente Pierio Valeria. Cum enim aliquando vnus ex messoribus quibusdã qui societatem iniuerant, ad fontem mitteretur, forte incidit in serpentem, qui immani cauda miseram aquilã cinxerat & oppresserat, eamdémque iam semimortuam reliquerat, quod cum vidit, falce serpentem percutiens, eundem interfecit, & aquilam ipsam liberauit. Quæ cum videret illius se beneficio liberatam fuisse, eundem duxit ad fontem, indéque reduxit ad socios, volitando eum perpetuo insequens. Contigit itaque vt sigillatim singuli socij biberent ex aqua quam attulerat, cúmque is qui aquam hauserat de vrna bibiturus, eandem iam iam ori admoueret, continuo aquila stridore suo atque impulsu vrnam confregit: quod cum is vidisset, ira succensus est, sed postmodum socios suos conspiciens, eosdem mortuos humique constratos vidit; atque tunc demum intellexit gratitudinem aquilæ erga se, quæ scilicet vetuit ne aquam biberet serpentis veneno infectam.

Non

Non est inuentus qui daret gloriam Deo? Si velis agere de ingratitudine, consule D. Bernar. sermo. contra pessimum ingratitudinis vitium fol 93.

Et ait illi: surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. De decem leprosis mundatis vide Hugo. de S. Victo. lib. 4. Allego. in Luc. ca. 25. to. 1.

De epist. & Euange. duas habet concio. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem 1. par. histori. tit. 5. ca. 1. §. 22.

Plures etiam habet de hac dominic. concio. D. Tho. prope finem to. 16.

Fides tua te saluum fecit. Vide D. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1. & 1. sen. dis. 43. q. 1. ar. 2. & contra gen. li. 3. ca. 154. & de poten. q. 6. ar. 4. & ar. 9. per totũ. & super Io. 9. lect. 3. & 1. Cor. 13. & Gala. 3. lect. 2.

DOMI. DECIMA QVARTA post Pentecosten.

DIXIT Iesus discipulis suis: nemo potest duobus dominis seruire. Matth. 6. Luc. 12. & 16. Duos hic esse dicens contraria imperantes, quod nisi intelligas, ne duo quidem sint. Nam & illius quæ in Christum crediderat multitudo, erat cor vnum & anima vna Acto. 4. Et certe cum in corpora illi essent multa diuisi, sed cõcordia tamen vnum fecit ex plurimis. D. Chryso. in Matt. homi. 22. to. 2.

Intellige quod nemo potest seruire duobus dominis, contraria præcipientibus; nam si eadem imperent & velint, iam tunc non duo domini, sed vnus censendus est, quia vna est amborum voluntas. Et quia diuitiarum abundantia sæpe inimica Deo, qui huiusmodi vanitatibus seruit, nequaquam Deo seruire potest. Contrariæ enim sunt leges mundi & leges Dei inter se, carnis & spiritus, terrenarum rerum & cælestium bonorũ. Vnde Paulus ait 2. Cor. 6. quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quę societas lucis ad tenebras? quę autem conuentio Christi ad Belial? Quapropter cum hæc tam diuersa & contraria sint, non poteris simul his duobus dominis seruire, vt idẽ Paulus 1. Cor. 10. fatetur, dicens: non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Vnde quemadmodum impossibile est altero oculo terram, altero vero cælum simul aspicere ita etiã fieri non potest vt Deum simulq; huius vitæ bona diligas. De Samaritanis ait scriptura 4. Reg. 17. rem admiratione risuque dignissimam, quod Samaritani dominum colebant, & vna diis suis seruiebant, iuxta consuetudinem gẽtium. Hoc idem quam plurimi facere volunt, qui Deum colere simulantes, huius mundi idola relinquere nolunt. Istis loquitur Esa. 28. pallium breue est, vtrunque operire nõ potest. Quasi dicat, nõ est tantus redditum tuorum prouentus, vt tantam familiam alere possit, tantóque luxui sufficere, & præterea æs alienum quo deuinctus teneris soluere. Alter igitur duorum dominorum tibi est destituendus. Præstat ergo vt mundum destituas falsum & proditorem, antequam ab eo destituaris.

Philistæi in templo cuiusdam idoli quod vocabatur Dagon, arcam fœderis Israelis captã collocarunt, surgentésque primo mane die crastino inuenerunt idolum ante arcam deiectum: & licet sæpe niterentur idolum cum arca coniungere, nunquam tamen potuerunt. Hoc autem significat quod Deus nullo modo velit idem templum & altare cum dæmone habere: non vult Deus esse, vbi vitiorum tuorum idola sunt quæ tu venearis. Non fuit datum populo Israel cæleste manna, donec consumpta est farina quam ab Ægypto secum portauerant; nec tu etiam poteris diuina felicitate frui, donec omnino omnis mundi amor in te fuerit consumptus, & à tẽ penitus recesserit. Quemadmodum enim mãna & farina Aegyptiaca non simul comeduntur; sic tu his duabus voluptatibus & saporibus, Dei & mundi, frui non poteris. In hoc autem perspicue videbis quã vilis nulliúsque pretij sit cõsolatio humana, siquidem diuinam impedit. Et sicut stomachus illius qui aduersa laborat valetudine, si malis humoribus oppressus sit, cibi suauitatem nõ sentit; sic illi qui alliorum, cucumerumque Aegypti voluptate capiuntur, cælestis cibi dulcedinem percipere non possunt. Et quanquam multi sint qui vtramque consolationem, Dei scilicet & mundi, habere velint, hos tamẽ alloquitur Sophonias ex parte Dei, dicens: disperdam qui iurant in Melchom, & iurant in domino. Per idolum & per Deũ iurabant, & vtrique seruire conabantur. De his etiam condolet Eccleiasticus 2. dicens, væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Ingrederis duabus viis, Deo inseruire & mundo intendens simul. Quid igitur itineris facere potes, cum duabus viis ingrediaris? Isti claudicãt duabus viis more illorum quibus Elias dixit 3. Reg. 18. Vsque quo claudicatis in duas partes? si dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini eum. Ergo Deum, vel Baal sequiminis: nam impossibile est ambobus simul seruire. Cũ Pharao permitteret Hebræis vt Deo in Ægypto victimas immolarent Exo. 8. respondit Moyses: non potest ita fieri, abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro? fieri non potest, vt Pharaoni hoc est diabolo, & Deo simul seruiamus. Cũ ingrederetur Iesus in templum Io. 2. eiecit vendẽtes & ementes; quia nõ possumus seruire Deo & mãmonę: nã neq; ignis & aqua simul esse possũt, nec itẽ duob. dominis tã diuersis seruire possibile erit.

Tu consolatio sempiterna, quæ solis illis te tribuis, qui consolationem huius mũdi pro sua perpetua consolatione contemnunt: nã qui hic consolantur, indigni tua consolatione habentur; nemo enim potest vtroque seculo consolari, sed vnũ necesse est perdat, qui alterum voluerit possidere. Atque ita cum hæc cogito, humanas fugio consolationes, vt tuas obtinere possim. Obsecro te domine, vt cæteræ cõsolationes amaræ mihi redantur, & tuæ tantum dulces. Non erat intolerabilis Laurentio ignis, propter te, & tuas internas consolationes: non lapidatio Stephano, nec cęteris discipulis reliqua tormentorum genera: ibant enim gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Nihil ergo dulcius esse potest diuinis consolationibus, quæ amarissima quæq; torméta dulcorare solent. Vide D. Aug. li. solilo. ca. 22. to. 9.

Nemo potest duobus dominis seruire. Consule. D. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 5. in corpo. & super 1. Cor. 7.

Super illa verba, nemo potest duobus dominis seruire, vide Sixtum Senen. Biblio. sanct. lib. 6. annota. 34.

Aut enim vnum odio hæbebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Aduerte quod dicit sustinebit, nam qui diabolo adhæret, illum sustinet, & portat maximum onus super humeros suos. ô maxima & absurdissima peccatorum stultitia, vt Deum qui illos portat cõtemnant, & diabolo, mundo, & vitiis adhæreant. De hoc Dominus per Esa. 46. conqueritur, dicens: audite me

domus

domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero,& geſtamini à mea vulua. Vſq; ad ſenectam ego ipſe & vſq; ad canos ego portabo, &c. Lege quæ ſequuntur in eo capite,vbi Deus conſtituit differentiam inter ſe & idola quę ab illis colebantur. Attende ergo Iſrael differentiam quę inter me eſt & idola à te adorata,ego te humeris porto,tu autem idola tua. Ego te in viſceribus meis geſto,tu autem adoras, humeríſque tuis baiulas deos tuos, quos de auro & argento confeciſti.

Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Hoc loco & animo prorſus toto perhorreſcamus & corpore,intelligentes iſtud quod Chriſtum dixiſſe memorauimus,ex aduerſo ſcilicet Deum aurumque conſiſtere. Si igitur iſtud ſono quoque ſermonis horribile eſt,quanto eſt horribilius, cum ipſis operibus tyrānus aurum Dei timori præfert? Quid ergo?apud veteres ſanctos nonne hic ipſe auri potētatus vigebat?nequaquam:ait enim, quomodo Abraham,quomodo etiam Iacob placuerūt Deo Gene. 13. & 33. At noli tu mihi contra hanc ſententiam proferre diuites, ſed diuitiis ſeruientes. Alioquin etiam Iob erat quidem diues,nō tamen pecunię ſeruiebat,ſed habebat diuitias,eiſque vt cōgruit imperabat;nec erat famulus earum profecto ſed dominus. Sicut enim alieni patrimonii diſpenſator,ita illa omnia poſſidebat,nō modo aliena non rapiens,ſed propria quoque indigentibus largiens:quodq; his maius eſt, nec habere ſe illa gaudebat. Quod hinc intelligitur: ſi lætatus ſum inquit,quia mihi eſſent multę diuitię Iob 31. Vnde etiam cōſequēter quia gaudium de poſſeſſione non habuit,dolorem de amiſſione nō pertulit. At nō tales noſtra ſunt ætate locupletes,ſed captiuis omnibus deterius affecti: & ſicut inuiti cuidam tyranno tributa pendentes,non quieſcūt à miſeria ſeruitutis. Quaſi enim arcem quandam, ita eorum mentē auri amor inſedit. Vnde per dies ſingulos præcepta eis plena iniquitatis imponit, nec eſt omnino aliquis qui nō obediat imperāti. Noli igitur ex ſuperfluo argumētari: ſemel ſiquidem pronuntiauit Deus,impoſſibile eſſe dicens, vtrumq; hoc ſimul eſſe ſeruitium. Ne ergo tu dixeris hoc eſſe poſſibile. Quando enim te vnus dominus propriis quoque exui iubet,alter vero etiā aliena diripere:quando ille tibi imperat caſtitatē, iſte luxuriam; quando hic tibi caſtigationē ventris indicit,ille ebrietatem atque delicias: quādo te alter omnia iſta iubet deſpicere, alter vero inhærere atque inhiare præſentibus. Cum hic quidem præcipit lecta marmora, parietes pictos, & laquearia deaurata mirari, ille vero inhorreſcere huiuſmodi omnia,& veræ Philoſophiæ pulchritudinem ac morum ornamenta ſuſcipere, quemadmodum poſſibile eſt tam contraria hęc pariter conuenire? D. Chryſo. in Matt. homi. 22.

Attende quod Chriſtus non dixit, nō poteſtis Deum & temporalia bona ſimul habere, ſed non poteſtis Deo ſeruire & māmonæ. Aliud enim eſt habere bona temporalia, & aliud illis inſeruire. Diuitias enim habere per ſe malum nō eſt, quinimo benedictio Dei eſt,vt prou. 10. dicitur. Benedictio Dei diuites facit. Abrahā, Iſaac, Iacob, Dauid, Loth, Iob,& multi alij,diuitias habuere plurimas, & perfecti fuerunt, & amici Dei appellari ſunt. Seruire autem eis vt auari qui ſerui ſunt diuitiarum,hoc iniquum & abominabile eſt. Dormierunt inquit Dauid Pſal. 75. ſomnum ſuum, &. nil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis Aduertē quod non dicit,diuitiæ virorum,ſed viri diuitiarum; quia viri illi auari non erant domini diuitiarum,ſed contra diuitiæ dominabantur eis: & quia ipſi ſubiiciebātur diuitiis & ſerui illarum erant,vocantur viri diuitiarum.

Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Audiat hoc auarus,audiat qui cenſetur vocabulo Chriſtiano, non poſſe ſe ſimul diuitiis Chriſtóque ſeruire. Et tamen non dixit,qui habet diuitias,ſed qui ſeruit diuitiis. Qui enim diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit vt ſeruus, qui autem diuitiis iugum ſeruitutis excuſſit,diſtribuit eas vt dominus,D. Hiero. in Matt. lib. 1. cap. 6.

Seruire mammonæ & diuitiis, intelligi poteſt etiā ſeruire dęmoni:de cuius acerbiſſimo ſeruitutis iugo vide Laur. Iuſti. de cōtemptu mūdi ca. 19.

Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid māducetis.neque corpori veſtro quid induamini. Nō dixit, nolite laborare,ſed nolite ſoliciti eſſe:ergo ſoliciti eſſe vetamur,laborare autē iubemur. Sic enim & dominus loquens ad Adam,non dixit:cum ſolicitudine facies tibi panem, ſed cum labore & ſudore faciei tuæ. Ergo non ſolicitudinibus ſpiritualibus,ſed laboribus corporalibus acquirēdus eſt panis. D. Chryſo. in non. abſo. homi. 16.

Non prohibet honeſtum laborem, neque ſtudium acquirendi temporalia, ſed nimium ipſorū amorem. Etenim alienum & extraneum videtur homini vſurarium eſſe ſiue latronem,vt ipſis auibus cæli ſeminare,arare,vel metere. Et ſicut aues ſolum voládo ſuſtentantur nec ſeminant nec metunt:ita vos ſolo honeſto labore & veſtræ naturæ conſentaneo vitā degite,nec modos illicitos quęraris. Aduerte autē quod triplici modo ſolicitudo rerum tēporalium poteſt eſſe illicita: primo quidē ex parte materiæ ſiue rei de qua ſoliciti ſumus, vt cum quis quærit temporalia bona,illa cōſtituens vt finem ſuum. Secundo ex parte ſuperflui & ſoliciti ſtudij quod in illis acquirendis conſumitur, propter quod ſtudium retrahitur homo ab exercitio rerum ſpiritualium quibus inſeruire debet. Tertio ex parte timoris ſuperflui,quando ſcilicet quis nimis timet quod ſi non fecerit quātum ſuæ vires ſuppetierunt,neceſſaria ſibi deficiant.

Tametſi videas nōnullos Dei ſeruos curare ea & prouidere quæ ad victum & veſtitū opus ſunt, non propterea eos tranſgreſſores putes huius diuini præcepti. Si quidem & Chriſtus dominus in ſua ſocietate & conſortio diſpēſatorem habebat, nempe Iudam:quamuis ergo angelos haberet miniſtros,nihilominus tamen permittebat vt pecunia adferretur in comitatu ſuo. Curabat etiā Paulus vt videre eſt 1. Cor. 16. diſpoſitionē actionum ſuarum,dicens:apud vos forſitan manebo vel etiam hyemabo &c. Item diſcipuli ſibi prouidebant,cum Agabus famem prędixit Acto. 11. Tum Epheſi. 4. dicitur,qui furabatur iam non furetur, ſed magis laboret operando manibus ſuis. Item Apoſ. 1. Theſ. 2. & 1. 2. Theſ. 3. dicit ſe nocte & die laborare,ne cæteris grauis fiat: Non ergo hic reprehenditur aliud quam ſolicitudo nimia harum rerum. Vide D. Auguſti. lib. 2. de ſermo. domini in monte ca. 26. to. 4.

Maxime nobis cauendum eſt,ne dum hæc terrena curamus, & nobis comparamus, obliuiſcamur cæleſtia;& quamuis interdum nōnulla quibus indigere videmur nobis deſint, non tamen propterea deficere debemus,nam & Apoſtolus 2. Cor. 11. ait ſe in carceribus verſatum,in fame,ſiti, & ſimilibus. Et certe ſi nos animalium noſtrorū domeſticorum curā gerimus, multo magis curæ erit Deo noſtra ſalus. Vide D. Aug. vbi ſupra c. 27.

Vide

Vide etiam exemplo ſuo quid nos moneat Apoſ. 2. 2. Theſ. 3. dicens ſe non gratis panem manducaſſe ab aliquo. Item qui non laborat,nec manducet. Vide inſuper D. Augu. de opere monacho. cap. 2. to. 3. Idem ait ca. 26. & 27. Deum velle vt etiam remedia accommodata deligamus, & ſimul etiam in eo confidamus. Vnde Apoſ. tametſi conſideret quod Deus eum liberaret,nihilominus tamen ſub miſit ſe per murum in ſporta. Et Chriſtus conſuluit, cum vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Fauebit nobis is quidem, ſicut auxiliatus eſt Petro in carcere, & Danieli in lacu,interim noſtram operam collocemus. D. Auguſti. vbi ſupra.

D. Baſilius interroga. 206. & 207. ait quod Deus hoc præcepto vult nos non eſſe nimium ſolicitos, ſed quod confidamus in domino 2. Cor. 1. non ſimus ſidentes in nobiſmetipſis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos.

Res quidem ſpectantes ad animæ ſalutem, petere à Deo inſtanter debemus:res tamen alias ita petere debemus, vt iſtas non impediant, ſed ad Dei laudem nos inuitent & ad beatitudinem ipſam dirigant. Vide Galfridum ſuper hunc locum.

Videant attente qui rebus ſeculi nimia ſolicitudine inhiant,& ea quæ ad victum pertinent anxie nimis exquirunt,quid dominus dicat:ne ſoliciti ſitis &c. Item nonne anima plus eſt quam eſca? Vide D. Tho. in Matt. 6.

Ne ſoliciti ſitis quid manducetis. In nonnullis codicibus additum eſt, neque quid bibatis. Ergo quod natura omnibus tribuit,& iumentis ac beſtiis,hominibuſque commune eſt:huius cura non penitus liberamur. Sed præcipitur nobis ne ſoliciti ſimus quid comedamus, quia in ſudore vultus præparamus nobis panem. Labor exercendus eſt,ſolicitudo tollenda. Hoc quod dicitur:Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid comedatis, neque corpori veſtro quid induamini,de carnali cibo & veſtimento accipiamus. Cæterum de ſpiritualibus cibis & veſtimentis, ſemper debemus eſſe ſoliciti. D. Hierony. lib. 1. in Matt. cap. 6.

Ne ſoliciti ſitis. Conſule D. Tho. 1. 2. q. 108. a. 5. & 2. 2. q. 47. a. 9. & q. 49. a. 4. in corpo. & q. 55. a 6. & q. 83. a. 6. ad 2. & q. 188. a. 7. in corpo. & in 4. ſen. diſ. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 4. & contra gentes lib. 3. cap. 135. & quoli. 7. a. 17. & quoli. 10. q. 11. a. 1. & ſuper Io. 13. lec. 5. & ad Philip. 4. Item 2. 2. q. 55. a 7. & q. 188. a. 7. ad 2. & contra gen. lib. 3. cap. 136. & cap. 138.

Semper ego dixi diuitias eſſe fugaces,quæ ſane ab vno in alium commigrent & transferantur: & vtinam maius nobis incommodum non inferrent, nam & ob eas ſæpe vita priuamur, bella multa propter eas oboriūtur, homicidæ denique ſunt atque crudeles. Vide D. Chryſoſ. homi. de auaritia to. 5.

Qui vitiis dediti ſunt,variis conſtringuntur vinculis, & carcere quodam concludūtur: & inter hos auarus ipſe valde afficitur & cruciatur. Noli ergo eius diuitias ſolicite appetere, ne perinde affligaris & opprimaris. Vide D. Chryſoſ. in Matt. homi. 14.

Qui nimia cura & ſolicitudine diuitiis rebuſque aliis caducis implicantur, nequeunt plane liberales eſſe inſtar Abrahami qui ſpolia regis Sodomæ liberaliter condonauit Gen. 14. Item liberaliter perſoluit pretium quod pro ſepulchro poſtulatum fuit, quamuis gratis concederetur. Gen. 23.

Vide quid euenerit ipſi Achan propter ſuam cupiditatem atque nimiam ſolicitudinem Ioſue. 7.

Nimium de huius ſeculi rebus ſolicitis, quadrat illud Sopho. 1. videlicet ædificabunt domos,& nō habitabunt &c.

Qui nimia acquirendi res huius ſeculi ſolicitudine diſtinetur, ſemper animi tranquillitate carēs, huc illuc impellitur, amicorum curam non gerit, ſiti fameque diſcruciatur: ab omnibus fere vituperatur & contemnitur, propter diuitias omnes deſpicit, curis confectus, incertus & cogitabundus vbique vagatur; huic denique tam deeſt quod habet, quam quod non habet.

Non eſt quod nimia ſolicitudine tibi diuitias propterea compares, vt his partis poſſis ex animo omnem mæſtitiam expuere. Siquidem Anthiocus quamuis opibus & diuitiis circunfloreret, mærore tamen conſumptus fuit, cum vrbem Elymaidem expugnare non valuit;& eius dux Lyſias Hieruſalem 1, Mach. 6.

Soliciti nimis de temporalibus, quantūcunque opes varias congregent, nunquam tamen implentur: Poſtquam enim Aſſyriorum rex quæ regi Ezechiæ tributa impoſuerat receperat, bellum etiam in eundem ſuſcitauit, vt libidinem ſuam & appetitum magis expleret, ſed tamen à Deo repulſus fuit atque proſtratus. 4. Reg. 18.

Parum tibi proderit ſolicitudo rebus huius ſeculi acquirendis adhibita, Deo repugnante ac reſiſtente. Vide enim quam parum pro fuerit Abſaloni,& Adoniæ eorundem diligentia adhibita ad regnum comparandum, cum tamen Salomoni ſine eiuſcemodi diligentia conceſſum à Deo liberaliter fuerit 2. Reg. 1. 5. & 18. & 3. Reg. 1.

Si ſolicitudo anxia & moroſa rebus ad vitam traducendam neceſſariis adhibenda non eſt, quanto minus ad res ſuperfluas & vanas adhibenda erit? Fit enim ſæpe vt qui anxij nimium circa iſta ſunt, in maximam redigantur inopiam & egeſtatem. Vnde Seneca de huiuſmodi hominibus ita dicit: late poſſidet, ſed multum debet; habet domum formoſam, ſed alienis paratam numis; ſi creditoribus debita perſoluit, nihil denique ſupererit. Vide Senecam lib. 13. epiſ. ad Luci, epiſ. 88.

Aduerſus res ſuperfluas ita loquitur idem Seneca: quid ad rem pertinent mulæ ſaginatæ; variis coloribus depicti tapetes, laquearia deaurata, aurea pectoribus dependentia monilia, tecta denique pretioſa? Iſta nec dominum facere poſſunt meliorem, ō quantum erat ſeculi decus, imperatorem triumphalem Cēſorinum,& quod ſuper omnia hæc eſt, Catonē vno caballo eſſe contentum! &c. Vide Senecam lib. 13, epiſ, epiſ. 88.

Superfluæ quidem res,& voluptatis magis quā neceſſitatis gratia comparatæ moleſtare ſæpe, cruciare, atque inquietum reddere poſſeſſorem ſolēt. Lege Senecam lib. 5. epiſ, epiſ, 39.

Rerum elegantium nimia ſolicitudo & oſtentatio ſæpe nocere ſolet Iſa. 39. A. & oſtendit eis cellam aromatum.

Solicite ſcrutari quæ ſuperant captum noſtrū non debemus Eccleſiaſtici 3. C. altiora te ne quæſieris.

Rerum curioſarum ſolicitudine diſtineri non debemus Actorum 17. E. Athenienſes autem.

In domino confidamus & non in noſtra ſolicitudine atque induſtria. Oſee 10, D. quia confiſus es in viis tuis.

Noſtra ſolicitudo domino repugnante nulla eſt Oſee 12. C. omnes labores mei &c.

Humanæ confidere ſolicitudini, & non Deo, extrema dementia eſt Oſee 5. D. & ipſe non poterit ſanare vos.

Fiduciam ſpemque noſtram in domino conſti-

tuamus,ipſe enim nobis neceſſaria prouidebit,Danie.13.C.ſed melius eſt mihi.

Infirmum plane eſt huius ſeculi inniti rebus Ezech.27.C.Chartaginenſes negotiatores tui. Vide etiam cap.31.per totum.

Terrenis confidere rebus quam vanum ſit Iere. 49.A quid gloriaris in vallibus?

Propria confidentia quam vana ſit Iſa.47.B. in ſempiternum ero domina.

Non debemus in viribus tantum confidere noſtris Iſa.46.A.confractus eſt Bel.

Propria confidentia vanaque iactatio quo tandem deueniant. Iſa.29.A humiliaberis.

Vana eſt fiducia quæ non in Deo ponitur.Iſa 16. B.his lætantur ſuper muros cocti lateris.

Inſolens ſui confidentia noxia eſt Iſa.20.B.& dicat habitator inſulæ huius.&c.

Nonne anima plus eſt quam eſca,& corpus pluſquam veſtimentum? Confirmat ſpem noſtram primum de maiore ad minus deſcendens,deinde de minore ad maius aſcendens.Quomodo ſi animam dedit,eſcã non dabit?Si corpus plaſmauit, veſtimentum non prouidebit?niſi voluiſſet eſſe quod eſt, nõ crearet. Quod autem ſic creauit vt per eſcam ſeruetur, neceſſe eſt vt det ei eſcam,quandiu vult eſſe quod fecit.D.Chryſoſ.in non abſo.homi.16.

Nonne anima plus eſt quam eſca? Quod dicit iſtiuſmodi eſt. Qui maiora præſtitit, vtique & minora præſtabit.D.Hierony.lib.1.in Matt.6.

Super illa verba,nonne anima plus eſt quam eſca? vide Sixtum Senen.Bibli.ſanc.lib.6.annota,35.

Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa:nonne vos magis pluris eſtis illis? Non dixit,reſpicite quia volant aues quod nobis certe impoſſibile eſt prorſus imitari,ſed quia abſque ſolicitudinis ſuæ præparatione paſcantur,quod nos quoque ſi volumus facile quimus implere. Si enim etiam illorum quæ propter nos vtique creauit, tantam Deus curam gerit, quanto potius noſtri, quos dominos fecit? *Quoniam non ſerunt neque metunt.* Quid igitur non oportet inquies ſeminare? nõ dixit quia ſeminare nõ debeas, ſed quia ſolicitus hinc atque anxius eſſe non debes:nec ait non oportet operari, ſed quia puſillanimum eſſe non oporteat, & curarum angore diſtendi. D. Chryſoſ.in Matt. homi.22.

Si auibus preſtat alimentum, hominibus non præſtabit alituram? ſi ille non laborantes inueniũt eſcas, homo inueniet, cui Deus dedit & operandi ſapientiam,& fructificandi ſpem? Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit,hominem autem propter ſe. Si ergo animalibus miniſtrat propter hominem, hominibus non miniſtrabit propter ſeipſum? Omnia Deus in ſapientia fecit, hominem autem non ſolum in ſapientia, ſed etiam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Quanto ergo pretioſior hominis creatio quam animalium, tãto maior ſolicitudo Dei de hominibus quam de animalibus. Omnia Deus animalia fecit vt tandiu ſint quandiu ſunt:cum vero mortua fuerint, fiant tanquam quæ non fuerunt? hominem autem, vt non ſolum ante mortem, ſed etiam poſt mortem viuat,magis autem poſt mortem quam ante mortem, quoniam ante mortem in tentatione viuit, poſt mortem autem in gloria. Si ergo illis occurrit quos ſic creauit vt tantummodo viuant, hominibus non occurret, quos fecit vt in perpetuum viuant? D.Chryſoſ.in non abſo.homi.16.

Luc 12.dicitur,conſiderate coruos; cum enim vniuerſis volatilibus dominus eſcam prouideat, dicitur tamen alere coruos, quia nulla adhibita diligentia parentum educantur multo tempore: ferunt enim coruos ſtatim atque nati ſunt,à parentibus deſtitui, quod albi appareant. Pſal. 146. qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Iob. 38. quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant? Si ergo Deus coruis prouidet: quanto maiorem curam de vobis habebit? Vnde Sap 12. non eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus.Obſerua autem quod cum homo ſit omnium creaturarũ dominus & magiſter,ad bruta docendus mittitur,quia cum in honore eſſet non intellexit Pſal. 48. ſic ſapiens pigrum hominem ad formicam mittit Pro.6.Ita enim nos miſeros & ineptos reddidit peccatum, vt multa poſſimus diſcere ab ipſis brutis. Præterea non ſine cauſa exemplum aruorum & volatilium dominus propoſuit. Potuiſſet namque viros religione & ſanctitate excellentes nobis proponere, quales fuerunt Moyſes,Elias,& Baptiſta,quos nulla eorũ adhibita cura Deus pauit:ſed noluit, quia poſſet aliquis dicere, quid hoc in meum ſolatium facit? Nam ſi ego ea ſanctitate eſſem præditus qua ipſi,ita etiam ſperare poſſem: volatilia ergo propoſuit,vt intelligeremus maiori iure noſtram diffidentiam eſſe deteſtandam, conſiderantes ſecuritatem irrationabilium animalium. Exemplum igitur horum animalium ſemper ante oculos deferas:ex quo duo colligere poteris, primum quidem ne nimis ſolicitus ſis circa temporalia:deinde vt in alta conuoles, hoc eſt tuas cogitationes in Deum dirigas.

Quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Sicut enim corpori inquit, ne exiguum quidem augmentum ſui potes adijcere curando, ſed abſque tua ſolicitudine illius incrementa conſequeris;ita te oportet etiam alimoniam congregare, ſi tamen vel ſic eam putaueris congregandam. Ex quo profecto manifeſtum eſt, nequaquam noſtra induſtria, ſed prouidentia Dei etiã ea perfici,in quibus ipſi videmur operari:quod ſi ille nos deſerat, non ſolicitudo vlla, non cura, non labor,nec quicquam horum aliud apparebit, ſed cuncta prorſus infeliciter laborata, & effuſa inaniter vaneſcent. D. Chryſoſ. in Matthe. homi.22.

Si ergo cogitando modicam partem corpori veſtro addere non poteſtis, quomodo cogitãdo ſaluandi eſtis in toto? Deus qui te ex nilo formauit in vtero,& de periculo, & cum periculo naſcẽtem de vtero matris eripuit,te non ſolum non cogitante, ſed neque ſciente.Deus qui per ſingulos dies incrementa corporis tui dat, & ſapientia facit, te non intelligente. Si ergo in teipſo quotidie prouidentiam operatur, quomodo in neceſſariis tuis ceſſabit? Conſiderate lilia agri, quomodo in tempore opportuno creſcunt, tempore ſtatuto formantur. In frondibus veſtiuntur candore, implentur odoribus:& quod terra radici non dederat, neque radix illi, inuiſibili operatione Deus largitur,neque plus iſtis, & minus aliis, ſed in omnibus eadem prouidentiæ plenitudo ſeruatur, vt non à ſeipſis nata,neque euentu facta putentur, ſed Dei prouidentia intelligantur eſſe diſpoſita. D. Chryſoſ. in non abſo.homi.16.

Quis autem veſtrum cogitans &c. Ac ſi diceret,ſi in poteſtate hominis eſſet facere ſibi magnam corporis ſtaturam, optima ratione deberet etiam ſolicitus eſſe de veſtibus. Lilia quidem agri, nulla cultura naſcuntur, & à nemine plantantur, & ſine vlla ſua ſolicitudine tantum decorem & pulchri-

tudinẽ habent. Non laborãt porro dicit, propter viros,neque nẽt,propter fæminas,vt vtriſque auferat ſuperfluam ſolicitudinem.

Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? conſiderate lilia agri quomodo creſcunt,non laborant, neque nent. Cur nõ ex auibus pauum nobis propoſuit aut cygnum,vel ex pecoribus agnum? Multa quippe ex hoc animãtium genere ſumere exempla potuiſſet.Quia ſcilicet vtrumque cumulum voluit exaggerationis attollere, & ab herbarum ſcilicet vilitate, quæ tanto tamen adornatur decore, & ab illius pulchritudinis dignitate,quæ ſplendet in floribus:minus enim exquiſitæ veſtis ambitum depreciaret,ſi ei nõ ornata ſolum, verum etiam animata præponeret, & idcirco poſtquam iſta confert,non iam lilia, ſed agri illa fœnum vocauit. Et ne hac quidem appellatione contentus, rurſus aliam quoque illis addit vilitatem: quod inquit hodie eſt, & non dicit cras verò non eſt, ſed multo adhuc inferius & vilius, & cras inquit in clibanum mittitur. Nec dixit, Deus illa veſtit, ſed Deus illa ſic veſtit. Vides certe multos exaggerationum cumulos,magnaque elationis augmenta.Hoc autem facit,vt eos magis magiſque caſtiget,propter quod intulit.Quanto magis vos? multam quippe hic ſermo vim continet; quod enim dixit vos, nihil egit omnino aliud quam vt oſtenderet quanto genus humanum Deus honore cumulauerit, quam etiã eorum curam gerat ſalutis;ac ſi diceret. Vos quibus rationalẽ animam dedit,corpuſque formauit; vos propter quos fecit omnia quæ videtur,propter quos miſit prophetas, legemque cõſtituit;propter quos bona operatus eſt innumera, propter quos etiam vnigenitum filium ſuum dedit. Et quia manifeſta iſta monſtrauerat, merito eos poſtea corripit,dicens;modicæ fidei;Talis eſt qui præcipit, nõ ſuadet ſolum, ſed & increpat,vt magis excitet audientes ad eorum quæ dicuntur aſſenſum.Per hæc vero non modo docet nequaquam debere eſſe ſolicitos, ſed nec arrogare nobis aliquid de pretioſæ veſtis ornatu; quandoquidem pulchritudo florũ, & decor varius herbarum, ipſumque omnino fænum, amictu noſtro inuenitur pretioſius. Cur igitur ex his in ſuperbiam mentis erigeris, in quibus perfacile de te obtinet etiam herba victoriam? D. Chryſoſto.in Math.homi.23.

Quod dicitur, non laborant neque nent, recte accipitur vt prius propter viros ſit dictum,ſecundum propter mulieres; vt vtroſque dominus hoc exemplo confortet,vt ſit ſenſus,Non laborant quẽadmodum viri pro proſequendis veſtibus, neque nent quemadmodum mulieres,Corne.Ianſe.in ſermo.de hac domi.

*Conſiderate lilia agri.*Et reuera quod ſericum,quę regum purpura,quæ pictura textricum, poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa; quid ita candet vt lilium?&c. D. Hierony, in Matt. lib. 1, cap.6.

Et de veſtimenta quid ſoliciti eſtis? Multi quidẽ ſunt qui toti occupantur in veſtibus curãdis, & ſeipſos componunt adeo ornate vel moroſe potius, vt in eo conſiſtere felicitatem exiſtimare videantur. Et pulchritudinem corporis nimis faciunt, ex eaque interitum ſibi potius generant atque mortem, quam vtilitatem aliquam comparent. Princeps Tyri pulchritudini ſuæ & decori confidens, propterea miſere periit; nonne pulcherrimus fuit Abſalon & formoſiſſimus? capilli eius nonne magno in pretio non habebantur? & his tamen miſere periit.2.Reg.18.Petrarcha etiam inquit in remediis fortunæ, quod vix poterit inueniri aliquid quo quis magis ſuperbiat,quam pulchritudine corporali. Ouidius ait. 1.lib.faſtorum,præſumptionẽ eſſe pulchritudini annexã, quæ ſocia eſt ſuperbiæ. Hinc poetæ fabulati ſunt,Narciſſum periiſſe,quod pulchritudine ſua & forma nimis caperetur. Non ſolum autem pulchritudo corporalis ſæpe ſolet incommodare ei qui ipſam poſſidet,vel ea male vtitur,verum etiam multis ſimilibus officit qui eam contuentur. Si quidem vt fulmen quamuis primo intuitu & fulgore ipſo delectabile videatur, attamen vbi ferit eſt maxime noxium atque incommodum:ita pulchritudo in multis licet primo aſpectu præſeferat quandam iucunditatem, quibuſdam tamen noxia eſt, qui ſcilicet ex ea ſibi incommodant atque nocent. Ex quo factum eſt vt princeps Sichem ea ratione fuerit interemptus cum aliis, nempe ex aſpectu formoſiſſimo ipſius Dinæ:& Holofernes etiam ſibi interitum generauit, ex conſpectu ipſius Iudith: & Dauid ex conſpectu Berſabee.2. Reg. 11. Item ſenes illi ex conſpectu & forma Suſanæ. Ammon viſa Thamar, & plerique alij idgenus. Quid dicemus de Salomone, cum ſe tantopere dediſſet eiuſcemodi rebus? nonne maxime Deum offendit,Item ex conſpectu pulcherrimi fructus, Aeua interitum tandem peperit.Si hiſtoriis etiam prophanis credimus,pulchritudo & forma Helenæ in cauſa fuit vt Troia ſolo æquaretur atque periret. Porro cum Cæſar Pompeium deuiciſſet,Galliam,Hiſpaniam,& complures alias nationes ſub imperium ſuum redegiſſet, tandem forma victus ipſius Cleopatræ,vt referunt Sueto.Trãquil.&Eutropius,miſere occubuit. Hercules præterea poſtquam tanta ſuperauit monſtra, & varias victorias conſecutus eſt, de quibus meminerunt Diodorus Siculus, Heraclitus Ponticus, & annius Viterbienſis lib. primorum temporum, & Herodotus, poſt inquam tam multas victorias,Omphale ſeruiuit, ab eaque muliercula ſuperatus eſt:& ita quidem ſuperatus,vt coegerit ipſum colu nere cum cæteris mulieribus, eidemque impoſuerit lintheum quoddam delicatiſſimum, & adempſerit pellem ferinam quam geſtabat. Idem fere contigit Medeæ cum Iaſone, & Phædræ cum Hippolyto. Hæc quidem incommoda conſideraſſe videbatur is adoleſcens de quo mentionem facit D. Ambro. lib.3. de virginitate, qui exiſtimant ſe ſua pulchritudine pleriſque offenſam inferre, ſibi cicatricem inflixit: notamque deformem, vt ea ratione contemptui potius eſſet, quam vt inde muliercula aliqua occaſionem malam arriperet. Tale quippiam refert etiam Petrarcha in remediis fortunæ,Et certe quemadmodum panthera varietate colorum attrahere ad ſe ſolet varia animalia, quæ tamen poſtmodum interficit: ita plane mulieris pulchritudo allicere ſolet & attrahere homines varios, quibus necem infert eorum vitio,atque interitum.Cum aliquando vidiſſet Iſocrates puellulam forma quidem corporis egregia, ſed tamen animi moribus deprauatis;dixit illam quidem egregiam habere ac formoſam nauem,verum magiſtrum & nauclerum deprauatum eſſe atque deformem, Plutarchus inquit pleroſque ex corporea pulchritudine ſibi occaſionem mali aſſumere,non minus quam ex proſpera fortuna.Nam vt fumus ſolet ſublimes petere partes: ſic plane aduerſitates, incommoda, & vitia, inuadere ſolent in dignitate conſtitutos,& proſperitate, & eoſdem vincere niſi ſibi caueant,

Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Si autem Salomon ipſe florum decore ſuperatus eſt, & non

semel aut iterum, sed tota prorsus illa qua regnauit ætate. Posset enim quispiam dicere, quia nunc quidem pulchritudinem florum splendore vestis æquauit, nunc vero candore eorum vel fulgore superatus est, qui vtique ne vna quidem die tanto est splendore decoratus. Hoc enim omnino significauit dicendo: in omni regno suo, nec ab vno quidē flore victus, alium vero inuenitur imitatus, sed ab omnibus pariter obscuratus abscedit; propter quod ait, sicut vnum ex istis. Quantum vero distat à veritate mendacium, tantum illorum amictus, & horum quoque florum discrimen interiacet. Si ergo ille inquam victum se esse confessus est qui cūctos certe qui vnquam fuere reges claritate superabat, quādo tu poteris vincere, vel proximus huic tātæ pulchritudini aliqua ex parte consistere? Hic etiam nos admonet, ne ad huiusmodi ambiamus decorem. Respice namque finem eius, in ignem post victoriam mittitur. Si autem erga hæc vilia, nec vllo prorsus digna sermone, neque magno vsui necessaria, tantam prouidentiam creator ostendit, quando te negligere poterit atque despicere, animal lōge omnibus, quæ propter te vtique creauit, honoratius? Cuius vero rei gratia, tanto etiam decore herbas vestiuit? vt suam scilicet sapientiam creator ostenderet, copiamque virtutis, vt vnde quique illius gloriam disceremus. Non enim cæli tantummodo gloriam narrant Dei, verum etiam terra. Nam hoc quoque Dauid ipse dicit in psalmo, Laudate dominum de terra, ligna fructifera & omnes cedri. Alia quippe de fructu, alia de magnitudine, alia de decore laudem deo videntur emittere. Id autem ipsum maximas profecto designat diuitias sapientiæ, quando etiam in hæc quæ sunt vtique vilissima (quid enim vilius quam hodie quid esse, cras vero desinere?) tantum decoris effudit, quod nullo vsui esset futurum. Quid enim ad ignis alimoniam florum pulchritudo confert? Quemadmodum tibi non dabit quod vtique necesse est ad vsum, qui illud quod omnibus rebus est vilius, tam abundanter ornauit? D. Chrysos. in Matt. homi. 23.

Porro hæc comparatio gloriæ Salomonis cum pulchritudine florum, non solum valet ad id quod dominus hic agit, nempe ad excutiendum vestimentorum solicitudinem, sed etiam ad comprimē dam hominum in vestitus elegantia superbiam. Quid enim in ea superbit homo, cum à vilissimis floribus longe in decore superetur, à quibus etiam gloriosissimus Salomon superatus est?

Si autem fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Certe hæc ratio nimis vrget nos: nam videbis Tyberium, Caligulam, Neronem, Domitianum, qui cum tam impij essent, nefarij, & truculenti, Deus tamen illos sic ditauit vt totius obis imperium tenerent; quomodo ergo credibile est, quod seruis suis negabit necessaria? Verum vt ostendat quam breuis sit & inanis gloria huius mundi, dicit quod hodie est & cras in clibanum mittitur. Sic sapiens personam agens impiorum qui sunt in inferno, inquit: nos nati continuo desiuimus esse. O rem maxime horrendam, cras in clibanum mittitur libi enim impius ita possidebitur ab igne, sicut possidetur fœnum cum in clibanum conicitur; penetrat quidem mors intima viscera peccatoris, qui nil habens in cælo non mirum si terrena quæsierit.

Postquam dominus maximam liliorū pulchritudinem sine omni solicitudine partam ostendit, deinde pergit inferre vanitatem solicitudinis nostræ de parandis vestimentis. Idque vt efficacius faceret, vilitatem liliorum maximam cum summa illorum pulchritudine componit: atque ob id quæ prius lilia vocauit, nunc fœnum agri vocat, hoc est gramen vel herbam agri. Nec hac contentus appellatione, rursum etiam aliam addidit illis vilitatem, dicens quod hodie est, & non dixit & cras non est, sed multo adhuc vilius & inferius, & cras inquit in clibanum mittitur. Decorem quoque pulchritudinis ipsorum similiter amplificans, non dixit simpliciter quod Deus ea vestiat, sed quod sic vestiat. Nam dictio sic hoc loco denotat incrementum pulchritudinis. Emphasim etiam non parum habet quod dicit, idque interrogando, quanto magis vos? Pronomen enim vos, hic est honoris demonstratiuum, quasi dicat. Longe magis vos vestiet, qui estis pretiosa eius possessio, propter quos totum mundū & omnia quæ in eo sunt condidit, quos non creauit vt breui tantum tempore subsisteretis more aliorum, sed vt in æternum cum ipso viuatis. Corne. Ianse. in sermo de hac domi.

Noli ergo homo inania prouidendo gemere, noli laborare caduca præparando, quia prædij semper & vbique Deus præparator assistit. Quis rex deuotis militibus debitam non procurat annonā? Quis dominus fidelibus seruis iusta cibaria non ministrat? Quis pater non dat panem filiis? Si ergo nobis Deus & rex, & dominus, & pater est, quid negabit? Petrus Chrysologus sermo. 163.

Nolite ergo soliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gētes inquirunt. Quandoquidem tam propitium habemus patrem, qui nos à solicitudine anxia & morosa liberos esse præcipit, in eo spem nostram reponamus, & de eius bonitate confidamus, congruamque tantum adhibeamus diligentiam, illa morosa solicitudine reiecta: de quo argumento vide Lauren. Iustini. lib. de instit. & regimi. prælato. cap. 6.

Scit enim pater vester celestis quia his omnibus indigetis. Non dixit nouit Deus, sed nouit pater vester, vt eos profecto ad spem certiorem vocaret. Si ergo & pater vester, & talis pater, nequaquam profecto patietur despici à se filios mala vltima sustinentes, quando ne homines quidem patres hoc aliquando patiuntur. Sed alium quoque præter hunc intulit sensum, dicendo quoniam his omnibus indigetis. Quod vero dicit, eiusmodi est: nunquid superflua sunt ista, vel vos ea despicit requirentes? Et certe herbas quoque ne in superfluo quidem despexit ornatu: nunc autem ista necessaria sunt. Quā ergo tu opinaris causam tibi esse curandi, hanc ego idoneam esse dico, quæ te ab omni liberet intētione curarum. Si enim dixeris, propterea me oportet esse solicitum, quia sunt necessaria: ego è regione respondeo, propterea non oportet te esse solicitū, quia sunt vtique necessaria. Si enim essent superflua, non ita deberes de eorum præstatione confidere: nunc vero quia necessaria sunt, prorsus non oportet ambigere. Quis enim pater inuenitur aliquando, qui liberis suis necessaria quidem se nō præstare patiatur? Igitur ob hoc quoque proculdubio Deus ista præstabit, quia naturæ creator ipse est, & satis plene quorum illa indigeant agnoscit. D. Chrysos. in Matt. homi. 23.

Quærite ergo primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Non dixit dabuntur, sed adijcientur, vt scilicet discretis horum quæ in præsenti dantur nihil esse omnino magnum si futurorum magnitudini comparentur. Et idcirco nec peti illa quidem iussit, sed alia quidem solicite postu-

postulari, illa vero his adiicienda esse præsumit. Quære igitur tantum futura, sic enim etiam optime præsentia consequeris: noli quærere quæ videntur, & ea absque ambiguitate percipies. Qui enim omne studium, totamque curam pro illis inefabilibus gerere debes bonis, satis teipse deprecias atque confundis, qui erga cupiditatem rerum mūdanarum instar fluentum temetipsum semper impendis. D. Chrysos. in Matt. homi. 23.

Cum Deus in oratione non quæritur, citius in oratione animus lassatur, quia cum illa quisque postulat quæ forsasse iuxta occultum iudicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare quod amatur. Sed se magis dominus quam ea que condidit vult amari, æterna potius quam terrena postulari, sicut scriptum est. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Qui enim nō ait dabuntur, sed adiicientur, profecto indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod supperadditur. Quia enim nobis in intētione æternitas, in vsu vero temporalitas esse debet, & illud datur: & hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen sæpe homines dum bona tēporalia postulant æterna vero præmia non requirūt, petunt quod adiicitur, & illud non desiderant vbi adiiciatur. Nec lucrum suæ esse petitionis deputant, si hic sint temporaliter pauperes, & illic beatitudine diuites in æternū viuant: sed solis vt dictum est visibilibus intenti, labore postulationis renuunt inuisibilia mercari. Qui si superna quærerent, iam cum fructu laborē exhiberent, quia cum mens in precibus ad autoris sui speciem anhelat, diuinis desideriis inflammata, supernis cōiungitur, ab inferioribus separatur, amore feruoris sui se aperit vt capiat, & capiēs inflammat; & superiora amare iam sursum ille est dū que magno desiderio ad cælestia inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit, degustat D. Grego. lib. 15. Mora. cap. 20.

Quærite primum regnum Dei. Consule D. Tho. 2. 2. q. 87. a. 6.

Duas habet conciones D. Anthoni. de hac domi. initio 1. par. Theolo.

Super illa verba, quærite primum regnum Dei, vide Sixtum Senen. bibli. sanc. lib. 6. annota. 36.

Et hæc omnia adiicientur vobis. Non ita quidem id accipiendum est, vt nihil ex parte nostra industriæ collocemus sed oscitantes viuamus atque inertes. Si quidem aliter, similes erimus iis qui medecinā aliquam salutarem male assumunt, quæ tamen accurate & ex arte à medico præscripta est: ita enim nos diuina liberalitate, prouidentia, & misericordia, quibus potius vti deberemus ad salutem nostram & res nostras accuratius tractandas, abutimur in perniciem nostram, haud curantes ea quę ad rem faciunt nobis prouidere, adhibita etiam nostra diligentia atque studio.

DOMINICA DECIMA QVINTA Post Pentecosten.

IBAT Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa Luc. 7. Postquam Centurionis serui etiam absens sanauit, aliud rarius facit miraculum, vt nequis dicat ecquid noui in hoc seruo contigit? fortassis alioqui non fuisset mortuus. Propterea mortuum qui efferebatur suscitat: non solum autem verbo facit miraculum, sed & loculum tangit, vt discamus quod corpus eius corpus viuificum sit: quoniam enim caro eius facta est propia verbi omnia viuificantis, propterea viuifica est & apta, tollitque mortem & corruptionem. Porro resedit mortuus & cæpit loqui, vt ne apparenter tantum quibusdam suscitatus videatur: nam vere resurrectionis signum fuit residere & loqui. Inanimatum enim corpus neque residere neque loqui potest. Viduam autem intelligas & animam, quæ virum suum amisit filius vero eius mens mortua est, & effertur extra supernam ciuitatem Hierusalem, regio enim viuentium illa est. Proinde dominus misericordia motus tangit loculum, loculus mentis est corpus. Sepulchrū enim & loculus corpus est. Tacto autem corpore dominus suscitat mentem, iuuenem & fortem illam faciens, quæ resident; & vt suscitata fuerit à sepulchro peccati, incipit loqui hoc est docere alios: quandiu enim in peccato detinetur, non audet docere & loqui; quis enim ei crederet? Vide Theophylac. in Luc. 7.

Ibat Iesus in ciuitatem Naim. Beata ciuitas beata domus, & beatus ille est nuncupandus, ad quem dominus accedit; siquidem bona multa ab eo accipiet. Venit Christus domum Simonis, & socrus eius liberatur à febre Luc. 4. venit ad Matthæum, & ex publicano efficitur Apostolus Matt. 9. Venit in domum Zachæi, & salus facta est illi Luc. 19. venit denique in hanc ciuitatem Naim, & mortuum suscitat adolescentem. E diuerso autem is à quo dominus discedit aut longe abest multis miseriis implebitur. Idcirco dixit Martha domino, domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Vnde & Iudaicus populus miser obcæcatus est, quia Deus discessit ab illo. Vnde maxime cauendum est ne tibi dicat dominus, sicut olim Iudæis: vos dereliquistis me, & ego dereliqui vos. 2. parali. 12.

Et ibant cum eo discipuli eius. Comitabantur Christum, sicut Eliæus qui magistro suo dixit 4. Reg. 2. viuit dominus, & viuit anima tua, non derelinquam te. Vnde in persona horum dicebat Iob. 23. vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ab ea. Redditurī erant Apostoli rationem de omnibus quæ gessit Christus, à Baptismo Ioannis vsque ad ascensionem domini, vt Petrus dixit Acto. 1. Atque ideo indiuidui comites erant, atque testes miraculorum eius. Iucūdum etiam erat Apostolis Christo adhærere, dixit enim Petrus Christo Ioan. 6. quo ibimus? verba vitæ habes. *Et turba copiosa.* Ibat cum illo turba multa propter signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Et vtinam miracula quæ Christus singulis diebus tecum operatur, tecum efficerent vt illum sequereris. Obserua autem quod prius eunt Apostoli, & statim post illos turba multa: nam quando prælati Ecclesiæ priores Christum sequuntur, statim post illos tendunt subditi & inferiores: siquidem eodem modo quo pastor Iacob Gen. 30. virgas ponebat vel cum cortice, vel sine illo, coram oculis ouium, eodem inquam modo oues pariebant agnos varios. Ita plane si bona opera pastores & prælati ecclesiæ coram oculis subditorum proponunt, eadem ipsi subditi sequūtur & pariūt. Prior qui in ciuitate Niniue pœnitentiam egit Ionæ 3. fuit rex ipse, qui prius surrexit de solio, quem secuta est vniuersa ciuitas. Prior etiam qui prophanauit vasa templi Dan. 5. fuit Balthasar, & id protinus fecerunt eius concubinæ, vbi facile est videre quantum valeat maiorum exemplum, advitiū vitandum, vel ad virtutem amplectendam. Quādo Psal. 33
Iosue Iordanem fluuium transiit cum testamenti arca Iosue 4. prius transierunt sacerdotes, & aquæ furor cessauit, & ita omnes securi transie-

runt. Refert enim multum vt prælati, sacerdotes, & ecclesiastici, & præsertim hi quibus animarum cura incumbit, priores sint in virtutis sequela. Ita Esaias cum dixit, omne caput languidum, & omne cor mœrens: statim subdidit, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Quãdo prælati qui capita sunt, infirmantur, necesse est corpus, id est reliquos subditos ægros esse? nam quando princeps & gubernato. reipub. non recte in administratione se gerit, tota respub. periclitatur. Vnde in Eccles. 10. legitur, secundum iudicem populi, sic & ministri eius, qualis rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea.

Et turba copiosa. Attende quomodo non solum discipuli sed etiam multitudo maxima Christum sequeretur, & longe cum ipso properaret, relictis domibus: tu vero à Christo fugis eiusque doctrina, & vanitates varias sectaris: vide quæso quibus in baptismo renuntiaueris, noli te etiam implicare mundi vanitatibus, & similibus rebus friuolis atque inutilibus. Hoffmeisterus in Luc. 7.

Miraculũ istud Christi domini admirabile extitit, nec vero hoc ei nouum est aut inusitatum, vt similia præstet mirabilia. Vide enim quam mirabilis fuerit ipsa prima rerum omnium creatio Gẽ. 1. Attende quomodo statim ex domini imperio Iosue voci obedierit sol Iosue 10. valde præterea fuit mirabile vt ad petitionem Ezechie, vmbra decẽ lineis retrocederet 4. Reg. 20. Mirabilis quoque fuit illa solis eclipsis quo tempore Christus de cruce pendebat Marci. 15. Angeli Loth de sodomis mirabiliter eruerunt Gen. 19. Eliæ fatigato ex itinere, Angelus aquam & panẽ ministrauit 3. Reg. 19. Puero territo ostendit Elisæus currus auxiliãtium angelorum 4. Reg. 6. Apostolos in carcere sub publica custodia positos, nocte Angelus domini liberauit. Act. 5. Petrum vinctum, catenis duabus, & à militibus custoditum Act. 12. Recordare etiã inirabiles illas columnas, ignis & nubis Exodi 13. Elias ignem consumentem holocaustum miraculose à domino impetrauit 3. Regnum 18. Ad vocem etiam eiusdem Eliæ descendit ignis de cælo, & duos quinquagenarios deuorauit 4. Reg. 1. singulare quoque fuit illud, cum tres pueri in camino ignis ardentis laudabant dominum, illæsi & incolumes. Leuauit Moyses virgam in aerem, & facta est grando qualis nunquam fuit in terra Aegypti. Exo. 9. Pugnantibus quinque regibus contra Iosue, facta est grando sicut lapides magni, qui ceciderunt super eos Iosue 10. Orante Elia, annis tribus & mensibus sex aer pluuiam nõ emisit 3. Reg. 17. Noe cum filiis & vxoribus mirabiliter à Deo in arca seruatus est Gen. 7. vide quomodo conuersæ fuerint aquæ Aegypti in sanguinem Exo. 7. Considera etiam diuisionem illam maris rubri Exo. 14 Per lignum ostensum sibi à domino, Moyses amaras aquas dulces reddidit Exo. 15. Aquam etiam de petra durissima sitienti populo produxit Exo. 17. Considera item diuisionem illam aquarum Iordanis Iosue 3. Elias suo pallio tangens aquas Iordanis ipsas diuisit, libereq; pertransiuit 4. Reg. 2. Elisæus graue fecit natare ferrum super aquas 4. Reg. 6. Ad maledicẽdum populo Dei cum iret Balaam, ab asina reprehensus est Num. 22. Reuoca etiam in mentem illud de coruis cum Elia 3. Reg. 17. & de leonibus cum Daniele propheta Dani. 14. & de pisce qui Ionam naufragum deuorauit, & post triduum incolumem euomuit Ionæ 2.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ; & hæc vidua erat, & turba ciuitatis & multa cum illa. Qui quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis. Sed spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non post proderat, tamẽ posteaquam Iesus id tetigit, proficere cæpit ad vitam, vt esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundẽdam. Audito igitur Dei verbo steterunt illi acerbi funeris portitores, qui corpus humanum lethali fluxu naturæ materialis vrgebant. Quid enim aliud nisi quasi in quodam pheretro, hoc est supremi funeris instrumento iacemus exanimes, cum vel ignis immodicæ cupitatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporis habituding vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe, puræ lucis vacuus alit mentem? Hi sunt nostri funeris portitores. Sed quãuis suprema mortis spem vitæ omnis abolerint, & tumulo proxima corpora iaceant defunctorum, verbo tamen Dei iam moritura resurgunt cadauera, vox redit, redditur filius, matri reuocatur à tumulo, excipitur à sepulchro D. Ambro. lib. 5. in Luc. cap. 7.

Ecce defunctus efferebatur. Redemptor noster puellam in domo, iuuenem extra portam, in sepulchro autem Lazarum suscitauit. Adhuc quippe quasi mortuus iacet in domo qui latet in peccato: iam quasi extra portam educitur, cuius iniquitas vsque ad inuerecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam vsu consuetudinis pressus grauatur. Sed hos ad vitam miseratus reuocat, quia plerumque diuina gratia non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, & mole pravæ consuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat D. Grego. lib. 4. mora. cap. 29.

Cum autem appropinquaret. Appropinquat quidem Iesus, quia cum ipse appropinquat nobis, quemadmodum sol incrementum tribuit plantis & herbis, sic Christus sua propinquitate tribuit nobis vitam & salutem. Portæ autem ciuitatis appropinquat, quia porta per quã egreditur mors, ingreditur vita, nam consensu voluntatis mortuus es in peccatis, & eodem cõsensu resipiscere debes. Et idcirco sine contritione postquam peccasti saluus fieri non potes. Præterea cum defunctum videris ad sepulchrum ferri, cõsiderare debes te mortalem esse, iuxta illud Ecclesiastici 38. memor esto iudicij mei, sic erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie semper recolenda tibi est memoria terra ipsa in quam conuertendus es; facile namque contemnit omnia, qui sæpe cogitat se moriturum. *Et hæc vidua erat.* Vidua non videbat Christum, nec aliud fortasse minus cogitabat quam de eius aduentu, Christus autem probe videbat luctum & planctum viduæ. Quod quidem maximum solatium nobis debet esse, quod scilicet necessitates nostræ & afflictiones illi cognitæ sunt, imo quod iam sit in via vt eis medeatur. Et idcirco maxima semper fiducia debemus confidere, & si fecerit moram, expectemus eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Abacuc. 2. *Et hæc vidua erat.* Et ob id non minoris habita à domino, nam coram oculis domini potius æstimatione sunt digni qui à mundo destituuntur, quam qui ab eo complectuntur. Hæc mulier orbata erat humano auxilio, quæ nec maritum habebat, nec filium, cum ad sepulchrum vnicus deferretur: quæ omnia ipsum domini subsidium & auxilium ei citius attulerunt. Dominus enim custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet psal. 145. Nunquid vidisti Ioseph in Aegypto venditum, in carcerem coniectum, & omnibus spoliatum

tum? Gen. 39. Ieremias aduerte quanto cum honore eum dominus ab his omnibus eripuerit Gen. 41. optime quidem regius vates dicebat Psalm. 9. tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Et psal. 33. prope est dominus his qui tribulato sunt corde, & psal. 112. Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Et Eccles. 35. dominus non despiciet preces pupilli, nec viduam, si emittat & effundat loquelam gemitus: maioribus enim necessitatibus facilius & citius dominus fauet: mundus autem potentibus & diuitib. opem fert, pauperes vero contemnit & obliuiscitur.

Et turba ciuitatis multa cum illa. Felix turba, quæ vnico duntaxat operi misericordiæ intenta, scilicet in sepeliendo mortuo tantum miraculum potuit vide! Quam multi remanserunt in populo qui ignauos se dicebãt, & infelices appellabant, quod mortuum non fuerint comitati, vt hoc miraculum videre possent: fauet dominus, & sua mirabilia ostẽdit his qui se in operibus misericordiæ & pietatis exercent. Dauid misit ad agendum gratias hominibus Iabes Galaad, quia corpus Saul sepelierant, dicens: benedicti vos à domino, qui fecistis misericordiam cum domino vestro Saul, & sepeliuistis eum; & nunc retribuet quidem dominus vobis misericordiam & veritatem 2. Reg. 2. Et sanctus patriarcha Abraham maxime laudatur, quia sepeliuit magnifice vxorem suam Saram Gen. 23. Sic Ioseph tulit corpus Iacob ab Aegypto vsque in terram Chanaam, itinere sane longo & molesto Gen. 50. Curam sepulchri fecit Ioseph, cum adiurauit fratres suos vt asportarent ossa eius in Chanaam. Vide etiam quid faceret Moyses Exo. 13. & Tobias, qui huic operi misericordiæ intentus, acceptus fuit Deo, & angelus hoc bonum opus misericordiæ commemorauit, & laudauit in eo Tob. 12. Nec minori laude dignus est Iudas Machabæus, eo quod interfectos Iudæos sepeliri fecit, & pro eis pecuniam misit Hierosolymam in templum 2. Mach. 12. In nouo etiam testamento opus hoc commemoratum esse scimus, laudi enim tribuitur discipulis Ioannis, quia magistrum suum sepelierunt. Marci. 6. Et illæ mulieres sanctæ quæ primo diluculo ad Christi corpus vngendum surrexerunt, quia in hoc pietatis opere se exercebant, dignæ fuerunt angelum inuenire, qui eas consolatus est, & eis dixit quid esset agendum vt Christum inuenirent. Marci. 16. Vt ex his tandem intelligas, media esse accommodatissima ad inueniendum Christum, opera hæc pietatis quæ proximis impendimus, & sic istæ mulieres prius Christum videre meruerunt quam Apostoli. Quin & apud gentiles & barbaros hoc sepeliendi mortuos officium honestum & laudabile reputatur, quippe Alexander, corpus Darij interfecti, matri vxorique suæ liberaliter tradidit, vt sepeliretur. Et Annibal idem fecit tribus illis Romanorum ducibus quos interfecerat. Hinc etiam laudatur Cimon, cuius patrem in vinculis mortuum cum nollent Atheniẽses sepelire, ipsemet permisit se in vinculis deteneri, vt pater debito honore sepeliretur. Quamobrem ab Ethnicis imperatoribus in fauorem sepulturæ statuuntur iura: & Eccle. 7. dicitur, mortuo ne prohibeas gratiam. Isti igitur qui misericordia cum mortuo vsi sunt, meruerunt Christum inuenire, & insigne hoc miraculum videre.

Ecce defunctus efferebatur. Patres antiqui non timebant mortem ex ratione horribilitatis eius tantum, sed quia non poterant cælum conscendere donec saluator ipse veniret. Loth timuit montem ascendere ne forte moreretur Gen. 19.

Quamuis Moyses seruus domini vellet in omnibus domino benedicere, tamen videtur eum plus vixisse voluisse si dominus voluisset Deuter. 4.

Ezechias bonus & iustus, audita mortis sententia ab Isaia propheta, lachrymabili oratione dominum orauit, & vlterius vitam produxit Isa. 38.

Ieremias Sedeciam orauit ne eum occideret, Iere. 38.

Tobias iustus desiderabat mortem, dicens: præcipe in pace deponi spiritum meum Tob. 3.

Esaias quem Iezabel persequebatur, sedens sub iunipero petiit vt moreretur 3. Reg. 19.

Post contumeliam ab ancilla receptam, Sara dixit, peto domine vt de vinculo improperij huius eripias me. &c. Tob. 3.

Ecce defunctus efferebatur. Multi quidem Christianorum mortem ipsam quæ naturæ debetur nimis exhorrescunt, qui interim carnis resurrectionem sperant, cum tamen plerique Ethnici eam non sperantes, non perinde metuant & contremiscant. Refert quidem Baptista Fulg. Quod cum Dion. Siracusanus cum amicis quibusdam confabularetur, nuntiumque allatum esset de filij obitu, magno atque erecto animo mandaret eum illico sepulturæ tradi, & ad amicorum colloquium non minus iucundo hilarique vultu reuerteretur. Prodidit etiã Seneca de quodam Canio quod cum latrunculis colluderet, & à prætore comprehenderetur vt pro pter scelera quæ commiserat capite truncaretur, forti quodam animo & minus perturbato, collusori diceret: memineris quod ludũ vicerim & sponsionem, ne post obitum meum forsan te iactes victorem euasisse, huiusque rei testem produxit ipsum prætorem. Cum aliquando rogaretur Diogenes, quid tandem ex philosophiæ studio fructus retulisset? hunc respondit fructum reportaui, quod scilicet ad omnem fortunæ euentum præparatum ac præexercitatum animum habeam, vel si vita ipsa in discrimen vocetur. Antigonuscum interfectũ filium è mediis armis atque prælio humeris reportaret, tantum abfuit vt fleret & tristaretur, quin potius gloriaretur quod filius tam glorioſe occubuisset. De Alexandro Magno scribit Quintus Curtius, quemadmodum refert Genesi. Sepul. in Dialogo de gloria, quod cum grauiter vulneratus aliquando fuisset in prælio, & eius domestici vt in pedem referret & regrederetur suaderent, vt vitam suam incolumem conseruaret: magna voce diceret, se non tam vitæ conseruandæ quam gloriæ propagandæ incumbere. Cum aliquando vt prodidit Maximus Monachus autor Græcus, quidam Socrati diceret, Athenienses sententiam tulisse de eius nece & interitu: respondit, multo ante id naturam quam Athenienses statuisse. Cũque iam iam cicuta propinaretur, & coniunx magno fletu exclamaret, quod insons moreretur & sine vlla culpa sua; magno quodam animo respondit, quid igitur quærebas, vt cum culpa morerer? Demost. contra Philip. qui in patriam erat acerbior & crudelior, dicebat multa aliquando pro patriæ libertate & defensione constanti quidem animo: cumque Philippus subiiceret, an non metuis ne forte lictori te tradã occidendum; non minus constanter respondit. Minime id quidem metuo rex, si enim tu mihi necem intuleris, patria famam est allatura immortalem. Scribit Aelianus lib. 5. de varia historia, quod cum Alexander videret quam constanti animo & inuicto Calenus quidam Indus mortem inflictam toleraret, diceret: næ

philosophus iste fortior me est, & acriores vincit hostes, ego enim cõtra homines depugno, ipse vero contra labores & tormenta: ego mortales homines vici, ipse vero mortem etiam superat. Cum à Nerone illo crudelissimo pœnam capitis promulgatam sustineret Rubrius quidam Flauius vir nobilis, & lictor ipse commoneret vt caput accommodate & viriliter præpararet gladio, is forti animo respondit: vtinam perinde viriliter & animose me percutias, atque ego ictus tuos excipiam. Vide Conturſi. 2. lib. Exemp.

Ecce defunctus efferebatur. Philonorius Gala. vt scribit Heraclites, referente Marullo, sex totos annos in sepulchro quodam delituit, vt facilius & crebrius mortis recordatio menti occurreret. Dogmanis quidem Philosophis orientalibus prodiderunt historiæ quod vt facilius sui mortis memoriam inciderent, pro foribus ipsis patentia haberent sepulchra atque hiantia. Scribit etiam Quintilia. in 2. declama. nihil esse acerbius morte ipsa inopinata & impræmeditata. Amianus Marcellinus mortem appellat finem dolorum, Sallustius inquit mortem magis appellandam esse finem infortuniorum, quam infortunium. Marcus Tullius in prima Tusculana mortem nominat portum, & diuturnos annos ventos quosdam contrarios qui non permittant nos statim ad portum istum peruenire. Porro Solinus cap. 15. & Pomponius Mela lib. 1. cap. 2. referunt quod Traces in ipso liberorũ ortu flere consueuerant, in interitu autem diem festum agere, idem testatur Vale Maxi. lib. 2, & Quinti. lib. 5. & Herodo. etiam lib 5. Alcidamus quidam Rhetor antiquissimus, in mortis laudem & encomium lib. conscripsit, quem secutus est Cicero prima Tusculana.

Quem cum vidisset dominus, misericordia motus super eam dixit illi: noli flere. Flebile enim erat triplici de causa: primum quod adolescens esset mortuus, & in ipso flore vitæ ereptus. Deinde quod filius viduæ, quæ filij præsentia sese consolatur de morte mariti. Postremũ quod vnicus esset filius, & quod est maius, vnigenitus. Corne. Ianse. in sermo. de hac domi.

Dixit illi noli flere. Vide quantum profuerint lachrymæ alienæ vt Christus mortuo cõpateretur, & eum ad vitam reuocaret: quanto igitur putare debes tuas pro futuras esse lachrymas, pro sceleribus purgandis quæ commisisti? Tu vero pro tantis peccatis pœnas daturus, securus tui sedes, miserabili risu lugendisque facetiis te simul aliosque disperdens: & de sola deliciarum voluptate solicitus, bona æterna contemnis. Si ergo inquis, ista non fecero, sed ad luctum fuero lachrymasque conuersus: quem tandem fructum capessam? Profecto maximum, & omnino tantum, quantum sermo explicare non sufficit. In secularibus enim iudiciis quãtumlibet post acceptam sententiam lamenteris & lugeas, non tamen effugies flendo supplicium. Hic vero si toto corde ingemueris ad Deum, soluisti repente sententiam, veniãque meruisti. Idcirco multa nobis de luctu loquitur Christus, & beatificando lugentes. Vide D. Chrysostomum. in Matthæ. homi. 6.

Non solum mater ipsa adolescentis lugebat, sed etiam multi alij cum ea lamentabantur, & eidem compatiebantur. Ita tu flere debes cum flentibus, non autem moliri statim vt lachrymæ restinguantur: si quidem quemadmodum equi alicuius domitor, non illico tenerrimo equo lupatum & frænũ acerrimum indit, sed potius leuiter & suauiter cum eo agit, donec tandem sentit vires illius inualuisse: ita tu initio lachrymari etiam debes, & sensum præ te ferre luctus & mœroris, vt inde demum assurgas ad altiores consolationes & præstabiliores, ac denique luctum omnem extinguas & abstergas. Psalm. 118. defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, &c. Vide D. Basi. homi. de martyre Iulita.

Si cogites diligenter inquit idem Basilius vbi super & præuidisses te mortalem genuisse filiũ, ha equidem perinde lamentareris & eiulares in eius obitu. Quid enim tantopere te cõmouet mortalem mori? Ecquid aliud in tam fragili & volubili mundo, quam mutationem istam expectabas? an non vides quantæ passim fiant & quam crebræ generationes & corruptiones? cælorum orbes in continuo sunt motu, elementa inuicem mutantur; sol, luna, & cæteri planetæ vagantur. Si igitur tantæ columnæ commouentur, quid speràndum erat de homuncione mortali & caduco? Hæc quidem omnia te multo ante præuidisse ac præcogitasse oportebat: si quidem prouidus nauta impendentem procellam longe ante præsentit, & fortis miles ad futurum bellum se diligenter præparat. Ita tu ad omnem fortunæ euentum præparatũ ac præmunitum præ te ferre debes animum, vt minus te præsisa feriant tela.

Hortatus quidem fuit Dauid populum vt fleret, propter Saulis & Ionathę obitum: quorũ ille in peccato decesserat, hic vero in ętatis suę flore. Ita nos condolere & compati debemus luctui aliorũ: verum ita tamen, vt nequid nimis faciamus. Fateor quidem flebile esse, & quod cuiusuis pectus commoueat, decessisse vnicum filium quem habebas, & migrasse è vita præsidium senectutis tuę atque solatium, summa cura diligentiaque educatum, posteritatis spem atque propaginem. Verum enim uero inuictus animus & fortis, non debet perinde commoueri & cruciari, sed letari potius quod ita placitum fuerit altissimo, qui futuros euentus melius nouit. Vide enim quomodo se inuictum exhibuerit Iob, cum nuntium perlatum est de liberorum interitu, & de cæterarum rerum iactura, dicens: dominus dedit, dominus abstulit. Reuoca etiam in memoriam quod mortalem genueris filiũ, non autem immortalem, &c. Vide D. Basilium oratione 24. de morte.

Misericordia motus super eam. Notandum plane est, quod Deus soleat vel in summo furore atque ira, misericordiarum suarum non obliuiſci. Quod quidem mirabiliter significatum est, cum Ieremiæ dixit se populum illum esse deuastaturum, atque Chaldæis traditurum, & interim tamen eidem Ieremiæ præcipit, vt hæreditates emat atque possessiones, quas etiam sub chirographo recipiat, diligenterque conseruet, Cuius mirabilis facti rationem poscenti prophetæ, responsum fuit, Deum aliquando placandum fore, atque regionem illam restituturum. Vide Iere. 32. & 33.

Magna est Dei misericordia Isa. 48. b. propter nomen meum.

Deus maxime misericors Iere. 2. A. recordatus sum tui.

Maxima vtitur Deus misericordia Iere. 3. a. nunquid irascens in perpetuum? &c.

Deus misericors est erga eos qui ad ipsum conuertuntur Iere. 29. D. cum quæsieritis me.

Dei misericordiam multis lachrymis imploremus Isa. 63. D. tu enim pater.

Misericordes simus erga fratres nostros & proximos Isa. 58. C. cum videris nudum operi eum.

Magna est Dei misericordia Isa. 10. E. noli timere po-

populus meus.

Excellens dei misericordia etiam erga impios reluceat, vt si conuerti noluerint, maximè confundantur & erubescant. Ezech. 16. G. recordaberis viarum tuarum, & scies quia ego dominus.

Excellens dei misericordia Ezech. 20 G. & recordabimini viarum vestrarum.

Misericordia ergo nos deus propter seipsum vtitur Ezechie 36. f. non propter vos ego faciam.

Maxima Dei misericordia 4. Reg. 19. G. protegã vrbem hanc propter me.

Quantum misericordia Deo sit grata Michææ 6. C. indicabo tibi homo quid sit bonum.

Noli flere. Compati quidem afflictis debemus & cõdolere, atque soliciti esse in funeribus curandis, & humandis, præsertim cum ab Ethnicis etiã id præstitum videamus. De Alexandro enim scribit Iustinus lib. 11. quod cum aliquando Troianas regiones per agraret, multa inhumata corpora, humanda curaret, & oblationes ac preces pro eisdem fieri. Et lib. etiam 12. inquit, quod simile quidpiam honorifice præstiterit cum suis militibus, qui in Darij pugna occubuerunt.

Noli flere. Quemadmodum vasta flumina & ingentia magno quidem impetu, & quasi quodam gemitu procurrunt ex quo primum exorta sunt, donec tandem ad mare ipsum peruèniant, vbi qua si conquiescunt: ita etiam vita nostra tendit à primo ipso ortu per gemitus & labores ad mortem, ad quam mortales omnes, & magno quidem cursu festinant.

Misericordia motus super eam. Magni quidem animi est & pij, compati afflictorum & impotentium. Vnde Romani olim cum sub protectione sua Ptolomæi filium recepissent, cum defenderunt ab exercitu Anthiochi, vt scribit Iusti. lib. 31. Cæsar item auxiliatus fuit Tiridati Parthorum regi, quem protegendum susceperat in bello Hispanico, vt scribit idem Iusti. lib. 42. Ita nunc Christus misericordia motus est, videns afflictam & miserabilem hanc viduam, cuius vnicus filius interierat.

Et accessit, & tetigit loculum: illi autem qui portabant steterunt, & ait. Adolescens tibi dico, surge. Cum Deus tangit loculum nostri corporis laboribus & afflictionibus argumentum quoddam videtur salutis animæ, sicut contra cum afflictionibus non pulsat & calamitatibus, contrarium videtur argumentum & indicium. Psal. 118. bonum mihi quia humiliasti me, &c. Cæterum magnum quidem supplicium peccare, etiam si non puniamur, peccata enim nos à deo separant, sicut & ipse dicit Sapi. 1. nonne peccata vestra separant inter me & vos? pœnæ vero nos ad Deum perducunt. Si quis vulnus habeat, quid timere dignum est, saniem, an medici sectionem? ferrum, an vlceris populationem? peccatum sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut igitur saniem habens, etsi non secatur, male habet cum non secatur, tunc est in maioribus malis: ita peccans etiam si non puniatur, omnium est miserrimus, & tunc maxime miser cũ non punitur & grauè nihil patimur. Et sicut splene & intercute laborantes, cum larga fruuntur mẽsa, frigida potione, deliciis ferculorũ & saporibus, tunc præcipue omniũ sunt miserrimi, deliciis mortuum augentes: si vero siti & fame secundum medicorum leges cruciantur, aliquam salutis spem habent. Sic & iniquitate viuentes, si puniantur quidẽ bonam spem habent: si vero cum iniquitate licentia & deliciis fruantur, sunt multo miseriores, & tãto magis quanto corpore melior est anima. D. Chrysos. ad popu. homi. 6. to. 5.

Qui multum peccant, magis timere debent si non puniantur, quam si puniãtur: crescit enim eorum pœna ex eo quod Deus longanimis non vlciscitur. Si ergo peccantes non punimur, magis tremere debemus. Dic enim oro, si seruũ haberes cui semper minareris & quem non percuteres, quando magis terreretur? quando magis fugit, & fugitiuus fit? nonne quando solum minaris? Multa fiunt nunc quæ in diluuio, sed diluuium non accidit, gehennæ enim pœna nunc inter minas est. Multi peccant, vt hi qui in Sodomis, sed ignis pluuia non descendit, igneum enim flumen paratum est. Multi ea quæ Pharao ausi sunt, sed non eadem passi sunt quæ Pharao: expectat enim hos pelagus abyssi. Vide D. Chrysos. in Acta Aposto. homi. 12. to. 3.

Si peccatores hic non puniuntur, caueant sibi diligenter, & attendant, ne tandem acrius plectãtur. Præstat quidem vt hic pœnas dent, quam in futuro seculo. Hic enim cum irascitur Deus, misericordiæ etiã recordatur illic autem districtius multo agetur. Hic quidem si quis seruus à domino puniatur, & sperabat se grauiora supplicia esse daturum, cum tamen mitius secum actum sit, gaudet & lætatur, ita etiam in hoc seculo cum Deus aliquem castigat, blandius agit ac mitius, in futuro autem acrius agetur atque districtius. Hic igitur domine vre, hic seca, labores calamitatesque immitte, vt in perpetuum nobis parcas & ignoscas.

Adolescens tibi dico surge. Triplicem incurrerat homo mortem per peccatum, mortem naturæ, culpæ & inferni, id est corporis & animæ. Prima quidem luctuosa, secunda calamitosior, tertia perniciosissima erat. Venit igitur Christus vt triplicem vitam restitueret, resurrectionem enim carnis largitur contra mortem naturalem, viuificationem gratiæ contra mortem culpæ & vitam gloriæ contra mortem sempiternam.

Et tetigit loculum. Loculus diminutiue vocatur locus vbi iacet mortuus. Mortuo enim paruulus locus sufficit, cui viuenti lata domus & alta non sufficiebant palatia. Mors fatetur quantula sint hominum corpuscula. Hoc considerent qui alta palatia & domos deauratas fabricant in hac breui vita, quæ commodata nobis est ad illam æternam felicitatem parandam. Peregrinus viator patienter tolerat nocte vna in pauperrimo hospitio dormire: solatur enim se quod sequente die in proprio lecto domi suæ requieſcet: Sic illi sancti & antiqui patres in casulis habitauerunt. Vnde Pau. ad Heb. 11. fide Abraham demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem; cuius artifex & conditor est Deus. Si vero sancti illi patres longam vitam habituri, casulis & tugurijs vtebantur: quare tu hoc tempore in quo vitæ multo breuiores sunt tam superbã mia cum solicitudine ædificas palatia? *Hi autem qui portabant steterunt.* Et ideo tetigit Christus vt ipsi stetissent, eademque ratione nos ipsos tangit atque castigat vt in peccatis cessemus. Ideo mihi crede malum tibi omne contingit, quod gradum non comprimis. Cum enim ad malum aliquod perpetrandum pergis, inspiratione Deus te vocat, & interius ictu aliquo pulsat dicẽs: vide quid facias, mortem enim æternam inquiris, & finem peccati non prospicis. Tu vero neque his acquieſcis, sed contentiose vltra progrederis, nec lẽnitas tuas consideras. Nulla autem vanitatum quas modo diligis, tibi proderit in illo tremendo transitu mortis.

Nauta

Nauta quidem in puppi ſedens ſuam gubernat nauem,idem tibi faciendum eſt nauiganti in mari tẽ peſtuoſo huius mundi, ſcilicet vt ſedeas in vltimo fine illius, vbi mortem contemplaturus es, ſi vis quod vita bene gubernetur. Cinis ignem conſeruat, & recordatio cineris in quem vertendus es, gratiam conſeruabit. Nil enim ita propemodum à peccato reuocat, quam crebra mortis recordatio:ratio enim ipſa poſtulat, vt quod aſſidue oculis cernis,credas.

Tibi dico ſurge. Sancti & boni deſiderant ſeparari à vinculis corporis, vt Simeon qui dicebat,Nũc dimittis ſeruum tuum domine Luc.2.& Pau. Philip.1.cupio diſſolui,& eſſe cum Chriſto. Item Roma.7.infelix ego homo,quis me liberabit,&c.Dauid quoque ait pſal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Sicut enim hierax qui volans roſtrum & vngues aliquando iniecit in ardeã, quam captam ducere voluit,ſed locus ei dilanandi auem relictus non eſt, ſtatim in ſuo loco poſitus,plumas habet erectas,& vngulis excutit cuculum,vixque eum quiſquam cõtinere valet,ſic Paulus poſtquam ad tertium cælum raptus eſt,omnia poſtmodum quaſi confringere volebat, vt recta ad Chriſtum pergeret. Propheta etiam dicebat pſal. 141. educ de cuſtodia animam meam. Impij vero contra ſe habent,fugiuntque tanquam latrones,prætoris iudiciſque conſpectum. Cygnus qui dem morti vicinus ſuauiſſime cantat, Serena vero maris flet atque ingemiſcit: quia vt Philoſophus ait in Problematis, in morte accedit ſanguis ad cor,& ſanguis cygni generoſus eſt, ſanguis autem Serenæ vilis;atque ideo Serena incõpoſite vociferatur, cygnus vero dulciter cantat. Sic impij malũ habent ſanguinem, hoc eſt vitam ſceleribus & vitiis plenam, & ideo in morte triſtantur, iuſti autem cum habeant bonum & generoſum ſanguinem, ideo lætantur & exultant in morte. Qui flet etiam in vita,canit in morte,& contra qui ridet in vita,luget in morte.Væ qui nunc ridetis,quoniam flebitis Luc. 6. Et Matt. 5. Beati qui nunc lugent, quoniam conſolabuntur.

Hi autem qui portabant. A tuis quidem quatuor paſſionibus præcipitanter veheris, quæ te ad ſepulchrum damnationis niſi caueas ducent. Chriſtus tamen te vocat,& ſua tangit manu: retine ergo illas nec vltra progrediaris in peccatum,in hoc enim tua nititur vita.*Adoleſcens tibi dico ſurge.* Multi ſunt velut infantes & pueruli, qui murem vel quippiam ſimile exhorreſcunt, cum interim non timeant manus in ignem coniicere, & ſeipſos comburere. Ita nos corporis mortem valde timemus, peccatis autem velut aliud agentes nos immiſcemus & obruimus.*Adoleſcens tibi dico ſurge.* Sicut Protogenes Appellem cognouit ex ſola apprehenſione vel conſpectu vnius lineæ quam depinxit, ita omnipotentiam Chriſti ab hoc miraculo perſpicere potes.

Hi autem qui portabant ſteterunt. Vide quam obedientes ſtatim hi fuerunt verbo Chriſti: eſt enim illuſtris maxime & memorabilis obedientiæ virtus.Apleriſque quidem hiſtoriographis vt ſcribit Iuſti.lib.4.commendatur obedientia eorum Siculorum,qui cum aliquando à rege ipſo è vita decedẽte,& filiis paruulis,& vniuerſo regno præfici viderent fidelisſimum quendam ſeruum nomine Mithilum, prompto quidem animo huic obedierunt quãuis ſeruo,cum à rege præficeretur;quanto magis nos Chriſto fideliter obedire debemus, & iis quos nobis ipſe præpoſuit atque præfecit?

Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. O lamentabilis res quod mortui Deum audiant, non autem viuilquod tot menſes & annos habites in peccato mortali, & Deus te vocet tum laboribus,tum per ſuos concionatores, & audire recuſes? Quid hoc, quod viui ſurdiores ſint mortuis? quid hoc,quod non habentes aures audiant, & habentes minime audiant? Attendite quod qui hic non audiunt matrem legitimam,poſtea nouercam audient, & quod ſi hic Chriſtum Ieſum non audis, dicentem: venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis,audies eum dicentẽ, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Vnum ergo ex duobus elige,vel audire hic vbi dulcis eſt vocatio,vel audire ſententiam illam tantopere pertimeſcendam, quam Deus contra peccatores & malos pronuntiabit, dicens.Ite maledicti in ignem æternũ. Qui noluerit audire,venite;audiet Ite,velit nolit. ſurge ergo tu qui dormis,ſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus Epheſi. 5. Hodie igitur ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra:ſed audite amantiſſimam & beniginiſſimam Chriſti vocem.*Et dedit illum matri ſuæ.* Sicut Elias & Eliſæus ſuſcitantes alter filium viduę 3.Reg.17. & alter filium ſunamitidis 4.Reg.4.dederunt eos matribus.

Probata fuit vita puellæ in ipſa cibi ſumptione Marci.5.in quo vita vegetatiua denotatur, quæ eſt per nutrimentum. Vita vero Lazari comprobata eſt ex ambulatione Ioan. 11. in quo vita ſenſitiua ſignificatur.Sed tamen huius adoleſcentis vita manifeſtata eſt per locutionem,in quo rationalis vita ſignatur. Vt ſic Chriſtus oſtenderet ſe eſſe dominum animæ,cum ſuis omnibus potentiis,ac vitia quibus homo viuit,Vide D.Bonauen.in Luc.7.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes:quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam. Dicunt autem magnus, vel quia ex miraculi magnitudine videbant eum aliis prophetis potentiorem, vel quia intelligebãt eum eſſe illum prophetam à Moyſe promiſſum Deut.18,hoc eſt eſſe Meſſiam expectatum. Dicunt Deus viſitauit plebem ſuam, hoc eſt curam ſe plebis ſuæ habere iam declarauit,cum nullos mittens longo tempore prophetas, viſus ſit noſtri oblitus, nec ſingularem noſtri rationem habere. Aut ſi turba dominum fuiſſe Chriſtum credebat,viſitaſſe dicunt Deum plebem ſuam, quod promiſſa ſua in populo Iudaico iam complere cæperit.Circa hanc hiſtoriam obſerua dominum ex omnibus mortuis vnum tantum excitaſſe ſola miſericordia ipſum commouente,nulliuſque precibus interpellatum, idque filium viduæ.Hoc enim demonſtrauit ſe viduarum maxime eſſe conſolatorem, ac viduarum lachrymis maxime commoueri, quemadmodum id vbi quæ de Deo ſcripturæ prædicant. Sic & viduæ ſolius filium ſuſcitauit Elias,& Eliſæus viduæ inopiam miraculo olei multiplicati ſubleuauit, & Petrus precibus viduarum flexus, puellam nomine Dorcadem ſuſcitauit. Quibus omnibus,& nos docemur,viduis & deſolatis potiſſimum hominibus adeſſe. Reſuſcitatus porro & vitæ reſtitutus qui fuerat mortuus erigere ſe debet ad virtutum opera,& certiſſimum etiam vitæ documentum loquendo præbere,confeſſione, ſcilicet peccatorum ſuorum,& gratiarum actione de diuina in ſe clementia.Sic demum cum eſt matri redditus,ſequitur maius gaudium quam erat prior luctus, ſequitur admiratio & prædicatio diuinæ bonitatis in multis.Corne.Ianſe,in ſermo de hac domini.

Hoc idem Euangelium explicatum habes ſupra feria 5.poſt 4. domini, Quadrageſi, colum, 1051.

Vide

Vide etiam venerabilem Bedam in Luc. lib. 2. cap.25.

Conſule D.Auguſ.de verbis domini ſermo. 44. to. 10. qui eruditionem proponit accommodatam circa mortuos à Chriſto domino ſuſcitatos, tradens quid ſinguli eorum deſignent, & plurima alia continet exquiſita his de rebus & elegantiſſima.

DOMINICA DECIMA SEXTA Poſt Pentecoſten.

CVM intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis phariſæorum ſabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum Luc. 14. Vide Matth. 12. Tantum diligit ſalutem noſtram, vt quamuis ſciat illos eſſe murmuraturos, etiam cum quodam honoris ſui detrimento veniat ad conuiuium,ſciens quod obſeruabant eum. At tu vis deo ſeruire ea conditione, vt nihil de honore aut iure tuo amittas. Admonet nos ergo hic locus, vt iniuriarum obliti,bona proximorum curemus. Sic Iſmael ſepeliuit patrem ſuum Abraham Gen. 25. quamuis expulſus eſſet domo cum matre & exhæredatus, cum natu maior eſſet. Et Eſau iniuriæ immemor, cucurrit in occurſum Iacob fratris ſui. Cæterum Chriſtus non tam pro conſolatione ſuæ veræ humanitatis, quam pro vtilitate animarum, conuiuia acceptabat: nam ſemper aliquod ſpirituale bonum operabatur. In domo Simonis diſcubuit, & peccatricem mulierem abſoluit. In domo Zachæi hoſpes gratiſſimus ingreſſus, ſalutem dedit eius domui. Marthæ hoſpitis fratrem Lazarum à mortuis ſuſcitauit: in conuiuio à Matthæo exhibito, ipſum ad Apoſtolatum prouexit, Matth. 9. denique inuitatus ab hoc principe Phariſæorum, hydropicum ſanauit, & conuiuas ſalutari doctrina refecit.

Et ipſi obſeruabant eum. Tantum erat odium quo iſti in Chriſtum ardebant,vt etiã miracula & infirmitates ab eo curatas accuſarent:nam ſi in ſabbatho curabat, dicebant eſſe feſti violatorem. Si extra ſabbathum, miracula humilia eſſe dicebãt, & ita calumniabantur ſemper, dicentes ſe malle cæleſtia miracula videre. Eodem modo mali bona etiam iuſtorum opera reprehendunt, & murmurant de illis, quæ laudare potius debuiſſent. Per pulchrum locum ſcripturæ inuenies apud Eſa. 36. vbi legitur quod Rabſaces dux Aſſyriorum inter alia quæ improperans Ezechiæ dixit, hoc ait: nonne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria? conſidera impudentis & ſcelerati hominis calumniam, vertit vitio regi ſancto,id propterquod ipſe veram laudem fuerat conſecutus. Sancte quidem & iuxta Dei legem abſtulerat Ezechias altaria idolorum, vt errore ſublato, deleta ſuperſtitione & idololatria, coleretur verus Deus in templo ſancto ſuo. Ex hac calumnia Rabſacis, & phariſæorum,eo quod Chriſtus ſabbathis curabat,colliges quanta cæcitate laborent impij, quan tiſque tenebris obſcurentur; hi præſertim qui te odio proſequuntur,qui non ſolum de falſis criminibus ad inuidiam vocant,ſed etiam virtutis actiones quibus das operam, damnant, & falſis vitiorum nominibus appellant,& quãto maior eſt tuæ integritatis opinio, tanto acrius eam extinguere conantur.

Et ipſi obſeruabant eum. Expende hominum impiorum ingenium, nihil intentatum relinquunt vt malitiam ſuam expleant. Balaac rex Moabitarũ in alio atque alio loco ædificauit ſæpe altare & apoſuit vitulum & arietem, vt malediceret Balaam Iſraeli. Viſum eſt enim ei quod ſi mutaret locum, mutaretur etiam Balaam, & quod in vno loco aſſequi non poterat, in alio ſe putabat conſecuturum.Ita dæmoni viſum eſt,nam cum in deſerto nõ eſſet conſecutus quod intendebat, exiſtimauit ſe id conſecaturum in pinnaculo; poſtea vero cum nec in hoc loco intentionem ſuam expleret, tanquam alter Balac tertio duxit illum in montem,& in tribus locis tria altaria ædificauit, quæ ſunt tres ſuæ tentationes. Sic Iudæi fecerunt cum illo cæco à natiuitate quem Chriſtus illuminauit, iterum atque iterum importune interrogando, illum,vt vel aliquid aduerſus Chriſtum inuenirent. Hoc quotidie faciunt impij cum bonos perſequuntur,vt nil intentatum relinquant,dummodo eis nocere poſſint. *Et ipſi obſeruabant eum.* Quamuis depraua & iniqua intentione hoc facerent, tamen ita Deus ſanctus, ita bonus, ita miſericors eſt,vt ex malis bona eliciat. Vide enim quomodo hic & ſalutem ægro reſtituit, & vtilem doctrinam omnibus præſentibus prædicauit. Sic filij Iacob fratrem ſuum Ioſeph iniquo & depraua to animo in Aegypto vendiderunt,at vero ex hoc tanto malo Deus ingens bonum multis populis parauit. Vnde & Ioſeph fratribus dixit Gen.50. vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum. Sic Saul exiſtimauit ſe Dauidem in interitum adducturum, petens ab illo centum Philiſtæorũ præputia:vnde dixit,non ſit manus mea in eo, ſit autẽ ſuper eum manus Philiſtiim;at vero quamuis Saulis animus depraua tus eſſet, tamen inde elicuit Deus bona quam plurima. Ita quamuis iſti Phariſæi peruerſo animo obſeruarent Chriſtum, ſalus tamen hydropici, & vtilis Chriſti doctrina conſecuta eſt;diſcere etiã debes ex hoc loco, quod quãuis in mortali ſis culpa, ſemper tamen bona opera facias: quamuis enim pro illis vita æterna non ſis dignus,attamen tibi plurima commoda ſunt allatura. Petrus quidem quamuis dominum abnegauerat, Chriſti tamen diſcipulus in loquela cognitus fuit:ita curandum tibi maxime eſt etiãſi Deum amittas,vt nunquam tamen Dei loquelam perdas, vt vel ſignis bonus Chriſtianus habearis, etiãſi reuera bonus non ſis.*Cum intraret Ieſus in domum, &c.* Sic Tobias dixit filio ſuo;vade, & voca aliquos de tribu noſtra timentes Deum, vt epulentur nobiſcum.Eccleſiaſtici 9.viri iuſti ſint tibi conuiuæ.Obſerua etiam quod Chriſtus inter manducandũ vtilem eis tradit doctrinam, & ſuper menſam concionatur: non autem talia ſunt noſtra conuiuia, ſed potius detrahentia & murmurãtia,quæque mereãtur tria illa horrifica verba videre, Mane, Tethel, Phares, quæ rex Babyloniæ vidit in ſuo conuiuio depingi.

Manducare panem. Cum principatum teneat inter cibos panis ipſe, inde eſt quod per eiuſcemodi locutionem intelligatur quæuis comeſſatio ſiue prandium.Prouer.31. panem otioſa non comedit, &c.Vide Euſebi.ſuper hunc locum.

Et ipſi obſeruabant eum. Sub velamine conuiuij dolos in eum excogitabant: ſic Ioab Amaſam interfecit,blande eum ſalutando, & quaſi oſculãdo; dicẽs,ſalue mi frater 2.Reg.20. Idem etiam interfecit Abner,prætexens velle cum paucis alloqui 2. Reg.3. ſimilia flagitia maxime oderat Dauid, cum Salomoni mandauerit vt hunc puniret & caſtigãret 3.Reg. 2.& dixit de ſimilibus Pſalmo 54.Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi &c. & paulo poſt ait:deſcendant in infernum viuẽtes &c.

Et

Et ipsi obseruabant eum. Ezech. 2. fili hominis, in cre duli & subuersores sunt tecum,& cum scorpionibus habitas.Et Prouer.23. ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius;comede di set tibi, & mens eius non est tecum ; cibos quos comederas euomes &c. *Cuius vestrum asinus aut bos. &c.* Sæpe quidem calamitates & infortunia ex latronibus nobis obuenire solent Iob.1.boues arabant,& asinę pascebantur,& irruerunt Sabæi &c. Sæpe etiam ex peste & aliis huiusmodi, bonorum iacturam incurrimus. Exo.9.Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos,& asinos,& camelos,& oues, & boues,pestis valde grauis. Non ergo tantopere debes amare huiusmodi bona tam multis periculis obnoxia &c.vide D.Bonauen.super Luc.

Et ipsi obseruabant eum. Vix iam inuenitur cui tuto fidamus.1.Mach.7.b.verbis pacificis in dolo.

Mundus dolis plenus est atque deceptionibus psal. 11. vana locuti sunt vnusquisque ad proximũ suum &c.

Sub dolo & maxima iniquitate peruersus Andronicus interfecit Oniam optimum pontificem 2.Mach.4.

Dolose egere Ioppitæ cum Hebræis ingressis mare , quia quamplurimos eorum præcipitarunt, quantumuis eorum dolus male sibi postea successit.2.Mach.12.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Iuerat quidem Christus dominus tanquam optimus piscator aut venator ad conuiuium,vt rete suæ doctrinæ & miraculorum tenderet: atque ita apponitur ante eum hic hydropicus, vt & huc curaret, & conuiuas ipsos instrueret.Cæterum pharisęi nõ tam obseruabant quidem sabbathum,quam obseruabant si Christus curaret in sabbatho, vt possent eum calumniari.psal.36.obseruabit peccator iustũ &c.Vide Haymo.super hunc locum.

Erat ante illum. Non debes fastidire infirmos ipsos & calamitosos , vide enim quomodo Christus pateretur hunc sibi appropinquare , & ante conspectum suum stare.Si enim fastidieris & contempseris eiuscemodi miseros & afflictos,tu forte incides in similia mala,quãuis tibi nunc videaris bellissime valere,si quidem egregie triumphabat Iob, florebant Antiochus & Herodes,sed vide quo deuenerint, & præsertim hi duo postremi in quantã redacti sint infelicitatem.Xerces quidem cum potentissimo exercitu prodierit ad pugnandum contra hostes suos,cum tamen inde rediit ac regressus est , misere & ignominiose venit , vastato exercitu atque consumpto, vt prodidit Iustinus lib.2. Crœsus præterea qui in tam altissimum fortunæ ac dignitatis gradum euectus fuerat , ita à Cyro quemadmodum scribit Plutarchus in Solone , debellatus est,ita spoliatus,ita in voracissimam flammam coniectus , vt nemo ei compateretur,nemoque ad eum accedere auderet,nisi aut vt ligna admoueret flammæ , aut vt eum derideret & sanaret : & ideo tibi diligenter cauendum est , ne in similia incidas pericula atque discrimina.

Calumniabantur quidem perpetuo ipsi pharisæi bona opera atque ideo spectabant cum hydropicus positus esset ante Christum,si forte ipsum sanaret,vt possent eum calumniari:erant enim ad detrahendum & murmurandum propensi , & magis præ cæca auaritia curabant,vt bos aut asinus ex fouea educeretur , quam vt aliquis infirmus à Christo curaretur.Erat quidem maxima horum hominum auaritia , vnde suadebant plebi quod si iurarent per templum ipsum , non obligarentur iuramento;si autem per templi aurum,aut per id quod in altari offerebatur, obligarentur. vide D. Hieronymi.lib.4.in Matt.23.

Et respondens Iesus,dixit ad legis peritos & pharisæos, dicens : si licet sabbatho curare?at illi tacuerunt. Ipsum calumniari volebant,vt si non curasset, crudelitatis,aut imbecillitatis:si curasset,transgressionis accusarent. vide D. Hiero. lib.2.in Matth.12.

Et respondens. Respondit non ad verba,sed ad cogitationes:& in eo quod eos interrogauit , videlicet an liceret sabbatho curare , insinuat quod ipsi obseruabant an illum curaret hydropicum die sabbathi,& sic quod habebant illam calumniam præparatam. Docet hic locus , cogitationes nostras à Deo videri:quod cum ita sit,audiamus Esa.1.dicẽtem:auferte malum cogitationum vestrarum. Demus operam vt omnem animi cogitationẽ puram integramque seruemus. Aquila pullos suos quos habet in nido, aduersus solem ponit,& eos qui nõ valent solem intueri,& eius radios nõ ferunt, è nido tanquam spurios & alienos eicit. Sic nos paruas adhuc cogitationes versus iustitiæ solẽ dirigamus,vt ad eum oculos leuantes,eum autorẽ atque dominum cognoscant:eas vero quæ Deum intueri noluerint,nec in eum oculorum aciem dirigere, tãquam extraneas & illegitimas ab animæ nido eiiciamus,eas quandiu paruæ sunt,ad petram,hoc est ad Christum allidamus,iuxta id quod dicitur psal. 136. beatus qui allidit paruulos ad petram. Cæterum isti æmuli Christi qui eum obseruabant , erãt legis periti & pharisæi : vulgatum enim illud est, Quis inimicus tuus?qui artem tuam exercet ; siue figulus figulum odit.Ita passim videbis prædicatorem de prędicatore,tabellionem de tabellione,medicum de medico, sutorẽ de sutore detrahentem. Cain & Abel germani erant,eodem patre & matre progeniti:& probabile est illos ante se inuicem dilexisse : postea quam vero idem munus Deo offerendi sacrificium obierunt, statim exorta est inter eos cõcertatio & inuidia.Eodem modo etiam iurgium erat inter pastores Abraham & pastores Loth,de pascuis ambigentes Gen. 13, quia omnes idem munus exequebantur, & alij aliis inuidebant. Ioab. dux Dauid credens Dauid velle honorare Amasam,& ei locum suum concedere, statim Amasam interfecit 2.Reg. 20. Tanta est enim hominum ambitio,vt velint in factis suis vnici, & ab aliis separati videri.

Si licet sabbatho curare. vide D.Tho.1.2.q.100.a. 8.& q.107.a.2.ad 4.& 2.2.q.40.a.4.& q.122.a.4.& 3.p.q.40.a.4.ad 1.& ad.3.& 4.sen.dis.1.q.2.a.3.

Ipse vero apprehensum sanauit eum,ac dimisit. Docet Christus propter hominum impiorum calumnias non debere nos desistere à bono opere.Quantumcunque canes tibi allatrent , nihilominus tu rationalis , illi irrationales erunt : non est lucis vituperium , sed potius laus , vespertilionibus odio esse. Multi sunt qui bene facere vellent , sed timentes quis sit de illis hominum sermo, bona opera prætermittunt , tanquam pueri, qui per viam transire canum timore nolunt. *Ac dimisit eum.* Non quæsiuit ab eo pecunias vel mercedem pro salute. Sic Eliseus propheta cum Naaman Syrum mũdauit à lepra,dimisit illum, non accipiens munera nec dona illius.

Et respondens ad illos , dixit. Cuius vestrum & asinus aut bos in puteum cadet , & non continuo extrahit illum die sabbathi?& non poterant ad hæc respondere illi. Si vos inquit in sabbato ouem & aliud quodlibet animal in foueam decidens eripere festinatis,non animali sed

sed vestræ auaritiæ consulentes:quanto magis ego hominem,qui multo melior est oue,debeo liberare?D.Hiero.lib.2.in Matt.c.12.

Et non poterant ad hæc respondere illi. Muta est & stulta mundi sapientia coram Dei sapientia , cum erat Moyses in Ægypto , & eruditetur sapientia Ægyptiorum,non erat tardus lingua , nec profitetur se esse ineloquentem , erat enim quantum ad Ægyptios sonoræ vocis , & eloquentiæ incomparabilis,sed coram Deo quasi mutus est, & tardã & imperitam suam intelligit esse linguam. Sic virga Aarõ deuorauit virgas Magorum Pharaonis Exo. 7.quia Dei sapientia confundit & deuorat mundi sapientiam , & stultissimam illam reddit. Quod considerans sanctas Dauid , dicebat Deo Psal.72. vt iumentum factus sum apud te.

Cuius vestrum asinus aut bos. Reddit Christus causam suorum factorum , ostendens se nihil contra sabbathi præceptum fecisse : & quamuis indigni erant vt suarum rerum causas aperiret, tamen docere nos voluit vt nihil aperiamus faciamúsque in spiritualibus fidei negotiis,cuius ex verbo Dei rationem reddere non possimus.Quapropter & Petrus vult 1.Petri.3.vt semper parati simus ad satisfaciendum omni poscenti nos rationem , de fide, & spe quæ in nobis est.Poterat sola sua autoritate compescere illos & confundere , sed docuit quod aliquando danda est ratio dictorum & factorum proximis , etiam si minoris conditionis existant. Non sic multi prælati faciunt, qui arrogantia pleni,satis esse credunt & sufficere quod ipsi illud iubeant & præcipiant , nec ab eis petenda ratio sit. Imo si quæras rationem factorum , atque dictorum , superbiunt, rixantur , illud in lingua passim portantes : sic volo, sic iubeo , sit pro ratione voluntas, obserua etiam quod propter epulas non desinit Christus dicere veritatem.Non facit more adulatorum , quorum plenus est mundus , qui vt ventri consulant,& gulæ satisfaciant, ad placitum loquuntur magnatibus , & sicut canes vlcera , sic ipsi lingua adulatoria lambunt vitia eorum. Quãuis Benadab rex Syrię miserit ad Eliseum prophetam quadraginta camelos omnium bonorum Damasci oneratos,per manum Azahel 4.Reg. 8. non tamen tacuit veritatem vir sanctus , sed ostendit quid futurum esset.

Et non poterant respondere. Ecquis poterit ei respondere cum ad iudicãdum venerit? quis poterit resistere ? si nunc in humilitate ita inimicos obmutescere facit , dic mihi qui tot consilia & pessimas cogitationes in pectore tuo componis contra dominũ,quid respõdebis ei eũ venerit in potestate magna & maiestate iudicare viuos & mortuos?

Cuius vestrum asinus aut bos. Quæ scilicet sentẽtia & insidiatores conuincit , & ad ipsum nostræ liberationis autorem specialiter respicit:ipse enim secundum carnis materiam vnus Iudæorum erat, qui carnem ex eorum gente susceperat , cuius asinus & bos in puteum cecidit:quia gentilis & Iudaicus põpulus,quem vtrunque ipse creauerat, in ima vitiorum corruit.Asinus enim gentilem designat populum,brutum nimis oneribus cũctis errorum substratum,bos vero Iudaicum , iugo legis subditũ:non solum enim asinus,id est gentilis populus,sed & bos,id est Iudaicus,est in profunditatẽ peccatorũ delapsus,quia nec ipse iustificari potuit ex legis operib.Sed vtrũq; dominus extraxit, quia per fidẽ suã vtrunq; iustificans,ad libertatem charitatis eduxit.D.Ansel.in suis enarra.euange.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam , intendens quomodo primos accubitus eligerent,dicõs ad illos. Si vellis hoc loco disserere paulo fusius contra ambitiosos homines & dominãdi cupidos , vide quid senserint hac de re etiã Ethnici homines. Nã Demost. per quãdam emphasim dicere solitus erat, quõd si nobis proponerentur duæ viæ,altera quidem quę nos ad interitum adduceret, altera vero ad dominia & imperia,illam potius quam hãc eligere deberemus,vt scribit Plutar.in vita Demosth.Chrysip.quidem nemini suadebat,vt eiuscemodi imperia principatúsque appeteret:si enim ait, præclare tuum officium feceris,hominibus displicebis , sin autẽ male, Deo. Turbus quidam Romanorũ præfectus , cum ab Adriano moneretur vt laboribus parceret,neque se tantopere affligeret, respõdit vt refert.Dion. Cassianus,necesse esse vt qui aliis præest,noctes diésque se in laboribus exerceat atque confringat.Seneca inquit in lib.de clementia,quòd qui reipub. præficitur , potius existimare debet se eius seruum esse,quam dominum.Hinc etiam Petrarcha inquit , quod præfecti optimi quo primũ tempore suũ exercere munus incipiunt , sibi moriuntur,& aliis viuere incipiunt. Si hæc igitur diligenter cõsiderarent qui magistratus& præfecturas ambiunt,haud equidem tam sitienter & cupide easdem venerarentur. Mereri certe eas debes, non autem appetere:præsertim cum honorificentius multo sit eas non habere, quas tamen mereris,quam habere quas nõ merearis. Horatius quidem rempub. appellat , varietatem quandam indomitorum equorum cuius qui insolenter ambit gubernationem,nil aliud videtur conari,quam leuiusculo vno freno varios equos indomitos domare,& ingentem nauem in tempestate sæua solus gubernare. Flauius Vopiscus odiosos appellat & laboriosissimos dominandi ambitus. Vnde etiam Seleucus vix finem inueniebat suorum laborum & calamitatum. Et Lydiades Megalopolis rex, sponte sua regnum dimisit , considerans quam laboriosum esset imperium. Item Octauianus Augustus si quem inuenisset cui tutus regnum committere posset , se eo libentissime spoliasset. Dioclecianus ille cum in quadam esset prosperitate, regnum deposuit , neque persuaderi poterat vt illud denuo acciperet:scribitque Baptista Ignacius, neque senectute ad id fuisse adductum,neque pusillanimitate,sed sponte sua : cumque à regno vacaret,vix vnquam finem inueniebat dicendi quãto otio & quiete frueretur , quantosque à se labores excussisset:atque ita oppidulum sibi delegit,in quo semotus à turba habitaret , vt scribit Eutropius,Pomponius Letus, Trebellius.Spoli. sed hæc vetera sunt , illud vero recentissimum est & immortale exemplum felicissimi Caroli Quinti Impera.qui post summas victorias terra mariq; gloriosissime gestas , de quibus nulla vnquam ætas conticesceret , se tanquam in portum quendam in monasterium recepit,vbi perstudiose , deuote, ac laudabiliter , vitam tandem mortalem in vitam immortalem Deo annuente commutauit. Cæterum cum aliquando apud Philippum Macedoniæ regem nonnulli philosophi cænarent,placuit regi vt quæstio quædam animi gratia agitaretur , quæ talis fuit:quid tandem videretur in toto orbe præclarius , siue excelsius & sublimius ? cumque alij dicerent montem Olimpium tale quidpiam esse, alij aquam , quippe quæ totam ambiret terram, alij vero solem : philosophus quidam præter cæteros dixit , nil excelsius sublimiúsque esse , animo contemnente ac nihili faciente ambitiosa imperia , dignitatésque & præfecturas. Et merito quidem , nam vt inquit Titus Liuius : nullus Quæst.

triumphus præstantior, nullumque imperium excellentius est, quam nolle imperare & triumphare, vnde qui ambiunt & sibi inique imperia procurãt, indigni plane sunt qui imperent. Hinc Plutarchus ad Traianum scribens, inquit, felicem eum appellari posse, quod cum ea præstitisset quibus imperium mereretur, non tamen per ambitionem ad eius apicem euectus esset. Quid multis moror? nonne pontificatũ Cælestinus dimisit, seque vitæ solitariæ & cõtẽplationi laudabiliter totũ tradidit?

Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Non est periculum quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem quam sis, hoc est veritas habeat. Est autem grãde malum horrẽdúmq; periculũ, si vel modice plus vero te extollas, si vel vni in tua cogitatione te præferas, quem forte parẽ tibi veritas iudicat, aut etiã superiorẽ. Quemadmodum enim si per ostium trãseas, cuius super liminare nimium demersum sit, non nocet quantumcunque te inclinaueris, nocet autem si vel transuersi digiti spatio pluſquam ostij patitur mẽsura te erexeris, ita vt impingas & capite quassato allidaris: sic in anima non est timenda humilitas, horrenda tamen est nimiumque pauenda vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim homo, si vnus ille quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fædissimam horres, & propterea illum putas spernendum, & non modo præ te, qui forte iam sobrie, & iuste, & pie viuere te cõfidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum, quid scis inquam si melior te, & illis, mutatiõe dexterę excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo vero iam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere nos locum voluit, sed recumbe inquit in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. Vide D. Ber. super Canti. serm. 37.

Cum inuitatus fueris. Ebrietas est nimia vini potatio, statũ mentis, immutãs hęc namque simul cum corpore animam quodammodo debilẽ reddit. In ebrietatis enim ægritudine corpus simul & anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur, omnia membra fiunt debilia, pedes, manus, lingua resoluta, oculos tenebræ, mentem velat obliuio, ita vt hominem se nec sciat esse, nec sentiat. Vide D. Ansel. in epis. ad Gal. c. 5.

Si gula impugnaris, ventrem coerce, numero & mensura cibus & potus sumatur: animæ separatio à corpore, iudicium venturum, & horrenda gehennæ flamma, pariter & regni cælestis desiderium, assidue coram oculis obuersentur, sicque ventris opprimetur voluptas. Vide D. Damas. in senten. senten. 1.

Vide D. Aug. de tempore serm. 231. & 232. to. 10. vbi differit quam temperata esse debeant conuiuia ipsa, & quanta incommoda ex intemperatis emanare soleant.

Sed cum vocatus fueris, vade & recumbe in nouissimo loco, vt cũ venerit qui te inuitauit, dicat tibi, amice ascende superius. Super illa verba, recumbe in nouissimo loco, Vide D. Basil. lib. regu. fusius disputa. cap. 21.

Sed cum vocatus fueris. Vide quomodo instruat Christus dominus iustos conuiuas, & quomodo nos inde discere debeamus, in conuiuiis ipsis nos gerere eum omni modestia & humilitate: quo loco si paulo fusius disserere velis quantum noceat intẽperatus vini vsus, qui plerumque in multorum conuiuiis vigere solet, nonnulla hac de re in medium proferam. Nimius vini vsus memoriam vsque adeo solet obruere, vt homines obliuiosos reddat atque immemores. Vnde antiqui Baccho tribuere solebant ipsam obliuionem, vt scribit Plutarchus. Tum præterea vix secretum contineri solet, vbi vinum viget: vnde etiam antiqui eundem Bacchum depingebant nudis pedibus, vt scribit Albricus in lib. de imagi. Deo. Hinc etiam Plato dixit lib. 2. de legibus, quod reipub. moderatores à vino abstinere deberent, vt possent sibi commissa secreta diligentius continere, quod maxime ad rem facit in reipub. administratione. Et Romani senatores vt scribit Alexan. ab Alex. lib. 3. Geneth. ex ipso senatu expellebant eos qui compotationibus indulgerent. Flauius quidem Vopiscus de duce quodam Bonosio commemorat, quod si quando accederent ad se legati aliqui, statim eos lautissimo quodam conuiuio exciperet, & varietate vini ac copia ita obrueret, vt adigeret eos ad sibi manifestanda secreta ac detegenda. Cæterum & nimia potatio solet facile Venerem commouere, vnde Aristophanes vinum nutrimentum Veneris appellauit. Et antiquo prouerbio dicebatur, ne vineam plantaris cum luna est in virgine, vt significaretur quàm facile venter vino æstuans soleat in libidinem despumare.

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Hoc igitur & nos studeamus, vt supernum acquiramus auxilium, & non ad humanam confugiamus potentiam, neque ambitionem sectemur, nil enim periculosius, id quod rerum experientia satis discimus. Etenim videmus quotidie res se tanta velocitate ad mutationẽ inclinare, & verti in diuersum omnia, vt eum qui in summa prosperitate est, subito in extremam infelicitatem deiici, & condemnari vt reum videamus. Lege D. Chrysost. super Gene. hom. 56. to. 1.

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Aduerte quòd non dicit qui exaltatur, sed qui se exaltat: quia multi sunt exaltati qui iusti sunt. Sed ait omnis qui se exaltat, id est exaltat seipsum, ambiendo honores & dignitates, & negotio humano & ambitione obtinet principatũ: non enim potestas & status, sed elatio in crimine est. Cæterum sicut in hyeme frigore vigente, & æstate nimio calore omnia inflammante, raro cadunt ingentia fulmina, vt ait Plin. lib. 2. sed vere & autumno, quando aer est serenus & tranquillus, tunc maxime adurunt & feriunt: sic ærumnæ & & calamitates prosperitati insidiantur, non eos quærunt qui frigore & æstu in humili statu laborant, sed illos repentino vulnerant impetu & deiiciunt, incendióque comburunt, qui in tranquillo prosperitatis vere & autumno superbia extolluntur, & inani mundi gloria insolescunt, atque in sublime vanitatis eleuantur. Porro humiliat Deus suos vt exaltet, sicut mundus eleuat suos vt deiiciat. Quemadmodum enim volens vt parua ignis flamma eleuetur & in altum feratur, eam flabelli motu & veloci agitatiõe deprimit: sic Deus nos deprimit vt extollat, deiicit deorsum vt sursum erigat. Contra vero vt luctator eum qui secum contendit amplectẽs, fert in sublime, vt inde prosternat in terram, sic mundus ideo nos extollit, vt præcipitet vehementius.

Qui se exaltat humiliabitur. Nascitur huiusmodi exaltatio & tumor ex eo quòd quis noluit meminisse & recordari, se quæcũque habet bona ex Dei manu habere. Si enim id diligenter consideraret, non ita superbiret & insolesceret. Quare si quando talis tumor mentem tuam inuaserit, fac statim memineris diuinorum beneficiorum, quibus si gratus extiteris, abscedet elatio & arrogantia, quę ingratitudinis comes esse solet. Vi Philo. de chari. pa. 603.

Quemadmodum vas aliquod si recens humore aliquo & liquore compleatur, pellere foras solet & emittere aërem ipsum: ita quicũque sobrias & sanctas cogitationes inire volet, pellat ex animo necesse est vanitates ipsas mundanas atque caducas.

Humiliat Deus atque prosternit arrogantes & elatos Ezech. 17. ego dominus humiliaui lignum sublime & exaltaui lignum humile, Abdiæ 1. Si exaltatus fueris vt aquila, etsi inter sidera posueris nidum tuum, inde extraham te dicit dominus.

Multa habes apud Hectorẽ Pintum in Ezech. vbi agit de superbia Sodomorum, quæ poteris etiam applicare superbiæ & elationi Pharisæorũ, qui primas sedes atque recubitus appetebant.

Plurima ad hoc euãgeliũ facientia habes Mat. 12. tum de obseruantia sabbathi, tum etiam de curatione in tali die effecta. Item Marci 3. habentur nonnulla in principio, vide etiam Luc. 6. & consule doctores super hæc loca.

Obseruantiam sabbathi plurimi faciebant Hebræi, in quo neque manna colligebant, neq; prandium patabãt. Item pœna mortis plectebatur eius transgressor, vt constat Exo. 31. vnde ille fuit lapidibus obrutus, qui in sabbatho ligna colligebat Num. 15. Quin & Hebræi illi nolebant pugnare in sabbatho 1. Mac. 2. Vide Hoffmeis. in Luc.

De epist. & euang. duas habet concio. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem 1. par. histo. tit. 5. c. 1. §. 22.

Tres præterea concio. habet D. Tho. prope finem to. 16.

Qui se exaltat humiliabitur. Vide D. Th. 2. 2. q. 161. art. 5.

De inani gloria & ambitione Vide D. Chrysost. ad popu. hom. 43. to. 5.

Lege eundem in Genes. hom. 33. & 35. to. 1.

Superbia parit tibi ignorantiam tui, cum meliorem quam sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur, &c. vide D. Bernar. super canti. serm. 37.

Scio inquit D. Greg. quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur, &c. Vide D. Greg. lib. 6. epist. ex Regis. 194.

Proprietas & ingenium superborum & elatorum Isa. 9. B. lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.

Quomodo superbi deiiciantur Isa. 10. G. agitabit manum suam super montem filiæ Sion.

Superbi & elati contra Deum Isa. 10. D. nunquid gloriabitur securis?

Superbi deiicientur Isa. 21. C. cecidit. Babylon.

Superbia est detestabilis Isa. 23. nunquid non vestra hæc est quæ gloriabatur.

Deus superbiam prostrabit Isa. 26. A. quia incuruabit habitantes in excelso.

Superbis comminationes fiunt à Deo Isa. 45. B. væ qui contradicit factori suo.

Nolle se intueri & agnoscere superbia quędam est Ier. 2. G. & dixisti absque peccato & innocens ego sum.

Superbi ac tumidi vilipenduntur Aggæi 1. C. respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.

Superbos humiliat Deus Zacha. 10. B. & confundentur ascensores equorum.

Superbia & arrogantia facta est detestabilis, Zacha. 11. A. aperi libane portas tuas.

Prostrat Deus ac deiicit superbos Iob 4. B. Rugitus leonis & vox leænæ.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA post Pentecosten.

Accesserunt ad Iesum Pharisæi, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Matth. 22. Quod de Herode & Põtio Pilato legimus, in domini nece eos feciſſe concordiam, hoc etiam nunc de Pharisæis cernimus & Sadducæis, qui inter se contrarij sunt, sed ad tẽtandum Iesum pari mente consentiunt. Qui ergo iam supra in ostensione denarij fuerant confutati, & aduersæ partis factionem viderant subrutam, debuerant exemplo moneri, ne vltra molirentur insidias: sed maleuolentia & liuor nutrit impudẽtiam. Interrogat vnus ex legis doctoribus, non scire desiderans, sed tentans, an interrogatus nosset quod interrogabatur, quod sit maius mandatum: non de mandatis interrogans, sed quod sit primum magnumque mandatum, vt cum omnia quę Deus mandauerit magna sint, quicquid ille responderit, occasionem habeat calumniandi aliud asserens magnum esse de pluribus. Quicunque igitur nouit & interrogat non voto discendi, sed studio cognoscendi an nouerit ille qui responsurus est: in similitudinem Pharisæorum non quasi discipulus, sed quasi tentator accedit. D. Hierony. lib. 3. in Matth. 22.

Audi ergo homo fidelis qui contra hæreticum libenter contendis: si Pharisæi victi placati non sunt, & tu certando contra hæreticum potes eum placare cum viceris? nunquid fortior Christo es, vt quos ille non placauit, tu placabis? debuerunt quidem timere sadducæorum exemplum, vt non similiter interrogantes confundantur, sed ardens malitia dum sauciare festinat, non aspicit exitum rei, vt tantummodo alteri noceat, nec sibi penitus. Si neminem ante eos vicisset, forsitan iusta ratione speraſſent posse eum vincere, à quo nullus est victus: nunc autem videntes quoniam quotquot interrogare eum sunt ausi, omnes victi recesserunt, quid æstimandi sunt isti? nunquid fortiores quam cæteri, qui victis omnibus vincere speraueunt? Sed impudentiores quam omnes, qui confusis omnibus ante se, similiter erubescere non timuerunt. Conuenerunt porro in vnum, vt multitudine vincerent, quem ratione vincere non poterant: à veritate nudos se esse profesſi sunt, qui multitudine se armauerunt. Dicebant enim apud se, vnus loquatur pro omnibus & omnes loquantur per vnum, vt siquidem vicerit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O Pharisæi qui omnia propter homines cogitatis & facitis! Primum quidem venientes cum vno, vincendi estis per vnum: tamen pone quia vno victo, homines non intelligunt omnes vos esse victos, nunquid conscientiæ vestræ non sentiunt se esse confusas? Luis enim est consolatio, vt qui in seipso confusus est, quod ab aliis ignoratur. *Magister quod est mandatum magnum in lege?* Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus: simplicissimus

interrogator,& malignantissimus insidiator. De magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat: ille enim debet interrogare de maiori iustitia, qui iam minorem compleuit. Vide D. Chrysost.in Matth.ho.42.

Magister quod est mandatum magnum in lege? Credebat enim quod statim responderet de mandato primo primæ tabulæ, Non habebis deos alienos, & tunc habuisset argumentum cõtra eum de præcepto charitatis, quod maius sit, sicut & charitas est maior virtus ipsa fide. *Mandatum magnum,* Tales sunt multi studentes, qui quærunt alta & subtilia, cum tamen adhuc ignorent communem doctrinã & prima rudimenta, volentes volare antequam alas habeant,& sic in vanum laborant. Lyranus in Matth.22.

Non admodum ægre ferebant pharisæi quòd silentium imposuisset Christus sadducæis, quibus etiam erant ipsi dissimillimi, & præsertim ea in re de qua ipsi litigabant: sed potius malitia sunt magis incensi & inflammati, quòd scilicet scriptura confudisset, & vicisset illos idiotas Nazareus: arbitrati sunt ergo quòd docti essent in lege, victoriam se reportaturos. Et ideo interrogant de magno legis mandato, ad quod reliqua reducantur: quod si ignoret dicebant illi, merito quidem reprehendetur, tanquam qui præsumat legem docere, & ignoret fundamenta ipsius: & quandoquidẽ nobis respondere non vult in qua potestate hæc faciat & doceat, non debet saltem ignorare legem ipsam, sed eadem probe callere. Deut.6.audi Israel, dominus Deus tuus vnus est,&c. Vide Clau.Guillau.in Matth.22.

Quod est mandatum magnum in lege? Nec enim interrogasset hoc Pharisæus, nisi diu apud illos de hoc quæsitum fuisset,& non inuentum, donec veniens Iesus docuit non solum magnum esse, sed etiam primum. Et quia ad comparationem quidem mandatorum sunt alia minima, vtile est ad exemplum proferre quod ipse dominus ait: si quis soluerit vnum de mandatis his pusillis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur,&c. Vide Origc. tract.23.in Matth.

Sadducæorum obstruxerat ora Christus in disputatione de muliere septem viros successiue habente,& id quidem fecerat autoritate scripturæ, mendaces eos reddens atque mutos,& eorundem falsam opinionem expellens. Sic enim vir fidelis debet falsa dogmata, Christi doctrina refellere ac refutare,&c. Vide Origc.vbi supra.

Super illa verba, quod est mandatum magnum in lege, vide D.Basi.lib.regula fusius disput.c.1.

Magister, &c. Vide quam blande & vrbane exordiatur, vt posset perniciosius tentare Christum: ita solẽt adulatores suauitate verborum aures demulcere,& interim hominum patrimonia, hominésque ipsos deuorare, atque consumere. A quo hominum genere, cum incommoda multa inferre soleat, maxime cauendum est. Vt enim oleum lucernæ infusum flammam ipsam nutrit & fouet, ita adulatio nutricula quædam est præsumptionis atque iactantiæ. Est etiam qui adulatur instar speculi, quod quidem perinde repræsentare solet obiecta, ad quæ ipsa disponũtur & collocãtur: ita enim adulator, si ais ait, si negas negat, si quid laudas laudat. Verũ interim animaduertere debes, quod sicut imago ipsa quæ in speculo apparet si tu orientem versus conuearis, ipsa respicit ad occidentem, & si aspectum ad dexteram conuertas, ipsa ad sinistram sese inflectit: ita etiã quamuis adulator ore ipso tibi applaudat ante os, eque collaudet attamen à tergo subsannat atque deridet. Est etiam instar halitus, qui ex eodem ore interdum calidus, interdum vero frigidus egreditur: sic ipse modo calidum modo frigidum expuit, modo ait, modo negat.

Hic Pharisæus qui Christo adulari conabatur, legis doctor erat, in quo multo turpius adulandi vitium erat iudicandum quam in aliis, cum potius simplici animo & candido accedere deberet, gratia veritatis audiendæ. Cicuta quidem venenosa herba est teste Plinio lib. 25. cap. 13. cuius succo vtebantur Athenienses cum iis quos morte condemnabant, cõtra quem præsens remediũ esse ferunt vinum ipsum. Verum enimuero si cum ipso succo misceatur, atque ita propinetur ipsi reo, nequaquam poterit mortem effugere, siquidem propter ardorem ipsius vini facile solet cicuta statim se insinuare,& effectum suum sortiri. Ad eundem modum adulatio ipsa pernicies quædam est vitæ humanæ atque pestis, contra quam remedium per opportunum est correctio vitiorum atque reprehensio: verum si illi qui magistri aliorum sunt, & quibus incumbit vitia ipsa reprehendere, adulatoribus iungantur, imo ipsi etiam adulatores sint, apertum plane est maxima inde incommoda esse euentura.

Alexander magnus aliquando Philosophum quendam domesticum suum, atque vnum ex intimis, cum quo familiariter diu multúmque versatus fuerat, à se expulit repentino quodam motu, ac ipsi philosopho inopinato. Cum autem interrogaret philosophus quorsum id faceret, respondit Alexander: quia scilicet vel tu nosti defectus meos, vel non. Si non nosti, nihil necesse habeo te apud me habere, ignarum scilicet virum: si autem nosti, & propter illos me nunquam reprehendis, videris quidem mihi adulari, atque propterea te tanquam pestem quandam à me longissime expellam necesse est.

Ait illi Iesus, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota mente tua, hoc est maximum & primum mandatum. Est ergo triplex amor, qui tria illa excludat quæ non sunt ex patre. Et propterea credo ter interrogatur Petrus, amas me, amas me, amas me? sed & forte hæc sunt de quibus in lege præcipitur Deute. 6. diliges dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex tota virtute tua, id est diliges dulciter siue affectuose, diliges prudenter, diliges fortiter. Sane ad affectuosum illum quem dicimus cordis amorem, plurimum valet incarnationis Christi cogitatio, sed & totius dispensationis quam gessit in carne, & maxime passionis. Videns enim Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne vt durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu nõ diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare, si inquit inuitum coegero, asinum habeo, non hominem, quoniam quidem non libens veniet nec spontaneus, vt possit dicere, voluntarie sacrificabo tibi Psal. 53. Nunquid asinis dabo regnum meum? nunquid de bobus cura est Deo? vt ergo habeam voluntarium, terrebo eum, si forte conuertatur & viuat. Et cõminatus est acerbiora quæ excogitari possunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignẽ inextinguibilẽ. Cũ aũt nec sic homo reuocaretur, ait: non solũ timidus, sed etiã cupidus est, promittã ei quod potissimũ desiderabile videatur. Desiderant homines aurũ & argentũ, & similia, & super hæc omnia vitã desiderant. Manifestum est hoc, & valde manifestum. Si inquit tantopere

topere desiderant miseram hanc laboriosam vitam & momentaneam, quantum diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promisit itaque vitam æternam, promisit quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Videns autem quòd nihil proficeret, vnum inquit adhuc restat, ineſt homini non solum timor & cupiditas, sed & amor, nec quicquam in eo vehementius adtrahendum. Venit igitur in carne, & tam amabilem se exhibuit, vt illam nobis impenderet charitatem, qua maiorem nemo habet, vt animã suam daret pro nobis. Quisquis sane nec ob hoc quidem conuerti voluerit, nonne merito audiet, quid debui facere tibi, & non feci? Vide D. Bernar.in serm.de diligendo Deo.

Dilige ergo dominũ Deum tuum toto & pleno cordis affectu, dilige tota rationis vigilantia & circumspectione, dilige & tota virtute,& nec mori pro eius amore pertimescas, sicut scriptum est: quoniam fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Sit suauis & dulcis affectui tuo dominus Iesus, contra male vtique dulces vitæ carnalis illecebras,& vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clauum clauus expellit. Sed sit nihilominus intellectui præuia lux, & dux rationi, non solum ob cauendas hæreticæ fraudis decipulas,& fidei puritatem ab eorum versutiis custodiendam, verum vt cautus quoque sis, nimiam & indiscretam vehementiam in tua conuersatione vitare. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Vide D.Bernar.sermo.20.super Canti.

Ex toto corde tuo. Da illi totum cor tuum, quando quidem suum est, & illud tibi ipse præbuit. Cæterum superiores amare debemus, nos ipsos,& æquales: & de secundo quidem non est quod tradantur præcepta, siquidem vnusquisque satis hac de re solicitus est, satis se quisque amat, quamuis nonnunquam quidem in eo vehementer decipiatur. Psal.10. qui diligit iniquitatem, odit animam suam Vide D.August.lib.1.de doctri. Christi. cap. 22.to.3.

Præcipis domine vt te ex toto corde diligam, iustum plane est vt etiam semper te ita diligam, omniq́ue hora atque momento, propter tuam ineffabilem bonitatem, & quia singulis momentis me maximis cumulas beneficiis. Vide D.Augu. lib.Solilo.c.18.to.9.

Diligo te Deus meus, & magis magisque te semper diligere cupio: tu enim dulcior melle, candidor niue, clarior luce, alibilior lacte seu maioris nutrimenti. Dignus amari super omne aurum, argentum,& lapides pretiosos,&c. Vide D.Augustinum vbi supra cap.19.

Et ex tota anima tua,&c. Tres enim tales in anima discimus esse vires, plantatiuam, animalem, & rationalem: secundum quod crescit & nutritur, simile generat, plantis assimilatur. Secundum quod irascitur & concupiscit, brutis comparatur: secundum quod intelligit, rationalis dicitur. Vide igitur hoc loco quid illa tria significent, diliges Deum tuum in toto corde tuo, hæc est brutalis pars: & in tota anima tua, hæc est plantatiua virtus animatæ enim sunt plantæ: & in tota mente tua, hæc est vis rationalis. Et sic oportet Deum diligere tota anima, hoc est omnibus partibus & virtutibus animæ eiadhærere. Vide Theophylac.in Matt.

Super illud diliges dominum Deum tuum consule D. Basi. libr. regu. breuio. interrogatione 175.

Quibus cãusis moueri debeamus ad diligendum Deum ex toto corde, tota anima, totisque viribus. Vide D. Ambro. lib.3.epist.3.epist.11.

Diliges dominum Deum tuum. Vide D.Tho.2.2. qi 44.art.4.& 5.& 3.senten.dist.36.art.6.& de veri.q. 2.art.10.

Hoc est maximum & primum mandatum. Consule eundem 2. 2. quæstione 44. articulo 1. & contra gentes libro.3.c.113.116.& 117.

Super illa verba, diliges dominum Deum tuũ, &c. Vide Sic.Senen.biblio.sanct.lib.6.annot. 100. & 101.

Vide etiam D. Bernar. qui multa tibi suppeditabit de diligendo Deo, in tract. eo nomine inscripto,& incipit: vultis ergo à me audire.

Plerique etiam Philosophi ad Dei amorem nos videntur adhortari. Pittacus enim dixit, ante omnia venerare diuinum numen. Pythagoras, Deum cole,& tibi propitius erit. Solon, Deum ante omnia colito. Phocylides, Deum inprimis venerabe-ris, deinde parentes tuos.

Diliges dominum Deum tuum. Est quidem verus amor tanti pretij & valoris, vt neque auro neque argento æstimari possit, atque propterea collocãdus est in re à qua possimus debitum referre præmium. Quod cum diuitiæ præstare non possint, dedecet plane in illis amorem nostrum collocare, quæ nos vicissim redamare non possunt: quare in Deo potius amorem nostrum cõfigamus, qui nos vsque adeo amauit, vt vnigenitum suum pro nobis daret. Quod autem præcipit vt se amemus in toto corde, insinuatur nobis, inde verum amorem originẽ ducere atque procedere, vt testatus est Diotimus in Platonis dialogo de amore. Anima etenim vt inquit August. maius est vbi amat, quam vbi animat. Cæterum si plura de hoc genere requiris, lege Orpheum in Argonau. Platonem in Timæo, Trismegistum in dialogis, Hesiodum in Theo. Parmenidem in lib.de natura, Marsilium Ficinum in Commenta.in Platonis cõui. qui omnes insinuasse visi sunt, verum syncerumque amorem non esse prophanum atque carnalem.

Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Qua in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: diliges proximũ tuum sicut te ipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: diliges dominum Deum tuũ ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota virtute tua. Nõ enim iubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur ex toto: quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo hæc necesse est vt charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat hinc est quod cortinis tabernaculi, in texicoccus bis tinctus iubetur Exod. 26. vos estis fratres, vos estis cortinæ tabernaculi qui per fidem in cordibus vestris secreta cælestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem habet. Quid vero est charitas nisi ignis? Sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur & per amorem Dei, tingatur & per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, vt per contemplationem illius negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, vt tamen cõtemplationem Dei per eius amorem relinquat, coccus est, sed bis tinctus non est, vt ergo charitas vestra bis tinctus coccus esse valeat, ad Dei, & ad amorem proximi accendat, quatenus nec ex compassione proximi, contemplationem

relinquat Dei,nec pluſquam debet inhærens contemplationi Dei,compaſſionem abiiciat proximi. D.Grego.in Euange.homi.38.

In his duobus mandatis, &c. Non ſolum autem in his duobus mandatis continẽtur reliqua omnia legis aut prophetarum præcepta, ſed etiam quodammodo quæcunque in lege vel in prophetis narrantur facta vel dicta à Deo,vel ab hominibus. Omnia enim propter charitatis ædificationẽ narrantur. Cum ergo in tam paucis verbis & præceptis tota lex & prophetæ comprehendãtur, merito illa fixè ſunt menti imprimenda,ſemperq; ante oculos habenda.Cor.Ian.in ſerm.de hac dominic.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Non debes quidem amare proximũ dumtaxat propter tuam vtilitatem & commoda temporalia, quæ ab illo refers, ita enim videris etiam amare bruta animalia: neque etiam propter cognationem tantum carnalem, ſed altius multo debes eleuare eiuſcemodi amorem in proximum,&c.Vide D. Auguſt. de vera religio cap.46.to.1.

Vniuerſa lex pendet,&c. Videtur textus oſtendere, quod omnia quæcunque ſunt ſcripta vel in Exodo,vel in Leuitico, &c. pendeant in his duobus mandatis: quomodo autem lex quæ poſita eſt de leproſis,vel defluxum ſanguinis patientibus, &c. pendeant in his duobus mandatis?Adhuc autem, quomodo & prophetia quæ de Hieruſalem captanda poſita eſt, vel viſio Ægypti apud Iſa. cæteroſque prophetas, quomodo & viſio Tyri, quomodo etiam viſio quadrupedum in deſerto Apud Eſa.pendeant in his duobus mandatis? Quod mihi autem videtur in hoc loco huiuſmodi eſt. Qui omnia adimpleuit quæ ſcripta ſunt de Dei dilectione & proximi, dignus eſt maximas gratias à Deo percipere,dignus autem conſtitutus,his omnibus donis exultat in ſapientia Dei: plenum habens cor de Dei dilectione. Cõſecutus autem huiuſmodi dona ex Deo profecto intelligit omnem legem & prophetas partem aliquam eſſe ex omni, ſapientia, & ſcientia Dei & intelligit omnem legẽ & prophetas pendere, & adhærere à principio dilectionis domini Dei & proximi.Et quoniam perfectio pietatis in dilectione conſiſtit, ſufficientia quidẽ ſunt & iſta quæ diximus:tamen ad demonſtrationem magnitudinis eius nihilominus cõueniunt iſta ſubiungere. Charitas patiens eſt, benigna eſt,&c. Nemo enim puſillanimis conſtitutus, charitatẽ habet, & nemo inflatus habet dilectionem,neque perperam aliquid agens. Qui charitatem habet,nunquam de aliqua re iniuſta gaudet, qui charitatem habet, omnia accidentia ſuſtinet mala, & non pro parte credit, ſed omnia credit, omnia ſperat,omnia ſuſtinet.Et quoniam charitas nunquam excidit, confidens Apoſtolus ſe totam eam ſuſcepiſſe,dicebat: quis nos ſeparabit à charitate Dei? Et quoniam habebat duo dilectionis mandata Apoſtolus,Dei,& proximi:ideo habebat in ſe totius legis & prophetarũ manifeſtata myſteria, vt intelligens ea diceret, quoniam omnis lex & prophetæ in his duobus mandatis pendẽt.Vide Origẽ.ho.23.in Matt. Rom. 8.

Diliges proximum. Quemadmodum corpori anima ipſa vitam dat,ita animæ vita eſt ipſa charitas, ſine qua mortua iacet. Quare ſi velis cognoſcere vere ne viuus an mortuus ſis, oculos in animam conijce,& vide an diligat vel odiũ habeat.Si enim odium in corde reperis, mortuum te iudica, etiãſi viuus appareas,nomẽ quidem habes quod viuas, mortuus tamen es.Quod ſi mortuus es, dilige, & viues,tanſlati ſumus inquit Ioannes, de morte ad vitam, quia diligimus fratres 1.Ioan.3.

In his duobus mandatis,&c. Vide D.Thom.1.2.q.99.a.1.& q.105.a.2.& ad Rom.13.lect.2.& Gal.5. lect.1.

Super illa verba, diliges proximum tuum ſicut teipſum, differere poteris quam ſyncere & ſolide proximos diligere debeamus, nõ vt multi faciunt, qui eos tantum diligunt quibus cognatione iuncti ſunt,aut ex quibus temporalia cõmoda ſe relaturos ſperant: ad quod proſequendum inſtitutum nonnulla ſubiiciam.

Moyſes migraturus ad dominum ipſum rogauit vt populo ſuo prouideret,non autem nominatim & ſeorſim aliquẽ ex filiis nominauit Num.27.

Diſtribuens Ioſue terram Iſraelitis, moderate ſe geſſit cum tribu ſua Ioſue.17.

Ioannem aut Iacobum conſanguineos ſuos non præfecit Chriſtus toti Eccleſiæ, ſed potius Petrum Ioann.21.

Heli mortem filiorum audiens, non eſt viſus perinde ſolicitus & afflictus,atque cum capturam arcæ audiuit 1.Reg.4.

Dauid mortuum paruulum non plorauit, ſed gaudium potius quoddam præſe tuliſſe videtur 1. Reg.12.

Mater illa ſeptem Machabæorum, eos mirabiliter ſolabatur cum cruciarentur 2.Mach.7.

Cum quidam diceret Chriſto cõcionanti, matrem & fratres foris præſtolari,ipſe reſpondit:quę eſt mater mea,qui ſunt fratres mei:&c. Mat.12.

Iudæi prẽliaturi contra Nicanorem,magis ſolliciti erant de templo & rebus ſacris,quam de vxoribus & filiis 2.Mach.vlti.

Ioab increpauit Dauid quod nimis fleret in morte Abſalon filij ſui 2.Reg.19.

Amor carnalis & conſanguinitatis amor impedire quodammodo interdum videtur diuinas conſolationes & reuelationes, vnde Chriſtus dixit Petro,caro & ſanguis non reuelauit tibi:inſinuãs quodammodo quod falſas potius & prauas cõſolationes dare caro ſoleat Matth.16. Hinc & Apoſt. dicebat Gal.1.non acquieui carni & ſanguini.

Nonnulla ſæpe diligimus quæ odio potius habere deberemus: Achaz quidem quia ſibi auxilio fuit rex Aſſyriorum,prætermiſit diuinum cultum, atque falſorum deorum execrabiles cultus ſectatus fuit,quo illis gratus exiſteret:quaſi vero dij illi ſibi auxilium præſtitiſſent 4.Reg.9.

In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Diſſerere hoc loco poteris: quod tota fidelis hominis profeſſio conſiſtat in amore, concordia, vnitate,ac fraternitate: quod vt paulo fuſius amplifices,nonnulla ſubnectam loca.

Creare Deus voluit vnum hominẽ,vnde multitudo propagaretur, vt hoc modo vnitatem nobis quodammodo & concordiam perſuaderet. Geneſ.1.

Populus Iſrael vnitus fuit ad recipiendam legem Exo.19.

Auditis à Moyſe legis verbis, reſpondit cunctus populus vna voce:cuncta quæ locutus eſt dominus faciemus Exo.24.

Ad templum ædificandum & veſtes ſacras faciendas, obtulit populus vnanimiter neceſſaria Exo.36.

Congregatus eſt omnis Iſrael quaſi vir vnus, ad plateam, & dixerunt Eſdræ vt afferret librum legis Nehe.8.

Cum expoſuiſſet Achior verba Holofernis omnis populus communi locutione, lamentatione,& fletu,domino preces effundebat Iudith.6.

Congre

Congregatus eſt omnis Iſrael quaſi vir vnus ad vlciſcendam ignominiam vxoris leuitæ Iudicum 20.

Egreſſi ſunt omnes quaſi vir vnus ad ſuccurrendum fratribus in Iabes Galaad 1.Regum 11.

Venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauid in Hebron vt vngerent eum regem 2.Reg.5.

Poſt mortem Iudæ congregati ſunt omnes vnanimiter,& dixerunt Ionathę:te eligimus hodie nobis in principem 1.Macha.9.

Poſt Aſcenſionem domini erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco,& ſic veniens ſpiritus ſanctus repleuit corda eorum Acto.2.

Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia Acto.2. & 4.

Punito Ananiа & Saphira eius vxore,factus eſt timor in Eccleſia, & erant omnes vnanimiter in porticu Salomonis Acto.5.

Diliges proximum tuum. Ad dilectionem & amicitiam conciliandam & conſeruandam, plerique etiam philoſophi nos hortati ſunt: nã Ariſto. dixit,amicis benefacere,& ex inimicis amicos facere ſtudeto. Iſocrates, cum quibus amicitiam tibi conſtitutam eſſe vis, de illis honorifice loquere. Pythagoras,ſalem & menſam ne prætereas, id eſt ne violes amicitiæ iura.Ouidius, ſit procul omne nefas,vt ameris amabilis eſto.Auſonius,amicitias diligenter cõſerua. Antalcidas, amicis tuis vtiliſſima ac ſalutaria conſulito. Iſocrates, cum maturitate & conſilio amicitiam contrahe,contractãque conſeruare ſtude:nam ſubinde mutare familiaritates, æque turpe eſt atque amicum habere neminem. Lycurgus, familiaribus eatenus auxiliare,vt interim periurium non admittas.Pericles accommoda te amicis,ſed vſque ad aras.

Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: quid vobis videtur de Chriſto?cuius filius eſt? Hi quidem perpetuo deridebant cum ſui ſimilibus Chriſtum, quem purum hominem putabant: & ideo quoties ſe filium Dei nominabat, ei illudebant.Matt.26.blaſphemauit. Item ſi filius Dei es, deſcẽde de'cruce.Lõge aliter igitur reſpõdere debuiſſent ad Chriſti interrogationẽ,dicens:appellatur dominus,quia in principio erat verbum;dicitur filius Dauid,quia verbum caro factum eſt. Vide D.Aug.ſermo.234.& 235.de tempo.to.10.

Quales eſſent Phariſæi,vide Ioſephum lib. 3. Antiqui.cap.8.

Sententiam eorum de Chriſto inquirit, nam quoniam ad paſſionem iam iturus erat,eam prophetiam in medium adducere voluit, quæ apertiſſime dominũ eſſe ipſum prędicabat,quoniam nudum hominem opinabantur. Ideo Dauid eſſe filium reſpondebant. Vide D.Chryſoſt.in Matth. homi.72.

Dicunt ei,Dauid:ait illis,quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum?dicens. Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis:donec ponam inimicos tuos,ſcabellum pedum tuorum. Sedere à dextris vno modo accipitur pro æqualitate,& ſic Chriſtus ſecũdum quod Deus,ſedet ad dexteram:alio modo eſt eſſe in potioribus bonis,& hoc modo cõuenit Chriſto ſecundum humanitatem,quia vt ſic in gloria præſt angelis.*Donec ponam inimicos tuos.* Iſtud cõplebitur in iudicio, quãdo omnia perfecte ſubiicientur homini Chriſto.Lyra.in Matt.22.

Obſeruandum tempore Chriſti dubium non fuiſſe Scribis & Phariſęis quin Pſalmus iſte intelligendus eſſet de Meſſia,alioqui enim habuiſſent quod domino reſpondiſſent:at poſteri Iudæi variis modis conati ſunt,& adhuc conantur, Pſalmum hunc nobis eripere;in hoc laborantes vt de Meſſia oſtendant non intelligendum. Si quidem teſte Tertulliano lib.5.contra Marcionem, quidã Iudęorum aſſeruerũt hunc Pſalmum de Ezechia intelligẽdum,quia is ſederit ad dexteram templi, & hoſtes eius auerterit Deus & abſumpſerit. Alij intelligunt dictum de Dauide in perſona populi Iſraelitici,qui Dauidem appellauit dominũ ſuũ. Sunt & qui intelligunt Dauidem ipſum hic dominum ſuum vocare Saulem:& quod dicitur dixit dominus domino meo,ſic exponunt. Dominus dixit ad me propter dominum meũ Saulem qui me perſequitur. Verum hos omnes præterquam quod refellit ſilentium Scribarum & Phariſæorum non habentium quod reſponderent, etiam totius ipſius Pſalmi conſequentia cõuincit coactæ interpretationis. In illo enim præter alia dicitur,Tu es ſacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech; quod nemini præterquam Meſſiæ competere poteſt, quemadmodum hoc & totum etiam Pſalmum,de Chriſto antiqui plerique Iudæorum Rabbini intellexerunt. Corne. Ianſe.in ſermo.de hac dominica.

Aduerte quod dicitur de filio, illud domino meo,propter beneficium redemptionis, non autem dicitur dixit dominus meus, ſed filium appellat dominum ſuum.Pſal.62.Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.Pſal. 21. Deus Deus meus reſpice in me.Pſalm. 66. Benedicat nos Deus,Deus noſter.*In ſpiritu.* Quaſi dicat,non vtcunque vocauit,ſed in ſpiritu.

Dixit dominus domino meo &c. Vide D. Thom. 3. par.quæſt.57.artic.2.& quæſt.58.per totam.& 3. ſenten.diſt.22.quæſt.3.art.3.quæſtiun.2. & quæſtiun. 3. & quæſtio.4.artic.3.per totum.& contra gen.lib.4.cap.8.& ſuper epiſt.ad Roma. 8. lect.6. & ſuper epiſt.ad Ephe.1.lect.8.

Si ergo Dauid vocat eum Dominum,quomodo filius eius eſt? Iudæi ad deludendam interrogationis veritatem,friuola multa confingunt: vernaculum Abrahæ aſſerentes,cuius fuerit filius Damaſcus Eliezer, & ex ipſius perſona ſcriptum Pſalmum: quod poſt cædẽ quinque regum, dominus Deus domino ſuo dixerit Abrahæ:ſede ad dexterã meã, donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedũ tuorum.Quos interrogemus:quomodo Deus dixerit Abrahæ ea quæ ſequuntur.Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Et iurauit dominus & non pœnitebit eum;tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.Et reſpondere cogamus quomodo Abraham ante luciferum genitus ſit,& ſacerdos fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech: pro quo Melchiſedech obtulerit panem & vinum?& à quo decimas prędę acceperit D.Hieron.lib.4.in Matt.22.

Si ergo Dauid. Quaſi dicat, cum ſecundum naturam humanam ſit filius Dauid, & per conſequens eo inferior,oportet ponere in eo aliam naturam,per quam ſit dominus eius,& eo ſuperior. Hæc autem eſt diuina,& ſic in Chriſto duæ ſunt naturæ,diuina,& humana.Lyranus in Matt.22.

Et nemo poterat reſpondere ei verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare. Cauſa autem quare non eſſent auſi interrogare eum poſtmodum verbum, hæc fuit, quia interrogati reſpondere ei non potuerunt. Si enim interrogatio eorum fuiſſet ex voluntate diſcendi, nũquam talia eis propoſuiſſet: vt poſtmodum non eſſent auſi interrogare. Vide Origen. homil. 23. ſuper Matthæum.

De epist.& euang.duas habet concio. D. Anto.initio 1.par.Theolo.

Plures item habet D.Thom.prope finem to.16.

DOMI. DECIMAOCTAVA *post Pentecosten.*

ASCENDENS Iesus in nauiculam,transfretauit,& venit in ciuitatem suam. Matt. 9.Marci.2. Luc. 5. Ciuitatem eius nó aliam intelligimus quam Nazareth, vnde & Nazaræus appellatus est. D. Hierony. li. 1.in Matth. 9.

Propriam hic ciuitatem eius Capernaum appellauit:Bethleem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capernaum perpetuum ipsius erat habitaculum. Tu vero quam clemens quamque humilis sit dominus considera,Nam & antea turbas miti animo remouit, & à Gadarenis pulsus non restitit,sed recessit, non procul tamen: rursúsque cum etiam posset pedes transire, nauigio se ac discipulos traiecit. Non enim semper signa facere volebat,ne humanitatis suæ mysterio derogaret.D.Chryso.in Matt.homi. 30.

Ne putes hanc ciuitatem esse Nazareth, quia Marcus dicit hoc esse factum in Capharnaum:sed cum Nazareth sit in Galilęa,in quocunque oppido Galilææ sit, dicitur esse in ciuitate sua. Sicut regnum in tot ciuitatibus constitutum, dicitur Romana ciuitas;ita Galilæa dicitur ciuitas Christi,in qua est Capharnaum quasi metropolis Glo. Ordi. in Matth. 9.

Et venit in ciuitatem suam. Nempe Capharnaũ, quia ibi factum est hoc miraculum vt Marcus dicit expresse 2. cap. Dicitur autem Capharnaum ciuitas domini, non quia ibi fuerit natus vel cõceptus,sed quia erat principalis ciuitas Galilææ, propter quod Centurio ibi manebat ad custodiã totius terræ.Lyranus super hunc locum.

Ascendens in nauiculam transfretauit. Nonne ipse est qui fugatis fluctibus,maris profundo nudauit, vt Israeliticus populus inter stupentes vndas sicco vestigio velut montium concaua pertransiret? nonne hic est qui Petri pedibus marinos vertices inclinauit, vt inter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium?Matth. 14. Et quid est quod sibi maris sic denegat seruiturem, vt breuissimi lacus transitũ sub mercede nautica transfretaret? sed quid mirum fratres? Christus venit susciperе infirmitates nostras;& suas nobis conferre virtutes: humana quærere, & præstare diuina: accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tędia,referre sanitates:quia medicus qui non fert infirmitates,curare nescit; & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio.Sustinuit ergo has necessitates,vt homo verus humanis necessitatibus probaretur. *Ascendens inquit in nauiculam.* Christus Ecclesiæ suæ nauem seculi fluctus semper mitigaturus ascendit, vt credentes in se ad cælestem patriam trãquilla nauigatione perducat,& municipes ciuitatis suæ faciat,quos humanitatis suæ fecit esse consortes. Non ergo Christus indiget naui, sed nauis Christo indiget,quia sine cælesti gubernatore nauis Ecclesiæ per mundanum pelagus tali & tanto discrimine ad cælestem portum non valet peruenire. *Et venit in ciuitatem suam.* Creator rerum, orbis dominus, postea quam se propter nos nostra angustauit in carne, cæpit habere humanam patriam,cępit ciuitatis Iudaicę esse ciuis, parentes habere cæpit parentum omnium ipse parens vt inuitaret amor,attraheret charitas,vinciret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio,metus disperserat,fecerat ius potestatis extorres.Petrus Chrysolo.sermo 50.

Et venit in ciuitatem suam. Vide D.Aug.de consensu euangelis.lib.2.cap.25.to. 4, qui dicit quod ex Nazareth quidem erat Christus dominus, sed tamen quoniam Capharnaum erat vrbs celebris, & Galilææ prouincię caput,appellatur ipsius patria ratione excellentiæ: quemadmodum qui est ex oppido aliquo vicino celebri cuidam vrbi, se dicit illius vrbis municipem esse:vel potest intelligi illum transisse per patriam suam Nazareth, vnde postea accessit Capharnaum, vbi miraculũ fecit,quandoquidem non asserit D. Matthæus in Nazareth factum fuisse miraculum.Vide plura apud Aug.vbi supra.

Alia quidem est patria natiuitatis, nempe Bethleem,alia ratione educationis, nępe Nazareth; & alia dicitur eius patria propter frequentem in ea communicationẽ & miracula ibi facta, videlicet Capharnaum.Vide D.Tho.in Matt.9.

Omnia loca illustrat Christus dominus doctrina sua & miraculis, ciuitates maximas, loca deserta & inhabitata, viculos, & oppida,vbique salutis munera impartiendo. Eadem porro maiestate & potentia qua cogitationes scribarum vidit,etiam delicta paralytico dimisit,fecitque carnale signum,vt probaretur spirituale. Vide Bedam lib.1.in Mar.cap.2.

*Venit in ciuitatem suam.*Capharnaum dicit: siquidem Bethleem genuit,Nazareth educauit, & in Capharnaum conuersabatur. Vide Theophylac. in Matt.

Socrates dicere quidem soleba[illegible] mundanũ esse, atque philosopho totum orbẽ patriam esse: nihilominus tamen solet fere quisque erga suam patriam magis propensus esse. Et Plato dicebat, patriæ amorem nobis lõge charissimum esse debere,& pro eadem vitam si oportuerit esse in discrimen vocandam.

Infandum quidem scelus est nationis suæ atq; patriæ proditorem esse 2.Mach.14. Alcimus autem quidem &c.

Grauissimum est flagitium patriam prodere 2.Macha.10.D.dimiserunt quosdam effugere.

Multi sunt proditores patriæ.2. Macha. 4. per totum.

Patriæ proditores quid moliantur 2. Mach. 3. A.nuntiauit ei.

Multi patriæ suæ & gentis proditores reperiũtur 1.Mach.11.B.& abierunt quidam.

*Venit in ciuitatem suam.*Mirabile plane est quãto amore prosequantur homines patriam suam & gentem, quamuis exigua illa,sit, solitaria,& paruo in pretio habita.Vnde Homerus in Odyssea commemorat,quantos labores & calamitates perpessus fuerit vt tandem in patriam suam peruenire Vlysses ipse,Ithacam scilicet: quæ tamen pauperrima erat,& tanquam nidulus quidam asperrimis affixa saxis. Patriæ etiam amor impulit Athenienſem illum Codrum, vt vitam suam in discrimen exponeret,vt scribit.Vale.Max.& Mar. Tullius 1.Tuscu.Zenodotus etiam,& D. Antoni. 1.par.histo.Patriæ amor Decios etiam illos Romanos incitauit, vt pro ea sanguinem cum vita effunderent, & Senicippum in perpetuum relegauit

gauit exilium.Item flauium.Vale.de imperio deposuit;Mutium Scæuolam,Marcum Curium, & duos fratres Philenos,impulit vt vitam suam periculis & tormentis maximis libentissime offerrent.Interim tamen sæpe contra se gerere patria solet in ciues suos charissimos ac bene meritos, nimirum vt pro beneficiis ac benefactis, malefacta reddat atque repędat.Sic enim Annibal apud Carthaginienses ciues suos, postea quam multis victoriis & trophæis eosdem nobilitarat & illustrauerat,despectus fuit, ignominioseque tractatus, vt scribit Polybius, Titus Liuius, & Eutropius.Sic etiam Amilcar ab eisdem Carthaginiensibus, post nationes varias deuictas pro Carthaginis defensione & gloria,miserabiliter interemptus est,cum ei falso ciues imponerẽt quod cum Alexádro societatem iniuisset, vt scribit Iustinus li.21.Christus Dominus,ne aliena exempla quæram,cum innumeris patriam suam & gentem decorasset beneficiis,eius ingratitudinem sæpe in se expertus fuit:quam tamen patiẽtissime sustinuit, neque propterea more Alcibiadis illius ducis se gessit,qui cum à patria ingrata exularet, Lacedęmonios incitauit contra Athenienses ciues suos, ad ingratitudinem vlciscendam, atque ita expugnati fuerunt & deuastati.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Quatuor homines huic paralytico fuerunt adiutorio vt ad Christum tenderet, & vt salutem animæ & corporis consequeretur; at nunc quatuor non inuenias qui te ad Christum ducant,imo sex centos qui te ab eo semoueant,& in infernũ trudant.Multos in mãdo inuenies qui te vias inferni facile doceant,quique te adiuuent vt celerius in infernum abeas: at paucos, vel nullos qui te obsequium Dei doceant, & in eo adiuuent. Imo inuenies si incipis Deo seruire, qui tibi dicant, & ad aures diabolicè inculcent: Ne modo hoc cures, quia hypocrisis est. Nondum iniquus Siba finem his verbis imposuerat, Non est nobis pars in Dauid 2. Reg. 20. cum omnis populus statim eum secutus est. Eodem modo cum Abimelech regnum Israël vsurpauit. Iudicum 9. in suum auxilium statim habuit omnes vagos inopésque & populum Sichem,sic etiã cum perfidus Adonias regnum paternum voluit vsurpare, cum adhuc Dauid pater eius viueret 3.Reg.1.in suum auxiliũ statim venerunt Ioab & Abiathar, qui magnates erãt in regno. Ad malum ergo plurimos fautores inuenies,& si in infernum pręcipitare te volueris non deerit,qui calcaria addat,teque incitet. Vnde dominus per Zacha.1.minabatur eis qui adiuuabant gentes in destructione Hierusalem, dicens. Ira magna ego irascor super gentes opulẽtas:quia ego iratus sum parum,ipsi vero adiuuerunt in malum.Expende iterum quod plures habuit hic paralyticus qui sibi auxilio essent,vnde credibile est diuitem eum fuisse:nam pauper solus ipse in cubili iacet,solus suam indigẽtiam patitur. Si diues infirmatur,à multis inuisitur:si ei vel vxor vel filius moritur,omnes eum consolantur,& ibi præsentes adsunt,vt tristitiæ medeantur. Iorã qui rex erat,statim vt ægrotauit,venit ad eum visitãdum rex Ochozias.Item ad Ezechiã qui dies erat,statim vt in ægritudinem incidit, Merodach rex Babylonię nuntios misit & munera 4.Reg.20.ita diuitibus nunquam desunt qui eos consolentur. At pauper si ægrotet,à medico non inuisitur,quia pecuniam non habet,& omnes amici fugiunt & fastidiunt eum. Ægyptius ille quia mancipium erat & pauper,solus relictus est cũ ægrotaret, & mortuus procul dubio fuisset prę fame & siti,nisi Dauid ei subuenisset 1.Reg.30. ô miserum pauperẽ! qui in ægritudine ab omnibus solus relinquitur; in tribulatione & angustia non est qui eum consoletur: in labore & indigentia ab amicis non agnoscitur:in periculis denique calamitatibúsque spernitur,atque deseritur.

Lucæ 5.dicitur,quod præ turba non inueniebant qua parte illum inferrent: turba etenim impediebat accessum ad Christum.Sic 1.Esdrę 4.habetur,quod populus terræ impediebat populum Iudæ in ædificãdo.Populus terræ scilicet qui terrena sapiunt & amãt,impedit populum Dei. Vnde Ecclesiastici 7. ne pecces in multitudine, nec te immittas in populum. Discamus ergo ex hoc loco fugere turbam.Exo.etiam 23.dicitur, ne sequaris turbam &c.& 4.Reg. 7. de quodam principe Samariæ dicitur,conculcatum fuisse à turba & interemptum in ingressu portæ.Quando Chirurgus aliquis vulnerato mederi vult, omnẽ gentem à se remouet, nec in platea illũ curat, sed ingressus cubile,ibi medicamina apponit: ita dominus curaturus animam tuam, eam à multitudine populi segregat.Et cum surdum illum & mutum curare Christus voluit, vt scribitur Marci 7. eum segregauit à turbis. Sic tu fuge à mundi tumultu & seculi negotiis,vt saluti animæ tuæ possis consulere,& Deo commodius vacare.Turbam etiam dominus docuit remouendam, cum puellam suscitauit Matt.9.Cæterum dicitur quoque Luc. 5. quod per tegulas submiserunt paralyticum ante dominum.Vide obsecro quomodo nihil charitati obstaculo sit,sed remedium quærat vt id faciat quod intẽdit. Etenim quamuis domus illa plena ita esset hominibus, vt videretur nullus patere accessus ad Christum,horum tamen charitas remedium inuenit.Sic vtique nos si charitatem haberemus, multa perficere possemus quæ nobis difficilia videntur. Rursum obserua, quomodo multitudo tanta quæ Christum audiebat, quamuis tegulæ de tecto tollerentur, & terra desuper caderet, nullum tamẽ strepitũ aut murmur excitauerit,sed quiete ac tranquille concionem audiuerit:at nos vel sola musca in concionibus inquietos reddit,& deuotionem nobis atque attentionem aufert.Christus etiam patientissime importunitatem istorum sustinuit,non stomachatus est videns interrumpi sermonem, sed potius approbauit fidem baiulantium;vt inde discamus patiẽter ferre importunitatem egenorum præsertim, infirmorum,& afflictorum.

*Et ecce offerebant ei.*Si hi tantum pro salute paralytici corporali fecerunt,vt etiam domum alienam perfoderent:quid quæso nobis pro salute animæ nostræ agendum erit? Maximam quidẽ curã habuit de corporis salute Ochozias rex Israel 4.Reg.1.nullam autem de recta animæ valetudine:infirmabatur in corpore simul & anima,at vero pro corporea incolumitate misit qui consulerent Beelzebub an viuere posset.Ieroboam quoque magnam curã habuit de corporali salute filij 3.Reg.14. vnde & Ahiam prophetam consuluit, & misit ad eum coniugem suam.Sic Naaman Syrus venit in Israel quærens corporis salutem, & longissimũ confecit iter vt à corporis lepra mundaretur.Et multi nunc etiam longum conficiunt iter vt medicos exquisitos sibi quęrant,& corporis salutem procurent: at vero pro salute animæ nec concionem quidem audiunt.

*Offerebant ei paralyticum.*Differere poteris quãtam vtilitatem afferãt deprecationes & orationes

aliorum

aliorum pro aliis factæ. Sic Paul. aliorum orationes pro se fieri postulabat. Sic Moyses sua intercessione veniam populo impetrauit Exo. 32. Elias pluuiam 3. Reg. 18. Moyses liberauit etiam populum de Amalech Exo. 17. & Mariam à lepra Num. 12. Item 4. Reg. 20. dicitur, protegam ciuitatem hanc propter Dauid seruum meum. Vide etiam quomodo mulier Chananæa impetrauerit salutem filiæ Matt. 15. & Centurio pueri sui Matth. 8. Tum ad aliorum conuersionem vide quantum valeat intercessio ipsa, nam vt multi asserunt, cõuersionem Pauli impetrauit Stephanus. Et Paulus orat pro Ephesiis, Ephe. 3.

Offerimus Deo sacrificia, & sanctos nobis assumimus intercessores, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Vide Conci. Triden. sess. 22. ca. 3. & sess. 25. de inuocatione, veneratione, & reliquiis sanctorum, & sacris imaginibus.

Mater ecclesia os maternum paruulis præbet, vt sacris mysteriis imbuantur, qui nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium profitentur: cur etiam quæso non pœnitentes habeantur, qui proprio ore & corde similia præstant? De consecr. dist. 4. mater ecclesia.

Offerebant ei paralyticum. Labores & calamitates nos ad Deum ire compellunt: afflictus enim homo plerumque solet ad Deum factorem suum reuocari, & in eius recordationem incidere. Vide 1. Petri. 1. & D. Basi. epist. 110.

Lege etiam eundem super illa verba Psal. 33. multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos dominus.

Idem etiam ait homi. 7. in diuites auaros, quod Deus nobis immittit labores & calamitates, vt ad ipsum conuertamur. Verum multi sunt qui his cũ fructu vti nesciant, sed potius de Deo cõqueranter pro eorum immissione, impiáque verba multa obloquantur & obmurmurent, non considerantes quod quemadmodum plantæ vt suos ferant fructus, temporum vicissitudines sustinere solent: ita etiam hominis virtus laboribus & calamitatibus probetur ac pertentetur.

Nisi labores & calamitates patienter toleratæ nos ad beatitudinem perducerent, nequaquam Christus dixisset, beati pauperes, beati mites, beati qui lugent &c. Vide D. Basi. super Isa. 3.

Consule eundem super illa verba Psal. 59. da nobis auxilium de tribulatione.

Calamitates ipsæ solent homines in Dei cognitionem excitare, si patienter illis vtantur & fructuose. Vnde Petrus ex suo casu occasionem sumpsit ad maximam gratiam resurgendi. Vide Grego. Naziã. Orati. 15. super illa verba Psal. 118. bonum mihi quia humiliasti me.

Labores & afflictiones solẽt sæpe perditos homines ad viam veritatis iustitiæque reducere, vt etiam sæpissime res prosperæ succedentes eosdẽ insolentes reddunt atque elatos, quos contra cõponere solent calamitates atque labores. Vide D. Chryso. in Acta Apost. homi. 16. to. 3.

Sumus nos tanquam pueruli, ad quorum moderationem & emendationẽ calamitatibus & flagellis opus sit. Vide eundẽ in Acta Apost. ho. 42.

Vtilissimæ quidem sunt calamitates & afflictiones, quandoquidem Deus afflictis adesse solet atque succurrere, iuxta illud Psalm. 90. cum ipso sum in tribulatione: non ergo in laboribus cõstituti diffidamus, sed viriliter nos geramus, & in Deo speremus. Vide D. Bernar. in Psal. Qui habitat, sermo. 17.

Quam sint vtiles labores & ærumnæ, eas patienter toleranti, Vide D. Chryso. lib. 2. de prouiden. Dei to. 5.

Offerebant ei paralyticum. Propter peccata mala multa & incommoda nobis accidere solent Isa. 3. A. & dabo pueros principes eorum.

Vide quantum noceat peccatum Isa. 59. A. peccata vestra diuiserunt.

Vide quomodo peccatum soleat hominem excæcare 2. Reg. 11. C. ponite Vriam.

Cæcum reddit hominem peccatum ipsum 2. Reg. 12. filius mortis est &c.

Excæcare solet hominem peccatum 3. Reg. 11. A. adamauit mulieres.

Considera quam cæcus esset Ionas à facie domini fugiens Ionæ 1.

Vide quam cæcus esset Adam sese abscondẽs à conspectu Dei, Gen. 3.

Magna equidem impij oppressio est atque dæmoni dura & grauia tributa persoluit: quod præfiguratum fuisse videtur in Rege Moab, qui singulis annis regi Israel persoluebat centum millia agnorum & centum millia arietum cum velleribus suis. 4. Reg. 3.

Simulatque exercitus Syriæ cognouit filios Israel Deo factos odibiles, atque ab ipsis occisos esse prophetas sanctos, celeriter paucis militibus numerosam Iudæorum aciem superauit, vt vel hinc colligas quanta incommoda peccata ipsa parere soleant. Vide 2. para. 24.

Offerebant ei paralyticum. Multi sunt qui corporis salutem præferant saluti animæ, atque propter illam soliciti magis sint, cum tamen contra fieri oporteat, vel philosopho illo Pythagora teste, qui dicebat: valere animo præoptes, quam corpore.

Videns autem, Iesus fidem illorum, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. ô mira humilitas, despectum & debilem, totúsque mẽbrorum compagibus dissolutum, filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certe ideo filium, quia dimittũtur ei peccata sua. Iuxta tropologiam interdum anima iacens in corpore suo, totis membrorũ virtutibus dissolutis, à perfecto doctore offertur curanda domino: quæ si misericordia eius sanata fuerit, tantum roboris accipit, vt portet statim lectulum suum. D. Hiero. lib. 1. in Matt. 9.

Et paralyticus ipse nisi credidisset, demitti pro fecto non voluisset: quoniam ergo tanta illi fide aduenerunt, propterea dominus quoque virtutẽ suam magis ostendit, summa cum potestate à delictorum vinculis ipsum dissoluens, vt ex omnibus his patri se demonstraret æqualem. D. Chryso. in Matt. homi. 30.

Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Filiũ vocauit, in quo ostenditur propria etiam fide illum fuisse saluum: hoc quippe nomine Christus credentes appellat, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. *Remittuntur tibi peccata tua.* Si ægrotas propter peccata, tolle prius ista & proiice abs te: ita enim Christus prius sanat animam huius, deinde corpus. Nam etiãsi Deus ægritudines soleat immittere multis aliis rationibus, nempe in ipsos iustos vt maius sit eorum meritum, & vt magis eorundem splendeat virtus, quod factũ videmus in Iob. Tũ præterea vt gloriam suam manifestet, vt fecit cum cæco à natiuitate. Item ad initium tormenti in hac vita, vt cum Antiocho 2. Macha. 9. & cum Herode fecit, & denique aliis plurimis causis

causis. Tamen hoc certum est, quod multoties ægritudines immittit ob nostra scelera atque delicta, vt in meliorem mentem redeamus, & per semitas mandatorũ eius ambulemus. Quod Moses aperte indicat Deute. 28. dicens: nisi audieris vocem domini Dei tui, percutiet te pestilentia, & morbis &c. Et quando tyrannus ille Aman populum Dei voluit euertere, quia non adorauit eum Mardochæus, cõuersũ ad dominum Hester, dixit. Peccauimus in conspectu tuo, ideo traditi sumus in manus inimicorum nostrorũ. Legimus etiam de sancto Tobia, quod conuersus ad Deum dixerit. Quoniam non obediuimus tibi, traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem Tob. 3. sic temporibus Achab & Iezabel, propter eorũ scelera & peccata, non pluit tribus annis & sex mensibus, & facta est fames & sterilitas maxima 3. Reg. 18. Præcepit dominus Ionę vt abiret in ciuitatem Niniue, & diceret: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Cum rex & omnes Niniuitæ cognoscerẽt flagitia sua maiori esse digna supplicio, surrexit rex de solio suo & pœnitentiam egit: túncque pius & misericors dominus sententiam reuocauit, quia ipsi delicta emendarunt: cessantibúsque peccatis, cessauit flagellum. Cum hæc ita sint, quare igitur tu non agis pœnitentiam? quare peccata tua non destes, sed potius lætitiã vanã præ te fers atque gaudiũ? vide quid dicat Esa. 22. vocabit dominus exercituum in die illa ad fletum, planctum & caluitium, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia &c.

Remittuntur tibi peccata tua. Vide quam liberalis & magnificus sit dominus, qui plura contulit huic paralytico beneficia, quam petebat. Ipse nãque solam corporis valetudinem desiderabat & petebat, Christus vero & animæ & corporis resti tui salutem. Sic Salomoni qui solam sapientiam petebat 3. Reg. 3. dedit sapientiam & diuitias. Abrahæ qui vitam tãtum petebat Ismaeli Gen. 17. dicens, vtinam viuat Ismael coram te; dedit illi & Isaac, & duces orti sunt de Ismaele. Ezechiæ qui vitam petebat 4. Reg. 20. non solum dedit vitam, sed & addidit quindecim annos. Sic latro pendẽs in cruce rogabat Christum vt eius memoriã haberet, quod non solum donauit Christus, verum etiam æternam patriam, quam sancti martyres & confessores mille toleratis tormentis, sexcentísq; ignominiæ generibus, ingressi sunt. Tres præterea reges pugnaturi contra Moab, petierũt ab Eliseo vt rogaret dominum pro pluuia: quibus dixit Eliseus. Hæc dicit dominus, alueus replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra: parúmque est hoc in cõspectu domini, insuper tradet etiã Moab in manus vestras 4. Reg. 3. vide quomodo non solum aquam quam petebat, sed etiam victoriam donauit dominus. Regulus etiam Ioã. 4. tantum petebat salutem filio, sed dominus & salutem filio dedit, & patri fidem quã nõ petebat. Sic Moyses Exo. 33. petiuit à domino vt suam gloriam videre illi concederet, ipse vero dominus, pollicetur vniuersa bona se ostensurũ. Non sic mundus, qui magna quidẽ promittit, largitur autem minima: promittit vitam longæuam & felicem, cum breuis illa sit & laboribus plena.

Videns fidem illorum. Magnus dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega nõ valeat cum apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Disce qui iudicas ignoscere, disce qui æger es impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniã, adhibe precatores, adhibe ecclesiam quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi dominus negare posset, ignoscit. D. Ambro. lib. 5. in Luc. 5.

Vide quantum valeat apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem. Glos. Ordi. in Matt. 9.

Licet sanitas corporalis, vel aliquid huiusmodi detur alicui propter alienam fidem, remissio tamen peccatorũ non datur alicui adulto sine propria fide. Ideo non videntur bene dicere, qui dicunt quod illorum refertur tantum ad offerẽtes, ita quod propter fidem offerentium tantum sit sanatus. Lyranus in Matt. 9.

Quidam intelligunt relatiuũ illorum, tantum referri ad portantes. Vnde Hiero. videns autem Iesus non eius fidem qui offerebatur, sed eorum qui offerebant, verum rectius cum Chryso. intelligitur simul referri & ad portantes, & ad eũ qui portabatur; aut saltem ita referri ad portantes, vt non excludatur fides ægri. Quod autem dicitur à quibusdam fidem alienam saluare aliquem, si quidem intelligatur de salute corporali, nullã habet difficultatem, quia fides aliena alicui impetrat à Deo sanitatem, etiam sine eius qui sanatur fide. Si vero de salute mentis accipiatur, maxime in adultis rationis vsum habentibus, non potest intelligi fidem alienam saluare aliquem, nisi vel quia impetrat ei à Deo fidẽ qua saluatur: quomodo multi cum August. putant Stephanũ impetrasse Paũlo, vt ex persecutore fieret Apostolus; vel quia cõtemplatione fidei alienæ, Deus credenti eam confert gratiam, quam eidem alias non erat collaturus ob fidei eius imperfectionem, aut vitæ demeritum. Ex quibus patet quomodo sane intelligi debeant autoritates quædam sanctorum, qualis est ea quæ in Catena Thomæ attribuitur Ioanni Episcopo dicenti. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem. Similiter sententia Ambro. super Luc. Magnus inquit dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & dũ alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega nõ valeat, cum apud Deum seruus & interueniendi meritum & ius habeat impetrandi? Intelligẽdum enim hos patres ita loqui de fide aliena, peccatorum remissionem impetrante, vt non excludant fidem eius qui salutem consequitur. Atque in hũc modum intelligendum est quod hic dicitur, dominum propter fidem portantium remisisse peccata paralytico. Quæri autem potest, cur dicatur videns fidem illorum, potius quam videns hominis huius patientiam, aut miseriam, aut videns hominis huius patientiam, aut miseriam, aut videns indefessum studium eorum ad iuuandum proximum, eorúmque in proximum dilectionem. Et dicendum, non dubium quin gratissima Christo fuerit offerentium charitas, & ægri patientia, cuius etiam miseria ad misericordiã misericordem dominum permouit: fidei tamẽ tribuitur sanitas mentis & corporis collata huic ægro non solum ad commendationem fidei in Christum, sed etiã ob id quod fidei propria merces sit consequi id quod credit & sperat. Porro dubitari potest, quomodo remissio peccatorum hic tribuatur fidei illorum, cum vt est verisimile, de impetranda peccatorum remissione nihil cogitauerint, nihilque soliciti fuerint. Et primum quidem dici potest, Euangelistas noluisse significare dominum remisisse huic peccata propter fidem illorũ, sed quod cum vellet propter illorum fidem sanitatem corporis quam illi sperabant conferre, prius illi remise

miſerit peccata,quibus dimiſſis, deſideratam ſanitatem ordine congruenti conſequeretur.Secũdo dici poteſt,& rectius,in hoc ęgro & offerentibus ipſum,fuiſſe etiam implicitam fidem conſequendæ remiſſionis peccatorum, etſi de ea forte nil actu cogitarent,eo quod crederent dominum poſſe cuncta ſanitatis corporalis impedimenta tollere,inter quæ erant & peccata: quodque crederent eum eſſe Chriſtum,qui promiſſus erat fore ſaluator à peccatis hominum.*Conſide fili.* Hoc eſt bono animo eſto,certo ſperans te conſecuturum deſideratam corporis ſanitatem:nam remittuntur tibi peccata tua,ob quæ morbum hũc incidiſti.Dicit ergo confide;non quia non habebat, fiduciam,ſed vt ea fiducia non remitteretur, imo potius augeretur. Cor. Ianſe.in ſermo.de hac do.

*Remittuntur tibi peccata tua.*Quod ſæpe ſoleant infirmitates corporis prouenire ſiue inſtigi propter infirmitatem animę,videre poteris 5.Decreta.cap.13.cum infirmitas:vnde etiam diſcant medici quomodo cum infirmis agere debeant.§.præſenti decreto ſtatuimus De pæniten.& remiſ.Vide etiam Conci.Latera.ſub Inno.3.ca.22.& inter cæteras cauſas hæc vna fuit,quod infirmi ſolerẽt animo quodammodo cadere cum de confeſſione illis proponebatur aliquid. Vide etiam quæ ſtatuantur contra medicos qui propter ſalutem corporis præcipiunt aliquid contra ſalutem animæ.

*Conſide fili.*Vocat eum filium,vt intelligas verum eſſe dictum domini Io.15. non vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos &c.Vide Palacios in Matt.

Super illa verba,videns Ieſus fidem illorũ &c. conſule D.Tho.1.2.q.114.a.6.& 3.p.q.44.a.3.

*Et ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe, hic blaſphemat.*Legimus in Eſa.43. dicentem Deum,ego ſum qui deleo iniquitates tuas. Cõſequenter ergo ſcribæ,quia hominem putabant, & verba Dei non intelligebant,arguunt eum blaſphemiæ.Sed dominus videns cogitationes eorum, oſtendit ſe Deum, qui poſſit cordis occulta cognoſcere, & quodammodo tacens loquitur. Eadem maieſtate & potẽtia qua cogitationes veſtras intueor, poſſum & hominibus peccata dimittere. D. Hieron.lib.1.in Matt.9.

Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum,dixit:vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Non dixit,quid cogitatis ſceleſti, inuidi, & ſalutis humanæ hoſtes, ſed cur mala in cordibus veſtris cogitatis:oportet ergo clementer ægritudines animi remouere, nã
Matt. 13. qui humano timore melior factus eſt,ad prauitatẽ rurſus cito redit:propterea zizania iuſſit mitti, vt pœnitentiæ tempus pręberetur.Multi certe tãta pœnitentia compuncti ſunt,vt cum antea peruerſi eſſent, electiſſimi poſtea inuenirentur, vt Paulus,vt publicanus,vt latro,qui cum prius zizania eſſent,in optimum triticũ mutati ſunt:quæ quidem mutatio in ſeminibus impoſſibilis eſt, at in voluntatibus facilis atque procliua.Non enim naturæ terminis ad bonum aut ad malum voluntas diſſipatur,ſed libero honoratur arbitrio.Quare cum inimicum veritatis aliquem videris,omni ſtudio atque cura conare ad virtutem reducere; primum viuendi exemplis,deinde orationis grauitate,ac poſtremum patrocinij & auxilij copia. Non graueris omnia emendationis genera percurrere:imitandi ſunt enim boni medici,qui non vno curationis modo vtuntur, ſed cum viderint primis remediis nõ eſſe repreſſum morbum, alia atque alia rurſus excogitant,& aliquãdo quidem, ligantes membra, doloribus dolores excutiunt aliquãdo vero incidunt,ita multis variiſque medendi generibus tandem corpus ad ſanitatem reducunt.Quare pariter etiam tu animorum medicus factus,omni curationis modo ſecundum leges Chriſti vtaris,vt & operum tuorum;& aliorũ ſalutis mercedem accipias:nam qui hæc in gloriã Dei facit, ipſe quoque gloriam conſequetur. D. Chryſoſt.in Matt. homi. 30.

Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum. Vide D. Tho.3.p.q.10.a.2.& q.59.a.2.& 3.ſen.Diſt. 14.a. 2.quæſtiun.2.& a.3.quæ.1.& quæ.5. & a.4. & de veri.quæ.8.a.4.& quæ.10.a.4. & 5. per totum. & a.6.in cor.& quoli.3.q.2.a.1.

Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum &c. Vide quæſo quam patienter Chriſtus ſuſtinuerit non ſolum importunitatem eorum qui paralyticum offerebant, ſed etiam murmurationes interiores iſtorum ſcribarum. Diſcere ergo hinc debemus vt inquit Caſſianus,quã moderate moleſtias proximorum ferre debeamus, & patiẽter nos gerere in contumeliis & injuriis aduerſariorum. Hoc enim exemplar nempe patientiæ Chriſti ſibi ante oculos proponentes ſancti viri,moderate ac fortiter ſe geſſerunt in cõtumeliis,opprobriis,atque tormentis.De quodam enim Pigmenio vitio interrimo,ſcribit Antonius Sabellicus, quod cum cæcus eſſet,tanta patientia præditus erat, vt cum aliquando Iulianus ille apoſtata ante eum conſtitutus,diceret:Deo gratias ago Pigmeni, quod mihi liceat te videre ac contueri:ipſe viriliter reſpõderit.Ego etiam Deo gratias ago,& habeo, quod te non videam.Magnifica profecto, & conſtantis animi vox:in qua declarauit ſe non ſolum patiẽter ferre cæcitatem à Deo immiſſam, verum etiã nihili facere peſtiferum imperatorẽ atque teterrimum.Hanc etiam animi conſtantiam & patientiam præ ſe ferebant integerrimi illi adoleſcẽtes, de quibus ſcribit Baptiſta Fulgoſius quod ante crudeliſſimum Dioclecianũ in voraciſſimam flamã immiſſis brachiis & manibus, Deum mirifice laudarent & prædicarent.Cæterum cum Ariſtippus aliquando contumelioſe tractaretur & procaci lingua à quodam,reſpõdiſſe fertur. Tui quidem muneris eſt contumelioſe agere,meum autẽ eſt contumelias patienter tolerare.Pittacus Mitileneus dicere ſolitus erat,viri prudentis eſſe prouidere ne ſibi incommoda & contumeliæ inferãtur,fortis autem & patientis, illatas æquo animo tolerare.Mauricius ille Cõſtantinopolitanus imperator cum captus eſſet à tyranno Phoca, videtque ante oculos interfici chariſſimam coniugem,ſuauiſſimóſque liberos, & poſtmodum ſibi etiam necem eſſe paratam : patiẽti quidem ac virili animo dicebat. Iuſtus es domine, & recta iudicia tua,vt ſcribit Nicephorus Calix. lib. 18. hiſto.Eccleſi. Seneca ſcribit, quod cum aliquando quidam in Xenophontem petulantiſſimã & procacem ſuam vibraret linguam,moderate reſponderet Xenophon:tu quantum conſequor, hũc tibi mortẽ indixiſti, vt alios maledictis laceſſeres; ego vero patienter ſoleo ſimilium hominum cõtumelias ſuſtinere.Bias dicere cõſueuerat, ſe quidem apprime deſiderare Socratis patientiã atque conſtantiam in aduerſis,quiquidem adeo forti & virili pectore erat, vt ſenſum nullum doloris vel in maximis calamitatibus præ ſe ferre videretur, vt ſcribit Laertius. Cum aliquando Poſſidonius podagra vehementi ac ſæua laboraret, honoriſq; gratia eum Pompeius inuiſiſſet;in media ipſa cõfabulatione & colloquio exclamauit.Nihil quidẽ agis podagra:vel ſi enim maxime me diſcruciaueris,patientiam tamen non auferes,vt ſcribit Bruſonius,

ſonius, Conturſinus lib.2. Inter cæteras laudes quas Guido Bituricenſis Tiberio tribuit, vna illa eſt patientiæ laus,qua in tolerãdis iniuriis & contumeliis vti ſolebat.Cum enim aliquãdo quidam ei nuntiaret quod male audiret in vrbe, patienter reſpondit:in libera ciuitate libera eſſe iudicia. Idẽ etiam refert Sueto.Tran.Porrò Titus Veſpaſianus dicebat,ſe à nemine poſſe iniuriam accipere:quaſi diceret, contumelias & iniurias inflictas nõ merenti,eas ita eſſe accipiendas,vt in eum potius refundantur à quo proferuntur.Xiphilinus ille qui in Epitomen contraxit Dionem Nicæum, in vita Titi Alexandri imperatoris Romani,ſcribit:quod ſoleret imperator dicere, viri prudentis eſſe optima quæque deſiderare; patientis autem quæcũque contingerent tolerare.Idem etiam ſcribit Herodianus lib.6.Ex his igitur omnibus perſpicuum eſt: quantum ſit ornamentum patientiæ virtus: ſiquidem vt ſal quantumuis pedibus teratur & conculcetur, ſaporem tamen ſuum non amittit: ita Dei ſeruus tametſi calamitatibus & afflictionibus afficiatur,nũquam tamen Chriſtianam pietatem perdere debet,quæ maximè decoratur patientiæ ornamento.

Quid eſt facilius dicere,dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula? Inter dicere & facere multa diſtantia eſt.Vtrum ſint paralytico peccata dimiſſa, ſolus nouerat qui dimittebat.Surge autem & ambula, tam ille qui ambulabat, quam illi qui conſurgentem videbant,approbare poterant. Fit igitur carnale ſignum vt probetur ſpirituale: quanquam eiuſdem virtutis ſit, & corporis & animæ vitia dimittere. Et datur nobis intelligentia, propter peccata pleriſque euenire corporum debilitates.D.Hiero.lib.1.in Matth.9.

*Quid eſt facilius.*Vide Tho.3.p.q.44.a.3.ad 3.

Vt autem Sciatis quia filius hominis habet poteſtatem interra dimittendi peccata, tunc ait paralytico. Vide quam per magnifice & liberaliter egerit Chriſtus cum paralytico,cum non longas preces & importunas expectauerit,ſed ſtatim paralyticum magna liberalitate interius exteriuſque ſanauerit. Non ita faciles ſeſe illi nobis exhibere ſolent,quos multis precibus rogamus, imò rogitamus & obtundimus, in re etiam iuſtiſſima & expedita. Sed potius nos ſæpè eorundem frequentare domos cogunt, procraſtinantes atque differẽtes quam plurimos annos.Vide hac de re Senecam lib.1.de benefic. cap.1.

Nihil perinde caro emitur, atque quod precibus longiſſimis impetratur; nonnulli quidem eo ſunt ingenio, vt ſæpè ac ſæpius rogari velint,multos interponi deprecatores cupiant,& plenam habere exoptent domum interceſſoribus, nõ minus planè quam qui cauſas in foro decernũt. Ne dicas quæſo amico tuo,vade & reuertere:ſed potius benigne ac liberaliter facito erga eum, fracta mora omni & tarditate Amittis enim beneficium tuum quod tam longa procraſtinatione contuleris.Vide Senec.lib.2.de benefi.cap.5.

*Vt autem ſciatis.*Vide D.Tho.3.p.q.16.a.11.& 2 ſent.Diſt.1.q.1.& 3.& in 4.ſen.diſt.5.q.1.a.1.& a.3. q.1.& ſuper epiſ.1.ad Cor.c.1.lect.2.

Surge,tolle lectum tuum,& vade in domum tuam. Acſi apertè audiat, poſt exterius miraculum ad conſcientiam reuertere,& qualem te intrinſecus Deo debeas exhibere, perpende.D.Gregor.lib.4.Moral. cap.35.

*Tolle lectum tuum.*Hoc eſt porta portantem,omnes muta vices; vt quod eſt infirmitatis teſtimonium,ſit probatio ſanitatis: vt lectus doloris tui, ſit meæ curationis indicium;vt receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis aſſerat magnitudo. *Vade inquit in domum tuam.* Ne Chriſtiana fide curatus in viis Iudaicæ perfidiæ iam moreris. Chryſolog.ſermo.50.

Super illa verba, vade in domum tuam, vide Ioan.Gerſo.2.par.fol.242.

*Et ſurrexit,& abiit in domum ſuam.*Secutus exemplum illius Regij vatis, qui dicebat Pſal.102. benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.Merito quidem paralyticus hos verſus Deo canere potuiſſet:qui ab iniquitatibus eum liberauit,& peccata ei dimiſit, integramq; corporis valetudinem reſtituit.Et nos potiore iure id cantare poſſumus, qui quotidie à periculis tam animæ quam corporis eripimur.

Videntes autem turbæ, timuerunt,& glorificauerunt Deum: qui dedit poteſtatem talem hominibus. De paralytico per tegulas demiſſo ante Ieſum, Vide Hug. de S.Victo.lib.3.Allego.in Marcum cap.9. tom.1.

Duas habet conciones D.Anton.initio 1.par. Theolog.

Duas item habet D.Thomas prope finem tomi 16.

Glorificauerunt Deum qui dedit poteſtatem talem hominibus. Laudare debemus ſanctos & viros iuſtos, quia Deus etiã in illis laudatur qui fecit illos ſanctos. Cum imaginem bene exactęque depictam videmus,& laudamus, ipſum etiam artificem cõmendare videmur. Ideò Deus vult vt non ſolum ſuam diuinam maieſtatem, ſed etiam ſanctos eius collaudemus. Ægyptus rex Pharaõ nõ ſolum voluit honorare Ioſeph, donãs illum regio anulo,& imponens digito illius: verumetiam vt hoc ipſo honore ab vniuerſo populo afficeretur: & ſic iuſſit vt omnes coram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti. Nabuchodonoſor etiam cum Daniel expoſuiſſet ſtatuæ ſomnium,adorauit Deum,dicens: Vere Deus veſter Deus Deorum eſt,& Dominus regum. Cum autem Deus adhuc videat non ſibi ſatisfactum eſſe,tametſi à Nabuchodonoſor cognoſceretur & adoraretur, voluit ſuos quoque ſeruos honorare. Ideoque tres illi pueri erant laudantes Deum magna cum lætitia & incolumitate in fornace ignis. Quod videns Nabuchodonoſor; etiam ait: ſerui Dei excelſi egredimini; eoſdemque in altiſſimo quodam honoris ac dignitatis gradu locauit.Cæterum ex commendatione viri alicuius probi & ſtudioſi, duo videntur oriri commoda: alterum quod laudata virtus creſcit, alterum vero quod commendationem audientes,inuitantur ad ſimilem virtutem imitandam. Cum autem in fornacem proiicitur, quicquid aurum non eſt, in fumum quodammodo euaneſcit: quod autem aurum eſt, liquidum & perfectum manet. Si ergo hominis ſit vera virtus, illuſtrior fit voce laudantis: ſin autem commentitia & ficta ſit virtus, tota in fumum quandam, & humanam conuertitur vanitatem.Vnde Prouerbiorum 27.quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantis.Prodeſt etiam laus bonorum, ad reliquos inuitandos ad virtutem complectendam. Paulus vt Hebræos ad ſuorum maiorum virtutem incendat,eorum geſta in memoriam reuocat, dicens: Mementote præpoſitorum,&c.Heb.13.Hac prædicatione vſus eſt etiam Eſa.51. cum dixit: attendite ad Abraham patrem veſtrum. Matathias quoque vt ſuorum

animos accenderet, in hæc prorupit verba. Memento tę operum patrũ quæ fecerunt in generationibus suis, 1.Mach.2.Hoc etiam fecisse Iudith, sacra commemorat historia Iudith 8.

Super illa verba, qui dedit potestatem talem hominibus, vide Sixtum Senen.Bibli. sanc. lib.6. annot.45.71.102.& lib.5.annot.72.

DOMINICA DECIMANONA post Pentecosten.

SIMILE factum est regnum celorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.Matth.22. Rex iste qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est.Facit autem nuptias Domino nostro Iesu Christo & ecclesiæ: quę tam ex Iudæis quam ex gentilibus congregata est. D.Hiero.lib.3.in Matth.22.

Quærendum est an hæc apud Matthæum ipsa sit lectio quæ apud Lucam sub appellatione cœnę describitur.Et quidem sunt nónulla quæ sibi dissona esse videntur,quia prandium,illic cœna memoratur: hic quia nuptias non dignis vestibus intrauit,repulsus est: illic nullus qui intrasse dicitur repulsus esse perhibetur. Qua ex re rectè colligitur, quod & hic per nuptias præsens ecclesia, & illic per cœnam, æternum & vltimum conuiuium designatur: quia & hanc nonnulli exituri intrant,& ad illud quisquis semel intrauerit,vlterius non exibit. At si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem,ego melius puto salua fide alieno intellectui credere, quam contentionibus deseruire; quoniam & intelligi congrue forsitan potest,quia de proiecto eo qui cum nuptiali veste non venerat,quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quod vero per illum cœna,per hunc autem prandium dicitur,nequaquam vel hoc nostræ intelligentiæ obsistit: quia cum ad horam nonam apud antiquos quotidie prandium fieret, ipsum quoq; prandium cœna vocabatur. D.Gregor.in Euang. homilia 38.

*Qui fecit nuptias filio suo.*Filius quidem regis supernæ Hierusalem venit ad contemplanda regna hæc inferiora patris sui,cum autem ea diligenter lustrasset,dixit patri:omnia quidem perlustraui & contemplatus sum:quod attinet ad clamorem Sodomæ, ita res habet,& dignos eos inueni supplicio & punitione.Verumenimuero pater,quod velim illud est, vt mihi sponsam assumam, & filios ex ea mihi parem:atque sponsa quidem quæ mihi complacuit,est penes regem Babyloniæ captiua, quam inde eruam necesse est.Tunc pater ait, omnia sunt fili in manu tua:potẽtia quidem vales ad eam eruendam; sapientia ad instruendam,nobilitate & diuitiis ad nobilitandam & locupletãdam: statimque cælestes nuntij accincti sunt ad causam ipsam pertractandam,venitq; Gabriel vt tale munus exequeretur,&c. Vide D.Bernar. in parabola de nuptiis filij regis.

*Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.*Prandium est doctrina iustitiæ, & verba cælestium mysteriorum de filio Dei venturo. Quæ omnia manducans homo id est audiens acquirit sibi vitam æternam. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumq; cibum, primum molit eum dentibus,& ita dimittit eum in stomachum:sic cum audimus verbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, & quasi quibusdam dentibus id est tractatibus molere, & videre quid est quod dicit,aut vnde dicit,aut propter quid dicit. Nam quẽadmodum qualemcumque cibum nisi masticauerimus dentibus prius, non sentimus saporem eius: ita & verbum quod audimus nisi masticauerimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius.Nam & manna quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi: ideò dicitur Manna quod interpretatur Hebraice, quid est hoc? vt quotiescunque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere,quid est hoc quod audimus? Et sicut cibum postquam masticauerimus dimittimus in stomachum:ita & verbum postquam bene masticauerimus siue tractauerimus, commendamus ipsum memoriæ quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, & in stomachum descenderit: sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui & memoriæ traditum. Nam sicut cibus nil prodest,si manducauerimus & iterum euomimus eum de stomacho: sic nil in nobis prodest verbum quod audimus,& obliuiscimur illico. Cibus qui in stomacho stat, ille confortat, & sermo qui in memoria manet, ille confert.Vnde & apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibum & ruminant. Ergo animal illud est mundum quod masticat & tradit vtero, & iterum de vtero reuocat & ruminat. Et homo ille est spiritualis & sanctus, qui audiens verbum, tractat:& cum intellexerit, memoriæ quasi vtero tradit, & iterum de memoria quasi de vtero reuocat,& ruminat, & retractat. Ille autem homo immundus est ante Deum, qui nó recordatur aliquando,nec retractat quod audit. D.Chrysost. in non absolut. homil.41.

*Vocare inuitatos.*Inuitatio etiam quædam est ipsius rationis impressio, & quod vnusquisque bonum appetere soleat. Mittit autẽ seruos suos rex, quia fides est ex auditu auditus vero non est sine prædicatione,nec prædicatio sine missione. Vide Galfridum super hunc locum.

*Iterum misit alios seruos,dicens: dicite inuitatis,ecce prandium meum parauí,tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata:venite ad nuptias.*Hoc est quod dicit prandium meum parauí,id est ex omni lege & ex omnibus prophetis scripturarum mensas ornaui. Qui sunt tauri & saginata occisa? prophetæ qui occisi sunt pro salute eiusdem populi, quemadmodum docet nos Apost.dicens, 2. Cor.12. Ego autem impendar & superimpendar pro animabus vestris. Item 2. Timo.4. ego enim iam delibor. hominis libatio alicui pro aliquo offertur, ergo immolãdus fuerat Paulus pro populo quem docebat. Sic & prophetæ occisi sunt, vnusquisque pro salute populi quem docebat.Et quoniam mors prophetarum sustentabat quidem ex parte salutem humanam, non tamen plene saluare poterat totum mundum, ideò nouissime immolatus est agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua detergeret. D.Chrysost.in non absolu.homil.41.

*Tauri mei & altilia occisa sunt.*Nemo dicat, nunquid mãducabo carnes taurorum,aut sanguinem hircorum potabo? Si quidem manifestum est hic intelligi spirituales cibos,& per tauros quidẽ cibos solidiores,per altilia vero cibos delicatiores. O te miserũ,qui non venias ad hanc cœnã ad quã inuitatus es, cœnam inquam æternam,& omnifariam saporis, immensæ lætitiæ, plenamq; diuitiarum.Porrò per villam ipsam qua multi se ipsos impediũt ab hac suauissima cœna,intelligi potest caro

caro nostra & voluptates carnales, quas quidem sectabatur filius ille prodigus, & in his pascebat porcos,id est sensus suos. Vide Galfrid.super hunc locum.

Per tauros intelligit quadrupedia omnia animantia quæ ad cibum conducunt,& per altilia etiam aues omnes salutares, ne commemorentur sigillatim singulorum varietates quæ in prandio reperiebantur.Abulen.q.2.in Matt.22.

*Prandium meum parauí.*Mysterium incarnationis implẽtum est,omnia sunt iam parata, scripturarũ mensa instructa est.Verum illi neglexerunt salutis suæ præconium,atque ita mittentur in tenebras exteriores:nam interiores iam habent.Vide Glos. inter li.in Matth.

Nuptias vócat mysterium incarnationis, quo verbum caro factum est.Vide D.Aug.lib.1.quæst. euang.cap.31.to.4.

Illi autem neglexerunt,& abierunt alius in villam suã alius vero ad negotiationem suam:reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. In villam ire,est terreno labori immoderate incumbere:negotiari vero,terrenis lucris inhiare. Glos. Ordin. in Matth.

Omnis actus quẽ agunt homines in hoc mundo,duplex est,aut enim villa est,aut negotiatio.Et quando aliquem laborem quidem manuum nostrarum facimus, exercentes terram, aut aliquod opus terrenum,vt puta agrum, vineam,vel hortum, vel opus ligni aut ferri, villam colere videmur, id est terram. Quando autem non labore manuum nostrarum,sed aliter lucra quocunque modo cõsequimur,vt puta honores gerere,vt diuitiæ permaneãt alicui, aut mercari,omne hoc negotiatio appellatur. Duobus ergo verbis omne opus humanum conclusit, siue honestum siue inhonestum.Verum non ipse quidem villæ cultus peccatum est,sed tu præferendo eam Deo facis esse eam peccatum. Si ergo honestum opus sequendo homines qui tamen debitum hominem non reddiderunt,talem iram merentur,putas quali ira sunt digni qui in honesta opera sectantes non veniunt ad Deum? D. Chrysostomus in non absolut. homil.41.

Multi quidem nimia pecuniæ & rerum temporalium cupiditate detinentur quo minus ad cælestę prandium atque conuiuium veniãt:vnde propter eiusmodi flagitiũ,mittet res exercitus suos ad perdendum istos. Et ingredietur etiam idẽ rex ad lustrandos discumbentes,& siquidem aliquem indignum viderit & minus decenter vestitum, illum statim tortoribus tradet. Vide Hilar. Cano. 21. in Matth.

His qui illicite sese dederunt voluptatibus huius seculi, & vanis pompis ac curiositatibus, dabuntur tenebræ exteriores: his porrò qui dissensionum & discordiarum amici exiterunt, alligabuntur manus ac pedes, præcludeturq; omnis facultas benè operandi.Illis etiam qui delectationibus mundanis se permiserunt, respondebunt lachrymæ:& illis deniq; qui gulæ sese dederunt immoderate, proponetur stridor dentium. Vide D. Aug.lib.de vera relig.cap.54.to.2.

Quãdoquidem inique vsi sunt his quæ sibi ad merendum concessa fuerant, æquum planè est vt crucientur & tormentis afficiantur. Vide D.Aug. lib.de gratia noui testamenti cap.23.to.6.

Non quidem inuitantur mali vt in malo perseuerent atque ita ad prandium admittantur, sed potius vt exuentes veterem hominẽ, ita demum decenter intrare mereantur. Vide Orige. hom.20. in Matthæum.

*Illi autem neglexerunt.*Exemplum quidem nobis datur in Christo, vt proficiamus sapiẽtia, & non negligamus diuinas epulas:dicitur enim Luc.2.ꝙ proficiebat sapientia,& ætate,& gratia,&c.& nos ergo crescẽtes corpore,crescamus etiã virtutibus, tendentes à bono in melius,iuxta illud Colo.1.in omni opere bono fructificantes & crescẽtes.Quid proderit corporaliter nasci, nisi incrementum & robur sequatur? Vnde & posteaquã per sacramentum Baptismi renati sumus, sacramento Confirmationis & Eucharistiæ alimur, roboramur, incrementaq; susci pimus. Debemus ergo in bono progressus facere, sicut de sancto rege Dauid dicit scriptura,2.Reg.3. quod semper ibat proficiẽs & crescens,& erat seipso robustior.Et ipsemet alibi ait, fortitudinem meam ad te custodiam.

Illi autem neglexerunt. Ne sis vt multi, qui diligenter, vel solicite potius nimis inquirũt,teneantur ne ad hoc vel illud, siquidem tametsi tibi minus præcipiatur, non propterea aliquod bonum debes negligere.Nullus enim est Dominus qui familitium sustentet,qui non velit & gaudeat multa fieri quæ ad eius seruitium spectant,priusquam ea præcipiantur & imperẽtur. Laboriosum siquidem nimis esset, si semper præceptum deberet imponere.Non acceperat Dauid præceptum vt templum ædificaret Domino,tanta tamen solicitudine illud construendi tenebatur,vt diceret. Si dedero somnum oculis meis,&c. Donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob. Sicut ergo tu non cupis vt Deus tecum agat ex rigore, sed vt clementia vtatur:ita non debes ad rigorem præceptorum attendere, sed potius modestè, vrbane,ac reuerenter tegerere.

Illi autem neglexetunt. Contemplatio breuitatis huius vitæ,omnes afflictiones leues reddet, & præsertim si sempiterna bona cõsideremus. Et certè si infirma vtens corporis valetudine,vel in maxima siti se à potione abstinet ac refrænat, vt possit tandem salutem & incolumitatẽ cõsequi:quos non labores & afflictiones sustinebimus, vt tandem animæ salute potiamur?Officiosam porrò ac salutarem operationem,noli in crastinum differre re,fieri enim potest vt hodierno die à vita discedas atque ita deficiente tempore, operari minimè valebis.Sanctissimus ille Patriarcha Abraham cũ primum de circuncisione mandatum accepit,statim carnem præputij circuncidit,Gen.17. Similiter Eliseus audita voce Eliæ vocantis,statim secutus est eum.3.Reg.19.Leuita illa qui voluit de Bethleem reuerti in domum suam, quoniam longas fecit moras, & iter distulit precibus & blandimẽtis soceri sui detentus, domum suam peruenire nequiuit,sed remansit in Gabaa vbi tantopere vexatus, & ignominiosè tractatus fuit,Iudi.19.Cum Ionas dixisset Niniuitis, adhuc quadraginta dies &c.non diem vltimum expectarunt ad pœnitentiam agendam. Tu igitur qui neque hodiernum diem certum habes, quid est quod statim pœnitentiam non agis?Quorsum in horam mortis eam differs?Quando filij Zebedæi petierũt dextram & sinistram,quæsiuit ab eis Christus:potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?Ipsíque dixerũt: possumus.At vero quando Christum comprehenderunt, eo relicto omnes fugerunt. Sic tu fortasse quando te hora mortis circundederit, nihil præstabis viriliter,nec fructus facies dignos pœnitentiæ:sed fortasse inuite quodãmodo aliena restitues & satisfacies.Quãdo taurus ferocissimus aliquem

insectatur & inuadit, ille tunc quidem pallium in eum proiicit: at vero vbi taurus abierit, statim pallium recuperat, & oscitanter sedet. Sic multi in angustia & periculo mortis constituti, rem alienam restituunt, & suum cuique tribuunt: at postquam pericula euaserunt, in antiqua vitia relabuntur, & quas iam pepercerunt iniurias repetunt.

Illi autem neglexerunt. Quia peccatores in vita nolũt acquiescere consiliis & vocibus Dei, in morte quidem eos Deus deridebit, secundũ illud Proverb. 1. vocaui & renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo. Cum irruerit repente calamitas, tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Nam vt Aug. ait in sermo. sanctorum Innocentium, hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei. Vnde etiam apud Iere. 51. ait Dominus, curauimus Babylonem, & nõ est sanata: ecce relinquamus eam. Acrius porro in morte tentaberis, quia sæpius aduersarius noster quem in vita non potest superare, alia vel alia die de eo triumphat: sed quẽ in morte perdit, nuquam amplius lucrari potest, & ideo in mortis hora acerbioribus quidem tentationibus vtitur. Si cum in morte versaris, tunc demum peccata relinquis, & nõ vis in vita, tunc peccata quodammodo potius dicẽtur te deserere, quam tu illa. Quando mercator merces proiicit in mare, cõpulsus tẽpestate id facit: sic tu propter imminentem mortem ad Deum conuerteris; vix autem fieri potest vt cum peccator inferno sit propinquus, magis Deum quam ipsum infernum memoria recolat. Nunc quidem Christum parentem pium, dulcem spõsum, suauem & benignum Dominum inuenies: in morte vero iudicem acerrimũ. Quod quidem appositissimo exemplo ostendi potest. Nam si litem tractares in iudicio, & ille quem aduocatum constituisti, in hora qua ferenda est sententia, mandato regis iudex designaretur, tuncq; ad eum accederes, dicturus: Domine nũc quidem tempus est in quo debeas mihi vehementer fauere, statim tibi ipse responderet. Quæ petis facere nunc minimè possum: ecce enim quomodò à rege iudex constitutus sim, & vt iudex sententiam de causa laturus, non vt aduocatus eam tractaturus. Nonne maximo mœrore concuteris? Nunc igitur cum Christum aduocatũ habemus, in meliorem mentem redeamus, 1. Ioan. 2. aduocatum habemus apud patrem: aliter enim seueriſſimum iudicem eum in hora mortis experiemur.

Illi autem neglexerunt, & abierũt alius in villam, &c. Cum minus diligenter consideremus breuitatem & vanitatem rerum temporalium, propterea negligimus prandium sempiternum & diuinas epulas. Cum aliquando rogaretur philosophus quidam, vt scribitur in lib. de septem donis, & refertur à D. Antonio 4. par. Theolog. quidnã homo esset; respondit esse mortis seruum, viatorem & peregrinum, cuius vita instar accensæ candelæ sit in medio vento cõstitutæ, & veluti scintilla quædam in medio mari. Quam hominis miseriam diligenter considerans Alexander ille filius regis Sueciæ, vt scribit Baptista Fulgosius, regia aula relicta atque deliciis, in peregrinum quoddam regnum se contulit, vbi religionem arctam professus, sancto fine quieuit, nunquam qualis esset se manifestans. Et certè dementia quædam est, cum ingrediamur in mundum vagientes & plorantes, exeamus etiam multo cũ dolore & miseria, quod velimus media ipsa tam sine proportione aliqua persequi, hoc est in deliciis, delectationibus, voluptatibusque præsentis seculi: cumq; Deus nos homines fecerit, velimus nos tamen nauis seu triremis figuram recipere, quæ in medio amplissima est, cum interim extrema perangusta habeat: tales fuerunt isti, qui abeuntes in villam & negotiationem suam diuinas epulas neglexerunt. Non ita se gessit Gallicanus quidam dux Romani exercitus, qui vt scribit Antonius Sabellicus, relicta seculi pompa & tumultu, se in desertum locum vt vitam viueret solitariam, tanquam in portum quendã recepit. Neque etiam ita se gessit integerrimus ille Corsenius, qui cum aliquando de ratione vitæ suæ ineunda deliberaret, adeoque suppliciter peteret vt sibi reuelaret quem vitæ statũ eligeret, vocem audiuit sibi dicẽtem. Corseni, fuge quantum potes, hominum tumultus & cõsortia, & saluus eris, vt scribit Marulus lib. 1. exemplo. Petrus Paludanus in quodam ser. & Petrarcha. lib. 20. de vita solita. Sufficere quidem nobis deberent vt mundum fugeremus, miseriæ & calamitates quas in eo quotidie experimur: sumus tamen tanquam pisces in salso mari nutriti, qui eius amaritudinem non sentimus. Verum sicut rota in pistrino aliquo tametsi per totum diem agitetur, nihilominus tamen in eodem statu & positione manet nocte ipsa, quamuis variis motibus in gyrum & magno quidem impetu concitata fuerit: ita profectò licet quis statim à prima ætate mundo incipiat seruire, & diligentem se exhibere seruum ambitionis mundanæ & honorum, in mortis tamen nocte nihil inuenit se profuisse, nihil vtile gessisse ad animæ salutem & incolumitatem, sed potius inde maxima peccatorum onera referet ac reportabit. Quod si quis diligentissimè consideraret, tum etiam quod puluis sit & in puluerem redigẽdus, haud equidem ita mũdanis voluptatibus indulgeret, sed potius cũ patientissimo Iob diceret, nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Hoc nonnulli etiam Ethnici visi sunt olfecisse: Scribit enim Titus Liuius in 1. Deca. Quod cum Delphis oraculũ Apollinis interrogaretur à filiis regis Tarquinij, quisnam potiri regno deberet, siue ad eius gubernacula sedere: respondisseréque quod is regnum adipisceretur qui prius matrem suam oscularetur. Cumque magno impetu omnes currerent, vt posset vnus præ cæteris id præstare, demisit se Iunius Brutus qui ibi aderat, in terram, eandemque osculatus est, dicens: ego regnabo, qui prior matrem sum osculatus. Legitur præterea in lib. de septem donis, & refertur à D. Anton. 4. Par. Theolo. quod cum Solimanus quidam Babylonicus morti vicinus esset, iuberet publica voce præconis, lintheo quodam induci, publicari, magnum Solimanum morti vicinum esse, nihilque aliud secum ex hac vita referre, præter lintheum ipsum siue sindonem. Quod si his similia diligẽter consideraremus, non equidem cælestes epulas & conuiuia negligeremus. Age vero si plerique; olim philosophi vel vt famam sibi propagarent, vel vt commodius philosophiæ vacarent, diuitias spernebant, & vitam solitariam traducebant ac diligebant: quid nos facere par est vt diuino conuiuio digni efficiamur? Pythagoras quidem Samius ditissimi mercatoris filius, vt commodius philosopharetur, amplissimum patrimonium neglexit, vt scribit D. Anto. Anaxagoras etiam idẽ præstitit, vt prodidit Antonius Sabellicus, Lactan. Firmi. & Laertius. Apud nonnullas etiam nationes olim ad cupiditatem diuitiarum reprimẽdam, aurum ipsum interdicebatur, quemadmodùm cautum

cautum fuit Lycurgi lege apud Lacedæmonios. Et Xenocrates philosophus cum aliquãdo magna pecuniæ summa ab Alexandro Magno offerretur, eo quidem consilio vt sibi philosophiam amicitiã conciliaret, vt scribit Vale. Max. respondisse fertur, se nolle amicitiam suam tam exiguo pretio vendere. Vide igitur quomodo isti quamuis Ethnici, rerum temporalium cupiditatem quodammodo extinguerent, & à se procul pellerent: atq; ita celebriores quidem extiterunt quam Dionysius tyrãnus, quam crudelis Phalaris, aut Tarquinius superbus, qui contra fecerunt: quandoquidem magna cum ignominia de imperio deturbati sunt. Quid etiam cõmemorem Iulium Cæsarem? qui propter rerũ temporalium & dominandi cæcam cupiditatem, miserabiliter pugione interfectus est in senatu, cõsurgentibus in eum sexaginta senatoribus, superbique ac tyranni nomen consecutus est, vt scribit Eutropius lib. 6. & Sueton. Tranq. in eius vita.

Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatẽ illorum succendit. Supra dictum est, simile factum est regnum cælorum homini regi: quando enim inuitabat ad nuptias & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est; nunc quando ad vltionem venit, homo sileturs, & rex tantum dicitur. D. Hiero. lib. 3. in Matth. 22.

Homicidas perdidit, quia persequentes interimit: ciuitatem eorum igni succendit, quia illorum non solum animæ, sed caro quoque in qua habitauerunt æternæ gehennæ flamma cruciatur. D. Greg. in euang. hom. 28.

Rex autem cum audisset iratus est. Quid quæso facies miser, cum exercitus suos terribiles Deus cõtra te homũcionem & vermiculum immittet, qui vel à musca oppugnaris, è culice affligeris, & à febricula prosternetis? Omnia quidẽ contra te peccatorem tunc insurgent, cæli, terra, aqua, animalia, elementa denique omnia, quæ antea tibi fuebant. Vide Palacios in Matth. 22.

Solet interdum Deus appellari leo, vt eius ira nobis manifestetur. Amos. 3. Leo rugiet, quis non timebit? Isa. 31. sicut rugit Leo super prædam, &c. Thre. 3. factus est mihi vt Leo & vrsus insidians. Accommodat se igitur nobis prout meremur: si enim viuamus more hominum ratione vtentium, & in vitia non declinantium, tunc quidem tanquã hominem se nobis exhibet, id est humanũ & clementem. Sin autem more beluino corporis voluptatibus & vitiis indulgemus, tunc certè se veluti leonem nobis ostẽdit. Psal. 17. cum sancto sanctus eris. Quare sobrie & iuste viuamus, si cupimꝰ eius clementiam nobis impartiri, & eius conuiuio digni fieri: parata siquidem sunt iam omnia, mors victa est, cælum apertum, agnus immolatus, &c.

Magnos quidem exercitus mittet Deus in die iudicij ad perdẽdum malos. Primus exercitus angelorum Matth. 13. exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Secundus exercitus erit sanctorum. Isa. 3. Deus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui, & principibus eius. Tertius erit exercitus omnium creaturarum, Sap. 5. armabit creaturam ad vltionem inimicorũ, & pugnabit eum illo orbis terrarum contra insensatos. D. Tho. in sermo. de hac Domini.

Et ciuitatem illorum succendit. Per ciuitatem intelliguntur conuenticula, congregationes atque coniurationes ipsorum impiorum. Vide Origen. homi. 20. in Matth.

Tunc ait seruis suis, nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni. Omne sacramentum incarnationis peractum est, natiuitas, & passio, &c. Gloss. Ordin. in Matth.

Vide quomodo isti neglexerint venire ad paratas nuptias, neque se dignos qui accederent efficere voluerint: quo loco si voles digredi contra eos qui negligentia sua atque socordia differunt ad Deum redire atque conuerti, nonnulla describam loca.

Differre conuersionem nostram & bona opera non debemus de die in diem, præsertim cum nulla sit nobis temporis certitudo, Ecclesiastici 14. B. fili si habes benefac.

Differre non debes bona opera, Ecclesia. 14. C. ante obitum operare iustitiam.

Conuersionem tuam noli procrastinare, Ecclesiastici 14. B. non est enim in inferno.

Petit à nobis Deus vt ad se conuertamur, Mala. 3. B. reuertimini ad me.

Sera ac tarda conuersio. Sapien. 5. A. ergo erraumus.

Ne differamus bona opera, vel Dei vocationibus obsistamus; siquidem puniemur veluti Hebræi illi qui nonnunquam Hieremiæ acquiescebant, nonnunquam vero eundem statim deridebant, Hiere. 42.

Vt ostendatur nobis cordis nostri duritia ac rebellio, quamque tardi simus ad obtemperandum diuinis vocationibus, dici potest peccata nostra descripta esse stylo ferreo in vngue adamantino in cordibus nostris. Hiere. 17.

Vide quantopere irascatur Deus cõtra eos qui renuunt diuinis obtemperare mandatis, quin potius ea negligunt, & in sceleribus perseuerant. Isa. 9. B. & eleuabit Dominus hostes.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias. Hoc est quod ait Apost. vobis oportebat primum loqui verbum Dei, &c. translata enim fuit euangelij prædicatio ad gentes, Apostolis vocantibus & inuitantibus, vide Orig. tract. 20. in Matth.

Vocate ad nuptias. Magna quidem in spiritualibus nuptiis inter Christum & Ecclesiam disparitas ac similitudo fuit, quandoquidem sponsus erat omni ex parte speciosus, sponsa autem deformis. Moyses quidem vxorem duxit Æthiopissam, verum colorem eius immutare non potuit: at vero Christus suam Ecclesiam mundauit & absterſit. Vide D. Bernard. sermo. in domi. 1. post octa. Epiph.

De duplici conuiuio, vide Lauren. Iustin. lib. de obedien. cap. 14.

Et egressi serui eius in vias, congregauerũt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium. Ecce iam ipsa qualitate cõuiuantium aperte ostenditur, quia per has regis nuptias præsens ecclesia designatur in qua cum bonis & mali conueniunt. Permixta quippe est diuersitate filiorum, quia sic omnes ad fidem generat, vt tamen omnes per immutationem vitę ad libertatem spiritualis gratiæ culpis exigentibus non perducat. Quousque enim hic viuimus, necesse est vt vitam præsentis seculi permixti peragamus. Tunc autem discernimur cum peruenimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autẽ vita quæ inter cælum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtrumq; partium ciues communiter recipit, quos tamen sancta ecclesia & nunc indiscrete suscipit.

& poſt modum in egreſſione diſcernit. Si ergo boni eſtis, quẽdiu in hac vita ſubſiſtitis, æquanimiter tolerare malos debetis. Nam quiſquis malos non tolerat, ipſe ſibi per intolerantiam ſuam teſtis eſt, quia bonus nõ eſt. Abel enim eſſe renuit, quem Cain malitia nõ exercet. Sic in tritura areæ grana ſub paleis premuntur: ſic flores inter ſpinas oriuntur, & roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo, vnus horum electus eſt, alter reprobus fuit. Tres filios Noe arca continuit, ſed duo ex his electi ſunt, & vnus reprobus fuit. Duos Abraham filios habuit, ſed vnus electus eſt, alter reprobus fuit. Duos Iſaac filios habuit, ſed vnus electus eſt, alter reprobatus. Duodecim filios habuit Iacob, ſed ex his vnus per innocentiam venditus eſt, alij verò per malitiam vẽditores fratris fuerunt. Duodecim Apoſtoli ſunt electi, ſed vnus in his admixtus eſt reprobus qui probaret, vndecim qui probarentur. Septem ſunt diaconi ab Apoſtolis ordinati, ſed ſex in fide recta permanentibus, vnus extitit autor erroris. In hac ergo eccleſia nec mali ſine bonis, nec boni ſine malis eſſe poſſunt. Anteacta itaq; tempora, fratres chariſſimi, ad mentem reducite, & vos ad malorum tolerantiam roborate. Si enim electorum filij ſumus, reſtat neceſſe eſt vt per eorum exempla gradiamur. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recuſauit. Hinc namque eſt quod de ſemetipſo beatus Iob aſſerit, dicens: Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum, Iob 30. Hinc per Salomonem ſponſi voce ſanctæ eccleſiæ dicitur Canti. 2. ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Hinc ad Ezechielẽ Dominus dicit, fili hominis, incredulі & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas Ezechiel. 2. Hinc Petrus beati Loth vitam glorificat, dicens: Et iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuſta conuerſatione eruit: aſpectu enim & auditu iuſtus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabãt, 2. Petri 2. Hinc Paulus etiam diſcipulorum vitam & laudat & roborat, dicens: in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Philip. 2. Hinc Ioannes Pergami eccleſiæ atteſtatur, dicens: Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam, Apoc. 2. Ecce fratres chariſſimi pene omnia percurrendo cognoſcimus, quia bonus non fuit, quẽ malorum prauitas non probauit. Vt enim ita loquar, ferrum animæ noſtræ nequaquam perducitur ad ſubtilitatem acuminis, ſi hoc non eraſerit alienæ lima prauitatis. Terrere autem vos non debet quod in eccleſia & multi mali, & pauci ſunt boni, quia arca in vndis diluuij, quæ huius eccleſiæ typum geſſit, & ampla in inferioribus, & angu ſta in ſuperioribus fuit. Quæ in ſummitate etiam ſua ad vnius menſuram cubiti excreuit. Inferius quippe quadrupedia atque reptilia, ſuperius vero aues & homines habuiſſe credenda eſt. Ibi lata extitit vbi beſtias habuit, ibi anguſta vbi homines ſeruauit; quia nimirum ſancta eccleſia in carnalibus ampla eſt, in ſpiritualibus angusta. Vbi enim beſtiales hominũ mores tolerat, latius ſinum laxat. Vbi autem eos habet qui ſpirituali ratione ſuffulti ſunt, illic quidẽ ad ſummum ducitur: ſed tamen quia pauci ſunt, anguſtatur. Lata quippe via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui vadunt per eam: & anguſta eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Matth. 7. Eo autem vſque arca anguſtatur in ſummis, quouſque ad menſuram vnius cubiti perducatur: quia in ſancta eccleſia quanto ſanctiores quique ſunt, tanto pauciores. Quæ in ſummo ad illum perducitur, qui ſolus homo in hominibus, & ſine alterius cõparatione natus eſt ſanctus. Qui iuxta pſalmiſtæ vocem, factus eſt ſicut paſſer vnicus in ædificio, Pſal. 101. Tanto ergo magis mali tolerandi ſunt, quanto & amplius abundant, quia & in areæ tritura pauca ſunt grana quæ ſeruantur horreis, & grandes acerui palearum qui ignibus comburuntur. D. Greg. in euang. hom. 38.

Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſti tum veſte nuptiali, & ait illi. Hi qui inuitati fuerãt ad nuptias deſepibus, angulis, & plateis, ac diuerſis locis, cœnam regis impleuerant. Sed poſteà cũ veniſſet rex vt videret diſcumbentes in conuiuio ſuo, hoc eſt in ſua quaſi fide requieſcentes, vt in die iudicij viſitaret conuiuas, & diſcerneret merita ſingulorum; inuenit vnum qui veſte indutus non erat nuptiali. Vnus iſte, omnes qui ſociati ſunt malitia intelligũtur. Veſtis autem nuptialis præcepta ſunt Domini, & opera quæ complentur ex lege & euangelio, nouiſque hominis efficiunt veſtimentum. Si quis igitur in tempore iudicij inuẽtus fuerit ſub nomine Chriſtiano non habere veſtem nuptialem hoc eſt veſtem ſupercæleſtis hominis, ſed veſtem pollutam, id eſt veteris hominis exuuias, hic ſtatim corripitur, & dicitur ei: Amice, quomodo huc intraſti? D. Hiero. lib. 3. in Matth, 22.

Vt videret diſcumbentes. Diſcernendo ſcilicet merita & demerita credentium. Intrat autem dupliciter, generaliter intrabit in futuro iudicio: ſpecialiter autem intrat in morte cuiuſlibet hominis. Lyranus in Matth.

Intrauit autem Deus, nõ quia eſt aliquis locus vbi non ſit, ſed vbi vult aſpicere, ibi ſit præſens: vbi autem non vult, abſens videtur. Dies enim aſpectionis eſt, dies iudicij quando viſitaturus eſt Chriſtianos, qui ſuper menſam ſcripturarum ſanctarum recumbunt, id eſt requieſcunt in fide earum, & cæleſtibus epulantur doctrinis. Non veſtitum veſte nuptiali. Quemadmodum enim ſi aliquis cum nigris veſtimentis inueniatur in nuptiis ſordidat gloriam nuptiarum: ita & qui opera habet tenebroſa, & inter Chriſtianos quaſi vnus ex eis conuerſatur, ipſi Chriſtianitati facit iniuriam. Homo itaq; aut ſecundum locum eligat veſtem, aut ſecundum veſtem eligat locum: ideſt aut ſecũdum opera eligat profeſſionem, aut ſecundũ profeſſionem faciat opera. Qui vult eſſe Chriſti, faciat opera Chriſti: qui autẽ non vult opera Chriſti facere, audiet in die iudicij: amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? & obmuteſcet. Hic enim abſcondimus opera noſtra, & inuicem corda noſtra celamus, in illa autem die nihil eſt quod reſpondeamus, vbi cælum & terra, & aquæ, ſol & luna, dies & noctes, & totus mundus ſtabit aduerſum nos in teſtimonium peccatorum noſtrorum. Et ſi omnia taceant, tamen ipſæ cogitationes noſtræ, & ipſa opera noſtra, ſpecialiter ſtabunt ante oculos noſtros, accuſantes nos ante Deũ, dicente Apo. Cogitationibus inuicẽ ſe accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die illa cum iudicabit Deus occulta hominum. D. Chryſ. in non abſo. hom. 41.

Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Amicum vocat quod inuitatus ad nuptias eſt: arguit impudentiæ quod veſte ſordida munditias polluerit nuptiales. D. Hiero. li. 3. in Mat. 22.

Sordidæ veſtes ſignificant, impuræ vitæ maculas,

las, hinc abeuntem contrahere, quo circa & obmutuiſſe ſcribitur. Vides quomodo quãquam res ita pateat, non prius tamen ſupplicia infert, quam ille qui peccauit ſentẽtiam protulerit? Cum enim nihil ad ſatisfaciendum afferat, à ſeipſo condemnatus, ad pœnam rapitur adeò atrocem, vt dici nõ poſſit. Noli enim tenebras audiens, hoc ſolo illum puniri æſtimare, vt in loco tenebroſo cõcludatur, præſertim cum ſubiiciatur. Vbi eſt fletus & ſtridor dentium. Intolerabiles quippe dolores his verbis ſignificantur. Audiatis qui myſteriorum participes facti & ad nuptias admiſſi, ſordidum animæ amictum geſtatis. Audiatis vnde vocati eſtis, à triuiis videlicet atque compitis. Audiatis quales antea fuiſtis, claudi profecto & cæci animo, qui morbus vitio corporis multo deteſtabilior eſt. Vereamini benignitatem vocãtis, nemo in ſordidie veſtitus permaneat, ſed vnuſquiſq; fulgentia operetur animæ indumẽta. Audiatis mulieres, audiatis viri quia non eſt opus vobis his aureis, ſed illis interioribus ornamentis: ſcitote quomodo quouſque iſta retineamus, difficillimũ eſt illis vti. Non enim poſſumus & corpus & animam ſimul exornare, non poſſumus inquam & mãmonæ ſeruire, & Chriſto vt oportet patere. Repellamus igitur truculentiſſimã iſtam tyrãnidem. Nam ſi quis aureis domum tuam velit depenſis ornare, te vero nudum in ciliciis ſedere cogeret, non æquo animo id ferre poſſes: nunc vero non alius, ſed tuipſe, domicilium animæ tuæ, corpus dico, auro & gemmis exornas, animam vero in turpitudine ſilentij ſedentem negligis. D. Chryſoſt. in Matth. homilia 7.

Mirandum valde eſt quod hunc & amicum vocat & reprobat. Ac ſi ei apertius dicat: amice, & non amice. Amice per fidem, ſed non amice per operationem. D. Greg. in euang. ho. 38.

Notandum circa eum qui è nuptiis eiectus eſt, illud tantum fuiſſe reprehenſum in eo, quod non haberet veſtem nuptialem, non autem quod veſtẽ haberet ſordidam: vt intelligamus quantũ iudiciũ maneat eos qui in eccleſia non tantum non fulgent bonis operibus, ſed malis plane ſunt deformes: ac rurſum eos qui menſæ Domini non aſſident quieti, ſed eccleſiæ communionẽ & nuptiarum delicias perturbant, quando condemnatur etiam is qui menſæ aſſidet quietus, & de deformi veſte non redarguitur, ſed tantũ quod veſtem non habeat nuptialem. Itaque non ſatis alicui eſſe debet quod ſit intra eccleſiam, nec rurſum quod in ea ſic ſe gerat vt toleretur à fidelibus, nec illorum conſpectui diſpliceat, ſed curandum ſic ſe gerat, vt oculis etiam Dei placere poſſit. Hic enim qui regis oculis diſplicuit, ſatis placuit reliquis conuiuis, à quibus eiectus prius fuiſſet, ſi perturbatorem ſe moleſtum exhibuiſſet, quemadmodùm & eccleſia eiicit ante diem iudicij manifeſtè criminoſos, aut eccleſiaſticæ pacis & communionis perturbatores, reliquos peccatores occultos, aut non ita ſcandaloſos, relinquens diuino iudicio. Corne. Ianſe. in ſerm. de hac domi.

Amice, quomodo huc intraſti. Ego quidẽ amici viri opera erga te exercui, tu verò mihi aduerſarium te exhibuiſti. Pſalm. 54. quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: tu vero homo vnanimis, qui dulcesmecum capiebas cibos, &c. *Non habens veſtem nuptialem.* Noli quęſo veſtẽ nuptialem deponere aut cõmaculare: verbum quidem diuinum, quod ſemel pro nobis aſſumpſit, nunquam dimiſit, cur tu gratiæ veſtem & ornamentum deponere vis, aut conſpurcare? Non equidem Dauid neglexit & ſpreuit veſtem traditam à Ionatha, ſed ſibi diligẽter ſeruauit. Vide Palacios in Matth. 22.

Non habens veſtem nuptialem. Nõ mutauerat proprios mores, neque induerat Chriſtum. Porrò nihil reſpondit, ſed obmutuit: quia nullam habebat excuſationem quam daret; quadrauitq; ei illud, væ qui nunc ridetis, quoniam flebitis. Vide Orig. ho. 20. in Matth.

At ille obmutuit. In tempore enim illo nõ erit locus pœnitentiæ, nec negandi facultas, cum omnes angeli & mundus ipſe teſtis ſit peccatorum. D. Hiero. lib. 3. in Matth. 22.

Obmutuit. Quia quod dici ſine gemitu non poteſt, in illa diſtrictione vltimæ increpationis, omne argumentum ceſſat excuſationis: quippe quia ille foris increpat, qui teſtis cõſcientiæ intus animum accuſat. D. Greg. in euang. hom. 38.

Aduerte quod ſtatim rex non damnabit iſtum, ſed poſtquam non habuit quid reſpõderet, ſed obmutuit; neque ſua delicta accuſauit, aut miſericordiam implorauit. Ita etiam cum Deus te interius nunc reprehendat & arguat, dicẽs: quomodo huc intraſti, tam multis plenus flagitiis? niſi te accuſaueris, & veniã poſtulaueris, haud dubium id quidem eſt, quin ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores detrudaris, & funiculo quidẽ peccatorum tuorum ligeris, funiculus porrò triplex difficilè rumpetur, cum peccatum deliberationis, & operationis, cõſuetudine roboratur. Vide Galfridum ſuper hunc locum.

Tunc dixit rex miniſtris, ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Manus ligatas & pedes, fletumque oculorum & ſtridorem dentium, vel ad comprobãdam reſurrectionis intellige veritatem: vel certè ideò ligantur manus & pedes, vt male operari & currere deſiſtant ad effundendum ſanguinem. In fletu quoque oculorum, & ſtridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo oſtenditur tormentorum. D. Hiero. lib. 3. in Matth. 22.

Ligantur pœna, qui hic à mala noluerunt ligari; id eſt cohiberi. Manus quæ non extenſæ ad eleemoſynam, pedes tardi ad bonum. Ibi ſingula membra pœnis ſubiicientur, quæ hic ſingulis vitiis ſeruierunt. *In tenebras exteriores.* quia hic interiores habent tenebras cordis. Gloſ. Ord. in Matt.

Ligatis manibus & pedibus. Quia poſt mortem nõ poteſt peccator bonum operari, nec ad ſalutem reuerti. *In tenebras exteriores.* quia interiores ſunt tenebræ mentales, quas modo habet peccator: tenebræ vero exteriores ſunt tenebrę corporales, quas cum prædictis habebunt poſt mortem, quando in infernum detrudentur per diuinam ſententiam. Lyranus in Matth.

Mittite eum in tenebras exteriores. Tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus excæcatur voluntarie. D. Gregor. lib. 25, Mora. cap. 11.

Ligantur tunc pedes & manus per diſtrictionem ſententiæ, qui modo à prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Vel certè tunc ligat pœna, quos modo à bonis operibus ligauit culpa. Pedes enim qui viſitare ægrum negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere iam ex voluntate ligatæ ſunt. Qui ergo nunc ſponte ligãtur in vitio, tunc in ſupplicio ligantur inuite. Bene autem dicitur quod in exteriores tenebras proiicientur: interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis; exteriores vero

tenebras,æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores,sed in exteriores tenebras mittitur, quia illis inuitus proiicitur in noctem damnationis,qui hic sponte cecidit in cæcitatem cordis. Vbi fletus quoque & stridor dentium esse perhibetur,vt illic dētes strideant,qui hic de edacitate gaudebant: illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur in mundo, quatenus singula membra supplicio subiaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subiecta seruiebant. D. Gregor.in euange. homi.38.

Ibi erit fletus. Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur,stridor vero ob vermem qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dētium ex furore. Fletum nempe tormētorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis inuidiæ, & obstinata malignitas extorquebit. Vide D.Bernard.in Psal.Qui habitat.

Sæuiens locus cui gehenna nomen est magno plangētium murmure ac gemitu, & eructantibus flammis per horrendas spissæ caligis fornaces, &c. D.Cypria.de laude martyrij.

Per tenebras exteriores, fletum & stridorem dentium,intelliguntur vniuersa tormenta quę ibi sustinebunt impij. Vide Abulen.q. 68.in Matt. 22.

Super illa verba,ibi erit fletus & stridor dentium,vide D.Tho.4.sen.dis.50.q.2.a.3.quæst. 3. & contra gen.cap.89.& quo li.11.q.5.a.3.

Ligatis manibus & pedibus. Si voles hoc loco discrere quā grauiter Deus punire soleat peccata atq; flagitia,nonnulla indicabo loca.

Vide quam grauiter puniti fuerint primi parentes propter peccatum,Gen.3.

Ille qui colligebat ligna in sabbatho,fuit à populo lapidatus,Num.15.

Quia Saul inobediens fuit Deo in cæde Amalech, reprobatus fuit à Deo, 1.Reg.15.

Propheta qui contra voluntatem Dei panē comedit,fuit à leone interfectus,3.Reg.13.

Ciuitatem sanctam permisit Deus destrui, & populum in seruitutem redigi, propter inobedientiam,4.Reg.25.

A quis diluuij mundus deletus est,quia omnis caro corruperat viam suā super terrā, Gen.6. & 7.

Sodomorum ciuitates vastatæ sunt propter nefanda scelera atque flagitia,Gen.19.

Propter flagitium & ignominiam illatam vxori leuitæ, tribus Bēiamin vastata est atque destructa.Iudic.19.& 20.

Pharao cum suo exercitu demersus est in profundum,propter superbiā & rebellionē, Exo.14.

Septuaginta millia hominū mortui sunt, propter superbiam Dauid qui fecit numerari populum,2.Reg.24.

Antiochus præterea ille superbus, graui plaga percussus est,2.Mach.9.

Herodes cui populus acclamabat, Dei voces, non hominis,percussus ab angelo,vermibus consumptus est,Acto.12.

Propter idolū quod adorauerunt Iudæi,ceciderunt vna die viginti tria millia hominum,Exo.32.

Egressus ignis deuorauit Nadab & Abiu,quia obtulerunt ignem alienum,Leuit.10.

Blasphemus ille qui blasphemauerat Dominū, lapidatus est à populo,Leuit.24.

Seruus nequam qui noluit dimittere conseruo suo,traditus est tortoribus, donec redderet vniuersum debitum,Matth.18.

Multi enim sunt vocati,pauci vero electi. Tremendū est valde quod audimus: ecce nos omnes iam vocati per fidem ad cælestis regni nuptias venimus, incarnationis eius mysterium & credimus& confitemur,diuini verbi epulas sumimus, sed futuro die iudicij rex intraturus est. Quia vocati sumus nouimus:si sumus electi,nescimus. Tāto ergo necesse est vt vnusquisque nostrum in humilitate se deprimat,quanto si sit electus ignorat, D. Grego. in euang.hom.38.

Multi sunt vocati, &c. Si timuimus omnes cum vnus eiiceretur,consequens est vt timeamus multum in reprobatione multorum. Quid enim terribilius nobis potest dici, quā quod multi sunt vocati, pauci vero electi? fratres cum dixisset Christus discipulis suis,vnus ex vobis me tradet, omnes timuerunt, dicentes: nunquid ego sum?nunquid ego?Ita ergo si vnus tantum ex toto humano genere periturus crederetur, ne vnus tamen ex omnibus esse ipse deberet,quis non vehementer expaueſceret, & contristaretur? Multo magis igitur cum dixerit qui omnia nouit, Multi sunt vocati,&c.timere debent omnes & tremere, Vide Galfridum super hunc locum.

Cur dicatur multos esse vocatos,&c.cum vnus tantum dicatur hic eiectus à prandio,qui non habebat vestem nuptialem:respondet Augustinus. quod in vno significantur & intelliguntur reliqui. Vide D.Aug.lib.contra Donatistas,cap.20.to.6.

De rege qui fecit nuptias filio suo, vide Hugo. de S.Vict.lib.2.alleg.in Matth.cap.37.to.1.

De epist.& euang. duas habet concio.D.Anto. initio 1.par.Theolog.

Consule eundem 1.par.hist.tit.5.cap.2.§.8.

Duas item habet concio. D. Tho. prope finem tom.16.

Super illa verba, multi sunt vocati pauci vero electi,vide eundem 1.Sēn.dis.41.ar.1.ad 4.& ar.2. ad 3.& super epist.ad Rom.12.lect.2.

Super illa verba,multi sunt vocati pauci vero electi,vide Sixtum senen.Bibli.sanc.lib.6. ann.99.

DOMINICA VIGESIMA post Pentecosten.

ERAT quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum,Ioannis 4. Moraliter in regno animæ rex est ipsa ratio, secundum illud, Prouer.20. rex qui sedet in solio suo. Quare dicitur rex? quia totum corpus hominis per eam regitur,& affectus hominis ab ea dirigitur & informatur, nec non aliæ vires animæ eam sequuntur. Sed quandoq; dicitur regulus, quando scilicet diminuitur in cognitione & obscurata,sequitur inordinatas passiones, non resistit eis, secundum illud Epheſ. 4. ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum. Et ideo filius eius id est affectus, infirmatur,ideſt deuiat à bono,& declinat ad malum. Si enim ratio fuisset rex, id est fortis filius non infirmaretur, sed quia regulus est, ideò filius eius infirmatur.D.Tho.in Ioan.lect.7.

Siue quod regio esset genere, siue quod alia principatus dignitate fungeretur, regulus appellabatur:nonnulli hunc esse eundem opinantur,& qui est apud Matth. Sed alter profecto videtur nō modo dignitatis nomine, verum & fide: ille quidem volente Iesu ad ipsum ire, se indignum censet,hic domum trahit. Ille non sum inquit dignus vt intres sub tectum meum,hic vt descēdat priusquam moriatur filius enixe orat. Tunc cum de mōte descendisset Iesus intrauit Capharnaum:sed in

in Chana Galilææ ingresso,accessit regulus. Illius præterea filius paralysi laborabat, huius febribus, & rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.D. Chrysost. in Ioan. hom.34.

Cuius filius infirmabatur. Filij infirmitas patrem tantopere commouit & incitauit vt ad Christum accederet, vt intelligas quam vtiles sint calamitates & afflictiones, quamque caute ille ac circunspecte sibi prouidere debeat, cui nullæ vnquam calamitates, nullæ afflictiones, nullæ deniq; tentationes cōtingunt. Tempore enim pacis,cautius fere tibi viuendum est,quā tempore belli;& naui diligenter cum mare tranquillum est, prouidet nauta:atque maxima quæ dā tentatio est, nullam vnquam sustinere tētationem, statim vt cibus in stomachū ingreditur,natiuus calor cū illo pugnat quousque tādem eum in substātiam conuerterit. Si autem ad se rediens nullum cibum inuenit quo cum bellum gerat,cōtra seipsum bellum gerit. Si ergo cibum ei omnino non ministrant,secum vsq; ad interitū pugnat. Ita tu si foris nullas habueris tentationes, tecum ipse interius habebis. Nō extendit autem dæmon vires suas, nisi tantum ad id quod diuina prouidentia vult. Leo namq; ille qui prophetam inobedientem interfecit, 3. Reg. 13. non tetigit corpus mortui, nec iumentum ipsum: atque ita cum ad sepeliendum corpus venirent, inuentum est viuum. Ita leo rugiens qui circuit quærens quem deuoret,1.Petri 5.potentiam suam limitatam habet: cōtra quem viriliter & animose pugnare debes; neque mirari quod te acriter inuadat, sed potius quod non sint grauiores & maiores tentationes,nam militia est vita hominis super terram,& si serpentem percuteres. non deberes mirari quod contra te insurgeret,sed potius si quietus maneret. *Cuius filius infirmabatur.* Sicut qui aues domi nutriunt, cum aliquando eas auolare contigerit, vbi easdem iterum ceperint, aliquantulum deplumant,vel alas præscindunt,ne his fretæ rursum aufugiant: ita Dominus cum aliquem propter peccata aufugere & recedere à se videt, infirmitate aliqua,vel alia calamitate eum percutit, quasi alas præscindens ne iterum à Deo auolare audeat.

Erat quidam regulus. Qui prudenter seipsum reget & moderabitur, qui sensus suos per vanitates euagari non sinet,is merito rex appellari poterit. Omni igitur cura, & solicitudine incumbendum tibi est in tuorum sensuum custodiam & gubernationem,dicesque cum prophera. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et cū sancto illo Iob, pepigi fœdus cū oculis meis. Item oculi mei semper ad Dominum,quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Aures præterea ne aperias detractoribus & murmuratoribus, sed sanctis & vtilibus colloquiis. Psal.44.audi filia,& vide, & inclina aurem tuam. Isa.1.audite cæli quæ loquor, &c. Linguæ etiam vigilantem custodiam adhibeas necesse est. Mors enim & vita in manibus linguæ. Item qui in verbo nō offendit,hic perfectus est vir. Et si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam,huius vana est religio. Psal.38.dixi custodiam vias meas,vt nō delinquā in lingua mea. Gustatus porro diligenter custodiēdus est, neque voracitati & lurcacitati permittendus. Manus liberales sint erga pauperes & egenos,neq; rapaces sint, aut homicidæ. Esa.1.manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Pedes etiam magna cura dirigendi sunt,& cor interius ab omni prauitate conseruandū;à corde enim exeunt cogitationes malę. Et Psal.50.cor mundum crea in me Deus. Vt autē hæc omnis custodia significaretur, sacerdos olim in veteri lege rationale in pectore gestabat. Nullus est ergo qui non possit rex appellari,dū se ipse regit: & si quidem bene rexerit,rex erit bonus;sin autem male,malus erit. Hic vero qui ponitur in euangelio, regulus appellatur, quod imperfectus esset,& vere non crederet. Si enim vere & perfecte credidisset,eius filius hoc est anima, non fuisset infirmus. Cæterùm nuntij qui salutem annuntiant infirmi,sunt episcopi,& sacerdotes ipsi, qui cum absoluunt pœnitentem, eius salutem etiam annuntiant:qui ne despecti sibi videantur eo fungentes munere, & similibus, consueuit summus pontifex se appellare seruum seruorum Dei, &c. Vide Eusebium super Euang.

Quandoquidem Dei filij sumus,reguli sumus, ipse enim rex verus est. Filius porrò noster infirmus est,nēpe anima nostra:atque idcirco ad Christum accedere debemus,vt nobis opem ferat antequam moriatur.Nam si iniquitates obseruaueris Domine,Domine quis sustinebit? Psal.129. Cæterùm quamuis hic regulus primo accessisset ad Christum, non ideò perfectè credebat: si quidem parentes cum filij infirmi sunt, facilè statim quoscunque medicos adire solent,&c. Vide Theophyl. in Ioan. 4.

Cuius filius infirmabatur. Solent labores & calamitates nos ad Deum adducere. Psal.77. cum occideret eos, reuertebantur,& diluculo veniebant &c. porrò quamuis rogaret Christum regulus,noluit domum eius accedere,ne cui forte videretur acceptare personam,qui iret ad diuites. Iacob.2.si quis anulum habens aureum introierit in cætum vestrum,&c. Sed dices,cur ergo dicitur Rom.13. cui,honorem? Dicendum est,quod non debemus pauperem qui virtutis studiosus est, propter pauperiem ipsam despicere, neque etiam diuitem qui prauus est, propter diuitias in cælum tollere. Vide Radulphum Ardentis super hunc locum.

Theophilus inquit,quod hic regulus interfuit nuptiis illis quæ factæ sunt in Chana Galilææ,vbi aquam in vinum conuertit Christus, atque ita viso miraculo Christū maximopere suspexit & admiratus est,credidit q; posse eum filiū sanare. Alij vero contra sentiunt,scilicet nō interfuisse ibi regulum, cum nuptiæ essent pauperum, vbi etiam defecit vinum, sed tamen audiuit forte miraculū Christi,atq; ita accessit ad eum filij in infirmitate. Vide Dionys.Carth.super Ioan.4.

In Chana erat Christus quando venit regulus: porrò distabat Chana à Capharnaum, atque ita eodem die nō fuit allatum nūtium de salute. Item visum est medicis iuxta Hippocratis regulam desperatam esse filij reguli salutem, quam tamen Dominus restituit. Vide Claudium Guill. super Ioann.4.

Arboreus videtur significare à Lyrano motam fuisse quæstionem, vtrum hoc miraculum idem sit cum illo Centurionis, respondisseq; ita Chrysost.tenere:quod tamen nō videtur asserere Chrysost.cum ipse aliter tenere videatur ho.34.& alibi. Obserua etiam apud D.Tho. quam differenter legatur in veteribus editionibus in Ioann.4. lect.7. atque recentioribus Romanis.

Erat quidam regulus. Quod Dei serui regis nomē mereantur,vide Orig.in Ioan.to.10.

Cuius filius infirmabatur. Si voles hoc loco paulò fusius de vtilitate laborum & calamitatum disserere, pauca quædam subiiciam.

Sic

Sic homo inter labores & afflictiones nutritur accrescit, inquit D. Bernar. ser. 48. super Cant. exponens verba illa Psal. 31. conuersus sum in ærumna mea, dum cõfigitur spina, quemadmodum rosa inter spinas.

Vide etiam eundem Bernar. in sermo. de sex tribulationibus.

Ad hoc excoquuntur homines tribulationibus vt vasa electionis euacuẽtur nequitia, & impleantur gratia. Vide D. Aug. in senten. 204.

Tribulationes, infirmitates, & afflictiones, nobis cõducere solent tum vt superbia nostra refrænetur, tum vt amplius mereamur. Vide D. August. ad Probam viduam, quomodò sit orandus Deus, epist. 121. tom. 2.

Vide quanta nobis commoda & bona ex diuina manu proueniant, quandoquidem calamitates etiam & afflictiones tã vtiles sunt & salutares: cõsule D. August. ad felicita. & Rusti. de malis & fraterna correptione patienter tolerandis, epistо. 87. tom. 2.

In tranquillitate pacis comprehẽdenda est doctrina sapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur: nec facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerunt in pace quæsita. Vide D. August. in senten. sentent. 188. tom. 3.

Plurimi quidem res aduersas reformidant, non autem prosperas, cum tamen in his grauiores sæpè excitari soleant procellæ, quæ animę maximopere noceant. Lege D. Aug. in Psal. 50. to. 8.

Interdicebat Scipio Romanis ludos publicos, & alia similia ad iucunditatem nimiam & hilaritatem comparata, asserens tũc potius eos in mœstitia positos esse debere neque felicem esse ciuitatem quæ sine contradictione omnino viueret. Vide eundem Aug. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 33. to. 5. super quem locum adnotat Ludoui. Viues, Platonem in Gorgia dicere, calamitates & supplicia nõ solum iis qui ipsa patiuntur, sed etiam vicinis & spectatoribus vtilia esse, vtrique enim redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo.

Hic cum audisset quia Iesus veniret à Iudæa in Galilæã abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Qui rogabat, non credebat? Quid à me expectas audire? Dominum interroga quid de illo senserit. Rogatus enim talia respondit, nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Arguit hominem in fide tepidũ, aut nullius fidei omnino, sed tentare cupientem de sanitate filij sui, qualis esset Christus, & quis esset, quantũ posset. Verba enim rogãtis audimus, cor diffidentis non videmus: sed ille pronuntiauit, qui & verba audiuit & cor inspexit. D. August. in Ioan. trac. 16. tom. 9.

Sic & nos debemus rogare vt sanemur à peccatis, secundum illud Psal. 40. sana animam meam quia peccaui tibi. Nam nullus per se potest ad statum iustitiæ redire, *nisi* à Deo sanetur, secundum illud Iob 6. non est auxilium mihi ex me. *Incipiebat enim mori.* Quando enim homo tentatur, infirmari incipit, sed quando tentatio præualet, ita vt inclinet ad consensum, est prope mortem; sed quando iam consentit, incipit mori. Cum ergo cõsummat peccatum, moritur, quia vt dicitur Iaco. 1. peccatũ cum consummatum fuerit, generat mortem. De qua dicitur Psal. 23. mors peccatorum pessima. D. Thom. in Ioan. 4. lect. 7.

Quid est quod Regulus rogat vt ad eius filium veniat, & tamen ire corporaliter recusat: ad serum vero Centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis seruo nõ dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias veneramur? Cumque pensamus quæ circa eos sunt, negligimus pensare ipsos, eo profecto quod interiora minimè prouidemus, dum ea consideramus quæ in corporibus despecta sunt: negligimus pensare quod sunt. Redemptor verò noster vt ostenderet quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt; ad filium reguli ire noluit, ad seruum Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines, sola vt diximus quæ circunstant hominibus pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium reguli, & tamen venire paratus est ad salutem serui. Certè si nos cuiuspiam seruus rogaret, vt ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui seruo in terra occurrere non despicit: & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. Quid vero apud Deum vilius, quid despectius esse potest, quam seruare honorem apud homines, & interni testis oculos non timere? Vnde & in sacro euangelio Luc. 16. ad Phariſæos Dominus ait, vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra; quia quod hominibus altũ est, abominabile est apud Deum. Notate fratres, notate quod dicitur. Si enim quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum, cordis nostri cogitatio tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto. Et humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus, nulla nos nostra inflet operatio, non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quibus libet ex bonis affluentibus intus tumescimus, Deo despecti sumus. Nam qui se adhuc pro rebus transitoriis extollit, nescit in proximo venerari quod maneat. Nolite ergo intra vosmetipsos pensare ꝙ haberis, sed quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit ecce iam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio; vndique amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos iam mundus mittat ad Deum. Pensate ergo quia nulla sunt, quæ temporaliter currũt: finis temporalium ostendit, quã nihil sit quod transire potuit. Casus rerũ indicat, quia res transiens, & tunc prope nihil fuit, cũ stare videretur. D. Greg. in euang. ho. 28.

Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Bene ait nõ tantum nisi videritis, sed nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Quod profecto cum acerba vt dignum est vituperatione dixit, quia cõparatione illorum iustificati fuerint Samaritani supra memorati, quibus nõ dignabãtur couti, quia paulò ante apud illos fuerat non sine honore, quia crediderunt in eum nõ propter signa & prodigia, nulla enim viderũt, sed propter

propter prophetiam quidem credere cæperunt, quia dixerat mulieri omnia quæcunque fecit, sed deinde propter sermonem ipsius sanum & verum multo plures crediderunt, dicentes: non quia signa vidimus, sed quia audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi. Nonne ipsi scilicet contribules sui maximè audierunt, imo & quotidie audiebant, & proinde scire poterant? nonne saltem testimonia Ioannis satisfacere illis debuerant, quem omnes sciebant esse propheram? Recte igitur hoc illis in tempore imptoperabat, quia Samaritani vt iam dictum est, comparatione illorum de proximo iustificati fuerant, imo & omnes gentes paulò pòst magnificè iustificandæ erant. Ipsi namque à fide patrum nimium degenerabãt: nunquid enim Abraham propter signa & prodigia credidit? nunquid quando dixit ei Deus. Egredere de terra & de cognatione tua, &c. nũquid inquam dixit Abraham, quibus signis & prodigiis hoc credam quod promittis? Vide Rupertũ. Abb. in Ioan. 4. lib. 4.

Non videbatur reprehendendus iste de hoc ꝙ signa quærebat, nam fides per signa probatur. Verum dicendum est ad hoc quod aliter trahuntur ad fidem Christi, infideles, & aliter fideles. Infideles non possunt trahi nec adduci autoritate sacræ scripturæ, quia ei non credunt: nec per rationem naturalem, quia fides est supra rationem; & ideò ducendi sunt per miracula, 1. Cor. 14. signa data sunt infidelibus, &c. fideles autem ducendi sunt & dirigendi in fidem, autoritate scripturæ, cui acquiescere tenentur: In hoc ergo regulus redarguitur, quia cum esset nutritus inter Iudæos, & de lege instructus, non per scripturæ autoritates, sed per signa credere volebat, & ideo Dominus eum reprehendens dicit. Nisi signa & prodigia, &c. D. Thom. in Ioan. 3. lect. 4.

Non creditis. Me scilicet esse Messiam: credidit enim prius regulus eum esse virum sanctum, qui posset id quod petebat præstare, sed nondum credidit aut non firmiter credidit esse Messiam. Vbi notandum Christum operam dedisse prius vt curaret morbum patris, quam filij, vt qui grauior esset & periculosior, & ad officium Christi magis pertinens. Magis enim venerat ad sanandas animas, quam corpora. Portò regulus vt erat intẽtus totus periculo filij morientis, ad hunc sermonem Domini nil respõdit, quod existimaret huiusmodi colloquio tempus eximi, cum morbus posceret præsens remedium. Vrget itaque vt properet venire Capharnaum, priusquam filius moreretur. Cornelanse. in serm. de hac domi.

Cur is qui ad salutem filio petendam venerat, audiuit: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis? Qui enim salutem filio petebat, procul dubio credebat. Neque enim ab eo quereret salutem quem non crederet saluatorem. Quare ergo dicitur, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis, qui ante credidit, quam signa videret: sed mente qui petiit, & apertè cognoscetis quia in fide dubitauit. Poposcit namque vt descenderet, & sanaret filium eius. Corporalem ergo præsentiam Domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putauit posse salutem dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfectè credidisset, procul dubio sciret quia non esset locus vbi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffisus est, quia virtutem non dedit maiestati, sed præsentiæ corporali. D. Greg. ho. 28. in Euang.

Nisi signa & prodigia videritis. Quamuis primo intuitu videatur paulò asperior hęc Christi correctio, tamẽ maximam in se dulcedinem ac salutem continebat. Sicut enim pharmacũ aliquod & medicina vlceri adhibita, principio quidem molestiam exhibere videtur, at vero tandem salutem parit: ita correctio quæ fit alicui, initio grauis apparet, quæ tamẽ pòst modum maximam in se continere salutem apertè indicatur.

Temperate quidem & dulciter se gessit Christus in reprehensione huius reguli, vt inde discamus quã modestè & vrbane corrigere debeamus alios, & eos præsertim qui sunt in dignitate cõstituti. Cum aliquãdo Antisthenes rogaretur, quo ꝙ sum mansuete principes reprehenderet, & viros in dignitate constitutos? respondit, quod essent, ac veluti apes, quæ aculeo suo pungerent ac propterea magna cum prudentia & consideratione tractandos esse.

Quemadmodum pilulæ vt commode recipiãtur, consueuerunt auro tegi, vel cum dulci aliqua re permisceri: ad eundem modum correctiones ipsæ, mansuetudine & prudentia contemperandæ sunt; atque ita quidem quamuis quodammodo asperæ videantur, quia scilicet reprehensiones sunt, nihilominus tamen sicut apes quæ aculeo pungit, dulcissimum tamen mel parit in alueario, ita tales correctiones maximam adferunt salutem ei qui reprehenditur, & emendatur.

Si erga magnates cum modestia & prudentia in corrigendo nos gerere debemus, quanta quæso erga prælatos & superiores nostros vrbanitate vti par erit? Vnde in summa decretorum Nicolai papæ eleganter & erudite disseritur, quod subditi prælatos suos aut iudicare, aut accusare, aut leuiter etiam reprehendere, nec debent, nec possunt. Ad quod probandum inter cætera habet argumentum ex facto Dauid, 1. Reg. 24. Vbi legimus quod Dauid percussit cor suum, eo quod oram chlamydis Saulis abscidisset. Hinc factum est etiam, vt in Concilio episcoporum, nullus in Marcellinum papam, qui tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum, idolis compulsus sacrificauerat, sed postea insignis martyr effectus est, sententiam proferre ausus fuerit, dum ei sæpissimè omnes dicerent. Tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio: noli audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam: ex te iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis. Et rursus, prima sedes non iudicatur à quoquam.

Dixit ad eum regulus, Domine descende priusquam moriatur filius meus. Quid aliud petito diceret medico regulus iste, medico inquam qui ad pulsum ægroti accedere, & tam visu oculorum, quam tactu venarum, genus morbi dignoscere, & secundum morbum antidotum dare debet? Accesserat enim ad Dominum rogans eum vt descenderet, & sanaret filium eius, & eo differente, Domine inquit, descende priusquam moriatur filius meus. Vide Rupertum Abba. libro quarto in Ioannem 4.

Descende priusquam moriatur filius meus. Parum certè videbat regulus, qui in petenda gratia quasi puer delirat. Nam si non modo præsentem, verum etiam absentem posse Christum credidisset, non indignam opinionem de ipso habuisset. Nunc autem id quidem ab eo petit quod omnipotentis est nec tamen putat vbique ipsum esse, nec morte omnino esse superiorem, quamuis mortuo iam fere posse ipsum opitulari speraret: incipiebat enim vt scribitur mori, ad oleſcẽs. D. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 118.

Descende priusquam moriatur. Si voles hoc loco differere de superbia & arrogantia, nonnulla subiiciam.

Superbia & arrogantia detestabilis est, Iob 12. C. optimates supplantat.

Deus superbos humiliat, Iob 18. nõne lux impij extinguetur?

Superbi cito euanescunt, Iob 20. A. laus impiorum brevis.

Novit Deus probe superborum corda, Iob 11. C. ipse enim novit hominum vanitatem.

Quo exitu consumantur superbi, Sap. 2. A exiguum & cum tædio.

Superbi frustratos se invenient in vitæ exitu, Sapient. 5. A. Videntes turbabuntur timore horribili.

Superbi conculcabuntur, Sap. 6. A. potentes potenter.

Quem finem habeat superbia, Ecclesiastici 6. A. non te extollas in cogitatione.

Arrogantia est detestabilis, Ecclesiastici 25. A. extollentiam oculorum.

Ex quadam vanitate & inconsideratione promanare solet elatio & arrogantia Ecclesiastici 34. A. somnia extollunt imprudentes.

Superbia est abominabilis, Deut. 9. A. ne dicas in corde tuo.

Deiicit Deus ac deturbat superbos, Iosue 11. B. equos eorum subneruabis.

Quo fine claudantur superbi, Iudic. 1. B. dixit que Adonibezec.

Superbia & sui confidentia quantum incommodent. Iudicum 20. C. rursum filij Israel & fortitudine.

Superbia & arrogantia quo redigantur, 1. Reg. 17. per totum.

Arrogantia quem sortiatur exitum, 2. Reg. 15. A. quis me constituat iudicem.

Superbi quem finem habeant, 2. Reg. 17. F. suspendio interiit.

Superbi ac tumidi quam insolenter extollantur, 3. Reg. 12. C. minimus digitus.

Quo exitu consumantur elati atque superbi, 3. Reg. 14. per totum.

Superbi in quem deveniant finem, 2. Paral. 13. D. perterruit Deus Ieroboam.

Superbos deturbat ac deiicit Deus, 2 Paral. 26. C. eleuatumque est cor eius.

Dixit ei Iesus, vade, filius tuus vivit. Quasi dicat, nil opus est vt pro curando filio me conferã Capharnaum; sed vade, ecce enim filius tuus quẽ morientem reliquisti, viuit ac valet, curatus à suo mortifero morbo. Accipitur enim hic viuere secundum Hebraicam phrasim pro sanum & incolumem esse, quemadmodùm etiam frequenter viuificare accipitur pro restituere à malis & periculis mortis. Corne. Ianse. in ser. de hac domi.

Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Duos eisdem Saluator verbis curauit, nam & reguli animum ad fidem induxit, & à corporis morbo adolescentem eripuit. Hæc ambo eodem ita tẽpore fecit, vt difficile dictu sit quemnam prius curasset. Simul autem ego vtrumque vna cum verbis saluatoris, alterum animo, alterum corpore curatum fuisse arbitror. Serui autem occurrerunt velocitatem & vim verborum Christi annuntiantes, Domino sic dispensante, vt ab eventu rerum reguli fides confirmaretur. D. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 120.

Super illã verba, credidit homo sermoni, vide Six. Senen. Biblio. sanct. lib. 6. annot. 190.

Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicẽtes quia filius eius vivet. Vide quæso quam multa cõtigerint bona huic regulo ex filij infirmitate & calamitate; non enim filij salus tantummodo consecuta est, sed etiam regulus credidit, & domus eius tota. Vnde facile colligas quantos soleant conferre fructus labores & afflictiones, si quis eas patienter tolerauerit. Nam quemadmodùm thus ipsum & similes res odoriferæ, si in ignem cõiiciantur, odorem suum ostendunt atque effundunt: ita viri probi si tribulationibus & afflictionibus premantur, virtutem suam exerunt atque ostendunt.

Quemadmodùm herbæ suauissimum odorem eructantes, si manibus terantur & tractentur, mirifice olere solent: ita virtutis studiosi quo magis calamitatibus concutiuntur, eo etiam magis præstantiam suam ostendere solent ac manifestare. Et sicut medici amaris si rupis atque pilulis, infirmitatibus medentur, & salutem ipsam revocare solent: ita solet Deus laboribus & afflictionibus vitia nostra curare, & virtutẽ si in nobis fuerit, magis magisque exercere.

Quemadmodum equorum domitor cum nulla potest arte commode equum ipsum instruere, solet tandem pro auena, paleas eidem dare, & pau lò asperius in eundem agere: ad eundem modum Deus videns nos suis nolle obedire præceptis maximo cum amore ac suauitate, calamitates & ærumnas immittit, vt his tandem resipiscamus, & in frugem meliorem reuertamur.

Quemadmodùm robustiori & valentiori esse consueuerunt corpore qui illud laboribus & sudoribus exercent, quam qui otio torpere sinunt, ita animum melius dispositum habere solent qui eundem calamitatibus & afflictionibus tolerandis diu multumq; assuefecerunt. Et sicut dealbatus paries non satis dignoscitur sit ne terreus an lapideus, nisi malleo excaueatur: ita quatumuis aliquis exterius probus appareat, non potest tamen eius virtus cõmodius manifestari, quã si tentationibus & ærumnis impugnetur, & pertententur.

Ceu aquila ipsa, siue fera aliqua & immanis bellua, vbi accedit magna onusta præda ad catulorum sustentationem, si forte inuenerit eos ex cauea sibi ereptos, statim venatorem ipsum insequi consueuit; ita cum quis videt sibi ereptas delectationes & præsidia mũdana, atq; se calamitatibus percussum & afflictum, ad Deum ipsum cõuerti, solet, & humiliter accedere. Vnde inquit Gerson, afflictiones ipsas & labores esse veluti aquam diluuij, quæ quo magis crescebat, tãto etiam magis arcam in sublime efferebat: ita enim ipsæ solent animam nostram ad Deum impellere & incitare. D. etiam Hieron. cõparat afflictiones & ærumnas pisci qui Ionam deuorauit, qui eum potius ad cõseruandum, quam ad perdendũ absorbuit. D. præterea Gregor. Nazian. inquit, antiquos olim arborem sibi quandam confinxisse, quæ in morte viuet, hoc est in qua quo plures amputabantur rami tanto plures pullulabant & enascebantur: per quã arborem significari ait viros bonos & iustos, qui quanto pluribus, calamitatibus concutiuntur, tanto magis vigent, florent, & opera bona producunt.

Quemadmodum struthiones solent durissimũ etiam ferrum deuorare atque excoquere, ita Dei seruus nullis calamitatibus, nullis periculis atque tormentis cedit, sed potius patienter eãdem propter Christum sustinet ac tolerat.

Sicut salsa aliqua aqua si defluat per salutiferã numum,

numum, vtilibus ornatã radicibus, herbisque vestitam, salsugine tandem omni deposita, dulcedinem imbibit: ita afflictiones & tormenta quamuis in se aspera sint, cum tamen per Christum & eius sanctos etiam profluxerint, hac vna consideratione fieri nobis dulcissima debent, ac suauissima.

Scribit Plutar. in lib. de tranquillitate animæ, quod cum aliquando Zeno naue sua diuitiis plena fracta atque demersa, vix tandem saluus & incolumis enatasset, dixerit sibi tale naufragiũ gratissimum extitisse, propterea quod posset libere à cura familiari expeditus, philosophiæ incumbere. Cumque post annos aliquot magnos in philosophia fecisset progressus, inquit Apollonius Tyrius, eum sæpe dicere solitum, quod nunquam cõmodius nauigasset, quam cum naui fracta enatauit: si quidem ex ea calamitate magna sibi commoda comparauit.

Diuino quidem auxilio & prudentia sua vincet homo & superabit vel maxima tormẽta & calamitates. Vnde cum Homerus enarrat pericula quæ subiit & perpessus est Vlysses, inquit ea omnia superasse & euicisse Minerua comite, quam sapientiæ deam faciebant antiqui: vt significaret & innueret, nullos esse labores & calamitates, quas non vincas diuino primum fretus auxilio, & tua prudentia etiam ac tolerantia innixus.

Fabulantur poetæ solem alı & nutriri salsa maris aqua, lunam vero dulcibus aquis. Per solẽ autẽ intelligitur vir sapiens & constans, qui laboribus & calamitatibus non cedit, sed eas viriliter & animose tolerat propter Deum: per lunam vero significatur stultus & inconstans, qui delectationibus & deliciis mundanis pascitur, & statim quæcunque irruerit calamitas & tẽtatio, succumbit atque prosternitur.

Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Videlicet scire cupiebat vtrum eodẽ verbo quod dixerat ei Iesus, filius tuus viuit, eodem inquã verbo virtutis suæ salutem portasset, vt ad filium suũ febre fugata tam cito rediret. Sciebat quippe horã illã, & diligenti memoria tenebat ex industria notatam, certoque tenore apud animum suum defixerat, vt si hora recuperaræ sanitatis illa esset, in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit; iã de diuina magni illius prophetæ potentia non dubitaret, quod esset ipse filius Dei, quod esset rex Israel. Rupertus Abbas lib. 4. in Ioan. 4.

Certior fieri de hora studet in qua filius eius conualuit, vt videat si tempori congruit, in quo à saluatore sibi gratia fuit concessa. Cumque ita esse didicisset, Christo totam rem attribuens, cum vniuersa domo saluatur, feruentiorem iam fidem agendarum gratiarum afferens loco. D. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 121.

Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris. Nota quod febris à feruore dicitur, vnde omnis inordinata passio feruens igne maligno febris est animæ. Ideo de peccatoribus dicitur. Esa. 57. Cor impij quasi mare feruet. Hunc feruorem incendit instigator malorum diabolus Iob 41. feruescere facit quasi ollam profundam maris. Ex tali generantur septem febres animæ. Prima est ephemera, subitus scilicet motus inordinatæ passionis, qualis fuit concupiscentia Dauid visa muliere se lauante, qualis fuit etiam timor Petri Christum negantis. Secunda febris est tertiana, quæ vno die interrumpitur: isti sunt qui cum peccauerunt dolent, & sic habent vnum diem pœnitentiæ, quæ est contritio; sed non perueniunt ad secundum diem confessionis, ideo statim in idem redeunt. Tertia febris est quartana, vbi duo dies absque accessione sunt. Quidam enim post accessionẽ peccati duos dies pœnitentiæ assumunt, cõtritionem scilicet & confessionem. Sed quia iuxta sacerdotis arbitrium non perueniunt ad diem tertiũ satisfactionis, ideo rursus accidit peccati passio. Quarta febris est quotidiana, eorũ scilicet qui absque contritione aliqua, mala frequẽtant, qui ad libitum omni die inebriantur, aut mẽtiuntur, aut rapiunt, aut litibus & iurgiis vacant. Sed hanc sequitur quinta febris, scilicet continua, quia frequentationem sequitur continuitas: sic febricãtit luxuriosi, & inuidi. Sexta febris est iam generatæ consuetudinis, quæ per Ethicam intelligitur. Ethica enim dicitur, quia in morem est deducta. Septima est acuta, quæ est defensio cõsuetæ iã nequitiæ, cum quis iam non erubescit, nec timet, nec pauescit facere quæ consueuit. De salute talis valde timendum est, quia in tali febre desperant medici. Hiere. 10. pessima plaga tua, insanabilis cura tua. Vide Iordanũ Augustinianũ super hunc locũ.

Quæ hora prima est post meridiem. Hora quidem in qua omnis æger peius habere incipit secũdum naturam, quia tunc sol à summo cæli incipit declinare, & cum declinatione solis omnis ægri virtus incipit cadere & declinare. *Reliquit eũ febris.* Vt ostendatur curatio tota esse miraculi & nullo modo esse naturalis. Alber. Mag. in Ioan. 4.

Licet hic crediderit, non tamen firmiter neq; integre: quod scisciscando seruos demõstrauit, qua hora reliquerit filium febris. Voluit enim cognoscere an sponte sua, an Christi præcepto discesserit. D. Chryso. in Ioan. homi. 34.

Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus: filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. Vides tum demum in fide confirmatum, cum seruorũ de valetudine filij testimoniũ accepit? Quãobrem hominis animum intuitus arguit, vt magis in fide confirmaret, neque enim ante signum admodum credebat: quod si venit & rogauit, minime mirum est. Ob incredibilem enim in filios amorem, non modo quibus confidunt medicis, sed & quoslibet compellare parentes solent, ne quid in aduersa filiorum valetudine omittant. Nã quod non multum spei in Christo haberet, cõstat, quoniam veniente Iesu in Galilæam accessit; quod si vere Christi potestatem credidisset, non vtique in tanto filij periculo Iudæam petere neglexisset; quod si timuerat, neque hoc quidem satis erat causæ. Considera igitur ipsius verba, quantam viri infirmitatem indicant. Debuerat enim si non prius, at saltem post reprehensam ipsius animi sententiam, magnam quandam de Iesu opinionem concipere. Audi quantum adhuc humi trahatur. Descende inquit, priusquam moriatur filius meus; ac si mortuum suscitare non potuisset, & nescisset vt se puer haberet: idcirco eum reprehendit, & animum arguit, ostendens signa maxime animæ gratia fieri, neque minus hoc in loco patrem animę morbo laborãtem, quam filium curat, suadetque non signa nobis, sed doctrinam ipsius attendẽdam. Signa enim in fidelibus, & rudioribus exhibenda. Regulus autẽ filij dolore affectus; non multum tunc Iesu verbis attendit, sed in solius filij cura versabatur. *Quia illa hora erat.* Vides quo pacto miraculũ manifestetur? non enim per successionem & diuturnitatem cõualetudinis vt assolet, liberatus est, sed repente, ne naturalis valetudo, sed Christi operatio videretur. Nam qui in ipsum mortis articulum venerat, patris testimonio dicentis. Descende

priusquā moriatur filius meus; ē vestigio in prosperam restitutus est valetudinem. Serui autē fortassis non vt nuntiaturi tantum, sed vt superfluum Christi aduentum, obuiam ierant. Screbant enim iam aduentare, quare in itinere eum conuenerūt. D. Chrysos. in Ioan. homi. 34.

Duas habet de hac domi. cōcio. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Vide eundem 1. par. histo. titu. 5. cap. 1. §. 9.

Duos item sermo. habet. D. Tho. prope finem to. 16.

De filio reguli à domino curato consule Hugo. de S. Victo. to. 1. fol. 200.

Lege D. Ansel. in suis enarra. euange. qui mirus est in allegorico sensu.

Super illa verba, credidit ipse & domus eius tota. Vide Six. senen. bibli. sanc. lib. 6. annota. 191.

DOMINICA VIGESIMA prima post Pentecosten.

SIMILE est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationē ponere cum seruis suis. Mattha. 18. In hac lectione monemur vt fratribus in nos peccantibus dimittamus, si nobis à Deo quæ in eum peccauimus dimitti volumus; aut potius si ea quæ iam nobis dimisit, ne rursum à nobis exigat, optamus. Ecce enim seruus qui decem millium talentorū erat debitor, vniuersi debiti relaxationē à domino suo consecutus esse narratur: sed quia ipse postmodum conseruo suo denarios cētum dimittere noluit; omnia quæ sibi à domino fuerant dimissa, coactus est reddere. Debuisset enim cōseruo libenter dimittere minora, qui sibi nouerat à domino dimissa fuisse maiora. D. Ansel, in suis enarra. euange.

Familiare est Syris, & maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas iungere, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus nō potest, per similitudinem exemplaque teneatur. Præcepit itaque Petro sub comparatione regis & domini, & serui: qui debitor decem millium talētorum, à domino rogans, veniam impetrauerat, vt ipse quoque dimittat conseruis suis minora peccantibus. Si enim ille rex & dominus seruo debitori decē millia talentorum tā facile dimisit, quāto magis serui conseruis suis debent minora dimittere? Quod vt manifestius fiat, dicamus sub exemplo. Si quis nostrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegiū, maiora crimina decem millium talentorum: rogantibus dimittūtur, si & ipsi dimittant minora peccantibus. Sin autem ob factam cōtumeliam simus implacabiles, & propter amarū verbū perpetes habeamus discordias: nonne nobis videmur recte redigendi in carcerem, & sub exemplo operis nostri hoc agere, vt maiorum nobis delictorum venia non relaxetur? D. Hiero. lib. 3. in Matt. 18.

Intentio domini est hoc exēplo ostendere, Deū patrem misericordissimum quidem esse erga peccantes; in eosdem tamē esse seuerissimum, si nolint illi vicissim benigni esse erga peccantes fratres & conseruos. Corne. Ianse. in sermo. de hac domi.

Rex iste Christus est, qui rationem ponet nobiscum in die iudicij, & quæret quomodo talentis nobis commissis vsi simus. Non equidem longum insumetur tempus in ratione ista exigenda, vbi accusatrix erit cuiusque conscientia. Qui ergo à Deo recesserit, & cōseruo suo debita nō dimiserit, aduertat quam districte rationem sit redditurus ante Dei tribunal. Porro vide quam simpliciter conserui factum ipsum domino narrarunt, & quod dominus non dixit seruo, quia adorasti me, &c. Vide Origē. tracta. 7. in Matt.

Hic quidē homo rex intelligitur Christus dominus: homo quidem, quia verbum caro factū est, rex vero, quia in principio erat verbum. Vide porro quomodo exigere à nobis debeat rationem talentorum quæ nobis cōmisit, vt iis vtamur in eius gloriam & laudem, tum etiam in nostrum commodum atque vtilitatem: vt ergo liberalis extitit Deus in talentis concedendis, ita etiam diligentē exiget à nobis rationem de vsu eorundem talētorum. Aduerte igitur vt his proficias, & tibi tādem beatitudinem Deo aspirante compares. Quod si senseris in aliquo deliquisse: teque prostratum esse propter onus peccati. Iob. 7. factus sum mihimetipsi grauis; dices Deo: patientiam habe in me: obsecro domine vt mihi patientiam tuā atque misericordiam velis impartiri. Sed quorsum inquit, & omnia reddam tibi, cum non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis? verum idcirco patientiam prius implorauit, & diuinam gratiam: qua fit vt nostra opera Deo sint grata & accepta, sicut sine ea non possunt nobis beatitudinem impetrare. Implora ergo diuinam gratiam & misericordiam, atque postula vt tibi merita passionis Christi applicentur: adulti quidem peccata sua detestentur, & se in frugē meliorem recipiant. Cæterum seruus vbi sibi tantum debitum dimissum fuit, egressus statim est à domino, atque inde malum sibi reportauit. Vnde Ioan. 15. dicitur, quod mali foras expellentur. De bonis contra dicitur Matt. 25. Intra in gaudium domini tui. Qui ergo diuinis beneficiis ingratus est, dicitur à rege egredi atq; discedere. Porro suffocabat conseruum suum hic qui egressus fuerat, atque propterea quia patientia erga illum nō fuit vsus, dicitur seruus nequam. Si enim fratri contumeliam inferre delictum est, quid quæso appellandum erit, fratrem suffocare, neque ei leuissimum etiam debitum velle condonare? Indignatur ergo Deus, si postquam ipse tibi innumerabilia peccata condonauit, tu erga ipsum & proximum ingratus fueris, & dimissa peccata reuocari propterea quodammodo videntur. Considera enim quæso si quis te iterum offenderit, postea quam semel, bisue, aut pluries dimiseris ei, quantopere indigneris & succenseas, tanto quidem magis succenseas, quanto pluries dimisisti. Cum ergo tantam summam rex dimisisset seruo nequam, merito traditur tortoribus, quod minimam fratri noluerit condonare. Porro decem millia talenta vt ait Budæus, sunt sexagies centena millia aureorum, id est sex miliones aureorum: denarius vero dari consueuit mercenariis. Inde præterea intelligas quanti pretij esset talētum, quod dixerit Eliseus puero suo Giezi, quod vellet ex duobus talentis quæ acceperat, emere vineas, seruos, &c. Vide Palacios in Matt. 18.

Homini regi. Quisnam quæso est hic homo rex qui rationem ponit cum seruis suis, nisi Christus dominus? Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da &c. Vide Bedam lib. 3. in Matt.

Qui voluit rationem ponere. Hæc ratio fiet in die iudicij, circa quam debet homo tria cogitare quotidie: primo reddendi rationem difficultatem: secundo testium qui adducentur veritatem: tertio sententiæ contra eos qui malam rationem reddiderunt, seueritatem. D. Tho. in quo

in quodam sermo. de hac domi.

Et cum cepisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem millia talenta. Vide obsecro quantam iste summam deberet, & quam obligatus sit peccator deo. Cæterum considera etiam quam sit cōmunis denarius numerus, siquidem ex decem denariis numeris conflatur centenarius, ex decem centenariis millenarius, & sic in cæteris. Porro per coniugē & filios intelligi potest anima cū suis sensibus. Quum stultus ergo est qui dimittere non vult minorem pecuniæ summam, cū sibi interim tā magna indulgeatur. Ridiculus sane esset siquis drachmam vnam tantum dimittere nollet, ea conditione vt sibi mille drachmæ dimitterentur: ita stultus est si quis nolit dimittere debita proximo, cum Deus tam multa ei dimittat. Vide Eusebium super hunc locum.

Decem millia talenta. Numerosum quidē erat & eximij pretij talentum, nam regina Sabba dedit Salomoni 120. talēta auri 3. Reg. 10. Talētum item argenti magni erat pretij. vide 3. Reg. 16. Item duo argenti talenta dedit Naaman ipsi Giezi discipulo Elisei, quibus vineas emere, & complura alia volebat. 4. Reg. 5. Porro Tobiæ etiam debebantur decē argenti talenta Tob. 1.

Per hunc debitorem intelligitur qui est debitor Deo, propterea quod peccauit contra decem eius mandata. vide D. Augustī. lib. 1. quæsti. euange. cap. 25. to. 4.

Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Non habebat vnde redderet, quia ex seipso habebat vnde in culpā caderet, sed ex seipso nō habebat vnde ad veniam resurgeret. Et ideo iussit eum dominus venundari, id est possidendum dæmonibus in æternam damnationem tradi, & pœnas de illo sumi. Et vxorem, id est carnalem voluptatem eius & concupiscentiam: & filios, id est iniqua eius opera; & omnia quæ habebat, id est verba & cogitationes eius. Vēditur enim cum vxore, & filiis & omnibus quæ habet, vt debitum reddat, qui per mortem corporis ab hac vita trahitur, & cum reatu carnalis suæ voluptatis & cupiditatis, & operum, atque verborū, & cogitationum, traditur malignis spiritibus in æternū possidendus, vt perpetuas luens pœnas, diuinæ iustitiæ satisfaciat. D. Ansel. in suis enarra. euange.

Procidens autem seruus ille, rogabat eum dicens. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Vt cōmode nos erigamus, procidere debemus ante Deum, & eius opem atque auxilium implorare, dicētes: patiētiam habe in me: debemus etiam operibus nostris merita passionis Christi applicare, & induti dominum Iesum Christum, vt dicitur Rom. 13. admittemur, & opera nostra accepta erunt ante Deū patrem: qui cognoscet vestem filij sui Ioseph, & ea conspecta placabitur, & mitigabitur erga nos. Vide Ferum super hunc locum.

Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Perspexisti rursus mirabilē exaggerationem misericordiæ: dilationem solummodo temporis ac prorogationem quandam seruus postulauit, ille autem multo magis quam petiit, videlicet totius mutui donationē vltro præbuit. D. Chrysos. in Matt. homi. 62.

Debitum dimisit ei. Magnum quidem est clemētiæ ac benignitatis ornamētum, & efficacia. Vnde Titus Liuius scribit quod Romani propter clemētiam & misericordiam imperium suum latius propagauerint, quam triumphis de hostibus reportatis. Iulius quidem Cæsar ita huius ornamenti studiosus erat, vt hostes sibi infensissimos post victoriam partam statim liberos dimitteret: cumque aliquando Pompeij caput ad eum allatum esset, tantum abfuit vt lætaretur & gauderet, quin potius maximo dolore ac lachrymis perfunderetur, vt scribit Plutar. in vita Pompeij. De Alexandro præterea Magno historiis proditum legimus, quod liberalitate & clementia adeo polleret, vt videretur nō tam trophæis potiri propter hostium suorum ruinam, quam vt eosdem hostes nobilitaret, & propriis eorum spoliis locupletaret. Cumque rogaretur ab amico, quidnam sibi commodi & vtilitatis referret ex tam multis spoliis & victoriis, respondebat, id quidem refero atque reporto, vt lætitia animum expleam quod ea liberaliter largitus fuerim ac distribuerim. Plutarchus etiam scribit, respondere consueuisse Alexādrum similibus interrogationibus, quod speraret famam apud posteros suæ liberalitatis immortalem esse futuram. Vnde effectum est, vt tantam ex ea re famam comparauerit, quantam aduersarius eius Darius ex auaritia & cupiditate retulit infamiam.

Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: redde quod debes. Non multo tempore post, sed confestim, beneficij magnitudinem ante oculos adhuc habens, tanto munere tantaque liberalitate domini abusus est, & post summā domini misericordiam & humanitatē, inaudita vsus est seruus crudelitate. Audiatis hæc quicūq; pecuniarū gratia similia in dies committitis. Nam si in peccatis id fieri non licet, quanto minus in pecuniis licebit? D. Chrysos. in Matt. homi. 62.

Centum denarij significant peccata quæ homo in hominem committit, sicut decem millia talēta significant ea quæ in Deum agit: quia sicut quantitas centum denariorum exigua est ad comparationem quantitatis & numeri decem millium talentorum: ita quicquid in nos homo peccat, exiguum est & ratum ad comparationem culparum quas in Deum nocte & die, & singulis horis committimus. Licet enim cētenarius perfectionē signi ficet, multo tamen pleniorem consummationē designat millenarius. Talentum quoque mira grāditate superat exiguitatē denarij. Ex quibus liquido demonstratur, quod ea quæ nos in Deum peccamus, magna & multa sunt, ea vero quæ homines in nos peccant, exigua sunt & pauca. Si ergo Deus libenter nobis tot & tanta mala quę in eum commisimus dimittit, multo facilius nos hominibus dimittere debemus pauca & parua quę in nos ipsi deliquerunt: sed iste seruus non sic agere voluit. Inuenit enim vt dictum est, vnum de cōseruis qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum. Tenebat eum, quia nolebat dimittere quod ipse peccauerat. Et suffocabat eum, id est coangustabat spiritaliter, & extinguere nitebatur in reatu peccati in se ab eo commissi. Debitorem enim cōseruum, id est fratrem in se peccantem tenet, qui nō dimittit ei quod in se peccauit, sed memoriam iniuriæ quam ab eo passus est, in corde suo reseruat. Quem & suffocat, dum animam eius spiritaliter strangulat & opprimit, & coangustat in periculo peccati, non dimittens ei quod in se commisit, sed alligans eum in culpa. Redde inquit quod debes, id est iam nunc sine mora persolue mihi rectum de omnibus iniuriis quas mihi fecisti. D. Ansel. in suis enarra. euange.

Egressus autem seruus ille &c. ô quam multi sunt

qui humanis felicitatibus & honoribus adeptis, Deum ſuum obliuiſcuntur,cum antea tribulationis & calamitatis tempore in ſuum patrocinium & auxilium inuocaſſent. Cuius rei appoſitiſſimũ exemplum nobis erit Pharao, qui in die tribulationis cum cortigebatur à domino, ipſum inuocabat,& cum ſe à plagarum labore ereptum videret,& in priſtinam ſalutem reſtitutum,vtique Deũ non agnoſcebat.

Et procidens conſeruus eius rogabat eum,dicens:patiẽtiam habe in me,& omnia reddam tibi. Ne verba quidem ipſa veritus eſt, quibus ſalutem acquiſiuit: his enim ipſe dictis tantorum talentorum debitũ euitauit. Ita nec portum quidẽ cognouit,quo tutatus à naufragio euaſit, nec modus ipſe ſupplicationis ad miſericordis domini memoriam eũ reduxit: ſed omnia illa,crudelitate ac auaritia oblitus,omni feta ſæuius in cõſeruum inſiliebat.Quid facis homo? non ſentis aduerſus teipſum mucronem adigere, ac ſententiam & munus domini reuocare? ſed ille nihil horum cogitauit, nec rei ſuæ meminit nec vllo modo remiſit.Et certe nõ ęquali de re iſte ſupplicabat,cum pro talẽtis hic decem millibus, alter autem pro centum denariis ſupplicauerit:& ille conſeruo ſe proſtrauit,iſte domino:& cui omnino indultum fuit, is nec prorogationem quidẽ conceſſit; vinculis enim atque carcere ipſum oppreſſit,quod alij ſerui non ferentes, totam rem ad dominum retulerunt, qui nihil debebant.Quid igitur Deus faciet?&c. D. Chryſoſ. in Matt.homi.62.

*Patientiam habe in me.*Id eſt patiẽter expecta me. *Et omnia reddam tibi.* Id eſt vniuerſa quæ in te peccaui emendabo tibi, & bene deinceps me erga te habebo.D. Anſel.in ſuis enarra.euang.

*Ille autem noluit; ſed abiit,& miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.*Sunt nonnulli malignæ mẽtis homines, quorum iſte ſeruus imaginem tenet, qui grauium peccatorum quæ ipſi perpetrauerunt immemores, ſi & leuiter culpa fratris in ſe peccãtis offendantur, in tãtam obſtinationem prorumpũt,vt quod dictu quoque nefas eſt,optent fratrẽ ſuum ęternis ante perire ſuppliciis,quam quod in ſe peccauerat indulgeant.D. Anſel.in ſuis enarra. euange.

*Et miſit eum in carcerem.*Commendat Apoſtolus Hebræos,quia in carcerem miſſis & afflictis compatiebantur Heb. 10. G. nam vinctis compaſſi eſtis.

Vide quomodo Ioſeph vinctis compateretur etiam cum ſibi carceris cuſtodia commiſſa eſt. Gene.39.

Carceres quamuis oporteat eſſe fortes ac bene munitos,humani tamen eſſe debent. Qui Ieremiã prophetam incluſum in carcere cuſtodiebant,non impediebant ei negotiũ dictandi ipſi Baruch,atq; emendi vendendique contractum, vide Iere. 32. & 36.

Quanquam gẽs erat inhumana & barbara, qui Paulum vinctum habebant, non prohibebant tamen eum diſcipulis & aliis communicare,& quocunque vellet epiſtolas mittere. E carcere ſiquidẽ ſcripſit ad Epheſios, & ex vinculis conſcripſit ad Philippenſes.Item cum eſſet in vincula coniectus, literas Philemoni pro Oneſimo ſeruo miſit. Et cũ eſſet vinctus ſub præfecto Felice,iuſſit iudex ne cũ diſcipulis communicare Paulum vlla ratione prohiberent. Acto.24.

Herodes qui tam tyrannus erat,nõ prohibuit tamen ne cum ſuis diſcipulis conuerſaretur ac cõmunicaret Baptiſta Matt. 11.

Vincti ſunt à nobis inuiſendi ac conſolandi 2. Tim.1.D.det miſericordiam dominus &c.

Cuſtos carceris affabilis ac benignus eſſe debet Gene. 40. B. cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra?

*Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde,& venerunt & narrauerũt domino ſuo omnia quæ facta fuerant.*Si hic voles nonnulla diſſerere de gratitudine quam amplecti debemus, & de ingratitudine quã maxime deteſtari oportet,& propter quam ſerui iſti moti ſunt vt conſeruum ingratum apud dominum deferrent, aliqua ſubiungam.

Officia etiam feræ ſentiunt inquit Seneca lib.1. de benefi.cap.3. nec vllum tam immãſuetum animal eſt,quod non cura mitiget, & in amorem ſui vertat,leones enim & elephanti mãſuefiunt:adeo etiam quæ extra intellectum atque extimationem beneficij ſunt poſita, aſſiduitas tamen meriti pertinacis euincit. Ingratus eſt aduerſus vnum beneficium,aduerſus alterum nõ erit: duorum oblitus eſt,terũm etiam eorum quæ exciderunt, memoriam reducet.Is perdidit,qui cito ſe perdidiſſe credidit.At qui inſtat,& beneficiis prioribus ſequentia addit, etiam ex duro & immani pectore gratiã extundit: non audebit ille aduerſus multa oculos attollere. Quocunque ſe vertet, memoriam ſuam figens, ibi te videbit, beneficiis tuis illum cinges.

Beneficiorum ſimplex ratio eſt inquit idem Seneca lib.1.de Benefi.cap.2.tãtum eroga. Si reddet aliquid,lucrum eſt: ſi non reddet,damnum nõ eſt. Ergo illud dedi,vt darem:nemo beneficia in calẽdario ſcribit. Nec auarus exactor ad horam & diẽ creditorem appellat. Inſta perpetuo,& vrge in beneficiis conferendis.

Beneficium non in eo quod fit aut datur conſiſtit,ſed in ipſo dantis aut facientis animo. Animus eſt qui parua extollit,ſordida illuſtrat, vel magna & in pretio habita,dehoneſtat.Vide Senecam vbi ſupra cap.6.

Nõnũquam magis nos obligat qui dedit parua magnifice,qui exiguum tribuit, ſed libenter, qui paupertatis ſuæ oblitus eſt,dũ meam reſpicit: qui accipere ſe putauit beneficium,cum daret,qui dedit tanquam non recepturus.Contra ingrata ſunt, licet re ac ſpecie magna videantur, quæ danti aut extorquentur,aut excidunt.Multoque gratius venit quod facili,quam quod plena manu datur.Exiguum eſt quod in me contulit,ſed amplius nõ potuit.At id quod dedit magnum eſt,ſed dubitauit, ſed diſtulit,ſed cum daret gemuit,ſed ſuperbe dedit ſed circuntulit, & placere ei cui præſtabat, noluit: ambitioni dedit,non mihi.Seneca vbi ſupra cap.7.

Moleſtum verbum eſt,oneroſum, & demiſſo vultu dicendum,rogo.Sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Illud beneficium iucundum victumque in animo ſcias,quod obuiam venit. Si nõ contingit præuenire,plura rogantis verba intercidamus,ne rogati videamur;ſed certiores facti;ſtatim promittamus,facturoſque nos etiam antequã interpellaremur, ipſa feſtinatione approbemus. Quemadmodum ęgris opportunitas cibi ſalutaris eſt,& aqua tempeſtiue data remedij locũ obtinuit: ita quamuis leue & vulgare beneficium ſit,ſi præſto fuerit ſi proximam quamque horam non perdidit,multum ſibi adiicit,gratiamque pretioſi,ſed lẽti & diu cogitati muneris vincit. Vide Senecam lib.2.de Benefi.cap.2.

Ingentia quorundam beneficia, ſilentium;aut loquen

loquẽdi tarditas imitata grauitatem & triſtitiam, corrupit,cum promitteret vultu negantiũ. Quãto melius adiicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humana benignaque commendare quæ præſtes. Vt illum caſtiges quod tardior in rogãdo fuit,adiicias licet familiarem querelam.Iraſcor tibi, quod cum aliquid deſideraſſes, non olim ſcire me voluiſti,quod tam diligenter rogaſti, quod quenquam adhibuiſti.Sic efficies, vt animum tuũ pluris æſtimet, quam illud quicquid eſt ad quod petẽdum venerat.Tũc eſt ſumma virtus tribuẽtis, tunc benignitas,vbi ille qui diceſſit dicet ſibi:magnum hodie lucrum feci, malo quod illum talem inueni,quam ſi multiplicatum hoc ad me, de quo loquebar, alia via peruenifſet. Huic enim animo nunquam parem referam gratiam. Vide Senecam vbi ſupra cap.3.

Nil æque amarum,quam diu pendere. Pleriſq; autem hoc vitium eſt,ambitione praua differendi promiſſa,ne minor ſit rogantium turba. Quales multi regiæ potentiæ miniſtri ſunt, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum, minuſque ſe iudicant poſſe,niſi diu multumque ſingulis quod poſſint oſtendant,nil confeſtim,nil ſemel faciunt: iniuriæ illorum præcipites lenta beneficia ſunt. Vnde illud vulgo dictum. Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis? omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis, cito facere. Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis: tarde velle, nolentis eſt.Vide Senecam lib.2.de Benefi. cap.5.

Fabius Verrucoſus,beneficium ab homine duro aſpere datum,panem lapidoſum vocabat,quem eſurienti recipere neceſſarium ſit.Vide ſenecã vbi ſupra cap.7.

Magna quidem huius ſerui extitit ingratitudo, tum ratione temporis, quia paulo ante à domino tantum acceperat beneficium:tum etiam propter ſimulatam & fictam humilitatem quam corã domino prius oſtenderat,quam cito depoſuit egreſſus à conſpectu domini: adde etiam quia conſeruo ſuo extitit inhumanus. Vide D. Tho.in Matt.18.

*Tũc vocauit illum dominus ſuus,& ait illi:ſerue nequã, omne debitum dimiſi tibi,quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui,ſicut & ego tui miſertus ſum?*Perſpicis quantum inter peccata & peccata diſcrimen eſt? quantum enim centum denarij à decem millibus talentis diſtant, tantum imo vero multo plus,ea quæ in hominem peccata, diſtant ab his quæ in Deum committuntur:quod tũ differentia perſonarum, tum crebritate,imo vero continẽtia peccãdi perſpicitur &c.Vide.D. Chryſoſin Matth.homi.62.

Si tantopere indignatur Deus contra eos qui ſibi debita tam crudeliter extorquent à proximis, quantum putas iraſcetur contra eos qui vſuris & latrociniis fratres ſuos opprimunt atque deuorãt? vide Ferum ſuper hunc locum.

*Serue nequam omne debitum dimiſi tibi &c.*Si voles aliqua hoc loco etiam tractare circa gratitudinem & ingratitudinem,plura ſubiiciam.

Vt augeatur & creſcat in nobis diuina gratia, optimum illud medium eſt,vt grati ſimus beneficiis à Deo acceptis, & ea vigilanti memoria ſæpe recolamus. Quæ quidẽ adeo innumerabilia ſunt, vt non valeant numerãdo percenſeri. Vide D. Auguſ.lib.de diligendo Deo cap. 2.to.9.

Vt Deo grati ſimus, non ſolum generalia beneficia contemplari debemus, ſed etiam diligenter meditari & recolere ſpecialia auxilia & fauores quibus nos proſequitur.Vide eundem lib. Meditati.cap.11.to.9.

Quantum Deo placeat vt ſibi pro acceptis beneficiis gratias agamus,vide Philonẽ in lib. de victimas offerentibus.

Cum Abraham tantopere erga Deum gratus extiterit,vide quam innumeris eũ beneficiis Deus affecerit. lege eũdem Philo.lib. de ſacrificiis Abel & Cain.

Cælorum ornatus,ſolis ſplendor, aſtrorum diſtinctio, tellutis amæniſſimi veſtitus, & ſimilia propter nos à Deo cõdita, maximopere ad gratias Deo noſtro agendas nos inuitant.Vide D.Baſi.homi.5.in Martyrem Iulitam.

Si cæteræ creaturæ quantum in ſe eſt Deo gratias agunt,eundemque aſſidue laudãt:quid hominem facere par eſt,propterquem cõditæ illæ ſunt? Vide D.Ambro. in oratio.de obitu fratris.

Vide quã gratum ſe domino exhiberet Dauid, qui dicebat: quid retribuã domino pro omnibus quæ retribuit mihi?Pſal.115.lege D.Hiero.ad Euſtochium virginem de cuſtodia virginita.to.1.

Vide quę calamitates contigerint regi Ezechię propterea quod ſe ingratum quodammodo vt dicunt Hebręi,viſus fuerit oſtẽdere tantis beneficiis acceptis:lege D.Hiero.lib.11.in Iſa.39.to.5.

Gratum quidem ſe eſſe oſtẽdit Noe,qui ſtatim poſt diluuium egreſſus ab arca ędificauit altare,& in eo obtulit deo holocauſta, quæ ita diuinis oculis placita fuerunt,vt ſcriptura dicat, & odoratus eſt dominus &c.lege D. Chryſoſt. in Gene.homi. 27.tom.1.

Non debemus eſſe pigri ad gratias deo agẽdas pro beneficiis acceptis:ſi quidem qui gratum ſeſe exhibet, meretur vt in dies alia atque alia beneficia accipiat. Lege. D. Chryſoſ.ad popu. homi. 72.to.5.

Gratum hominem ſemper beneficium delectat,ingratum ſemel.Gratus etiam quamuis à ſeruo ſuo beneficium acceperit, æſtimat non à quo, ſed quid acceperit.Vide Senecam lib.3.de benefici.cap.17.

Conſidera diligẽter ac perattẽte quanta in dies à Deo beneficia accipias,& ea ratione facile intelliges quã gratus eſſe debeas: neq; enim neceſſitatibus tãtummodo noſtris prouiſum eſt, ſed etiam multa ad ornatum & delicias nobis collata ſunt. Vide Senecam lib.4.de benefi.cap.5.

Nonne oportuit & te miſereri conſerui tui? Si voles paulo fuſius diſſerere quod proximis noſtris cõpati ac condolere debeamus, nonnulla ſubiungã.

Gedeon compatiens ſociis fatigatis, petiit pro eis panem.Iudicum 8.

Dauid miſeratus ſuorum militum non valentiũ ad pugnam prodire, & propterea ad ſarcinas tantum manentium, conſtituit quod æqua eſſet pars eorum ſicut bellatorum 1.Reg.30.

Filij Iſrael compatiẽtes tribus Beniamin,amare fleuerũt poſt eius deſtructionem.Iudicum.21.

Anthiochus quamuis malus, audiens Oniam iniuſte occiſum,condoluit & fleuit 2.Mach.4.

Elias condolens viduæ, eius filium ſuſcitauit 3.Reg.17.

Eliſeus viduæ creditori obligatæ compatiens, miraculum olei à domino impetrauit 4.Reg.4.

Vehementer quidem Onias doluit, cum vidit ab Heliodoro templum ſpoliandum,in quo erant depoſita viduarum 2.Mach.3.

Christus dominus viduæ compatiens, dixit ei: noli flere, & eius filium suscitauit. Luc. 7.

Petrus videns flentes viduas propter Dorcadis interitum, eam suscitauit Acto. 9.

Nehemias audiens de infelici statu Hierusalē, fleuit diebus multis Nehe. 1.

Saluator noster præuidens ruinam Hierusalē, fleuit super eam Luc. 19.

Quia dives epulo non est compassus mendico Lazaro, sepultus fuit in inferno Luc. 16.

Christus dominus compassus est surdo illi & muto, ingemiscens, & sanans eum. Marci 7.

Compatiebatur Abraham peregrinis, & eosdē hospitio recipiebat Gen. 18.

Loth etiam ab Abraham simile officiū recipiēdi peregrinos didicerat Gen. 19.

Duo illi discipuli euntes in Emaus, dominum Iesum quem non cognoscebant, benigno hospitio exceperunt Luc. 24.

Proni in clementiam & faciles esse debemus, quandoquidem vicissim aliorum etiam auxiliis & subsidiis indigemus. Vide Senecam lib. 1. de clemen. cap. 6.

Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Attēte debes cōsiderare, quod etiamsi dominus cum hoc misericorditer & liberaliter se habuerit, cum multis esset obligatus, quia vero postea iste proximo non pepercit, cum illo seuere egit, eundemque appellauit seruum nequam: vt intelligas quantum Deo displiceat quod erga proximos non simus misericordes. Pōs quippe quo ad Deum transituri sumus vt veniam nobis condonet, misericordia est quam erga proximos exercemus. Ille ergo pontem fregit quo trāsiturus erat ad Deum, qui proximo nō pepercit: cum vero iste eum fregisset, nō habuit quo transiret, atque ita incidit in manus iustitiæ Dei. Vnde Iaco. 2. dicitur, iudiciū fiet sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.

Quousque redderet vniuersum debitū. Id est ad perpetuitatem eum supplicij tradidit, nūquam enim inde rediturus est. Nā quoniam beneficiis melior fieri nō potuisti, reliquum est vt pæna torquearis. Et quamuis charismata hæc & dona irreuocabilia sint, tātum tamen malignitas valuit, vt hanc quoque legē superauerit. Quid igitur deterius memoria peccatorum ac vltione, quæ tot tantaque diuina dona euertere posse videatur? Nec quietus; sed ira commotus eum tradidit. Quando enim vendi eum iussit, nulla ira fuit in verbis, ideo nec vendidit: nūc autem hæc sententia non parua cum molestia ad compūctionem, atque supplicium terminatur D. Chrysost. in Matt. homi. 62.

Qui enim fratri indulgere noluit, sed eum in carcerem pro debito misit, merito ipse indulgentiam quam perceperat amisit, & in manus tortorū venit. Nā quisquis hominē ad imaginē Dei factū, à peccato non soluit rogatus, sed propter obdurationem mēris suæ, quantum in se est, tartareo carceri puniēdum tradit, Deo est odibilis, & eandem sibi damnationem indubitāter acquirit. Iratus est ergo dominus eius, id est asperitatē iustæ vltionis in eū exercuit. Nō enim in natura sua Deus irasci potest, qui semper tranquillus & incommutabilis permanet, sed iratus videtur eis quibus vindictam reddit. Ideoq; vindicta ipsa vocatur eius ira, Iratus itaque tradidit eum tortoribus, hoc est malignis spiritibus, qui torquerent eum in inferno quousq; redderet vniuersum debitum, id est sine fine. Quisquis enim semel traditus irreuocabiliter crudelibus angelis, quorū officiū est reprobos torquere, nunquam alterius valet debitum reddere, quia nō potest per pœnitentiam & opera bona quod male gessit emēdare, & propterea semper cogitur pœnas sustinere. D. Anselm. in suis enarra. euange.

Traditur iste tortoribus, quoadusque reddat vniuersum debitum: vbi significatur nobis quod in inferno nulla sit redemptio, & quod in hac vita dimittere fratribus debeamus, & veniam à Deo postulare, sacramenta frequentare, quibus & gratiam cælestē comparemus, & eandem in nobis augeamus. Porro nos in dies magis magisq; procrastinamus, & differimus ad Deum conuerti Isa. 28. manda remanda &c. appellamur etiam illusores à propheta.

Quousque redderet vniuersum debitū. Vide D. Tho. 3. p. q. 88. ar. 1. & ar. 3. ad 3.

Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si nō remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Non dixit pater vester, sed pater meus: non enim digni sunt isti quorum pater Deus vocetur, cū ita nequam sint, vt homines odio persequantur. Duo enim hinc eū quærere diligenter animaduerte, vt & nos ipsos peccantes culpemus, & aliorum peccata dimittamus, ita hoc postremum propter alterum facilius reddit. Nam qui sua cogitat, ad dandam conseruo veniam, non ore solum, sed corde facilior est. Non impellamus ergo aduersus pectora nostra mucronem: nunquam enim tantum tibi doloris offerre alius poterit, quantum ipse tibi, si recordatus iræ vindictam quæras, & aduersus teipsum sententiam iudicis attrahas. Nam si vigiles atque philosopheris, in illius caput totū malum retorquetur, ac ipse male patietur, non tu. Sin vero molestē ac grauiter feras, tunc non ab illo, sed à teipso detrimēto afficieris. Noli ergo dicere, obtrectauit & calumniatus est mihi, & mille intulit incommoda. Quanto enim plura dices, tanto reipsa benefactorem ipsum ostendes, qui causam tibi præbuit, vt tuorum possis peccatorum sordes detergere. Ita quo maiores ille iniurias in te iaculatus est, eo maioris indulgentiæ tibi causa constitutus est; nam si voluerimus, nemo vnquam nobis iniuriari poterit, sed cum inimici sint, præcipua tamen nobis conferunt lucra. D. Chrysost. in Mat. homi. 62.

Sic & pater meus faciet vobis. Formidolosa sententia, si iuxta nostram mentem sententia Dei flectitur atque mutatur. Si parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittentur &c. D. Hiero. lib. 3. in Matt. 18.

Dicit tibi Deus, tu debitorem habes, & debitor meus es: oportet ergo si veniam à me cupis impetrare, vt debitori tuo ignoscas. Ego vt vides tibi ignosco, cum tamen te non indigeam, nec tibi debitor sim: tu igitur cum in multis me offenderis, parcas necesse est debitori tuo. Neque est quod dicas, te quidem læsum fuisse immerito, si quidem propterea maius referes præmium, si fratri peperceris & hāc Christi legem impleueris. Nullam ergo excusationem habebis si veniam peccatorū nō impetraueris, quando quidem maligno animo non vis fratri debita condonare. Vide D. Chrysosto. in Matth. homi. 20.

Qua tandem fronte petere à Deo audes, vt tibi dimittat, cum tu nolis fratri dimittere? & si is qui offensus est, reconciliari fratri debet, quid de illo dicendum erit qui offendit? Vide D. Chrysosto. in non absc. ho. 15.

De rege qui posuit rationem cum seruis suis, vide Hugo. de sancto Victo. lib. 2. Allego. in Matt. cap. 34. to. 1.

Duas habet de hac domi. concio. D. Anto. initio 1. par. Theo.

Vide eundem 1. par. historia. tit. 5. cap. 2. §. 12.

DOMINICA VIGESIMA secunda post Pentecosten:

ABEVNTES Pharisæi consilium inierunt vt caperent Iesum in sermone. Matth. 22. Luc. 20. Tunc istud quod dicit euangelista, quando significat? Quando maxime illos compungi oportuit, quando clementiam illius admirari debuerunt, quando futurorum euentus erant expauescendi, quando denique à rebus præteritis, etiam de futuris credendum erat. D. Chryso. in Matth. homi. 71.

Omnis quidem malitia cōsuditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, maxime eorum qui proposito malo, & non ignorantia peccant. Sic etenim sacerdotes postquam terrere dominum non potuerunt dicentes. In qua potestate facis hæc? postquam parabolarum ratione constricti, iudicio ipsi se reos fecerunt, dicentes. Malos male perdet, nemine contra eos dicente testimonium, nisi conscientia sola; nunquid compunxit eos timor peccati? nunquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? Abierunt; & consilium acceperunt vt eum caperent in sermone. Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si vna ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit: sic & eorum malignitas ex vna parte confusa, aliunde sibi aditum adinuenit. Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas ignē: sic non potest fieri vt rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis quanto amplius ligna susceperit, in maiorem flammā erigitur: sic animus malus quanto magis veritatem audierit, eo amplius in maliiam excitatur. D. Chrysosto. in non absc. ho. 42.

Consilium inierunt. Dauid cum aliquid arduum facere cupiebat, consulebat dominum, vt illud vrū tradent Ceilæ? respōdit Dns tradēt & illud 1. Reg. 30. persequar latrunculos hos? Moyses etiā Leui. 24. cum comprehendit blasphemum, consuluit dominum. & etiam cum inuenerunt hominem colligentem ligna in sabbato. Num. 15. sed impii cum consilium faciunt, non dominum consulunt, sed diabolum, & quomodo dominum capiant in sermone studentes; & ideo maledicti sunt & damnati, sicut Saul rex eorum, de quo scriptura ait 1. par. 10. quod interfectus est propter iniquitates suas, & inter alia flagitia dicit de eo quod Pythonissam consuluerit. Væ qui profundo estis corde, inquit Esa. 29. vt à domino absc ondatis cōsilium. Quare in omnibus quæ agis dominum consule & spem tuam omnem in eo confige, aliter enim tibi male omnia cedent. Quia enim multi carnem, aut mundum consulunt, & non Deum, ideo eis omnia prepostere succedunt. Ideo periit Ochozias rex Israël 4. Reg. 1. quia misit vt consulerent Beelzebub deum Accaron. Asa etiam rex Iuda mortuus est dolore pedum vehementissimo, quia in infirmitate sua dominum non quæsiuit 2. Para. 16. De huiuscemodi etiā consilio ait Dauid Psal. 21. consilium malignantium obsedit me.

Vt caperent in sermone. Quia non poterant eum capere in malo opere, & quia facilius capitur homo in verbis, quam in factis. Vide Lyranum super hunc locum.

Cum malcuoli non possunt aliquem in operibus calumniari, tentant num forte eundem in sermone capere possint: ita isti cum viderent Christi vitam tam splendidissimam esse, & sine vlla reprehensione, eum in sermone capere volebāt: sed tamen decepti sunt, cum eius sermo non minus etiam splendidissimus esset. Vide Abulen. quæst. 76. in Matthæum 20.

Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis, dicentes. Cogitabant enim apud se sacerdotes, si nos soli euntes interrogauerimus Christum, quamuis dixerit quia non licet dari Cæsari tributum, tamen nemo nobis credet dicentibus contra eum: iam enim omnes sciunt quia inimici eius sumus. Inimicorum autem testimonium in iudicio, etsi verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. Sed nec per seipsos Christum interrogare volebant, quia in magna suspicione inimicitiæ fuerāt apud Christum, ne forte quasi suspecti circunuenire eum non possint. Nam inimicus manifestus, melior est, quam amicus fictus. Ille dum timetur facile vitatur: iste dum non agnoscitur preualet. Miserunt ergo discipulos suos adhuc minus cognitos, & minus suspectos, vt aut absc ondite facile deciperent eum, aut deprehensi minus erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior: sed discipuli magistris suis ætate minores erant, malitia autem pares. Nam & pulli serpentium statura breuiores, veneno autem æquales sunt. Et catuli luporum adhuc teneri constituti, etsi venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus ludunt. D. Chrysosto. in non absolut. homini 42.

Simul cum Herodianis tentant inuadere iustum Psalm. 2: Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Sicut enim sancti viri vnum fiunt ad bonum operandum acto. 4. multitudo credētium erat cor vnum, & anima vna: ita impij fiunt vnum ad malum patrandum, & vt iustum persequantur. Samson vulpium caudas ad caudas iunxit, vt Philistinorum segetes incenderet & consumeret. Iudicum 15. sic impij astuti & dolosi sicut vulpes coniunguntur ad inuicem, vt malum inferant proximis. Sed tamen sicut vulpes illæ quamuis damnum intulerint, ipsæ nihilominus combustæ sunt, sic mali dum aliis nocent, sibi primum damnationem acquirunt.

Et mittunt ei discipulos. Quales magistri, tales & discipuli, Sic dæmon tentabat Christum in deserto. Sic vxor Ieroboam voluit decipere prophetam Ahiam, dissimulans se esse 3. Regum 14. Sed frustra iacitur rete ante oculos pēnatorum Prouerbiorum 1. Deus falli non potest, sed ipse patefecit machinam vxoris Ieroboam, & suo nomine vocauit eam. Ita isti nunc tentatores absc ondi non potuerunt Christo, quamuis venirent in vestimentis ouium, sed intrinsecus erant lupi rapaces. O quam multos etiam nunc inuenias fictos & dupli ci corde homines! vix enim inuenias cui tuto fidere possis, nec qui simplici corde tecum agat, sed cum te esse tutum putaueris, deceptum potius inuenies à tuis fictis amicis. Væ duplici corde ait Ecclesiasticus 2. labiis sceleſtis, manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Abominatur enim altissimus hos simulatos & fratrum deceptores. Arca Noe interius exteriús que linita erat bitumine Genes. 6. vult Deus vt interius & exterius ornati simus sanctitate, & cor linguæ consonet. De fictis autem dicebat Dauid Psal. 34. qui loquuntur pacem proximo suo, mala

autem in cordibus eorum. Et rursum, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum Psalm. 139. vno ore flare & sorbere volunt, vnáque manu panem, altera vero lapidem ostentant. Sicut apes ore portat florem, sed retro aculeo ferit: ita multi blande loquuntur, sed intus malitiam gerunt. De his dicebat regius vates Psalm. 117. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, Deus populo Iudaico prohibuit esum cygni Leuiti. 11. cuius pennæ candidæ quidem sunt, caro autem ipsa nigra. Vnde & Sap. 1. dicitur, spiritus domini effugiet fictum. Sicut de Chamæleonte legitur, propinquiori colore eum affici, sic adulatores iis quibus assentantur sese accommodare solent. Si commendant aliqua, ipsi etiam commendant: & contra si quidpiam vituperant, itidem. Vnde Augustinus in Psal. 79. ait, quod plus nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris. Sic Ioab sub osculo percussit Amasam 2. Reg. 20. & Prouer. 25. dicitur, ne iudices vinum propter dulcedinem, nam in potu suaue est, & postea mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffunder. Manus Moysi ad extra erant mundæ, positæ vero in sinu erant leprosæ. Exo. 4. sic isti foris mundi apparent, intus autem sordibus pleni sunt. Sicut ligna ignem nutriunt, ignis autem ea incendio suo deuorat: sic illi quibus fit adulatio, sustentant ipsum adulatorem, adulator autem eos absumit. Et sicut Actæon vt fabulantur poëtæ, à canibus quos alebat fuit deuoratus: sic qui adulatores sustinent, ab ipsis deuorantur.

Mittunt eis discipulos suos. Quales erant magistri, tales & discipuli: quo loco si voles disserere contra eos prælatos & magistros qui mala consulunt suis subditis & discipulis, pauca quædam subiiciam.

Vide quid acciderit Aaron cũ populo Israëlitico, cum vitulum adorauit Exo. 32.

Heli non satis commode filios instituerat, vnde aduerte quid ei contigerit 1. Reg. 2.

Ieroboam vitulos conflauit aureos, & eos fecit à populo adorari 3. Reg. 12.

Manasses seduxit Iudam & habitatores Hierusalem ad operandum mala, & ideo particeps fuit omnium malorum quæ illi fecerunt 2. Para. 33.

Mali extitere prælati principes sacerdotum, qui cæcum à natiuitate à Christo liberatum atque sanatum: ab eius laude retrahebant Ioan. 9.

Principes sacerdotum impediebant Petrum & Ioannem ne verbum Dei prædicarent in populo Act. 4.

Et mittunt eis discipulos. Hoc faciebant præ cæca inuidia ipsos consumente, videntes eius opera tam singularia & diuina; cum potius contra se gerere deberent, eum magnificantes & laudantes. Saul quidé ex quo debuisset Dauidem decorare quod scilicet ab incursu hostium Saulis regnum defenderet: ex eo potius ei inuidebat & succensebat 1. Reg. 18.

Vide quam cæca sit inuidia Matth. 21. B. audis quid isti dicunt?

Non inuideamus altius stantibus inquit Seneca lib. 1. de tranquilli. vitæ ad fere. cap. 10. quæ enim excelsa videbantur, prærupta sæpe sunt.

Cum Herodianis. Noluerunt Pharisæi discipulos mittere solos, ne forte si Christus responderet nõ esse licitum, eis fides non adhiberetur, quoniam ipsos tanquam de inuidia suspectos & Christi inimicos omnes habebant. Vide Henricum super hunc locum.

Cum Herodianis. Similes cum similibus sociabantur, & ex veneno infectis fontibus, dulcem aquam & sermonem proferre volebant, specie quidem tenus, quæ tamen reuera lethalis erat & mortifera. Vide Eusebium in hoc Euange.

Isti cognoscere veritatem nolebant, sed suis erant passionibus excæcati: nam quemadmodum oculis ægris infirmisque, micantem solem intueri non possumus, sic isti deprauato & maligno præditi, veritatem non agnoscebant. Vide D. Cyprianum. de cæna domini pag. 321.

Quam magna sit Dei virtus ac sapientia ad destruendas machinas & astutias impiorum, multa habes apud D. Grego. lib. 6. Mora. ca. 11. 12. & 13. Super illa verba, Iob 5, Qui comprehendit sapientes in astutia eorum.

Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Quomodo ergo quasi à seducto corrumpi asserebatis, quem paulo ante interficere volebatis? vniuersa nempe ista insidiantes faciunt. Nam paulo ante inflammati, acriter interrogauerunt, dicentes. In qua potestate hæc facis? nec ad eam interrogationem optatum audierunt, responsum, adulatione nunc putant effæminare eum ita, vt aduersus instituta eorum & præsentem rerum statum quidpiam dicat: vnde veritatem quoque inesse ipsi, non ex animo, neque volentes attestantur. Deinde subiungunt: nec de aliquo tibi cura est. Perpendis quomodo se subaperiunt, in eum velle sermonem Christum depellere, quo Herodem offendat, affectatæ tyrannidis suspicione, quia statutas leges contemneret ita in factionis crimen trahere ipsum nitebantur. Quod enim dicunt, nulla cura est tibi de aliquo, nec ad personam hominum respicis, Herodem ac Cæsarem sub ostendere videtur. D. Chrysosto. in Matth. homi. 71.

Magistrum eum vocãt, & veracem magistrum, vt quasi honoratus & laudatus, mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tanquam volens eos habere discipulos. Hæc enim hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere volunt, vt per delectationem laudis paulatim corda hominum ad simplicitatem benignæ confessionis inclinent. Veluti siquis taurum validum viribus non potest subiugare & vinculo flectere, mollibus manibus nodosam eius fricat ceruicem, vt quem virtute tenere non potuit, per blandimẽtum comprehẽdat. De talibus dicit prophera Psal. 54, molliti sunt sermones eorum, & ipsi sunt iacula. D. Chrysosto. in non absolu. homi. 42.

Et viam Dei in veritate doces. Blanda & fraudulenta interrogatio, illuc prouocat respondentem, vt magis Deum quam Cæsarem timeat, & dicat non debere tributa soluit; vt statim audientes Herodiani, seditionis contra Romanos principem teneãt. D. Hierony. lib. 3. in Matth. 22.

Non enim respicis personam. Respicere in personam vel faciem hominum, est considerare externam aliquam hominum conditionem, eiúsque cõsideratione, non autem secundum causæ meritq; de homine iudicare, eique quid tribuere vel adimere. Nomine enim faciei & personæ, comprehenditur omnis externa hominis qualitas, quales sunt diuitiæ, potentia, forma, nobilitas, sexus, & id genus alia. Itaque iudex respicit in personam hominis, si pro diuite intuitu diuitiarum, neglecta consideratione meritorum causæ, iudicet. Sic & dominus respexisset in personam hominum, si considerationem potentiæ Cæsaris metuens eam adiudicasset

casset illi tributorum solutionem. Corne. Iansen. in sermo. de hac domi.

Eum volunt interrogatione sua capere, vt si dixerit licitum esse, male audiat apud populum: sin autem illicitum, suspectus habeatur apud Cæsarem. Vide D. August. contra Cresconium Grammaticum. lib. 1. ca. 17. to. 7.

Istorum interrogatio videtur similis vulpinę interrogationi: cum scilicet vt fabulantur poëtæ, rogabat coruum vulpes, vt cantaret, quod quidem non alia de causa faciebat, quam vt posset caseum quem coruus ore gestabat, arripere. Vide Clau. Guill. in Matth.

Magistrum illum vocant, vt eum deciperent, sicut scorpio ore blanditur, cauda autem pungit. Psalm. 49. os tuum abundauit malitia &c. Iubebat Deus in lege, vt nemo vestem ex lino & lana induereet Deute. 22. illi vero linum & lanam induunt, qui aliud in ore, aliud in pectore habent, Vocant etiam eum magistrum, vt eius magisteriũ irriderent: sic in prætorio Pilati vt eius regnum irriderent, coronam de spinis ei imposuerũt, & in manu pro regali sceptro arundinem, & genibus flexis eum regem appellabant, dicentes. Aue rex Iudæorum Ioan. 19. & in domo Caiphæ, prophetiam irridentes, oculos eius tegebant, & alapis ipsum cædentes, dicebant. Prophetiza quis est qui te percussit Matt. 26.

Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari an non? Tributum enim iam soluebant, cum res eorum ad Romanorum manus transisset: quo niam igitur viderunt Theudam & Iudam hac de causa quasi seditiosos interiisse, his verbis etiam ipsum in similem suspicionem iniicere conabantur Mittunt itaque discipulos suos cum militibus Herodis, sic interrogaturos, vt vtrinque prærupta præcipitia latrerent, & quicquid responderit præceps ruat, Herodianos autẽ simul acceperunt, vt si pro eis responsum ipsius faceret, ipsi criminatentur. Sin vero pro ipsis, Herodiani continuo accusarent. At qui didrachma iam persoluerat, sed hoc illos omnino fugiebat; & quãnuis alterutro ipsum laqueo capere satis eis erat, malebant tamen aduersus Herodianos quicquam ab eo audire: propterea discipulos vna cum illis miserunt, vt illorum præsentia commotus, in illud crimen laberetur, quo ceu factiosum principi traderent. D. Chrysosto. in Matth. homi. 71.

Licet censum dari Cæsari an non? Quasi dicant, non est iustum vt serui summi regis, terrenis regibus seruiamus. Si enim indignum est, vt ex duobus regibus homo alterius alteri obsequatur: & iniuriam facit suo, si subiaceat alieno: quanto magis indignum est vt cultores Dei humanarum potestatum grauamina cognoscamus? D. Chrysosto. in non absolu. homi. 42.

Licet censum dare Cæsari an non? Ista quæstio habuit ortum à tempore nativitatis Christi, quia prout habetur Luc. 2. Cæsa. Augustus præcepit vt describeretur vniuersus orbis. Et hæc descriptio primo facta est in Iudæa, quæ est in medio terræ habitabilis: & in ista descriptione omnes ibant ad ciuitates de quibus erant oriundi, vt profiterentur se reddituros tributum Cæsari. Tunc surrexit quidam nomine Iudas natione Galilæus, qui dicebat hoc esse Iudæis illicitum, quod scilicet recognoscerent aliquem dominum in terris, sed solum Deum qui in cælis est, & multos traxit ad se, vt habetur Act. 5. & Iosephus idem refert lib. 18. antiqui. cap. 1. & histo. Ecclesia. lib. 1. cap. 3. Et ex tũc aliqui huic opinioni adhærebant, quia ista opinio erat pro libertate populi, & pro honore ipsius Dei videbatur. E contrario alij asserebant quod erat illicitum dare tributum Romanis, quia pro defensione patriæ militabant, & ab hostibus & à latronibus defendebant, & pacem inter homines conseruabant & iustitiam. Hanc autem quæstionem malitiose proposuerunt Christo, vt si diceret non esse licitum, statim caperetur tanquam contrarius imperatori. Si autem diceret esse licitum, videretur esse contrarius libertati populi, & diuino honori, & sic incurreret maleuolentiã populi. Vide Lyranum super hunc locum.

Nuper sub Cæsare Augusto sudęa subiecta Romanis, quando in toto orbe celebrata descriptio stipendiaria facta fuerat, & erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate & quiete qua Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolui. Pharisæis vero qui sibi applaudebant de iustitia è contrario dicentibus, non debere populũ Dei, qui decimas solueret & primitiua daret, & cætera quæ in lege scripta sunt faceret, humanis legibus subiacere. Cæsar. Augustus Herodem filium Antipatris alienigenam, & proselytum regem Iudæis constituerat, qui tributis præesset, & Romano pareret imperio. D. Hieronymus. lib. 3. in Matt. 22.

Licet censem dare Cæsari? Cæsares ac principes, prælati ac superiores, prudentes esse debent, & nõ vti ineptis atque improbis consiliariis Dane. 6. B. tunc principes & satrapæ.

Multi prælati sæpe falluntur à malis consiliis Dan. 6. nunquid non constituisti.

Reges vtantur clementia 1. Reg. 11. D. non occidetur quisquam in die hac.

Prælati minus bene sibi consulentes, non libenter audiant 1. Reg. 24. B. quare audis.

Reges antiqui quam tractabiles & humiles essent 1. Reg. 11. B. Saul veniebat sequens boues.

A malis consiliariis multi falluntur superiores 2. Reg. 10. per. totum.

Sæpe decipiuntur multi prælati propter noxia consilia Esther 16. per totum.

Prælati benigni sint ac clementes 3. Reg. 12. per totum.

Nonnulli prælati à detrahentibus hominibus decipi solent 2. Reg. 16. A. apparuit Siba.

Licet censum dare Cæsari an non? Sicut nonnulli sartores ita occupãtur in alienis vestibus consuendis ac reficiendis, vt suarum obliuiscantur, quæ tamen laceræ sunt, dissutæ, atque detritæ: ita isti Pharisei aliena negotia solicite curabant, & de censu Cæsari dando soliciti erant, obliuiscentes interim propriam conscientiam, quam in cæno variorum scelerum ac turpitudinum volutari patiebantur. Et quamuis literis onusti essent virtutibus tamen nudi erant atque inanes. *Dic ergo nobis.* Quemadmodũ gladius quanto acutior est & subtilioris aciei, si in manus deturfuriosi, maximam parit stragem & internecionem: ita diserta ac erudita lingua in homine prauæ conscientię, magnorum sæpe incommodorũ causa est atq; origo.

Dic ergo nobis quid tibi videtur. Hi quidem discipuli sicut & eorum magistri, cum tam maligni essent, inuidi, & obstinati, non legebant, vel saltem non discebant ex libris quos percurrebant, quæ solida essent, vtilia ac salutaria: sed potius inania, vana, atque inutilia. Plinius scribit, in prouincia quadam reperiri mel venenosum atque mortiferum, quod scilicet apes quæ illud pariunt, non salutares, sed lethales flores, in magna florum varietate sibi deligant atque decerpant: ita pharisæi,

& ple

& plerique eos etiam nunc imitantes, in magna autorum & librorum varietate, lasciuos potius & vanos sibi libros deligunt, quam vtiles & exquisitos: atque propterea sibi interitum acquirũt, non commodum & vtilitatem.

Hi quidem Pharisæi, & eorum discipuli, captiosis argumentis & cauillationibus se totos dabant, non solidis & vtilibus, sed ea negligebant, & in desuetudine habebant: quod nemo sanæ mentis præstare debet. Siquidem quemadmodum vir prudens sibi potius deligit sine periculo honestum aliquod pallium, ex crassiori panno constitutum, quam cum periculo sericum pallium ad pedes soluti ac furiosi tauri abiectum: ita prudens lector solidam potius ac sanam eruditionem ex libris quos legit decerpere debet, quam intricatam & captiosam. Et quemadmodum qui triticum cribro purgat, secernit à lectissimo tritico purgamenta: ita vir splendidi ingenij in libris legendis optima sibi quæque assumere debet, inutilibus & noxijs neglectis. Vnde Antisthenes dicere solitus erat, prudentis lectoris munus esse, triticum à lolio separare. Non quidem inde colligas, non licere omnino aliquem librum ex Ethnicis scriptoribus legere, siquidem multi possunt vtiliter legi, decerpendo tamen quæ salutaria sunt, tanquam ex spinis rosam, & cætera posthabendo. Nam à catholicis scriptoribus fieri passim videmus, vt mulcos Ethnicos contra quos scripserunt, etiam ex Ethnicis scriptoribus desumptis locis cõfundant, atque prosternant. Vide enim quomodo scripserit Origines contra Celsum, Cyrillus contra Iulianum, & Methodius, Eusebius, & Apollina. contra Porphyrium. Iosephus porro Flauius grauis autor scripsit duos libros contra Apion. Alexan. in quibus tam multa profert ex Ethnicis scriptoribus, vt omnes veterum Græcorum historias euoluisse videretur. Quadratus episc. Atheni. obtulit librum quendam Adriano Imperatori pro defensione Catholicæ fidei & religionis, refertum variis Ethnicorum scriptorum authoritatibus, quo quidem lib. imperatoris iram sedauit ac mitigauit. Similem etiam obtulit circa idem institutum librum Aristides quidam Philosophus Christianus, eidem impera. non minus conspersum sententijs & autoritatibus veterum Philosophorum. Iustinus præterea martyr Philosophus singularis, contra Gentiles scripsit, multaque ex ipsismet Gentilibus desumpsit. Clemens item Alexandrinus, Irenæus Tacianus, Hippolytus Apollonius, Iulius Aphranius, Eusthachius Antiochenus, Athanasius Alexandrinus, Eusebius Cæsarienses, Eusebius Emissenus, Basilius Magnus, Gregorius Theologus, Tertullianus, Arnobius, Lactantius Firmianus, D. denique Hierony. & August. tam nobiles scriptores, multa ex Ethnicis autoribus desumpserunt, iisque vsi sunt quæ ad eorum facerent institutum. Contra etiam multi ex Ethnicis scriptoribus multa ex sacra scriptura deprompserunt, & in medium protulerũt, vt scribit Clemens Alexandrinus. Et Hermippus Pythagoricus inquit, q̃ Pythago. multa acceperit ex lege quam Deus dederat, eaque in sua Philosophia descripserit. Menenius Platonem appellat Moysen Athenienssem. Et Iustinus martyr inquit, multa desumpsisse Platonem ex lege quam Deus dedit populo Israelitico: idem etiam testatur Eusebius Cæsarienses. D. porrro Ambro. in lib. de Bono mortis scribit, quod ex canticis Salomonis acceperit Plato multa. Cæterum antequam septuaginta interpretati essent, iam multa ex sacra scriptura conuersa erant in Græcam linguam, vt scribit Aristobulus Aristotelicus, de quo mentionem facit Clemens Alexandrinus lib. 5. stroma. Idẽ asserit Demetrius Phalereus in quadam epist. ad Ptolomæum Philadelphum, & in quodam colloquio cum eodem habito, vt refert Eusebius Cæsarienses in lib. de præparatio. euange. Ex quo factum est, vt varij tunc ex autoribus Græcis diuinas literas legerint, cum in eorundem linguam conuersæ essent. Quod etiam vt commodius multi præstarent, nonnullorum sibi Hebræorum familiaritatem comparabant: nam & Aristoteles ex quodam Hebræo sibi familiari multa didicit, vt scribit Clearchus Peripatetic⁹ & refert Ioannes Franciscus lib. 1. Quare vt ad initia reuertamur, multa quidem ex multis Ethnicis scriptoribus depromere possumus, modo id prudenter & salua fide nostro faciamus: atque quemadmodum Dauid gladio Goliath eundem iugulauit, ita nos possumus Ethnicorum philosophorum authoritatibus, eosdem Ethnicos interdũ iugulare & confundere. Verum non ita libros legebant Pharisæi vt vtilia quæque ac salutaria in suũ vsum acciperent, sed ea potius ad prauos sensus contorquerent: tanquam aranea quæ salutares flores in venenum conuertit pestiferum atque lethale. Atque ita scientia sua citra vllam virtutem & studiosum opus, inflabantur potius & intumescebant. De quibus dixit Apost. 1. Cor. 8. scientia inflat. Si enim à virtute separetur scientia, esse videtur veluti in latrunculorum ludo equus ille qui dicitur & appellatur nomine tantũ equus, cum re uera nil te iuuet si forte velis aufugere, aut iter facere: ita enim scientia in homine vitioso eum non iuuat nec meliorẽ reddit, non vitio scientiæ, sed hominis vitioſi culpa, qui ea male vtitur, eandémque distorquet & deprauat. Vnde Sap. 1. in maleuolam animam non introibit sapientia &c.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census: at illi obtulerunt ei denarium. Hypocritas illos vocauit, quia fictis verbis dominum decipere cupiebant, aliud in corde gerentes. Et certe quemadmodum pellis vulpis in pretio est, caro autem nil valet: sic exteriora hypocritæ bona apparent, interiora autem nil valent. Vnde 2. Tim. 3. speciem quidem pietatis habentes, virtutem eius abnegantes. Et sicut qui ficto boue perdices aucupatur, non est ille quidem bos, sed sub specie bouis simplices auiculas decipit, capit, & occidit: sic hypocritæ & adulatores decipiunt simplices homines qui eorum laudibus delectantur. Magi Pharaonis suis incantationibus opera & miracula Moysi imitabantur, sed virga Moysi deuorauit virgas eorum. Exo. 7. sic hypocritæ imitantur opera iustorum verbáque eorum, verum sapientia Dei confundit illos, sicut isti confusi sunt à Christo, & eorum machinationes ad nihilum redactæ.

Obtulerunt ei denarium. Quia iste nũmus qui dabatur pro annuo census à quolibet capitaneo domus, valebat decem nũmos vsuales, & ideo vocabat denarius, & erat de argento Lyra. in Matt, 22.

Quid me tẽtatis hypocritæ? De hypocrisi vide Vin. Bell. Specu. Mora. lib. 3. p. 3. dist. 10.

Quid senserint philosophi consule eũdem Spe. doctri. lib. 4. cap. 129.

Lege eundem Specu. histo. lib. 20. cap. 69.

Hypocritæ ac simulatores suis fictionibus decipere intendunt. Amnõ quidẽ simulauit morbũ, quo sororem suam Thamar deciperet. 2. Reg. 13. Giezi simulauit dominum suum vestibus indigere, vt Naaman deciperet, & ipse sibi acciperet vestimenta 4. Reg. 5.

Apollonius Iudæis feriatis & sabbatum celebrantibus pacem simulauit, atque ita magnam edidit stragem 2. Mach. 5.

Sæpe tandem hypocritarum fictio & simulatio detegitur, vide enim quid acciderit vxori Ieroboam quæ habitum commutauerat 3. Reg. 14.

Amici ficti ac simulati quantum noceant Prouer. 29. A. homo qui blandis fictisque sermonibus.

Simulata amicitia quam noxia sit lege 4. Reg. 10. per totum.

Et ait illis Iesus, cuius est imago hæc & superscriptio? Ita interrogat veluti si nesciret cuius esset imago, vt ex eis responsum eliceret in quo eos caperet. Quanquam etiam hoc nomine moneram agnoscere nolebat, vt insinuaret quod munus & officiũ suũ esset nõ temporalibus sed spiritualibus rebus vacare. Voluitque docere, quod hi quibus spirituale regimen commissum est, temporalium rerum vsum pluris non faciant: sed sint tanquam aduenæ & peregrini in terra, suásque cogitationes & habitationes in cælo faciant. Ita enim mortui debent esse seculo, vt non agnoscant prope quæ sit imago auri aut argenti. *Cuius est imago hæc?* Multæ quidem mulieres sunt quæ adeo fuco, minio, & similibus, facies suas immutant quas à Deo acceperũt, vt eas Christus posset interrogare, cuius est imago hæc? cauendum quidem maxime est, ne Deo ita incognita reddaris, vt quando eũ vocaueris, tibi respondeat quod fatuis illis virginibus, Nescio vos. dic quæso, si ostenderetur tibi egregia aliqua pictura quã Apelles depinxisset, vel similis alius pictor, quæ præstantissima esset, nonne ridiculum esset, si nesciens eiusmodi facultatem, velles eam vel delere, vel aliquo pacto corrumperẽ ita ergo si eiusmodi fuco immoderate vteris, nonne in reprehensionem merito incides?

Cuius est imago hæc? Quia imago Cæsaris erat impressa in illo denario, & nomen eius in circuitu. Lyra. in Matth. 22.

Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis Iesus: reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Potestis enim & hominibus sua reddere, & quæ Dei, Deo deberis præstare. Propterea Paulus quoque dicit: Reddite omnibus debita, cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Tu vero cum audias reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nil officiunt. Nam quod fidei & virtuti obest, non. Cæsaris, sed diaboli tributum & vectigal est D. Chrysosto. in Matth. homi. 71.

Rom. 13.

Cæsar suam in nũmo requirit imaginem, Deus vero hominem quem creauit exquirit. Non dimittit Cæsar suum quod debetur numismа, nec Deus suam vnquam exquirendo relaxat factutam. Sicut qui suam Cæsari adulterinam imaginem reddit, flagellari tortoribus, & atrocibus iubet subiici pœnis: sic Deus omnipotens corruptores imaginis suæ morti tradet perpetuæ, & infernales iubet pœnas persolui immensas. Ita qui vitare horrenda exitia cupit, incorruptam studeat autoris sui imaginem conseruare, quatenus cum suam quam formauit requisierit Deus imaginem, saluam & immunem ab inimici infectionibus cernens, suo collocet gremio; angelorúmque choris admiscens, perpetuis faciat cælorum gaudiis frui. D. Chrysosto. in non absolu. homi. 42.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Cæsarem non putemus Augustum, sed Tiberium significari priuignum eius, qui in locum successit ipsius, sub quo passus est dominus. Porro quod ait, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, ideſt nũmum, tributum, & pecuniam: & quæ sunt Dei, deo: decimas, primitias, & oblationes, ac victimas sentiamus: quomodo & ipse reddidit tributa, p se & Petro, & Deo reddidit quæ Dei sunt, patris faciens volũtatem. D. Hiero. lib. 3. in Matth. 22.

Quisquis bene cogitat quæ voueat Deo, & quę vouendo persoluat, voueat & reddat: hoc exigitur, hoc debetur: imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. Vide August. lib. Sen ten. Senten. 15. to. 3.

Reddite &c. Vt & potestatibus istius seculi subiiciamur: quæ gladium portant in vindictã eorum qui male egerunt; & Deo reddamus quę Dei sunt, eum timentes qui & animę & corporis habet potestatem. D. Hiero. lib. 15. in Esa. 54. to. 5.

Superioribus quidem nostris & prælatis obedientes esse debemus, de quo vide 1. Timo. 6. & Roma. 13. ipsi sibi caueant, & seipsos diligenter regant. Deutero. 17. cúmque fuerit constitutus &c. debent enim magna æquitate, prudentia, & humanitate, sibi subditos gubernare, & subditi ipsi non debent se rebelles & inobedientes exhibere, sed prompto esse debent obsequio & obedientia. De punitione porro Iudæ & Theudæ, vide Acto. 5. & lege Ioann. ferum in Matt.

Reddite &c. In fauorem libertatis Ecclesiasticæ vide quid statuerit Bonifa. 8. in cap. 1. Quanquam de censibus lib. 6. quod non solum inquit esse ex humano sed etiam diuino iure. Vbi ait Glos. quod olim sacerdotes Aegyptij ab huiusmodi liberi fuerunt Genes. 47. & sacerdotes Iudæorum 1. Esdræ 7. Quod etiam in fauorem Eccles. statuit Alexan. 4. cap. 1. de immunita. Eccles. lib. 6. Cæterum rex ex insignibus quibus ornatur, considerare debet quid subditis suis debeat: ornatur quidem corona, sceptro, & gladio, vt intelligat procurare se debere subditis pacem, & tranquillitatem, ab hostibus eos defendendo, & rebelles ac sceleratos puniendo. Vnde cum tributa sibi debita petens & vectigalia, dicit: Cuius est imago hæc? consideret etiam apud se diligenter illas suorum ornamentorum interrogationes. Cuius est corona hæc? Cuius est hoc sceptrum? &c. Et corona quidem virtutem significare videtur, sceptrum iustitiam, gladius bellum in rebelles & aduersarios. Cum nobis præterea pauper occurret, statim apud nos cogitemus. Cuius est imago hæc? nonne Christi est imago? nonne à Christo nobis hic commendatus est? si ergo cõtenderint inter se auaritia & liberalitas, vincat tandem liberalitas ipsa, illa proposita interrogatione: cuius est imago hæc? Vide Palatios in Matt.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Constat quidem homo ex corpore & anima, vnde vtrique reddere debet quæ sua sunt: corpori debetur nutrimentum, vestitus, somnus & similia quæ ei reddenda sunt ad vitæ necessariã conseruationem: qui hæc necessaria corpori neganda esse dicunt, videntur similes Pharisæis, negantibus tributa Cæsari, specie cuiusdam sanctitatis. Vnde dicebat Apostolus 1. Timot. 4. & iubentium abstinere à cibis quos Deus creauit &c. Alij porro sunt qui omnino indulgent corpori tantum, nullam habentes curam spiritus, & hi similes sunt Herodianis. Quare medium tenere debemus cum Christo, reddentes quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, dantes spiritui quæ sibi debentur, & corpori etiam quod necesse est ad eius sustentationem.

Vide Origenem in Matthæum.

Nonnulli dicunt Christum non persoluisse tributum Cæsari cum dedit didrachma, sed quod illud esset pro templo secundum illud Exo.30. dimidium sicli &c. Verum non videtur ita esse cum talis pecunia solueretur vigesimo anno &c. Vide D. Hilari. cano.17. in Matth.& Chrysosto. homi. 59.super Matthæ.& Abulen.q.183.in cap. Matth. 17.

Rom. 13. dicitur, reddite omnibus debita, cui tributum tributum: cui vectigal vectigal, non dicitur dare, sed reddite. Et certe quemadmodum sol luce sua illustrat hunc nostrum orbem,ita etiã rex & cæteri prælati ac superiores, nos illustrant & decorant. Vide Hecto. Pint.in Ezech.46.

Reddamus & dirigamus in Deum opera nostra, quandoquidem sumus ipsius imago. Vide D. Hierony. in Marcum 12.to.9.

Quanquam Christus dominus salutaria consilia Pharisæis & cæteris Iudæis daret, ipsi tamen propter obstinationem & duritiam cordis nil vnquam proficiebant. Vide D. Gregori. in Psalm. 4. pæniten. to. 2.

Quicquid præclarum atque laudabile præstare possumus, id nobis à Deo conceditur, propterea ei gratias assidue agamus, reddentes quæ Dei, Deo. Vide D. Hila.cano.23.in Matth.

De epist.& euange.Duas habet concio. D. Anto. initio 1. par. Theolo.

Consule eundem 1. par.histo.titu.5.ca.3.§.6.

Duas item concio.habet D. Thom. prope finẽ to. 16.

Consule D. Ambro.Luc. 20. explicantem hoc euange.

Vide præterea D.Thom.in Mattheum. 22. qui multa continet exquisita.

Super illa verba,reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, vide D.Thom.2.senten.distin.44.q.2.artic.2.& opus. 4. cap. 5. & capi. 11. & lib. 4. contra gentes cap. 20. & in epist ad Roma.13.lect.1.

Super illa verba, Reddite quæ sunt Dei Deo: consule D.Ambro.in lib.quem inscripsit opus sermonum. ca.7.

Reddite quæ sunt Cæsari Cæsari &c. Saluator noster vult, vt nec virtus minoretur, dũ supra modũ carni seruimus; nec carnis natura grauetur, dum abundantius virtuti adhæremus.

DOMINICA VIGESIMA tertia post Pentecosten.

LOQVENTE. Iesu ad turbas ecce princeps vnus accessit & adorauit eum dicens. Matthæ. 9.Marci.5.Luc.8. Quid sibi vult quod & filia principis annorum duodecim moriebatur, & mulier fluxu sanguinis ab annis duodecim laborabat, nisi vt intelligatur quin quandiu synagoga viguit, laborauit Ecclesia; defectus illius huius virtus est, quia illorum delicto salus gentibus: & consummatio illius, huius exordium est;non naturæ exordium sed salutis, quia cæcitas ex parte Israël contigit, donec plenitudo gentium intraret Roma. 11. Non ergo tempore, sed specie sanitatis antiquior synagoga, quam Ecclesia, quia quandiu illa credebat; ista non credidit, & per varias corporis atque animæ passiones immedicabili remedio ægra languebat. Audiuit ægrotare populum Iudeorum,sperare cæpit salutis suæ remedium, tempus venisse cognouit quo medicus adesset è cælo, surrexit vt occurreret verbo, vidit quia comprimebatur à turbis. Non enim credunt qui comprimunt, credunt qui tangunt. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur, non corpore tangitur, non oculis comprehenditur. Neque enim videt,qui videns non videt: neque audit, qui ea quæ audit non intelligit; neque tangit, qui non fideliter tangit.D. Ambro. lib.6. in Luc.8.

Quod si Lucas scribit venisse quosdã qui dixerant, noli vexare magistrum,mortua est enim modo puella: dicemus quomodo illud à tempore itineris coniicientis erat, modo mortuam esse, aut forsan calamitatem amplificantis.Nam qui re aliqua indigent, solent ærumnas suas augere, & maiores facere. vt exorent. Sed vide ruditatem principis eius.Duo quædam à Christo postulat:vt veniat, & vt manum imponat, quod erat spirare adhuc filiam eius puellam, quando ab ea pater desperarat. Id Syrus quoque Naaman à propheta postulabat,cum diceret. Exibit, & manum suam imponet. Visu enim & sensu indigent, qui rudiores sunt. D. Chrysostomus in Matthæum homi.32.

Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Vide quam sit vehemens parentum in filios amor:mulier illa sunamitis 4. Regum 4. videns filium suum mortuum, non lente, sed festinanter asinam suam strauit, & venit ad Eliseum, & postea noluit recedere nisi prius secum iret. Viuit dominus ait, & viuit anima tua, quia non dimittam te. Sic etiam Ioan. 4. Regulus ille abiit quærens Christum & obnixe orabat pro filij incolumitate. Quantis porro clamoribus,lacrhymis & affectibus mulier illa Chananæa filiæ salutẽ quæsierit egregie quidem Matthæus depinxit. Hoc autẽ multi filij vicissim non faciunt, videntes parentes suos in calamitatibus constitutos. Vnde præcepit dominus filiis,vt in parentes officiosi essent & obedientes:& quod qui malediceret patri vel matri, morte moreretur.

Sed veni impone manum tuam. O inertiam multorum hominum,qui cum aliqua calamitate percutiuntur, tunc tantum ad Deum confugiunt, causa eius sanandæ,aliter vero non incitantur sponte sua. Et certe multi inuicem amici sunt nulla quæstus spe proposita, sed tantum propter amicitiam, non gratia commodi:cur non ergo Deum propter eius bonitatẽ quæremus & diligemus? Multo aliter Deus se habet nobiscum, qui non solum liberalis est in illos quos nouit fore gratissimos & optimos sed etiam in illos qui ingratissimi sunt futuri: quoniam solem suum oriri facit super bonos & malos,& pluit super iustos & iniustos. Amicitiam Deus inibat cum Saule,Salomone & Iuda, eorum perfidiam futuram non ignorans,homines autem illum non nisi propositis commodis quærunt.*Modo defuncta est.* Vide quo tendant vniuersa mundi bona, hæc puella erat illius principis hæres & spes vnica, in quam patris omnis honor, nomen, ac fiducia nitebatur, quæ tamen morte præuenta, hæc omnia citissime adempsit. Omnia igitur in filia iacta fundamenta, inania facta sunt, & vel exigua febri ita sublata fuere, vt nullum sui vestigium reliquerint. Hoc sæpe accidit illis qui spem suam collocant in rebus fluxis ac mutabilibus. Vnde Esa.36. væ vobis qui confiditis in baculo arundineo & confracto. *Sed veni impone manum* Discant prelati exemplo huius archisynagogi qualem subditorum suorum debeant habere curam, vt si quando in peccato eos mortuos viderint, accurrant,& amore paterno Deum precentur, vt illos manus suæ misericordiæ tangat, & à peccati somno excitet. Sic fecit optimus ille populi Iliaë litici

præsul Moyses, qui pro reo populo tam vehemẽter orauit,vt diceret:aut parce populo huic, aut dele me de libro in quo me scripsisti. Idẽ etiã fecit Aaron Num 16. cum statuens se inter viuos & mortuos,Deũ placauit. Dauid præterea leones & vrsos in gregem suum irruentes,dilaniabat.Regum 17.

Filia mea modo defuncta est. Admonet nos locus iste mortem meditari & præ oculis habere, quandoquidem certissime nos manet, & eius incursus ignotus est. Viperam ferunt exustam incinerem-que conuersam mederi eiusdem bestiæ morsui, vt autor est Lactan.firmi.lib. de ira Dei cap. 13. sic si te momorderit auaritia, superbia, &c. considera cinerem in quem commutantur diuitiæ potentia mundana,& similia, & finem eorũ, atque hac ratione medicinam facies eorum morsibus. Naamã Syrus petiit ab Eliseo onus terræ, quam volebat secum asportare nec vltra adorare idolum:sic nos terram in quam vertẽdi sumus asportemus in nostra memoria,vt non adoremus idola vitiorũ nostrorum.Cæterum qui riuulum transgredi vult,& commode alicubi propter impetum atque id præstare non potest, aliquantulum regreditur ac retrocedit, atque ita sine periculo transit: mors est transitus quidam,quo ex hac vita in aliam migrare debemus,atque ita opus est vt multo ante contemplemur & meditemur horribilem eius aduentum, & in sanctis nos operibus exerceamus, ne aliter incidamus in inferni scopulos atque voraginem.

Filia mea modo defuncta est. Magna quidem velocitate ac breuitate decurrit vita nostra, vide enim quomodo puella hæc in tam tenera ætate morte correpta fuerit. Lege D. Basilium orati. 24. de morte.

Cum fœnum ac flores videris,menti tuę breuitas offeratur humanæ vitæ,atque illud Isa.dictum omnis caro fœnum.Hodie quidem floret quis, viget,& viribus robustus est: cras vero subita quadam mutatione veluti flos marcescit, colore priuatur,viribus spoliatur,& denique sepulturæ traditur.Lege eundem Basili.homi.5.de germinatione terræ.

Iam mundus iste senescit, iam viribus quibus antea constabat languet,iam terra proferẽdo fructu deficit, mare pisces præbendo, & montes nimis infœcundiores quotidie fiunt: quare cum ita mundus soluatur atque deficiat:quid de his rebus quæ ipsi inniuntur putandum erit? Vide D. Cypria.epist.2.ad Demetria.

Christus dominus insinuasse visus est, hanc vitam proprie non mereri vitæ nomen,cum dixit adolescenti illi Matthæ.19.si vis ad vitam ingredi, serua mandata.Vide D.August.tracta. 22. in Ioan. to.9.

Quanta sit hominum stultitia, qui amore nimio huic temporali vitæ inhærent, quæ comparata ad futuram est instar guttulæ vnius cum vastissimo mari collatæ:vide D.August.de verbis domi.sermo.39.tom.10.

Vtrum vitam hanc nominem vitam mortalem, an mortẽ vitalem,plane ignoro, inquit idem August.lib.1.Confes.c.6.to.1.

Marcus Tullius in Tusculanis quæstio. hanc vitam esse potius appellandam mortem inquit, vide D.Aug.lib.epist.epist.52.to.2.

Mirabile plane est illud quod ait Iob, nempe quod homo breui viuens tempore, repletur multis miseriis:breuem enim appellauit vitam,sed tamen miserias & calamitates quibus in hac vita afficimur,multas & varias.Vide D.Grego. lib.11. Mora.cad.26.

Propter peccata nostra & scelera in dies crescentia decrescit vita nostra, & quotidie fit breuior:olim quidem octingentos & nongentos etiã viuebant homines annos, nunc vero paucissimi vel ad centesimum perueniunt annum. Vide D. Ambro.in Psal.38.

Vita præsens onus quoddam est:quod si onus, quid mors,nisi deoneratio quædam ac leuatio huius oneris erit?Vide D.Ambro. lib. de bono mortis cap.2.

Satis nobis superque inconstantia & breuitas vitæ ex tam multorum interitu, & tanta rerum mundanarum mutabilitate & inconstantia,manifestatur:sed tamen oculos mentis ad hæc videnda & diligenter consideranda aperire nolumus.Vide D.Chrysosto. de vanitate & breuitate præsentis vitæ to.5.

Præsens vita instar earum domuncularum lutearum & fragilium,quas ludentes pueri conficere solent,esse videtur:quæ digitulo vno impulsæ, facile statim dissoluuntur.Lege D.Chrysos.ad popu.ho.47.to.5.

Modo defuncta est. Sæpe mors in ipsa iuuentute atque ætatis flore inopinatos homines inuadere solet Esa.38.C.præcisa est velut à texente.

Mors solet multos inopinato aggredi Iob 15. D.Antequam dies eius impleantur.

Multorum mors miserabilis Iere.3. G. dormiemus in confusione nostra.

Mors cum certa nos maneat, incertissimum tamen habet incursum Iob 32. D. nescio enim quandiu subsistam.

Moriuntur diuites & pauperes, sapientes & ignari, senes ac iuuenes.Ecclesiastes 2.C. & didici quod vnus vtriusque esset interitus.

Mors omnia æquat Ecclesiastes 3. Vnus est interitus hominis & iumentorum.

Quamuis alij quidem citius,alij vero paulo tardius,omnes tamen moriuntur. Ecclesiastes 6. C. etiam si duobus millibus annis vixerit.

Mors tacite ac silenter subrepit nosque inuadit Ecclesiastes 7.A.quid necesse est homini.

Incertus est mortis aduentus Ecclesiastes 9. C. nescit homo finem suam.

Mors nos sepe aggreditur de improuiso Ecclesiastes 12. C. antequam rumpatur funiculus argenteus.

Nonnulli iuuenes è vita decedunt, prudentium bonorumque senum fama relicta.Sap.4.Placens Deo factus dilectus.

Cum mors in quacunque ætate nos inuadere soleat,eam memoria sæpissime recolamus. Ecclesiastici 7.D.in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua.

Mortem reformidare solemus 1.Reg.21. D. & immutauit os suum.

Post mortem nouam quandam vitam inchoamus. Ecclesiastici 18. A. cum consummauerit homo.

Sed veni impone manum tuam. Si voles hic aliqua tractare contra superbiam & superbos homines, pauca quædam describam loca.

Superbos ac tumidos deiicit Deus Iob 21. D. vbi est domus principis? & vbi tabernacula impiorum?

Superbos prostrat Deus Iob 24. D. eleuati sunt modicum.

Mentis tumor sese statim ostentare solet Iob 32. D.plenus sum enim sermonibus.

Superbia & mentis tumor Iob 12.B. in fortitudine brachij tui possidebas terram.

Superbi & timidi Iob. 21.B. quis est omnipotens vt seruiamus eis?

Quo pacto superbos deiiciat Deus Iob 38. B. auferetur ab impijs lux sua.

Intolerabilis quædam superbia 3. Reg. 20. A. argentum tuum & aurum tuum.

Præsumptio & arrogantia 4. Reg. 5. C. iratus Naaman.

Tumidi & elati in quos fines deueniant 4. Re. 14. C. percussusque est Iuda coram Israel.

Superbi & arrogantes quo fine claudantur 4. Reg. 18. & 19. per totum.

Superbia quem habeat exitum Iudith 1. C. tunc exaltatum est regnum.

Intolerabilis tumor atque Elatio Iudith 6. A. tuncque gladius militiæ meæ.

Superbos prostrat Deus 1. Mach. 2. G. à verbis viri peccatoris.

Superbi vix vnquam elationem suam satiare possunt Esther, 5. D. Nihil me habere puto.

Superbi ac de se præsumentes quo tandem deueniant 1. Mac. 7. G. & cecidit ipse primus.

Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Non reprehendit hunc Christus sicut Regulum, cum esset sacerdos & princeps synagogæ. Hinc ergo ad nostram eruditionem discamus, sacerdotes & viros ecclesiasticos, honorare, eorúque defectus in multitudine non diuulgare. Nam multi inde scandalizantur, & qui gaudent cauillationibus & murmurationibus, arripiunt sibi ansam detrahendi. Iubebat dominus vt domus quam sacerdos ingressurus erat, prius expurgaretur: vt scias quanta reuerentia & honore sacerdotes sint tractandi. Quando Aaron peccauit, secreto à domino reprehensus est, vt tu discas vrbane te cum prælatis gerere. Sicut enim ægrotans, medicum nactus præstantissimum, non ideo parui eum penderes quia alias esset vitiosus, imo aliorum defectuum oblitus, ab ipso summis precibus salutem peteres: & sicut si vestem haberes cum alio communem, eam solummodo partem spectares quæ te contigeret, alia relicta: sic in prælatis & superioribus autoritatem muneris & commodum tuum ab eorum doctrina considera, aliis prætermissis.

Et surgens sequebatur eum. Surrexit enim vt iret, quia sedebat. Hoc enim opus & labor boni prælati est, vt scilicet propter subditorum bonum surgat, & quietem suam relinquat. Sic bonus pastor Iacob dicebat Gen. 31. die noctúque gelu vrgebar, & somnus fugiebat ab oculis meis. Expende etiã quomodo Christus dimittens orationem, & prædicationem secutus est Iairum: vt inde intelligamus dimittendam esse interdum vitam contemplatiuam, vt proximis periclitantibus & afflictis subueniamus. Sic etiam Christum fecisse alibi legimus, cum ter in horto orationem reliquit vt discipulos dormientes excitaret, visitaret, & moneret. Non sunt cõtrariæ Martha & Magdalena, imo sorores sunt: sic vita actiua & contemplatiua amicissimæ sunt, seque mutuo adiuuant, tantum abest vt sibi aduersentur. Vide etiam quãtam adhibuerit Christus diligentiam ad proximi salutem, non in sequentem diem distulit, sed statim succurrit proximi infirmitati. Tu autem pene coactus fratri tuo benefacis, & in eum liberalis es. Non sic quidem se gerebat sanctus ille Iob, cum diceret cap. 31. si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ exspectare feci. Non est differendum pauperi remedium, nec beneficia sunt procrastinanda.

Vnde Prouerbiorum 3. Salomõ ait. Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cum statim possis dare. Considera præterea vt inquit Luc. 8. quomodo Iesus à turbis comprimeretur, sed tamen id patienter toleraret: non sic multi faciunt in templo audientes concionem, vel ægrum visitantes, qui ferre non possunt vt quisquam eos vel leuiter attingat.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Ambro. lib. de Salomo. c. 5. videtur insinuare hanc mulierem fuisse Martham Christi hospitam, & Magdalenæ sororem: quæ tamen non videtur fuisse, quia Luc. 8. ait, hanc mulierem suam omnẽ substãtiam in medicos erogasse. Quod si Martha rem suam omnem consumpsit, quomodo Christum & discipulos abundanter in domo sua post hæc aluit? sed quæcunque illa fuerit parum refert, hoc tamen scire refert, quid dominus in hoc itinere fecerit. Suscitaturus enim filiam Archisynagogi, obiter hæmorrhoissam sanat vt fidem faciat Iairo de filia suscitanda, voluitque in itinere eius animum confirmare hoc miraculo & exemplo.

De muliere ista quæ qualisque fuerit, certiora scribit Eusebius, digna certe quæ legantur. Sic enim habet lib. 7. Eccles. histo. capit. 14. Quia vrbis huius (loquitur autẽ de Cæsarea Philippi) fecimus mentionem, iustum videtur commemorare etiam illud in ea quòd historia dignum diximus. Mulierem quam sanguinis profluuio laborantem, à saluatore curatam euangelia tradiderunt, huius vrbis ciuem constat fuisse, domúsque eius in ea etiã nunc ostenditur. Pro foribus vero domus ipsius, basis quædam in loco ædritore collocata mõstratur. in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ, palmásque supplicitet tendentis, imago ære videtur expressa. Adstat vero alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri, stola comptæ circundati, & dextram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuæ è basi herba quædam noua specie nascitur. Quæ cum exorta fuerit, & excrescere vsque ad stolæ illius erei indumenti fimbriam solet. Quã cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoréque acquirit, ita vt quæcunque illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nil omnino gerens virium, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, quæ permansit ad nostra vsque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Hæc ille. Qui & subiungit quædam de imaginibus Petri & Pauli & aliorum. Hanc autem imaginem à Iuliano apostata sublatam, scribitur à Socrate in Tripar. histo. lib. 6. cap. 41. vbi sic legitur. Cũ Iulianus cognouisset in Cæsarea Philippi ciuitate Phæniciæ, quam Panea da vocabant, insigne Christi esse simulachrum, quod mulier illa sanguinis profluuio liberata cõstituerat, eo deposito suam ibi statuam collocauit Quæ violento igne de cælo cadente circa eius pectus diuisa est, & caput cum cervice vna parte dejectum, atque in terra fixum: reliqua vero pars hactenus superfuit, & fulminis indicium reseruauit. Statuam vero Christi tunc quidem pagani trahentes confregerunt. Postea vero Christiani colligentes in Ecclesiam recondiderunt, vbi hactenus reseruatur, &c. Corne. Ianse. in sermo. de hac domini.

Dicebat enim intra se: si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. Tu autem disce, quod sicut hæc mulier

mulier prius intrà se proponebat vestimẽtum tangere ita prius debeas apud te cogitare diligenter quæ facere intendis. Si Æglon Moabitarum rex præcogitasset summum esse inconueniens solum cum Aioth Israelis Principe manere, cum decem & octo annos populum Israeliticum oppressisset, non subiisset mortem. Iudicum 3. Si Abimelech secum reputasset quantum esset periculum in turrim apud Theben ascẽdere, non fuisset percussus fragmine molæ à muliere desuper coniecto. Iudicum 9. Eodem etiam modo confidens Simon Ptolæmæo, cum filiis suis in conuiuio interiit. 1. Macha. 16.

Si tetigero vestimentum eius. Vestimentum Christi intelligi potest eius humanitas, & sicut fimbria vltimum quiddam est in vestimento, ita Christi mors est summa quædam saluationis nostræ. Vt ergo sanemur, tangere debemus fimbriã vestimẽti Christi, hoc est eius sacramenta frequentare, quæ ab eiusdem morte virtutem habent: debemus etiã sæpe memoria recolere Christi mortem, cuius recordatio nobis plurimum profutura est. Quis me tetigit? Cognouit quidem Christus à se virtutem exisse: & dixit, quis me tetigit? sed non mirum domine, quod senseris virtutem à te exiuisse qua me sanares: siquidem innumeris pro me flagellis affectus, es, variisque tormentis & cruciatibus. Porro Christus puellam vocauit ad duplicem vitam, corporalem scilicet, & vitã gratiæ. Vide Palacios super Matth.

At Iesus conuersus, & videns eam, dixit, Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. In eodem instanti quo fimbriam tetigit, sanata est. Voluit enim Christus hunc honorem deferre vestimento suo, vt doceret sanctorum reliquias esse venerandas. Porro inquit Luc. ca. 8. quod mulier tremens venit & procidit ante pedes Christi, videns quia non latuit, vt inde discas quam timẽs & tremens accedere debeas & apparere corã Deo. Si enim Daniel propheta sanctissimus, coram angelo cum ei apparuit stetit tremens Daniel. 10. cur non timebis ac tremens tu, qui tam multis peccatis infectus es, coram iudice illo seueriss imo? Quid faciẽt coram illo virgulta deserti, si columnæ cæli vt ait sanctus Iob cap. 26. contremiscunt? Si Angeli, aut sancti Apostoli, & magni alij Ecclesiæ patres, vt D. Grego. interpretatur lib. 17. Mora. ca. 14. tremunt coram Deo: quid nos peccatores faciemus? Duo ergo nos docet hic locus: primo quanto cum timore & reuerentia accedere debeamus ad sanctum Eucharistiæ sacramentũ, si hæc mulier tam trepida ac sibi diffisa, ad Christum accessit. Secundo quantum timere debeamus illud iudicium terribile & horrendum, cum coram Deo apparebimus. Quoniam si hæc mulier ob eam causam non audebat coram Christo apparere, quia se immundam putabat, neque corpus eius, sed vestem tantummodo tetigit: quanto nos cum pudore ac tremore apparebimus in illo supremo terribilíque iudicio coram illo, qui non ad eius vestes, sed corpus sæpissime indigne accedimus?

Scribit Lucas quod turba comprimebat Christum, verum mulier tetigit ipsum. Sic Pharisæus quodammodo Christum premebat, se laudando: at vero Publicanus Christum vrbane tangebat, non audens vel oculos ad cælum leuare. Et mulier vix audebat ad Christum accedere Psal. 112. excelsus dominus, & humilia respicit, &c. Vide D. Bernar. in sermo. de 4. modis orandi.

Multi Christum dominum comprimebant, sed tamen pauci eundem tangebant. Sic nunc quamuis multi sint intra Ecclesiam, pauci tamen sunt boni: caro premit, fides, tangit, &c. Vide D. Augus. de verbis domi. sermo. 6. & de tempo. sermo. 152. to. 10.

Compressit quidem & cruciauit Christum perfida Iudæa, vsque ad mortem, quam ei crudelissimam inflixit: sed tamen eum tetigit per fidem ipsa gentilitas. Vide D. Augustinum de tempo. sermo. 155.

Lege Simeon de Cassia. lib. 5. c. 19. hoc euange. explanantem.

Illi Christum tangunt, qui ipsi veraciter humiles adiungũtur. Vide D. Greg. lib. 3. Mora. c. 15.

Hanc Hemorrhoissam per hunc grauem morbum dominus ad se adduxit. Solet enim Deus variis modis homines ad se adducere & vocare, interdum laboribus, interdũ calamitatibus & morbis, nonnunquam timore, & denique amore, quo solent multi vehementissime allici. Canti. 4. Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. Si enim mundanus amor tantam habet vehementiã, vt multos ad se maxime alliciat, quemadmodum de Faustina filia Antonini imper. mirum quidpiã scribitur, & Cadmus quidam Meles. vt refert Suidas, quendam conscripsit lib. ad medendum huic vehementiæ vel morbo, vt multi sentire videntur, & Plinius multa hac de re scribit lib. 9. quid inquam poterit diuinus amor, vbi semel alicuius animum complexus fuerit? nonne eundem in se conuertet & mirabiliter commutabit?

Necessitatibus præterea variis solet Deus homines ad se attrahere, est enim magna vis necessitatis. Vide quomodo in arca Noe etiam contraria inter se animalia conuiuerent, &c. Lege D. Augus. lib. quæsti. super Genes. q. 7. to. 4.

Boni calamitatibus & infirmitatibus meliores redduntur, mali autem sæpe deteriores eorundem vitio & culpa: ignis quidem aurũ splẽdidius reddit, paleas autem comburit & consumit. Suauissimus aliquis liquor motus & agitatus, delicatissimum emittit odorem: spurcissimum autem cænum terrimum. Vide D. Aug. lib. 1. de Ciui. Dei cap. 8. to. 5.

Et salua facta est mulier in illa hora. Vide quomodo Christus dominus quacunque pertranseret benefaceret, & liberalitatem suam erga egentes & afflictos exerceret. Ita nos Christi exemplo compati debemus afflictis, & misericordiæ opera frequentissime præstare: etenim bonum se communicare ac diffundere solet, vt inquit Dionysius, & Arist. ait quanto maius est bonum, tanto sese magis communicare. Plato ad Architam Tarentinum scribens, ait quod non solum nobis nati sumus, sed partem nostri ortus sibi vendicat patria, partem parentes, partem reliqui etiam proximi nostri. Et Aristot. 5. Ethico. inquit, quod vir bonus non solum erga se, verum etiam erga cæteros beneficus esse debet ac liberalis. Chrysippus etiam dicebat, ad communem vtilitatem homines natos esse.

Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Discamus hinc non ægrè ferre si ab aliquibus irrideamur, nam Christus patienter se habuit cum istis derisoribus, & nihil eis respondit, sed tacens transiuit, & fecit quod facturus venerat. Hoc faciamus si volumus esse Christi discipuli. Etenim qui se dicit Christi discipulũ, & in Christo manere, debet sicut Christ⁹ ambulare. Oẽs enim qui pie volũt viuere in Xpo, necesse est vt ab impijs vexẽ-

tur,& derideantur. Proprium enim malorum est, bonos deridere. Vnde Pro. 14. habetur, ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Et Prou. 29. abominantur impij eos qui in recta via sunt. Sed hoc te non moueat, quia vituperium impiorum est laus bonorum, & contra eorum laus, est vituperium. Malis enim displicere laudari est, Ne igitur timeas irrideri ab eis qui irrisione digni sunt, sicut nec Christus horum verba curauit, nam quando mali irridebant bonos de bonis operibus quæ agunt, idem est ac si cæci videntes deriderent quia vident: & claudi incedentes, quia recte incedunt: vnde ipsa irrisio irridenda est. Quod si nemo sanæ mētis poterit non irridere claudum qui bene incedētes derideat, optimo iure ridendi ac despiciendi sunt isti delusores, non imitandi. Quod si dicat aliquis, derisio malorum præualebit quia sunt plures, respōdetur Deum & sanctos in adiutorium bonorum contra malos descensurum. Vnde Psal. 2. Qui habitat in cælis irridebit eos, & dominus subsānabit eos. Nam non est vituperium solis si noctua vel non aspiciat vel despiciat illius lucem: neque est vituperium auri vel argenti, si iumenta ea non habeant in pretio, quibus nihil nisi fænū pretiosum videtur. Sic nō est vituperium bonorum, si ab improbis despiciatur: imo felix est qui ab his irridetur, quibus optima quæque despicabilia & abiecta videntur. Docemur præterea Christi exemplo non respondere derisoribus, ne illos in maiorem insaniam prouocemus, Vnde Ezechias rex suis præcepit, ne responderent Assyriis qui Deum irridebant & populum eius, ne in grauiores prolaberentur blasphemias. Esa. 36. Quemadmodum enim aqua frigida in feruore bullientem aquam immissa, eius æstum comprimit, sic silentium æstuantem blasphemorum & irrisorum hominum iracundiam & malitiam intercludit. Vnde Ecclesiastici. 8. non incendas carbones peccatoris. & Psalm. 38. cum consisteret aduersum me peccator, obmutui, & humiliatus sum, & siluì à bonis. Sed multi sunt qui verbulo non læsi, sexcenta maledicta & conuicia iaciunt. Vt enim porticus Olympiæ artificio quodam vocem emissam septies reddebat, qua de causa heptaphonon vocabatur, eo quod non semel vt echo, sed septies acceptam vocem referret: sic plurimi vna affecti contumelia, septem rependunt.

Recedite non est mortua puella, &c. Quia Deo viuunt omnia. D. Hier. lib. 1. in Matt. 9.

Et deridebant eum. Quicunque enim non credit, deridet. Fleant igitur mortuos suos qui putant mortuos. Vbi resurrectionis fides est, non mortis species, sed quietis est. D. Ambrosius libr. 6. in Luc. 8.

Non est mortua puella, &c. Dormiebat apud illum, qui eam facile poterat excitare, & in hanc vitam reuocare. Vide D. Augus. lib. de verbis domini sermo. 44. to. 10.

Multa præterea accommodata huic euangelio inuenies apud eundem de tempo. sermo. 74. tomi 10.

Consule eundem lib. 2. de consen. euang. c. 28. tomi 4.

Super illa verba, non est mortua puella sed dormit, vide Sixtum Senen. Bibli. sanct. libro 6. annot. 47.

Et cum ejecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius: & surrexit puella. Cum mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus, ejicit, & post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra euangelij historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam Archisynagogi inuitatus dominus duceretur, protinus additur. Et cum ejecta esset turba, intrauit, & tenuit manū eius, & surrexit puella. Foras ergo turba ejicitur, vt puella suscitetur, quia si non prius à secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitatiōes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare sapientiam non posse, cognoscens Iob, ait 28. c. Et mare loquitur non est mecum. Nullus quippe eam plene recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Vnde & Ecclesiastici 38. dicitur. Sapientiam scribe in tempore otij, & qui minoratur actu, ipse percipiet eam. Et Psal. 45. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. D. Grego. lib. 18. Mora. c. 28.

Et surrexit puella, &c. Quod est testimoniū vitæ, & non phantasma, sed veritas crederetur. *Et tenuit manum eius.* Beatus ille cui manum sapientia tenet. Vtinam meos quoque teneat actus, teneat manū iustitia, teneat Dei verbum, inducat in penetralia sua, spiritum auertat erroris, conuertat salutis, dari mihi iubeat māducare. Panis enim cælestis Dei verbum est. Inde & illa sapientia quæ diuini corporis & sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimentis, venite inquit, edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Prouerbiorum 9. vide D. Ambro. lib. 9. in Luc. 8.

Et cum ejecta esset turba. Multum confert secessus à turba & tumultu, ad vacandum commodius rebus diuinis & cælestibus. Elias quidem non vidit dominum in tumultu & strepitu, sed in amœna ac suaui aura 3. Regum 19.

Cum Proba lectissima atque honestissima fœmina, peteret à D. Augus. vt sibi traderet exquisitam quandam orandi formam, inter præcipua quę ei tradidit Augustinus documēta, illud vnum fuit: vt secederet quantum posset à turba atque tumultu, & inanium cogitationum fluctibus. Vide D. Augus. lib. epist. epist. 121. to. 2.

Et exiit fama hæc in vniuersam terram illam. Secundum moralem sensum recte per mulierem profluuio sanguinis laborantem, &c. intelligitur anima quæuis, quæ concupiscentiis variis multo tempore diffluxit, ita vt iam euirata sit, eisque turpiter maculata, quæ morbi sui curationē ab aliis quam à Christo quæsierit, nil aliud quam morbi augmētum & paupertatem lucri faciet. Non enim leuis est paupertas, ætatis & ingenij iactura. Non potest sanare lex Mosaica, non philosophorum dogmata, non falsorum deorum cultura, non denique temporalium rerum copia & fruitio. Quod si autem fide Christi fimbriam, hoc est incarnationem contigerit, idque à tergo, nimirum para'a sequi vestigia Christi, mox curabitur ac sistetur fluuius ille immundus quo diffluebat, hoc est insatiabilis illa concupiscentia cessabit in opera sanguinaria animum turpiter coinquinātia diffluere. Verū quo sanitas illius sit certior, & securior sit conscientia, necesse est vt etiam post acceptam aliquatenus sanitatem, pudore omni posito, morbus ac Dei beneficium palam agnoscatur. Per puellam autem quæ duodecim annos nata ac vix dum pubescens mortua est, sed antequā efferretur aut sepeliretur, à Christo in domo resuscitata est, significatur aīa quæ in principio vitæ spiritualis per imbecillitatem prolapsa est in crimen aliquod occultum, sed quo

quoniam nondum perfricuit frontem, & nec dum assuetudine collegit habitum, facile sanari ac resuscitari potest: maxime si pro eius salute & vita solicitus sit princeps, hoc est pastor Ecclesiæ, animę huius spiritualis pater, qui certe de eius salute desperare non debet, etiamsi plerique clament nullam esse salutis spem, ac plane desperatum esse. Corn. Ianse. in sermo. de hac dominic.

De epist. & euange. duas habet concio. D. Anto. initio 1. par. Theo.

Duas item habet. D. Tho. concio. prope finem to. 16.

DOMINICA VIGESIMA quarta post Pentecosten.

Dixit Iesus discipulis suis, cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto qui legit intelligat. Matth. 24. Marci 13. Luc. 21. Quando ad intelligentiam prouocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est. Legimus autem in Danie. 9. hoc modo. Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libamina, & in templo abominatio desolationum erit vsque ad consummationem temporis: & consummatio dabitur super solitudinem. De hoc & Apost. loquitur 2. Thessa. 2. quod homo iniquitatis & aduersarius, eleuādus sit contra omne quod dicitur Deus, & colitur, ita vt audeat stare in templo Dei, & ostendere quod ipse sit Deus: cuius aduentus secundum operationem Satanæ destruat eos, & ad Dei solitudinem redigat, qui se susceperint. Potest autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Cæsaris quam Pilatus posuit in templo: aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum loco vsque in præsentem diem stetit. Abominatio quoque secundum veterem scripturam, idolum nuncupatur: & idcirco additur desolationis, quod in desolato templo atque destructo, idolum positum sit. De hoc loco id est de abominatione desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stante in loco sancto: multa Porphyrius tertiodecimo operis sui volumine contra nos blasphemauit: cui Eusebius Cæsarienſis Epist. tribus respondit voluminibus, decimooctauo, decimonono, & vicesimo. Apollinaris quoque scripsit plenissime, superfluéque conatus est vno capitulo velle disserere, de quo tantis versuum millibus disputatum est. D. Hieronymus libr. 4. in Matthæ. 24.

Cum videritis abominationem desolationis. Vide maxime & Christi virtus, & Apostolorum fortitudo mirabilis ostenditur, videlicet qui temporibus illis prædicabant, quando maxime Iudæi omnes pellebantur, quando quasi seditiosi ac improbi obseruabantur, quādo vndique illōs exterminandos esse Cæsar iam iusserat. Neq; aliter fiebat, quā si quis cum maria vndique insurgant, cum tenebris aër obductus sit, cum crebro atque alio super aliud naufragio nauis submergatur, cū interse nautæ qui supersunt dissideant, cum belluæ de profundo emergant, vnáque cum fluctibus nauigantes arripiant, cum fulmina iaciantur, cum piratæ insidientur, nulláque fides inter nautas sit, ignariáque nauigandi gubernacula teneant, & nauali bello cōtendant: cum classis maxima simul & instructissima ex aduerso aggrediatur vnā habentibus nauiculā, & eam ita vt diximus misere apparatā, in aduersam & maximam classem insurgere iuberet, ac ei victoriam pollicitaretur. Nam & à gentibus quasi Iudæi odio habebātur, & à Iudæis acriter impugnabantur, quasi legem suam soluentes: ita nullibi quiescere poterant, cum vbique præcipitia essent, acuti scopuli starent, cautes ac saxa subessent, latentia in ciuitatibus, in regionibus, in domibus, omnes vna & singuli eos aggrediebantur, imperatores, principes, qui priuati, qui cum potestate erant, vniuersæ gentes ac omnes populi. Sic tanta turbatio erat, vt nullus oratione consequi posset. Valde namque Romanorū principatus Iudęos persequebatur, quoniam mille aduersus eos excogitabant insidias, nec tamen hic vel minimam iacturam prædicatio habuit: sed capta vrbe atque cremata, & habitantibus miserrime afflictis, qui inde fuerunt, Apostoli nouas leges, & noua præcepta viuendi Romanis vel inuitis imponebant! ô rem nouam atque inauditam in natura! Iudæorum innumera millia Romani tunc vicerunt atque ceperunt, & à duodecim viris nudis atque inermibus superati sunt. Quæ oratio exponere poterit tanti miraculi magnitudinem? Duo enim hæc docentibus inesse oportet, vt auctoritate polleant, & ab audientibus diligantur: & ad hæc tertium, vt ea dicantur quæ audienti placeant & in tempore quietis prædicentur: quæ omnia tunc omnino cōtraria erant. Nec enim per auctoritatē fide digni putabantur, & qui autoritate credebantur, seducentes decipientesque multos faciebant, ne Apostoli diligerentur solum, verum etiam vt dilectis conuersari non possent. Ita vndique à gente, à patria, à legibúsque suis dispellebātur Ac rursus magna in ipsis Apostolorum præceptis videbatur esse durities: è regione vero magna in priore vita vnde homines abducebāt, voluptas. Præterea tam ipsi quam sequentes eos multis periculis subiecti, variisque mortis generibus crudeliter trucidabantur, & ad hæc omnia tumultus & turbationes bellorum adeo difficilem rem faciebant, vt & si nil aliud resisteret, omnia tamen hinc dissolui facile possent. Quare opportunū est exclamare: quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius? D. Chrys. in Matth. ho. 76.

Cum videritis abominationem, &c. Hoc est cum videritis ea ipsa prælia iam stantia circa Hierusalem, quæ ante audiebatis. Similiter & in fine mundi & & in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando & hæreses, & fames, & pestilentiæ, & illa omnia ante præcesserunt: nouissime autem abominatio desolationis stetit in loco sancto id est exercitus Antichristi. Exercitus autem Antichristi sunt omnes hęreses, præcipuè ista quæ stetit in loco sancto, ita vt videatur quasi verbum veritatis stetisse, cum non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas à Deo. D. Chrysost. in non absolu. homi. 46.

Abominatio desolationis execrabilis aduentus Antichristi est: eo quod sacrilegiis in faustis mentium interiora contaminet, sedens iuxta historiam in templo, vt sibi diuinæ vendicet solium potestatis. D. Ambro. lib. 10. in Luc. 21.

Quænam sit hæc abominatio stans in loco sancto, Lucas optime exponit, dicens. Quod est exercitus circundans Hierusalem. Porro ad huius rei intelligentiam, aduerte quod Iudæi post Christi ascensionem sæpe rebellarunt contra Romanos, propter tyrannides quas exercebant præsides Iudææ dati à Romanis, & præcipue duo, scilicet Albinus, & Florus: qui crudelitate & tyrannide simi les fuerūt Neroni, lege Iosephum libr. 2. Anti.

& 4.de bello Iudai. Cum itaque ita rebellarét,Titus tandem in festo Azimorum Hierosolymam inuasit,ad quam innumerabilis multitudo Iudæorum conuenerat, quia omnes eo tempore Hierosolymam ascendere renebantur. Vnde cum tota gens tanquam intra carcerem quendam, se inclusisset intra ciuitatem, festiuitatis desiderio, Titus superueniens, omnes obsidione cinxit. Et digne quidem actum est, vt sicut in festo azymorum, quod dicitur Pascha Christũ crucifixerunt,ita in eodem omnes collecti ad occisionẽ clauderentur.

Super illa verba, cum videritis abominationem,&c Vide Sixtum senen.bibli.sanc. lib. 6. annota.to.4.

Cum videritis abominationem, &c. Quidam Doctor ex recentioribus,videtur negligere & spernere hoc loco interpretationem illam, vt scilicet intelligatur etiam hic locus de extremo iudicio & de aduentu Antichristi.Verum euoluat is obsecro Orige.homi.29.in Matt. D. Hila.cano.25. in eundem Matt. D. Hierony. lib. 4.in Matt.24.D.etiam Chrysost. super Matt.homi.77.& in non.absolo.homi. 49. D.Grego. homi. 35. in euange. & lib. 14. Mora. cap. 12.& lib.33.Mora.cap. 12. D. Ambro. lib.10.in Luc.21. D. Thomam in Matt. 24. Eusebium in hoc euange.Diony.Carthusi. super Matt. art.38.Hugonem Cardi.super Matt. 24. Albertum mag.super eundem locum.Glos.item Ordi.interli. & Lyræ.

Per abominationem potest etiam intelligi statua quæ fuit in templo posita, nam Iudæi vocare solebant huiusmodi statuas abominationes. Vide D.Chrysos.Oratio.2.aduersus Iudæos to.5.

Integra atque perfecta intelligentia hebdomadarum Danielis, videtur eiusdem prophetæ spiritum desiderare. Porro tanta fuit pressura illa in Hierusalem, vt vix pateret alicui egressus vixq; alicui parceretur. Per abominationem etiam Antichristus intelligi potest, qui multis falso persuadebit se Christum esse & Messiam. Vide Orige.in Matt.ho.29.to.3.

Multa inuenies accommodata instituto præsentis euange. apud D.Grego.lib.14.Mora.cap.11. & 12.super illa verba Iob. 18. memoria illius pereat de terra.

Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: & qui in agro,non reuertatur tollere tunicam suam. Vide quomodo Christus dominus instruat suos,& ad se adducat,interdum per amorem,interdum etiam per timorem. Aliæ enim animæ vadunt ad Deum per viam timoris,cogitant enim frequenter Dei maiestatem,& quam horrendum sit incidere in manus Dei viuentis Heb.10.& ita cum magno timore & tremore vigilant super se, vt custodiant ipræcepta Dei secundum illud Iob 9. verebar omnia opera mea,sciens quod non parceres delinquenti. Et ca. 31.semper quasi tumẽres super fluctus,timui Deũ. Istæ sunt ancillæ, bonus status. Beatus est homo qui semper est pauidus Prouer. 28.nam per timorem domini declinat omnis à malo. Aliæ autem vadunt ad Deum per viam contemplationis & sapientiæ,quærentes faciem eius semper, sicut scriptum est Psal.26.vultum tuum domine requiram, tenentur enim magno desiderio sapientiæ,scrutãtes legem Dei die ac nocte, &c. Vide Thomam à Villa noua domi.19.post.Pentecost.

Insigne profecto amoris indicium est,cum Deus te ad se reuocat per labores & afflictiones quotidie, si tu id intelligeres ac resipisceres. Corripit enim filium quem diligit Heb.12.vę miseris quos in peccatis consenescere permittit:hæc grandis ira Dei,& post infernum secunda, cum peccator pro suo libito peccare permittitur, vt qui in sordibus est, sordescat adhuc Apoca. 22. Vnde sicut dicit propheta Psal.9.exacerbauit dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Et miseri sæpius pro hac impunitate & licentia,stulte Deo gratias agunt:cum deberent potius cum eodem propheta rogare Psalm.27.Ad te domine clamabo,ne quando sileas aut taceas à me:nam si tacueris,si dissimulaueris,assimilabor vtique descẽdentibus in lacum.Vnde August. nil infelicius felicitate peccantium. Quis vnum quempiã ex istis domare,quis ei vnquam iugum imponere potuit, nisi Deus?de his Psal.31.in chamo & freno maxillas eorum constringe,qui non approximant ad te. Fræno & onere domantur bestiæ, sic Deus quandoque peccatores infrenare solet,multoque ægritudinum,persecutionum, laborumque onere deprimere,vt benignum sessorem suscipiant,& onus eius leue ac suaue sustineant.Sic Esa. 48. legimus, laude mea infrenabo te, ne intereas. Vide Thomã à Villano.in sermo.de sancto Adelesmo.

Tribulationes calcaria quædam sunt quæ faciunt nos currere ad Deum, vt Greg.ait.Mala quæ nos hic premunt,ad Deum ire compellũt. Et Psal. 15. multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleruerunt. E contrario vero prosperitates detinent nos: nam sicut luto sic infigimur in eis Psal.68.infixus sum in limo profundi.Deus itaque electos suos non vult ab istis vanitatibus detineri, sed quod omnia eis amara sint & male succedant, & quod eos afflictent, vt dum ab omnibus repelluntur, ad Deum recurrant: & dum iste mundus aduersatur,futuram vitam requirant. Et hæc grãdis misericordia Dei est. Exemplum habemus in Absalon & Ioab 2.Reg.14.quem cum vocaret Absalon, & nollet venire, iussit seruis suis vt eius segetes cõburerent:& tunc venit ad eum indignans & clamãs.Quare hoc fecisti?Et ille,vocaui inquit, & noluisti venire, cõbussi segetes tuas vt venires. Et certe sicut vasa aurea & argẽtea, si haberẽt sensum quando tunduntur & incenduntur ab artifice suo, conquererentur: sed postea ei gratias agerent pro suo decore:ita & sancti licet sentiant Dei flagella,postea lætantur,& Deo gratias agũt. Nec solum purgat tribulatio, sed etiam examinat & probat: nam eodem igne quo purificatur argentum,palea comburitur. Tribulatio quæ purificat electos, euertit impios, nam in tribulatione positi irascuntur,blasphemant,indignãtur, & furiũt, sicut damnati in inferno.Porro qui non est tentatus,quid nouit? Vnde Esa. 28. sola vexatio dabit intellectum auditui.Insuper tribulatio & tentatio perficit bonos, scilicet in virtutibus, nam præbet materiam exercẽdæ virtutis.Tolle tribulationem, vbi patientia?vbi mansuetudo,humilitas, fortitudo,fiducia tolerantia?Vnde Bernar. Sicut stellæ in nocte fulgent,& non in die, ita virtutes in aduersitate,& non in prosperitate splendent.Vide enim quantis virtutibus præditus esset Iob,sed non manifestabantur, sed latebant, donec venit tribulatio:quanto quæso illustrior extitit in sterquilinio, quam in solio.Vide eundem in sermo. de D. Cosma & Damiano.

Timor pænæ sæpe peccatores præseruat à malo,multi enim non faciunt malum quod fecissent, nisi timerent pænam peccato debitam. Vnde hic Christus proponit pænas iustas & calamitates futuras, vt peccatores ad se reducat, & à peccatis declinare faciat. Baptista quidem vt peccatores à malo

malo auerteret, eis æternam pænam minabatur, dicens.iam securis ad radicem arboris posita est &c.Matt.3.Et Christus Luc.13.dicebat,nisi pœnitentiam egeritis,omnes similiter peribitis.Diabolus autem cum homines ad peccandum vult inducere,quantum potest conatur timorem omnẽ & metum illis auferre, vt se in peccata præcipitent.Cum Æua quidẽ hac arte vsus est, cui timorem mortis adimens dixit:nequaquam moriemini.Nos ergo non solum propter timorem, sed & multo magis propter amorem,Deo seruiamus,vt nos ab antiquo hoste liberemus.Impudica illa fœmina Gene.39. cum solus esset sanctus iuuenis Ioseph,alliciebat eum ad peccandum, cum testem nõ haberet quem timere posset: Dei autem fidelis seruus Ioseph, non timorem, sed dilectionem obiecit,dicens.Quomodo possum peccare in dominum meum &c.sic falsi illi senes Susannæ dixerunt:ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt &c.at illa quæ castitatem seruabat nõ propter mundi timorem,sed propter Deum,mortem sibi potius elegit. Cæterũ quemadmodum inter natatores accidere solet,vt cũ rudiores instruunt, eos paulisper mergi sinant, & si paulo grauius periclitari videantur,statim eis succurrant: ita Deus nobis immittit tribulationes & calamitates, vt virtus nostra exerceatur; quod si viderit nos sub opprimi, statim benignissimus pater nobis succurrit atque fauet.

Et qui in tecto non descendat &c. Non debemus descendere ad res viles ac mundanas, à sublimita te & cacumine virtutum:neque ad pristinos prauos mores regredi debemus à virtutum exercitatione.Vide D.Hila.cano.25.in Matt.

Qui in tecto est,hoc est in virtutum culmine, non descendat ad ima terrenarum rerum. Oremus porro ne huiusmodi pressura nobis contingat in sabbatho,id est in otiositate & cessatione à bonis operibus;neque in hyeme,hoc est in sterilitate bonarum actionũ, sed in serenitate potius animorum,atque laudabilium operum fœcunditate.Vide Theophylac.in Matt.

Vide D. Tho. in Catena, vnde plurima decerpes accommodata.

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis d ebus. Væ illis animabus quæ non in perfectum virum sua genimina perduxerũt: sed initia habent fidei, vt enutritione indigeant magistrorum.Hoc quoque dici potest,quod in persecutione Antichristi, seu Romanæ captiuitatis,prægnantes & nutrientes veteri,& filiorum sarcina prægrauati, expeditam fugam habere non quiuerint. D. Hieronym. lib.4.in Matt.24.

Multi quidem viri sancti in pressura Hierusalem diuinitus moniti, ad ditionem Agrippæ se contulerunt,& incolumes reseruati sunt. *Væ prægnantibus & nutrientibus.*Hoc est eis quorum opera bona imperfecta manebunt,siue qui pleni vt vulgo dicitur,bonis desideriis tantum inuenientur. Vide Glos. Ordin.in Matt.

Orate autem vt non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho. Si de captiuitate Hierusalem voluerimus accipere,quando à Tito & Vespasiano capta est: orare debẽt ne fuga eorum hyeme vel sabbatho fiat,quia in altero duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere,& in montibus desertisque latitare.In altero aut transgressio legis est si fugere voluerint:aut mors imminens si remanserint. Si autem de consummatione mũdi intelligitur,hoc præcipit,vt nõ refrigescat fides nostra,& in Christum charitas,neq; vt otiosi in opere Dei torpeamus virtutum sabbatho.D.Hiero.li.4.in Matt.24.

Orate ne fiat fuga vestra &c. Per legis quippe mandatum,ambulare longius sabbatho nõ licet, hyems quoque ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris astringit. Ait ergo,orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho. Acsi aperte dicat,videte ne tũc quęratis peccata vestra fugere,quando iam non licet ambulare.Illud ergo tempus quo fugere nõ licet, modo debet cogitari dum licet. Vide D. Grego. homi.12.in euange.

Ad ambulãdum in hyeme torpor frigoris obsistit,& iuxta præceptum legis, ambulare in sabbatho non licet. In hyeme ergo vel sabbatho fugere conatur,qui iram districti iudicis tunc appetit fugere, cum iam ei non licet ambulare. Dum vacat ergo,dum licet,animaduersionem tanti terroris fuge. Pensa quod scriptum est Ecclesiastes 9.omne quod potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, sunt apud inferos quo tu properas. Vide D.Grego.lib.1.epist.cap.33.

*Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo:neque fiet.*Per varia quidem media nos Deus dirigit in finem, nonnunquam minis & terroribus nos concutit,obiiciens nobis pœnas damnatorum,infortunia & miserias peccatorum,assidua flagella,& frequẽtes molestias inimicorum,& importabile tormẽtum iniquorum: malitiæ malum enim & amarum nimis est Deum habere inimicum. Quod si minæ non sufficiunt, flagellis, & infortuniis affligit nos; in chamo & fræno maxillas nostras constringens Psalm.31.vt reuertamur ad ipsum.Vide Thomam de Villanoua in sermone de D.Ægidio abbate.

*Erit tunc tribulatio.*Vide D.Tho.in 4.sen. distin. 48.q.1.a.4.quæstiun.1.

Et nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tribulationes moderatæ mittuntur à Deo Isa.51. E.cito veniet gradiens ad aperiendum.

Tribulationes in mẽsura dat Deus sap.11, non enim impossibilis erat.

Calamitates & afflictiones immittit Deus moderate sap.16.A.sed non in perpetuum.

Quando nobis à diuina manu mittuntur labores & ærumnæ,eas patienter feramus Ecclesiastici 27.A.vasa figuli.

Bonis superueniunt sæpe angustię & afflictiones Gene.34.D.turbastis me.

Tribulationes sunt vtiles Exo.1.C.quantoque opprimebant eos.

Sæpe calamitates nobis contingunt propter nostra delicta Iere.2.D.quare ergo.

Nõnunquam tribulationes nostra culpa mittuntur Iere. 13. D. nunquid non dolores apprehendent te.

Laborum & afflictionum magna est in mũdo copia Ecclesiastes 1.D.ecce magnus effectus sum.

Tribulationes propter Deum patienter sustinere,vtilissimum plane est Ecclesiastici 51.D. modicum laboraui,& inueni mihi multã requiem.

In afflictionibus solet Deus moderate agere Isa.10. F. adhuc enim paululum modicúmq; &c.

Qui opprimunt afflictos & mœstos grauiter punientur Ezech.35.per totum.

Quantum noceat persequi & affligere bonum Iere.20.A.ecce ego dabo te in pauorem.

Magnas tribulationes propter scelera nostra interdum nobis Deus immittit Isa. 51. F. eleuare, eleuare.

Perſecutionem magnam & horribilem vide Iſa. 13. C. vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur.

Tribulationes ſæpe mittuntur ob noſtra peccata Iere. 9. F. quomodo vaſtati ſumus.

Tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere. Totum hoc euange. plenum eſt terroribus atque minis, vt homines reſipiſcant, & ad meliorem frugem conuertantur: quem locum ſi voles paulo fuſius amplificare, nonnulla ſubiungam.

Bonus timor pellere ex animo ſolet malorum operum conſuetudinem prauum, atque charitati ſedem præparare & habitationem. Vide D. Aug. lib. epiſt. cap. 18. to. 2.

Bono timore muniti eſſe debemus, atque diligenter videre quid nobis præcipiatur faciendum quidque vitandum. Timor enim iſte cogitationē inducet de futura morte, efficiétque vt in ordinatos motus noſtros & concupiſcentias refræne-mus. Vide eundem lib. 2. de doctri. Chriſti. cap. 7. tom. 3.

Non intelligamus quod quia dicit Apo. Rom. 8. non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ideo nulla ratione ſit nobis timendum. Hic enim timor de quo hic loquimur, ſanctus eſt, & Dei donum. Vnde Iſa. 11. requieſcet ſuper eum ſpiritus timoris Domini. Et Luc. 12. dicitur, timete eum qui habet poteſtatem & animam & corpus mittere in gehennam. Vide D. Auguſtin. libro de gratia & libero arbit. cap. 18. tom. 7.

Rectitudinem viæ domini timor ſæpe orditur & inchoat, & charitas perficit atque conſummat. Vide D. Grego. lib. 1. Mora. cap. 27.

Timor ille vtilis eſt, qui dum mentem concutit, ad boni operis ſtudium ducit. Vide eundem lib. 5. in 1. Reg. cap. 2.

Timor eſt cuſtos virtutum, ſicut diſſolutio & inconſideratio eſt earundem ruina: quod videtur ſignificare propheta Pſal. 22. dum ait, virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Quaſi dicat, dum in timore Dei maneo, ſeruaui gratiam quam acceperam. Vide D. Hieronym. in Pſalm. 77. tom. 3.

Multo melius eſt timore etiam pœnarum emendare peccata, quam fiducia quadam inani proſperorum diuinæ ſententiæ ſubiacere. Vide D. Hiero. lib. 3. in Hiere. 14. to. 5.

Quid ſancto timore beatius, qui gignit ac docet ſapientiam, quique peccati tenebras exterminat atque diſpellit? Vide D. Ambro. lib. 2. de vocatio. gentium cap. 9.

Timor ſi non ſecundum ſcientiam ſit, ſæpe obeſſe ſolet. Vide eundem in Pſalm. 118. ſermo. 5.

Qui peccata ſua confitetur, teſtatur quod timet Deum: qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri D. Chryſoſt. in non abſo. homi. 3.

Dei timor nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſeruat. Vide eundem ex variis in Matt. Locis homi. 16.

Timor ordinatus ac moderatus amplectendus eſt Pſal. 33. venite filij audite me, timorē domini docebo vos. Luc. 12. nolite timere eos qui occidunt corpus &c. Vide D. Bernar. in tracta. de gratia & libero arbi.

Quæ eſt aqua ſapientiæ, niſi timor domini? imperat Chriſtus miniſtris vt impleant hydrias aqua, hoc eſt vt impleant corda timore, quia ad charitatem venitur etiam per timorem. Iſa. 26. à timore tuo concepimus &c. Vide D. Bernar. ſer. mo. 2. in domini. 2. poſt octauas Epipha.

Quemadmodum qui manus clauis quibuſdā confixas habet, non poteſt illis aliquid exercere & nauare ſeruile: ita qui diuino timore cor habet transfixum, abhorret maxime à prauis operibus & iniquis. Vnde propheta dicebat Pſal. 118. confige timore tuo carnes meas. Et Pſal. 33. non eſt inopia timentibus eum. Vide D. Baſil. in Pſalmo 33.

Duplex eſt timor, alter cum quadam reuerentia & pudore, quem poſſident boni ac modeſti filij erga parentes ſuos, atque ciues ſtudioſi erga optimos moderatores: alter vero eſt timor cum quadam maleuolentia & odio coniunctus, quem habent mali ſerui in dominos, & ciues contra tyrannos gubernatores. Lege Ariſto. lib. 2. Oeconomi. cap. 2.

Præclarum quidem eſt ac ſalutare, diuinum timorem ſemper ante oculos habere, qui ſic hominem perficit atque exornat, vt tandem nihil ei deſit, iuxta illud Pſal. 33. non eſt inopia timentibus eum. Vide Origen. libro 3. in epiſt. ad Roma. cap. 3.

Prudentis quidem eſt viri præuidere mala futura, eáque quodammodo metuere ſiue potius quantum poteſt declinare. Vide D. Damaſ. lib. 2. de orthodoxa fide cap. 15.

Quis Iudam neget poſt proditionis ſcelus iure timere debuiſſe? ſed illud in eo quis non videat ſuper omnia execrabile fuiſſe, quod dum in ſuo timore modum ſeruare noluit, vel neſciuit, ſemetipſum deſperando, malum quod corrigere potuit, deteſtabiliori exitu quam exordio cumulauit? Cæterum illa timoris nimietas quæ ſe paſſim ad multiplicia rerum effundit, facilius decipit: perfectis etiam viris quandoque ſubrepit &c. Vide Richar. de S. Victo. parte prima de præparatione animæ ad contemplationem, cap. 62.

Vbi verus eſt Dei timor, ibi mandatorum eſt impletio diuinorum, ibi contemptus vitiorum & ſcelerum. Vide Gregor. Nazian. Oratio in ſancta Epipha. lumina.

Surgent enim pſeudo prophethæ, & pſeudo Chriſti, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Ea enim ſigna atque prodigia dabunt, vt ſi poſſibile ſit, electos quoque ſeducant. Anthichriſtus autem ſignificatur, cui nonnullos etiam miniſtraturos oſtendit: quem Paulus hominem peccati, filium perditionis appellauit. Deinde adiecit: cuius aduentus eſt ſecundum operationē ſatanæ, in omni virtute & prodigiis mendacij, in omni deceptione iniuſtitiæ, in his qui perduntur. D. Chryſoſt. in Matt. homi. 77.

Si ergo dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Si quis promiſerit vobis quod in deſerto gentilium & philoſophorum dogmate Chriſtus moretur: aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicētur arcana, nolite exire, nolite credere, ſiue quia perſecutionis & anguſtiarum tempore ſemper pſeudoprophetæ decipiendi inueniunt locum: ſi quis ſub nomine Chriſti ſe iactare voluerit, non ſtatim accommodetis fidem. D. Hierony. libro 4. in Matt. 24.

Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Quemadmodum cum ingēs aliqua aquila in aere ipſo apparet atque volat, reliquæ auiculæ pauent & cōtremiſcunt: ita plane viſo quolibet ſigno ex his quę

quæ præcedent iudicium Dei horrendum, homines maxime concutientur & contremiſcent. Lege Hēcto. Pin. ſuper Ezech. 5.

Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. De exemplo naturali quod quotidie cernimus, Chriſti inſtruimur ſacramento. Aquilæ & vultures etiam trans maria dicuntur ſentire cadauera, & ad eſcam huiuſcemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali ſenſu tantis terrarum ſpatiis & maris fluctibus ſeparatæ, parium cadauer ſentiunt vbi iacēat: quanto magis nos, & omnis multitudo credentium, debet feſtinare ad eum, cuius fulgur exit ab Oriente, & paret vſque ad Occidentem? D. Hiero. lib. 4. in Matt. 24.

Aliud deinde ſignum adiecit, dicens: vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ, Angelorum, martyrum, cæterorúmque multitudinem ſanctorum ita ſignificans. D. Chryſoſ. in Matt. homi. 77.

Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur. Sol & luna obſcurabuntur & non dabunt lumen ſuum, & cætera aſtra cadent de cælo, virtutéſque cælorum commouebuntur, nō diminutione luminis. Alioquin legimus Eſa. 30. ſolem ſeptulum habiturum luminis, ſed ad comparationem veræ lucis omnia viſui tenebroſa ſint. Si itaque iſte ſol qui nunc per totum orbem rutilat, & luna quæ ſecūdum eſt luminare, & ſtellæ quæ ad ſolatium noctis accenſæ ſunt, omnéſque virtutes, quas angelorū multitudines intelligimus, in aduētu Chriſti in tenebras reputabuntur; decutiatur ſupercilium eorum, qui ſe ſanctos arbitrantes, præſentiam iudicis non formidant. D. Hierony. lib. 4. in Matth. 24.

Statim poſt tribulationem dierum illorum. Quorum dierum? Antichriſti videlicet, & falſorum prophetarum, Magna enim tunc tribulatio futura eſt, cū ita multi futuri ſint ſeductores, quamuis non lōgis temporum ſpatiis perdurabit. Nam ſi bellum illud aduerſus Iudæos, propter electos breuiori tempore fuit diſſolutum, quanto magis propter eos ipſos contrahetur illa tentatio? D. Chryſoſ. in Matt. homi. 77.

Et tunc parebit ſignum filij hominis in cælo. Signum hic aut crucis intelligamus, vt videant iuxta Zacha. 12. & Ioan. 19. Iudæi quem compunxerunt: aut vexillum victorię triumphantis. D. Hiero. lib. 4. in Matt. 24.

Crux enim ſole fulgentior videbitur, obſcuratur enim ſol, crux autem apparet: quod fieri non poſſet, niſi ſolares radios ſplēdore ſuperaret. Cuius autem rei gratia iſtud ſignum apparet? Vt magno cumulo Iudęorum impudentia opprimatur, crucem in ſuam iuſtificationem ſecum habens, in iudicium veniet. D. Chryſoſ. in Matt. homi. 77.

Et tunc plangent omnes tribu terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maieſtate. Plangent hi qui municipatum non habuere in cælis, ſed ſcripti ſunt in terra. D. Hiero. lib. 4. in Matt. 24.

Tunc plangent. Non enim accuſantibus opus erit cum crucem viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipſius nihil profecerunt, quia crucifixum quem adorare oportebat, contēpſerunt. D. Chryſoſto. in Matt. homi. 77.

Et mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad terminos eorum. De hac tuba & apoſ. loquitur 1. Cor. 15. & in Apo. 8. legimus; & in veteri teſtamento Num. 10. tubę ductiles ex auro, & ære, argentóque fieri præcipiuntur: vt ſublimia doctrinarum reſonent ſacramenta. D. Hiero. libr. 4. in Matth. 24.

Ab arbore autem ſici diſcite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas: ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in ianuis. Sub exemplo arboris docuit conſummationis aduentum. Quomodo inquit, quādo teneres fuerint in arbore ficus cauliculi, & gēma erumpit in florem, cortéxque folia parturit, intelligitis æſtatis aduentum, & fauonij ac veris introitum: ita cum hæc omnia quæ ſcripta ſunt videritis, nolite putare iam adeſſe conſummationem mundi, ſed quaſi proœmia & præcurſores quoſdam venire, vt oſtendant quod prope ſit & in ianuis. D. Hiero. lib. 4. in Matt. 24.

Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Dominus ac redemptor noſter perituri mundi præcurrentia mala denunciat, vt eo minus perturbent venientia, quo fuerint præſcita. Minus enim iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur. Quia ergo omnia conſummanda ſunt ante conſummationem omnia perturbantur, & qui in cūctis deliquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur, quod dicitur Sap. 5. Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Omnia namque quæ ad vſum vitæ accepimus, ad vſum conuertimus culpæ. Sed cūcta quæ ad vſum prauitatis inflexímus, ad vſum nobis vertuntur vltionis. Trāquillitatem quippe humanæ pacis, ad vſum vertimus prauæ ſecuritatis. Peregrinationem terrę pro habitatione diligimus patriæ. Salutem corporum redigimus in vſum vitiorum. Vbertatis abundantiam non ad neceſſitatem carnis, ſed ad peruerſitatem intorſimus voluptatis. Ipſa ſerena blandimenta aëris, ad amorem nobis ſeruire coegimus terrenæ delectationis. Iure ergo reſtat vt ſimul non omnia feriant, quæ ſimul omnia vitiis in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipſo poſtmodum cogamur ſentire tormenta. Vide D. Grego. in euange. homi. 35.

Amen dico vobis, quia non præteribit &c. Vide quomodo Chriſtus dominus multo ante ſuos inſtruat, quam mala ipſa contingant vt cum aduenerint, moderatius ea ferant: nam malum immineus non præuiſum maius apparet, vt eleganter diſſerit doctiſſimus pater frater Bartholomæus Medina ſuper 1. 2. D. Tho. q. 42. ar. 5. omnia enim corporalia & bona & mala quanto magis conſiderantur, minora apparent: & ideo ſicut propter diuturnitatem dolor præſentis mali mitigatur, ita etiam ex præmeditatione minuitur timor futuri mali, quia cum aliquid eſt inſolitum & repentinum, facit ad debilitatem timentis in quantum ſubtrahit remedia, quæ homo poteſt præparare ad repellendum malum futurum: quæ præparare non poteſt quando ex improuiſo malum occurrit. Quamobrem & nos has domini admonitiones ante oculos habeamus, vt tantis terroribus accedentibus & ſuperuenientibus, imparati non inueniamur, ſed potius in magno virtutum progreſſu.

Veniet in maieſtatis ſuæ gloria dominus, ſicut ipſe prædixit, aderítque cum eo radians in ſplendoribus ſuis, innumerabilis angelicarum multitudo legionum. Congregabuntur ante thronum potentiæ eius omnium gentium populi, & quicquid

quid hominum vniuersis seculis progenitum est toto orbe terrarum in conspectu iudicatis adstabit. Separabuntur ab iniustis iusti, à nocentibus innocentes: & cum præparatum sibi regnum recensitis misericordiæ operibus, filij pietatis acceperint; exprobrabitur duritia sterilitatis iniustis & nil habentes siniſtri commune cum dextris, in ignem ad diaboli & angelorum eius tormenta dispositum, omnipotentis iudicis damnatione mittentur, cum illo habituri pœnæ communionem, cuius elegerũt facere voluntatem. Quis igitur istam sortem æternorum cruciatuum nõ paueſcat? quis mala nunquam finienda non timeat? sed cum ideo denuntiata sit seueritas, vt misericordia quæreretur, in diebus præsentibus cum misericordiæ est largitate viuendum, vt homini post periculosam negligentiam, ad pietatis opera reuertenti, possibile sit ab hac sententia liberari. Hoc enim agit potentia iudicis, hoc gratia seruatoris, vt relinquat impius vias suas, & iniquitatis suæ consuetudine peccator abscedat. Miserantur pauperem, qui sibi volunt parcere Christum. Faciles sint in alimenta miserorum, qui cupiunt ad societatem peruenire sanctorum. Non sit vilis homo homini; nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum conditor suam fecit. Vide D. Leonem papam in sermo. 4. de Collectis & eleemosynis.

Antecedentia iudicium sunt tria: primo signa terribilia, sicut legitur in euangelio: erunt signa in sole, luna, & stellis, & in terris pressura gẽtium, præ confusione sonitus maris &c. secundo Antichristi fallacia, prævalebit enim per callidam suasionem, per sanctarum scripturarum expositionẽ fallacem, per miraculorum operationem, per donorum largitionem, & per tormentorum illationem. Tertio ignis vehementia, erit namque ignis vehementia propter mundi innouationem, propter hominum purgationem, propter maiorem damnatorum cruciationem, & propter maiorem sanctorum illuminationem. Vide Lauren. Iusti. in lib. de ligno vitæ cap. 4

Quis oro mentis consideratione iudicem contuetur iratum, & non cõtremiscit & deficit? Quis diuinam animaduersionem attendens, voluntarie delinquit vlterius? Hoc expressit vates eximius psal. 75. dicens, tu terribilis es, & quis resistet tibi? de cælo auditum feciſti iudicium, terra tremuit & quieuit. Quieuit inquam, cum peccare ex proposito desiit. Salubris ergo huiusmodi iudicij cõminatio est, sed non minus proficuus patris pius aspectus. Illa cum tremore cognoscitur, iste vero cũ suauitate suscipitur. Cuius non emolliat mentis hebetudinem, & compungat in lachrymas, diuinæ miserationis assidua meditatio? Montes prout citharœda sanctus psal. 96. canit, sicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra. Equidem cum humano lux diuina illabitur corde, & aspectus gratiæ cælestis agnoscitur, absque cũctatione liquefit cor, exhilaratur animus, mens adorat, & intellectus prius elatione tumidus, omni cum festinatione procliuus solo humiliatur. Vide Lauren. Iusti. in lib. de triumphali Christi agone cap. 9.

Quantum porro durabit persecutio illa Antichristi, ostenditur Dan. 12. Vbi dicitur quo durabit per tempus, & tempora, & dimidium temporis: scilicet tribus annis cum dimidio, in quibus regnabit Antichristus. Nam per tempus intelligitur vnus annus, & per tempora duo anni, & per dimidium temporis medius annus. Tãtum enim regnabit Antichristus, quãtum prædicauit Christus. Vnde Apo. 13. datum est ei os loquens magna & blasphemias, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos, id est tres annos cum dimidio. Vnde & Dani. 12. Porro docti intelligẽt, à tẽpore quo posita fuerit abominatio, dies mille ducenti nonaginta, qui scilicet faciũt tres annos cum dimidio. Et sequitur in Daniele, beatus qui expectat, & peruenerit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque. Quod ideo dicit, quia quadraginta quinque dies erunt post mortem Antichristi antequam mundus finiatur, vt in illis homines mali ad pœnitentiam redire possint. Vide Glos. incogni. super Psal. versi. 1726.

Cælum & terra transibunt &c. Et merito, nam licet verba sint, sunt tamen verba Dei, & per quæ res conduntur: sic cælum fecit, sic angelorũ multitudines, sic alias inuisibiles potestates. Quod manifestum faciens propheta, dicebat: dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. Vide D. Chry. in quadam demonstratione aduersus Gentiles initio tó. 5.

Secundum Origenem boni per cælum signãtur, per terram mali Esa. 1. audite cæli, & auribus percipe terra. Vtrique transibunt, boni in vitam æternam, mali in ignem æternum. Vide D. Tho. in Matth. 24.

Cælum & terra transibunt &c. Confirmatio est omnium inductorum in præcedentibus: transit autem cælum & terra non quoad substãtiam, sed quoad actus & figuram generationis quam nunc habent. Psal. 101. ipsi scilicet cæli peribunt, tu autem permanes, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Esa. 65. ecce ego creo cælum nouũ, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor, sed lætabimini in eis quæ ego creo. Apoca. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam, & mare iam non est. Et hoc notat ex modo loquendi, quando dicit transibunt, quia transitus de vno ad aliud est permanente substãtia transeuntis. *Verba autem mea non præteribunt.* In falsitatem Matt. 5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Esa. 40. verbum domini Dei nostri stabit in æternum. Psalm. 118. in æternum domine permanet verbũ tuum &c. Vide Alber. Mag. in Matt. 24.

Cælum & terra transibunt. Cum hæc omnia terrena caduca sint & fragilia, & Deus ipse in æternum permaneat, æquissimum plane est vt ipsum sequamur, contemnentes secularia & mundana. Psal. 118. in æternum domine permanet verbum tuum super quem locum Glos. incognita super Psal. Versi. 2162. ita habet. Cor nostrum cor seruitutis esse debet, vt totaliter seruire sit promptum, non secularibus & temporalibus rebus implicari, quia vana sunt, & vanum faciunt diligentem. Ab omnibus igitur temporalibus circumcidamus cor nostrum, vt Dei mandata plene possit custodire. Nil vile quæramus, vile autem est omne terrenum. Nil ergo terrenũ, nihil seculare, nil corporeum, nil leue atque mutabile, in nostro corde ponamus, sed Dei verbum in nostro corde seruemus. Ait enim Christus Matt. 6. nolite thesaurizare vobis in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, sed thesaurizate vobis in cælo. Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Thesaurus tuus est fides, pietas, misericordia: thesaurus tuus sit Christus. thesaurus noster pretiosus intellectus est. Si terrenus intellectus fuerit, si fragilis, peruersa ipsum tinea & ærugo consumit. Le-

uemus.

uemus ergo & erigamus cor nostrum, nec impossibile iudicemus vt hic humana corporis infirmitas ad cognitionem cælestium mysteriorum prouehatur: cum iam ad nos dominus Iesus, in quo absconditi sunt scientiæ sapientiæque thesauri, diuina miseratione descenderit, vt clausa reseraret, aperiret latẽtia, reuelaret occulta. Quilibet ergo nostrũm volẽs Deo corde seruire, non debet cor suum in istis temporalibus ponere, sed solum in cælestibus. Cum enim verbum Dei sit thesaurus iustorum, & verbum Dei permaneat semper apud patrem in cælis, ibi in cælis corde debemus ascendere vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.

Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Cælum & terra transibunt immutatione, non abolitione sui: alioquin quomodo sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent, si cælum in quo ista sunt, terráque non fuerit? D. Hierony. lib. 4. in Matt. 24.

HAEC habui, Candide lector, quæ in dominicis totius anni & ferijs Quadragesimalibus describi atque explanari pro mei ingenij facultate posse videbantur. Nam quæ ad sanctos & ad cætera communia argumenta spectant, ne voluminis magnitudo in immensum cresceret, in alterum Tomum reijcienda censuimus: quem propediem in lucem proferendum non minori diligentia curabimus, auspicijs Dei optimi maximi: cui laus & gloria sit in secula seculorum. Amen.

FINIS.

ADDITIO

ADDITIONES EIVSDEM AVTHORIS,

QVÆ AD CONCIONATORIS OFFICIVM *recte exequendum præcipuè iuuant.*

Regula 1. CONCIONATOR in huius muneris functione retinere debet, vt sui, suorúmque commodum, atque honoris oblitus, in solam Domini gloriam, animarúmque salutem tota mẽte defixus sit. Illam solum intueatur, illam captet, illam cogitet, illam semper ob oculos habeat, nec vnquam ab illa, ad se conuertat. Indignissimum enim est cum de summi Conditoris gloria, & sempiterna animarum siue vita, siue morte agitur: vt homo tantarum rerum monumenta negligens, solùm gloriæ suæ rationem habeat, magísque hãc inanem rumusculi popularis auram periclitari (si minus auditoribus grata sit eius oratio) quã Dei gloriam, & animarum salutem, sentiat. Quis verò adeò sui amans, & Dei negligens erit, quem huius tantæ peruersitatis, & diuini contemptus nõ pudeat, si fortè hanc affectuum suorum prauitatem in pectore suo animaduertit? *Exemplũ.* Armenia clarissima fœmina cum à Cyri connubio domum rediens, Cyri pulchritudinem cunctis laudantibus interrogata à viro fuisset, quid de Cyri dignitate sentierit, respondit: à te mi vir nunquam oculos deflexi; itaque qualis alieni viri forma sit, penitus ignoro, si igitur fœmina hæc, nefas esse putabat in alium quamuis regem forma præstantem oculos coniicere, quanto detestabilius erit, cum de Dei gloria, & summa hominum fœlicitate agitur, hac prorsus neglecta, de sola gloria sua (quæ vt vmbra citiùs euanescit) solicitum esse? *Reg. 4.* Cum Helisæus propheta puero suo, quem cum baculo ad puerum mortuum mittebat, præcipisset, vt accinctus lumbis, quanta posset celeritate accurreret; nec illi resalutandi, aut respondendi occursantibus, & salutantibus facultatem tribuisset: quid aliud quæso innuere voluit, quàm eos, quibus hęc cura à Domino demãdata est, vt mortuas in peccato animas, diuinæ seueritatis & iudicij baculo ante oculos posito, ad iustitiæ vitam reuocent, adeò in hoc tam præclarum & ingens munus intẽtos esse debere, vt omnium aliarum rerũ & negotiorum obliti, hoc vnum agant, hoc vnum cogitent, in hoc vnum dies noctésque intenti sint: nec vllius terrenæ rei commercio, ab hoc studio, auocẽtur: quo videlicet muneris amplitudini, par quoque ministri cura & diligentia respondeat. *Simile.* Si cùm pater aliquis enitenti filiæ, & ob difficultatem partus periclitanti, ad medicum accersendum properaret: num is hoc tempore populares ludos aut similia ludicra spectare, aut ad ea animum aduertere posset? cum igitur officij nostri sit, nõ periclitantia hominum corpora, sed animas pretioso sanguine redemptas, ab ipsis æternæ mortis faucibus eripere, & immortali vitæ reddere; quid esse magis præposterum, atque detestandum potest, quam hoc tanto munere fungentem, ad inanissimum gloriæ suæ fumum oculos conuerrere?

Reg. 2. Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientiũ vita trucidetur: cúmque propositæ vtilitatis intentio ad studia priuata deducit, horrendo modo vnum idémque opus culpa peragit, quod virtus inchoauit. *Simile.* Sæpe, & ab ipsis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit, vt inquit Gregorius. *d Greg. in pasto.* Hoc autem periculum concionatores multi, ac præsertim iuniores adeò non cauent, vt nec etiam agnoscant. *Simile.* Sicut enim in quibusdam regionibus conformæ ebrietatis vitium, nec vitium aut deforme quidquam esse iudicat, propterea quod praua hominum consuetudo huic vitio horrorem detraxerit; ita multis concionatorum adeò familiaris, & innata hæc vanitas est, vt vix eam animaduertant, & nec inter peccata quidem numerent: at qui diuino timore acti se ipsos & interiora sua omnia, diligenti examine scrutantur, séque ex omni parte circumspiciunt vehementer sibi ab hoc periculo timent.

Reg. 3. Neque enim natura rerũ patitur, vt in tãtæ dignitatis splendore vita sordeat; sed illud exigit vt cum ministerij dignitate, vitæ puritas, & integritas certet. *Hiere. 1.* Hinc enim dominus Hieremiam prophetam, ad deprauatos populi mores castigãdos, mitteret, in matris etiã vtero delitescentem, necdum in lucem æditum, spiritu sancto repleuit. *Esai. 6.* Esaię 5. Labia cherubini ad ipsum volantis ministerio, cælestíque igne ex altari Dei sumpto, ab omni pollutionis & peccati labe purgauit: quo idoneus minister esset, per quem, vt puritatis authorẽ sceleris & rebellis populi crimina obiurgaret. Quid apostolos memorem? quos tanta spiritus sancti gratia in die Penthecostes repleuit Dominus, vt idoneos euangelicæ doctrinæ magistros efficeret? *2. Cor. 11.* quid Paulum referam? quem non modò eodem spiritu repleuit, sed in tertium, vsque cælũ sustulit, vt inter angelos disceret, quod inter homines doceret? Sed hæc omnia exempla illud mihi superare vidẽtur, quod ipse Dei filius non ante munus hoc docendi suscepit, quàm se *Matth. 4.* ad illud, quadraginta dierũ ieiuniis, orationibus, & solitudinis secessu præpararet: non quod is hac præparatione indigeret (qui puritatis & sapientiæ fons erat) sed vt hoc exemplo ecclesiæ doctores discerent, quæ vitę puritate & innocentia, ad hoc celeste munus obseruandum, accedere deberent: intelligebat enim ille summus magister, quanto essent ad fidem faciendam, & vitam hominum instituendam, efficaciora præclara virtutum exempla, quam exculta & perpolita verba.

Reg. 4. Si ecclesiæ annales & incrementa ad memoriam reuocemus, facilè inueniemus longè magis ecclesiam sanctorum exemplis, quam disertorum hominum verbis auitam, & locupletatam fuisse. Quàm multorum monachorum, cęlestem in terris vitam meditantium, pater extitit illiteratus Antoninus? de quo illa diui Augustini verba incitantur: Surgunt indocti, & rapiunt nobis Paradisum, & nos cum doctrinis nostris in carne & sanguine volutamur; quid illiteratum etiã Franciscum referam, qui tot virtutum plantaria in ecclesiæ Paradiso, sanctitatis exemplis magis quam disertis verbis conseuit? quid Simeon ille cognomento

In historia relig. Theodore. gnomento Stilites literarum omnium rudis cuius vitam Coetanus, & familiaris eius amicus Theodoretus conscripsit, quàm multæ nationes in columna illa manens, admirandæ vitæ suæ exemplis, ab idolorum cultu ad fidem Christi reuocauit? Vicina quoque nostro sęculo D. Catharina Sennensis, & fœmina, & literarũ ignara, tàm multos homines à scelerata vita, ad iustitiam, & pietatem conuertit: vt quatuor confessarij, qui illi (annuente Gregorio vndecimo, Pontif. Maximo) iugiter assistebant, vix tempus ad quietem haberent: dum eorum confessiones audiunt: quos illa, splendore magis vitæ, quàm doctrinæ, ad virtutis, & iustitiæ studium traducebat. *Reg. 5.* Sed quid tam multis argumentis ad hoc probandum, in re tam aperta opus est? cum ipsi etiam Rhetores orationem definiant esse virũ bonum, dicendi peritum? Si ergò orator, qui Stillicidiis arcendis, deque depositis reddendis, vt fidem apud iudices faciat, vir bonus esse debet, priusque illi vitæ probitas, quàm artis peritia attribuitur: quid de concionatore dicendum, cuius tota cura & officium est, homines ad virtutis, & probitatis studiũ, nõ modò loquendo, sed etiam rectè viuendo traducere? *Eccl. 34.* Rectissimè enim dictum est, ab immundo quis mundabitur? Ex quibus omnibus intelligere facilè possumus quid sit in causa, cur, cum hoc nostro seculo, omnia ferè templa, quotidianis concionatorum vocibus, & clamoribus resonent, tàm paucos homines videamus, qui eorum clamoribus perterrefacti, prauos mores, & inueteratam peccandi cõsuetudinem deserant. *Hiere. 23.* Cum enim verbum Dei ignis sit, & quasi malleus conterens petras; quid in causa est, vt nec hic ignis cælestis algentia hominum pectora inundat: nec hic malleus ferreus corda molliat? nisi quòd maxima concionatorum turba, negotium hoc, magis verbis quam exemplis, magis literis quàm lamentis, & piis precibus vrgeat, maioremq; popularis plausus captandi, quam vitia eliminandi: ac postremò maiorem nominis sui celebrandi, quàm diuinæ gloriæ, & salutis humanæ procurandæ, curam habeant? Sic enim huic muneri destinatus, Dei gloriam, & animorum salutem sitire debet: vt nullus auarus, diuitias, nullus ambitiosus, honores, nullus denique Imperator de hostibus triumphum, atque victoriam tanta auiditate desideret, quanta is animarum salutem deperire, & earum interitum lamentari debet. Hoc enim flagrantissimum desiderium, quod à charitatis radice proficiscitur, adeò Euangelici concionatoris proprium, adeoq; illi, ad munus suum vtiliter obeundum necessarium est: vt qui hoc ardore, & desiderio destitutus sit, meo iudicio, officium hoc attingere minimè debet.

Regula 6. Cum quidam vir pius, qui tum primum concionandi munus aggrediebatur, à veterano eius artificij principe quæreret, quid sibi maximè ad id munus obseruandum necessarium esset? ille, nihil, inquit, magis quàm is qui dicit, ardentissimo Domini Iesu flagret: Qui enim sic erga illum affectus est, vehementer illius gloriam, & animarũ salutem (pro quibus ille vitam profudit) sitiet: & quæ ille maximè odit (nempe hominum peccata & flagitia) simili affectu detestabitur. Atque ita fiet, cum de hisce rebus agendum erit, non perfunctoriè, non oscitanter, aut segniter: sed vehementer, acriter, & pro dignitatete rerum, dicat, eumque affectum animis auditorum imprimat, quem ipse voce, vultu, gestu, acrimonia, & tota dicendi contentione præferat. Cùm autem his affectus, & ardor à Spiritu sancto sit (non enim hũc natura, sed gratia, & magna quidem diuinæ misericordiæ gratia, præstat) non potest populus audiens hoc ardore declamantem, non mirari, suspicere, & reuereri: propterea quòd intelligat maiùs aliquid, & supra hominis facultatem, atque naturam ibi latere, ibique Dei digitum esse.

Reg. 7. Ad hoc autem munus obeundum pertinet, vt homo omnem à se fiduciam depellat, ne vel eruditione, vel eloquentia, vel vocis & pronunciationis elegantia, vel opinione & fama populari, vel diuturna concionandi consuetudine, atque dexteritate fretus, aliquid se effecturum putet, nisi cælitus adiuuetur, virtuteque ex alto induatur. In mentem vero operis huius difficultatem reuocet, intelligatque hoc vnum sibi superesse remedium, vt cum Iosaphat rege sanctissimo, totum spiritum suum conferat ad rogandum Dominum: *2. Paral. 20.* ab illo fœlicem laboris successum, ab illo animarum salutem, ab illo dicendi vim, & facultatem, non ab humanis, eloquentiæ, aut eruditionis præsidiis, speret.

Regula 8. Iuuabit & illud: Si concionator nominis sui rationem cõsiderans, meminerit se hominum piscatorem de Domino appellari. *Matth. 4. Simile.* Sicut autem piscator cum rete iacit, hoc vnum præcipuè curat, ne vacuum rete domum referat: Sic animarũ piscator hoc præcipuè curare, in hoc neruos omnes intendere debet; vt eo modo actionem suam instituat, qua huiusmodi præda Euãgelicam sagenam impleat, hoc est, vt pereuntium animas Christo Domino lucrifaciat. Hoc autem sequetur si ea dicat, quò possit obdurata corda concutere, & in tenebris, & cæca peccati nocte iacentes, doctrinæ suæ luce, ad veritatis notitiam trahere; quo miserandum animæ suæ statum & periculum agnoscentes, & animo compungantur, & ad iter salutis reuocentur: ad quod, & incertam mortis horam diuini iudicij seueritatem, & horrendas gehennæ flammas, æternitatemque pœnarum, non raro ante oculos ponere debet: quamuis nõ semper aduersum hos orationis stilus dirigendus est, quando is sapientibus & insipiẽtibus, piis & improbis debitor sit: & ad pietatẽ, & ad iustitiã, alios quidẽ potẽter trahere: alios verò blandè, & leniter erudire & instruere debeat. *Simile.* Quemadmodum verò piscator tristis abscedit, vbi vacuam sagenam ab vndis extulit: Sic animarum piscator, si adeò se languidè in officio gessit, vt coniicere hoc iudicio possit se nihil prændidisse: de hac iactura, non de ignominia sua dolere debet.

Reg. 9. Qui accipitres ad capiendas aues nutriunt hoc ante omnia curant, vt aliqua primum facili præda iudicantur, quo accidiùs deinde ad insequendas eius generis aues rapiantur, quarum iam gustum perceperunt: Ad hunc igitur modum concionatores, qui aliquot animas è diaboli faucibus ereptas, in libertatem asseruerunt, ad alias simili studio, atque labore capiendas excitari solent. *Exemplũ. Agesilaus.* Sic enim Agesilaus Lacedæmoniorum rex, militum suorum animos ad prælium acciebat, pulcherrima illis hostium spolia, quæ paulò ante in bello ceperat ostendens: hoc ergo modo concionator inclita animarum spolia, quæ à diaboli potestate eripuit, sibi ante oculos ponat, quo se studiosiùs & alacriùs huic tanto muneri accingat.

Reg. 10. Præterea cum salus animarum, & perditorum hominum pœnitentia, & conuersio, ministerij huius finis sit (quæ res, nisi singulari Dei auxilio, perfici non potest, vt paulò ante dicebamus) opus est vt cõcionator non solum verbis, sed mul-

to etiam magis precibus & lamentis opem Domini imploret, vt pios conatus & labores suos prouehat atque secundet: meminisse enim debet
Luc.5. quid piscanti Petro euenerit, qui tota nocte cum sociis laborans, nihil cepit: Cum autem in verbo Domini retia laxasset, copiosam piscium multitudinem concluſit.

Reg.11. Ad supernum desiderium inflammare auditores nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res ipsa, quæ in se non ardet, aliam accendit: Qua de re non grauabor Quintiliani, rhetorum principis, sententiam hoc in loco
Quintil. lib.6. attexere, qui institutionum oratoriarum libro 6. de concitandis affectibus differens, sic ait: Summa, quantum ego quidem sentio, ars ad mouẽdos affectus in hoc sita est, vt moueamur & ipsi: Nam & luctus, & iræ, & indignationis ridicula fuerit imitatio, si verba, multumque tantùm, non animum accommodauerimus. Quid enim aliud est causæ, vt lugentes vtique in recenti dolore, disertissimè quædam ex clamare videantur: & ita nonnunquam indoctis quoque eloquentiam faciat; quam quod illis inest vis mentis, & veritas ipsa morum? Quare in his quæ verisimilia esse volumus, simus ipsi similes eorum qui verè patiuntur affectus: & à tali animo proficiscatur oratio qualem facere iudicem volet. An ille dolebit qui audiet me, cum hoc dicam, nõ dolentem? irascetur, cum nihil ipse qui in iram concitat; idque simile exigit, simile patiatur? siccis agenti oculis iudex lachrymas dabit? fieri non potest: neque incendii nisi ignis; nec madescimus sine humore nec res vlla dat alteri colorem, quam ipsa non habet: primum est igitur, vt apud nos valeãt ea, quæ apud iudicem valere volumus: afficiamurque antequam afficere conemur. Ex huius ergo præstantissimi artificis sententia liquet, ad affectus excitandos præcipuum esse vt afficiamur ipsi: Denique sicut ligna arida facilè ignem concipiunt: virida verò atque humentia, non item. Sic concionatores diuinarum rerum, & deuotionis studio dediti, facilè, velut exsiccata ligna, deuotionis atque dilectionis igne inflammantur, quo auditorum animos afficiunt: qui verò deuotionis expertes sunt, tanquam humentia ligna vt neque seipsos incendunt, ita neque alios incendere possunt. Hæc autem omnia quæ diximus breuiter Prosper lib.1. de vita contemplatiua complectitur his verbis: Prædicator non in verborum splendore, sed in operum virtute, totam prædicandi fiduciam ponat: non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus: nec plausum à populo studeat expectare, sed gemitum, lachrymasq;, quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat: sic eos compunctione sui cordis accendat.

Simile. Debet igitur concionator, priusquam munus hoc attingat, varia & multiplici lectione, refectũ pectus habere, vt tanquam scriba doctus in regno cælorum proferat de thesauro suo noua & vetera. Qui enim cum primum munus hoc aggrediuntur, sanctorum Patrum scripta legere incipiunt; hic non vetera & noua, sed noua solum, contra hoc Christi Domini consilium proferunt. Qua in re vermiculos, quos Bombices appellamus imitari debet, qui pluribus diebus nihil aliud faciũt, quàm arborum *foliis corpora* saginare: deinde vbi in iustam corporis magnitudinem excreuerint, serica fila nectere, die noctuque non desistunt. Eos verò qui sine hac studiosa præparatione, munus hoc obeunt. D. Gregorius castigat his verbis, videant, quos à prædicationis officio, ætas, vel imperfectio prohibet, & tamen præcipitatio monet: ne cum intempestiue arripiunt quod non valent, perdant illud, quod tempestiuè aliquoties implere possent. Nam & pulli auium, si ante pennarum perfunctionem volare appetant, vnde in alta ire cupiunt, inde in ima cadunt. Sic & conceptam sobolem, si priusquam formetur, fœmina profert, non tàm domum, quàm tumulum replet.

Ex lectione autem sanctarum scripturarum, reconditiora loca, seligere curemus, qui nouitate & dignitate sua auditores excitent: quorum multa ex Prophetarum, & Sapientiæ libris colligere licet: loca enim ab aliis pene detricta, & passim obuia minus mouent: nisi ea insigni aliqua expositione, aut commentatione illustremus: vel sententiæ vim & grauitatem ponderãtes: vel tropum (si quis est) aut Emphasim, quæ frequenter in vna voce latet excutientes: Neq; tamen oportet multis scripturæ testimoniis, ad vnum aliquid probãdum vti, quod nõnulli faciunt ostentandæ potiùs memoriæ & eruditionis, quàm ædificandi gratia.

Qui igitur diligenti studio, & lectione, & meditatione hunc sibi thesaurum opportuno tempore comparauerint, graues & acres erunt in dicendo, vberrimumque laboris sui fructum referent: Qui verò vacui, ieiuni, & steriles hoc munus aggrediuntur, quam frugem referre poterũt, nisi vt tales auditores suos relinquant, quales ipsi ad dicendum accesserunt? Quocirca summum cõcionatoris studium in diuinarum scripturarum, & sanctorum patrum lectione insumi debet, quorum inuentis, sua quoque inuenta, augere & locupletare debet: Est enim valde angusta humani ingenij vena, quæ, nisi aliorum studiis, velut lucernarum accessione iuuetur, exiguum sanè lumẽ proferet. Hinc tot homiliarij in hoc nostro seculo prodierunt, in quorum lectione, vix insigne aliquid inuenimus: Propterea quòd eorum authores, ingeniorum suorum inuentis, & labore contenti, & rerum suarum amore allecti, quæ ipsis, velut ingenij sui fœtus, placuerunt; aliis etiam placitura credebant.

Molestissimè enim fero nonnullos, ita muneris & instituti sui oblitos, vt nihil minus agant, quam quod ex præscripto sibi munere agere tenentur: Cum enim hoc sit concionatori propositum, vt quæcunque dicit ad animarum salutem, ad castigandos hominum mores, ad virtutis præcepta tradenda, ad mundi contemptum, ad diuini numinis timorem, pariter & amorem, cæteraque his similia dirigere debeat: quidam per res otiosas, & superuacaneas ita vagantur, vt miseri auditores, qui eo confluxerant, quò salutarẽ aliquam doctrinam haurirent, aridi prorsus, atque ieiuni à concione redeant. Quis enim ferat medicum cui agere commendatus est, aliud agere, & officij sui curam negligere? Quisquis igitur aptè dicere, & officio suo satisfacere cupit, instar periti sagittatoris, nunquam oculos à ministerij sui scopo deflectat, vt ad illum totam orationis suæ vim dirigat. Nec minus vt cœmẽtarij nunquam vel vnum lapidem in ædificio collocant quin statim amussim & regulam adhibeant, qua recte an secus collocatus sit explorent: ita fidelis ac prudens diuini verbi dispensator, quæcunque dicere instituit, ad hanc regulam expendere debet. Itaque cum aliquid ad dicendum excogitauit à seipso, inquirat quid hoc ad animarum salutem? quid ad bonos mores componendos? quid ad vitam hominum rectis institutis moderandam? Quod si ad hoc minus pertinet quantumuis illud sibi subtiliter & acutè excogitatum videatur, si rectè sapit, nec se populo vendicare cupit, tanquam otiosum, & ab instituto suo alienum repudiat.

Vbi concionator suggestum cõscenderit, & circumfusam, ex eo, turbam fuerit contemplatus, proponat sibi in animo illam esse ægrotorũ multitudinem, qui piscinam olim circumsistebant, vt à morbis suis liberarentur: Se verò esse velut angelum, cœlitus missum, qui variis diuini verbi medicamentis, nõ vnum aliquem, sed omnes qui adsunt sanare studet. His igitur morbis reputet concionator plerique eorum qui illum audiunt, laborare, qui omnes sunt ad mortem, & mortem quidem sempiternam. Quid ergo indignius, quàm cum qui tot tantisque malis curandis destinatus sit, per aëra quodammodo volitantem muscas venari, & aliud agere, quo tempore tantis malis
Simile. salutarem opem ferre deberet. Quia verò ad Medicum spectat non solùm morbos curare, sed integris etiã tuendæ sanitatis præcepta dare. In hoc quoque concionator Medici curam & solertiam imitabitur, præsertim cum nõ satis ad perfectam iustitiam sit à malo declinare, nisi bonum facias: vbi ergo à malis deterruerit, ad bona quoque opera, hoc est, ad omnia virtutum officia exhortari
Reg. debet, maximè cùm vitia, aduersarum virtutum actionibus superanda sint.

Concionator etiam exemplo Pauli, omnibus omnia fieri, & in omnes se formas, velut alter Proteus, transformare debet, vt omnes faciat saluos: alios enim terrere; alios in spẽ allicere, alios con-
Rom.15. solari studeat (qui videlicet variis calamitatibus, & ærumnis præmuntur: cum omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint: vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus) stantes confirmet, lapsos erigat, pusillanimes confortet, currentibus calcar addat: obfirmatos in sceleribus suis diuini iudicij metu perterreat: & singulis quibusque conuenientia salutis medicamenta adhibeat. Deinde ad varios hominum status, atq; fortunas, variaque vitæ officia inclinanda orationem suam metiatur: quod
ad Titum. quidem Apostolus, in fine & Epistolarum suarum
1.Ioan.2. facere solebat, cum dominis & seruis, parentibus & filiis, viris & vxoribus, viduis atque diuitibus huius seculi, quid quisque in statu suo facere debeat solicitè perscribit: Quod etiam Ioannes Baptista facit, dum omnibus ad se confluentibus, pro cuiusque personæ conditione, variè tradidit præcepta viuendi.

Ad hæc igitur & his similia quæcumque dicimus flectere debemus, si piè fideliter, atque prudenter, cælestis doctrinæ panem esurientibus frangere, non populi plausum captare, volumus: nec tamen sic dicenti, plausus deerit salutaris: Multis namque experimentis constat, nulla magis re populum capi, nullamque attentius audire, quam quæ vulneribus suis curãdis accommodata est.

Similia. Alios namq; erudire, & ad virtutis amorẽ trahere perfectorum est: & eorum qui firmas iam radices in virtute iecerunt: quod quidem natura, & in arboribus, & in animantibus docet: Neque enim arbores recenter plantatæ fructus continuo ferunt: neque animantia, vbi primum in lucem edita sunt fœtificant, nisi quando ad iustam corporis magnitudinem peruenerunt. Cumque maximè naturale viuentibus sit, sibi similes generare: hoc tamen nisi in adulta, perfectaque ætate non præstant. Quocirca probata iam, & corroborata virtus sit oportet, quæ virtutem in aliis generare debet.

Recte enim D. Bernardus, cum concionator *D.Bern.*
agens, dabis (inquit) voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, tibi illud prius persuasum esse cognoueris, efficaciorem operis quam oris vocem esse. Adde etiam, quod cum præcipuum concionatoris officium, in virtutum atque vitiorum natura explicanda versetur: quis hoc intelligere aut eloqui commodiùs, quam qui perpetuo vitiis bellum indixit, poterit: seque totum ad virtutum, & diuinæ legis studium composuit? Quãuis enim exquisita doctrina, atque eruditio, ad cõcionandi officium necessaria sit (sine qua temeraria & cæca esset omnis oratio) tamen cum ad eam vitæ puritas & sanctitas accedit, dictu mirum est, quantum eius accessione doctrina iuuetur.

Attamen diuinæ legis amor atque studium vsque adeò piorum mentes illustrat, vt & doctoribus, & ætate prouectis anteferatur: vnde est illud Ecclesiastici, anima viri sancti annunciat ali-
Eccles.37. quando vera, plusquam septem speculatores, sedentes in excelso ad speculandum: Nam (vt omittam diuinæ gratiæ lumen; & egregia illa spiritus sancti dona, quæ ad intellectus humani aciem illustrandam, atque perficiendã conferuntur) quantum quæso ad virtutum & vitiorum cognitionem parandam adiuuat, in virtutis & pietatis curriculo diu sudasse atque laborasse? Vt enim qui nauigant mare, narrant pericula eius: ita qui per iter virtutum gradiuntur, & latam vitiorum viam fugere studeant: hi planè itineris huius ingressum & exitum, prælia & victorias, labores & dolores, variasque pugnandi artes, & vitæ pericula, non solùm legendo, sed multo magis pugnando didicerunt. Quis enim melius de ratione venandi, quam venator: quis de piscandi arte, quam piscator dicet? quis verò anfractus & compendia viarum exploratiùs quam assiduus viator, intelliget? qui non est, inquit, tentatus, quid scit? qui spiritualia nunquam arma tractauit; qui nũquam cum inimico aperto Marte conflixit; qui se illi victum atque captiuum tradidit: qui nunquam cum affectibus suis colluctatus est; qui nullũ propter honestatem atque virtutem laborem susceperit, qua ratione de hac spirituali pugna disputare perfectè *Exemplii.*
poterit? Hac enim de causa Annibal, Phormionem philosophum de re militari disputantem, irrisit, quòd senex, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, coram se, qui tot annos cum populo Romano orbis victori bella gessisset, de re militari disputare ausus fuisset. Quo exemplo non obscure intelligimus, quanto aliter de spirituali militia loquantur, qui in ea strenuè versati sunt, quàm qui illam nunquam attigerunt. Iam verò de diuini spiritus deliciis; de internis, fidelis animæ cum cælesti sponso, colloquiis; de charitatis ardore atque impetu, de sobria illa humanæ mentis ebrietate, qua sanctorum animæ rapiuntur in Deum, quis melius dicere poterit, quam qui hæc ipsa diu multumque expertus est? Si enim hoc officium ad eos solum pertinet, qui firmas in virtute radices iecerunt; consequens est vt nemo, nisi ad hanc virtutis firmitatem peruenerit munus hoc obedire debeat: Non est enim iacentis alium *Similia.*
erigere: neque aliis quisquam dare potest, quod ipse non habeat: immaturus siue arborum, siue animantium partus ad frugem minimè peruenit: ita fit, vt concionatoris immaturus labor, aliis

quidem inutilis; sibi ipsi damno atque detrimento sit.

Recupera proximum tuum (dicit Ecclesiasticus) secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas, hoc enim charitatis ordo exigit, de quo sponsa in Canticis gloriatur: hic autem ordo petit, vt hac ratione concionator aliis prosit, ne desit sibi: sic aliorum saluti studeat, ne suam deserat: sic in alios liberalis, ne sibi parcus: sic pius ne sibi immitis: sic denique salutaris ne sibi inutilis, & sui negligens existat.

Reg.10. Eccles.19. Cantic.2.

Hoc autem nobis docent quinque illę virgines sapientes, quæ, fatuis oleum postulantibus, prudenter responderunt: ne fortè deficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vẽdentes, & emite vobis. Hoc idem nos Apostolus docet, cum ad Timotheum ait: attende tibi & doctrinæ: hoc enim modo, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Priori ergo loco, concionator sibi prospicere monetur: secundo verò vt tradendæ populo doctrinæ vacet: Illos igitur imitari concionator debet, qui ex aluearijs fauos decerpunt, qui nequaquam ita illa exhauriunt, vt non apibus alimenta mellis in hyemem reposita derelinquant.

Matt. 25. 1.Tim.4. Simile. Simile.

Sic etiam pastores, qui distenta lacte ouium vbera emulgent, agnorum, quos lacte nutriunt, rationem habent, ne fœtus alimenti inopia deficiant: Ad hunc igitur modum concionator, alios doctrinæ cælestis pabulo alere debet, vt seipsum quoque in spiritualibus exercitiis, & interna cum Deo vacatione poscat: famem quippe, & inediam sustinebit, si sese neglecto, atque esuriẽte, de aliorum tantum pabulo solicitus sit: quia in re, non animantium modò, sed arborum etiam, & terrarum quoque ingenium, atque naturam imitabitur. Arbores enim, quæ vno anno vberrimos prouentus ferunt, sequenti anno à solito ferendi fructus labore feriantur: Fertiles etiam agri, qui copiosam vno anno messem tulerunt, sequenti, quo se reficiant, à solito cultu vacare permittuntur. Si ergo terra, cuius proprium est fructus germinare, hac alterius quiete indiget: quanto magis spiritus noster, qui aliunde quàm à natura vires haurit, eadem laboris & vicissitudinis quiete indigebit, ne videlicet exhaustus deficiat, si se totum aliis, cura sui prorsus abiecta, permiserit? Cæterũ quoniam tantum in me authoritatis non est, vt mihi fides adhiberi debeat, sanctissimi viri Bernardi, qui non tàm humano studio, quàm diuino haustu atque magisterio diuina tractauit hac de re sententiam proferam.

Simile. D.Bernar.

Is igitur ad Eugenium Pontificem Maxim. sic scribit: Audi ergo quid redarguam, quid suadeã, si quod vis & sapis totum des actioni, considerationi nihil, laudo te, in hoc non laudo, puto quod nemo qui à Salomone audierit, qui minoratur actu percipi & sapientiam. Certe neque ipsi actioni expedit, consideratione non præueniri: Sic itẽ si totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit: quomodo autem plena te excluso? & tu homo es: ergo vt integra sit, & plena humanitas, colligat te intra se sinus, qui omnes recipit; alioqui quid tibi prodest iuxta verbum Domini, si vniuersos lucreris teipsum perdens? Quamobrem cum omnes habeant, esto tu ex habẽtibus vnus. quid? solus fraudaris munere tuo? vsque quo vadens spiritus & non rediens? vsquequo non recipis te, & ipse inter alios vice tua? Sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? stultus & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, vir & fœmina, senex & iuuenis, clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt, qui fluit è pectore tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem? Sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines, & iumenta, & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas, sed inter cæteros bibe tu de aqua putei tui: alienus inquit non bibat ex eo: nunquid tu alienus? cui non alienus, si tibi est? hæc omnia ex diuo Bernardo, cuius ego sentẽtię nihil habeo quod adiicere possim, cum satis superque id quod volumus à sanctissimo viro explicatum sit.

Ecclesi.38. 2.Cor.9. Marci.8. & Luc.9. Psal.77. Rom 8. Genes.24.

Verborum etiam copia paranda est, quam nisi multa eorum librorum lectione, qui patria lingua (qua in concionibus vtimur) scripti sunt, nullo modo sibi quisquam perfectè comparare poterit: quæ res quàm sit concionatori necessaria, causis redditis explicandus est. Constat igitur summam eloquentiæ in hoc sitam esse, vt dignitati rerum par sermo tribuatur: hoc est, vt vnamquamque rem tantam dicendo faciamus, quanta est, nec sermo rerum pondere & dignitate sit inferior. Sicut igitur vmbra corpus, ita sermo naturã rerũ sequi, & cum ea coherere debet. Ad hoc autẽ præstandum duo sunt necessaria, alterum, vt eas res de quibus dicturi sumus, totamque earum vim atq; naturam, pro dignitate concipiamus: alterum verò vt hoc ipsum quod mente concepimus, verborum, atque orationis ministerio plenissimè declaremus, ipsamque mentem nostram in auditorum animos quodammodo trãsmittamus: ad hanc ergo, idoneorum verborum copiam, velut procinctu habendam, opus est (vt diximus) multa eorum librorum lectione, qui ornatissimè patrio sermone scripserunt. Nemo tamen arbitretur hanc verborum copiam ideo parari, vt multis nominibus idem significantibus, rem eandem (quod quidam nimis ineptè faciunt) exprimamus: hoc enim nisi in loco fiat, inanissimum & vana ostentatione plenum est, ideoque nihil magis veræ eloquentiæ contrarium. neque etiam hoc quærimus, vt à cõmuni sermone recedẽtes, selectissimis verbis semper vtamur: hoc enim & curiositatis, & vanitatis, & affectatæ eloquentiæ significationem dat, & ita dicenti fidem abrogat: Sed quoniam eorum librorum lectionem, qui patria lingua scripti sunt ad parãdam verborum copiam conferre diximus, meminerit studiosus concionator eloquentiam non in verbis tantum, sed multo magis in sententiis esse.

Reg.21. Simile.

Quæ autem cautio in vitiis carpendis adhibenda sit, ne pro salutaribus pharmacis, venena, aut alicuius grauis offensionis materiam populo tribuamus, concionatoris prudentiæ relinquo. Illud autem admonendum esse duxi, ne facile delatoribus fidem habeat, cum aut præfectorũ, aut prælatorum suorum mores accusant. Sæpè namque his, vel lenibus causis inducti vel priuatis affectibus incitati, falsa in illos crimina intendunt: quibus concionatores fidem adhibentes, ea statim in concionibus, sine vllo graui delationis testimonio, aut examine criminantur: qua quidem re, non leuem contra se maiorum suorum indignationem, atque inuidiam conflant: & non modo apud illos doctrinæ fructum, sed etiam fidem amittunt. Quocirca nulli magis quàm aliquarum personarum vitiis perstringendis, concionatoris prudentia

prudentia desideratur, ne vel dicenda sileat, vel nõ dicenda temerè effutiat.

Etiam notandum est, hæc ipsa quæ diximus sine pertinaci studio atque labore non ita multum iuuare. Non enim hîc vulgarem, atque triuialem concionatorem, sed singularem, maximeque hominibus salutarem instituimus. Quod si Cicero nullam iudicat eloquentiam, quæ admirationem non habeat: cum in illa Ethnicorum eloquentia, vix quidquam aliud præter verba, & eloquutionis ornamenta sint, quæ admirationem commouent, quid de Christiana eloquentia sentiẽdum est? quæ tota in altissimis admirandisque cælestis philosophiæ sacramentis explicandis versatur: quæque non tàm verborũ quàm rerũ põdere & maiestate, mentes hominum in admirationem rapit? Quanta ergo euangelici concionatoris ignominia erit, si suspensos non teneat auditorum animos, qui non tàm verba splendida, quàm admiranda mysteria illis ante oculos ponit? Ad hanc igitur tantam laudem non inerti otio atque segnitie, sed pertinaci studio, atque labore peruenitur: Nam & multa & varia in omni vita legisse opus est, & multo labore ac studio, vnaquęque concio apparanda est. Hoc enim studiosè Demosthenes ad dicendum componebat: vnde de eius orationibus vulgo dicebatur, quod lucernam olerent, eius videlicet in apparanda oratione vigilias, hoc verbo notantes: quod quidem vulgi testimonium ipse firmauit, qui dictitare solebat, molestè se ferre, si quis fabrorum ferratiorum, aut aliorum opificum antelucanas eius vigilias anteuertisset: idemque rogatus qua ratione tantam eloquentiæ vim comparasset; plus (inquit) olei, quàm vini absumendo. Hoc igitur studio ac labore, id assequutus est, vt eum inter græcos oratores locum assequeretur, quod inter latinos Cicero. Multa quippe lectione, multa meditatione, agitationeque animi, multaque cura & studio opus est, vt egregiam concionem rebus & verbis instructissimam, parare valeamus, quod quidem studium graui molestia non caret, cum eadem sæpè repetere, & memorię mandare necesse sit: quæ res fastidio & molestia non caret: quam tamẽ flagrans in Christum charitas superare debet.

Reg.23. Cicer. Demosthenes.

Nec verò quisquam satis se ad concionem instructum putet, si præclaras, insignis alicuius viri, apud se conciones retineat: Nemo enim munus hoc tractare pro dignitate poterit, nisi quæ aliunde cõgessit, ita in animo suo verset, ac voluat vt ex alienis, multarum rerum adiectione, tractandique ratione, sua quodammodo faciat: vt videlicet non aliunde ascita, sed domi suæ nata videatur: quod leuis operæ atque negotij est. Quò autem is, quem imitari studet, in hac dicendi facultate præstantior est, eò est difficilius humili ingenio sublima aptare: hoc enim perinde est, ac si quis aurea Saulis, exiguo Dauidis corpori, arma accommodari: Ad hanc igitur cogitationem, & tempora, & loca idonea captanda sunt: Tempus autem vel antelucanum, vel nocturnum, cum nec familia prostrepit, nec tumultus vllus partem nobis mentis eripit, commodissimum est: Loci quoque solitudo & obscuritas, aciem mentis ad cogitandum efficit clariorem: sacer verò locus, & is inprimis, in quo sacra Eucharistia asseruatur, super omnes alios aptissimus est.

Reg.24. Simile.

Sacramentalis enim Christi Domini præsentia, miro modo, pij hominis mentem, & componit & efficit, & ad salutaria atque vtilia, magisq; curiosa, & subtilia cogitanda inducit. Vt enim disciplina venatoribus est, accipitres ad inuadẽdam prædam, media præpare: ita nos ad hanc spiritualem animarum venationem (de qua Dominus per Hieremiam meminit compositis animorum affectibus præparari debemus. Ad hoc autẽ primum est, vt ea nocte, quæ concionis diem antecedit, in oratione perseueremus, suppliciter illum obsecrantes, qui sapientiæ autor & gubernator est, in cuius manus sumus nos & sermones nostri, illum inquam, qui linguas infantium disertas facit, vt fæliciter sermonis nostri cursum, ad nominis sui gloriam dirigat; & nobis quidem puritatem intentionis, auditoribus autem proficiendi studium clementer impartiatur.

Simile. Hierem.16

Gestus etiam voci consentiat: & vtrumque, vox scilicet & gestus, animo simul pareat: is verò quantum habeat in oratione momenti, satis vel ex eo patet, quod pleraque etiam citra verba significant: quippe non manus solùm, sed nutus declarent nostram voluntatem, & in multis pro sermone sunt, & salutatio frequenter sine voce intelligitur atque afficit: & ex vultu, ingressuque prospicitur habitus animorũ, & animalium quoque sermone carentium: ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibusdam aliis corporis signis depræhenditur. Nec mirum si ista, quæ tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valeant, cum pictura tacens, habitus semper eiusdem, sic intimos penetret affectus, vt ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur. Contrà si gestus ac vultus ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares affirmemus aliqua renuentes, non authoritas modo verbis, sed etiam fides desit: Decor quoque à gestu, atque à motu venit: ideoque Demosthenes grande quoddam Speculum intuens componere actionem solebat.

Reg.25. Demosthẽ. exemplum.

Vulgarissimum etiam vitium, est vocis æqualitas (quod græci monotoniam, hoc est, vnum quendam vocis sonum appellant: Cum is qui dicit eodem vocis tenore, sine vllo eius flexu, ac varietate, tota fere concione decurrit, more eorum, qui quam orationem memoria complexi sunt, recitare solent: In hoc autem vitium huius officij tyrones frequenter incidunt metu enim ac trepidatione quadam insoliti operis pressi, vix quidquam aliud, quam, ne quod dicturi sint memoria excidat, attendunt: Nunquam autem quisquam aptè dicit, nisi qui hoc metu & cura solutus, liber & sui ipsius compos sit, quo & quid dicat & quomodò dicat prudẽter inspiciat. Huic autẽ cõtrariũ vitiũ est, vocis inęqualitas in quo peccãt, qui priùs illud vitiũ effugere cõtendunt: sic enim frequẽter accidit, vt qui vitium aliquod vitare student, in alterum quod ei aduersatur incidãt: vt enim simplicem illum vocis tenorem declinent, vocem ipsam, non pro natura rerum, sed pro suo arbitratu, temerè modo in sublime attollũt, modò ad imum deprimunt, quæ res, & grauiter auditorum aures lædit, & insanam ac temerariam libertatem præse ferre videtur: ab hac autem pronunciandi ratione, graues homines & sana ingenia maximè abhorrent.

Reg.26.

Est autem aliud æqualitatis vitiũ, quod vtriusque huius naturam referre videtur: habet enim cum æqualitate coniunctam inæqualitatem: est autem vitium hoc adeo occultum, vt vix iudicari possit: Quidam enim hunc simplicem vocis sonum fugere studentes, quandam pronunciationis formam captãt, quæ suos & iam vocis flexus, &

Reg. 27.

varietatem habeat,& nec à communi,& familiari consuetudine loquendi abhorret,quam tamen omnibus concionis partibus accommodant, siue enim aliquid narrent,siue argumẽtentur,siue rem attollant atque amplificent,eandem fere pronunciandi figuram retinent: quod perinde est, ac si quis omnibus corporis partibus,idem vestimenti genus adaptare vellet: quod quidem vitium,auditor minimè stupidus, in nonnullis concionatoribus deprehendit; qua quidem animaduersione *Similo.* faciliùs intelligat, quod nos in hoc loco vix verbis explicare possumus.

1.Reg.18. Est & aliud vitium nimiæ tarditatis, quo quidem lenta pronunciatione,longioribusque interuallis tota ferè concione vtuntur: quæ res tantum abest,vt auditores afficiat, vt somnum etiam frequenter illis incutiat. Cui contrarium est vitium nimiæ celeritatis,quo multo plures laborant,siue quod memoriæ diffidant,nisi ita dicãt: siue quòd ea libertate careant, qua dicunt, qui nullo trepidationis affectu oppressi, sui ipsorum, & eorum, quæ dicuntur,compotes sunt. Isti enim modo celeriùs modò tardiùs, modò longioribus, modò breuioribus interuallis, pro rerum natura & dignitate vti solent: vtrumque enim vitium est, & celeri omnia, & tarda voce pronunciare. Quocirca varietas vt in vocis figura, ita in celeritate, & tarditate adhibenda est: vt autem in celeritate & tarditate, ita in acrimonia,& remissione atq; languore, sua vitia non admodum his dissimilia notantur. Sunt enim quidam acri & vehementi in- *2.Reg.2.* genio,qui tota fere concione,veluti quodam perciti furore dicunt:quod quidem non raro ex quadam animi trepiditate proficiscitur. Vt enim arbores arboribus,ita affectus affectibus inseruntur atque ita alij ex aliis vim & impetum capiũt. Qui igitur ita dicunt in hoc incommodum incidunt, vt cum rem indignam acri pronunciatione dixerint, nequaquam tamen auditores commoueant: propterea animaduertant eos omnia quæ dicunt, siue grauia,siue leuia sint,simili vocis impetu pronunciare: Quocirca delectum habere cõuenit, vt sciamus quæ acriori quæ leuiore voce proferenda sunt, vt suum cuique velut ius, atque habitum præbeamus.

Quia verò multi concionatores sese ad aliorũ, qui sunt huius artificij principes,imitationem accinguntur: eorumque non modo eloquentiam, sed etiam agendi & pronunciãdi rationem ferre studeant,monẽdi sunt, vt cautè hoc atque prudenter agant. Cum enim in actione præcipuè spectetur decorũ,sciant hi nõ omnia oẽs decere: Est enim in hoc (vt Fabius ait)latens quædam ratio, & inenarrabilis; & (vt verè dictum est)caput esse artis, dicere quod facias: ita id neque sine arte, nec totum arte tradi potest: in quibusdam virtutes non habent gratiam,in quibusdam vitia ipsa delectãt, Maximos actores Comædiatum Demetrium & Stratoclem placeri diuersis virtutibus vidimus; *Fabius.* fuit enim eorum natura diuersa: nam vox quoq; Demetrij iucũdior, illius acrior erat. Quare norit se quisque, nec tantum ex communibus præceptis;sed etiam ex natura sua capiat consilium for- *Reg.10.* mandæ actionis.

Quid autem hîc illos referam, qui & pedibus, & brachiis,& irrequieto corporis motu digladiari magis quàm agere videntur? modò enim mediũ corpus frangunt: modò se intra suggestum demisso corpore condunt: modò inde velut emergunt, & in sublime attollunt: vt igitur languida actio motu caret,ita nimium actuosa deformis,& indecora est: modus enim est rebus adhibendus, quod enim aut supra modum,aut infra est,& à recto declinat, intuentes offendit.

Superest aliud vitium,cui auditorum voluptas & ignorantia virtutis nomen indidit;cùm videlicet partim gestu, partim etiam voce, aliorum dicta aut facta,histrionum more, imitamur: Abesse enim plurimum à saltatore debet orator;vt sit gestus ad sensus magis, quàm ad verba accommodatus: quod etiã histrionibus paulò grauioribus facere moris fuit. Neque enim me mouet, quod frequenter auditores hanc imitationem laudant: quippe quod eorum aures mulcet, quodque illis voluptatis cuiusdam & risus materiam præbet: Quemadmodum histrionem laudant, qui probè voces & actus hominum effingit,quin tamen graues & eruditi viri reprehendunt, quorum magis iudicium sequi, quam populi applausum captare debemus: hi namque indignum esse putant, ecclesiastici doctoris authoritatem ad histrionum gesticulationem & leuitatem degenerare.

Hæc sunt igitur quæ studiosus concionator prouidere ante omnia debet quo fideliter munus suum administrare valeat.

FINIS.

NOCTE sub obscura dum cuncta sepulta manerent,
Jamque graues resupina quies è pectore curas
Præriperet: Nox ista tamen nimis anxia,necdum
Solicitos animo potuit dispersere fluctus.
Quin potius varia contundit mole iacentem,
Et quæ sæpè vigil pertracto mente, reducit.
Cum subitò timidus clausis Morpheus ocellis
Thesauros præfert Midæ, Crœsiq; potentes:
Hinc Arabum gemmas,hinc aurea vasa Lydorum.
Hâc Tagus Hesperius, illac Pactolus arenas
Certatim voluunt, auri iucunda metalla.
En fusis perplex auri circundatus vndis
Proh,proh (dixi) æternæ Deus, rex maxime diuûm
Quis tot diuitias produxit? quisue tuorum
Fœlix argenti riuos arisq; metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit?
Quis decor iste nouus? vel quæ arx immensa capax sit
Thesauros capere,& varias diffundere in oras?
Tum iuuenis facie rutila, atque podêre decorus
Angelica, mœstum solatur,& explicat ore
Quæq; sub angusto lateant velamine somni.
Vndas Pactoli, vel quas Tagus obtulit auri,
Suaues esse puta doctorum scripta virorum,
Quæ Tagus (Hesperius doctor) congesit in vnum
Hyblæos veluti lustrando dulcia campos
Mella apis angustum tacitè conuoluit in antrum:
Sic sic multa legens sapientum dicta virorum
Thesaurum sibi construxit, quem promere posthac
Et varias posit Lugdunum deducere in oras.

PIO LECTORI S.

METHODVS & progressus totius operis rarus quodammodo, nonnulla in eo peperit etiam rara, & quæ in plerisque aliorum tabulis non ita inueniantur: atque propterea mirati non debes quod cæteras tabulas quæ communiter fieri solent, imitati non fuerimus & secuti, neque etiam tritis vestigiis insteterimus. Nam cum in reliquis huius operis tabulis, tum in hac vna autoritatum sacræ scripturæ, etiam singularia quædã secuti sumus, offendes enim aliquãdo locum aliquem in illis, quem cum in libro quæsieris difficiliorem illum obscurioremque inuenies quam in tabulis legisti: nihilominus tamen plurima habet adiacentia loca & concomitantia, quæ cum ad idem pertineant institutum se inuicem manifestant & elucidant. Interdũ etiam videas autoritatẽ aliquam & si minus eisdem ipsum textus citatã verbis, at certe eandem seruantem sensum atque sententiam. Porrò illud quoque aduerte, non solum hunc esse autoritatum scripturæ indicem, sed etiam variarum historiarum, figurarum, & conceptuum aliorum longe multumque vtilium, quibus pleræque tabulæ destitutæ circumferuntur. Concionator autem variis opus habet conceptibus, ampliſſimaque materiarum sylua: cum non solũ in diuersis concionibus, sed etiam in vna & eadem, aliis atque aliis vtatur. Quamobrem hunc nostri indicem cum reliquis æqui bonique consule; & cum tuo fructu & vtilitate tandem discito, tanquam ab homine qui in eiuscemodi exercitatione callum iam prope contraxit quantum cõducant huius generis indices ita digesti: quod ipsa experientia rerum magistra quodam temporis tractu te tandem docebit, non sine maximo tuo commodo. Quod si docti lectoris scientiæ tenuitas nostra minus satisfecerit, nobis ignoscet, & animum in publicam propensum vtilitatem in bonam acci piet partem. Vale.

Animaduerte numero quolibet in hoc Indice, primo paginam, secundo numerum linearum (qui inter duas cuiusque paginæ columnas insertus est) litera a, primam paginæ columnam significat, litera b, secundam indicat.

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI SPARSIM AB AVTORE EXPLICANTVR ET CITANTVR, INDEX, SECVNDVM ORDINEM LIBRORVM VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

EX GENESI.

IN principio creauit Deus cælum & terram 238.b.47
Fiat lux, & facta est lux 276.b.36
Et appareat arida 492.a.10
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram 317.a.349.a
Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam 361.b
Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona 72.b.30
Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ 351
Plantauerat autem Dominus Deus paradisum, & in quo posuit hominem
Lignum etiam vitæ in medio paradisi 512.a
Posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum 124.a.15
Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas 112.a.71.140.b.48
Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius 472.a
Tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea 100.a.1
Erunt duo in carne vna 100.b.11.151.a.1
Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? 135.a.71.168.b.18.272.b.34
Nequaquam moriemini 631.a
Eritis sicut dij scientes bonum & malum pag.79.b.68. p.226.b.44.p.246.a.68.p.41.a.17
Vidit igitum mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis 313.a
Et comedit, deditque viro suo p.170.a.13.p.174.a.26
Et aperti sunt oculi amborum 264.b.64
Cognouerunt se esse nudos 436.a
Et cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem 343.b
Adam vbi es? 368
Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui 103.a. 32.514.b
Quis enim indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno

ligno de quo præceperam tibi ne comederes comedisti? 288.a.12.p.301.b.21
Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ 56.a.53
Inimicitias ponam inter te & mulierem 160.a.58
Maledicta terra in opere tuo 148.b.30
In sudore vultus tui vescēris pane tuo
puluis es, & in puluerem reuerteris 368.b.398.b
Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas 443.b
Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis 246.a
Factum est post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino 127.a.17.522.a
Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius 315.a. 501.a
Quare iratus es, & cur concidit facies tua? 238.a.3
Nonne si bene egeris recipies? 117.a.35
Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras p.269.a.31.p.125.b.24.p.224.a.60. 394.b
Nunquid custos fratris mei sum ego? 289.a.26
Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra 288.a.p.137.a.5
Habitauit Cain profugus in terra 261.a.426.a
Aedificauit Cain ciuitatem 232.b.55
Sed & Seth natus est filius quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini 315.a
Pœnitet me fecisse hominem 234.a.20
Finis vniuersæ carnis venit coram me 313.b
Erat Noe sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram 195.a.71
Et ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius, cum eo in arcam 100.b.14
Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram 140.b.69
Vehementer inundauerant aquæ 509.b
Recordatus est autem Deus Noe 166.b.36
Aedificauit autem Noe altare Domino 574.a
Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua 236.b.68.& p.237.a.21
Bibēsque vinum inebriatus est 124.a
Cum vidisset Cham verenda patris sui, &c. 237.a.21
Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis 207.b.40
Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni 83.a.70. p.103.c.35
Et cessauerunt ædificare ciuitatem 104.a.60. 116. b.14. 427.a
Egredere de terra tua, & de cognatione tua 259.b.60.p. 281.a.54.319.b.376.b
Faciamque te in gentem magnam 62.a.56
Apparuit autem Dominus Abraham, & dixit ei: semini tuo dabo terram hanc 453.a
Et sublata est mulier in domum Pharaonis 496.b
Flagellauit autem Dominus Pharaonem propter Sarai vxorem Abraham 166.a.39
Erat Abram dines valde 252.a.2
Facta est rixa inter pastores gregum Abram, & inter pastores gregum Loth 160.b.69
Ne quæso sit iurgium inter me & te 91.b.44
Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro 292.a.13
Diuisique sunt alterutrum à fratre suo 275.a.54
Leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es 125.a.42
Surge ergo & perambula terram in longitudine & in latitudine sua 450.b
Quod cum audisset Abram captum videlicet Loth fratrem suum 322.a.458.a
Da mihi animas, cætera tolle tibi 276.b.62
Credidit Abram Deo, &c. 511.b
Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas
Abram 210.b.18.532.b
Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuũ in terra non sua 574.a
Semini tuo dabo terram hanc 359.a
Illa concepisse se videns, despexit dominam suam 262.a. 39.397.a
Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit 62.b.21
Cumque inuenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine 166.b.36
Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius 165.b.38.p.99.b.31
Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum 255.b.15
Et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum 359.a
Abraham nonaginta & nouem erat annorum quando circuncidit carnem præputij sui 61.a.38
Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei 125.a.45
Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri 255. a.21.282.b.45.385.b
Afferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes vestri 447.b
Scio quod præceptus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini 94.b.9
Descendam, & videbo vtrum clamore qui venit ad me, opere compleuerint 323.b.500.b.50
Nunquid perdes iustum cum impio? 113.b.62
Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis 306.b.85.a.10.p.152.b.526.69.p.247.b.13.
Non delebo propter decem 376.b.439.a
Venerunt que duo angeli sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis 305.a.402.a
Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri 182. b.47
Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere 292.a. 44.117.b.39.p.292.a.44
Surge tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis 266.a.15
Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc 491.a.115.b.21.p.113.b.64
Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem 103.b.37.314.a
Respicienſque vxor eius post se, versa est in statuam salis 210.a.47.p.213.b.31.313.a.325.b.405.b
Misit ergo Abimelech rex Gerare, & tulit eam 111.b.2
En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum 166.a.44
Orabit pro te, quia prophetа est 207.b.22
Cogitaui mecum, dicens: forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorem meam 316.b
Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech 207. n.56
Non tibi videatur asperum super puero & super ancilla tua 101.a.52
Quid agis Agar? noli timere 319.b
Dixitque Abraham, ego iurabo: & increpauit Abimelech 287.b.13
Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac 309.b. 165.a.7.p.262.b.67.
Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum 91.a. 69.p.127.a.20.522.a
Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi 133 b.8
Cumque colligasset Isaac 299.a.14.437.a
Arripuit gladium vt immolaret filium suum 61.a.41. 76.a.26
Viditque post tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus 385.b
Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt 162.b.18
Per memetipsum iuraui dicit Dominus: Quia fecisti hanc

hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me benedicam tibi 125.a.46.314.b

Agrum tardo tibi & speluncam quæ in eo est, sepeli mortuum tuum 442.a

Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum 385.b

Celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum 309.b.458.b

Inito conuiuio vescentes pariter & bibentes mæserunt ibi 100.a.33

Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem 100.b.8

Egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die 452.a

Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de camelo 152.a.71.525.b

Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu 402.b

Factus est Esau vir gnarus bellandi & homo agricola 294.b.28

Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis ibid.

Da mihi de coctione hac russa, quia oppido lassus sum 124.a.2.142.a.5

Comedit & bibit, & abiit, parui pendens quod primogenita vendidisset 57.b.45.

Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populorum vxore tua 314.a

Omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt 272.b.40

Recede à nobis quoniam potentior nobis factus est valde 191.b.68

Iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac 161.a.5

Foderunt autem & alium puteum

Ascendit autem ex illo loco in Bersabee 125.a.49

Fecit ergo eis conuiuium, & post cibum & potum surgentes mane iurauerunt sibi mutuo 310.b

Vocauit Esau filium suum maiorem 94.a.36

Nunc ergo fili mi audi vocem meam 117.b.46

In me sit ista maledictio fili mi 354.a

Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau 120.a.30

Vox quidem vox Iacob est, manus autem Esau 242.a.70

Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno 98.b.16

In pinguedine terræ, & in rore cæli, desuper erit benedictio tua 209.a.10

Oderat ergo Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater 160.b.70.224.a.60

Consurgens fuge ad Laban fratrem meum 310.b

Cur vtroque orbabor filio in vno die? 427.a

Profectus Iacob peruenit in Mesopotamiam Syriæ 155.b.63.387.b

Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tanges cælum 167.b.45.43.a.453.a

Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem & Meridiem 116.b.2 359.b

Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis 337.a.485.a

Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine 377.a

Vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias 490.b

Facto mane, vidit Iacob Liam 524.b

Seruiens apud eum septem annis alijs 267.b.9

Videns autem Dominus quod despiceret Liam 198.b.17

Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ 272.b.41

Resordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam 166.a.36.93.a.6.166.b.38

Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nũc dines effectus es 326.b

Iustum est igitur vt aliquando prouideam etiam domui meæ 391.b.410.b.520.b

Factumque est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas & parerent maculosa 380.b.551.b

Responderuntque Rachel & Lia: nunquid habemus residui quicquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri 161.a.55

Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis ac coniugibus suis super camelos abiit 213.b.8.365.b

Comprehendit Laban Iacob in monte Galaa 164.b.68.173.a.6

Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob 111.a.3.pag.111.a.52

Cur furatus es deos meos? 316.b

Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis 626.a.471.474.b

Afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus 125.a.51

Veni ergo, & in Emaus fœdus, vt sit in testimonium inter me & te 511.b

Ecce properat in occursum tuum Esau cum quadringentis viris 111.a.3

Timuit Iacob valde, & perterritus diuisit populum qui secum erat 496.b

Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo 134.a.33

In baculo meo trãsiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior 333.b.443.a

Mansit solus & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane 452.a.487.a.493.a

Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?

Ipse vero Iacob claudicabat pede 70.b.1ª

Eleuans autem Iacob oculos vidit venientem Esau 164.b.70

Accipe munusculum de manibus meis 155.b70

Præcedat quæso Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius 376.b

Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius 264.b.68

Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri 420.a

Assensique sunt omnes circuncisis cunctis maribus 336.b

Et ecce die tertio quando grauissimus vulnerum dolor est 395.a

Surge & fac altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum 450.a

Iste est Anam, qui inuenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinas Sebeon patris sui 169.b.39

Oderant eum nec poterant ei pacifice loqui 161.a.2.224 a.61.250.a.28.p.273.b.38: & p.280.a.10

Quod cum patri suo & fratribus retulisset, increpauit eũ pater suus 77.a.49

Quo respõdente, præsto sum, ait: vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora 298.b.29

Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges 308.

Non interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem 117.b.48.p.287.b.13.458.a

Extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis 281.41

Puer non comparet, & ego quo ibo? 96.b.67

Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguinem hœdi, quem occiderant tinxerunt 420.a

Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum 404.b

Igitur Ioseph ductus est in Aegyptum emitque eum Phutiphar eunuchus Pharaonis 93.a.18.178.a.1.363.a

Benedixit

Benedixitque Dominus domui Aegyptij propter Ioseph, 376.460.b

Nequaquam acquiescens Ioseph operi nefario, dixit ad eã. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquam est quod non in mea sit potestate, præter te, 328.b.365

Quomodo possum peccare in Dominum meum? 631

Et mulier molesta erat adolescenti, 631.a.10.176.a.55

Accidit autem quadam die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret, 398.a

Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras, 371.a.71.p.263.a.2.

Et introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me vt coiret mecum 191.b.27

Tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur 763.b

Cur tristior est hodie solito facies vestra?

Memento mei cum bene tibi fuerit 232.b.23

In vno cánistro, portare me somniabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo, 127.b.47

Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui 261.b.11.397.a

De quo ascendebant septem boues pulchræ & crassæ nimis 521.a

Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni 113.b.48

Somnium regis vnum est 86.a.37

Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperiũ cunctus populus obediet 93.a.20.28.a.43

Fecitque eum ascendere super currũ suum secundum, clamante præcone vt omnes coram eo genu flecterent 83.a.35.347.b

Vocauit eum lingua Aegyptiaca saluatorem mundi 333.a

Triginta autem annorum erat Ioseph quando stetit in cõspectu regis Pharaonis 94.b.28

Quare negligitis? audiui quod tricicum venundetur in Aegypto, descendite & emite nobis necessaria 267.a. 52.p.826.b.51.404.a.

Vt videatis infirmiora terræ veniſtis 171.b.71

Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum 104.a.62.

Exterriti dixerunt mutuo: propter pecuniam quam retulimus prius in sacris nostris, introducti sumus, vt deuoluat in nos calumniam 316.b

Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes suos 447.b

Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet 233.b.15

Pone pecuniam singulorum in summitate saccicolum 525.a

Eleuauitque Ioseph vocem cum fletu, quam audierunt omnes Aegyptij 165.a.39

Ego sum Ioseph frater vester, nolite pauere 156.a.4

Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum 294.a.71

Ne trascamini in via 468.a

Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum 472.b

Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt, parui & mali 63.a.63

Subiecitque Ioseph omnem terram Aegypti Pharaoni, præter terram sacerdotum 105.a.572.b.625.b

Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris 333.a

Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentẽ diem col.333.b

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium 77.b.11.208.a.48

Ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis 360.a

Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum 1787. b

Ecce populus Israel multus & fortior nobis est venite, sapienter opprimamus eum 161.a.3

Præposuit eis magistros operum vt affligerent eos oneribus 267.a.54.

Si masculus fuerit, interficit eum, si fœmina, reseruate 161.b.41.p.135.b.2.422.b

Non fecerunt obstetrices iuxta præceptum regis, sed conseruabant mares 458.a

Bene ergo fecit Deus obstetricibus 125.a.53

Videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus 161.b.43.

Vis vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire possit infantulum? 117.a.68.458.a

Quis constituit te principem & iudicem super nos 292.a.50.

Qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian 246.a.387.b

Quare dimisisti hominem? vocate eum vt comedat panem 365

Vxorem duxit Aethiopissam 605

Cumque minasset gregem ad interiora deserti venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Dominus col.1028. 320.a.b.42.452.a.507.a.495.a

Videbat quod rubus arderet, & non combureretur 111.a.16.

Vidi afflictionem populi mei 219.b.24.p.27.a.28

Clamor filiorum Israel venit ad me 493.a

Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto? 66.a.2

Ego sum qui sum 236.a.61.

Extendit, & tenuit, versaque est in virgam 376.a

Mitte manum tuam in sinum tuum 153.a.52

Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius 416.b

Audierunt q̃ quod visitasset Dominus filios Israel, & proni adorauerunt 281.b.57

Nescio Dominum, & Israel non dimittam 474.b

Palea non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum 172.a.38

Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, afflixit populum tuum 173.a.8

Filij Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao? 282.a.8.

Indurabo cor Pharaonis 235.a.61.260.b.63

Virga Aaron deuorauit virgas eorum 589.a.622.b

Induratumque est cor Pharaonis, & non dimisit eos 225.b.30.270.b.63.

Eduxerunt ranas super terram Aegypti 194.b.8

Digitus Dei est hic 275.b.36.275.b.60

Induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos 352.a

Et venit musca grauissima in domos Pharaonis & seruorum eius 524.b

Abominationes Aegyptiorum immolabimus domino Deo nostro? 575.b

Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues, pestis valde grauis 588

Peccaui etiam nunc, Dominus iustus, & ego & populus meus impij 339.a

Ite sacrificate Domino, oues tantum vestræ, & armenta remaneant 91.a.17

Non audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in terra Aegypti 118.b

Mensis iste vobis principium mẽsium, primus erit in mensibus anni 378.b.456.b

Tolletis & hædum, & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis

Et sumebt de sanguine eius ac ponetur super vtrumque postem, & insuper liminaribus domorum 450.b

Et edent carnes, & azymas panes 513.b

Nec

Nec remanebit quicquam ex eo vsque mane 187.a.70
Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis 133.a.63
Incurvatusq; populus adorauit 315.a
Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptiis, vt commodarent eis, & spoliarent Aegyptios 434.a
Et erit quasi signum in manu tua 134.a.41.450.b
Per diem in columna nubis & per noctem in columna ignis 372.421.a.372.a
Viderunt Aegyptios post se, & timuerunt valde 166.a.57
Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscamur 83.a.9.p.210.b.21.48
Vt gradiantur filij Israel in medio mari perficcum 111.a.25,111.a.55
Et scient Aegyptij quia ego sum Dominus 525.b
Diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium ficci maris 305.a.348.a
Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos 360.b
Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis 98.a.69.110.b.59.346.b
Nec vnus quidem superfuit ex eis
Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorē deiecit in mare 134.a.45.223.b.37.467.b
Descenderunt in profundum quasi lapis 255.a.63
Murmurauit omnis congregatio filiorū Israel cōtra Moysen & Aaron 223.b.38
Vtinam mortui essemus in terra Aegypti 205.b.37
Die autem sexto parent quod inferant, & sit duplum quā colligere solebant per singulos dies 228.a.71.339.b
Apparuit in superficie minutum & quasi pilotusum in similitudinem pruinæ 320.a.359.a
Et scatere cœpit vermibus, atque computruit 187.a,70.515.b
Quodcunque operandum est facite, & quæ coquenda sunt coquite 339.b
Filij autem Israel comederunt manna quadraginta annis 167.b.47.176.a.25
Percutiesque petram, & exibit ex ea aqua 805.a
Pugnauerunt que contra Amalech 182.a.5
Cumque leuaret Moyses manus vincebat Israel 429.b. 493.b.547.a
Cum audisset Iethro omnia quæ fecerat Deus Moysi, venit ad eum 242.a.32
Egressus Moyses in occursum cognati sui, adorauit & osculatus est eum 152.b.11.525.b
Stulto labore consumeris, & tu & populus iste qui tecum est 526.117.b.7.p.291.b.19
Prouide de omni plebe viros sapientes & timentes Deum 421.a
Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat 292.b.63
Vocauit Dominus Moysen de monte 319.b
Cauete ne ascendatis in montem 517.b
Descenditque Moyses de monte ad populum: & sanctificauit eum 402.b
Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris 513.b
Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne. Et Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei 232.a.42.361.a
Visitans iniquitatem patrum in filios 103.a.9
Honora patrem tuum, & matrem tuam 295.b.55.298.b.42
Non occides 341.a.36
Non concupisces vxorem proximi tui 521.b
Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur 56.b.8.460.a
Nolite timere, vt enim probaret vos venit Deus 136.b.15
Si dixerit seruus, diligo Dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber 205.b.39.
Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo euelles eum 395.b
Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & nō operuerit eā, ecciderintque bos aut asinus in eam reddet Dominus cisternæ pretium iumentorum 91.b.47
Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehenderit aceruos frugum, reddet damnum qui ignem succenderit 91.b.49
Dominus domus applicabitur ad deos 408.b
Viduæ & pupillo non nocebitis 442.b
Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum 187.b.20
Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices 408.b
Non sequeris turbam ad faciendum malum 597.b
Pauperis quoque non misereberis in iudicio 322.b
Si videris asinum odientis te iacere sub onere, nō pertransibis sed sub leuabis cum eo 156.a.15.p.267.b.10.pag. 157.b.49.p.289.a.68.
Septima die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus 339.b
Non eiiciam eos à facie tua anno vno 104.a.65.pag.136. b.8.b.176.a.56
Non inibis cum eis fœdus nec cum diis eorum 266.a.18
Omnia quæ locutus est Dominus faciemus & erimus obedientes 223.a.63.p.282.a.4
Videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt 510.a
Fuit ibi Moyses quadraginta diebus & quadraginta noctibus 170.a.8.p.218.b.54.p.452.a
Sculpes in eis nomina filiorum Israel 475.b
Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitū quasi mala punica facies 532.b
Hoc facies vt mihi in sacerdotio consecrentur 259.b.63
Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum p.512.a.244.a.71
Et missa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas & pedes 515.a
Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses 472.b
Tollite in aures aureos de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus & afferte ad me 412.b.p.413.a
Formauit opere fusorio & fecit ex eis vitulum conflatilem 243.a.4
Surgentesque mane obtulerunt holocausta & hostias pacificas & adorauerunt vitulum conflatilem 215.b.11. 246.a.60
Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere 124.a.37.
Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos 13.b.66
Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum? 32.113.b.7.p.208.a.57.
Et contriuit vitulum vsque ad puluerem 91.a.43
Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?
Obsecro Domine peccauit populus iste peccatum maximum, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti 213.b.2.304.a.20.625.a
Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli 105.a.9
Non ascendam cum populo isto duræ ceruicis 213.b.8
Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui & delebo te 195.b.46
Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem sicut solet loqui homo ad amicum suum 562.b
Noui te ex nomine & inuenisti gratiā coram me 252.a.69
Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam 562.b
Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto 333.a. & 372.a
Et hoc verbum quod dixisti faciam, inuenisti enim gratiā coram me 400.b
Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum 263.b.1

Caue

Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias 266.a.20.569.a
Fuit ibi cum Domino Moyses quadraginta dies & quadraginta noctes panem non comedit & aquam non bibit 139.a.24
Qui videbant faciem egredientis, Moysi esse cornutam 469.b
Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino 92.a.23
Quicquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures, annullos & dextralia 412.a
Plus offert populus quam necessarium est 92.a.25
Iussit ergo Moyses præconis voce cantari, nec vir, nec mulier quicquam offerat vltra in opere sanctuarij 189. a.5.
Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum 375.b.& 512.b

EX LEVITICO.

Immolabitque vitulum coram Domino 394.a
Detractaque pelle hostiæ, artus in frustra concident 507.a
Et plumas proiiciet prope altare ad orientalē plagam in loco in quo cineres effundi solent 443.b
Offerent adipem & caudam totam cum renibus 492.a
Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit 49.a.4.p.272.a.36
Anima si peccauerit per ignorantiam, fecerit que vnum ex his quæ Domini lege prohibentur 49.a.4.p.272.a.36
Cuius carnes eadem comedētur die, nec remanebit ex eis quicquam vsque mane 187.a.68.574.a
Sanguinemque omnis animalis non sumetis in cibo 426.a
Carnem iuuenci & pellem eius comburite extra castra 91.a.31
Egressus est ignis à Domino & deuorauit eos 517.a
Et locusta quoque, singula iuxta genus suum 75.a.55
Die octauo circumcidetur infantulus 263.b.11
Recludet eum sacerdos septem diebus 499.b
Hic est ritus leprosi quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem, &c. 572.a
Tunica linea vestietur, seminalibus lineis verenda celabit 195.b.54
Cumque portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam 169.b.16
Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est 65.a.55
Non quæras vltionem, nec memoreris iniuriæ ciuium tuorum 156.a.13.p.157.a.38.& p.157.b.46
Agrum tuum non seres diuerso semine
Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur 99.a.19.408.a
Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, morte moriatur 321.a
Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino 512.a
Qui tangit reptile immundus erit 312.a.
Si cecum fuerit, si fractum, non offeretis ea Domino 421.a
Omne opus seruile non facietis in eo 352.a
Affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino 195.b.61
Mense septimo festum celebrabitis, & habitabitis in umbraculis septem diebus 395.a
Fuit ab omni populo lapidibus obrutus 95.b.40.& 408.b
Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram 189.b.47

EX NVMERIS

Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes & domos suas 302.b.17
Quicquid sexus est masculini à vicesimo anno & supra omnium virorum fortium ex Israel 332.a
Præcipe filiis Israel vt eiiciant de castris omnem leprosum 103.b.64
A vino & omni quod inebriare potest abstinebunt 203. a.51.277.a.43
Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum 61.a.35
Recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis 205.b.42.& 325.b
Erat autem Man quasi semen coriandri, & saporis quasi panis oleati 515.b
Non possum solus sustinere omnem hunc populum 472.b
Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel quos tu nosti quod seues populi sint 204.a.62.428.a
Quid æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum 279.b.51
Locutaque est Maria & Aaron contra Moysen 280.a. 10.281.a.51
Num per solum Moysen locutus est Dominus? 87.a.3
Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra 80.b.32
At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est 296.a.23
Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix 48.b. 57.518.a
Rogo Domine, ne imponas nobis peccatum hoc, quod stulte commisimus 532.a
Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur 486.b
Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in veste duo viri 228.a.42
Venimus in terram ad quam misistis nos 122.a.20.198. a.19
Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere quia fortior nobis est 413.a
Vociferans omnis turba fleuit nocte illa 98.b.19
Constituamus nobis ducem & reuertamur in Aegyptum 325.b
Dimisit iuxta verbum tuum 429.b
Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum 61.a.50
Si per ignorantiam præterieritis quicqua horum, offeretis vitulum de armento 272.a.36
Cum inuenissent hominem colligentem ligna in die sabbathi, obtulerunt eum Moysi p.48.b.51.339.b
Faciant sibi fimbrias per angulos palliorum 243.a.29. & 243.b.9
Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus 300.b.53
Separamini de medio congregationis huius 377.a.469.b
Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel cōtra Moysen & Aaron 569.a
Et stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus est 491.b.625.a
Tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri 472.b
Excubate in custodia sanctuarij 471.b.472.& 475
Siquis externus accesserit occidetur 105.a.11
Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper immundum erit 416.b
Quicquid tetigerit immundus immundum faciet 266. a.22
Percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ 130.b.64.p.135.a.67
Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quā dabo eis 348.a.48.b.64
Obsecramus vt nobis transire liceat 155.a.45.569
Orauit Moyses pro populo 486.b
Fac serpentem æneum & pone eum pro signo 551.b.52. 170.a.22.& 417.a

Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuã 151.a.44
Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini 131.a.13
Surrexit Balaam mane,& strata asina sua profectus est cũ eis 345.a.322.b.420.b.& 485.a
Vtinam haberem gladium vt te percuterem 291.b.37
Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia 130.b.38
Balac ducebat Balaam de loco ad locum 174.b.63
Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus e contrario tertio benedixisti 285.b.12
Non potero præterire sermonem Domini mei 60.b.66
Fornicatus est populus cum filiabus Moab,quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua 91.b.51.241.b.1
Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis,hominẽ qui sit super multitudinem hanc 472.b
Die autem sabbathi offeretis duos agnos 339.b
Offeretis & hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi 411.a
Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent,omnes mares occiderunt 61.a.472.41.b.15
Ob hãc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus inuenire 151.a.47
Homicida sub testibus punietur 500.a

EX DEVTERONOMIO.

Date ex vobis viros sapientes & gnaros,& quorum conuersatio sit probata in turibus vestris 421.a. & 468.b
